
13
M
5



R. P. LAVRENTII

DE PEYRINIS

OPERA OMNIA,

In Tres Tomos Digesta;

QVORVM
- I. De Officio Subditi Regularis.
- II. De Officio Prælati Regularis.
- III. Formularium Prælatorum Regularium.

Ad usum Adm. Rev. Pris Pontii, eiusque Cancellariæ, cuius que sumpta fuere anno 1688

R. P. LAVRENTII
DE PEYRINIS
GENVENSIS

ORDINIS MINIMORVM S. FRANCISCI DE PAVLA,
olim in Prouincia Genuensi Vice-Generalis: Necnon sanctissimæ Inquisitionis contra Hæreticam prauitatem Vicarij.

DE OFFICIO SVBDITI REGVLARIS,

SEV DE IIS QVÆ AD BONVM SVBDITVM FORMANDVM SPECTANT.

TOMVS PRIMVS,

In quo Constitutiones Pontificum circa Minimorum Priuilegia & Additamenta dictam materiam concernentia nunc primùm sibi inuicem succedunt.

OPVS STVDIOSIS OMNIBVS AC RELIGIOSIS ET PRÆLATIS apprimè necessarium, & alio quàm aliàs ordine digestum.

EDITIO NOVISSIMA, MVLTIS ADDITIONIBVS PRÆ CÆTERIS LOCVPLETATA.



Cancellarii LVGDVNI,

Sumptibus IOANNIS-ANTONII HVGVETAN, & GVILLIELMI BARBIER.

M. DC. LXVIII.

CVM APPROBAT. ET PERMISSV.



REVERENDISSIMO PATRI

IOANNI BAPTISTÆ RONCHÆ

A PLACENTIA

TOTIVS MINIMORVM ORDINIS

Apostolico Generali.

FR. ANGELVS VIGVS MINIMVS D.D.D.



TLANTEM, antiquitatis ingeniosum commentum, cuius fortitudini tantum à Poetis tributum est, vt Mundum ipsum posset immota sustinere ceruice, febricitantium velut deliramentum, ab eruditis auribus procul arcendum existimarem, nisi Sapientissimos vates non ignorarem fabularum integumentis sapientiæ mysteria velare solitos, vt cum voluptate hominum mores informarent, ac virtutum decora commendatiora redderent, ijs ab insipienti vulgo adeò nobili subreptis inuento. Ingeniosum planè potius, quàm commentum, antiquioris eruditionis arcanum. Atlantem enim fortissimum, Orbis machinam humeris sustinentem existimauerim ego sapientia præditum virum in dignitate constitutum, Præsulem numeris omnibus absolutum, qui capacissimæ mentis intelligentia, ac prudentiæ robore suæ complectitur, & sustinet Machinam Religionis. Viuida nimirùm virtus est, suis ipsa fundamentis honestatis innixa, & diuino corroborata munimine, laboribus non succumbit, sed enutritur, sudoribus irrigatur, contemptu voluptatum inualescit, honestati immobiliter adhærens honorem pariter, fœlicitatémque rebus præclarè gestis affectat, difficillima quæque aggreditur, & perficit: victrix debellat ignauiam, inertiæ tenebras sua luce dispergit: Ei nihil arduum, cælum ipsum sustinere facillimum. Hæc autem omnia cum in te vnum singula iam à principio confluxisse conspicuum sit, quis admirationi locus esse potest, si Ecclesiastici Orbis Vniuersi Rector, Pontifex Summus Vrbanus VIII. Minimitanum cælum tuis humeris semel, & iterum commendauerit sustinendum? Scilicet canoro te famæ plausu perceperat ad eum meritorum euectum apicem, qui summæ in Religione dignitati debebatur. Nouerat Te pro Conuentu Placentiæ primum ad Prouincialia, deinde Lombardiæ Prouinciæ ad Generalia Comitia destinatum Commissum: Octies

in eadem Prouincia Correctoris, bis Prouincialis Collegæ, & semel Correctoris Prouincialis officio functum: semel in Genuensem ab Eminentissimo Protectore, & iterum in Venetam Prouinciam à Reuerendissimo Patre Generali Visitatorem transmissum: Hiscè verò muneribus adeò præclare functum, vt multò plus à te acceperint, quàm Tibi contulerint dignitatis, & laudis. Nouerat Te post hæc, vt quam in tot obeundis prouinciis præluxeras, prudentiam, ac morum integerrimam honestatem in alios effunderes, ad Nouitios informandos deputatum, & veluti animatum exemplar tyronibus propositum. Non eum latebant eximiæ animi tui dotes, non frequentia in sacris, pius affectus in precibus, sollicitudo in officiis, vel solertia in ministeriis. Ecquis tandem poterat ignorare vrbanitatem tuam in moribus, quæ te omnibus fecit amabilem? Quis vigorem mentis, qui te præstitit in laboribus indefessum? Quis in dignitatibus non modo non appetendis, sed etiam eludendis, fugiendisque constantiam, & perpetuam à te benè actæ vitæ rationem, nunquam in susceptis consiliis æstuantem? At meum non est in præsentiarum tua referre encomia, præconia tibi recitare: Volebam Priuilegia Ordini nostro à Summis Pontificibus concessa, opera, & studio R. P. Laurentij de Peyrinis amicissimi tui, dum viueret, ac Prouinciæ meæ splendoris explicata, ac illustrata Paternitati Tuæ Reuerendiss. offerre, vt dum beneficiis in me collatis beneficia intexis, & beneficiorum vinculis beneuolentiæ vincula connectis, ipse aliquid grati animi pignus persoluerem; sed nescio quo raptus enthusiasmate calamus in tuas laudes eruperat: fortasse putauit modica de innumeris virtutibus, meritisque tuis attramento deducta scribens occurrere ardentissimæ cupiditati meæ, qua teneor, vt ex ista tam exigua laudum enarratione cumulatas in te vno virtutum omnium præclarissimas dotes agnoscant omnes, atque suspiciant. Quis enim contempletur hoc tempore dignitatem tuam, nec obseruet eam religiosius? Quis in fastigium illud, ad quod, non comite fortuna, sed virtute duce olim euectus, nuper ad triennium à Summo Pontifice Deo inspirante confirmatus, defigat oculos, nec lætetur vberius, testésque lætitiæ voces liberius non emittat? Quamobrem inter effusas nostrorum hominum gratulationes, quæ ex vniuersi Orbis partibus ad te conuolant, ego tibi hoc munere statuo gratulandum. Suscipe interim, Reuerendissime P. & excipe Opus, & me tuis sub auspiciis qualicunque modo lucubrantem, ac nostri Ordinis incremento viuas phæniceos annos.

AVCTOR



AVCTOR
AD
MINIMOS.



N, Reuerendi Patres, Opus & Priuilegia, nostro Ordini concessa à Pyrrho vsque ad Vrbanum VIII. Quid fecerim licèt euidenter constet intuenti; breuiter tamen accipite. Addidi in primis multa prætermissa à Passarello ex Iulio II. Leone X. Clemente VII. Paulo III. Gregorio XIII. Sixto V. omnia summa fide decerpta ex authenticis Archiuij nostri Romani apud P. Zelosum. Ea, quæ erant hinc inde dispersa, per Regulam præsertim, huc congessi. Adieci etiam Constitutiones eorum Pontificum, qui à Gregorio XIV. vbi Passarellus reliquit, hucvsque nobis, vel Mendicantibus in communi aliqua, vel concesserunt de nouo, vel antiqua confirmauerunt, eo semper ordine seruato, vt prius quæ nostro Ordini, deinde quæ aliis, vel in particulari, vel in communi concessa sunt, collocentur. Adiunxi quamplurimas celebriores sacrarum Congregationum Concilij, & Regularium declarationes. Notis quoque ditaui, quibus innotescit, quæ priuilegia nunc valeant, quæ non, quæ reuocata, quæ limitata, quæ ampliata, quæ declarata, quæ contra Tridenr. quæ illi conformia, quæ præter illud. In quibus notis ferè omnia Regularium priuilegia, omnémque priuilegiorum materiam inclusi. Innumerabilibus denique, grauissimísque mendis, sensum, vel obscurantibus, vel penitus tollentibus, vel retorquentibus, expurgaui. In quo Opere (quod certè laboriosum fuit) me maximè iuuit F. Franciscus Maria de Agrifoliis. Hæc feci. Quæ faxit Deus, vt vobis, reliquísque Regularibus prosint, & proderunt, si æquo animo, bonaque voluntate legantur. Sed quoniam scio, multos priùs contemnere libros, quàm legerint, immo quàm viderint; ideò per charitatem rogo:

Ne mea dona tibi studio disposta fideli,
Intellecta priùs quàm sint, contempta relinquas.

Ne de iis verificetur dictum Hieronym. in proœm. lib. 9. Isaiæ, ignorantes, quid audiant, & quid loquantur, de eo audent iudicare, quod nesciunt, & antè despiciunt, quàm probent, eruditósque se existimant, & disertos, & in eo se scire aliquid arbitrantur, si de cunctis scriptoribus detrahant. *Proba igitur Lector, & iudica; ego enim me libenter illorum correctioni submittam, qui in huiusmodi periti, prudenter, & charitatiuè iudicauerint. Vale.*

EPIGRAMMA

Incerti Auctoris in laudem operis.

QVIVIS Peyrinis melliflua scripta reuoluens,
Laudibus eximiis semper in astra ferat.
En liber egregius Lectoris pectora mulcens,
In quo cardo piæ Religionis inest.
Perdocet hic valeas quo pacto subdere mentem
Subditus, & vanas spernere possit opes.
Hic etiam impuræ Veneris quo castra domare,
Et minimus lautas respuat vnde dapes.
Exculti tandem libri si iussa sequetur
Christicola, ad Cælum quam citò pandet iter.

R. P. F. FRANCISCI

A Mineo in laudem Operis.

ANAGRAMMA.

LAVRENTIVS DE PEYRINIS.
EN LENIIT PRÆSIDIS AVRA.

LVCIFERI insidiis Protoplastum æquore culpa Genes. 3.
Demersum, in portum transtulit AVRA *Dei.*
Arcana vt Daniel recludat somnia Regum, Dan. 3.
Edocet igniuomi fornicis AVRA *leuis.*
Vt Zelans vngat Reges, sacrétque Prophetas, 3. Reg. 19.
Per tenuem sonitum leniter AVRA *monet.*
Rectam, qua terram Psaltes pertingere possit, Psal. 143.
Expetitur precibus Spiritus AVRA *boni.*
Eximiam nauem recturis, flante sub AVRA Act. 2.
Ipsemet admonitis Spiritus almus adest.
Numen adest AVRÆ, *sed linguis insimul ardet.* Ibid.
Rustica consumens, & noua corda creans. Ezech. 36.
Terret vt ignipotens præcordia Discipulorum,
Iucundum rorem leniter AVRA *mouet.*
Illustrat mentes radiantis luminis instar,
Nec minùs affectum purgat, amore replens.
Vtrumque Auctoris celeberrima scripta imitantur,
Indę docendo mouent, hincque mouendo docent.
Solue igitur Præsul solertis carbasa mentis;
Spirans EN LENIIT PRÆSIDIS AVRA *leuis.*

P. F. FRAN

P. F. FRANCISCI MARIÆ DE AGRIFOLIIS Genuensis, Ordinis Minimorum Philosophiæ Lectoris in hoc IESV MARIÆ Collegio, in laudem Auctoris.

ANAGRAMMA.

LAVRENTIVS DE PEYRINIS.
INDIT EN VIRES PRÆSVLI.

AVREIS malis aditurus hortos
Consitos, donec remearet, ingens
Pondus Alcidæ fabricæ patentis,
Tradidit Atlas.

Ætheris summi nitidos iturus
Christus in campos, redeat quovsque
Præsulem mundi regimen minoris
Iussit obire.

Durior quisnam labor extet, anceps
Haud quidem. Magni subiisse corpus
Orbis est maius, tolerare quàm vas
Vertice paruum.

Grandior verùm, grauiórque moles
Vrget hunc; primi leuior, minórque
Gestat hic viuax, animo sed ille
Torsit inane.

Illius velox, variusque motus
Auxit Oetæi scapulis laborem;
Sed magis raptim, variè magísque
Se ciet ista.

Heu quot implexis Veneris, lucrivè;
Quotque vel fastus tumidis, vel iræ
Motibus præceps, aliisvè gyrat
Innumerosis?

Hinc eam primus tulit irreflexo
Sarcinam collo, proprios sed ista
Comprimit nixus; miser atque Præses
Inde labascit.

At modò ô felix nimiùm. Quis vllo
Vel metu lapsus trepidet, Cleantis
Plurima ad doctum vigilata lychnum
Dum, Pater, edis?

Artium summam calamo venusto,
Dumque concinnas, animique gazas
Pandis insignes, paueat quis istud
Flectere pondus?

Non tot Antæus procer è parente:
Ipsa vè optato sitiens, nec imbre:
Quot quit Antistes celebri hoc referre
Codice vires.

Vasta nevè Og, Dan superatâ mirum
Saxa, te robur tribuente, possit
Cum geri moles, metuenda dorsis
Et Superorum.

Haud parit baccas Sicyon tot; Hybla
Nec fauos præstat; rutili nec ignes
Tot micant cælo, tua quot pyropis
Scripta coruscant.

Nempè contextam graphicè corollam
Præsidis sacro capiti coaptas;
Qua gregem possit vigilans tueri,
Ceu foret Argus.

Ecce iam pressis humeris leuamen:
INDIT EN VIRES onus ad ferendum
PRÆSVLI Præsul Minimus, regendi
Maximus arte.

Eia Rectores alacres? Vt instar
Herculis tandem liceat perennes,
Quos sua soter nece traxit Atla,
Carpere fructus.

FACVL

FACVLTAS REVERENDISSIMI PATRIS GENERALIS.

Nos Fr. Io. Baptista Roncha totius Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula Corrector Generalis Apostolicus P. Fratri Angelo Vigo Nostri Ordinis Theologo Salutem in Domino.

VIrtute præsentium concedimus facultatem, vt quàmprimum commodè poteris, typis iterum mandari cures Opera & Priuilegia Regularium à P. Laurentio de Peyrinis iam impressa, declarata, & illustrata vnà cum Additionibus, tam ab ipso Auctore adhuc viuente factis, quàm à te: modo hæ prius à P. F. Thoma à Vezzano nostri Genuensis Collegij studiorum Regente; & à P. Iacobo Antonio Marchesio Theologiæ Moralis Lectore, examinentur, & approbentur; & accedat facultas eorum, ad quos spectat. Datum Neapoli in Nostro S. Ludouici Conuentu, die 10. Mensis Maij 1642.

Fr. Io. Baptista Roncha Minimus Generalis Apostolicus.

APPROBATIONES.

OPera, & Additiones à R. P. Peyrinis adhuc viuentis ad sua in Regularium Priuilegia Commentaria, nec non P. Angeli Vigi breuissimæ notæ ad Constitutiones, & Declarationes nouissimè additas, quas ego infrascriptus, mandante Reuerendissimo P. F. Io. Baptista Roncha nostri Ordinis Minimorum Correctore Generali Apostolico, attentè vidi, nihil prorsus continent, ob quod dignissimæ non sint publica typorum luce donari. Ita sentio. In quorum fidem, &c. Datum Genuæ. In Collegio Minimorum Iesu Mariæ die 20. mensis Augusti 1641.

Fr. Io. Thomas à Vezzano, S. Theologiæ Lector, & in prædicto Collegio Studiorum Regens.

EX Commissione Reuerendiss. P. F. Io. Baptistæ Ronchæ Ordinis Minimorum Correctoris Generalis, Ego infrascriptus R. ad P. F. Laurentij de Peyrinis fel. mem. typis iterum mandanda Opera, scilicet, tres, nimirum Priuilegiorum Regularium, præsertim Minimorum, tomos, pluribusque notis, seu additionibus ab ipso Auctore, & nunc à R. P. F. Angelo Vigo eiusdem Ordinis Theologo illustrata perlegi, in quibus cum nihil, quod Catholicæ fidei, aut bonis moribus obsit, reperterim: imo omnia ad mentem Ecclesiæ conformia, & Religiosis omnibus vtilissima fore existimem, typis dignissima censeo. In quorum fidem, &c. Datum Genuæ in Iesu Mariæ Collegio, 20. Septembris 1642.

F. Iacobus Antonius Marchesius Theol. Mor. Lector.

NOS F. SIMON BACHELIER; TOTIVS ORDINIS MINIMORVM S. Francisci de Paula Corrector Generalis, &c.

Dilecto in Christo R. P. F. Laurentio de Peyrinis Prouinciæ nostræ Genuensis Prouinciali Salutem.

VT ea, quæ præparasti de Priuilegiis nostris ad totius Ordinis vtilitatem, quamprimum typis mandare possis, concedimus licentiam P. F. Ioanni Ponce, nostri Instituti Theologo, & Concionatori, vt ea videre, legere, & approbare valeat, assumpto sibi alio eiusdem nostri Instituti, vel alterius Ordinis Theologo, qui eius opinioni subscribat. Et in fidem, &c. Datum Romæ in nostro Conuentu SS. Trinitatis, die 7. Februarij 1626.

F. Simon Bachelier Generalis.

P. F. IOANNIS PONCE DE LEON, LECTORIS PRIMARII THEOLOGIÆ, & Regentis studiorum huius Conuentus Iesu Mariæ Ordinis Minimorum Genuensis Vrbis.

IVssus, vt censoriam proferrem sententiam, de mandato Reuerendiss. P. N. F. Simonis Bachelier, totius nostræ Religionis Minimorum Generalis, Vidi tomos compositos à R. P. F. Laurentio de Peyrinis, Prouinciali eiusdem Ordinis in hac Genuensi Prouincia, Opus sane incredibili eruditione refertum, & ingenioso labore perpolitum mihi attentè legenti visum est, & suo dignum Auctore, & quòd si in lucem edatur, in maximum Dei honorem, & vniuersæ Religionis nostræ bonum cedet. Nam, vt doctrinæ candorem omittam, illustre admodum argumentum, integrè, & longè pleniùs, quàm alij, Auctor prosequitor, exornátque, tum quampluribus, & quidem, non vulgaribus Pontificum Decretis, tum præclarissimis Illustrissimorum Cardinalium super Concilium Tridentinum Declarationibus atque grauium aliorum Doctorum Testimoniis. Attexit etiam ad maiorem pulchritudinem, & iucundissimam varietatem singularia non pauca ex Iure Cæsareo, & Canonico. Expargie denique suæ Theologiæ moralis flores ex arido disputationum moralium campo selectos, sed qui suauem, securum, & religiosum odorem efflant, & noua quadam luce vestiri sapientum oculos pascunt, in eoque, velut in speculo, pietas, & Auctoris eruditio, acumen, & securitas iudicij prudentialis mirificè resplendent. E quibus omnibus emergit, Opus id esse, in quo nihil mutandum, nihil delendum, aut censura, sed laude dignum, omni dubio semoto, iudicandum sit, de quo securè proferre possum id, quod Plinius Iunior instanter dicere solebat cuidam amico suo, rogans, vt sua opera in commune bonum lucem aspicerene, *Effinge aliquid, & excude, quod sit perpetuò tuum*, quod in hac fertilissima librorum ætate de paucis verificari potest. Censeo igitur, posse hoc Opus typis mandari; tum in communem omnium vtilitatem, tum in Religionis nostræ perpetuum decorem. Præsertim cum in nullo à Christiana morum deuiet honestate, vel Orthodoxæ fidei dissentiat, immo in omnibus cum illa mirificè cohæreat. In hoc Conuentu Minimorum Genuensis Vrbis, die 4. Mensis Aprilis, Anni Dominicæ Incarnationis 1626.

F. Ioannes Ponce de Leon, Lector Primarius, & Regens.

De

De commissione Reuerendiss. P. N. F. Simonis Bachelier, totius Ordinis Minimorum generalis Correctoris.

INfrascripta Volumina in Religionis priuilegia, denuò elaborata à religiosissimo, & erudito P. F. Laurentio de Peyrinis Genuensi, eiusdem Religionis alumno, in hoc olim Collegio IESV MARIÆ primario Moderatore, nunc autem dignissimo Prouinciali Genuensis Prouinciæ, sedula, qua potui, cura perlegi, accuratéque euolui, cognouique Opus sanè hoc nulla censura reprobandum, sed laudibus potius, & encomiis esse celebrandum, cum in eo nihil catholicæ fidei dissonum, nihil bonis moribus contrarium, immo illud sacrorum Conciliorum actis, & S. R. E. ritibus, necnon sacræ Scripturæ sententiis, & Patrum dogmatibus mirificè consonum inuenerim. Solidam quoque Doctrinam, breui stylo, compendiosam tamen animaduerti. Vnde scripta hæc Auctoris sui pietatem insignem, vitæ candorem, eruditionem eximiam, sacrarumque literarum notitiam satis ostendunt. Quapropter, ipsis in publicum editis, maximam inde fidelibus, & potissimum Regularibus vtilitatem secuturam haud leuiter existimo. Quarè quòd typis tradantur, mihi dignissimum visum est. Datum Genuæ in Conuentu IESV MARIÆ, die 24. Mensis Maij, anno 1626.

F. Christophorus Rengel, Lector Primarius sacræ Theologiæ.

FACVLTAS REVERENDISS. P. GENERALIS.

F. Franciscus à Longobardis totius sacri Minimorum Ordinis SS. Patris nostri Francisci de Paula Corrector generalis.

REuerendo P. F. Laurentio de Peyrinis eiusdem Ordinis Theologo facultatem facimus, vt possit typis mandare suum Opus de Priuilegiis Minimorum; dummodò diligenter examinetur, & approbetur à duobus Theologis, siue nostris, siue alterius Ordinis, nominandis à Reuerendo Patre Prouinciali nostræ Prouinciæ Genuen. & adsit etiam facultas aliorum, ad quos pertinet. In quorum, &c. Datum in nostro Conuentu S. Andreæ de Fratris de Vrbe, die 2. Octobris 1632.

F. Franciscus à Longobardis indignus Generalis.

COMMISSIO ADM. R. P. PROVINCIALIS.

F. Io. Chrysostomus Malaspina Ordinis Minimorum, & in Prouincia Genuensi Minimus Corrector Prouincialis.

CVm P. F. Franciscus à Longobardis nostri Ordinis Generalis, fecerit nobis facultatem nominandi duos Theologos, qui diligenter examinarent libros, qui dicuntur Opera Adm. R. P. F. Laurentij de Peyrinis. Nos hanc Prouinciam commisimus R. P. F. Hieronymo Trimarchi, nostri Ordinis insigni Theologo, & sacræ Theologiæ, ac Iuris Canonici Lectori, & P. F. Francisco Mariæ de Agrifoliis Lectori Theologiæ in hoc IESV MARIÆ Collegio. In quorum fidem, &c. Datum Genuæ, die 27. Ianuarij 1633.

F. Io. Chrysostomus Malaspina Prouincialis.

EX Commissione Admodum Reuerendiss. in Domino Patris F. Ioannis Chrysostomi Malaspinæ Ordinis Minimorum S. Francisci à Paula, huius Genuensis Prouinciæ Prouincialis, vidi ego infrascriptus Volumina Admodum Reuerendi Patris Laurentij de Peyrinis, eiusdem Ordinis Theologi doctissimi, qui olim non semel, sed bis, atque iterum fasces Prouincialatus gessit, intitulata: *De Officio Subditi Regularis, de Officio Prælati Regularis, & Formularium Prælatorum Regularium.* Et ea, qua potui, diligentia attentè consideraui, & nihil inueni, quod catholicæ fidei sit contrarium, vel quod bonis moribus non sit consonum, ac consentaneum. Imo omnia pietatem, sacram doctrinam, omnisque eruditionis plenitudinem redolent. Et miratus sum Auctoris virtutem, simplicitatem, tot sociatam meritis, religiosam grauitatem, mira conditam suauitate, Religionisque nostræ zelum. Vellem ego ipse hic recensere multa pro Italia, gratitudinis ergo, in laudem tanti Patris, sed sileo, vt eius congenitæ modestiæ potius faueam. Itaque Opus iudico dignissimum, quod typis mandetur, & diu manebit, florebit, vigebit, & cum religiosa, & christiana vsura reddet acceptam è publico lucrum. Et ita attestor, Genuæ in Conuentu Iesu Mariæ, Idibus Decembris, Anno à Virginis partu sexcentesimo trigesimo tertio supra millesimum. Ita opto. Ita spondeo.

Ego F. Hieronymus Trimarchi, Messanensis, Siculus, sacri Minimorum Ordinis S. Francisci à Paula in Gymnasio Mamertino eiusdem Ordinis sacræ Theologiæ Lector, ac Iuris Pontificij Professor.

Inæstima

INæstimabilis scientiæ gemma pulchrior videtur, si videatur, & gloriosior, si se in eius aspectu detineat mens hominum. Beatior, feliciorque doctrinæ rosa fragrantissima cum in angusto memoriæ sinu collectum decus in libris ostentat, & quæ sibi decori, cæteris etiam est voluptati, odorem spirans. Quàm suaue redolet noster hic auctor Adm. R. P. F. Laurentius de Peyrinis librorum, fructu iucundissimo? Qui, ne serium illud insane videatur Hebræorum Sapientis illustre pronuntiatum, *Faciendi plus libros nullus est finis*, post aliquot fœcundissimæ mentis labores in lucem elatos, post vnum, & alterum Priuilegiorum volumina posteritati transmissa, tertium nunc emittit superiora coronans. Cui quidem librando (si librare fas sit, non potius venerari, discipulo) Reuerendiss. P.F. Francisci à Longobardis Ordinis nostri Generalis mandato, à R. Adm. P.F. Ioanne Chrysostomo Malaspina, Genuæ Prouinciali, datus iudex, in eo attentè perlecto, nil è catholicæ fidei regula, bonisque moribus alienum spondeo me reperisse: sacri quinimmo Theologi, Doctorisque ascetici partes tam piè pro moribus, tam doctè pro veritate tueri conspexi, vt ad rerum moralium intelligentiam lumen afferat non exiguum. Difficultatum verò flosculis tam variis, ac mirificis, tamque singularibus librum conspergit, & quod mirabilius est, practicis quæstionibus ita leges attexit, ac inducit, vt multi licèt laboris negotium sit libros scribere, eamque ob rem sacratissimo Exuli, qui de ipso Dominici pectoris fonte potauerat, dictum sit, sæpiusque repertum, *Scribe*, nil ampliùs tamen ad cumulatissimam veri scriptoris laudem hic exoptari posse videatur. Doctrinæ sileo robur, ac fœcunditatem, quæ non de arescentibus riuulis, sed fontibus ipsis sensim potata. Quid in scribendo facilitatem, claritatem, breuitatemque commemorem: vt eo in genere vix quenquam habeat superiorem? Absolutissimam mitto rerum tractationem, vt in hoc, atque aliis operibus via quidquam intactum, vel vllam penè consimilium studiorum segetem posteritati relinquat? Ingenij prætereo simplicitatem, fidelitatemque vt si error quispiam in editis iam libris irrepserit, fateri non pudeat. Aliud putaui, deceptus sum; ac tandem, quod ingenui pudoris est, in æris alieni cumulo creditoris nomen libentissimè profiteatur. Quæ quidem omnia mente reuoluens, tam eximium scriptoris Opus prælo committendum existimo, vt quæ spiritualibus angustiis capi non potest ampla Doctrinæ suppelles, in aperto orbis theatro perspecta sapientium oculos pascere queat, ac probatissimi demum, lectissimique Auctoris lucubrationes, in quibus humana exultauit industria in omnem posterorum memoriam consecrentur. In quorum fidem, &c. Datum Genuæ, in nostro Iesv Mariæ Collegio, die 28. Augusti 1634.

F. Franciscus Maria de Agrifoliis, Ord. Minimorum S. T. L.

EGo Francus Briandata sacræ Theologiæ Magister de mandato Reuerendiss. P. Io. Baptistæ Bossij generalis Inquisitoris in toto Dominio Genuæ, perlegi libros sequentes, Auctore Adm. R.P.F. Laurentio de Peyrinis eiusdem Ordinis Professore. Et nihil inueni, quod fidei catholicæ, aut bonis moribus aduersetur, imò dignos censeo, qui quamprimum ad communem vtilitatem in lucem prodeant. Genuæ die 21. Nouembris 1634.

Imprimatur. *Ita est. Francus Briandata manu propria.*

Fr. Vincentius Pretus à Serravalle, S. Theologiæ Magister, Ordinis Prædicatorum Vicarius generalis S. Officij Genuæ.

APPROBATIONES DOCTORVM.

EGo infrascriptus Doctor Theologus facultatis Parisiensis, legi *tres Tomos Operum R.P. Laurentij de Peyrinis*, nihilque in ipsis allegatum deprehendi, quod non sapiat peritissimum, bonumque Religiosum, fidem Orthodoxam, ac probos mores, in quorum fidem iis subsignaui. Lugduni die 22. Decembris 1667.

Fr. Cyrillus Morel, Carmelitarum Lugdunensium Prior.

EGo infrascriptus idem sentio, ac supradictus Doctor Theologus facultatis Parisiensis, in cuius album referor.

Elias Vial.

CONSENSVS PROCVRATORIS REGII.

NOn intercedo Regis causa, ne *Opera R. P. Laurentij de Peyrinis, in tres Tomos digesta*, imprimantur à Ioanne-Antonio Hvgvetan, & Gvillelmo Barbier, huius Ciuitatis Bibliopolis, cum prohibitionibus aliis omnibus huiusce Ciuitatis Bibliopolis, in hoc casu fieri solitis, Lugduni die 26. Decembris 1667.

GALLIAT.

Fiat iuxta Consensum Procuratoris Regis, die 26. Decembris 1667.

DVLIEV.

DE



INDEX QVÆSTIONVM, CAPITVM, PARAGRAPHORVM,

& Constitutionum Pontificalium in hoc primo Tomo Contentarum.

Vltimus Numerus paginam indicat.

QVÆSTIO PRIMA.

Index Titulorum.

QVÆSTIO II.

De voto Religiosæ Paupertatis. 137

QVÆSTIO III.

De voto Religiosæ Castitatis.

QVÆSTIO IV.

De voto vitæ Quadragesimalis.

§ Vn.

Index Titulorum.

DE OFFICIO SVBDITI REGVLARIS,

SEV

De iis quæ ad bonum Subditum formandum ſpectant.

QVÆSTIO PRIMA.

De Voto Obedientiæ.

CAPVT PRIMVM.

Quid ſit Obedientia.

PRO hac quæſtione videri poteſt D.Th. 2.2.*q.*104.*art.* 2. *ad* 3. B Laur. Iuſtinian. *in ligno vitæ tract. de Obed. c.*1. Hoſtienſ. *in Sum. lib.* 1. *de maior & obed. n.* 3. §. *quid ſit obedientia.* Antonin. 4. *par. tit.* 5. *cap.* 11. §. 1. Sylueſt. Angelus, Tabiena, & alij Summiſtæ, *verbo obedientia in principio.* Climacus *gradu* 4. Guillelmus Peraldus *in Sum. virt. & vit. tom.* 1. *part.* 10. *cap.* 1. Rodriquez *tom.* 3. *q. regul. q.* 29. *art.* 1. Leſſius *lib.* 2. *de iuſt. cap.* 46. *dub.* 4. *nu.* 22. Reginaldus *lib.* 17. *num.* 130. Aluarez *de vita Spirituali tom.* 2. *lib.* 5. *part.* 3. *cap.* 1. Nauarrus *in Sum. cap.* 23. *num.* 35. Toletus *lib.* 8. *cap.* 14. *num.* 1. Buſæus *in Viridario, verbo obedientia, cap.* 1. Angelicam Doctrinam vt potè clariorem, lucidiorem, & faciliorem in omnibus ſequi profitentes: ab ipſo Aquinate Doctore, quid Obedientia ſit, primo loco diſcamus. *Eſt Obedientia*, vt ipſe ait 2. 2. q. 104. art. 2. ad 3. *quæ promptam reddit hominis voluntatem, ad implendam voluntatem alterius, ſcilicet præcipientis.*

Albertus Magnus in paradiſo animæ cap. 3. *Obedientia eſt, cum ſubditus, quod ſibi maximè contrarium eſt, fideliter & libenter exequitur, nunquam manifeſtans ſigno, vel facto, quod ſibi contrarium ſit præceptum.*

Ioannes Climacus gradu. 4. *Obedientia eſt, animæ propriæ perfecta abnegatio, per corpus certius oſtenſa.*

Aut *eſt mortificatio membrorum in viuente animo.*

Seù *Obedientia eſt inexaminatus, atque indiſcuſſus motus, ſpontanea mors, vita curioſitate carens, ſecurum periculum, immediata ad Deum excuſatio, metus mortis contemptio, tuta nauigatio, confectum dormiendo iter.*

Vel *Eſt Obedientia ſepulchrum voluntatis, & excitatio humilitatis, nihil reſiſtit, nihilque diſcernit mortuus in bonis, aut iis, quæ videntur* (non ſunt tamen) *mala.*

Obedientia eſt diſcretionis depoſitio inter diuitias diſcretionis; quia nimirum verus Obediens diſcretionem, & iudicium ſuum apud Superiorem deponit, & illi ſe ſubiicit, qui diſcretione, & iudicio abundat.

Obedientia eſt, nunquam ſibi, ne in his quidem, quæ videntur optima vſque ad finem vitæ credere.

Obedientia eſt ſimulationis, propriique deſiderij omnimoda renuntiatio, hucvſque Climacus.

Beatus Laurentius Iuſtinianus in ligno vitæ, tract. de Obedientia cap. primo. *Obedientia eſt voluntas faciendi mandatum Superioris.*

Obedientia eſt boni operatio ſecundum regulas ſacræ Scripturæ; vel ſtatutorum regula alicuius particularis, maioribus quibuſcumque debita.

Obedientia eſt ſpontaneum, & rationale propriæ voluntatis ſacrificium. Et propius accedit ad Obedientiam Religioſorum, triplex enim offertur Deo ſacrificium, vt habet D. Thom. *opuſc.* 18. *cap.* 11. *primo de exterioribus rebus*, & fit per votum paupertatis: ſecundò offertur Deo ſacrificium de proprio corpore, & fit per votum caſtitatis: Tertio offertur Deo acceptiſſimum ſacrificium,

quando aliquis spiritum, seu voluntatem suam Deo offert, & fit per votum Obedientiæ.

Antoninus *4. par. tit. 5. cap. 11. §. 1.* sic eam describit. *Obedientia est spontanea, & rationalis propria voluntatis abnegatio*; Vbi notandum, quod cum *omnes homines natura libertati studeant, & conditionem seruitutis oderint*, vt ait Cæsar *in suis Commentariis de bello Gallico lib. 3. paulò post principium*, immò Paulus prima Corinthiorũ 7. *Seruus vocatus es, non sit tibi cura, sed & si potes fieri liber, magis vtere*, nihil est homini amabilius libertate propriæ voluntatis, vt D. Thom. ait *opusc. 18. cap. 10* per hanc enim homo est aliorum Dominus, per hanc aliis vti, vel frui potest, per hanc etiam actibus suis dominatur. Nihil est enim, quod homo naturali affectu, magis refugiat, quam seruitutem: vnde nihil posset homo pro alio amplius impendere, quàm quòd se seruituti eius subiugaret. Quare iunior Tobias *Tobiæ 9.* Angelo referre gratias maximè exoptans, dixit. *Si me ipsum tradam tibi seruum, non ero condignus prouidentia tua*, & maximum fuit sanctitatis, & charitatis in proximum argumentum, illud Paulini Episcopi Nolensis, qui ad liberandum viduæ filium à Barbaris detentum, mancipium spontè se illis consignauit, vt scribitur in eius vita, cui libertati totaliter abrenunciat, qui propter Deum aliis se subijcit per Obedientiæ votum, ad ipsiusmet Christi imitationem, *qui humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem*, ad Philippens. 2. quæ Christi obedientia in abnegatione propriæ voluntatis consistere, vel ex eo patet, quod dicitur Ioann. 6. *Descendi de Cælo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me*: In quo nobis dedit exemplum, vt sicut ipse suam voluntatem humanam abnegabat, supponendo eam diuinæ, ita & nos nostram voluntatem Deo totaliter supponamus, & hominibus, qui nobis præponuntur tanquam Dei ministri, vnde dicitur ad Hebr. vltimo. *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis.*

CAPVT II.

Quotuplex sit Obedientia.

VIdeatur pro hac quæstione D. Thom. 2. 2. *q.* 104. *art 5. ad 3. & in 2. d. 44. q. 2. art. 3. corpore, & quodlib. primo art. 15 corpore.* Bonauentura *in 2. d. 44. art. 3. q. 2.* B. Laurentius Iustinianus *lib. de Obedientia cap. 9.* Syluester, Angelus, Tabiena, & alij Summistæ *verbo Obedientia*, Guillelmus Peraldus, *summa virtutum, & vitiorum, tom. 1. part* 10. *de Obedientia cap. 5.* Rodrig. *tom. 3. quæst. regul. quæst. 19. art. 1.* Valentia *tom. 3. disp. 7. quæst. 3. punct. 1.* Lessius *lib. 2. cap. 46. dub. 4. num. 22.* Reginald. *lib. 17. num. 230.* Sanch. *lib. 6. in Decalogum c. 2. n. 3.* Graffius *part. 2. decis. lib. 3. c. 24. n. 31.* Toler. *lib. 8. cap. 14. num. 1* Busæus *in viridario verb. obedientia c. 1.*

Omissis variis distinctionibus, quæ videri possunt apud præfatos Doctores; Quantum ad rem nostram sat est. Duplex est Obedientia, vt D. Bern. *de disp. & præcep. col*° 5. Alia perfectionis, & alia necessitatis, quam sufficiens appellat D. Thom. *quodlib. 1. art. 15.* Perfectionis est illa, quæ obedit in omnibus, quæ contra Deum non sunt; de qua Bern. *de dispens. & præcepto in principio*, ait *Perfecta obedientia legem nescit, terminis non arctatur, neque contenta angustiis professionis, largiori voluntate fertur in latitudinem Charitatis; & ad omne quod iniungitur, spontanea, vigore liberalis, alacrisque animi modum non considerans, in infinitam libertatem extenditur.*

Obedientia verò necessitatis est illa, quæ terminis regulæ, & votorum coarctatur, de qua idem Bernardus eodem loco, *Is, qui profitetur, spondet quidem Obedientiam; non tamen omnimodam, sed determinatè secundum regulam, nec aliam quam Sancti Benedicti; vt oporteat eum, qui præest, non frena sua laxare voluntati super Subditos, sed præfixam ex Regula sibi scire mensuram; & sic demum sua imperia moderari, circa id solum, quod rectum esse constiterit, nec quodlibet rectum, sed id tantùm, quod prædictus Pater instituit, aut certè, quod sit secundum quod instituit.*

Secundò. Diuiditur etiam Obedientia in materialem, & formalem, de qua D. Thom. 2. 2. *q.* 104. *art.* 2. ad ptimum; Materialis, nihil aliud est, quam executio cuiuscumque actus virtutis sub præcepto cadentis, etiamsi non ea intentione expressè fiat, vt præceptum impleatur, & hæc Obedientia, non est specialis virtus, sed generalis, omnes virtutes complectens; quiuis enim actus virtutis obligatorius, est obedientia huiusmodi; Formalis Obedienaia est virtus inclinans Subditum ad exequendum Superioris præceptum, vt Præceptum est, hac præcisa, & formali intentione; quia præceptum est, & hoc pacto est virtus specialis.

CAPVT III.

De Necessitate Obedientiæ.

PRo hoc capite videatur D. Thom. 2. 2. *q.* 104. *art. 1. & q. 186 art. 5. & opusc. 18. cap. 10.* Cajet. *ad loca D. Tho. 2. 2.* Valentia *tom. 3. disp. 7. q. 3. punct. 2. & disp. 10. q. 4. punct. 2.* Ledesma *part. 2. summa, cap. 4. de Statu Religiosorum in communi, concl. 6. pagina mihi 133.* Miranda *to. 1. Manualis Prælatorum, q. 26. art. 2.* Aluarez *tom. 2. de vita spirituali lib. 5. part. 3. c. 3.* Alphonsus Rodriq. *part. 3. exercitij perfectionis, tract. 5. c. 2.* Sotus *lib. 7. de iustitia, q. 5. art. 4.* Ioannes Busæus *in viridario verbo Obedientia cap. 3.*

Natura, sic illius auctore disponente, ita comparatum est, vt in quolibet genere rerum, quid cæteris supereminens, & antecellens inueniatur, cui reliqua subordinentur, & pareant. Inducenti patebit, in Angelis enim (vt à superis ortum ducamus) quandam esse naturalem subordinationem prælationis, & subjectionis docet Diuus Thomas *prima parte q.* 108. *art. 4.* & illo prius Dionysius *de Cælesti Hierarchia cap. 7.* Cœli primi mobilis ditioni subjacent: inter Planetas aliis præfertur Saturnus: inter elementa, Ignis quasi Princeps, & caput super omnia collocatur: Hominem cunctis animantibus terræ, piscibusque maris præesse, sacra testatur Genesis cap. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestiis vniuersæ terræ, omnique reptili, quod mouetur in terra*; in cuius dominij manifestissimum signum, nullum est reperire animal vtcumque ferox, quod hominis industria, non mansuescat, & cicuriat, eique humiliter non subjaceat. Inter volatilia Aquilam primas tenere, testatur Pierius Valerianus *lib. 19. cap. 1.* quod prius cecinerat Pyndarus *in Olympiis*: Leonem animalium terrestrium regem, ac ducem appellat scriptura *Prouerb. trigesimo*: Inter aquatica cæteris magnitudine corporis, & potentia virium præstat Balæna, de qua dicitur Genesis 1. *Creauit Deus cete grandia.*

In singulis etiam animalium speciebus suos esse Reges, & Dominos, docent secretorum naturæ Indagatores: Elephantes congregatim semper incedant, iis, qui maximus est natu, gregem ducit, vt scribit Pierius *lib. 2. cap. 2.* De apibus mira Virg. 4. *Georgicorum.*

> —— *Ipsæ regem, paruosque quirites*
> *Sufficiunt, aulasque, & cerea regna refigunt.*

Sed huiusmodi relictis, inferni etiam claustra penetremus securi: Nonnè Dæmones Dæmonibus præsunt? Equidem? Colligitur enim manifestè ex illo Matth. 9. *in Principe Dæmoniorum eijcit Dæmonia*; quamuis enim

falsissi

falsissimum sit, quòd Christus Dominus (vt ipse inibi probat) In principe Dæmoniorum eijceret Dæmonia: tamen verum est, quòd illic subintelligitur, quòd scilicet in Dæmoniis sit aliquis eorum Princeps; Hoc enim non tantùm Christus non negauit; sed & se affirmare insinuauit dum Sathanæ regnum in Dæmonibus reperiri contra Pharisæos ibi arguendo, supposuit; Docet etiam D.Th. *prima parte q.109. art. 2.* & Apoc.12. *Draco pugnabat & Angeli eius*, & alia plura huius generis habentur in scriptura; Quare Gloss. prima *Corinth. 15.* ait *Quandiu durat Mundus, Angeli Angelis; Homines hominibus, & Dæmones Dæmonibus præsunt.*

Ad quæ omnia conualidanda, irrefragabile habeo Hieronym. testimonium in regula Monachorum, quam ex suis scriptis collegit Lupus de Oruieto *cap. de Obedientia*, vbi ait, *neque ipse te doceas, nulla ars absque magistro discitur, Etiam muta animalia, & ferarum greges ductores sequuntur suos. In apibus principes sunt, grues quoque vnam sequuntur ordine literato* (idest per aërem formato agmine in modum literæ Y, discurrunt) *Imperator vnus; Index vnius Prouinciæ, Roma vt condita est, duos fratres simul reges habere non potuit, & parricidio dedicatur, In Rebecca vtero Iacob, & Esau bella gesserunt, singuli Ecclesiarum Episcopi, singuli Archipresbyteri, singuli Archidiaconi, & omnis ordo Ecclesiasticus suis Rectoribus nititur, In naui vnus Gubernator. In domo vnus Dominus, in quouis grandi Exercitu, vnius signum expectatur, & ne plura replicando, legenti fastidium faciam, per hæc omnia ad illud tendit oratio, vt doceam te, non tuo arbitrio relinquendum, sed viuere debere in Monasterio sub vnius disciplina patris, hucusque Hieronym.*

Quæ omnia attentè perpendens, Sanctus ille eximius silentij cultor, & Carthusiensium Patriarcha Brunus *lib. de ornatu Ecclesiæ c.* 10. vt refert Carthagena *to. 3. lib.* 11. *Hom* 10. in hæc prorupit, *quid igitur dicent Monachi inobedientes, & suas voluntates facientes, ac per hæc Deo non placentes, cum tota Monachorum Religio ab obedientia sit, cum viderint non solum rationales creaturas sicut Angelos, & homines, verum etiam, quæ sensu, & ratione carent, Domini obedire voluntati; Cœli enarrant gloriam Dei, venti & mare obediunt ei, omne lignum dat fructum in tempore suo.*

Ex quibus omnibus colligit D.Th. 2. 2. *q.104. art.1.* Obedientiæ necessitatem, & hominum hominibus subiectionem, sicut enim ait actiones rerum naturalium procedunt ex potentiis naturalibus, & in istis oportuit, inferiora moueri, & Regi à Superioribus, per excellentiam naturalis virtutis, illis diuinitus collatæ: Ita operationes humanæ procedunt, ex humana voluntate, & in istis etiam oportet, quod Superiores moueant, & regant inferiores per suam voluntatem, idest per præceptum, ex vi auctoritatis diuinitus ordinatæ: Quam rationem optimè explicat Valentia *tom. 3. disp. 7. q. 3. punct. 2.*

Hæc cum ita sint, nulli inest, vt puto dubium, quin in Religionibus necessaria sit huiusmodi subiectio inferiorum ad Superiores, quin maximè in illis requiratur Obedientia Subditorum erga Prælatos, id enim etiam, atque etiam postulat ordinatus ille ordo, (à quo ordines dicuntur) quo viuunt, se, suaque moderantes *Ordo enim* vt Nazianzenus ait, oratione de modes. in disp. habenda, *in Ecclesiis, constituit, vt alij oues sint, alij pastores, alij præsint, alij subsint, atque imperia accipiant, alius caput sit, alius pedes, alius manus, alius oculi, alius aliud quoddã corporis membrum ad totius Ecclesiæ concinnitatem, & ornatum, vtilitatemque vel Subditorum, vel præfectorum*, & cætera, quæ ibi Nazianzenus elegantissime habet, similitudine humani corporis, in quo omnia membra suum particulare habent officium, quæ breuitatis causa relinquo.

D. Thomas 2. 2. *q.* 186. *art.* 5. Obedientiæ necessitatem in religionibus probat, ex fine, quo religiosi ad Religionem contendunt, qui quidem alius non est, nisi tendentia ad perfectionem: qui autem instruitur, vel exercitatur, vt perueniat ad aliquem finem, oportet quòd directionem alicuius sequatur, secundùm cuius arbitrium instruatur, vel exercitetur, vt ad intentum finem perueniat, quasi discipulus sub magistro, & ideò oportet, vt Religiosi in his, quæ pertinent ad Religiosam vitam alicuius instructioni, & imperio subdantur, quæ subiectio fit per Obedientiam.

Vnde Cassianus *lib.4. instit. c.9.* de antiquis illis Cœnobitis ait, *quod cum primum aliqui ad Religionem contendebant, informandi alicui seniori tradebantur, a quo instituebantur, nullas penitus cogitationes prurientes in corde perniciosa confusione celare, sed confestim, vt fuerunt exorta, eas suo seniori patefacere: nec super earum iudicio quidquam suæ discretioni committere, sed illud credere, malum esse, vel bonum, quod discusserit, aut pronuntiauerit senioris examen.*

Sicut enim in artibus quibuscumque discentem credere oportet. Quis enim artis præcepta vnquam discat, si Doctori, & Magistro suo firmiter non adhæreat? Ita in hac arte, quæ vitæ spiritualis doctrinam docet, nemo vnquam perfectus fiet, qui præceptorem aliquem non habeat, cui irrefragabiliter obediat. Vnde Bonauent. *de triplici statu Religiosorum cap. 3. seu de interiori homine tom. 2. opusculorum* sic habet, *& quia non confidis tibi ipsi, vt præsumas te scire, quid velit Deus: ideo commisisti te Superiori tuo, vt ipse te regat, & dedisti ei manus in professione, vt ipse te in viam Dei inducat, vnde non licet tibi viuere de cetero, pro velle tuo, sed quò ductor tuus ire iubet, & quod ipse prohibet cauere debes, quia qui artem aliquam addiscere capit, sui Doctoris Regulas debet tenere, & proprias adinuentiones relinquere: Et infirmus, qui adhuc accessiones vitiorum patitur, debet seruare dietam quam ei Medicus indicit, si cito, & plene vult curari; ita & tu nihil facias, vel dicas, quod magistrum tuum nolle præsumas.*

Denique tantæ necessitatis obedientiæ peti potest ex mala inclinatione nostræ voluntatis, quæ cùm prona sit ad malum ab adolescentia sua, quasi phrenetica præcipitem se daret, nisi detineretur: vnde sicut phrenetico custodia, & lex est imponenda: ita & nostræ voluntati, quod fit per Superiorum præcepta, & Obedientiam; quam rationem ad id adducit B. Laurent. Iustinianus *in ligno vitæ, tractatu de Obedientia cap.* 5.

Necessaria itaque est Obedientia in Religionibus, & ita, vt sine ea consistere non possit Religio: consistet suo modo Religio, si ablegetur paupertas, quilibetque suo statui sua accommodet commoda; stabit quoque Religio, desciscente castitate, modo viuendi ratio in reliquis non omittatur; At si Obedientiam auferas, si membra capiti non subiiciantur, totum concidere Religionis corpus necesse est, vt colligitur ex D.Th. 2.2. *q.*186, *art* 8. *corpore*, & habet Aluarez *de vita spirituali, tom. 2. lib. 5. part. 3. c. 3.* Valentia *tom. 2 disp. 10. q. 4. punct. 2. assert. 4.*

CAPVT IV.

De obiecto Obedientiæ.

PRo hoc capite potest videri D. Th. 2.2. *q* 104. *art. 2. corpore*, & ad secundum, & tertium, vbi Cajetan. Sanchez *tom. 3. in Decalogum lib.6. cap.1. n.2.* Valent. *to. 3. disp. 7. q. 3. punct. 1.* Less. *lib. 2 c 46. dub. 4. n 23.* Antonin. 4. *part. tit. 5. cap.* 11. Syluest. Tabiena, Rosella, Pisanella *verbo Obedientia*, & alij, Nauarr. *in sum. cap. 23. n. 35* Miranda *tom 1. Manualis Prælatorum q 26. art. 4.*

Dico primo, Obiectum obedientiæ, quatenus hæc specialis virtus est, est præceptum factum, vel expressum Superioris; ita vt simplex verbum Prælati, eius indicans voluntatem quomodocumque innotescat, sit

obedientiæ obiectum, ita D. Thom. & alij omnes citati.

Probatur, quia Religiosus Subditus tenetur suam conformare voluntatem cum voluntate sui Prælati; ergo hæc quomodocumque notificetur, obligabit Religiosum ad obsequium sui.

Dico secundò, Præceptum, quod est Obedientiæ obiectum semper obligat Subditum ad aliquam culpam, siue mortalem, siue venialem, ita D. Thom. Sanchez, Valentia, Nauarrus, & Cajetanus *loc. citatis*: qui Cajetanus id subtilissima de more ratione probat.

Probatur, Nam non facere ad Superioris præceptum, id quod ad nullam culpam obligat, licèt dicat perfectionem, contra obedientiam non est, vt si verbi gratia, præcipiat dilectionem inimicorum speciali affectu, vel cum ostensione signorum dilectionis, vel quodcumque aliud opus ad Consilium pertinens, si non exequar, cum ad id de necessitate non teneat, inobediens non ero.

Obijcies ex hoc sequitur, quod obseruantes constitutiones, quæ ad nullam culpam obligant, non sint verè obedientes: nec dici possint eas non obseruantes, cùm aliàs ex regula teneantur, inobedientes.

Respondeo obseruantes huiusmodi constitutiones, non esse propriè obedientes, prout Obedientia specialis virtus est, sed esse plusquàm obedientes, nimirùm perfectos Obedientes: ita Valentia *tom. 3. disp. 7. q. 3. punct. 1. versu respondeo, columna secunda, & disp. 10. q. 4. punct. 3. in fine*, & eas non obseruantes esse inobedientes: quia contraueniunt illi obligationi, qua se obstrinxerunt tempore professionis ad eas obseruandas.

Dico tertiò. De ratione Obedientiæ necessariæ est, vt Prælatus, suam voluntatem manifestet Subdito expressè, vel interpretatiuè, nec sufficit, quòd Subditus cognoscat voluntatem Superioris esse vt faciat, vel non faciat talem rem ad hoc vt obligetur ad illam faciendam, vel omittendam, ita D. Th. *q. 23. de veritate art. 8. ad tertium*, Sylvester, *verbo obedientia q. 12*. Tol. *lib. 8. sum. c. 15. n. 3*. Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 2. n. 5*. Vasq. *t. 2. disp. 155. cap. 2 ad finem*, Reginald. *lib. 17. n. 238*. Miranda *tom. 2. Manualis Prælatorum q. 26. art. 4*.

Probatur primò. Nam Subditus non subditur imperio, vel voluntati Prælati, nisi exterius humano more, illa voluntas, & imperium manifestentur, *De occultis enim nemo diuinare tenetur*: vt dicitur *capite vt nostrum* vt Ecclesiastica benef. §. *porrò*, quod est verum, etiamsi alioquin voluntatem Prælati nouerim: imò nec ero inobediens faciens aliquam rem, vel omittens, quam scio meum Prælatum ægrè laturum, si hanc suam voluntatem non manifestauerit, vno ex duobus dictis modis, vt habet Rodrig. *tom. 3. quæstionum reg. q. 29. art. 1 t.* quia, vt dixi, ad mentem illius, non exterius manifestatam per præcepta, operari non teneor.

Pro quo nota, quòd manifestare suam voluntatem expressè, ex disertis verbis præcipiendo eam explicare: interpretatiuè autem est proferre aliquod verbum, licèt simplex, quod tamen voluntatem proferentis manifestet, vt docet D. Th. 1. 2. *q. 104. art. 2. corpore*, quam voluntatem potest etiam Prælatus indicare, signo aliquo externo, vt oculis, vel manibus, in quo casu Subditus videns suum Prælatum illi per talia signa manifestare, suam voluntatem, obedire tenetur, vt v. g. est aliquis Prælatus, qui associat aliquem Principem, seu alium virum nobilem, & videt à longè Subditum facientem aliquid inordinatum, vel nutu vel alio signo monet, vt abstineat, cùm verbis id facere non deceat, tunc Subditus manifestè cognoscens ex signis voluntatem Prælati esse, vt abstineat, abstinere tenetur sub pœna inobedientiæ mortalis, vel venialis, Iuxta subiectam materiam, similiter, dic, si iisdem signis indicet esse aliquid faciendum; quia tunc humano modo, pro necessitate, in qua est, explicat satis suam voluntatem.

Secundò probatur conclusio, nam neque Deo, etiamsi sciam cum aliquid velle, vel nolle, nisi illud iniungat, vel prohibeat, me teneor conformare, vt benè probat Reginald. *lib. 13. n. 63*. ex illo Paul. ad Philippens. 1. *Cupio dissolui, & esse cum Christo*, & tamen sciebat aliam esse Dei voluntatem, vt insinuat paulò post dicens: *Scio: quia manebo, & permanebo omnibus vobis ad profectum vestrum, & gaudium fidei*, ergo multò minus me teneor conformare voluntati mei Prælati, etiam mihi notæ, nisi eam tacitè, vel expressè manifestauerit.

Ex quibus sequitur primò. Quòd Prælatus rogans subditum, vt faciat, vel non faciat aliquid, quòd alioquin facere non tenetur, non obtemperando, non erit inobediens, vt dicitur *cap. denique distinct. 40*. & ratio est, quia preces non obligant preeatum, ad obsequendum ex debito iustitiæ, sed ex humanitate.

Si dicas, quòd preces Superiorum sunt præcepta, vt communiter dicitur, & habet Glossa *in Clementina prima de testibus, verbo exhortamur*, & Archidiac. *in cap. Rogo 11. q. 3. vnde versus*.

Est rogare Ducum species violenta iubendi:
Et illud, rogando cogit, qui rogat potentior.

Respondeo, Non sunt præcepta necessariò exequenda, ita vt non exequens possit inobediens dici, & tanquam talis puniri, sed dicuntur præcepta largo modo, & ex humanitate, & Reuerentia, & de perfectione obligantia: indiscretus enim esset, & inurbanus Subditus, qui ad sui Superioris preces non faceret, quicquid, ipsum cupere, intelligeret. Hæc intellige, nisi verbum, (*rogo*) pro subiecta materia, exponendum esset pro præcipio, vt explicatur *11. q. 3. capite rogo*, iuncta glossa, & *in cap. Beatus 7. q. 1*. & habet Panormitan. *in cap. Nam concupiscentiam de Constitutionibus num. 3*. & Tiraquel. *de Pœnis temp. causa 35. num. 4. & seq.* si scilicet de intentione Superioris constaret, quia tunc sub pœna peccati obediendum esset, nam à proprio significato verborum recedendum est, si de mente contraria disponentis constet: vt Panormit. *ibidem*, & habetur *cap. Marcion prima q. 1*.

Secundò. Colligitur idem esse dicendum, si Prælatus consulat non enim tenetur Subditus facere, quod consulitur: vt habetur *cap. quisquis 14. q. 1*. Ratio est, quia consulens non imperat, nec vult obligare ad obseruationem consulti: alioquin nihil differret à præcipiente, ita etiam habet Reginald, *lib. 13. cum. 61*.

CAPVT V.

An Religiosus teneatur, omnia quæ sunt in Regula sub aliqua culpa seruare.

PRo hoc capite videatur D. Thom. 2. 2. *q. 186. art. 8. & quodlib. 1. art. 20*. Cajet. ad D. Th. 2. 2. *loco citato* Panormit. *in cap. nam concupiscentiam de constitut. num. 4. & in cap. relatum, ne Clerici, vel Monachi num. 6*. Rodrig. *tom. 3. q. regul. q. 50. art. 1*. Valent. *tom. 3. disp. 10. q. 4. part. 5* Ledesma *de statu Religiosorum in commun 4. concl. 1 2. p. 2 pag. mihi 163*. Doctissimus noster Passarellus *in notabilibus priuileg. notabili 25*. Grassius *part 1. decis lib. 3. cap. 5. num. 91*. Armilla *verbo Religio num. 11*. Turrecremata *in regula S. Benedicti tract. 5. & 6*. Antoninus *3. part. tit. 16. cap. 1. §. 7*. Angelus *verbo Religiosus, num. 26*. Sylvester *verbo Religio primo, q. 8*. Tabiena *verbo Religio, num. 22*. Rosella *religio. primo, num. 1*. Pisanella *religio. 1. q. 3*. Sanchez *lib. 6. in Decalogum cap. 4*. Vasq. *t. 2. disp. 158. cap. 3*.

Noto primò ex D. Thom. 2. 2. *q. 186. art. 9*. quem sequuntur omnes citati, quòd ille, qui profitetur aliquam Regulam, non vouet seruare omnia, quæ sunt in Regula, sed vouet Regularem vitam, quæ essentialiter consistit in votis, obedientiæ, paupertatis, & castitatis

tatis, & in nostra Minimorum vitæ quadragesimalis, pater, quia si omnia voueret sub peccato, quæ sunt in regula, status Religionis esset Religiosis in laqueum peccati mortalis, quòd vix, aut nunquam posset declinare, vt habet D. Thom. *Quodlib.* 1. *art.* 20. & esset valdè periculosus, cum multa minutiora iubeantur, quæ transgredi, facillimum esset. Vnde SS. Patres, nolentes laqueum suis Religiosis damnationis iniicere, ordinauerunt talem professionis formam, in qua tale periculum non esset. Sicut in nostra Religione Minimorum cautissima est forma profitendi, dicitur, enim voueo, & promitto stare, & perdurare toto tempore vitæ meæ sub vita, & Regula Fratrum Ordinis Minimorum: perseuerantet viuendo sub votis paupertatis, castitatis ac obedientiæ, & quadragesimalis vitæ, vbi vt clarè patet non vouemus seruare Regulam, & omnia in ea contenta, sed tantùm vouemus stare, & perdurare toto vitæ tempore sub Regula, viuendo, idest obseruando sub voto paupertatem, &c.

Noto secundò, ex eodem D. Thom. *loc. cit.* & Cajet. *ibi* Sanchez *loc. cit. num.* 4. Passarellus, & aliis, quod quatuor rerum genera continentur in Regula: Primum earum, quæ sunt tanquam finis Regulæ, vel essentialiter ad illum facientia, & ad salutem necessaria, vt diligere Deum, & proximum, mandata Dei, & Ecclesiastica seruare. Secundum earum, quæ sunt substantia, & essentia Religionis, vt vota. Tertium earum, quæ sunt supererogationis, & consilij, vt inimicos diligere. Quartum earum, quæ alias, lege Diuina, vel humana prohibita non sunt, neque mandata, sed solùm pro ornatu, & decentia Religionis, statuta, & ordinata, vt silentium seruare, lineas camisias non portare, pecunias non tangere.

Noto tertiò, circa primum genus earum rerum, quæ continentur in Regula, posse in Regula contineri aliquid: quod sit ad salutem necessarium dupliciter. Primò, vt per ipsam Regulam particulariter præcipiatur, & tunc, non solùm ratione sui esset peccatum mortale illius transgressio, sed grauius ratione præcepti Regulæ: non esset tamen duplex peccatum, nam vt rectè Cajetanus 2. 2. *q.* 186. *art.* 9. Diuersitas præcepti, auget quidem malitiam peccati, sed non parit diuersitatem specificam, vt quæ sumitur, non ex præcepto, quod violatur, sed ex objecto: quod cùm sit vnum in vtroque præcipiente, vnicam parit malitiam. Secundò potest aliquid contineri in Regula tanquam finis illius, non ita vt peculiariter præcipiatur, sed ita vt proponatur simpliciter id, quod alioqoin est præceptum, & tunc transgressio huiusmodi præcepti, propterea quod sit contra Regulam, neque speciale, neque grauius peccatum inducit, cùm Regula per se non obliget, sed solùm proponat.

Noto quartò, circa secundum illarum, quæ continentur in Regula, vt substantia, & essentia Religionis, quod illarum transgressio est mortalis, ratione voti professionis, vt loquitur D. Thom. 2.2.*q.*186.*art.*9. Ratio est, quia transgressio voti in materia graui mortalis est, vt dicitur in materia de voto. Per votum autem professionis, non intelligit D. Thom. aliquod votum particulare distinctum à tribus, vel quatuor, sed ista collectiuè sumpta: ita enim placet Doctoribus, illa vnico verbo, votum professionis appellare: quod quidem votum dicens D. Thom. quòd respicit principaliter prædicta vota innuit aliquid etiam minus principaliter respicere, nimirum vitam Regularem, quia scilicet tenetur Religiosus, non solùm obseruare vota, sed etiam illa obseruare in Religione in vita Regulari. Vnde Apostata à Religione non solùm est reus voti castitatis, qua parte incontinens est, inobediens, &c. sed etiam quatenus deseruit vitam Regularem, vt bene notat Valentia *tom.* 3. *disp.* 10. *q.* 4. *punct.* 5. ex qua Ledesma *de statu Religiosorum in communi cap.* 4. *conclus.* 12. *dub. primo, pag mihi* 159. Quid autem sit vita Regularis, & in quo consistat, explicat Valentia *loco citato*, & Ledesma, consistere nimirum in hoc, quod Religiosus sit subiectus Regulæ, quod est quoddam prius, quàm obseruare Regulam.

Si autem quæras, in quo consistat ista subiectio respondent Valentia, & Ledesma consistere in hoc. Primò quòd Regulæ, & constitutiones sint Subditis præscriptæ à Prælatis cum auctoritate, & potestate: Secundò, quòd Subditorum est, ita eas obseruare, vt si transgrediãtur, meritò Superiores possint ab illis pœnas exigere.

Dixi in hoc notabili, quod transgressio istarum rerum est mortalis; intellige ex genere suo, nam alioquin defectu plenæ deliberationis, vel paruitatis materiæ poterit esse venialis, & sic non obedire Prælato in rebus minimis absque contemptu, mortale non erit; retinere aliquod paruum contra voluntatem Prælati, vel illud expendere, neque erit mortale: & defectu deliberationis, poterit etiam mala cogitatio contra castitatem, vel alia vota esse venialis: similiter in voto quadragesimali, puto quod etiam paruitas materiæ excusaret, vt v. g. comedere aliqua bellaria, quæ sine commixtione ouorum fieri nequeunt; paruum iusculi deglutire, ad degustanda fercula, vt solet fieri ab infirmarijs nostræ Religionis, quorum aliquos nimium conscientiæ deditos, seu scrupulosus cognoui, qui nec ius degustare audebant, fauent Ledesma *de statu Religiosorum in communi cap.* 4. *concl.* 11. *pag. mihi* 157. & Sanchez *lib.* 6. *in Decalogum cap* 4. *n.* 8. & docet hoc vltimum *de pregustatoribus*, Graffius *de casib. reseru. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 30. habere expressè Abulens. *in c.* 6. *Matthæi q.* 171. *col.* 2.

Noto quinto, circa tertium illarum rerum, quæ continentur in Regula, Religiosum transgredientem, & non obseruantem Euangelica consilia, non peccare, ita D. Thom. 2. 2. *q.* 186. *art.* 2. *&* 9. vbi Cajetanus, Valentia *tom.* 3 *disp.* 10. *q.* 4. *punct.* 4. Ledesma *de statu Religiosorum in commun. cap.* 4. *conclus.* 10. *dub.* 1. *pag. mihi* 154. Sanchez *lib.* 6. *in Decalogum cap.* 4. *num.* 10. *&* *c.* 5. *n.* 1. qui multos alios citat, ratio est, quia Religiosus, non tenetur esse perfectus; vnde percutienti eum in vna maxilla, non tenetur ei alteram præbere, sed tenetur conari tendere ad perfectionem, vt dicunt omnes, & habet Tostatus *tom* 5. *in Matthæum cap.* 19. *q.* 144. & id, non iuxta omnia consilia Euangelica, sed iuxta præscriptum suæ Regulæ, vt Doctores citati; posset tamen per contemptum Religiosus peccare mortaliter, consilia transgrediens, parui nimirum æstimando ipsum diuinum consilium, prout à Deo proficiscitur: vel parui æstimando opera ipsorum consiliorum, illa secundùm se vilipendens: vel tertium ægrè ferens per superbiam se ita Deo subiectum, vt ab illo consilia accipiat, vt optimè Valentia, & Ledesma *dub.* 2.

An autem hoc præceptum tendendi ad perfectionem, sit peculiare aliquod præceptum distinctum à præcepto seruandi vota substantialia, an potius sit generale quoddam imbibitum in illis; sicut præceptum seruandi mandata, & non peccandi, explicat optimè Sanchez *lib.* 6. *in Decalogum cap.* 5. *à num.* 3. & resoluit, non esse distinctum à præcepto seruandi vota, propter multa, quæ ibi habet, & præsertim, quia non sunt multiplicanda præcepta absque maxima necessitate, & vrgentibus rationibus, quæ hic non interueniunt.

Explicat etiam ibi Sanchez, an peccet Religiosus contra hoc præceptum, firmiter proponens exequi, solùm id quod vouit, & omnia præcepta Regulæ, & Superiorum obligantia sub mortali, & reliqua consilia, quæ sic non obligant omittere, & resoluit venialiter tantùm peccare contrà hoc præceptum tendendi ad perfectionem; nam cum per obseruantiam suæ Regulæ, & votorum, possit perfectus fieri; vnde statim professis dicitur, *si hæc obseruaueris, vitam æternam promitto*; nec teneatur, nisi per hanc obseruantiam ad perfectionem currere, non est, cur mortaliter peccet? Venialiter autem, quia omittit intentionem, & executionem profe-

ctus spiritualis, & operum bonorum; quæ posset facere, vt optimè Cajetanus 2. 2. *q.* 186. *art.* 2. Dixi contra hoc præceptum; nam aliundè propter periculum transgressionis votorum, & defectus perseuerantiæ, potest mortaliter peccare.

Nota 6. circa quartum earum rerum, quæ continentur in Regula, quòd ista nullo modo obligant ad culpam, quando Regulæ Institutor, mentem suam explicuit esse, vt ad nullam culpam obligent, vt in Religione Prædicatorum, & in Religione nostra Minimorum, in qua habetur *cap.* 10. *Correctorij num.* 116. Præterea non intelligatur, quod aliquid in huius Ordinis Minimorum Regula, & præsenti Correctorio insertum, aliquem ex se obliget ad culpam, sed solùm ad pœnam in eodem præsenti Correctorio suis locis pro quolibet delicto, respectiuè taxatam, & limitatam Quod etiam declarauit Iulius II. anno 1506. in Bulla, quæ incipit *dudum &. nos per reliqua*, & inserta in nostris priuilegiis, *fol.* 38. ita D. Thom. 2. 2. *q.* 186. *art.* 9. *ad* 1. ibi Cajetanus, Sanchez multos citans, *lib.* 6 *in Decalogum cap.* 4. *num.* 11. Vasquez *prima secunda disp.* 158. *cap.* 3. *num.* 17. & ratio est, Nam hæc non obligant ratione sui, quia ex se, & per se, quatenus talia, mala non sunt, nec aliàs lege Diuina, aut humana prohibita, vel mandata reperiuntur: Nec ratione Regulæ, quia hæc nullam habet rationem obligandi, nisi ex voluntate legislatoris, qui cum declarauerit, suam intentionem esse, vt ad nullam culpam obligarent, ad nullam quippè obligabunt, addita præsertim declaratione, & auctoritate Pontificis.

At inquies, obligant ad pœnam, & pœna non infligitur sine culpa.

Respondeo, ei qui voluntariè se obligauit ad aliquam pœnam, potest talis pœna infligi sine culpa; licèt non sine causa, ita D. Th. 2. 2. *q.* 108. *ar.* 4. & habetur *Regul.* 23. sine culpa *de Regulis iuris in* 6. additis glossis.

Nota 7. ad hanc pœnam in statutis taxatam subeundam per semetipsum Religiosum non teneri, ita vt si non subeat, reus sit alicuius culpæ, saltem venialis. Ita Cajetan. 2. 2. *q.* 186. *art.* 9. *ad* 3. *dub.* Armilla *verbo Religio num.* 13. Valent. *tom* 3. *disp.* 10 *q* 4. *punct.* 5. Sanch. *lib* 6. *in Decalogum cap.* 4. *num.* 13. Probat Cajet. quia cum generaliter tradat institutor Regulæ, se ad nullam culpam per illas Regulas, velle obligare, sibi contradiceret, si deinde vellet obligare ad subeundam taxatam pœnam sub culpa? nostro ordine Minimorum, nulla circa hoc est difficultas, quia Legislator super hoc etiam puncto, se declarat dicens; *in Correctorio num.* 116. Ad quam etiam peragendam (idest pœnitentiam) nullus obligetur, nisi cum ipsa sibi, per aliquem suorum Superiorum, vel aliquod Capitulorum, aliquando imponetur.

Per quæ etiam resoluitur illud dubium, an si præfata pœna taxata in Regula, à Superiore imponatur, teneatur transgressor sub aliqua culpa eam subire; v. g. silentij fractori imponitur pœnitentia panis, & aquæ, declarat Prælatus talem fuisse silentij fractorem, & consequenter damnat ad taxatam pænam, an iste teneatur sub culpa talem pœnam subire.

Cajetanus, Armilla, & alij citati hoc notabili respondent neque etiam teneri ad eam pœnam, nisi Superior peculiariter præcipiat; Fregisti silentium, & per Regulam subire debes talem pœnam, vt eam subeas præcipio: Et tunc, non ratione Regulæ, quæ vniuersaliter omnem culpam excludit, sed ratione Obedientiæ, ad quam per professionis votum obligatur, peccabit venialiter, vel mortaliter, iuxta modum præcipiendi Prælati.

In nostro tamen Ordine Minimorum videtur, quod etiamsi Superior expresè non præcipiat, modò pœnitentiam imponat, teneatur Subditus eam subire; Ait enim Legislator *vbi suprà* ad pœnam non obligetur, nisi cum fuerit à Superiore imposita, ergo cum est imposita, obligat sub culpa: nam dictio, *nisi*, est exceptiua, & refertur ad omnia præcedentia, vt dicitur, lege postquam de pactis, & confirmari potest ex eodem Correctorio *num.* 28.

Possemus quidem explicare illud (*obligetur*) quando scilicet per præceptum speciale Prælati, fuerit pœna imposita, vt explicant Valentia, Cajet. & Sanch *loc. cit.* sed cùm Legislator punctualiter se declaret talem explicationem ingenuè, non admittit; vnde puto, licet si Subditus ad pœnam per se subeundam, non teneatur; cùm tamen fuerit à Prælato imposita, in Ordine nostro Minimorum, etiamsi non specialiter præcepta, teneri eum ad eam subeundam sub culpa, saltem veniali, quod ad omnes scrupulos tollendos, declaratum est in Capitulo Generali quarto Genuensi *num.* 22. In aliis autem Religionibus, nisi sit aliqua specialis declaratio, tutissimam puto sententiam Cajetani, Armillæ, & aliorum, licèt contrarium sentiat Antonin. 3. *part. tit.* 16. §. 13. Azor. *tom.* 1. *instit. moral lib.* 5 c. 2. *in fine.*

At inquies in Religionibus, sit quotidie, vel saltem ter in hebdomada, vt in nostra Minimorum Capitulum culparum, in quo Religiosi omnes coram Superiore genuflexi, se accusant de transgressionibus commissis contra Regulam, & constitutiones; ergo si est culparum, signum est, quod illæ transgressiones sint culpæ.

Respondeo dicitur Capitulum culparum, sed culpa ibi, sumitur pro negligentia, vel desidia, vt communiter sumitur apud Legistas *leg.* 72. *ff. pro Socio, & leg.* 5. *Cod. de periculo.* quas desidias, & negligentias, declarant Institutores, nullum esse peccatum: ad Pœnitentias autem impositas à Prælatis, vel aliis Superioribus in talibus Capitulis in Ordine nostro Minimorum consequenter ad dicta puto teneri sub culpa saltem veniali, etiamsi Superior disertis verbis eas non præcipiat, vt patet etiam ex Correctorio *num.* 28.

Si vrgeas in quibusdam solemnitatibus anni, fiunt absolutiones generales, in quibus Prælati absoluunt, ab omni transgressione Regulæ, ergo si Regula non obligat ad culpam, frustratoriæ sunt illæ absolutiones.

Respondeo cum Ledesma *de statu Religiosorum in communi cap.* 4 *pag. mihi* 163. quod istæ absolutiones, non sunt vanæ, sed vtiles. Prima, quia absoluunt ab excommunicationibus, & dispensant super irregularitatibus, quas ignoranter incurrerunt Subditi; & Prælati, concedunt suam auctoritatem confessariis, vt possint absoluere, à casibus ipsis reseruatis. Secundò prosunt istæ absolutiones, quia absoluunt à venialibus, ibi enim dicitur generalis confessio, & Prælatus dicit absolutionem: Tertiò, quia ibi tollitur facultas Prælato castigandi Subditum pro illis defectibus, de quibus præcessit absolutio: Quartò, maximè sunt vtiles, quia ibi reconciliantur fratres inter se, relinquuntur odia, & maleuolentiæ, parcunt sibi inuicem, & publicæ, inuicem etiam veniam petunt, quæ venia est maximè meritoria, & causat optimos effectus: Quintò Prælati etiam veniam petunt de negligentia in sui officij administratione, vnde sibi conciliant animos Subditorum, amaros dulcorant, iratos sedant, malignos frænant.

Nota 8. Quod licèt transgrediens statuta 4. generis, quæ ex se ad nullam culpam obligant, ex hoc non peccet, potest tamen contra ea peccari quadrupliciter: nimirum ex contemptu, libidine, negligentia, & inobedientia; Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 186. *art.* 9. *ad* 1. Cajetanus *ibidem* Sanchez *lib.* 6. *in Decalogum*, *capite* 4. *numero* 24. & omnes alij citati in principio huius capitis, quæ omnia per sequentes paragraphus, melius enucleabimus.

§. I.

§. I.

Quomodo peccetur contra statuta Quarti generis ex contemptu.

DE materia huius paragraphi agunt Doctores citati in principio huius capitis, summistæ *in verbo contemptus*, Antoninus 3. *par. tit.* 16. *c.* 1. §. 9. Lessius *lib.* 2. *de iustitia cap.* 7. *dub.* 1. *num.* 2. *& cap.* 41. *dub.* 9. *num.* 76. Vasquez *prima secunda disp.* 158. *cap.* 4. *n.* 37. Sanchez *lib.* 1. *in Decal. c.* 5. *a n.* 8. Salas 1. 2. *q.* 96. *ar.* 14. *disp.* 10. *sect.* 8.

Dico primò tunc peccat quis ex contemptu, quando voluntas eius renuit subiici ordinationi, vel Regulæ, & ex hoc procedit ad faciendum contra legem, vel Regulam. Ita D. Thomas 2. 2 *q.* 186. *art.* 9. ad tertium, quem sequuntur omnes citati Doctores hoc paragrapho, & alij, quos citat Sanchez *in dicto* §. citatus.

Et aduertit Caietanus *dicto art.* 9. *ad tertium*, quòd peccare ex contemptu importat duo, actum scilicet peccati, & causam peccati, v. g. nolle ire ad chorum, vel frangere silentium, ex contemptu dicit duo, primo actum ipsum frangendi silentium, seu ipsam omissionem eundi ad chorum, & hoc vocatur actus peccati: Secundò ipsam causam peccati scilicet ex contemptu, & hoc significat actum voluntatis refutantis subiici legi, vel regulæ; Ita quòd ad peccare ex contemptu non sufficit, etiamsi esset perpetua, & millies reuoluta, & deliberata consuetudo peccandi in tali commissione, vel omissione, sed exigitur quòd peccet quis ex tali causa, scilicet ex hoc, quòd non vult subiici legi, seu regulæ, vel Prælato, nam Prælatus lex est animata, vnde quandiu quis in ea est voluntate, vt velit semper subditus esse legi, vel Regulæ, licet ex minus bona, vel indeuota voluntate intendat transgredi eandem legem vel regulam, nunquam peccat ex contemptu. Periculum est tamen, ne frequentia peccandi ipsum disponat ad contemptum, iuxta, illud Prou. 18. *Impius cum in profundum venerit peccatorum contemnit.* Ita D. Thomas, & Caietanus, quæ Doctrina melius declaratur per sequentes conclusiones.

Dico secundò. Peccare ex contemptu modo prædicto contra statuta, quarti generis, seu contra præceptum superioris, qui est quædam lex animata in quacunque re leui, mortale peccatum est Ita D. Tho. *loc cit.* quem sequuntur omnes; hæc conclusio limitanda per subsequentia.

Probatur primò ex Bernardo *de dispensatione, & præcepto*; vbi ait, *porrò contemptus in omni specie mandatorum pari pondere grauis, & communiter damnabilis est.*

Secundò, quia peccare ex contemptu est facere contrà votum professionis, quo Religiosus vitam Regularem promisit, vt dixi, nam vita Regularis promissa consistit in subiectione erga Regulam: & licet materia præcepta leuis sit; nolle tamen simpliciter, & absolutè illi subiici, leue non est; & ideò mortale.

Dico tertiò, Aliud est contemptus præcepti, aut legis simpliciter, & absolutè, & aliud contemptus non quidem illorum, sed dumtaxat executionis illorum hic, & nunc, vt bene aduertit Valentia *tom.* 3. *disp.* 10. *quæst.* 4. *punct.* 5. *verbo cæterum*, licet enim quis auersetur animo executionem Regulæ hic & nunc dumtaxat; tamen non proptereà contemnit regulam, ita vt illi nolit subiici, & ideò ex contemptu non peccat.

Ex quo sequitur primò, quòd si quis nollet Regulas seruare, præter sua vota, non eo ipso faceret contra votum professionis, seu vitę regularis, dummodò nihilominus vellet esse subiectus regulis: licet aliundè esset in peccato mortali, propter periculum cui se exponeret contemnendi regulas; quare consuetudo transgrediendi regulas, & ex proposito nullas seruandi, mortale esset, vt bene aduertit Valentia *loco citato*; si tamen vellet aliquas seruare, etiamsi nollet seruare alias, non esset in malo statu, vt notat Valentia, *loco citato vers. atque ita*: quoniam per illas, quas vellet seruare, posset contendere ad perfectionem, licet non curreret.

Sequitur secundò. Eum non peccare mortaliter ex contemptu, qui in consuetudinem duceret Regulas ad culpam non obligantes transgredi; habens tamen animum eas seruandi; quia nullus ex his actibus mortalis est, tenetur tamen iste sub mortali, diligentiam apponere, vt eam consuetudinem corrigat, quando videt per eam sibi offerri periculum transgressionis votorum. Ita Sanchez *lib.* 6. *in Decalogum capite* 4. *numero* 21.

Tertiò sequitur, non peccare mortaliter ex contemptu, qui haberet intentionem non seruandi aliqua statuta quarti generis, quæ per longissimam consuetudinem à Superiore toleratam, non sunt inobseruantia apud omnes Religiosos illius Monasterij, licet forsan apud alios obseruantiores obseruentur; & hoc, etiamsi animum habeat ea nunquam seruandi, faciunt quæ habet Panormitanus *in cap. Deus qui, de vita, & honestate clericorum, & cap. Relatum. Ne Clerici, vel Monachi*, in malo tamen statu esset, si eam in hoc firmitudinem haberet, vt neque etiam ea statutà seruare vellet, etiamsi alij seruarent, quia tunc longa consuetudo cum non excusaret: Secundò, quia tenetur alijs se conformare: Tertiò, quia cæteris esset petra scandali, & posset suo malo exemplo alios allicere, & illam sanctam morum reformationem destruere.

Dico quartò, Aliud est contemnere præceptum simpliciter, & aliud contemnere secundum quid: Priori modo contemnit, nollens simpliciter præcepto subiici, & obedire. Posteriori autem, qui vult simpliciter, & absolutè subiici, at renuit hic, & nunc, ne in hac re leui subiiciatur; Prius est mortale; Posterius veniale; v. g. Præpicit mihi Prælatus claudere Ostium, ego nolo claudere, non quia nollim illi simpliciter subdi, & obedire. Hic contemptus mortale non est, quia non contemptus simpliciter, sed est veniale in materia leui, & contemptus secundum quid. Ita Caiet. *in summ. verbo contemptus vers. aduerte hic.* Armilla *eodem num.* 3. Valent. *tom.* 3. *disp.* 7. *q.* 3. *punct.* 3. *versu cæterum, sicut accidit*, Sanchez multos alios citans, *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 5. *num.* 11.

Aduertit autem Valentia, leuem materiam in proposito esse præceptum quodpiam non valdè strictum: siue quia sit de re leui, siue quia obliget ad peccatum, veniale tantùm: siue quia non magna cum intensione voluntatis superior illud ferat.

Dico quinto, Aliud est contemnere præcipientem, & aliud contemnere præceptum: Contemnere præcipientem, vt præcipiens est, v. g. Prælatum, vt à Deo habet auctoritatem, semper est mortale, siue præcipiat, siue moneat, siue hortetur. Ita Syluester *verb. contemptus quæst.* 3. Angelus *ibi num.* 1. Lessius *lib.* 2. *de Iust. cap.* 46. *dub.* 6. *nu.* 45. Sanchez *lib.* 1. *in Decalogum c.* 9. *num.* 13. Castro *lib.* 1. *de lege Pœnali c.* 5. *conclus.* 1. qui addit id ita esse: siue contemnatur Prælatus appretiando illum minus, quam oporteat: siue illi indignando, aut conuicia inferendo: Si autem contemnatur Prælatus alia ratione, puta ob defectum eruditionis, prudentiæ, nobilitatis, &c. & ex hoc contemptu, recusetur ei in re leui obedire, non semper mortale erit; vt aduertunt Castro, Lessius, Sanchez., & notat etiam Aluarez *to.* 2. *de vita spirituali lib.* 5. *part.* 3. *c.* 6. Contemnere autem præceptum rei grauis, semper est mortale, si leuis potest esse veniale, si non contemnatur simpliciter, sed secundum quid, vt dixi.

Hæc intelligenda sunt de præceptis humanis : nam de diuinis alia est ratio; Contemnere enim præcepta diuina, etiam leuia sub ratione formali contemptus, est mortalis blasphemia, sicut contemnere Deum sub quacumque ratione.

Dico sextò, Aliud est nolle obedire ex indignatione, & aliud ex contemptu. Primum dicit nolle obedire, non eo quòd tenuat subiici, sed quia illi indignatus non vult in illa re eum affici solatio; at ex contemptu nolo obedire, est quia ei non vult subiici: Caietan. *in summ. verbo contemptus, versu Aduerte hic.* Armilla *ibid. num.* 2. Lessius *loc. cit.* & Sanchez *loco etiam cit. n.* 12. Quare nolle obedire ex indignatione, non addit nouam malitiam præcepto obliganti sub mortali, si illa indignatio mortalis non sit, sicut addit contemptus; secus autem si indignatio, sit mortalis; vt bene Sanchez *loco citato.*

Dico vltimo, Religiosus non obediens ea ratione, quia sibi imponitur præceptum duplicem incurrit malitiam specie diuersam, necessariò in confessione aperiendam. Primam, quia rem præceptam transgreditur: Secundam, quia ex formali inobedientia transgreditur, quæ semper coniuncta est cum contemptu; ita Lessius *lib.* 2. *de iustitia cap.* 41. *dub.* 9. *num.* 76. Sanchez *lib* 6. *in Decalogum cap.* 1. *num.* 7

§. II.

Quomodo peccetur contra statuta quarti generis ex libidine, & negligentia.

DIco primò contra statuta quarti generis, quæ ex genere suo ad culpam non obligant, potest peccare transgressor ex libidine, id est, ex cupiditate nimia erga aliquid; Propter quod quis transgreditur regulam; verbi gratia. Si quis ieiunia ordinis ad culpam non obligantia, ex gula, vel delectatione frangat, Si extra consueta tempora comedat, &c. Ita D. Thomas 2.2. *q.* 186. *art.* 9. *ad* 1. Caietan. *ibidem ad* 4. *dub.* Valentia *tom.* 3. *disp.* 10. *q.* 4 *punct.* 5. *assert.* 2. Sanchez *lib.* 6. *in Decalogum cap.* 4. *num.* 15. Ledesma *de statu Religios. in communi cap.* 4. *concl.* 12. *pag. mihi* 162. Huiusmodi autem transgressio, vt minimum veniale est; quia vt bene Caiet. Si facere ex libidine quidpiam aliud non prohibitum regula est veniale, à fortiori tale erit, si sit per regulam prohibitum.

Dico secundò, Potest peccari contra statuta quarti generis ex negligentia, v. g. tangitur ad chorum, vel Refectorium, nulla subest causa legitima subdito, quare non proficiscatur, sed ex quadam negligentia, & animi torpore, non vadit, peccat contra statutum eundi ad chorum, vel ad Refectorium; quod ex suo genere nullum dicebat peccatum, ex negligentia aliquod dicit saltem veniale; quia eo ipso, quod ei nulla subest causa non eundi, cum recta ratione pugnat illud non ire, & illa negligere; & ideò peccatum est saltem veniale; similiter assisto alicui functioni communi, vel particulari, sed non ea, qua possem diligentia, reus sum illius negligentiæ, quæ ibi intercedit; Doctrina est hæc D. Thomæ *loco citato*, & omnium aliorum citatorum *prima conclusione huius paragraphi eisdem locis.*

Ex quibus colligitur, quòd nomine negligentiæ non intelligitur simplex aliqua voluntas, qua quis velit transgredi regulam, sed transgressio Regulæ ex nulla alia causa, quàm ex torpore quodam animi, & negligentia crassa. Negligentia enim, non est aliud, quàm animi torpor, quo quis minus diligens est in exequendo, quod exequi debet.

Dico tertiò, Religiosus transgrediens Regulam ex se non obligantem sub peccato, aliquo fine, vel causa, quæ tunc videtur illi honesta, quamuis id quod facit sit minus bonum, quam seruare regulam, non peccat; verbi gratia, in nostra Regula est præceptum de non comedendo sine Superioris licentia, in promptu non habeo Superiorem, & sentio me valde debilem; ita vt putem iustam habere causam comedendi, comedendo non pecco, etiamsi melius facerem, si quærerem superiorem, & ab illo licentiam peterem: vel inexpectatus veniens deuotus Ordinis, me ad secum comedendum inuitas, in promptu non habeo superiorem, à quo licentiam petam, licet si melius facerem, si licentiam peterem, comedendo tamen non pecco, ne indignetur ille deuotus Ordinis, & me illum fugere suspicetur; & sic de aliis. Ita Valentia *tom.* 3. *disp.* 10. *q.* 4. *punct.* 5. *ad finem*, Vasquez 1. 2. *disp.* 158. *c.* 3. *n.* 16. Sanchez *lib.* 6. *in Decalogum c.* 4. *n.* 14. & ratio est, quia non tenemur semper facere, quod melius est, sed sufficit aliquando, si faciamus quod bonum est, vel quod malum non est; vt patet exemplis Matrimonij, & ludi; licet enim melius sit castè viuere, quàm nubere; & non ludere, quàm ludere; tamen non tenemur cælibatum seruare; nec semper à ludo abstinere.

§. III.

Quomodo peccetur contra statuta quarti generis ex inobedientia.

NOtandum, quòd sicut suprà diximus, duplicem esse Obedientiam, materialem, & formalem, ita duplex est inobedientia, vt habet Caietan. *in summa verbo, inobedientia.* Et Miranda *tom.* 1. *Manualis Prælatorum q.* 26. *art.* 4. & Rodriq. *tom.* 3. *quæst. Regul. q.* 19. *art.* 3. formalis, & materialis: Formalis Inobedientia est, quando subditus non vult obedire, ne obediat; idest eo principaliter, quia iubetur; & hæc semper includit contemptum, vt dicit D. Tho. 2. 2. *q.* 104. *art.* 2. *ad* 1. & de hac iudicandum sicut de contemptu: Materialis est quando subditus non eo, non vult obedire, ne obediat, sed vel ex negligentia, vel ira, molestia, ignorantia, tristitia: & de hac iudicandum est, iuxtà materiam præceptam; si enim id quod præcipitur est quid graue, & grauiter præcipitur, mortalis erit illius transgressio, si leue, & leuiter præcipitur, erit veniale. Si autem id quod præcipitur est quidem graue, & alias ad mortale obligans, licet si verbis planis, & non rigorosis præcipiatur, ad mortale obligat illius transgressio; secus autem, si alias ad mortale non obliget; si denique id quod præcipitur est quidem de se leue, & ad nullum obligans ex se peccatum; Prælatus tamen ex aliquo iusto fine, & rationabili causa, id præcipit verbis rigorosis, & solitis ad mortale obligare, illius transgressio obligabit ad mortale: modò res ista leuis sit conformis Regulæ, & propter aliquem iustum finem præcepta, aliòquin sub quacunque forma verborum præcipiat, leuis materia excusat à peccato.

Dico primò. Transgrediens statuta quarti generis ad nullam culpam obligantia contra obedientiam Prælati, mortaliter peccat; etiamsi non eo principaliter transgrediatur, quia præcepta sunt, sed vel ira, molestia, pigritia, &c. v. g. est statutum in Regula de non introëundo in alienas cellas, præcipit mihi Prælatus sub merito sanctæ Obedientiæ, ne alienas ingrediar cellas, ingredior ex curiositate, vel alia causa, pecco mortaliter, ita communiter Doctores. Valentia *tom.* 3. *disp.* 10. *q.* 4. *punct.* 5. *circa tertiam circumstantiam* D. Thomas 2. 2. *q.* 186. *art.* 9. *corpore*, Caietanus *ibi circa expositionem literæ*, Sanchez *lib.* 6. *in Decalogum, cap.* 2. *num.* 8. Lessius *lib.* 2. *de inst. cap.* 41. *dub.* 9. *num.* 76. Azor. *tom.* 1. *instit. moral. lib.* 12. *cap.* 13. *quæst.* 2. Panormit. *in cap. Relatum ne Clerici, vel Monachi num.* 6. patet, quia tunc illud prætermittere, est violare votum obedientiæ, ex quo tenetur Religiosus adimplere quidquid à superiore præcipitur, quod est Regulæ conforme:

Quæ

Quæ voti violatio diximus *supra conclus.* 4. quòd est mortalis.

Dico secundò, licet si superiot non possit in vniuersum obligare sub mortale, quando Regula ex sua primæua institutione ad nullam culpam obligat, sed ad pœnam; Potest tamen priuatum, & particularem aliquem sic obligare, quando ad exemplum aliorum, & correctionem illius, qui minus parere consueuit, id expedire iudicaret. At verò propter vnius, vel duorum culpam non posset sic totum Conuentum obligare. Ita Vasquez 1.2. *disp.* 154. *cap.* 4. *num.* 21. Sanchez *lib.* 6. *in Decalogum cap.* 2. *num.* 46. Ledesma *de statu Religiosorum in communi cap.* 4. *conclus.* 8. *dub.* 2. *pag. mihi* 137. Salas *de legibus disp.* 8. *sect.* 12. *num.* 57. Bonacina *in Decalogum disp.* 1. *q.* 1. *punct.* 3. *num.* 17.

Prima pats patet, quia hoc esset manifestè supra Regulam, si vellet obligare ad peccatum, ad quod ipsa non obligat. Quod tamen dicemus superiorem facere non posse.

Secunda pats probatur, qoia cùm Prælatus custos sit obseruantiæ regularis, ad eam conseruandam potest relaxatum subditum præceptis, & excommunicationibus cogere, vt vnius pœna, aliorum transeat in exemplum.

Tertia pars, scilicet quòd propter vnius, vel duorum culpam non possit obligare totum collegium, patet, quia vita aliorum relaxata, aliis obseruantibus non debet iniicere conscientiæ laqueos; & istis obseruantibus hoc esset manifestè supra Regulam, & ideo obedire non tenerentur.

Dico tertiò, si totum Collegium esset relaxatum, v. g. præcipit Regula, ne tangantur pecuniæ: ne lineis vtamur subuculis: vt vestiti dormiamus: fratres vnius communitatis, sunt ita relaxati, vt ista non curent magis, quàm si in regula non continerentur, & publicè tangant pecunias, lineas deferant, nudi dormiant, potest hoc casu Prælatus totam illam communitatem compellere sub peccato mortali ad obseruanda ea, quæ alioquin sub nullo peccato tenebatur. Ita Doctores citati in secunda conclusione tenentur concedere, & tenet expresse Ledesma. Ratio est, quia ad Prælatum pertinet curare totis viribus, & posse obseruantiam Regulæ, & pœnam negligentiæ luet in inferno, si prius pœnitentiam non egerit. Non debet quidem esse facilis Prælatus in his resolutionibus, quia sunt maximæ consequentiæ, & hoc est quodammodo augere votum, nisi quo ad substantiam, saltem quo ad modum; & prius debet experire, an aliis possit id obtinere, cùm autem censet casum desperatum, sua vtatur auctoritate, & debito fungatur officio.

Dico quartò, non solùm potest Prælatus sub mortali præcipere ea, quæ sub nullo præcipiuntur expresse, & directè in Regula, sed etiam, ea quæ implicitè, & indirectè, vt mutua obsequia, &c. de quibus distinctius infrà, vbi de indifferentibus, verbi gratia, præcipit Regula fratres binos extra Conuentum incedere; non solùm potest Prælatus præcipere sub mortali, ne fratres soli extra Conuentum exeant, sed etiam quod foras egressi, ab inuicem non separentur. Ita Ledesma *loco citato digo lo secundo.* Ratio est eadem, quæ supra, quia hoc pertinet ad obseruantiam illius constitutionis; non debet tamen passim hoc facere Prælatus, nec sine necessitate, & vrgenti, & rationabili causa; ne vota subditorum augere ipsis inuitis videatur.

§. IV.

Quibus verbis manifestent Prælati suam intentionem esse obligare sub mortali.

Dico primò. Prælatus simpliciter mandans fieri aliquid etiam per verba imperatiui modi, non obligat, nisi eo modo, quo obligant statuta non obligant nisi ad pœnam, ad pœnam solùm obligabunt præcepta Prælati, qui est quædam Lex animata. Ratio est, quia tunc non videtur velle Prælatus obligare nisi eo modo, quo obligant alia statuta; cùm enim strictius vult obligare strictioribus, & formalioribus vtitur verbis. Ita Ledesma *de statu Religiosorum in communi c.* 4. *concl.* 12. *par.* 2. *concl. pag. mihi* 162.

Dico secundò. Hic esse attendendum morem, & consuetudinem Religionis, ita vt tunc censendum sit Prælatus ad mortale obligare velle, quando in præceptis ponendis vtitur illis verbis, quibus solent vti illius Religionis Prælati, cùm ad mortale intendunt obligare, & tunc ad veniale cùm vtitur illis, quibus solent ad veniale. Ita Caiet. 2.2. *q.* 186. *ar.* 9. Valentia *tom.* 3. *disp.* 10. *q.* 4. *punct.* 5. *circa tertiam circumstantiam.* Ledesma *de statu Religiosorum in commum conclus.* 8. *dub.* 7. *pag. mihi* 150 Syluest. *verb præceptum q.* 2. *fine* Armilla *ibidem num.* 7. Sanchez *lib.* 6. *in Decalogum*, *cap.* 4. *n.* 28. Vasquez 1.2. *disp.* 158. *c.* 3. *n.* 24. Ratio est, quia his verbis manifestat Subdito, suam intentionem esse, vt impleat id, ad quod tenetur ex voto obedientiæ.

Dico tertiò. Communiter esse quasi receptum, vt tunc Prælati censeantur velle obligare sub mortali, quando præcipiunt sub merito Sanctæ obedientiæ, vel virtute Spiritus Sancti, vel sub pœna excõmunicationis maioris, etiamsi non addant latæ sententiæ; Nam si addant, incurritur etiam excommunicatio. Ita Caietanus, Valentia, Ledesma *locis citatis*, Sanchez *lib.* 6. *in Decalogum cap.* 4 *num.* 43. qui innumeros alios citat, Nauarrus *in summa cap.* 23. *num.* 53. Saytus *in Claui regia lib.* 3. *c.* 7. *n.* 24. & in nostra Religione Minimorum habetur statutũ in Capitulo 4. Genuensis *num.* 22. quo declaratur, illa statuta, & præcepta superiorum, quæ non habent annexum præceptum formaliter factum, puta in virtute Spiritus sancti, vel sanctæ Obedientiæ, aut sub pœna excommunicationis, vel per verbum *mandamus*, seu *præcipimus*, non obligare ad culpam̃, sed tantùm ad pœnam taxatam; In quo includitur ex vsu communi Modus præcipiendi sub mortali, & sub veniali; Quando enim Prælati intendunt obligare sub mortali, præcipiunt in virtute Obedientiæ, &c. Quando verò sub veniali, præcipiunt simpliciter. Præcipio tibi hoc, vel illud: verbum enim præcipio simpliciter culpam mortalem non inducit, vt multis probat Rodriq. *tom.* 1. *quæst. Regul. q.* 26. *art.* 4. In responsione ad argumenta *col* 6. Lessius *lib.* 2. *de iust. cap.* 41. *dub.* 9. *num* 71. *versu* 3. *tenetur.*

Dico 4. si materia est leuis, sub quacumque forma verborum præcipiat Prælatus, vel virtute sanctæ Obedientiæ, vel Spiritus sancti, &c. non tenetur subditus obedire sub culpa mortali. Ita Communiter Doctores, Ledesma *loco citato* Sanchez *etiam loc. cit. num.* 46. Salas *prima* 2. *quæst.* 96. *tract.* 14. *disp.* 10. *sect.* 6. *num.* 30. moltos citant. Ratio est, quia materia leuis etiam in mandatis diuinis excusat à mortali: ergo multò magis in humanis. Et hoc etiamsi Prælatus dicat, se intendere obligare ad mortale. Quia Prælatus non potest facere, vt illud, quod non est capax de se lethalis culpæ, capax fiat per suum præceptum: immò tunc præceptum indiscretum, & absurdum censetur.

Materiam autem leuem in ordine nostro Minimorum declaratum est in capitulo 4. Genuensi *numero* 21. esse puta, si aliquis ingressus fuerit hortum, & excerpserit aliquem fructum ex arbore: vel ingressus fuerit Coquinam: vel refectorium, vel minimam rem sustulerit. Vnde si præcipiat Prælatus, ne ingrediar hortum, sub quacumque forma verborum id faciat, vel sub pœna excommunicationis ipso facto, subditus transgrediens mortaliter non peccabit, propter leuitatem materiæ.

Hæc tamen intelligenda sunt stando in ipsa materia leui, nam si aliquis ingrederetur Hortum propter

pter aliquem malum finem, verbi gratia, vt commodius alloqueretur mulierem; iam tum materia, non staret in sua leuitate, sed ex illo fine esset grauis, & sic posset Prælatus sub mortali talem ingressum vetare: similiter si omnes ingrederentur hortum, & vnusquisque vnum fructum excerperet, quacumque vice, ita vt damnum notabile inde sequeretur Communitati; tunc materia non staret in sua leuitate, sed ratione damni, quod pateretur Communitas, ex singulis illis exceptionibus, posset Prælatus talem ingressum sub mortali vetare; Ita Salas *prima 2. q. 96. tract. 14. disp. 10. sect. 6. n. 32.* Valentia *tom. 2. disp. 7. q. 5. punct. 6. quæsito 3.* Saytus *in Claui regia lib. 3. c. 7. n. 14. & 17.* qui hæc ad nostrum propositum habet. Præcipere potest Prælatus sub mortali, ne aliquis Religiosus accedat ad hortum Communem Conuentus, aut ad talem Sæcularis domum, aut ne transeat per talem vicum. Etiamsi cum licentia sua exierit extra Conuentum, aut ne cum tali, aut tali persona loquatur; Hæc enim, & similia, licet in se considerata, videantur parui momenti, comparata tamen ad honestatem, & bonum nomen Religiosorum, aut ratione scandali, periculi, vel alterius circumstantiæ, efficiuntur res magni momenti; Ideò obligant ad mortale. Hæc Sayrus, quod etiam sentit Suarez *to. 5. in tertiam partem, disp. 4. sect. & nu 9. & sequentib.*

Dico 5. si subditus dubitat, an materia sit leuis nec ne, & Prælatus præcipiat sub verbis, quæ solent ad mortale obligare, obedire tenetur sub mortali; Ita Corduba in Regula S. Francisci *cap. 10. q. 3. puncto primo in primo modo cognoscendi, quomodo præcepta obligent.* Arag. 2. 2. *q 62. art. 3. col. 6. §. & si quis quærat*, Sanchez *lib. 6. in Decalogum cap. 4. n.* 46. Ratio est, quia dum de materiæ leuitate non constat, tenetur subditus iudicio superioris stare, vt dicam infrà.

CAPVT VI.

Vtrum Subditus teneatur obedire Prælato in omnibus, quæ ab ipso illi iubentur.

PRo hoc capite videri potest D. Tho. 2. 2. *q* 104. *art. 5.* Caietanus ibi Panormitanus *in capite ad aures n. 1. de temporibus ordinat.* Valentia *tom. 3. disput. 7. q. 3. punct. 2. versu quarto sequitur*, Rodriquez *to. 3. q. Regul. q. 19. art. 1. & 2.* Reginaldus *lib. 17. praxis, num.* 233. Sanchez *lib. 6. in Decalogum cap.* 2. Miranda *tom. 1. Manualis Prælatorum, q. 26. art. 2.* Nauarrus *in sum. cap. 23. nu.* 38. Antoninus 3. *parte tit. 16. cap. 1. §. 9.* Syluester *verbo obedientia q. 1.* Rosella *ibi* §. 2. Tabiena §. 3. Angelus §. 1. Pisanella § 2. Toletus *in summa lib. 8. cap. 15.* Graffius *prima parte decis. lib. 3. cap. 5. num. 23.* Armilla *verbo Obedientia num. 3. & 4.* Ledesma *de statu Religiosorum in communi cap. 4. conclus. 8. pag. mihi 135.* possunt etiam videri Vasquez *prima 2. disp* 160. Suarez *lib. 4. de legibus, cap. 12.* Azor. *tom. 1. instit. moral. lib. 5. cap. 10.* & tractantes de potestate Ecclesiæ in actus mere internos.

Dico primò Subditus non tenetur obedire Superiori præcipienti aliquid contrà præceptum alterius Superioris, illum indignitate, & potestate excedentis, puta Dei Ecclesiæ, & altioris dignitatis Prælati, est certissima apud omnes locis citatis.

Probatur primo ex illo Genensis 2. *Pro eo, quod obedisti voci vxoris tuæ plus quàm meæ, maledicta terra in opere tuo*: & Auctorum 5. Dicitur. *Obedire oportet magis Deo, quam hominibus*: & Glossa explicans illud ad Rom 13 Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, ait, *si quid iusserit Curator numquid est illi parendum, si contra Proconsulem iubeat? Rursum, si quid Proconsul iubeat, & aliud Imperator numquid dubitatur, illo contempto, isti esse omnino parendum? Ergo similiter, si aliud Imperator, aliud Deus iubeat, illo spreto, huic est obediendum*, & habetur *cap. Qui resistit 11. q. 3.*

Secundò probatur ex patribus: Augustino, & habetur 11. *q. 3. cap. non semper.* Vbi dicitur, *Non semper malum est non obedire præcepto, cùm Dominus iubet ea, quæ sunt contraria Deo, tunc ei obediendum non est*, & Bernard. epist. 7. ad Adam Monachum, *Valdè peruersum est, profiteri te obedientem, in quo noueris superiorem propter inferiorem, idest Diuinam propter humanam soluere obedientiam? Quid enim? Quod iubet homo prohibet Deus: ego audiam hominem, surdus Deo? Hinc Dominus in Euangelio Pharisæos increpans, ait: Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditiones vestras.*

Tertiò. Quia pugnat id cum recta ratione, lumine naturali nota: conuinceretur enim alioquin, quòd superior non esset, si illi obediendum non esset, quando illius inferior contrà eius præceptum iubet.

Quartò. Habetur *cap. si is qui præest* 11. *q. 3.* vbi dicitur, *is qui præest si præter voluntatem Dei, vel præter quod in Sanctis scripturis euidenter præcipitur: vel dicat quid, vel imperet tanquam falsus testis Dei, aut sacrilegus habeatur: & adducitur* illud ad Galathas primo, *etiamsi nos, aut Angelus de cœlo euangelizauerit vobis, præterquam quod vobis Euangelizauimus, anathema sit.*

Ex quibus sequitur 1. Quòd subditus obedire non tenetur Superiori præcipienti contrà mandata Dei: vt reuelare crimen occultum fratris, non seruato ordine correctionis fraternæ: vel si præcipiat dicere, aliquod mendacium, etiam officium: vel verbum otiosum, habetur *cap. si Dominus 2. q. 3.*

Secundò sequitur, quòd neque etiam tenetur subditus obedire si Prælatus præcipiat contrà ordinationes Ecclesiæ, vt quòd non ieiunet die statuta ab illa; vel celebret pro hæreticis, habetur *cap. si quis Episcopus 2. q. 5.* Antoninus 3. *part. tit. 16. c. 1. § 9.*

Tertiò, si præcipiat contra ordinationes, vel constitutiones sui ordinis, vt in ordine Minimorum, si præcipiat vti lineis: vel pecunias tangere: vel quod non loquatur superiori suo; vel faciat contrà ordinationes sui maioris Prælati. Tabiena *verbo Obedientia num.* 5. Armilla *eodem num.* 4. Antoninus 3. *par* tit. 16. *c. 1. §. 9.*

Dico 2. subditus non tenetur obedire Superiori in his, quæ pertinent ad naturam corporis v. g. in his, quæ pertinent ad corporis sustentationem, & prolis generationem, vnde non potest superior præcipere, vt castitatem seruet, non comedat, &c. intellige, nisi ad id voluntariè per votum se adstrinxerit, vt notat optimè Caietanus 2. 2. *q. 140. art. 5. ad 2. dub.* vt Religiosi; qui cùm se adstrinxerint ad castitatem, possunt per Prælatum cogi eam seruare: Et Religiosi minimi qui per votum se adstrinxerunt ad vitam quadragesimalem, possunt ad eam seruandam à Prælato adigi. Ita D. Thomas 2. 2. *q. 104. art. 5.* & omnes alij citati, præsertim Summistæ.

Probatur ex D. Thoma: quia in natura omnes homines pares sunt, neque vnus alij subiicitur; cùm par in parem non habeat imperium, vt dicitur *cap. inferior d. 21. & cap. Innotuit §. quamuis de elect.*

Ex quibus sequitur primò subditum non esse obligatum obedire Prælato præcipienti, vt se nudet coram aliis. Ita Armilla *verbo obedientia n. 4.* Tabiena *eodem n. 5.* Ledesma *in statu Religiosorum in Communi c. 4. conc. 8. pag. mihi* 136. Antoninus 3. *par. tit. 16. c. 1* § 9. Et patet, quia hoc est contra honestatem honestorum virorum, & vnusquisque naturaliter, & rationabiliter viuens secretas corporis partes tegere semper curat, & verecundatur; si aliqua ex his, quæ videri non consueuerunt, casualiter appareat.

Secnndò sequitur, neque Subditum teneri parere Superiori præcipienti aliquam particularem, & insolitam abstinentiam, v. g. abstinentiam carnium, vel ouorum tempore quo ei per suam Regulam licet comedere, nisi id faceret, vel in pœnam, vel in remedium recidiui. Armilla, Tabiena, Antoninus, *locis citatis*.

Tertiò, neque Subditum teneri obedire Prælato præcipienti ne gestet intus, & foris vestimenta illi per suam regulam concessa, v. g. Tunicas, & Tunicellas in ordine Minimorum, & vnam tunicam cum caputio, & alteram sine caputio in ordine Minorum. Ita Glossa *in Extrauaganti Quorundam* Ioann. 22. *de verb. significatione §. in primis, verbo, voluerint*, hæc enim pertinent ad humanæ naturæ sustentationem. Armilla *loco citato*, Cajet. 2. 2. *q.* 104. *art.* 5 *ad secundum dub.*

Dico 3. Subditus non tenetur obedire Superiori præcipienti aliquid circa actus merè internos. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 104. *art.* 5. *& prima* 2. *q.* 91. *art.* 4. *corpore. & q.* 100. *art.* 9. *corpore.* Suarez, Vasquez, Azor, Valentia *locis cit.* Sanchez *lib.* 6. *in Decalogum cap.* 2. *num.* 5. & alij ferè omnes, quos citant Vasquez, & Suarez.

Probatur ratione D. Thom. *p.* 2. *q.* 91. quia de his potest homo legem facere, de quibus potest iudicare, sed de actionibus merè internis non potest iudicare, ergo neque de illis legem facere, vel illos præcipere, maior sumitur ex Aristotele 10. *ethicorum cap.* 5. vbi ait, *Potestatem legislatiuam debere esse coniunctam cum potestate coactiua, quia alioquin esset inutilis, & inefficax.* Vnde fit, hominem solum posse ea præcipere, quæ potest punire, si aliter fiant, quàm ipse præceperit, punitio autem non fit sine causæ cognitione, & iudicio; Minor probatur, quia cognoscere actus interiores ad solum Deum pertinet, vt dixit Ieremias cap. 17. *Prauum est cor omnium, & inscrutabile, quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, & probans renes.* In Hebræo est. *Prauum est cor præ omnibus.* Quo significatur, eos esse sinus, atque recessus, inflexus, & anfractus in hominum animis, vt nihil sit in natura rerum exploratu difficilius. Pro illo inscrutabile legit Hieronymus *desperabile*: quia ita tectum est, & obscurum, vt de illius cognitione desperare possit quiuis. *Et cap. tua nos de Simonia* dicit Papa. *Nobis datum est de manifestis tantummodo iudicare, & cap. sicut tuis eodem tit.* Dicitur, quod Ecclesia de occultis non iudicat.

Confirmat D. Thomas 2. 2. *q.* 104. *art.* 5. auctoritate Senecæ *lib.* 3. *de benef. cap.* 20. vbi ait, *errat, si quis existimat, seruitutem in totum hominem descendere, pars melior eius* (id est mens) *excepta est: corpora obnoxia sunt, & adscripta Dominis, mens quidem sui iuris.*

Dixi non teneri obedire circa actus merè internos, nam de iis quatenus sunt rationes quædam, seu conditiones actuum exteriorum, id est vt ad actus exteriores pertinere possunt, & sunt necessarij, ad hoc vt actus externi, in quibus quis superiori subditur, rectè exerceantur, quod obedire teneantur, non est dubium, cum Ecclesia de iis possit optimè præcipere, & defacto præcipit attentionem, & deuotionem in horis diuinis celebrandis, vt *in c. dolentes de celebratione Missarum*, & excommunicat Inquisitores, qui odio, vel amore inquirunt, vel inquirere prætermittunt in hæreticos, vt *in Clementina multorum de Hæreticis*. Ita docet Cajetan. 2. 2. *q.* 104. *art.* 5. Sotus *lib.* 10. *de Instit. q.* 5. *art.* 5. Valent. *tom.* 3. *disp.* 6. *q.* 2. *punct.* 10. *vers. Quomodo sit recitandum diuinum officium, & disp.* 7. *q.* 4. *punct.* 2. *versu, sed hoc assertum.* Suar. *lib.* 4. *de legib. cap.* 13. *num.* 6. Miranda *tom.* 1. *Manualis Prał. q.* 26. *art.* 3. *concl.* 1. Probatur, quia cum actus internus, est necessarius ad rectè exercendum actum externum, licet non simpliciter, & materialiter ad exercendum, necessaria fuit in Ecclesia ea potestas, quæ ad hos actus rectè, & moraliter exercendos posset compellere, alioquin impunè posset illud.

Ex quo deducitur, quod Subditus iussus à suo Prælato facere sacrum pro aliquo, tenetur habere intentionem applicandi illi sacrificium; quia aliter non posset sacrum fieri pro illo, & hoc non est disponere de actu interiori Subditi, qui est applicatio medij valoris Missæ, sed disponere de illo actu, vt coniunctus cum acto exteriori celebrationis eiusdem, qui idem actus exterior perfici rectè non potest sine applicatione actus interioris: & ideo per necessariam connexionem optimè potest à Prælato præcipi, & Subditus non obediens mortaliter peccabit contra obedientiæ votum in re graui. Ita Rosella *verbo obedientia num.* 2. *fine.* Ibi Angelus *num.* 2. Toletus *in sum. lib.* 8. *cap.* 15. *num.* 1. Rodrig. *tom.* 3. *q. regul. q.* 19. *ar.* 2. Miranda *Manual. Prel. to.* 1. *q.* 26. *art.* 3. Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 2. *num.* 6. cui autem proficiat sacrum, si aliter quam iussit Prælatus applicetur à subdito, dicam §. *seq.*

Dico 4. si Subditus vouisset talem regulam, quæ consuleret, vel præciperet actus mentales, orationem, verbi gratia, mentalem, vel significaret, Prælatos posse illos actus iniungere, tunc si iniungat, tenetur Subditus obedire. Ita Suarez *lib.* 4. *de legib. cap.* 12. *num.* 15. *&* 16. Azor. *tom.* 1. *instit. moral. cap.* 10. Fauet etiam D. Th. 2. 2. *q.* 104. *art.* 2. *ad* 3. quatenus definit *Religiosorum Obedientiam, esse virtutem moralem, promptam reddens voluntatem Subditi ad faciendam voluntatem Superioris*: vbi innuit etiam, posse Religiosum, ratione voti subdi superiori, quoad actus internos si nimirum voueat, vt dixi. Probatur ex D. Paulo ad Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit:* quem locum declarans Chrys. *hom.* 23. ait, *non dicit simpliciter obediat, sed subdita sit, idest non solum debet facere, quod præcipitur, sed voluntatem, & iudicium suum cum voluntate, & iudicio Superioris conformare*: sed hæc potius videntur probare subditum de perfectione obedientiæ debere ita facere, quàm de necessitate. Ideo

Probatur aliter conclusio à Suarez, quia potest homo immediatè, & absolutè vouere Deo actum merè internum, v. g. orationem mentalem, vt omnes fatentur, & patet, quia erit de meliori bono, ergo potest etiam id vouere sub conditione, si Prælatus præceperit; quia hoc, nec difficilius est, nec minus honestum, quàm primum. Hoc autem virtualiter fit vouendo obedientiam in illis ordinibus, in quibus tales actus hortantur, vel præcipiuntur; Vt ordine nostro Minimorum, in quo *cap.* 8. *reg. num.* 35. hortantur singuli ad orationis sanctæ studium. Vnde si Prælatus mentalem orationem præcipiat per virtutem obedientiæ, Subditus obedire tenetur sub mortali: Prælatus tamen non debet hos actus sub tanto rigore præcipere, ob vitandum periculum, vt bene, & sanctè aduertit Suar. *loc. cit.*

Dico 5. Subditos debere obedire suis superioribus in reliquis omnibus, quæ per corpus exercentur, dummodo non excedant limites auctoritatis superioris. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 104. *art.* 5. Valent. *tom.* 3. *disp.* 7. *q.* 3. *punct.* 2. *vers.* 6. *sequitur.* Miranda *tom.* 1. *Manualis, q.* 26. *art.* 3. *concl.* 2 Reginaldus *in praxi lib.* 17. *num.* 233.

Probatur ex Scriptura Matth. 23. *Omnia quæcumque dixerint vobis, seruate, & facite.* Et ad Hebr. vlt. dicitur. *Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis.*

Dico 6. Religiosum Subditum non teneri obedire suis Prælatis, nisi ratione voti Obedientiæ. Ideo dixi in conclusione præcedenti, Modo limites auctoritatis non excedant. Non enim tenetur obedire, nisi in iis, quæ sub Obedientiæ voto continentur, quod non est æquale in omnibus Religionibus, vt ait S. Th. 2. 2. *q.* 186. *art.* 9. Et S. Bonauent. *super caput primum Regulæ B. Francisci.* Conclusio est D. Thom. *in* 2. *d.* 44. *quæst.* 2. *art.* 3. *in vltimo argumento, sed contra*, ibi Bonau. *art.* 3. *q.* 2. *corpore.* Syluest. *verbo Religio* 6. *q.* 6. Ratio est, quia Religiosi nihil vltra obedientiæ votum habent super omnes alios fideles. Ita etiam Sanchez *lib.* 6. *in Decalogum cap.* 2. *num.* 2.

§. Vnicus

§. Vnicus,

Vtri proderit sacrificium si Subditus non iuxta mentem Prælati præcipientis offerat, sed iuxta suam.

PRo complemento tertiæ conclusionis apponimus hoc dubium. Præcipit Prælatus, vt celebrem Missam pro Francisco, ego autem celebro pro Ioanne, proderit-ne Francisco, an Ioanni? Hoc dubium tractant Scotus *quodlib.* 20. Gabriel *lect.* 26. *in Canonem.* Cord. *in suo q. theol. lib.* 1. *q.* 3. *ante opinionem primam versu dico regulariter, pag. mihi* 44. Suar. *tom.* 3 *in* 3. *par. disp.* 79. *sect* 9. *quæsit* 1. Rodrig. 1. *p. sum cap.* 24. *concl.* 10. Petr. Ledesma 1. *part sum. de Sacr. Eucharist. cap.* 18 *concl.* 18. *pag. mihi* 177. Betarducius 4. *part. summa, tract. de Sacr. Missæ, pag. mihi* 104. Filiuccius *tract.* 5. *de Eucharist. cap.* 3. *num.* 76.

Respondeo cum Suario, Ledesma, sacrificium operari iuxta intentionem meam, non iuxta intentionem superioris præcipientis, Henriq. *lib.* 9. *c.* 2. §. 6. vbi *in com. lit. H.* multos citat.

Probatur primò, quia sicut in administratione sacramentorum Sacerdos operatur, vt Ministri Christi; Ita & in oblatione huius sacrificij, ergo sicut in administratione sacramenti, intentio debet esse propria, & personalis, sic & in oblatione, & applicatione huius sacrificij, in qua Sacerdos ita se gerit, vt habens immediatè à Deo potestatem, & vices eius, propter quod, intentio Sacerdotis, & Christi vna esse censetur; ergo quoad hoc, intentio Sacerdotis, non subditur intentioni Ecclesiæ, vel alterius superioris, vt per illam irritari possit, quod exemplo sacramentorum potest declarari; si enim superior præcipiat, vt non baptizem, vel baptizem hunc, & non illum, vel vt non absoluam (modo iurisdictionem non auferat) nihilominus si faciam factum tenet, ita in hoc casu.

Secundò probatur, quia Sacerdos habet potestatem offerendi corpus, & sanguinem Domini in sacrificium patri immediatè à Deo per ordinationem Episcopi.

Peccabit tamen Religiosus contra obedientiæ votum, & mortaliter in re graui, superiori, cui incumbit onus satisfaciendi pro Eleemosynis Missarum receptis, non obtemperans, & tenebitur altera die (si sine obligatione celebrabit) superioris voluntatem explere, nisi constaret, occasionem talis præcepti omnino cessasse. Potest itaque superior præcipere subdito, & iste obedire tenetur, vt sacrum faciat, & pro tali faciat; at illius intentionem nequaquam potest irritare, nec facere, vt si iste velit alteri applicare, non applicet, & cui applicauerit, non prosit; quia hic operatur, vt minister Christi, & hoc sacrificium operatur ex opere operato.

Si quæras, an idem dicendum sit de aliis Precibus, verbi gratia, Officio Defunctorum, B. Mariæ, septem Psalmis, &c. præceptis à Prælato pro satisfactione alicuius signatæ personæ, & pro alia applicatis.

Respondeo non esse parem casum; nam ideò diximus, nunc valorem Missæ proficere, iuxta intentionem celebrantis, quia hic operatur, vt minister Christi, & sacrificium illud ex meritis Christi operatur, vnde quoad istum valorem ex opere operato, parum refert, sit ne minister in gratia, vel non; hoc tamen casu totus valor operis pendet ex operante, qui cùm, vt supponimus, sit inobediens, propter superioris præceptum non obseruatum, & per consequens non sit in gratia, opus illud nullum habebit valorem (nisi fortè opera essent ex illis à Christo, vel Ecclesia institutis) vt Pater noster, horæ canonicæ, &c. quia tunc secundum aliquos operantur etiam aliquid ex opere operato, ob virtutem eis inhærentem ex institutione Dei, vel ipsius Ecclesiæ vniuersalis, vt habet Nauar. *de horis canonicis c.* 19. *n.* 59. *&* 62. *& c.* 20. *n.* 39. vel etiam possumus dicere, quod hæc opera valeant tanquam facta ab Ecclesiæ ministro, vt Nau. *loc. cit.*

Et ideò cùm nullum habeat valorem, & sit penitus demortuum, non poterit proficere quoad satisfactionem, nec personæ operanti, vel cui ipse dabit; nec personæ, cui applicauit superior. Ita Suarez *to.* 4. *in* 3. *part. disp.* 55. *sect.* 5. *n.* 10. videri potest Nauarrus *tom.* 4. *Miscell.* 11. *de orat. n.* 9. Miranda *to.* 2. *Manualis præl. q.* 50. *art.* 5. & alij, quos citat.

Sed quid, inquies, si subditus priuatim operans, indigeat operibus ipsis, poterit-ne Prælatus ea applicare in satisfactionem aliorum, ipso subdito operante, contradicente, renuente? Videatur Scotus *quodlib.* 20. Suarez *loc. cit. nu.* 8. Sotus *in* 4. *dist.* 21 *q.* 1. *art.* 4. *fine.* Nauar. & Miranda *loc. cit.* Cordub. *in suo quæst. theol. lib.* 5. *de indulg. q.* 42. *art.* 5. *punct* 3. *à dicto* 1. Vide Henriq. *lib.* 7. *cap.* 31. §. *in com. lit. Z.* Valent. *tom.* 4. *disp.* 7. *q.* 20. *p.* 3. *col.* 8. *versu, ac notat etiam.* Sorbus *in comp. ver. Indul. quoad Seculares* 4. *versu secundo dicitur pag. mihi* 305.

Respondeo, probabilius videtur, & rationi conformius, quod, me indigente, nullo casu possit Prælatus contra meam voluntatem opera mea, pro aliis in satisfactionem offerre. Ita Scotus *quodlib.* 20. & Nugnus *in addit. ad* 3. *partem, quæst.* 26 *art.* 1. *conclus.* 6.

Probatur primò, quia opus satisfactorium est necessarium mihi ad ingrediendum vitam æternam, ergo si indigeam, nec debeo, nec possum tanto bono priuari.

Secundò, quia Charitas incipit à se ipso; & crudelitas est, vt dicitur *leg.* 2. *Cod. de seru. & aqua,* vt aqua nata in vno agro, sitiente illo, rigetur alius.

Tertiò. Quis dicet, si debeam vni centum, eaque soluenda in promptu habeam, posse me obligari ad ea soluenda pro amico? & si carcere detentus sim, & possim egredi data satisfactione, quis me obligare poterit ad ibi manendum, vt exeat amicus mediante mea satisfactione.

Quartò. Quia pœna debita peccatis est necessariò soluenda, vel hic, vel in Purgatorio, & quis est? qui possit me obligare ad pœnas illas terribiles subeundas? cum possim istis leuioribus soluere?

Neque vrgent rationes in contrarium Nauarri, & Soti, id posse Prælatum in aliquo casu particulari concedentium, non Nauarri, in quantum dicit, quod Religiosi non habent proprium; nam fallit in multis, vt ex ipsomet dicam infra; & patet, quia, vt diximus, in his debitis, quæ pertinent ad naturam, vt comedere, dormire, &c. Obedire non teneor: quoad prohibitionem simpliciter, licet tenear, quoad modum, & quantitatem, ergo similiter in his, quæ pertinent ad animam obedire non tenebor, cùm simpliciter indiguero: sicut enim præcipiente Prælato ne dormiam, verbi gratia, si somno simpliciter indigeo pro sustentatione corporis, non teneor obedire: ita præcipiente, vt satisfaciam pro alio: cùm simpliciter indigeo, satisfactoriis illis operibus, obedire non tenebor.

Neque etiam vrget ratio Soti. Subditus potest se his satisfactionibus voluntariè priuare, eas alij ex charitate tribuendo; ergo, & illo inuito, potest Prælatus eas alij applicare. Quia cùm valor moralis istorum operum satisfactoriorum, pendeat intrinsecè ex intentione operantis potest operans pro suo libito se illo valore priuare, & donare cuicumque placuerit: etiamsi certus sit, se soluturum consimilem satisfactionem in Purgatorio: cùm dominus sit huiusmodi valoris: at illo priuari inuitus nequaquam potest.

Ad illud etiam, quod dicitur, posse Prælatum præcipere subdito eleemosynam. Respondeo, posse quidem de superfluis, sed non de omninò necessariis: si enim mihi fame laboranti, & habenti vnde expellam, præcipiat Prælatus, illud dare pauperi, similiter indigenti, puto quòd nullus me obligabit ad obediendum. Propter quę facta est mihi probabilissima hęc sententia, licet contraria,

traria, tum propter auctoritatem Doctorum, tum propter rationes, probabilis sit etiam censenda.

Ad extremum noto, hæc intelligi de bonis Subditorum, quoad vim satisfactoriam, nam quantum attinet ad vim meritoriam de congruo, omnia bona cuiuscumque Subditi, & Congregationis, tàm in particulari, quàm in communi facta, possunt Prælati, quibus voluerint applicare: quia io boc oollum fit præiudicium Subditis: Imò ex hoc fit melior conditio operantis ex multitudine participantium. Videatur Cord. *loco cit. dicto* 8. *versu quoad vim*, Sorbo *in comp.*

Faciles tamen debent esse Subditi in talibus satisfactionibus ad præceptum Prælati concedendis, & applicandis: cùm oecessitas, præsertim alterius confratris, vel deuoti alicuius particularis Ordinis, id postulare cognouerint: quia tunc acquirunt meritum charitatis, & eleemosynæ.

CAPVT VII.

Vtrum Subditus teneatur obedire Prælato, dubitans esse contra Deum, vel Ecclesiam, vel Regulam, vel alterius Superioris, Præceptum id quod præcipitur.

RОdriguez *tom.* 3. *q. Regul. q.* 19. *art.* 6. & Miranda *Manuali præl. tom.* 1. *q.* 16. *art.* 5. citant pro hoc capite D. Th. *in* 4. *dist.* 19. *q.* 4. sed perperam Diuoa enim Thomas nec ibi, nec alibi, quod viderim de hoc puncto tractat. Citatur etiam à Syluest. *nullo loco particulari assignato, verbo obedientia q.* 2. Facit tamen D. Th. 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. *ad* 2. & de illo agunt expressè Rodrig. Miranda, & Syluester *locis citatis*, & prætereà Syluester *verbo bellum quæst.* 9. *concl.* 3. Raymundus *in sum. lib.* 3. *de sent. præcepti de sin. & excommun.* §. 2. Innocentius *in capite sicut el* 3. *de iureiur. nu.* 1. Panorm. *ibi num.* 16. Tost. *in primum Paralip. cap.* 21. *quæst.* 9. Hostiensis *in summ. de Maioritate, & Obed. lib.* 1. *num.* 6. Bonauent. *in* 2. *distinct.* 39. *art.* 1. *q.* 3. *ad vltimum*, Antonin. 3. *part. tit.* 16. *cap.* 1. §. 9. *versu* 2. *modo* Rosella *verbo bellum num* 4. Angelus *verbo Religiosus num.* 29, *& verbo Obedientia num.* 6. Tabiena *verbo Bellum quæst.* 11. *num.* 14. Armilla *verbo Obedientia num.* 4. Pisanella *verbo Obedientia* 1. §. *Quod si dubitat*, Cajetanus 2. 2. *q.* 169. *art.* 2. *circa solutionem ad* 4. *in dub.* 2. Nauarrus *in summ. cap.* 23. *nu.* 37. Valent. *tom.* 3. *disp.* 3. *quæst.* 16. *puncto* 2. *col.* 5. *versu* 6. *Certum est*, Ledesma 2. *parte summa tract.* 3. *cap.* 13. *conclus.* 19. Carraria *q.* 4. *art.* 4. *de Regulis iuris*. Vasquez 1. 2. *disp.* 66. *cap.* 9. Salas *de legibus tract.* 14. *disp.* 1. *sect.* 9. *n.* 58. Saytus *in Claui Regia lib.* 1. *c.* 13. *n.* 37. Toletus *in summ. lib.* 8. *cap.* 15. Sà *in Aphorismis verbo Obedientia*, Graffius 1. *parte decis. lib.* 2. *cap.* 68. *num.* 16. Sanch. *lib.* 6. *in Decalog. c.* 3. *n.* 3. qoi multos alios citat.

Noto primò, quòd dubium potest oriri ex triplici capite, primo ex parte solius præcepti, quando nimirum certum est de auctoritate præcipientis, & de honestate rei præceptæ, sed dubitatur, an præcepta sit necoe. Secundum dubium potest oriri ex parte rei præceptæ, quando nimirum constat de auctoritate præcipientis, sed dubitatur, an res præcepta sit contrà Deum, Ecclesiam, sit contra, præter, vel suprà Regulã. Tertiò potest oriri dubium ex parte Prælationis, quia scilicet dubitatur de legitima illius Superioris potestate, v. g. an fuerit ritè electus, vel confirmatus: an sit Superior huius, cui aliquid præcipitur, de quibus omnibus tractandum *hoc capite*.

Noto secundò, dupliciter potest Sobditus de re aliqua dubitare, speculatiuè, & practicè, speculatiuè cum de re præcepta in communi dubitatur, an sit illicita, necne, practicè, cum dubitatur, an hic, & nunc in re hac de qua dubitat, an sit illicita, oecne, licitum sit parere seu an in tali suo dubio, vel tali dubio permanente licitum sit parere. Ita dubium practicum, & speculatiuum declarant Valent. *tom.* 3. *disp.* 3. *quæst.* 16. *punct.* 2. *versu ita docent omnes*, Sanch. *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 3. *n.* 12. Floronus *part.* 1. *de cas. reseru. cap.* 5. *à num.* 20.

Dico primò io dubio, an sit positum aliquod præceptum obligans ad mortale, ad faciendam, vel non faciendam aliquam rem, & facta sufficienti diligentia, res adhuc dubia manet, Subditus tenetur ad obseruationem præcepti, Rosella *verbo Dubia num. vnico*, Armilla *verbo Dubitatio num.* 23. Tabiena *verbo Dubium num.* 3. *q.* 2. Angelus *verbo Dubium num.* 1. & 2. Syluest. *verbo Dubium q.* 2. *n.* 4. Vasq. 1. 2. *disp.* 65. *tot. cap.* 3. *& disp.* 66. *cap.* 1. *initio*, Salas 1. 2. *q.* 21. *tract.* 8. *disp. vnic. sect.* 25. *num* 258. & alij quos citat, Sanchez *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 10. *num.* 10. *licet non eos seq. num.* 32.

Probatur, quia io dubiis tutior pars est eligenda, vt dicitur *in cap. ad audientiam, & cap. signific. el* 2. *verbo quod si discernè, & cap. penult. de homicid. & cap. iuuenis de sponsal. & matrim.* Quibus capitibus decernitur, quod in dubiis semper tenendum est illud, quod est securiùs. & certiùs.

Secundò probatur, ex August. *Hom.* 41. & refertur *cap. Si quis autem in fine de Pœnitentia d.* 7. vbi ait *tene certum, & dimitte incertum.*

Tertiò, quia tunc Subditus faciendo contra illud, de quo dubitat, an positum sit aliquod præceptum ad mortale obligans, exponit se periculo peccandi mortaliter, & per consequens mortaliter peccat, *qui enim amat periculum, in illo peribit.*

Dico secundò io dubiis, an res præcepta licita sit, necne, Subditus tenetur Superiori parere, modo res præcepta non sit iis, in quibus ignorantia non excusat, vt articuli fidei: præcepta decalogi: vota solemnia, &c. Ita omnes ferè Doctores citati in principio huius capitis, quos, & alios multos refert, & sequitur Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 3. *num.* 3.

Probatur primò, *ex c. quid ergo* 11. *q.* 3. *& c. quid culpatur* 23. *q.* 1. quibus determinatur, quod *in dubiis Superiori parendum*, & ad id adducuntur à Doctoribus, præsertim Panorm. *c. sicut el* 3. *de iureiur. num.* 16.

Secuodò probatur, ex scriptura Deut. 17. vbi dicitur, *si difficile, & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, venies ad Sacerdotes, & facies quæcumque dixerint, qui præsunt.*

Tertiò probatur, ex patribus Aug. *lib.* 22. contra Faustum *cap.* 75. vbi ait, *vir iustus, si fortè sub Rege homine, etiam sacrilego militet, rectè potest, illo iubente bellare, ciuica pacis ordinem seruans, cum quod iubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel vtrum sit, certum non est* (nempè etiam, cum de hoc dubitatur) *ita vt fortasse reum Regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo seruiendi.* Ber. lib. de dispens. & præcepto io principio, *quamobrem, ait quicquid vice Dei præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secus omnino accipiendum est, quam si præcipiat Deus*, & infrà, *ipsum, proinde quem pro Deo habemus, tanquam Deum, in his, quæ apertè non sunt contra Deum, audire debemus*: vbi nota illud apertè: si enim non sunt apertè contra Deum, sed sit aliqua dubietas, obedire tenemur, *neque dicas*, sequitur Bern. *Quod homines possunt falli: quid hoc tua refert, qui conscius non es, præsertim cum teneas de scripturis quia labia Sacerdotis custodiunt scientiam & legem ex ore eius requirunt, quia Angelus Domini exercituum est.*

Quartò, qoia hæc pars tutior est, quæ pars tutior sequenda est, vt diximus in præcedenti. Tutiorem enim reddit Christus Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit*, & Matth. 23. *Omnia quæcunque dixerint vobis, seruate, & facite.* Et ad Coloss. 3. ait Paulus, *Filij obedire paren-*

tibus per omnia. Et ad Hebr. 13. *Filij obedite præpositis vestris, & subiacete eis.*

Intelligenda tamen hæc conclusio de dubio speculatiuo, nam cum dubio practico, parere nefas est, quia igitur contra conscientiæ practicæ dictamen, quod nullo casu licitum est, quia contemnitur Deus, & quantum est ex parte operantis offenditur; Quòd tamen dubium practicum, accedente Superioris præcepto, deponendum est, tanquam à conscientia erronea procedens, quia adest iusta deponendi causa, & operandum, vt id dubium transeat in solùm speculatiuum, an res sit licita, necne, credendo ob præceptum Superioris, non tantùm licere in eo euentu obedire, sed etiam teneri. Ita Bonauent. *in 2. d. 39 art. 1. q. 3.* Sayrus *in Claui Regia lib. 1. cap. 13. n. 39.* Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 3. n. 12.*

Vnde colligitur, quòd quando valetudinarius, aut alio impedimẽto laborans dubius est, an teneatur ieiunare, abstinere à carnibus, officiũ diuinũ persoluere, &c. tenetur obedire Prælato præcipienti ne ieiunet: aut ne officium persoluat, aut carnibus vescatur. Sic Salas 2. 2. *qu. 21. tract. 8 disp. 11. sect. 17. n. 155.* Sanch. *lib. 6. in Decalogum cap. 3. num. 10.* Azor. *to. 1. instit. moral. c. 19. q. 9.*

Dico tertiò: Quando Subditus scit, aut valdè dubitat esse peccatum id quod præcipitur, & certus est, se non peccare non parendo, quia res præcepta excedit limites illius potestatis, siue dubitet speculatiuè, an res sit illicita, siue practicè, an obediendo peccet, tenetur non obedire; exemplificat. Rodriguez, si in Religione minorum Prælatus Subdito præcipiat accipere pecuniam in casu, quo rationabiliter Subditus putat se peccare mortaliter, sic accipiendo; quia Prælatus ille in eo dispensare non potest, tunc dico, quod ille Subditus accipiendo mortaliter peccat. Ita Rodrig. *tom. 3. quæst. regul. q. 19. art. 5.* Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 3. n. 14.* Salas *de legibus tract. 8. disp. vnica sect. 17. num. 156.*

Probatur, quia nullum Superioris præceptum eximit hominem ab obseruatione iuris diuini, vel naturalis: sed agere contra conscientiam valdè dubiam peccati mortalis, est & lege diuina prohibitum. Ecclesiast. 3. *Qui amat periculum peribit in illo*, & lege naturali, quæ dictat, *Quod quandocumque duo aliqua fuerint valdè sibimetipsis similia, & non poterimus præeminentiam aliquam conspicere alterius ad alterum, videndum ex his, quæ sequuntur, nam cum consequens est maius bonum, hoc eligibilius, si autem sint consequentia mala, consequens minus malum hoc eligibilius.* Ita Aristoteles *3. topic. cap. 2.* ex quo probatur, quòd semper maius bonum, vel minus malum est eligendum, at in casu posito maius bonum est facere illud, quod certo scitur esse bonum, quàm illud de quo valdè dubitatur, quòd sit malum, ergò. Nam si certo sciatur, quod sit malum, & bonum sit illius contrarium, supponit tanquam lumine naturæ notum Aristoteles *loc. cit. cap. 1.* quod bonum sit eligendum, & fugiendum malum.

Secundo probatur, quia tunc Subditus absque rationabili causa exponeret se periculo peccandi, nec subest ei aliqua causa rationabilis dubietatem deponendi.

Dico quartò. Quando constat, rem præceptam esse licitam, & tamen dubitatur, an excedat Regulam, & limites potestatis Superioris, tunc Subditus obedire tenetur. Ita tenentur fateri omnes Doctores citati in principio, & expressè habet Sanch. *lib. 6. in Decal. cap. 3. n. 4.* Miranda *Manuali prel. tom. 1 quæst. 26. art. 6.* Rodriguez *tom. 3. quæst. Regul. quæst. 19. art. 4.*

Probatur, quia in dubiis, vt dixi, parendum, nec de qualibet re præcepta ratio inuestiganda, quia sic durissima esset Prælatorum conditio: & pessimus Subditorum status, vt qui non Superiori, sed rationi ad suum accommodatæ iudicium parerent: & abnegatio propriæ voluntatis, in qua Religionis perfectio consistit, iuxta illud Lucæ 9. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum*, & ad Coloss. 3. *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo*, penitùs rueret. Itaque non est necessarium ad hoc vt Subditus teneatur obedire, vt videat, & intelligat esse bonum, & contentum intra limites auctoritatis Superioris, sed satis est, vt ipse non sciat euidenter esse malum, & extra eos limites. Ita August. relatus *cap. Quid culpatur 23. quæst. 1.* Cajetanus *in summa verbo bellum*, ibi Armilla *num. quarto*, Sylu. *verbo conscientia quæst. vlt.* ibi Rosella *cum. penultimo*, Angelus *num. 2.* Tabiena *q. 2. num. 4.* Valent. *tom. 3. disp. 7. quæst. 3. punct. 2. col. 2. Corollar. 1.* Sanch. *ibid. 6. in Decalogum cap. 3. num. 5.*

Obediendum igitur in dubio de potestate Prælati: nisi vergat in detrimentum tertij, aut honoris, vel famæ propriæ, vt limitant Rodriguez, & Miranda *locis proximè citatis*, Sayrus *lib. 1. clau. Reg. cap. 13. num. 40.* & Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 3. n. 24.* Ledesma *de statu Religiosorum in communi, cap. 4. conclus. 8. dubit. 4. pag. mihi, 144.* vnde in dubio, an reus, aut testis interrogetur iuridicè, non est obediendum Iudici. Ita Cajet. *2. 2. q. 69. art. 1.* Rodrig. *loc. cit.* & Sanchez plurimos alios citans, quia nemo tenetur parere cum graui suo, vel alterius incommodo, nisi constet, Superiorẽ legitimè præcipere, & habere auctoritatem tunc præcipiendi.

Ad euitandum tamen scandalum, quando constat de bonitate rei præceptæ, dubitatur tamen de potestate Prælati, tenetur Subditus obedire etiam cum suo corporali incommodo. Ita D. Thom. *1. 2. q. 96. artic. 4.* Panormit. *in cap. Canonum de constit. num. 9.* Salas 1. 2. *quæst 90. tract. 14. disp. 1. sect. 9. num. 59.* iuxta illud ait D Thom. Matth. 5. *Qui angariauerit te mille passus, vade cum eo, & alia duo, & qui abstulerit tibi tunicam, da ei & pallium*, & habetur expressè *in Extrau. Ioann.* 22. quorundam de verborum significatione, §. 1. vbi glossa *verbo scandalum*, quia ob vitandum scandalum, tenetur quilibet Subditus iuri suo cedere, iuxta illud primæ ad Corinth. 8. *Si esca scandalizat fratrem meum: non manducabo carnes in æternum.*

Sicut è contra licèt Subditis obedientiam omittere ad vitandum scandalum, non solum quando Superior præcipit aliquid iniquum, sed etiam cum præcipit aliquid iustũ. Ita Abb. *c. 1. de elect. n. 7.* Graffius *par. 1. decis. lib. 2. c. 68. n. 14.* Regin. *lib. 17. praxis n. 237.* Angelus *verbo obedientia n. 2.* Primo probatur *ex cap. cum teneamur de prabendis*, vbi solam rationem scandali censet sufficere Pontifex, adhoc vt eius literis non obtemperetur.

Secundo. Quia lex de vitando scandalo Præpondera legi de obediendo Prælato. Vnde non licet Prælam præcipere his verbis, Præcipio tibi hoc, non obstante quocũque scandalo, vt bene Graff. *loc. cit. n. 15.* & Rosel. *verbo adulterium, §. 1.* Hoc enim est contra charitatem, quæ debet esse finis præcepti, vt dicitur 1. *ad Timoth. 1.*

Multi autem sunt casus, quibus potest Prælatus licitum iniustè præcipere. Primò quando re vera non est Superior, sed intrusus, quod est certum apud omnes. Secundò quando, licet sit Superior respectu aliarum personarum, vel aliorum casuum, non est tamen Superior respectu mei, quippè qui Superioris auctoritate ab illius sum potestate exemptus. Neque respectu huius casus, puta actus interni, vt dixi. Tertiò, quando sine causa vellet rebus ad meum vsum concessis ab ipsomet, & ab Superioribus, ex odio, aut auaritia, me spoliare, vt ea sibi attribueret, vel alio distraheret, vt Rosella *verbo adulterium, §. primo*, Angelus *verbo Obedientia numero nono, & ibidem num. 2.* Tabiena *eodem num. 6.* Panorm. *in cap. Inquisitioni de sententia excomm. nu. 5.* & alij communiter. Similiter etiamsi id faciat animo me reformandi: quia Prælatus non potest præcipere vni Monacho, vt reformetur, nisi reformentur alij, vt habet Zerola *in praxi part. 2. de Reform.* Quartò, quando in distributione onerum non seruat iustitiam distributiuam: sed partialiter me vtitur ad quotidie baiulandum, aliis in suis cellis concedentibus (cæteris tamen paribus.)

paribus) Quinto. Quando præcipit rem mortaliter impossibilem, vt puta, mihi hodie pro die crastina concionem indicit extraordinariam, quam in promptu non habeo. Sexto, quia præcipit id, quod est inutile ad bonum commune, vt bene Salas *loc. cit.*

Et an Papæ eodem modo iubenti teneamur obedire decidit Panorm. *loco citato*, sed quid faciendum hoc casu. Si Prælatus licitum iniustè præcipiat sub pœna excommunicationis, & de facto me excommunicet cum sententia excommunicationis siue iusta, siue iniusta timenda sit, *cap.1. 11. q. 3. cap. per tuas, cap. Sacro, de senent. excommun.* Respondet Panorm. *loc. cit.* Tunc accedendum ad Superiorem, qui Superior faciet, prout deciditur *dicto cap. Sacro.* Sed quid de Consulente hoc casu non obedire, sed accedere ad Superiorem, incurret ne excommunicationem, *cap. Nuper de sentent. excommunicat.* quia nimirum participauerit eum excommunicatio in crimioe criminoso, ait Panorm. quod non incurret, quia non participat in crimine, cum illud non sit crimen, & sic limitat dictum *cap. Nuper.*

Nec item Subditus dubius de potestate Prælati teneretur statim obedire, si illi præciperetur res valdè difficilis, aut nimis molesta, vt longa abstinentia: longum iter, vel aliud opus valdè austerum, sed posset rem maturius discutere, & quovsque sibi non constaret de honestate rei præcepræ, & quod intra limites auctoritatis Superioris contineretur, executionem differre. Ita Rodriguez *tom. 3. quæst. Regal. q. 19. art.* 4. Ludouicus Lopez *1. part. instruct. cap. 56. versu sic etiam.* Sanch. *lib. 6. in Decalog. cap. 3. num.* 23. Sayrus *lib. 1. Clau. Reg. cap. 13. num.* 40. Reginaldus *lib.17. praxis num.* 233. Sed quid iubet Prælatus rem iniustam coram Communitate, murmurat Subditus, dicens tale mandatum esse iniustum; Præcipit Prælatus in virtute Obedientiæ, vt taceat, tenetur-ne Subditus tacere. Puto, quod tacere teneatur sub mortali: nam ad disciplinam, & obseruantiam Regularem pertinet, vt res communitatis sine strepitu, & rumore, imò cum pace, & quiete in publico tractentur, quo eodem modo teneretur tacere ille, qui ad immundum illum, cui fuisset aliquid iniustum impositum in Communitate, insurgeret dicens, tale quid non posse præcipi à Prælato. Secus autem esset, si id iniquum præciperet Prælatus in secreto; nam tunc posset iussus suam vexationem humiliter redimendo replicare. Et id similiter posset Amicus, qui eum adiuuare vellet, quilibet enim tenetur amicum oppressum defendere, *cap. Dilecto, de sent. excommun. in 6.* Ita Rodrig. *tom. 2. sum. cap. 9. num.* 1. Fernand. 4. *part. sui exam. cap.* 16. §. 4. *num.* 8.

Dico quinto. Si Subditus dubitat de auctoritate Superioris, an scilicet sit legitimè electus, vel confirmatus, si Superior sit in pacifica possessione sui officij, & licita; & non excedentia limites suæ auctoritatis præcipit, obedire tenetur. Quia cum vni Prælato obedire teneatur, nec alius sit in possessione Prælaturæ, præter istum, non est, cur ei non teneatur obedire, & discutere, an sit legitimè electus, vel confirmatus, non ad Subditum, sed ad alium maiorem Superiorem pertinet. Præterea semper melior est conditio possidentis. Si verò ille, de quo dubitat, an sit suus legitimus Superior, non esset in possessione non ei teneretur obedire, quia cum non est in possessione, nullam habet iurisdictionem. Ita ferè Sanchez *lic. 6. in Decalog. cap. 3. n. 29. & 30.*

§. Vnicus,

Cui-nam ex duobus Prælatis diuersa præcipientibus teneatur Subditus Obedire.

DIco primo. Si Prælati sint diuersæ auctoritatis, maiori semper est obediendum, quando scilicet minor à maiori dependet: v.g. Generali omisso Prouinciali, & huic omisso Correctore. Ita Hostiensis *in summ. de maioritate, & obedientia num.*6. Raymund. *lib. 3. summ. de sen. precep. def. num.* 4. Sylu. *verbo Obedientia nu.* 10. Toler. *lib. 8. cap. 5. num.* 9. Reginaldus *lib. 18. praxis num. 394. & lib.17. n.* 236. Probatur *ex cap. qui resistit* 11. *q.* 3. vbi determinatur, maiori semper esse parendum, vide Nauarr. *com. tert. de Regular. num. 12. ad 6.*

Dico secundo. Si Prælati sunt pares in auctoritate (quod tamen rarò potest accidere in Religione) tunc parendum vel ei, qui præcipit in ordine ad nobiliorem finem: vel ei, qui primo præcipit, vel si cætera sint paria, ei cui voluerit gratificari. Ita Doctores citati.

Dico tertio. Si Subditi sint diuisi, & Superiores duo, tunc Subditus, qui de vtroque dubitaret, vel nollet, vel non posset pro sua intelligentia discutere, quinam esset legitimus, nulli, vt puto, teneretur obedire, quovsque inter se conuenirent; posset tamen ei obedire, quem legitimè iudicaret electum, vel quem meliores, & doctiores pro suo Prælato tenerent.

Dico quarto. Si Iudices sint delegati, & Subditus nescit, inter eos aliquam esse controuersiam, exequatur mandatum primo mandantis; etsi ante executionem innotescat ei de disceptatione, petat copiam literarum patentium, & obediat ei, qui vltimas habet, quòd si hoc discutere non potest, nemini parere cogitur, quovsque per arbitros electos ad hoc controuersia sopiatur, Ita Syluester *loc. cit.*

CAPVT VIII.

Vtrum Subditus teneatur obedire Prælato præcipienti aliquid Contrà, Suprà, Præter, aut infrà Regulam.

PRo hoc capite videri potest D. Thom. 2.2. q.104. *art. 5. ad 3. & quodlib. 10. art. 10. & in 2. dist. 44. q. 2. art.* 3. Armilla, *verb. obedientia* 4. Raymund. *in sum. lib. 1. tit. de transgressione voti* §. 17. Tabiena *eodem nu.* 5. Angelus *verbo Religiosus num.* 29. Rosella *verb. obedientia num.* 10. Antoninus 3. *part. tit. 6. cap* 1. §. 9. *vers. a. modo.* Nauarrus *in summ. cap. 23. num.* 39. Syluest. *verbo Religio 6. q. 6.* Rodrig. *tom. 3. q. Regul. q. 19. art.* 3. Valentia *tom. 3. disp. 10. quæst. 3. punct. 2. fine, & quæst. 4. part. 3. col. 3. versu Neque vero*, Azorius *tom. 1. instit. moral. lib. 13. cap. 11. q.* 19. Reginaldus *in praxi lib. 18. num.* 395. Miranda *tom. 1. Manual. prel. q. 26. art. 8. 9. &* 10. Sanch. *lib. 6. in Decalog. cap. 2. per totum* Lessius *libro secundo, de iustit. cap. 41. dub. 9. num. 76. & 77.* Toletus *in summ. lib. 8. cap.* 16. Salas *de legibus tract. 14. disp. 8. sect.* 12.

Notandum, quòd potest Prælatus quinque modis aliquid suis Subditis præcipere. Primò secundum Regulam. Secundò suprà Regulam. Tertiò contrà Regulam. Quartò præter Regulam. Quintò infrà Regulam. Primò modo præcipit Prælatus secundum Regulam, quando aliquid præcipit contentum in Regula; In qua aliquid contineri dicitur dupliciter, vt ait D. Th. *quodlib.* 10 *art. 10. & in 2. dist. 44. quæst. 2 art.* 3. Cajet. 2. 2. *q.* 88. *art.* 8. *dub. vlt. versu ad primum dicitur*, Sanchez & alij quos citat *lib 6. in Decalog. cap. 2. n.* 9.

Primò expressè & directè; & sunt ea, quæ in Regulæ statutis continentur, secundò indirectè, & implicitè, & sunt ea, quæ licèt in Regula non exprimantur explicitè: exprimuntur tamen implicitè tanquam necessaria ad Regulam seruandam, vt sunt mutua obsequia, charitatis officia; ordinis negotia, & cætera, quæ pertinent ad pœnæ inflictionem propter Regulæ transgressionem, exempla sunt facilia. In Regula Minimorum, v. g. explicitè continetur obseruatio silentij, illud omne, quod erit necessarium ad obseruationem silentij, dicetur in illa implicitè contineri.

Secundò modo, potest Prælatus aliquid præcipere Subditis, quod sit suprà ipsorum Regulas, quia nimirum limites excedit Regulæ, vt v. g. ire ad infideles, vbi manifestum est periculum mortis, vel seruitutis: ieiunare longo tempore: abstinere à carnibus ad vnum mensem, quando Regula non præscribit, &c. nisi hæc imponantur in iustam pœnam alicuius criminis: vel putentur necessaria cum aliquo ad seruanda vota, quia tunc non sunt suprà Regulam, sed secundùm illam, licèt non explicitè, sed implicitè, vt bene Corduba *in Regula S. Francisci cap* 10. q. 2. Syluest. *Religio 6. quæst. 6*, Lessius *lib. 2. cap. 41. dub. 9. nu* 77. *versu Illic tamen duo*, Antoninus 3 *part. tit.* 16. *cap.* 1. §. 9. *verbo secundo modo*.

Tertiò modò, potest Prælatus aliquid præcipere Subditis, quod sit contrà ipsorum Regulas, verbi gratia, quòd loquatur tempore silentij: quod comedat tempore ieiunij.

Quartò modò, potest Prælatus aliqua præcipere Subditis, quæ sint præter ipsorum Regulas, quæ alio nomine vocant Doctores indifferentia, quæ indifferentia secundum D. Thom. *quodlib.* 10. *art.* 10. sunt in duplici differentia, primo dicuntur indifferentia, seù præter Regulam, quæ nullo modo pertinent ad Regulam, vt leuare festucam, tollere palleas de terra, aspicere aues volantes. Secundò, quæ pertinent ad obsequium fraternæ societatis, vel punitionem culparum, &c.

Quintò modò, potest aliquid Prælatus præcipere Subdito, quod sit infrà ipsius Regulam, idest laxius quàm Regula præscribat, quod potest etiam contingere dupliciter: aut enim nulla ratione nititur, quòd iubetur: aut subest aliqua ratio iubendi, verbi gratia, Præscribit Regula vnam horam singulis diebus orationis mentalis, coarctat Prælatus ad horam mediam, dico quod ista contractio potest dupliciter contingere: primo quia aliqua subsit ratio puta debilitas Subditi, longius iter factum, vel faciendum, inusitatior labor: secundo sine ratione, & pro suo libito.

Dico primo, Præcipienti Prælato aliquid secundum Regulam siue explicitè, siue implicitè, Subditus tenetur simpliciter obedire, est communis omnium Doctorum opinio cum D. Th. 2. 2. *q.* 104. *art.* 5. *ad* 3. *& quodlib.* 10. *art.* 10. *corpore, & in* 2. *distinct.* 44. *quæst.* 2. *art.* 3. vbi Bonauent. *art.* 3. *quæst.* 2. Probatur, quia ad id se adstrinxit per obedientiæ votum.

Dico secundo, Superiori præcipienti aliquid supra Regulam Subditus non tenetur obedire, nisi forsan imponatur in pœnam alicuius delicti, vel sit necessarium ad seruanda vota. Ita D. Thom. *locis proximè citatis*, Antoninus 3 *parte, titul.* 16. §. 9. Rosella *verbo obedientia num.* 10. Angelus *verbo Religiosus num.* 29. Sylu. *verbo Religio 6. quæst. 6.* Tabiena *verbo Obedientia quæst.* 5. *num.* 6. Ibi Armilla *num.* 4. Cajetanus 2. 2. *q.* 88. *art.* 8. *dub. vlt. versu ad primum dicitur*, Sotus *lib. 7. de iustit. quæst* 3 *art.* 1. *dub* 2. *versu in secundo ordine*, Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap.* 2. *num.* 15. Nauarr. *com.* 4. *de Regul. num.* 21. & alij, quos citaui in principio huius capitis:

Probatur primo, quia subiugatio propriæ voluntatis in voluntate Superioris est omnino libera, & voluntaria, sub certis tamen liminibus, & finibus, Regulæ nimirum professæ, ad quam profitendam; antequam profiteretur, nullo iure, vel lege cogi poterat Subditus, vt habet D. Th. *quodlib.* 3. *art.* 13. ergo neque cogi potest, postquam est professus ad obseruandum aliquid, quamuis optimum, quod excedat priorem illam, & spontaneam suam obligationem, quia sic exigeretur ab illo plusquàm soluere promisisset, quòd est contra Iustitiam.

Secundò probatur, quia Superior est custos Regulæ, non Dominus, Minister, non auctor, & potestas, quam habet in Subditos limitata est, iuxta terminos, & mensuram Regulæ, ergo illi non licèt terminos illos excedere, nec tenetur excedenti Subditus obedire.

Tertio probatur, ex Bernard. *de dispensat. & præcepto*, vbi ait *Prælati iussio, vel prohibitio, non prætereat terminos professionis, nec vltrà extendi potest, nec contrahi citra. Nihil me Prælatus prohibeat horum, quæ promisi, nec plus exigat, quam promisi. Vota mea nec augeat sine voluntate mea, nec minuat sine certa necessitate. Et infrà, monentes eos, non cogentes ad celsiora; condescendentes eis, cum necesse fuerit ad remissoria.*

Quarto probatur, *ex c. gesta distinct.* 74. vbi habetur. *Iustum non est, vt aliquis crescere compellatur inuitus.* Ex quo deducitur, Religiosum iussum à Prælato ieiunare die, qua Regula non obligat, aut aliam corporis afflictionem subire, vltra contentas in Regula, si id faciat ad exercitium virtutis, non teneri obedire, secus si in pœnam alicuius transgressionis, vel in cautelá ad præcauendum recidiuum in aliquod peccatum, vel imminens, vt quia videt illum luxuriosum. Angles. *in floribus* 2. *part. quæst. vnic. de voto artic.* 2. *difficult.* 15 *pag.* 75. Vasq. 1. 2. *quæst.* 95. *art.* 2. *disp.* 154. *cap.* 4. *nu.* 20. Sanchez *lib. 6. in Decalogum cap.* 2. *num.* 45.

At inquies in Regula Minimorum *cap.* 5. *num.* 19. vbi de Obedientia agitur, sic loquitur S. Pater noster Franciscus de Paula, *voluntatem propriam se abnegasse non ignorantes huius Ordinis fratres, in cunctis, quæ suæ animæ, & huic sacræ Regulæ non aduersantur, suis Superioribus humiliter obediens.* Consimilia habent Fratres minores *cap.* 10. suæ Regulæ, vbi dicitur; *Fratres vero, qui sunt Subditi, recordentur, quod propter Deum abnegauerunt proprias voluntates*, & subdit Sanctus Institutor, *vnde firmiter præcipio eis, vt obediant suis ministris in omnibus, quæ promiserunt Domino obseruare, & non sunt contraria animæ, & Regulæ nostræ.* Et in constit. Soc, IESV *part.* 3. *cap.* 1. §. 23. *& part.* 6. *cap.* 1. *toto* §. 1. Dicitur esse obediendum in omnibus, in quibus manifestum peccatum non cernitur. Ex quibus Regulis colligitur quòd minimis, minoribus, & Iesuitis, nihil potest præcipi, quod sit supra Regulam, quantumuis austerum, & rigidum, modò licitum, & iustum sit, & præceptis Regulæ non contrarium: ergo ad ea, quæ suprà Regulam esse dixi, possunt à suis Prælatis obligari; quia non erunt suprà Regulam, sed secundum illam.

Propter ista Bonau. Regulam Fratrum Minorum *cap.* 1. *super verbo, viuendo in Obedientia*, & Bernardinus de Busto *in suo Sermonario* 2. *parte serm.* 27. Miranda *tom.* 1. *Manual. præl. quæst.* 26. *art.* 12. contendunt, quòd Fratres Minores ex vi voti obedientiæ tenentur obedire suis Prælatis, strictius, quàm alij Religiosi, quod idem censet Lessius *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 9. *num* 77. existimans, ea omnia, quæ dixi, esse suprà Regulam, in istis Religionib. nimirū Minorum, & Iesuitarum, non esse suprà, sed secundùm Regulam, si iusta adsit causa præcipiendi. Qui auctores coguntur idem dicere de Religione nostra Minimorum, vt patet per textum Regulæ citatū.

Respondeo tamen primo cum Cordub. *in expositione Reg. Minorum cap.* 10. *quæst.* 2. *par.* 1. vt refert Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 2. *num.* 16. ea verba intelligi quoad rigorem Obedientiæ, quando non excedunt Regulæ limites; Itaque dico Religiosum Minimum, Minorem, & Iesuitam, non teneri obedire suis Prælatis, nisi in iis, quæ intra limites suæ Regulæ continentur. Primo, quia sequeretur, si verba deberent intelligi, vt sonant, quòd Prælatus Minorum, vel Iesuitarum, posset suis Subditis præcipere, vt continuam, & duram abstinentiam obseruarent, vt ad redimendos captiuos pergerent: hæc enim nec sunt contrà eorum Regulas, nec animæ illorum contrariantur, similiter Prælatus Minimorum, posset suis Subditis præcipere, vt irent ad prædicandum infidelibus cum vitæ periculo, vt longas abstinentias, & duras obseruarent; quia hæc nec eorum Regulæ, nec animæ contrariantur, quod tamen nemo dicet. Secundo sequeretur, quamlibet istarum trium Religionum comprehendere omnes fines, & media omnium

Religionum,

Religionum, quòd tamen est impossibile, vt ait Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 2. num. 15.* quia quælibet debet habere determinatum finem: alioquin illa Religio esset omnes Religiones.

Secundò igitur dico, loqui legislatores istarum Religionum obedientia perfectissima, quam diximus nullis terminis coarctari; quod innuit D. Thom. *quodlib. 1. art. 15. corpore.*

Tertiò, cum viderent sancti illi institutores præter illa, quæ expresse continebantur in Regulis, multa etiam ad illorum obseruantiam requiri (& sunt illa; quæ diximus ad Regulam pertinere implicitè) ad tollendos scrupulos; & insinuandum teneri etiam in his Subditos obedire, addiderunt illa verba. Quod teneantur obedire in omnibus, quæ contra animam, & Regulam non sunt, sed potius iuuant: imò sunt necessaria ad Regulæ obseruationem, & prosunt animæ ad salutem. Fauet Bonauentura in Regula Fratrum Minorum *cap. 1.* quatenus habet, *quod illi solum attingunt gradum perfectæ abnegationis, qui in omnibus, etiam indifferentibus subsunt beneplacitis alienis*, in differentia, intellige, quæ ad Regulam quoquo modo spectant, vt diximus.

Quarto addo, per hoc me non intelligere, obedientiam in omnibus Religionibus esse æqualem, asserere, sed in aliquibus latiùs patere; quam in aliis, liberè confiteor. (Quod solum putat voluisse Bonauenturam citatum, Sanchez *loc. cit.*) quia plura præcepta reperiuntur in vna Religione, quam in alia.

Dico, tertiò Subditus non tenetur obedire Superiori præcipienti aliquid contra Regulam, nisi forsan posset Prælatus super illo puncto Regulæ dispensare, est communis sententia D.Thom. 2. 2. *q.* 104. *art. 5. & quodlib. 10. art.* 10. Sylu. *verbo Religio* 6. *q.* 6. Arm. *verbo Obedientia num.* 3. Angelus *verbo Religiosus num.* 29. Antoninus 3. *part. tit.* 16. *cap.* 1. §. 9. *versu* 2. *Dira*, Rosella *verbo obedientia, num.* 10. Tabiena *eodem num.* 5. Toletus *in summ. lib.* 8. *cap.* 16. *num.* 2. Cajetanus 2. 2. *qu.* 104. *art.* 5. *circa solutionem ad tertium*, Nauarrus *in summa cap.* 23. *num.* 38. Lessius *lib.* 2. *de iustitia cap.* 41. *dub.* 9. *num.* 76. *versu* 4. Valent. *tom.* 3. *disp.* 7. *quæst.* 3. *punct.* 2. *fine*, Miranda *tom.* 1. *Manualis præl. quæst.* 26. *art.* 8. Sanchez *lib.* 6. *in Decalogum cap.* 3. *num.* 8.

Probatur ex D. Bernardo de dispensatione, & præcepto, initio. *Si modus est obeditionis tenor professionis: nec se valeat extendere potestas imperantis, nisi quatenus attigerit votum profitentis, profectò, citrà, & vltra, necnon etiam contra, quid aliud, quàm obedientia limites quosdam censuerim, & his suis terminis virtutem eandem circumcludi? Quamobrem quisque professus, in quouis genere salutifera vitæ, nec vltra obedientia legem cogendus, nec citra est inhibendus, quàm sua ipsius videtur complecti professio, quantò minus contra?* & ratio est, quia Prælatus super Regulam nullam habet imperium, nisi quatenus ei ab ipsa conceditur. Si autem potest super illam dispensare, tunc tenetur Subditus obedire, si rationabiliter dispensat; quia tunc non contra Regulam, sed secundùm illam præcipit, in dubiis autem, an subsit iusta causa, & an possit dispensare, obedire tenetur, vt dixi, sed de dispensatione latius, §. 5. huius capitis.

Dico quartò, Subditus tenetur obedire Prælato præcipienti præter Regulam, modò ad illam quoquo modo reducantur; nam si sint ex illis, quæ sunt omnino præter illam, vt aspicere aues volantes, &c. non tenetur obedire, D. Th. *in 2. dist.* 44. *quæst.* 2. *art.* 3. *corpore, & quodlib.* 10. *art.* 10. Rosella *verbo Obedientia nu.* 10. Angelus *verbo Religiosus num.* 29. Armilla *verbo Obedientia num.* 4. Syluest. *verbo Religio* 6. *quæst.* 6. Antoninus 3. *part. tit.* 16. *cap.* 1. §. 9. *versu secundò Dico*, Tabiena *verbo Obedientia numero* 5. Corduba *in Regula Fratrum Minorum cap.* 10. *quæst.* 2. *in* 4. *&* 5. *puncto*, Miranda *Manuali Præl, tom.* 1. *quæstion.* 26. *articul.* 9.

Probatur, quia si possunt reduci ad Regulam, ad illam quoquo modo iuuant, & pertinent, & per consequens ea seruare tenetur Subditus, si vero ad Regulam nullo modo pertinent, etiamsi leuiora sint, quamuis de perfectione Obedientiæ posset obedire, pro quo facit *caput admonere* 33. *quæst.* 2. de necessitate tamen non tenetur, quia ad hæc non habuit animum se obligandi: cum sint contra præsumptionem communem, vt notat Innocent. *in cap. Veniens de Iureiur. num.* 1.

Dico quintò, si Prælatus præcipiat ea, quæ sunt infrà Regulam, Subditus non tenetur obedire, nisi fortè subsit aliqua causa rationabilis taliter præcipiendi, sic enim intelligendi sunt Doctores, Angelus, Rosella, Syluest. *loc. cit.* Superiori conclusione, & alij, cum dicunt Religiosum teneri obedire Prælato præcipienti infra Regulam. Ita Lessius *lib.* 2. *de iustitia, cap.* 41. *dub.* 9. *num.* 76. *versu quinto si præcipiat*, Nauarrus *comm* 4. *de Regul. num.* 21. Miranda *tom.* 1. *Manual. præl. quæst.* 26. *art.* 9.

Probatur ex D. Bernardo *de dispens. & præcepta*, vbi ait, *Prælati iussia, vel prohibitio, non prætereat terminas professionis, nec vltrà extendi potest, nec contrahi citrà.* Quòd autem teneatur obedire si subsit iusta causa, probatur ex Gregorio 35. *Moral. cap.* 10. *num.* 13. *& habetur cap. Quid ergo* 11. *quæst.* 3. vbi dicitur. *Sciendum, quòd nunquam per obedientiam malum fieri, aliquando autem debet per obedientiam bonum* (quod scilicet non sit ad salutem necessarium, vt explicat Antoninus 4. *part. titul.* 5. *cap.* 11.) *quod agitur intermitti.*

§. I.

Vtrum Summus Pontifex possit præcipere aliquid Religiosis supra Regulam, quam vouerunt.

Dicendum est, non posse Summum Pontificem præcipere Religiosis aliquid, quod sit simpliciter supra ipsorum Regulas, & si præcipiat, non teneri Religiosos iam professos ad illius obseruantiam. Ita Sylu. Corduba *in expositione Regulæ D. Francisci cap.* 10. *quæst,* 2. *p.* 6. Lessius *lib.* 2. *de iustit. cap.* 41. *dubit,* 9. *num.* 77. Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 2. *num.* 22.

Probatur primò rationibus, quibus probauimus, non posse Prælatum aliquid præcipere supra Regulam.

Secundò: quia debitum speciale, quod habent Religiosi obediendi Pontifici vltra alios Christianos, est solum ratione voti, ergo non potest eos obligare, plusquam ratione se voluerint obligare, nec potest plus ab eis exigere, quam soluere promiserint, sed soluere solummodò promiserunt, quæ in Regula continebantur, ergo.

Tertiò, quia alioquin posset cogere Religiosos ad profitendum arctiorem Religionem: & per consequens cogere ad vouendum, quod tamen est contra naturam voti.

An autem professuri teneantur ad statuta illa arctiora, & supra Regulam à Papa ordinata putat Sanch. *loc. cit.* quòd sic, quia nullum fit illis grauamen, sicut iis, qui sub his statutis non sunt professi. Quod tamen limitandum puto, si professi receperunt illa statuta, sed cum protestatione, quod ipsi, cum essent suprà Regulam professam, nolebant ea obseruare, & sic militat ratio Sanchez: secùs autem si nullo modo receperunt, quia de ratione legis est, vt recipiatur, vt habet Nauarrus *libro primo, consil. de constit. consil. prim. quæst.* 5. *num.* 23. & Valentia *tom. secundo, disp. septima, quæstione* 5. *numero* 23. *punct.* 5. *versu sequitur quarta quæstio*, & potest addi ex ipsomet Nauarro, quod si professi non obseruant, nec obseruare cœperunt, ha-

bent iustam causam ipsi professum non obseruandi, quia cum lex sit in vtilitatem communem, non est verisimile, Legislatorem velle hos ligare ad seruandum, cum alij Confratres non obseruant: nisi specialiter se explicaret.

§. II.

Vtrum Capitulum Generale cum Prælato possit noua aliqua statuta arctiora, & simpliciter supra Regulam imponere.

Dicendum, non posse Generalem cum toto Capitulo generali noua aliqua statuta arctiora, & quæ simpliciter sint supra Regulam imponere Angelus *verbo Religiosus num.* 29. Syluest. *verbo Religio* 6. *quæst.* 6. Armilla *eodem num.* 10. Corduba *in expositione Regulæ D. Francisci cap.* 10. *quæst.* 2. *dub.* 6. Vasq. 1. 2. *disp.* 154. *cap.* 4. *num.* 25. Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 2. *numero* 18. Miranda *Manual. pral. tom.* 1. *quæst.* 26. *articul.* 10.

Probatur primò rationibus, quibus probauimus, non posse Prælatum alicui Subdito præcipere aliquid suprà Regulam, quæ etiam hic militant, nam Pontifex qui concessit auctoritatem Capitulo Generali condendi statuta, qui fuit pro nostra Religione Minimorum Iulius secundus in Bulla, quæ incipit Dudum, & habetur in nostris priuilegiis *pag.* 40. non concessit illi facultatem ad nouam austeritatem inducendam, sed solum pro obseruantia Regulæ institutæ.

Secundo probatur, quia austeritas de nouo imposita tangit omnes de Religione, non vt vniuersos, sed vt singulos, & per consequens ad hoc vt obliget, debet ab omnibus, & vt singulis de Religione approbari, per Regulam iuris 29. *de Regulis iuris in* 6. *quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.* Facit etiam Abbas *in cap, Cùm omnes de constitutionibus*, vbi habet, *quod in re communi pluribus, vt singulis, non valet quicquid facit maior pars, sed oportet, quòd omnes consentiant, quibus fit præiudicium.*

§. III.

Vtrum possit Regula iam Collapsa per Prælatum & Generale Capitulum reformari.

Dicendum est primò. Potest Prælatus cum maiori parte Capituli Generalis, vel Prouincialis Regulam iam ferè collapsam, & relaxatam ad pristinum statum restituere, ita vt cæteri iam professi teneantur Regulam sic reformatam obseruare. Ita Innocent. *in cap. super eo de Regularibus*, Panorm. *ibi num.* 6. Rosella *verbo Lex num.* 5. Syluest. *verbo Religio* 6. *q.* 6. Tabiena *eodem num.* 21. Corduba *in expositione Regulæ Diui Francisci cap.* 10. *quæstion.* 2. *punct.* 6. Vasquez 1. 2. *disp.* 154. *cap.* 4. *numero* 25. 26. *&* 27. Azor. *tom.* 1. *instit. moral. lib.* 13 *cap.* 11. *quæst.* 17. Miranda *tom.* 1. *Manualis pral. quæst.* 26. *articul.* 10. *concl.* 2. Reginaldus *in praxi lib.* 18. *num.* 396. Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 2. *num.* 35. qui alios multos citat.

Probatur, quia quando Quis profitetur aliquam Regulam, profitetur illam, non vt relaxatam, sed vt institutam à tali institutore, & à tali Pontifice confirmatam, ergo illi omnino per accidens est, quòd relaxata sit, & per consequens cum reformatur, ad reformationem tenetur.

Secundò, quia quilibet tenetur procurare conseruationem, & augmentum sui status, ergo & conseruationem, & augmentum obseruantiæ suæ Regulæ.

Dico secundò: Non solùm Prælatus cum Capitulo, sed per se ipse, siue Generalis, siue Prouincialis sit (modò potestatem habeat condendi statuta) potest Regulam iam collapsam reformare. Ita Abbas *in cap. Super eo de Regularibus num.* 6. & Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 2. *num.* 35.

Probatur, quia cum ipsi incumbat procurare totis viribus, & posse, vt sibi subiectas oues rectè per viam, quàm cœperunt, currant ad desideratam metam, ipsi etiam incumbit errantes reuocare, dispersas colligere, deuias reducere, & virga directionis dirigere, sanguinem enim earum de ipsius manibus requiret Dominus ergo ipsius etiam partes sunt, collapsam, & relaxatam semitam, seu Regulam reformare, & restaurare, per quam, sine periculo labendi, securè contendant.

Quòd autem Prælati Religionum, Generalis, & Prouincialis habeant auctoritatem condendi statuta, docet Sanch. *loco citato, num.* 37. & Salas *de legib. disp.* 8 *section.* 12. & in Ordine nostro Minimorum habetur expressè in declaratione quorundam punctorum Regulæ, facta à Cardinali Senogallensi, *clausula* 7.

Qua ratione possunt intelligi Doctores, dicentes posse Generalem cum Capitulo Generali, vel maiori parte efficere noua statuta: imò etiam posse summum Pontificem, & solùm Prælatum, vt nimirum velint, quod possint nouas austeritates imponere, id est, quæ de nouo in pristinum candorem reducant Regulam iam collapsam: vel ad illius pleniorem conducant obseruantiam: quos citat Sanchez *loco citato, num.* 14. & alibi.

Limitant tamen aliqui hanc sententiam. Primo nisi professus esset ita delicatus, vt non valeret illas austeritates, quas secum tulit reformatio, tolerare, tunc enim posset cum illo dispensari, vt ad laxiorem Religionem, seu æqualem illi, quam professus est transiret. Ita Innocentius *cap. super eo de Regularibus*, Nauarrus *lib.* 3. *consil. de Regularibus consil.* 43. *num.* 2. Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 2. *num.* 38. Quæ dispensatio posset dari à Prælato illius Religiosi delicati, cum legitima causa adsit, vt habet Nauarrus *libro tertio, consil. de Regular. consil.* 56. *numero primo*, & dicam infrà *in capite de transeuntibus*, licèt si secundùm meum consilium deberet iste delicatus sustinere, quantum posset, istam reformationem, & Superiores illius compati eius infirmitatibus, nam transitus de vna in aliam Religionem laudabilis non est, vt habet D. Th. 2. 2. *quæst.* 189. *art.* 8.

Secundo limitant, nisi Regulam tempore professionis vouisset, vt tunc obseruabatur in Religione, vt audio profiteri aliquos? vel non habuisset animum se obligandi, nisi ad Regulam, prout tunc temporis obseruabatur. Ita Tabiena *verbo Religio quæstione* 21. Nauarrus *libro tertio, consil. de Regularib. consil.* 43. *numero secundo.* Azorius *tom. prim. instit. moral. lib.* 13. *cap.* 11. *quæst.* 17. Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 2. *num.* 39.

Tertiò limitant, nisi à tempore immemorabili Regula sic collapsa sit, tunc enim non tenentur professi eam reformationem admittere, cum præsumatur iusta causa talis relaxationis, vnde reformatio est potius quædam noua austeritas. Nauarrus *libro tertio, consil. de Regular. consil.* 43. *num. secundo.* Sanchez *libro sexto in Decalog. capite secundo, numero* 41. qui addit, non esse necessarium tempus immemorabile, sed sufficere tale, quod sit satis ad leges Ecclesiasticas abolendas, nimirum spatium quadraginta annorum, vt habetur *capite finali de Consuetudine*, vbi Panorm. *num.* 11. & Nauarrus *libro primo, consil. de consuetudine consil. secundo, numero primo*; quam limitationem admittit etiam Salas *de legibus disputat. octau. sectione* 12. *numero* 62. Bonacina *in Decalogum disp. prim. quæst. prim. p.* 3. *num.* 18.

§. IV.

§. IV.

Vtrum professi in aliqua Religione relaxata teneantur obseruare Regulam illius Religionis, prout stat in suo primo rigore, etiam antequam per aliquem Superiorem reformetur.

Dico primo contra essentialia Religionis, nulla potest consuetudo introduci. Nauarrus *in sum cap.* 12. *num.* 50. Rodriquez *tom.* 1. *quæst. regular. quæst.* 69. *artic.* 2. Azor *tom. primo institut. moral. lib.* 13. *cap.* 11. *quæst.* 15. Reginaldus *in praxi lib.* 18. *num.* 396. Sanchez *lib.* 6. *in decalog. cap.* 2. *n.* 26.

Probatur, quia essentialia sunt vota, contra quæ nulla valet consuetudo; vtpote, quæ iure diuino naturali obligant, vt Sanchez, Azor, & alij cum communi.

Ex quo colligitur; quòd quantumuis qui profitendo intendat vota non obseruare, tenetur tamen talem intentionem mutare, & vota obseruare, alioquin est in malo statu; vt aduertunt Nauarr. & Reginaldus, citati.

Dico secundò, si aliqua constitutio sit legitima consuetudine abrogata, etiamsi ad mortale obliget, non tenentur ad illam obseruandam in ea Religione professi. Ità Doctores citati in prima conclusione.

Probatur, quia cum illæ constitutiones sint accidentariæ Regulæ, & possint adesse, & abesse præter destructionem, in tantum solùm obligat, in quantum habent vim constitutionis, & legis: hanc autem vim amittunt, stante consuetudine sufficienti ad abrogandas leges Ecclesiasticas; cum non maiorem vim, quàm huiusmodi leges habere dicendæ sint.

Quæ autem sit consuetudo legitima, explicant Glossa *in capite Cum tanto de consuetudine*, Panormit. & reliqui Canonistæ *eo Capite, sed satis confusè*, & Panorm. recitatis multorum opinionibus *num.* 5. tandem concludit, hoc esse relinquendum arbitrio boni viri, Dico ergo, quòd meo videri illa est in Religionibus consuetudo legitima. Primò, quæ neque peccatum, neque scandalum induceit. Secundò, neque est contra decorem, & honestatem Religiosorum. Tertiò, quæ est tolerata à Superioribus spatio 40. annorum absque vlla interruptione, nam si 20. annis fuit tolerata, & deinde ab aliquo Superiori non fuit tolerata per aliquod tempus, vnum verbi gratia, vel duos annos, non potest dici legitima, vel in aliquo Capitulo fuit statutum contra illam. Quarto, quòd talis consuetudo ab omnibus Religiosis illius Religionis, vel saltem Prouinciæ; nam si aliqui obseruent, & alij non, non potest dici legitima.

Dico tertio, Professus in Religione relaxata non tenetur obseruare Regulam in suo primo rigore, sed potest obseruare tuta conscientia illam relaxatam, modò relaxatio sit legitima consuetudine induta, secus autem, si non legitima; & præsertim quando aliqua præcepta Regulæ in primeua institutione obligabant ad mortale. Ità Doctores citati; & in specie Azor. *tom.* 1. *institut. moral. lib.* 13. *cap.* 11. *q.* 16. qui citat. Panorm. *in capite super eo, de regul. num.* 6. Salas *de legibus tract.* 14. *disp.* 8. *sectiou.* 12. *num* 62.

Probatur *ex capite cum tanto de consuetudine*, vbi consuetudo legitima excusat à legis, obseruatione.

Videant ergo Religiosi, quid faciant circa obseruantiam præceptorum suæ regulæ: si ad mortale præsertim obligent: & attendant, quid sibi licitum sit per contrariam consuetudinem, & quid non; & vlterius perspiciant, ne sibi persuadeant aliquid contrarium suæ regulæ, esse consuetudine approbatum, quod non sit: & per hoc considereni quatuor illas conditiones. In nostra Religione nihil est desuetudine, quod sciam, abrogatum, præter illud de pedum nuditate; super quam tamen habent per regulam Superiores potestatem dispensandi, & à quadraginta annis, omnes vnanimiter, considerata humana fragilitate, attenta austeritate vitæ quadragesimalis, discrete dispensarunt.

§. V.

Quid possint, vel non possint Prælati circa dispensationem in præceptis Regulæ.

Dico primò, Prælatus non potest dispensare super regulam, nisi quantum illi à Regula, permittitur, vel priuilegio, vel à iure. Innocentius *in capite* 2. *de eo, qui fur. ord. recepit, & in capite finali de postul. Prælat. fine.* Abbas *in cap. At si Clerici, §. de adulterijs n.* 13. *de iudicijs, & cap. Officij de elect. n.* 4. Angelus *verbo Dispensatio n.* 7. Syluester *eodem quæst.* 14. *n.* 20. *& quæst.* 4. *nu.* 8. D. Thomas *prima* 2. *quæst.* 97. *artic.* 4. *ad* 3. Rosella *verbo dispensatio num. vltimo.*

Probatur, quia dispensatio est iuris relaxatio, vt dicunt Syluester, Angelus, & alij Summistæ *verbo Dispensatio num.* 1. at Prælatus non potest Regulam relaxare vltra terminos sibi præfixos, vt diximus.

Addit, vel priuilegio, quia in tribus casibus etiam à regula non declaratis priuilegio dignitatis (quia scilicet eo ipso, quòd quis dignitatem acquirit, censetur illi commissa auctoritas in iis dispensandi) possunt Prælati etiam inferiores cum suis subditis dispensare, vt bene Caietan. 2. 2. *quæst.* 97. *art.* 4. Sotus *lib.* 1. *de iustit. quæst.* 7. *art.* 3. *dubit at.* 2. Rodriquez *tom.* 1. *quæst. regular. quæst.* 27. *art.* 5. Valentia *tom.* 2. *disp.* 7. *quæst.* 5. *p.* 9. *verbo Porrò, vt dispensatio.*

Primò. In rebus leuibus, secundò in frequentibus, tertio in propriis; Res leues dicuntur, quæ non præcepto propriè dicto ad culpam mortalem obligante, sed simplici statuto posita sunt, qua ratione religionum Prælati, etiam inferiores, vt Correctores, Priores, &c. dispensare possunt in multis statutis suæ regulæ. Frequentia dicuntur, quæ quotidie accidunt, nam frequentia casuum dat Superiori auctoritatem dispensandi; qualia sunt multa præcepta, ad mortale etiam obligantia, quæ in aliquibus Religionibus reperiuntur, nam in his graue nimis esset, si oporteret in omnibus particularibus casibus ad Superiorem recurrere. Propria dicuntur, quæ sunt propria alicuius Conuentus particularis; verbi gratia, si esset positum aliquod statutum à Prælato in aliquo particulari Conuentu, posset Corrector illius, pro meliori bono assequendo, vel malo aliquo vitando, super illo dispensare, vt D. Thom. *prima* 2. *quæst.* 95. *art.* 4.

Dico secundò, ad dispensandum requiruntur duo; Auctoritas nimirum, & Causa iusta; Ita D. Thomas. 2. 2. *q.* 88 *art.* 12. *ad secundum* Caiet. & reliqui expositores *ibi*, Syluester *verbo Dispensatio quæst.* 2. *n.* 4. Angelus *eodem num.* 1. Armilla *num* 13. Tabiena *n.* 10 Turrecremata in *expositione Regulæ Sancti Benedicti tract.* 139. *dub.* 5. Lopez *prima parte Instructorij c.* 4. *in principio*, Nauarrus *in summa præludio* 9. *n.* 15. Valentia *tom* 2. *disput.* 7. *quæst.* 5. *p.* 9. *verbo Porrò Dispensatio*, Sotus *lib.* 1. *de Iust. quæst.* 7. *art.* 3. *conclus.* 1. *&* 2. Salas *de legibus disp.* 20. *sect.* 4. Vasquez *prima* 2. *disput.* 177. *cap.* 3. Miranda *tom.* 2. *Manualis quæst.* 30. *art.* 4 *& alij communiter.*

Probatur primo; Quia deficiente auctoritate, infectum redditur quicquid fuerit actum; vt patet, & constat ex Regula, Ea quæ fiũt à Iudice, Regula 26 *de regulis iuris in* 6.

Secundò. Quia cum lex humana non potuerit prouidere omnibus casibus; sed tantum iis, qui vt plurimum accidunt, reliquit potestatem Rectoribus particularibus iudicandi in casibus occurrentibus; quòd fit per dispensatioñẽ; quia alioquin non fuisset sufficienter prouisũ à leg[illegible] [illegible]ribus bono cõmuni, Ita D. Th. [p]*rima* 2 *q.* 97. *art.* 4. *cor*[p]*ore.*

Tertiò; Quòd requiratur iusta causa, Prob[atur], quia cum potestas spiritualis Prælati, qui non est D[omi]nus, sed dispensator, in ædificationem sit data, non in

destructionem, vt patet *ex 2. Corinth.* 10.10. Non potest ea vti Prælatus ad libitum, sed debet prudenter, & rationabiliter cùm causa saltem apparenti, ità D. Thom. 2. 2. q. 88. *art.* 12. *ad secundum.*

Quartò Idem probatur illo Lucæ 12. *Quis putas est fidelis dispensator, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam*, si autem absque ratione, pro sola voluntate dispenset, non erit fidelis dispensator, & prudens, sed infidelis, & imprudens; hoc quidem, si rationem dispensandi ignorat; Illud verò, si intentionem non habeat ad bonum commune.

Quintò. Ex Bernardo *de dispensat & præcepto*; qui ait *Pater ergo, quòd magna ex parte regularis traditio subest ei, qui præest, & si non voluntati, certa discretioni.*

Sextò, specialiter ex Regula nostra Minimorum, in qua quando committitur alicui Superiori dispensatio in aliquo casu, non simpliciter committitur, sed cum addito, discretè, vel rationabiliter: vt patet *numer.* 6. *&* 31.

Ex quibus Colligitur primo, quod si in dispensationibus desit auctoritas, non valet dispensatio, vt patet ex ipsis terminis. Si autem desit causa iusta, vel princeps est supremus Superiorem non agnoscens, & valet dispensatio; quia illius est destruere, cuius est condere, & princeps non est subiectus legibus; peccat tamen vterque tàm dispensans, quàm dispensatus; nam turpis est pars, quæ non est conformis toti; siue sit Caput, vt Princeps, siuè aliud membrum, vt quisquis subditus, & hoc intellige, siuè Princeps dispenset in lege propria, siuè in illa sui antecessoris; quia eadem est ratio, habet enim in ea eandem potestatem, vt Sanchez ait. 8. *de matrim. disp.* 17. *q.* 3. *nu.* 28. Nauarrus *prælud.* 9. *n.* 5. Suarez *tom.* 4. *in tertiam partem, disput.* 56. *sect.* 2. *num.* 11. Salas *de legibus disp.* 20. *sect.* 4. *num.* 41. *fine.* Vel princeps non est supremus, sed inferior Superiorem agnoscens; & tunc si dispensat in lege Superioris: sine iusta causa, dispensatio non valet; quia excedit limites potestatis sibi commissæ: quæ non est illi data in destructionem, sed in ædificationem. ità Caietan. *prima* 2. *q.* 98. *art.* 5. Nauarrus *prælud.* 9. *num.* 14. *&* 15. Valentia *tom.* 2. *disput.* 7. *quest.* 5. *p.* 9. *versu, Quòd si alterutra*, Syluester *verbo Dispensatio quæst.* 2. *numer.* 4. *&* 5. Miranda *tom.* 2. *Manualis quæst.* 30. *art.* 4. *conclus.* 4. Videatur Salas *de legibus disp.* 20. *sect.* 4. *num.* 31. *& sequentibus.*

Colligitur secundò, quòd si quis generalis, vel Prouincialis dispenset cum aliquo subdito in lege ab ipsis, seu à prædecessoribus lata, verbi gratia in aliquo statuto, cui est annexum præceptum Obedientiæ, vel excommunicationis sine causa, valebit quidem dispensatio, quoad non incurrendam illam excommunicationem, vel pœnam inobedientiæ; vt ait Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 17. *q.* 3. *num.* 27. quamplures alios citans. Salas *de legibus disp.* 20. *sect.* 4 *num.* 42. At tàm dispensans, quàm illa vtens peccabit venialiter, vt Nauarrus *loco citato*; & Salas *de legibus disp.* 10. *sect.* 5. *num.* 55. *& sect.* 6. *num.* 58. Valentia *tom.* 2. *disp.* 7. *q.* 5. *p.* 9. *versu ac propter.* Si autem Prouincialis dispenset in statuto Generalis, vel Corrector in statuto Prouincialis sine causa legitima, nihil proficiet dispensatio illa, quo ad pœnam, & culpam incurrendam, quia illam omnino incurret, vt Nauarrus, Caietan. Salas *locis citatis*, & præterea Vasquez *prima* 2. *disp.* 178. *cap.* 3. *num.* 17. Si autem Prælatus bona fide dispensaret, putans causam esse legitimam, credo, quòd dispensatio valeret, saltem illa bona fide durante, quod etiam tenet Azor. *tom.* 1. *instit. moralium lib.* 7. *cap.* 29. *q.* 6. verbi gratia, Dispensat Prælatus cum subdito super ieiunium die, quo subditus sub mortali ieiunare tenetur; putat Prælatus habere se iustam dispensandi causam, pariterque subditus; dico quòd iste non ieiunans non peccat, neque Prælatus dispensans; si autem antequam comedisset, vel ieiunium fregisset, factus esset in mala fide: nimirum causam non fuisse legitimam cognouisset, tunc si Prælatus factus est malæ fidei, debet dispensationem reuocare, & subditum de causa non legitima admonere, si subditus, debet omnino ieiunium seruare: Lopez *prima parte instruct. c.* 4. *verbo præterea secundo* Nauarrus *prælud.* 9. *num.* 13.

Dico tertiò, Superiores, qui possunt dispensare in statutis Regulæ sunt non solùm Generalis, & Prouincialis, sed Corrector, & etiam Vicarius ordinarius alicuius conuentus, cui Correctoriatus non sit; in absentia tamen generalis, & Prouincialis. Ità D. Thom. *prima* 2. *q.* 97. *artic.* 4. Quatenus habet, quod Rectores multitudinis possunt in legibus dispensare, & *in* 4. *distinct.* 15. *q.* 3. *artic.* 2 *quæstiuncula* 4. *ad tertium.* Quatenus habet, quòd potest quis ieiunium soluere per dispensationem proprij sacerdotis. Caiet. 2. 2. *q.* 147. *art.* 4. *ad primum dubium*, qui id colligit ex mente D. Thomæ *eodem articulo ad tertium.* In terminis Sotus *lib.* 1. *de iustitia q.* 7. *art.* 3. *dub. primo*, Rodriquez *tom.* 2. *q. regul. q.* 46. *art.* 9. *& tom.* 1. *q.* 27. *art.* 5. Nauarrus *in summa cap.* 21. *num* 21.

Probatur primò, quia Correctores, & Vicarij rectores sunt multitudinis; ergo pro ipsis militat etiam ratio. quam adduximus ex D. Thom. *conclusione antecedenti, probatione* 2.

Secundò, Specialiter ex nostra Regula Minimorum; vbi quando datur facultas dispensandi super aliquo puncto, non datur Prælatis, sed Superioribus, vt patet *num.* 6. *& num.* 31. ad insinuandum, illam potestatem dari, non solum Generalibus, & Prouincialibus, qui solummodò apud nos sunt, & vocantur Prælati: sed etiam Correctoribus, & Vicariis, qui Superiores sunt; quando namque loquitur de Generali, & Prouinciali, eos Prælatos vocat, vt patet *ex Correctorio num.* 11.

Dico quartò, Causæ iustæ quarum vna, vel pluribus concurrentibus, potest Prælatus dispensare, sunt septem, quas ponit Syluest. *verbo dispensatio quest.* 1. *num.* 3. Angelus *num.* 2. Armilla *nu.* 14. Miranda *tom.* 2. *Manualis q.* 30. *art.* 5. Roseila *num.* 4. Salas *de legibus, disp.* 20. *sect.* 8. Pitanella *verbo Dispensatio in principio.*

Prima est tempus, quando nimirum ratio temporum postulat, vt rigor iuris, vel Regulæ temperetur.

Secunda est vtilitas; sic prudenter potest dispensari cum aliquo, qui inciderit in aliquod delictum, propter quod subire debet aliquam pœnam cum ex illis absolutione maior vtilitas publica, vel etiam priuata speratur, quàm ex eiusdem punitione.

Tertia. Qualitas personæ, & meriti, & scientiæ sic potest dispensari cum aliquo patre de Religione benemerito super aliquo rigore regulæ. Idem potest dici de literato, cum quo potest dispensari; vt studiorum causa officio Chori non sit, vt alij non sic impediti, ità frequens, vt concessit posse fieri felicis recordationis Clemens Octauus in decretis missis ad Capitulum Generale ordinis Minimorum, quod fuit celebratum in Conuentu Ianuensi anno 1596.

Quarta Necessitas, sic præcipit Regula Minimorum *num.* 32. vt corpore non sani supportentur in cunctis oneribus Ordinis, vt enim *Capite dispensationes prima quæst.* 7. dicitur: *Sicut ij, qui mare nauigant, tempestate vrgenti, nauique periclitante anxiati, quædam exonerant, vt cætera salua permaneant*; ita periclitante salute alicuius, debet per Superiorem exonerari aliquibus grauaminibus, vt leuior factus in Dei seruitio diutius perseueret.

Quinta. Pietas sic dispensatur cum infirmo, qui propter delictum grauem aliquam subire debebat pœnam, vt leuiorem subeat: sic etiam necessitas, & pietas suaderent Superiori, vt dispensaret in ordine Minimorum cum aliquo, qui casu fortuito in infirmitatem incidit in

dormitorio,

dormitorio, & in sua cella, ex qua non potest amoueri, & deduci ad infirmariam sine periculo salutis, vt possit ibi carnes, & alia ad salutem corporis recuperandam comedere: licet Regula expressè prohibeat *in Correctorio num.* 53. quod mihi probat Glossa *in Clem.* 2. *verba regularem de censibus*, quatenus probat, quod sicut tempore prohibito ex causa necessitatis licitum est comedere carnes, vt in *c.* 2. *de obseruat.* Ieiunij, ita etiam licet eodem tempore in loco prohibito.

Sexta, Euentus rei, quod dupliciter intelligo, Primo ius, quod euenit, seu experientia compertum est non esse vtile, tribuit legitimam causam Prælato super illo dispensandi? sic in ordine Minimorum dispensatum est super Trinitate zelosorum, & vigilum. Secundo post factum, facilius obtinetur dispensatio, vt dicitur *capite Quicumque d.* 5. *& Glossa verbo inuenitur*, & euentus rei, ideft factum secutum tribuit Iudici (qui potiùs misericordiam, quam rigorem sequi debet, vt dicit bona Glossa *in Cap. exigunt prima q.* 7. *verbo causa*, & habetur *cap. ex tuarum de sortilegiis*) legitimam causam dispensandi, vt habetur *cap. exigunt prima q.* 7.

Vltima causa est scandalum multitudinis, sic prudenter parcit Prælatus communitati, quæ peccauit, ne scandalum oriatur in Ciuitate, si omnes castigentur, & puniantur, vel si timet rebellionem ex communitatis castigatione, vel schysma. Multæ aliæ possunt esse causæ legitimæ dispensandi, nec potest dari de singulis certa regula, sed relinquendum arbitrio prudentis Prælati, facti conditiones considerantis. Generalis autem Regula potest dari, nimirùm necessitas, & vtilitas publica vel priuata, vt dicitur *cap. Et si illa prima quæst.* 7. cum Glossa, *ibi verbo, vel rerum*, & habet Salas *loco cit.* & quoad publicam, Rodriquez *tom.* 1. *q. regul q.* 22. *art.* 5. & Sotus *lib.* 1. *de iust. q.* 7. *art.* 3.

Dico quintò, quando adest iusta, & rationabilis causa, debet Prælatus dispensare, alioquin peccat Panorm. *in cap. pastoralis de appellat. num.* 17. Pisanella *verbo dispensatio* §. *dispensationum*. Sylvest. *verbo dispensatio q.* 1. *num.* 3. *fine*, Armilla *num.* 14. Rosella *num.* 4. Antoninus *prima parte tit.* 17. *cap. vn.* § 20 Thrrectemata *in Regula Sancti Benedicti tract.* 148. *dub.* 5. Sà *in Aphorismis verbo dispensatio num.* 2. Miranda *tom.* 2. *manualis prælat. q.* 30. *art.* 6. *concl.* 2. habet solemnis Glossa, & communiter recepta *in cap. Vt constitueretur, d.* 50. *verbo Detrahendum*, quia ait, quilibet tenetur esse misericors, & notatur *in cap. Domino sancto d* 50. §. 1. vbi Glossa *verbo necesse*.

Probatur, quia potestas dispensandi in Prælatis est in bonum subditorum, quibus Prælatus prospicere tenetur. Aduertere tamen debent Prælati, ne sint nimis faciles in dispensando super præceptis regulæ; & super statutis; quia ex facilitate Prælatorum, facillime Religionum ruinæ & relaxationes oriuntur; & considerent, quòd leges sunt datæ in bonum publicum, & sic in illius præiudicium non dispenset. Audiatur quid circa hoc Rodriq. *tom.* 2. *quæst. regul. quæst.* 46. *artic.* 4. dicat: *licet aliquis casus particularis, postulet dispensationem adeò, vt videatur irrationabile in eo non dispensare, oportet in eo dispensationem minimè concedere propter bonum commune, quod præferendum est: ne relaxationi cancellus aliquis aperiatur, quo aperto; Religionis obseruantia in dies patitur detrimentum.*

Cognoscant causam illis à subditis propositam, eamque examinent diligenter, an vera sit ad id enim tenentur, vt notat Sylvest. *verbo dispensatio q.* 2. *num.* 4. Angelus *nu.* 2. Rosella *num.* 6. Azor. *tom.* 1. *instit. moral. lib.* 5. *cap.* 15. *q.* 9. Salas *de legibus disp.* 20. *sect.* 9. qui de hac quæstione diffuse. Alioquin potius esset dissipatio, quàm dispensatio. Vnde minus sapiunt Prælati, vt verbis Caietani *vt ar.* 2. 2. *q.* 147. *art.* 4. *ad primum dubium*, qui petentibus subditis in causa dubia dispensationem cœnandi in ieiuniis Ecclesiæ, aut aliter ieiunium soluendi, præueniendo horam ieiunij, remittunt eos in conscientia sua. Notat etiam Rodriq. *tom.* 1. *quæst. regul. q.* 26. *art.* 5. & Graffius *parte prima decis. lib.* 2. *num.* 57. debent enim, & cognita de ieiunandi impotentia compati subditorum infirmitatibus, & benignè dispensando, à scrupulis liberare, vel ieiunium in septem psalmos, vel alia opera commutare.

Sed inquies, quid faciet subditus, qui habet iustam, & necessariam causam dispensationis, non adest tamen, Prælatus, qui dispenset.

Mouet hoc dubium Rodriquez *tom.* 1. *q. regul. q.* 26. *art.* 5. & respondet, quòd tunc potest subditus recurrere ad Epicheyam. Quæ non eximit subditum per licentiam casu, quo tenetetur, sed explicat, quòd illo casu non tenetur. Quare Epicheya, non solùm Prælatis verum etiam subditis competit; in quo differt à dispensatione, quæ solum competit Prælatis, vnde subditi in necessitate aliqua positi possunt vti Epicheya, sua propria auctoritate, existimantes, & scientes in tali casu, rigorem legis cum ipsis esse mitigandum. Sed videant, ne sibi inquitas mentiatur, fingentes necessitatem in præceptis. Hæc Rodriquez, quod etiam sentit Antoninus *prima parte tit.* 17. *capitulo vnico* §. 10.

Quid sit Epicheya, & quomodo ea vtendum docent, idem Rodriq. *tom.* 2. *quæst. regul. q.* 46. *art.* 3. Sotus *lib.* 1. de iustitia *q.* 7. *art.* 3. Salas de legibus *disp.* 5. *sect.* 10. & *dispnt.* 22. *sect.* 10. Miranda *tom.* 2. *manualis prælat. q.* 29. *art.* 12.

Sed quid, si adsit quidem Prælatus, sed ex odio, & malignitate non dispensate? Respondeo si adsit ibi manifesta necessitas, vel vtilitas, & Prælatus iniustè deneget, cum tamen teneatur dispensare, videtur in isto casu ipso iure cum illo dispensari. Dispensatio enim iure petita, & iniustè negata, videtur ipso iure concessa per ea, quæ habet Henriquez *lib.* 6. *de pœnitentia cap.* 13. *num.* 4. *facit caput placuit de pœnitentia d.* 6. citat Henriquez *in comment. litera F.* multos Doctores, præsertim Magistrum *in* 4. *d.* 21. vbi D. Thomas *in expositione litera*, & alij, qui apud ipsum possunt videri.

Dico sextò, Prælatus Religionis potest secum ipse dispensare, quæ potest dispensare cum aliis, quoad dispensationem in præceptis Regulæ. Ita Rodriquez *to.* 1. *quæst. regul. q.* 26. *art.* 6. D. Thomas 2. 2. *q.* 185. *art.* 8. *in fine corporis*, Salas *de legibus disp.* 20. *sect.* 12. *n.* 105. Miranda *tom.* 2. *manualis pral. quæst.* 31. *art.* 5. Cordubæ *in priuilegiis mendicantium verbo accedere ad Monasteria Manialium*, §. *quo ad illa dua*, Sanch. 8. *de matrim. disput.* 5. *num.* 1. 2. 3. Caiet. 1. 2. *q.* 96. *arc.* 5. *ad hoc dubiumpremittenda*, Ludouicus Beia 4. *par. respons. Casu* 5. *in princ.* Naldus *in summ. verba Dispensatio num.* 53.

Probatur, quia aliter deterioris esset conditionis, quàm subditi, qui semper præ manibus habent suum Prælatum; hic autem non semper alium Superiorem Prælatum præsentem habeat; & facit caput finale de Pœnitentiis, & remissionibus; quòd licet loquatur de confess. potest etiam intelligi de dispensationibus; vt dicunt Rodriquez, & Sanchez *locis citatis*.

Dixi super præceptis Regulæ; nam si idem possit in votis, in irregularitatibus, præceptis Ecclesiæ, &c. de qua quæstione tractat diffuse Sanchez *loc. cit. num.* 4. dicam *tam.* 2. cum de Prælatis dispensantibus in votis subditorum agam. Hic solum dico Prælatum, siue Correctorem Minimorum posse sibi eligere confessarium, qui eum absoluat ab omnibus casibus reseruatis, & cum illo dispenset in omnibus, in quibus potest ipsemet Prælatus dispensare cum aliis; vt habetur *in Correctorio n.* 84. ex quo probatur Prælatum Minimorum non posse per se ipsum secum dispensare, sed debere id committere suo confessario.

Dico septimò, si Prælatus præcipiat aliquid contra regulam,



regulam, in quo tamen potest dispensare, idque faciat sine causæ discussione, sed solùm pro suo libito, non tenetur ei subditus obedire, sed debet sequi statutum suæ Religionis. Si autem id faciat cum causa aliqua legitima, tunc tenetur ei subditus obedire. Ita Caietan. a. 2. *quæst.* 104. *art.* 5. *in responsione ad tertium.*, Rodriquez *tom.* 2. *quæstionum regul. q.* 46. *art.* 10. Miranda *tom.* 2. *manuali quæst.* 31. *art.* 8. Valentia *tom.* 3. *disput.* 7. *quæst.* 3. *p* 2. *ad finem* Nauatrus *in manual. cap.* 23. *n.* 39. Sanchez *lib.* 6. *in decalog. cap.* 3. *num.* 8. qui multos alios citat.

Prima pars probatur, quia dispensatio sine causa potiùs dissipatio, est quàm dispensatio, vt dicit D. Bernard. de dispensatione, & præcepto.

Secunda pars probatur; quia cum subest legitima causa, tollitur ab illo præcepto deformitas, & fit licitum. Vnde aiebat Bernard. loc. cit. *votum meum non minuat Prælatus sine necessitate*; Innuens cum ea posse.

Dico octauò, si subditus dubitat, an Prælatus possit dispensare, vel an habeat iustam causam dispensandi, tenetur obedire, Rosella *verbo Obed. num.* 19. Angelus *verbo Religiosus num.* 29. Syluest. *verbo Religio* 6. *q.* 6. *& verbo dispensatio q.* 14. *num.* 2. Tabiena *verbo Obed. quæst.* 11. Sanchez *lib.* 6. *in decalog. c.* 3. *n.* 8. D. Thom. 2. 2. *q* 88 *art.* 12. *ad secundum fine.* Probatur, quia in dubiis subditus obedire tenetur.

Ad hoc autem, vt dispensanti Prælato non tenetur subditus obedire, requiritur, quòd triplex sit in isto certitudo, vt docent Rosella, Angel. Syluest. Sanch. cit. Prima qua sit certus rem præceptam esse contra regulam, vel altioris Superioris præceptum. Secunda Superiorem non posse in illo, quod præcipit, dispensare. Tertia, quòd si potest, non ducatur tamen ex iusta causa, vna autem harum conditionum deficiente, res remanet dubia, & sic subditus tenetur obedire; vt bene aduertit Sanch. *loc. cit.*

Dico nonò, Prælatus non potest dispensare in votis essentialibus Religionis, Sylu. *verbo Dispensatio q.* 14. *num.* 20. *casu nono*, Angel. *ibid. num.* 8. Turrecremata *in Regula B. Benedicti tract.* 148. *dub.* 3. Rodrig. *tom.* 1. *quæst. regul. q.* 26. *art.* 5. Miranda *manual. præl. q.* 9. *art.* 6.

Probatur primò, *ex cap. Cum ad Monasterium de statu Monachorum*, vbi dicitur, *quod super essentialibus Religionis nullam habet Abbas dispensandi auctoritatem.*

Secundo, ex Concilio Trid. *sess.* 25. *de regul. cap.* 1. vbi dicitur in fine, *cum compertum sit, ab eis* (Prælatis) *non posse ea, quæ ad substantiam regularis vitæ pertinent relaxari.*

An inquies Prælati Minimorum dispensant super voto vitę quadragesimalis; quod tu promittis probaturum essentiale.

Respondeo negando, quod Prælati Minimorum dispensent super voto vitæ quadragesimalis; nam quandocunque lex est limitata in aliquo casu, eo succedente, omnino ex se ipsa cessat, cum limitationibus in ea positis; vt est in Religione nostra, in qua vouetur vita quadragesimalis limitatè; ita vt in tempore infirmitatis approbatæ à medico, præcipiatur Prælato, vt tali infirmo, de cibis paschalibus ad sanitatem recuperandam aptis subueniat, ex quo apparet, quòd, cum Prælatus nihil relaxet, neque etiam materialiter circa Regulam, non potest dici, quòd dispenset. Quando autem dicitur, quòd comedens carnes, est super illis dispensatus, intelligitur dispensatus non à Prælato, sed ab ipso legislatore, qui noluit suam legem illo casu obligare, seù dicitur inpropriè dispensatus, idest licentiatus à Medico, v possit iuxta Regulæ præscriptum carnes comedere. Facit pro hac doctrina Sanchez *lib.* 8. *de matr. disput.* 3. *num.* 5. & Salas *de legibus disp.* 10. *sect.* 12. *num.* 105. Facit etiam Glossa *in regula Indultum* 57. *de regulis iuris in* 6. *versu indultum fine*; quæ dicit *ea quæ fiunt, permittente lege, per hominem fieri non videntur.*

Dico decimò, super reliquis præceptis regulæ, vt regulæ puta præcepta sunt; vt pecunias non tangere, ieiunare certis diebus, &c. etiamsi ad mortale obligent, potest Prælatus in aliquo particulari casu, siuè cum aliqua persona particulari discretè dispensare; modo non sit ei dispensandi interdicta facultas. Est omnium citatorum conclusione antecedenti.

Probatur, quia à iure illis conceditur, posse in aliquibus super regulam dispensare; vt habet Glossa *capite Monachum* 20. *quæst.* 4. *& cap. Carnem de consec. dist.* 5. *& capite cum ad monast.* §. *ia refect. de statu monach.*

Secundò, rationibus, & auctoritatibus, quibus probauimus antecedentem, quæ hanc manifestè probant; nam si vetatur Prælatis, vt in essentialibus possint dispensare; cōceditur manifestè in non essentialibus dispensatio; nam exceptio firmat Regulam in contrarium, vt docet optimè Couarr. *secund. variar. resol. cap.* 5. *num.* 6. & Rodriq. *tom.* 1. *quæst. regul q.* 16. *art.* 1.

Tertiò, ex D. Bernard. *de dispens. & præcepto*; vbi ait, *quandiu charitati militant statuta regulæ, immobiliter fixa sunt, mutarique omnino ne ab ipsis quidem præpositis sine offensa possunt. At si è contrario contraria forte aliquando charitati visa fuerint; his dumtaxat quibus hoc posse videre datum est, & prouidere creditum est, non-ne iustissimum esse liquet, vt quæ pro charitate inuenta fuerunt, pro charitate quoque, vbi expedire videtur, vel omittantur, vel intermittantur, vel in aliud forte commodius demutentur.*

Quartò, ratione probatur, quia cum sint, vt dicitur, plures casus, quàm leges, necessario debuit legum tutoribus, qui sunt Prælati, concedi, vt casibus occurrentibus, possent legem, & Regulam relaxare; secundùm quod eis conscientia, & prudentia dictatet.

At inquies hæc conclusio pugnat cum prima, in qua dicitur, quod non potest Prælatus dispensare, nisi in iis, in quibus à Regula habet potestatem, hæc autem ait, quod in omnibus, quæ essentialia non sunt. Respondeo ideò ibi dictum esse à Regula, vel iure, propter conclusionem hanc, in qua probamus, quòd à iure habent hanc Prælati dispensandi auctoritatem.

Si vrgeas, Ad quid ergo datur potestas Superioribus in aliquibus punctis regulæ dispensandi, si possunt in omnibus indistinctè? Respondeo primo, vt in specificatis sint faciliores, duriores in non specificatis. Secundo, vt de similibus, idem ferant iudicium.

Quòd Prælati non possint dispensare in communi super aliquo puncto regulæ, patet, quia relaxare regulam in vniuersali, pertinet vel ad Institutorem illius, vel ad Approbatorem, qui est Summus Pontifex; vt Syluest. *verbo Casus*, *q.* 1. *casu* 4. Miranda *tom.* 2. *manual. q.* 9. *art.* 6. *concl.* 2. Prælatus autem cùm non sit supra regulam, hoc non potest. Addidi, nisi sit prohibita dispensatio; quia si prohibetur, iam cessat dispensandi auctoritas.

Hæc pauca dicta sint de dispensatione circa regulam. De dispensatione super irregularitatibus, vel votis, vel pœnis, tomo secundo, cum de potestate prælatorum.

§. VI.

Vtrum Prælatus possit libertates, & immunitates in Regula concessas subditis coarctare.

MOuet hoc dubium Corduba *in regula Diui Francisci cap.* 10. *q.* 1. *puncto* 6. à quo Sanchez *lib.* 6. *in decalogum cap.* 3. *num.* 9. qui sic bene respondent distinguendo; si illæ concedantur in regula Religiosis, & non interdicatur Prælatis potestas coarctandi in parte, vel in toto, in casu occurrenti ex iusta causa; tunc poteri-

tèrit coarctare, & tenebitur subditus obedire, quia licet non possint Prælati in vniuersum, eas immunitates immutare, possunt tamen ex iusta causa in aliquo particulari casu id facere, vt suprà diximus de iis, quæ ad peccatum non obligant, quòd iusta interueniente causa, possunt à Prælatis sub peccato præcipi. Et eo ipso, quod Regula non prohibet coarctationem Prælatis, videtur tacito consensu in aliquo particulari casu concedere. Si verò ita concedantur eæ immunitates subditis; vt denegetur omninò Prælatis facultas coarctandi, non erit eis integrú coarctare, nec coarctantibus tenebuntur subditi parere; quia hoc præceptum excedit limites regulæ. Idem etiam dicendum est, quando Prælatus inferior vellet limitare, & coarctare licentiam, & immunitatem à Prælato Superiori alicui concessam, facit ad hęc regula *indultum 17. de regulis iuris in 6.* qua dicitur *indultum à iure beneficium, non est alicui auferendum*, quam intellige sine causa.

CAPVT IX.

Vtrum Subditus possit Conuentum exire, extraque illum degere absque Superioris licentia, ad subueniendum parentibus inopia laborantibus.

Videatur pro hoc capite D. Thom. *quodlib. 3. art. 16. quodlib. 10 artic. 9. & 2. 2. quæst. 101. art. 4. ad quartum, & q. 189. art.* 6. Caietan. *d. q.* 101. Tostatus *to. 3. in Matthæum c. 8. q. 69.* Rodriq *to. 2. q. regul. q. 57. art. 3. 4. & to. 2. sum. c. 6. concl. 4* Lopez *prim. p. instruct. c. 54. colum. 2. verbo Peccatque filius, & sequent.*, Rosella *verbo Religio 2. num. 7.* Syluest. *Religio 6. q. 9.* Angelus *verbo Religiosus num. 31.* Tabiena *verbo Pietas numero 2.* Pisanella *verbo Religio primo §. verum occasione*, Nauarrus *tom 3. de regul. num. 48. & in sum. c. 14. num. 14.* Valentia *tom. 3. disp. 7. quæst. 1. punct. 2. verbo sexto potest esse quæstio*, Grassius *part. 2. decis. lib. 3. cap. 24. num. 18.* Miranda *tom. 1. in manual. prel. q. 26. art. 11.* Sanchez *tom. 1. in decalog. lib. 4. cap. 20. à n. 14.* Petrus Ledesm. *de statu Religiosorum in communi cap. 4. conclus. 8. dub. 6 pag. mihi 146.* Sayrus *in Claui regia lib. 7. cap. 6. à num. 13.* Lessius *lib. 2. de iustitia cap. 41. dub. 3. num. 34* Reginaldus *lib. 20. praxis à num. 11.* Azor. *2. part. instit. moralium lib. 2. cap. 3. quæst. 5.* Antoninus *3. part. tit. 16. cap. 2. §. primo*, Toletus *lib. 5. summa cap. 1. num. 5.* Angelus *in floribus part. 2. quæst. vnica de voto, art. 2. difficult. 13. pag mihi 92.* Bartholomæus Medina *in summ. lib. 1. cap. 14. §. 14.* Armilla *verbo Pietas numero vnico*, Passatellus *in notandis priuilegiorum Minimorum capite 42.* Corduba *in regulis Diui Francisci capite 2. quæst. 6. & in summ. quæst. 141.*

Dico primo. Non licet filiis, absque reatú culpæ mortalis relinquere parentes in extrema, vel graui necessitate, & ingredi Religionem. Est expressa sententia D. Thomæ *quodlib. 3. art. 16. & quodlib. 10. art. 9. & quæst. 101. art. 4. ad quartum*, vbi Caietanus *ad finem*, Angelus *verbo Religiosus num. 11.* Syluest. *verb. Religio, q. 7.* Tabiena *verbo Pietas ad finem*, vbi Armilla Passatellus *in notandis priuileg. Minimor. cap. 41.* Toletus *lib. 5. sum cap 1. num. 5.* Azor *lib. 12. instit. moral.* Angles, Valentia *locis cit.* & alij communiter, quos citat, & sequitur Sanchez *lib. 4. in decalog. cap. 20. n. 3.* Per extremam autem necessitatem intelligo eam, qua pater fame periret sine filij auxilio, vt si esset v. g. in carcere, vel infirmus, &c. per grauem autem intelligo eam, qua fame quidem non periret sine auxilio filij, sed cogeretur, vel mendicare, vel viliora alia exercitia facere, contra primordia suæ natiuitatis, & familiæ propriæ dedecus.

Probatur nam ingredi Religionem consilium est; succurrere parentibus, ità indigentibus, præceptum diuinum, & naturale est, Honora parentes. Qui honor consistit in tribus; vt omnes communiter dicunt, exponentes locum Exodi 20. *num. 12.* & Deut. *5. num. 16.* præsertim Cornelius à lapide *hoc Deut. loco*, & Antonin. *4. part. tit. 5. cap. 9. §. 1.* Et Ambrosius in Lucam *lib. 8. cap. 17.* & Hieronymus *in Matthæum lib. 2. cap. 15.* Primo exhibendo illi reuerentiam. Secundo obedientiam præstando. Tertio in necessitatibus succurrendo; at relinquere præcepta propter consilia, nefas est, vt dicitur Matthæi 15. & habetur capite, si qui filij *distin.* 30. quod intellige, etiamsi quis vouisset Religionem ingredi, vt benè Sanchez, Angelus, Syluest. Tabiena *locis cit.* siue vouisset ante eam indigentiam, siuè post, vt idem Sanchez cum aliis, quos citat *num.* 8.

Limitat tamen D. Thom. & alij, si absque periculo peccati mortalis non possit in sæculo permanere, quia ordo charitatis postulat salutem propriam spiritualem, præferri temporali bono parentum; quod est intelligendum de periculo proximo, seù proxima occasione peccandi, quam filius, moraliter loquendo, stando in sæculo vitare non potest, vt benè Sanch. *num.* 11. Ex quo sequitur, quod talem recipientes ad habitum, etiam mortaliter peccant, quia rei hic, & nunc malæ in casu graui cooperantur; malum est enim relictis præceptis iustitiæ, consilia perfectionis perficere.

Dico secundo, Filius iam professus, tenetur Religione egredi ad subueniendum parentibus, extrema necessitate laborantibus, petita licentia, licet non obtenta, imò contradicente, præcipiente, & reclamante Prælato: modò certus sit de tali parentum necessitate; & quòd nullo alio modo possit illis prouideri. Ità Caietan. *2. 2. q. 101. art. 4. circa solutionem ad quartum*, Passarell. *in priuileg. Minimor. cap.* 42. Nauar. *comm. 3. de regul. n. 48. & in sum. c. 14. n. 14.* Valent. *tom. 3. disp. 7. q. 1. p. 2.* Miranda *tom. 1. manual. prel. q. 26. art. 11.* Angl. Lop. Rodriq. *in summ. loc. cit.* adhoc etiam explicat Caiet. *loc. cit. D. Thom.* Sanch. *lib. 4. in decal. cap. 20. n. 14.* Ledes. *loc. cit. digo lo tercero.*

Probatur ex Caiet. quia præceptum iuris naturæ, & diuini in extrema necessitate, præeminet omni voto, & vinculo; quia vota non debent esse impeditiua operum iustitiæ. Nec solum pro patre, sed pro quocunque homine in necessitate, tenetur quilibet; vnde sicut licet furari propter extremam alterius necessitatem: ità licet actualem obedientiam Prælato subtrahere: & furari bona Ecclesiæ, si aliter non potest patri subueniri.

Et hanc Conclusionem intellige, siuè Pater incurrerit hanc necessitatem ante, vel post professionem; vt benè Azor *part. 2. instit. moral. lib. 2. cap. 3. q. 5.* Ledesma *loco cit. digo lo vltimo*, qui optimè confutat distinctionem Syluest. Angel. & Nauarr. *de necessitate incursa antè, vel post professionem*; & ratio est, quia licet si Religiosus sit mortuus mundo, potest tamen multas obligationes naturales incurrere etiam post professionem, verbi gratia, si filium genuisset, nonne posset illi consulere eo modo, quo Religiosum deceret? sic pari passu in casu præsenti, licet mortuus sit mundo, si illi superueniat necessitas naturalis parentum, potest, & debet illi consulere et at non potest, nisi Religione egrediendo, vt suppono.

Dico tertio, si Religiosus graui parentum necessitati non potest succurrere stando in religione; quia non dat illi Prælatus commoditatem, & licentiam id faciendi, salua regulari obseruantia, ipso Prælato contradicente, Religionem exire debet, vt tali graui necessitati subueniat; modò nulla alia via possit subuenire ei necessitati. Ità Valent. *tom. 3. disput. 7. q. 1. p. 2. quæstiuncula 6. conclus. 2.* Maior *in 4. d. 38. qu. 16.* Corduba *in Regula Diui Francisci cap. 2. quæst. 6. art. 1. opinione quinta p. 3.* & alij, quo citat Sanchez, licet non sequatur *lib. 4. in decalog.*

Decalog. cap. 20. *num.* 14. Miranda *tom.* 1. *Manualis q.* 26. *art.* 11. *concl.* 2. *verb. Aduerto tamen.*

Probatur, quia quando concurrunt simul duo præcepta, quæ simul, & semel nequeunt obseruari, illud obseruandum, quod maius, antiquius est, & quod strictius ligat. Hic concurrunt duo præcepta, diuinum, quod præcipit obseruantiam voti obedientiæ, & diuinum naturale, quod præcipit subuentionem parentum; Vtrumque simul, vt suppono, non potest obseruari, ergo videndum, quod strictius ligat, & quod est maius, & antiquius. Hoc sine dubio est præceptum subueniendi parentibus, tùm quia est etiam diuinum, & naturale, tùm quia strictius ligat ob plurima à parentibus recepta: Tùm quia Deus, qui nostris oblationibus non indiget facilè etiam cedit iuri suo circa obseruationem voti, quando, sine iniuria, & graui detrimento proximi, & adeò coniuncti, vt sunt parentes, non potest obseruari.

Dicere autem, quòd per professionem Religiosus est mortuus mundo, & per consequens liberatus ab illa obligatione subueniendi parentibus, esset illum liberare etiam in casu extremæ necessitatis, & tamen omnes ferè fatentur, licere Religioso, neglecto Superioris præcepto, domum ab incendio, vel hominem à mortis liberare periculo. Licèt itaque dicatur fictione iuris mortuus mundo, quoad aliqua, remanet tamen homo, & est viuus quoad alia, vt diximus de eo, qui filium genuisset, & insuper reddenda est ratio, quare Religiosus mortuus mundo non teneatur ex naturali præcepto succurrere parenti in sæculo, eo modo, quo si Religiosus non fuisset, naturali præcepto, id facere teneretur.

Si etiam dicatur, vt dicunt Cajetanus, Abulensis, & alij, quòd præceptum honorandi parentes est affirmatiuum, & quòd non obligat nisi eo modo, quo pro statu, & conditione personæ potest; & exemplificetur in vxorato, qui non tenetur relinquere vxorem, vt patris necessitati succurrat.

Respondet Valentia *loc. cit.* versu in casu autem secundi. Hoc argumentum procedere ex suppositione falsi, supponit enim votum eo casu obligare, quod tamen est falsum, nam tunc non est de meliori bono, sed est impeditiuum maioris boni, & magis necessarij. Posset etiam dici, quòd licèt illud præceptum affirmatiuum non obliget semper, idest continuè, vt præcepta negatiua, sed solum pro casu necessitatis, pro eo tamen casu semper obligat, licèt eo modo, quo potest, sed hic nullo alio modo potest adimpleri, vt suppono, nisi Religionem exeundo. Exemplum vxorati facilè diluitur. Nam filius vxoratus tenetur strictissimo matrimonij præcepto statum matrimonij tueri, vnde non est mirum, quod illi aliud præceptum honorandi parentes, etiam naturale cedat, quoad modum.

Limitandæ tamen hæ duæ conclusiones, nisi filio, egrediendo, immineret periculum peccati mortalis, nam tunc potius suæ saluti spirituali, quam corporali patris esset consulendum.

Aduertendum etiam, quod deberent Superiores, cognita veritate necessitatis, facere facultatem suis Religiosis, vt salua disciplina Regulari, possent huiusmodi parentum necessitatibus subuenire, quia sic melius consuleretur saluti Subditorum: qui sic non tenerentur vagari, ad quæritandum victum pro sustentatione parentum, & non relaxarentur in disciplina Regulari. Si autem per paupertatem Religionis, vel aliam rationabilem causam, id non liceret, tunc debent facere facultatem Subdito exeundi, habitu retento, quousque tali necessitati subuenerit, ad scrupulos Religiosis tollendos. Qui autem sint Superiores, qui possint talem facultatem facere, docent Nauarr. *comm.* 3. *de Regular. num.* 49. & Rodrig. *tom.* 1. *sum. cap.* 6. *num.* 4. Sanchez *in Decalog. lib.* 4. *cap.* 20. *num.* 22. Nimirum Generalis & Prouincialis.

Dico quartò, ad succurrendum necessitati graui Fratrum, & Sororum, etiam pudicitia periclitantium, non potest, nec debet Religiosus professus Religionem exire.

Probatur, quia eos alere non tenetur, esset tamen iusta causa petendi licentiam à Pontifice exeundi: maximè si Sorores in graui pudicitiæ periculo versarentur, vt ait Sanchez *lib.* 4. *in Decalog. cap.* 20. *num.* 33. & Corduba *in summ. q.* 141. *art.* 2. *fine* refert, se vidisse dispensationes à Pontifice concessas professis ad exeundum, pro subleuandis sororum necessitatibus: esset etiam hæc iusta causa ingressum differendi: siue votum adsit, siue non, siue tempus sit præfixum, siue non, vt bene Sanchez *loc. cit.* quia Charitas suadet, vt Frater Sororum pudicitiam tueatur, vt Azor. *tom.* 1. *instit. moral. cap.* 1. *q.* 8.

In extrema tamen necessitate deberet exire, sicut pro alio quocumque proximo, vt dixi; etiam contra Prælati præceptum, quæ tamen necessitas breuissimè durat, nec cogit Religiosum ad diù foras permanendum. In graui autem, puto quòd posset cum licentia sui Prælati, qui eam dare debet, sorori succurrere eo modo, quo posset, salua Regulari disciplina.

At inquies, quomodo potest Religiosus, stando in Religione, aliquid acquirere, quo parentibus, & sororibus subueniat.

Respondeo multa posse acquirere honestis artibus, laborando, scribendo, pingendo, concionando, confessiones audiendo, libros imprimendo, vel eleemosynas quærendo pro tali affectu, & licèt quicquid acquirit Monachus, acquirat Monasterio, verum etiam est, quòd Prælatus de eleemosynis venientibus ad Conuentum potest eleemosynas facere, vt Suar, *de fide, spe, & charitate tract.* 3. *disp.* 7. *sect.* 2. *num.* 3. quod idem potest facere Subditus ex licentia Prælati expressa, vel probabiliter præsumpta, vt D. Th. 2. 2. *q.* 32. *art.* 8. *ad* 2. & censet, Suarez cum Syluest. *verbo eleemosyna*, & aliis quòd quando necessitas est grauis, & non potest facilè Superioris consensus postulari, debet præsumi. His modis potest salua Regulari disciplina, filius succurrere necessitati parentum: & frater necessitati Sororum, & Fratrum; Sed diuersimodè, quia patri tenetur omnino hoc modo, etiam sine Prælati licentia, vel si hanc non potest obtinere, tenetur exire; Sororibus autem, debet licentiam à Prælato obtinere. Et ratio differentiæ est, quia patrem tenetur iure naturali, & gentium alere; Fratres & Sorores nequaquam.

§. I.

Cur tantum debeant filij parentibus.

VT quàm rationabiliter, quæ hoc capite diximus; dicta sint intelligatur, placuit hunc paragraphum ex abundanti annectere, & colligi posse puto, quod quærimus, ex duobus capitibus; nimirùm ex magnitudine beneficiorum, & ex amoris abundantia.

Primo beneficia parentum in filios meridiana luce clariora sunt, ab illis enim recipiunt esse, educari, & disciplinari, vt habet D. Thom. 2. 2. *qu.* 102. *art.* 1. *corpore, & q.* 106. *art.* 1. *corp. & in* 4. *dist.* 26. *q.* 1. *art.* 1. *corp. & distinct.* 33. *qu.* 1. *art.* 3. *quæstiuncula* 1. *corpore*, & alibi sæpius Aristoteles 8. *Ethycorum cap.* 11. *& lib.* 5. *cap.* 6. ait, quòd *iniustitia patris ad filium nulla potest esse, quia nullus erga seipsum iniustus est, & filius nihil est aliud, quàm esse quoddam patris; &* 8. *Ethyc. cit. cap.* 12. comparat amicitiam, quam debemus patribus amicitiæ; quam debemus Deo: propter maxima, & ingentia beneficia ab illis recepta, *& libro* 1. *magnorum moralium cap.* 31. ait, *at filio erga patrem, ius vllum non esse videbitur, quia membrum patris est filius*, & Cicero pro Cluente. *Parentes*, ait *Charissimos*

habere

habere debemus, quod ab iis, vita, patrimonium, Libertas, Ciuitas tradita sit.

S. Ambrosius *in Lucam lib. 2. cap. 3.* ait *Disce, quid parentibus tuis debeas: Tu matri debes pudoris iniuriam, virginitatis dispendium, partus periculum: matri longa fastidia; matri longa discrimina, cui misera in ipsis votorum fructibus maius periculum est; & cum ediderit, quod optauit, partu absoluitur, non timore. Quid anxios patres loquar pro filiorum profectu multiplicatos alienis vsibus censùs, iactaque semina posterorum ætatibus profutura?* Et lib. 8. c. 17. ait, *Pasce matrem tuam, & si paueris matrem, adhuc non reddidisti dolores, non reddidisti cruciatus, quos pro te passa est, non reddidisti obsequia, quibus illa te gestauit, non reddidisti alimenta, quæ tribuit tenero pietatis affectu, immulgens labris tuis vbera, non reddidisti famem, quam illa pro te tolerauit, nequid, quod tibi noxium esset, ederet, ne quid, quod lacti noceret, hauriret. Tibi illa ieiunauit, tibi manducauit, tibi illa, quem voluit cibum, non accepit, tibi quem noluit cibum sumpsit, tibi vigilauit, tibi fleuit, & tu illam egere pateris.*

Secundò colligitur, quantùm debeant filij parentibus, ex magnitudine amoris, quo isti eos prosequuntur, amor parentum in filios maximus est, & maior, quàm possit declarari verbis, nec illius magnitudinem, & intensionem, facilè puto capi posse à non expertis. Ex scriptura autem sacra, vt eruúcio, potest aliquatenùs insinuari. Et nos hoc primo loco doceat Sanctus Iob, *cap. 1. sui libri*, cui relatum est quodam die, illius armentarios, ac armenta in campis pascentia Sabæos fuisse grassatos; at nec frontem caperauit ad nuncium Homo Dei. Vix hoc illi fuerat narratum, cum ecce delator alius dicens: *Ignis Dei cecidit è Cælo, & tactas oues, puerosque consumpsit*, & ita, vt nec vllum remanserit vestigium; at nec hoc illum quidquam mouit; adhuc isto loquente, ecce alius, qui dixit: *Caldæi fecerunt tres turmas, & inuaserunt Camelos, & tulerunt eos necnon, & pueros percusserunt gladio*; nec hoc validissimo licet ictu inexpugnata fortissima illa patientiæ turris, sed nec hic loqui desierat, cum ecce hiascens, anhelans, sudore respersus comparet alius, qui in ea prorupit verba: *Filiis tuis & filiabus vescentibus, & bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti, repente ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt*: Hic vir Dei victus, hic expugnata illa munitissima turris, in manus doloris, & afflictionis se tradens, *Scidit vestimenta sua, & tonso capite corruens in terram adorauit.* Qui amissione omnium bonorum, & facultatum suarum nec signum doloris ostenderat, vide quantum in amissione filiorum.

Addamus secundum amoris parentum in filios, scripturæ locum *ex Gen. 37.* vestem pueri Ioseph respersam sanguine tulerunt illius fratres sancto seni Patriarchæ Iacob; qui puerum damnatum putans, *scissis vestibus, indutus est cilicio, lugens filium suum multo tempore*; ni fallor, nusquam legitur, plorasse Sanctum senem, hoc loco excepto: licet multis ærumnis, & aduersitatibus tortum; his cognitis, reliqui filij, inito consilio, vna omnes ad patrem consolandum accedunt; *Sed noluit consolationem accipere: & dixit, Descendam ad filium meum lugens in infernum.* Quid plura? Tanta filiorum copia vnius iacturam non mitigat, neque solatur? *Ex morte filij dolorem, ægritudinemque animi concipere, res est talis*, (vt Plutarchus *de consolat. ad Apollonium* ait) *quæ à naturali profecta principio, non sit in nostra voluntatis sita libertate*: At quòd nolit consolationem accipere: & quòd lugens velit ad mortem peruenire, mira res est? hic amoris filiorum effectus.

At non omittendus Sanctus Dauid in hoc argumento, qui libenter vitam pro Absalone filio dabat, vitam sanctam, vitam necessariam, tàm charam Deo; & hominibus dulcem, pro vita scelesti, infami, & proprij patris proditrice; Legitur 2. Regum 18. *Fili mi Absalom, Absalom fili mi, quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te, Absalom fili mi, fili mi Absalom*: verba tantæ teneritudinis, & tantæ ostentationis amoris Parentum in filios, vt vix quidquam possit addi, nisi fortè illud velimus de Agrippina, quæ non vitam pro vita crudelis Neronis filij offerebat, sed vitam pro eiusdem honore, *Imperet*, aiens, Ad Apollinis Oraculum referentes, *& occidat*. An filij parentibus possint condignam retributionem dare, Io. de Lignano *in tract. de Amicitia, §. de retributione filij erga Patrem tom. 12. tract. pag. 234.*

§. II.

Quæ debeant filij parentibus.

LAtè prosequitur hoc argumentum Ioannes Busæus *in suo viridario, verbo Pietas in parentes c. 2.* Hæc solum ad tria capita reduco.

Primum est amor. In confesso enim est apud omnes, filialem paterno debere correspondere. Si enim amor non nisi amore soluitur; vt habetur Cantic. 8. *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam*, & notum est vetus prouerbium, *magnes amoris amor*; & Seneca Epistola 9. *Si vis amari ama.* Quomodò filius tantum amorem expensum feret patri, nisi per reciprocationem dilectionis?

Ad istum amorem pertinet alere patrem, illius necessitatibus subuenire, & illius curam gerere. In cuius Symbolum Ægyptij pingebant Ciconiam, vt est apud Claudium Minoe ad emblema trigesimum Alciati. Quòd hæc auis soleat genitoribus suis senio confectis eodem modo gratiam rependere quo ipsa fuerit educata; iis nidum parat; pennas vellicat inutiles, & pabulum suppeditat; vnde Alciatus ista inter alia cecinit.

Nec pia spem soboles fallit, sed fessa parentum
Corpora fert humeris, præstat & ore cibos.

Quo exemplo ad hoc etiam hortatur liberos Sanctus Ambrosius *lib. 5. in hexaëmeron cap. 16.*

Pertinet hic etiam illud Theophrasti. *Oportet antè omnia Diis, non tam multa, quam frequenter, ac piè sacrificare: deinde parentum alere senectutem.* Sic enim alimentorum vices parentibus referent, vt habet Chrysost. *serm. aduersus vituper. vitæ Monasticæ.* & Quintil. *declamat. 5.* ait, *Parentibus liberi non præstant alimenta, sed reddunt.* Vnde Ecclesiastici 58. *Quàm malæ famæ est, qui derelinquit patrem, & est maledictus à Deo, qui exasperat matrem.*

Secundum. Quòd à filiis exigitur est obedientia, dicente Apostolo ad Ephes. 6. *Filij obedite parentibus vestris in Domino*, vbi per illud verbum in Domino, intellige in rebus, quæ diuinæ voluntati non aduersantur, vt explicant Theophylactus eo loco, & Hieronymus *ibi* qui ait *Parentibus, de quibus secundum carnem nati sumus, obtemperemus in Domino, implentes ea, quæ non sunt Domini contraria voluntati*, & Chrysost. *hom. 9. in Epistolas Pauli*: ait, *Filij, sint in parentes pij subditi, & dicto obtemperantes.* Vnde Ecclesiastici 3. *Qui timet Dominum, honorat parentes: & quasi dominis seruiet his, qui se genuerunt.*

Tertium. Inter ea quæ à filiis exiguntur, est reuerentia in parentes iuxta aliud decalogi præceptum: Honora parentes, vnde Ambrosius *lib. 1. de officiis cap. 1.* ait: *Est bonorum adolescentium timorem Dei habere: deferre parentibus honorem: habere senioribus reuerentiam*, & Demetrius Phaleræus apud Laërtium l. 5. c. 5. *Admonebat adolescentes, vt in solitudine se ipsos: in via obuios, & domi parentes diligenter reuererentur.* Xenocrates, vt refert à Lapide cap. 9. *in Gen. versu 21. Tria tantùm præcepta in templo Eleusina mansisse dixit, Primum venerandos esse*

Deos. Secundum honorandos esse parentes. Tertium abstinendum esse à carnibus.

Quem honorem tanti facere ostendit Deus, vt nouem bona filiis exequentibus promiserit Ecclesiastici 3. vt notat Cornelius à lapide *cap. 9. in Genesim versu 26.* Primum opes tum spirituales, tum temporales: *Sicut*, inquit, *thesaurizat: ità qui honorificat matrem suam.* Secundum, quòd talis filius felix erit in suis pariter filiis; *Qui honorat matrem, iucundabitur in filiis.* Tertium quòd preces eius exaudiet Deus, *In die orationis suæ exaudietur.* Quartum, quòd longæuus erit; *Qui honorat patrem, vita viuet longiore.* Quintum, quòd stabilem habebit familiam, & posteritatem; *Benedictio patris firmat domos filiorum.* Sextum, quod erit gloriosus. *Ex honore patris gloria filij.* Septimum, quòd in tempore tribulationis ab ea liberabitur à Deo. *Eleemosyne patris non erit in obliuione; & in die tribulationis memor erit sui.* Octauum, quòd peccata ei remittentur. *Sicut in sereno glacies, ità soluentur peccata tua.* Nonum, quòd à Deo benedicetur, idest omni bonorum copia cumulabitur. *Honora*, inquit, *patrem tuum, vt superueniat tibi benedictio à Deo, & benedictio illius in nouissimo maneat.*

Hæc omnia bona consequitur, qui parentes honorat; contra verò, qui facit multa mala; Deut. enim 21. *Lapidibus obruendus*, dicitur, *filius contumax*, & Prou. 20. *Qui maledicit patri suo, vel matri: extinguetur lucerna eius in mediis tenebris*; vbi per lucernam extinctam, mortem intelligit, qui enim moritur, quodammodò mundi huius lumen, ac lucernam perdit; dum autem dicitur, Deum lucernam in mediis tenebris illi esse extinctum; significat tum vitam illi ereptum iri, cum maxime ei erat necessaria. Quòd si per tenebras, peccata velimus intelligere: grauissima omnium pœnarum pœna esse mulctandum, significat: nimirum, vt in peccatis moriatur, esse Deum permissurum.

At sciant etiam hic parentes, eos filiis suis maledicere non debere, quia, vt habetur Ecclesiastici 3. *Sicut benedictio patris firmat domum, ità maledictio matris eradicat fundamenta*, & Plato *lib. 2. de legibus* ait; *Nihil imprecatione parentum filiis posse accidere perniciosius.* Et permittit sæpè Deus in vindictam parentum, illorum maledictiones sortiri effectum; cuius rei habet mirabile exemplum August. *lib. 27. de ciuitate Dei c. 8.*

Timendæ igitur similes parentum maledictiones à filiis, præsertim cum maledicendi illis præbent causam; Quòd si maledicant sine causa, & ratione, vt multi: vel quia filij nolint suis prauis voluptatibus adhærere: vel quia vellent facultates, filiorum studio, & industria partas ad libitum dilapidare; hoc tantum, quia patres sunt: vel ita sint indiscreti, vt, sui immemores status, velint à filiis lautiùs, & nobilius tractari, quàm fas sit, & conueniat: vel quia nolint eis obedire in his, quæ contra Deum, & bonos mores, tùm non valde timendæ sunt, quia Deus iniustæ actioni non cooperatur; & habetur expresse *vndecima quæst. 3. cap. qui iniustus est.* Ipsi tamen filij pro talibus parentibus Dominum rogent, vt eis lumen intellectus aperiat, viam veritatis ostendat ipsis patientiam tribuat; & caueant hi filij, quibus Deus tales parentes dedit, & contrà ordinem naturæ ex malis arboribus bonos fecit nasci fructus, ne ira quandoque perciti, suos parentes contemnant, & vilipendant, vt ira Dei super ipsos non cadat, sed potius patientes sint, & gratias Deo quàm maximas agant, qui eos suorum parentum meliores effecit, quòd singulare beneficium est; *non enim ex squillis solet nasci rosa*, vnde vetus Prouerbium, *Mali corui, malum ouum*, quod optimè celebrat Euripides.

Heù, heù vt illud dictant rectè; probum.
Patre ab improbo, non posse nasci filium.

CAPVT X.

Vtrùm præcipiente Prælato, teneatur Subditus acceptare dignitates intrà, vel extrà ordinem.

Videatur pro hoc capite D. Thom. *quodlib. 5. art. 22. & 2. 2. quæst. 185. artic. 2.* Sotus *lib. 10. de iust. q. 2. art. 2.* Nauarr. *comm. 4. de regul. num. 23.* Antonin. *3. parte, tit. 16. cap. 1. §. 9. verbo Insuper nota*, Syluest. *verbo Electio 1. quæst. 19. num 52.* Tabiena *eodem n. 28.* Angelus *n. 30.* Armilla *num. 37.* Lopez *prima parte instruct. cap. 56. col. 3. versu Iam istinc.* Rodriquez *tom. 2. q. regul. q. 55.* Valent. *tom. 3. disp. 10. quæst. 3. part. 3. assertion. 6.* Ledesma *de statu Episcoporum cap. 3. conclus. 8. pag. mihi 26.* Miranda *tom. 2. manual. præl. q. 23. art. 35.* Lessius *lib. 2. de iustit. cap. 41. dub. 9. n. 76. versu hinc sequitur, & c. 46. dub. 5. n. 33.* Sanchez *lib. 6. in decalog. c. 3. n. 11. & c. 2. à num. 49.* & alij.

Notandum, quòd humilitas religiosa postulat, vt oblatas dignitates declinemus; Tanta enim puritas requiritur in eo, qui Prælationis officio est defuncturus, vt superbire sit, eam in se existimare, onusque tam graue est homines regere, vt elati animi sit credere, illud ferre posse; Hoc tamen non est pertinaciter faciendum, cum ad id suscipiendum, superna agnoscitur voluntas, vt ait D. Thomas *quodlib. 5. art. 22.* Quare Ecclesia sanctè, pieque instituit, vt quando suscipientur aliqui in Episcopos, quilibet respondeat priùs, bis nolo, & tertia vice respondeat, volo; quasi in primis ipse intentionem suam ostendat, in tertia autem obediens, voluntati alterius subiaceat; Ad quod facit illud Antistenis, qui rogatus quomodo ad Reipublicæ munera accedendum esset, respondit, *Sicut ad ignem; neque nimis propè, ne comburaris, neque nimis longè, ne frigescas*; vt autem sciatur, quando quis debeat acceptare, vel possit recusare.

Dico primò, potest Prælatus Religionis præcipere subdito, vt acceptet dignitatem intra ordinem, & istè tenetur obedire sub pœna peccati mortalis. Ita D. Thom. *2. 2. quæst. 104. art. 5. ad 3.* Sanchez *lib. 6. in decalog. cap. 2. num. 52.* Syluest. Angelus, Antoninus, Nauar. *locis citat.* Rodriquez *art. 1.* Miranda *concl. 1.* & alij communiter.

Probatur primo, quia Prælatus potest suis subditis præcipere ea omnia, quæ ad Regulam pertinent: at habere aliquam dignitatem in Religione; siue cum cura animarum coniunctam, vt Prioratum, &c. siue non, vt collegatum, & definitoriatum, vel aliquod ex officiis minoribus, vt procuratoris, sacristæ, &c. ad regulam obseruandam maximè pertinet, vt per se patet, quia hac in regula præcipiuntur, ergo.

Secundò, quia alioquin malè esset prouisum disciplinæ regulari, si omnes possent refugere Religionis onera, quæ dignitates appellamus.

Tertio, Quod subditus mortaliter peccat; probatur, tùm quia facit contrà obedientiam Prælato debitam, tùm quia facit contrà charitatem proximo debitam, & in re graui.

Dico secundò, Subditus tenetur acceptare dignitates intrà ordinem, etiam non accedente Superioris præcepto. Ita vt mortaliter peccet, non acceptando, quando secundùm iudicium suæ conscientiæ, videtur sibi verisimiliter, quod non est, qui velit, & possit salutem animarum procurare, quàm ipse potest: & per hoc videt Religioni, nisi assentiat graue periculum, seù dispendium imminere. Ita Syluest. Angelus, Rodriq. Miranda *locis citatis*, concordat D. Thom. *quodlib. 5. art. 22.*

Probatur

Probatur primo, quia bonum priuatum, vt quies, studium, oratio, & alia, quæ solent viros probos inducere ad dignitates recusandas, postponendum est communi bono.

Secundo probatur, ex Greg. *lib. 6. registi, epistola 5.* & refertur *c. in Scripturis 8. q. 1. §. & sicut scriptum est*, vbi ait: *Si is, qui valet omnipotentis Dei oues, renuit pascere, ostrudit se pastorem summum minimè amare. Si enim vnigenitus Patris, pro explenda vtilitate omnium, de secreto patris egressus est ad publicum nostrum; nos quid dicturi simus, si secretum nostrum proponimus vtilitati proximi.*

Dico tertiò, Subditus iussus à Prælato dignitatem admittere, acceptare tenetur, etiamsi eo munere non omnino se dignum iudicet. Ita Antoninus 3 *p. tit.* 16. *cap. 1. § 9. verbo Insuper nota, ex doctrina Paludani in 4. d. 19. q. 1. art. 1. num. 7.* Sanch. *lib. 6. in decalog. cap. 3. num. 11.*

Probatur, quia in dubiis obediendum est, vt probauimus. Is autem, qui non tam dignum se reputat, suppono, quòd neque etiam omnino se æstimet indignum, & de facto talis sit. Nam tunc non potest dignitatem acceptare, absque eo, quòd mortaliter peccet; quia dignitas est ita de intrinseca natura Prælaturæ, vt super eam neque possit Summus Pontifex dispensare; ita vt indignum promoueat, vt infrà dicemus, cum sit de iure diuino naturali. Quod est intelligendum, etiamsi sua indignitate manifestata Prælato, hic nollet acquiescere; præsertim si videat, nolle ipsum acquiescere, ductum aliqua passione amoris, vel vtilitatis.

Quod etiam dicendum est de eo, qui admittitur ad confessiones audiendas per obedientiam; si enim est dubius, an sit sufficiens, obedire tenetur; si est omnino certus de sua insufficientia, tenetur non obedire, & si obedis, mortaliter peccat, vt Syluest. *verbo Confessor. 3. n. 3.* Nau. *in summ. c. 4. num. 9.* Suarez *tom. 4. in tertiam partem, disp. 28. sect. 2. n. 7.*

Dico quarto, is, qui propter circumstantias opinatur, moraliter loquendo, futurum, vt sæpè peccet, Prælaturam admittendo, si est ità necessarius pro bono communi, vt nullus alius reperiatur, qui illi possit, & velit consulere, debet dignitatem, & Prælaturam admittere. Ita Valent. *tom. 3. disput. 10. q. 3. p. 3. assert. 6. dub. 2.* Petrus de Ledesma *de statu Episcoporum c. 3 conclus. 9. difficultate vnica, pagina mihi* 29. qui multis eam probant contra Sotum *lib. 10. de iust. q. 2. art. 2 fine.*

Probatur primo, quia bonum commune particulari est præferendum, etiam iuxtà ordinem Charitatis; præsertim cum hoc non se exponat periculo certo, & infallibili peccandi, sed solum periculo facillime peccandi, à quo periculo facilè etiam cum gratia Dei poterit liberari, si pro tali liberatione eum assiduè rogauerit; Aliud enim est periculum peccati, & aliud peccatum ipsum. Hoc secundum propter bonum commune nequit quidem fieri; vtique autem primum, vt habet etiam Soto *lib. 5. de iust. quæst. 1. art. 6. ante tertiam conclus.* qui videtur sibi contradicere *lib. 10. loc. cit.* nisi forte hic *lib.* 10. veniat explicandus, quòd loquatur de periculo certo, & infallibili: seu de periculo proximo, vt mox dicam.

Secundo probatur, ex verbis D. Petri (vt refert Val. *loc. cit.*) *apud Clementem epistola prima*, qui ait, *Si periculum peccati timens, Ecclesiæ gubernacula suscipere refugis, certus esto, quòd grauius peccas, quàm si Populum Dei in mari fluctuantem, cum iuuare possis, subterfugis, tui tantummodò considerationem habens.* Debet ergo iste timens hunc deponere timorem, & confidere in Domino, qui pro sua misericordia eum à peccatis liberabit; cum Prælatura non sit necessaria causa peccati; Si autem non potest deponere, adhuc acceptare tenetur; propter circunstantiam boni Communis.

Si obiicias illud Ecclesiastici 3. *Qui amat periculum peribit in illo*, & dicas, quòd in moralibus idem est committere, & exponere se periculo committendi.

Respondeo cum Ledesma *loco cit.* ad argumentum Soti, quòd periculum spirituale, de quo loquimur, potest considerari dupliciter. Primò quando est proximum, vt cum quis adit domum mulieris, cum qua sæpius peccauit, & exponit se eidem peccandi periculo; hoc casu verum est; Qui amat periculum peribit in illo; quia iste; moraliter loquẽdo, est certus, quod omnino peccabit. Secundò, quando periculum non est ita proximum, sed valdè remotum, vt cum viri spirituales tendunt ad conuertendos infideles, vel mulieres profanas cum periculo spiritualis salutis. Et hoc modo, qui amat periculum propter commune bonum in illo non peribit; quia licet possit timere aliquod se commissurum peccatum, non est tamen certus de illo moraliter. Quòd idem est dicendum in præsenti casu, in quo periculum non est proximum, sed valdè remotum, cum nunquam se in tali conflictu viderit. Quo modo hunc locum etiam explicat Suarez *de fide spe, & charitate tract. 3. disp 9. sect. 2. num.* 8. aiens, *Hoc dictum Ecclesiastici maxime verum esse, quando periculum est in determinata materia, in qua aliquis fragilem se expertus est.*

Ex quo colligo, quod, si quis in Prælaturis, ad tempus durantibus, pluribus vicibus sit expertus se peccatum aliquod committere, quod sine illis non committit, non debet etiam iussus pro communi bono Prælaturam acceptare Quia in hoc casu verum est, quod Charitas incipit post Deum à se ipso, vt habet D. Thomas 2. 2. *q.* 26. *art. 4. &* 13. & periculum non est amplius remotum fient in illo, qui nondum Prælatus fuit, sed maxime proximum.

Dico quinto, non potest Prælatus Religionis præcipere subdito, vt accipiat dignitatem extra ordinem Episcopatum, verbi gratia, Abbatiam, &c. Valentia *tom. 3. disp. 10. quæst. 3. p. 3. assert. 6. verbo Quærent autem hic*, Ledesma *loc. cit. cap. 3. conclus.* 8. *ad primum argumentum pag. mihi* 28. Nauarrus *comm. 4. de regul. num.* 23. Lopez *prima parte instructorij c. 56. colum. 3. versu iam istinc.* estque communis sententia eorum, qui dicunt Prælatum non posse præcipere aliquid supra regulam, Lessius *lib. 2. de iust. cap. 41. dub. 9. n. 76. versu Hinc sequitur*, Sanchez *lib. 6. in decalog cap. 2. n. 49.*

Probatur primo, ex illo axiomate D. Bernardi de dispensatione, & præcepto. *Votum meum non adaugeat Prælatus sine mea voluntate, nec minuat sine certa necessitate.* Sed hoc esset valde votum augere, vt per se patet; ad multo enim plura tenetur Episcopus, quàm regularis.

Secundo quia Prælatus solum potest præcipere subditis, quæ pertinent ad regulam; at Episcopatus, potius subducit subditum à Regula. Vnde stultum est credere, vt bene Valentia, *posse Prælatum præcipere id subdito, per quod iste eximitur ab obedientia regulari erga Prælatum.*

At obiicies D. Thomam 2. 2. *quæst.* 185. *art.* 2. *ad* 3. qui ait, teneri quemque de necessitate salutis ad accipiendum Episcopatum, mediante Prælati Superioris præcepto; & esse illicitum votum de Episcopatu non accipiendo, & accedente Superioris mandato: ex quo patet, quod secundùm D. Thom. *potest Superior Prælatus subdito præcipere Episcopatum acceptare.*

Respondeo primo, per Superiorem, ibi intelligi Pontificem Summum, qui est Supremus Ecclesiæ Prælatus; ad quem solum, vt dicam, pertinet cogere Regularem ad acceptandum Episcopatum, cui incumbit cura vniuersalis boni communis. Sic intelligit D. Thom. Sanch. *loc. cit.* & Sotus *lib. 10. de iust. q. 2. art. 2. ad 2.* & fauet huic explicationi Glossa *in cap. Religiosus, verbo obtenta de elect. in 6.* Quæ in pari casu per Superiorem intelligit Summum Pontificem.

Secundo respondeo, posse quidẽ Prælatum Religionis

declarate obligationem iuris diuini naturalis, qua Religiosus astringererur in casu necessitatis Ecclesiæ; in quo casu illicitum est votum de Episcopatu non accipiendo, quia est contra Charitatem proximo iure diuino, & naturali debitam; & hoc pacto intelligendus est D. Thom. at extra talem casum, sua auctoritate Prælatus non potest ad id subditum cogere.

Dico sexto Summus Pontifex potest cogere Regularem bene meritum ad acceptandum Episcopatum, & iste tenebitur sub mortali obedire. Est communis sententia Rodriq. *to. 2. q. regul. q.* 58. *art.* 1. Lopez *prima part. instruct. cap.* 56. *col.* 3. *versu Iam istinc.* Ledesma *de statu Episcop. cap.* 3. *concl.* 8. *digo lo* 2. Valent. *tom.* 3. *disp.* 10. *quæst.* 3. *part.* 3. *assert.* 6. Lessius *lib.* 2. *de iust. capite* 41. *dub.* 9. *versu Hinc sequitur.* Sanchez *loc. cit.*

Probatur primò, quia ipsi incumbit cura vniuersalis Ecclesiæ, qui ex Pastoris officio tenetur prospicere.

Secundò probatur, ex August. *epist.* 204. *ad Donatum Presbyterum*, & refertur *capite displicet* 23. *q.* 4. *in principio*, vbi ait. *Multi, vt Episcopatum suscipiant, tenentur inuiti, producuntur, includuntur, patiuntur quæ nolunt, donec eis adsit voluntas, suscipiendi boni operis*, & *epist.* 148 *ad Valerium*, & refertur *cap. Ante omnia d.* 40. ait. *Quòd vim passus est in Episcopatu capessendo.*

At inquirs, hoc esse subditi votum augere; quod tamen suprà negauimus, posse etiam Summum Pontificem facere.

Respondeo, non posse quidem hoc ex vi voti; at cum acceperit à Domino omnem potestatem necessariam in oues sibi subditas, ex vi huius supremæ potestatis, potest Regularem cogere ad Episcopatum capessendum, cum id iudicat necessarium pro communi bono Ecclesiæ.

§. Vnicus.

Ad quid teneatur Regularis factus Episcopus.

Hanc quæstionem iustissimè tractat Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 6.

Dico primò, Regularis factus Episcopus tenetur vota essentialia seruare, mutatis mutandis: nimirum ad castitatem simpliciter; ad obedientiam erga Pontificem, qui est omnium ordinum Generalissimus: ad paupertatem etiam tenetur, quidquid dicat Sotus *lib.* 7. *de iust. q.* 4. *art.* 2. *ad vltimum*, & *lib.* 10. *quæst. vlt. art. vlt. volum.* 4. & si assumatur ex ordine Minimorum, tenetur etiam ad vitam Quadragesimalem; vt latiùs probabo *in quæstione de voto vitæ Quadragesimalis*; Quidquid dicat Sanchez *loc. cit. num.* 15. tenetur etiam deferre habitum suæ Religionis: & obseruare eas omnes obseruantias, quæ non impediunt Episcopalem statum. Ita D. Th. 2. 2. *q.* 185. *art.* 8. vbi Caietan. *ad* 2. *dub.* & *tom.* 1. *opusc. tract.* 25. *q.* 2. D. Bonauent. *in* 4. *d.* 38. *artic* 2. *q.* 3. *ad vltim.* Tostatus *cap.* 30. *numerorum q.* 109. Antoninus 3. *part. tit.* 20 *cap.* 2. §. 7. Angelus *verbo Monachus num.* 7. Rosella *verbo Religio p. num.* 4. Syluest. *verbo Religio* 6. *q.* 10. Antilla *verbo Episcopus num* 8. Nauar. rus *de redditibus Ecclesiasticis monitu* 9. & alibi, Valentia *tom.* 3. *disput.* 10. *q.* 3. *p.* 8. Lessius *lib.* 2. *de Iustit. cap.* 40. *dub.* 14. *num.* 113. Vasquez *p.* 2. *disp.* 165. *cap* 8. *num* 93. *ad finem*, & *in opusc. de redditibus cap.* 3. *dub.* 1. Rodriq. *tom.* 2. *quæst. regul. q.* 58. *art.* 3. Ledesm. *cap.* 3. *de statu Episc. conclus.* 25. *pag. mihi* 73. & alij, quos citat Sanchez *loco cit.* Vega 2. *parte sum. c.* 52. *casu* 8. Tabiena *verbo Episcopus* §. 6.

Probatur primo, ratione D. Thomæ, quia adueniente perfectione præstantioris formæ, non excluditur dispositio illam conseruans, nisi forte quantum ad id, quod perfectioni non congruit; sed status Episcopalis, habet se ad statum Religiosum, sicut forma perfectior ad dispositionem quandam; est enim Episcopus velut perfectionis magister; cum Regularis sit velut discipulus. Ergo obseruantia regularis, quæ præstari potest cum statu Episcopali, & custodire illius perfectionem, adhuc obligabit Religiosum creatum Episcopum.

Secundo, quia manet verus Religiosus, vt fatentur omnes, at hæc vota sunt essentia status Religiosi, vt dicitur *capite Cum ad Monasterium in fine de statu Monachorum.*

Aduertendum tamen, quòd ad vota tenetur sub mortali, quia illa formaliter, & expresse fecit; non remanet tamen subiectus pœnis taxatis *in regula transgressorib.* Tenetur etiam sub mortali deferre habitum suæ Religionis, quo ad colorem, vt Sanch. *loc. cit. n.* 22. *fine*, vbi ait id concessisse Episcopis regularibus Clement. VIII. vt Ledesma *loc. cit. versu es la difficult. ad pag. mihi* 76. Sanch. *loc. cit. num.* 22. cum aliis multis, quos citat, & patet *ex cap. Clerici*, §. *Pontifices de vita, & honestate Clericorum*, vbi dicitur, quòd Episcopi, qui fuerunt Monachi, tenentur portare habitum Monachalem. Ad alia autem, etiamsi in Religione obligent sub mortali, non tenetur nisi ex debito quodam morali, vt habet Soto *lib* 10. *de iust. q.* 5. *art.* 7. Et Caietan. *tom.* 1. *opusc. tract.* 25. *q.* 2. Sanchez *loc. cit. num.* 19. qui nec venialiter peccare asserit.

An autem, dimittendo temere habitum Religionis, incurrat excommunicationem latam *c.* 2. *Ne Clerici, vel Monachi in* 6. *contrà Monachos dimittentes habitum*, & fiat apostata. Tenet Sylu. *verbo Religio* 7. *q.* 11. Henriq. *lib.* 10. *de sacramento Ordinis c.* 33. *n.* 4. Contrarium tenent Couarruuias *c.* 1. *n.* 18. *de testamentis*, Sanchez *lib.* 6. *in decalog. c.* 6. *n.* 23. Rodrig. *tom.* 2. *q. regul. q.* 58. *art.* 3. & Ledesma *loc. cit.*

Dico secundò, omnia, quæ habet Religiosus antequam ad Episcopatum transeat, sunt Monasterij, eique ea tenetur consignare; est communis opinio Rodriquez *tom.* 2. *quæst. regul. quæst.* 58. *art.* 6. Addunt Henriquez *lib.* 10. *de Sacramento ordinis cap.* 33. *num.* 4. Syluest. *verbo suspensio quæst.* 6. *d.* 38. quod ex ordine Prædicatorum assumptus, si prius recipiat munus consecrationis, quàm resignauerit Ordini, Libros, & alia, quæ habet tempore suæ promotionis, eo ipso est suspensus ab executione Pontificalis ministerij, per priuilegium dicto ordini concessum à Clemente IV. & Alexandro IV. quod Priuilegium habetur in nostris priuilegiis *pag.* 35. in eoque præcipit Pontifex in virtute Sanctæ Obedientiæ Fratribus Prædicatoribus promotis, vel promouendis ad dignitates Episcopales, vel alias, vt libros, & alia, quæ ipsos promotionis suæ tempore habuisse, vel habere constiterit submota qualibet dilatione, resignent Generali, vel Prouincialibus Ministris. Nisi forsitan prædicti Ordinis Prælati, vsum huiusmodi rerum illis ad tempus concesserint de gratia speciali; quo Priuilegio gaudent omnes communicationem habentes; vt optimè Passarellus *in compend. priuileg. Minimorum pag* 35. Sed quidquid si in aliqua Religione sit statutum, quod nullus audeat consentire electioni, vel prouisioni de se factæ, nisi prius facta restitutione ordini omnium, quæ habebat tempore quo consensit, scilicet librorum, pecuniarum, vel aliarum rerum, si quas habebat, & si non præmissa restitutione consenserit, sit ipso facto excommunicatus hoc supposito, Papa in Consistorio pronuntiauit quendam fratrem ex illa Religione in Episcopum, qui cum illi id esset renuntiatum non præmissa dicta restitutione consensit, quæritur numquid sit excommunicatus. Dic quod sic, per ea, quæ notat Innocent. *in cap. Præterea, de appellat.* Ita Bernard. de Bisgneto *de const. tit. leg.* quem habes alligatum post Summam Goffredi.

CAPVT

CAPVT XI.

Vtrum Subditus teneatur obedire Prælato cum periculo vitæ.

PRo hoc capite potest videri D. Thom. 2. 2. *quæst.* 26. *art.* 5. *ad* 3. *&* *q.* 104. *art.* 5. Caietanus *ibi.* *&* *tom* 3. *opusc. tract.* 9. *q. vnica* Nauarrus *in summ. cap* 24 *num* 10. *in fine*, *& cap.* 25. *num.* 133. Armilla *verbo Obedientia nu.* 5. Tabiena *verbo Episcopus num* 5. Rodriquez *tom.* 3. *quæst. regul. q.* 31. *artic.* 3. *&* 4. & ibi *quæst.* 19. *art.* 7. *& tom.* 2. *sum. cap.* 9. *num.* 5. Vega *parte* 2. *summ. cap.* 52. *casu* 6. Bannez 2. 2. *quæst.* 33. *art.* 3. *dub.* 4. Lopez 1. *part. instruct. c.* 56. *colum.* 1. *quæst.* 1. *verbo at an Prælati*, *& cap.* 67. *col* 3. Sotus *lib.* 2. *de iustit. quæst.* 2. *art.* 4. *in corpore versus finem*, Ledesma *cap.* 4. *de statu Religiosorum in communi conclus.* 8. *ante primam difficultem*, Sanchez *lib.* 6. *in decalog. cap.* 2. *num.* 47. *& num.* 54. *& sequentibus.*

Notandum. Quatuor modis potest contingere, Prælatum præcipere aliquid subdito cum vitæ istius periculo. Primo, si tempore pestis, aut morbi alterius contagiosi præcipiat, vt morbo infectis ministret. Secundò, tempore nascentis alicuius hæresis, vt, prædicando, disputando, libros scribendo, cum vitæ periculo se opponat. Tertiò, vt ad Indos, vel alios infideles ad seminandum Euangelium contendat. Quartò, si mittat ad inhabitanda loca aëris intemperie laborantia; de quibus omnibus hic in particulari aliqua dicenda sunt.

Dico primò, Regulariter non potest Prælatus iubere subdito, vt mortis periculo se exponat. Ità D. Thomas 2. 2. q. 104. *art.* 5. Tabiena *verbo Episcopus, conclus.* 6. §. 5. Armilla *verbo Obedientia n.* 5. Rodriq. *tom.* 2. *sum. cap.* 9. *conclus.* 1. *num.* 2.

Probatur ratione D. Thomæ; quia in pertinentibus ad corporis sustentationem, omnes homines natura sunt pares.

Dico secundo, Superior Conuentus tempore pestis non potest fugere, deserto Conuentu, Rodriq. *tomo* 2. *summ. cap.* 9. *& tom.* 3. *quæst. regul. q.* 31. *art.* 2. Sanchez *lib.* 6. *in decalog. cap.* 2. *num.* 55. Nauar. *in summ. c.* 24. *num.* 10. *fine*, Fernandez 4. *part. sui exam. cap.* 16. §. 4. *num.* 9.

Probatur, quia Superior Conuentus se habet tanquam parochus respectu suorum parochianorum, sed hic non potest fugere, vt est communis sententia, & dicunt Præfati Rodriq. & Sanchez, & præterea Lopez 1. *p. instruct. c.* 67. *col.* 3. *versu At verò.*

Quod tamen limitandum est; nisi fortè Superior Conuentus bene prouidisset necessitati spirituali suorum subditorum per aliquem alium confratrem, qui ardenti Charitate incensus, vellet sua sponte tali necessitati succurrere; tunc enim cessaret ratio, quæ illum ad manendum cogebat, nec tum posset per Superiorem Prælatum ad remanendum compelli, vt in simili dicit Sanchez *loco modo citando num.* 62.

Dico tertio, Religiosus iussus à Prælato inseruire suis religiosis peste infectis, tum in spiritualibus, tum in temporalibus, tenetur obedire. Ita Caietan. *tom.* 3. *opusc. tract.* 9. *q. vnic. paulo ante versum Ad secundam verò Rationem.* Rodriq. *tom.* 3. *q. regul. q.* 31. *art.* 3. Sanchez *lib.* 6. *in decalog cap.* 2. *num.* 56.

Probatur primo, ratione Caietan. Quia Superior potest præcipere omnes illos actus exteriores necessarios ad commune illud bonum, cuius curam gerit, & ad quod subditos habet, & subditi tenentur obedire, etiam cum periculo vitæ; sicut Rex potest præcipere suis subditis præliationem pro defensione Ciuitatis, quæ semper est cum periculo vitæ.

Secundo. Quia alioquin malè prouisum esset in Religionibus fraternæ Charitati, si tempore contagiosæ infirmitatis fugere possent sani, infirmis desertis, absque seruitute, & remediis.

Excipit Rodriquez *loco cit. art. vltimo* & Sanchez *eodem n.* 57. Ab hac Regula illum Religiosum, qui esset admodum infirma valetudine; & eum, cuius vita esset valdè vtilis communi bono Religionis; Quia sicut hos imprudenter exponeret Prælatus tanto periculo: præsertim si alij adessent, ità hi illius imprudentiæ parere non tenerentur.

Dico quartò, non tenetur Religiosus obedire Prælato præcipienti, vt exteris peste infectis, tàm in spiritualibus, quam in temporalibus ministret, sed potest licitè fugere à loco peste infecto, vt vitam saluet; Ita Caietan. 2. 2. *q.* 26. *art.* 5. Bannez *ibi q.* 33. *art.* 3. *dub* 4. Vega *p.* 2. *sum. cap.* 52. *casu* 6. Rodriq. *tom.* 3. *q. reg. q.* 31. *art.* 3. Nau. *in sum. c.* 24. *n.* 11. Tabiena *verbo Episcopus* §. 5. *conclus.* 6. Armilla *verbo Obedientia num.* 5. Lopez *prima parte instruct. capite* 67. *col.* 4. *verbo*, *& similiter.*

Probatur primò. Quoad administrationem spiritualium, quia hæc ex Iustitia tenentur administrare Parochi, ergo si adsint, qui sufficienter id possint, & velint facere, non est cur Prælatus meam vitam in discrimen ponat; quod si faciat imprudenter facit, & ego obedire non teneor.

Secundo, quo ad ministrationem corporalium, probatur à D. Thom. 2. 2. *quæst.* 86. *art.* 5. *ad* 3. vbi ait, *quod cuilibet imminet cura proprij corporis, non autem imminet cuique cura de salute proximi, nisi in casu necessitatis; & ideò non est de necessitate Charitatis, quod homo proprium corpus exponat pro salute proximi, nisi in casu, quo tenetur eius saluti prouidere.*

Ex quo infertur, quòd in casu necessitatis, idest, quando non essent in Ciuitate, qui spiritualia infectis ministrarent, teneretur tunc Prælatus præcipere suis subditis, vt ea ministrarent; & isti tenerentur obedire, etiam cum periculo vitæ; & hoc præsertim Mendicantes, qui sunt Episcoporum, & Parochorum Coadiutores, quique ideò aluntur eleemosynis à populo, vt in similibus necessitatibus eos adiuuent, vt tradit D. Thom. 2. 2. *q.* 188. *art.* 4 *ad* 5. Ita tenet Rodriq. *tom.* 3. *q. reg. q.* 30. *art.* 4. & Sanchez *lib.* 6. *in decalog. cap.* 2. *num.* 60.

Dico quinto, Religiosi qui speciali voto se obligant, ad seruiendum infirmis tempore pestis, vt sunt fratres congregationis ministrorum infirmorum: Fratres hospitalarij, & Fratres Sancti Spiritus de Saxia in vrbe, non solum possunt fugere tempore pestis, sed tenentur ex debito iustitiæ legalis talibus infirmis ministrare. Rodriquez *loc. cit.* Suarez *tom.* 2. *de Religione lib.* 4. *cap.* 20. *num* 4.

Probatur, quia multa quæ solum sunt de consilio, & perfectione Charitatis; si sub voto cadant exequi debet ex debito legis, seù regulæ sic professæ.

Dico sextò, posse Prælatum præcipere subdito, & iste tenetur obedire, vt in casu, quo infidelis, vel hæreticus seducere curaret aliquem, se illi opponat concionando, docendo, libros scribendo, etiam cum periculo vitæ. Ità D. Thom. *opuscul.* 18. *cap.* 14. *col.* 3. *paulo antè medium*, Bannez 2. 2. *quæst.* 33. *artic.* 3. *dub.* 3. *conclus.* 3.

Probatur, quia magis debemus diligere vitam spiritualem proximi, quàm proprium corpus. Et est valdè rationabile, vt supremum bonum temporale, quòd est vita, exponatur periculo pro vltimo bono spirituali, quod est vita æterna.

Dico septimò, subditus non tenetur obedire Prælato præcipienti, vt ad infideles conuertendos petat cùm periculo vitæ. Lopez *prima parte instruct. cap.* 56. *col.* 1.

verſu At an Prælato, Rodriq. *tom. 2. ſum cap. 9. concluſ. 5. & q. regul. tom. 3. q. 19. art. 7.* Ledeſma *cap. 4. de ſtatu Relig. in communi concluſ.* 8. *in fine pag. mihi* 136. Sanch. *lib. 6. in decalog. cap. 2. n. 47.* Leſſius *lib. 3. de iuſtit. cap. 41. dub. 9. n. 77.*

Probatur, quia id præſcriptum regulæ excedit. Excipiuntur autem ab hac regula Patres Societatis Ieſu, qui ſpeciali voto ad id ſeobligant, vt bene Rodriquez, Lopez, Sanchez.

Summus autem Pontifex poſſet Religioſos, & alios quoſcumque Clericos ad id cogere, ſi ità neceſſitas boni communis poſtularet; vt Sanchez, Rodriquez, & Ledeſma *loco cit.*

§. Vnicus,

Vtrum Subditus teneatur obedire Prælato eum mittenti ad habitandum loca aëris intemperie laborantia.

HIc diſputantem non vidi. Noto igitur primo, vel mittitur Subditus ad talia loca ex odio & malignitate Superioris, vel ex neceſſitate ad ſubueniendum, & conſeruandum conuentus in talibus locis ſituatos.

Noto ſecundò, vel ſubditus ſcit per experientiam in ſe ipſo alias probatam talem aërem ſibi, ſuæque complexioni eſſe noxium, vel ſolum hoc ſcit per experientiam probatam, ſeù viſam in aliis.

Dico primò, ſi Subditus mittatur ad talia loca ex odio Superioris, & aliàs eſt expertus in ſe ipſo per longam infirmitatem, ſimulque periculoſam talem aëris intemperiem, non tenetur obedire.

Probatur primò, quia vt ex D. Thoma ſæpius diximus 2. 2. *q.* 104 *art.* 5. in his, quæ pertinent ad naturam corporis, omnes ſimus pares.

Secundò, quia odium Superioris non debet mihi obeſſe in re tam graui.

Tertiò, quia indiſcretus, & immiſericors oſtenditur ille Superior, qui ſciens, ſuum ſubditum periclitaturum ſalute, ſi illi hoc iubeat; iubet nihilominus, & videtur tendere ad illius deſtructionem, vnde non tenebitur obedire.

At inquies, quomodo ſciam, Prælatum, hoc mihi ex odio iniungere.

Reſpondeo, ſcies, quando per experientiam in te ipſo probatam, & Superiori manifeſtatam, iſte nihilominus, & vt te non mittat rogatus, vult mittere: licet alij adſint: qui poſſint ire, nec aëris intemperiem vnquam probauerint. Quia cum Superior pater ſit ſubditorum, hos vt filios, non vt ſeruos debet tractare. Pater autem cum ſcit filio ſuo graue imminere periculum vitæ, vel ſanitatis, ſi mittat illum ad faciendum aliquod negotium in aliquo loco inſalubri, tantum abeſt, vt mittat, quin potiùs retrahit euntem, nec ire permittit. Vnde cum te non tractet Superior vt filium, ſed potiùs vt inutilem ſeruum, & vile mancipium, nihil habens penſi tuam ſanitatem, & vitam; quòd ex odio procedat, manifeſtè apparet; Quare tu, qui de iure naturæ teneris conſeruare vitam, ad illi obediendum puto, quòd non ſis obligatus: fauet huic opinioni Rodriquez *tom. 3. quæſt. regul. q. 51. art. 9.* Quatenus probat, iuſtam cauſam, propter quam Prælatus Religionis poteſt ſubdito facere facultatem tranſeundi ad laxiorem religionem, eſſe malam aëris intemperiem, ſi in illa Religione, non ſit aliud Monaſterium, quòd tali intemperie non laboret; quia tunc ad illud mittendus eſſet religioſus, aëris intemperiem patiens, & citat alios.

Dico ſecundò, ſi ſubditus mittatur ad loca aëris intemperie laborantia ad conſeruanda Monaſteria in illis poſita, vel ſuccurrendum Religioſis, ibi commorantib. tenetur obedire; præſertim ſi aëris intemperiem nunquam probauerit experientia.

Probatur primò, quia ex debito iuſtitiæ tenetur ſubditus obedire Superiori iuſta præcipienti, vt dictum eſt.

Secundò, quia vt membrum, & filius Religionis, quæ illum alit, & nutrit ſanum, & infirmum, tenetur matrem ſuam conſeruare, & defenſare omni eo modo, quo poteſt, etiam cum maximo incommodo ſuæ perſonæ.

Tertiò, quia non omnes homines ſunt eiuſdem complexionis, & aër, qui vni inſalubris eſt, alteri, etſi non tam aliter ſalubris, ſaltem minus inſalubris eſſe poterit, & frugaliter viuendo crebrius aëris intemperies vitantur.

Quartò, quia in dubiis, vt eſt in caſu præſenti, Superiori parendum eſt. Fauet huic opinioni Ledeſma *c. 4. de ſtatu Religioſorum in communi, concluſ.* 8. *in fine, pag. mihi* 136. Quatenus habet, poſſe Prælatos Religioſos mittere ſubditos ad Indos pro conſeruatione Religionis.

CAPVT XII.

Vtrum Generalis poſſit aliquem Religioſum eijcere ex Prouincia, in qua natus eſt, & ſumpſit habitum abſque rationabili cauſa.

POteſt videri pro hoc capite Nauarrus *tom. 4. de regularibus num. 22. & lib. 1. conſil. de conſtitut. conſil. 9. num. 11. & lib. 2. de appellationibus conſil.* 5. Rodriquez *tom. 1. quæſt. regul. quæſt. 23. artic. 3. & in ſumma de ordine iudiciali cap. 12. concluſ. 7.* Vega *part. 2. ſum. cap. 86. caſu 42.*

Noto primo, pro intelligentia quæſtionis, quòd ſolent quandoque Superiores Prouinciales, ad ſe ipſos potius, quàm ad commune bonum reſpicientes, ſi habeant aliquem Religioſum ſibi ſubditum, quem non rectis aſpiciunt oculis, & geſtant in naribus, vel quia non adhæret eorum non vndequaque rectis voluntatibus: vel quia liberè, vt Zelator boni communis, prauas eorum deteſtatur actiones: vel quia vitæ, & morum integritate incorruptus, illorum eſt minimè meticuloſus: vel quia ſcit, & poteſt repercutere, percuſſus: ſcribere ad patrem Generalem, talem Religioſum eſſe ſeditioſum, factionarium, inquietum, zizanioſum, & pacis perturbatorem, cum de nullus vitiis ſpecialibus eum poſſint arguere, & tantum facere, & refacere, ſcribere, & reſcribere, quòd pater Generalis bonum illum Religioſum tranſmittit in alienam prouinciam, inauditum, inſcium, inconſultum; Hoc loco quæritur, an pater Generalis poſſit hoc facere, & dato quod faceret, an ille obedire teneatur: vel potius habeat iuſtam cauſam reclamandi: & an debeat ab eo, apud quem reclamauit, audiri.

Noto ſecundò, quòd licet Religioſi per votum obedientiæ propriam abnegauerint voluntatem, & totos ſe reſignauerint in voluntatem ſuorum Prælatorum, & Deo totaliter dicari, penitus mundum deſeruerint; non eo tamen modo hoc intelligendum eſt, vt ideò poſſint, tanquàm ſerui, & mancipia pretio, vel bello acquiſita, ad libitum Prælatorum peſſundari, & ſupercalcari: viliſſimus enim, & ſtultiſſimus computandus eſſet, qui ſtatum hunc appeteret, & indueret; cum libertatem, quæ toto auro nobilior eſt, & qua melior in homine nihil eſt, à ſe penitus abdicaret: ſed intelligendum eſt, quod voluntate propriam, propter Deum in Prælatorum voluntatem reſignant, à quibus rationabiliter, diſcrete, & charitatiue tractentur.

Noto tertiò, quòd nullum maius bonum, quò ad extrinſeca, poteſt in homine reperiri bonore, & fama,

vt

vt bene D. Thom. 2.2. *q.* 103 *art.* 1. *ad* 2. quòd latè prosequitur Simon Maiol. *tom.* 4. *canicularium colloquio* 4. *à pag.* 319. vnde bonor vt diuinus, & sacrosanctus in sacris literis commendatur, 4. Reg. 14. *Contentus esto gloria, & sede in domo tua.* Prou. 22. *Melius est bonum nomen, quam diuitiæ multæ*, & Ecclesiast. 4. *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi, & magni*, nullumque aliud Deus ipse recto, ac iusto viro præclarius præmium pollicetur, vt Dauid cecinit Ps. 111. quàm quòd, *In memoria æterna erit iustus, & ab auditione mala non timebit.* Nulla igitur maior cura homini habenda, quàm animæ, & honoris, nam alia bumana bona aut natura, aut casu à nobis abeunt, semper superstite anima, & honore viuente, ita vt sublato corpore, terræque submisso, anima, & honores vigeant: vnde Aug. *de bono viduitatis* relatus *capite Non sunt audiendi* 11. *q.* 3. *& capite nolo* 11. *q.* 1. ait. *Non sunt audiendi siue viri sancti, siue fœminæ, qui quando reprehenduntur ex suspicione, sufficere sibi coram Deo tuam conscientiam respondent; Contemnentes hominum æstimationem crudeliter, cum occidant animas aliorum, quia nobis necessaria est vita nostra; aliis fama nostra, conscientia nobis fama proximo*: & Anselmus epist. ad Philippenses, *Crudelis est, qui negligit famam suam*; quòd idem etiam habet Panormit. *in cap. Magnæ, de voto num.* 13. & Arist. 3. *Ethic. cap.* 6. ait, *quod timere infamiam honestum est, non timere turpe est, qui enim eam timet modestus, & verecundus, qui non timet impudens est*, & Plautus in Mustellaria, *Et si bonam famam mihi seruauero sat diues ero*, & Philelphus in Satyris.

Omnia si perdas, famam seruare memento.
Qua semel amissa, postea nullus eris.

Vnde Baldus *il leg.* 1. *colum.* 5. *Cod. de confessis* ait Bonam famam esse thesaurum inæstimabilem, & sicut lilium dans suauitatem odoris.

Noto quartò, quòd honor est cuiuslibet virtutis præmium, vt docet D. Thom. 2.2. *q.* 129. *art.* 4. *corpore*, & est testimonium excellentiæ, quæ est in homine, sed maximè secundùm virtutem, vt idem D. Th. *ibi q.* 103. *art.* 1. *corpore*; Honoratus enim homo dicitur ille, qui in se aliquam virtutem, laude, & honore dignam habet: vel etiam, qui nullum vnquam crimen commisit, infamia, & vituperatione dignum: qui honos, vt diximus; est maximum inter externa bona. Huic autem honori, vt excellentiam dicit secundum virtutem, non renuntiant Religiosi per votum professionis, vt bene D. Thom. 2. 2. *q* 186. *art.* 7. *ad* 4. Vbi Cajet. Nauarrus *capite Inter verba conclus.* 5. *num.* 64. *fine, & comm.* 2. *de Regul. num.* 2. *versu Tertio dico, & Miscellaneo* 11. *de oratione num.* 9. *in fine*, Valentia *tom.* 3. *disp.* 3. *q.* 10. *p.* 5. *col.* 24. *versu. Ex his igitur*; Sayrus *in Claui Regia lib.* 11. *cap.* 4. *num.* 15. *versu. Quo ratio*, Suar. *tom.* 3. *de Relig. lib.* 8. *cap.* 4. *num.* 3. Vnde etiam illi suum honorem, seù bonam de se ipsis existimationem defensare tenentur, ne crudeles contrà se ipsos sint, vt dicebamus, ex August. & Anselm. Et vituperabile, omnino est non facere ea, quæ honore sunt digna, vt ait D. Thom. 2. 2. *q.* 129. *art.* 1. *ad* 3. honorem autem proprium defensare, honorabile est, ergo contemnere vituperabile. Vnde Christus dicebat in Euangelio *ego dæmonium non habeo, & alibi si malo locutus sum testimonium perhibe de malo.*

Dico primò, potest Prouincialis transferre suum Subditum de vno ad alium Conuentum, & Generalis de vna ad aliam Prouinciam. Ita Nauarrus *comm.* 4. *de Regular num.* 22. *& lib.* 1. *conf. de constit. consil.* 9. *nu.* 11. habent Prædicatores *in lib de instruct. Officialium Ordinis c.* 1 *de Officio Magistri Ordinis*, vt refert Nauarrus *comm* 4. *citato.* his verbis *suum* (scilicet Generalis) *est transferre Fratres de Prouincia ad Prouinciam pro vtilitate, vel Ordinis, vel Fratrum transferendorum, vel ad quem translatio huiusmodi fuerit facienda*, quem morem sequuntur alij mendicantes, vt dicit ibi Nauarr.

Probatur primò, quia omnes Conuentus vnius Prouinciæ faciunt vnum corpus, respectu sui Prouincialis, qui est caput: & omnes Conuentus Religionis faciunt vnum corpus respectu Generalis, qui est caput, sed capitis est prospicere vtilitati corporis per membra; sicut prospiciendum iudicauerit, ergo,

Secundo, specialiter in nostro Ordine Minimorum, in quo tenemur obedire Prælatis in omnibus, exceptis quæ sunt contra animam, & contra Deum.

Dico secundo, non potest Generalis transferre Fratres de vna in aliam Prouinciam contra volontatem trãsferendorum, & eis inauditis absque rationabili causa. Ita Nauarr. *loc. cit.* Rodrig. *tom.* 1. *q. reg. q.* 23. *art.* 3. Vega *p.* 2. *c.* 86. *casu* 42. qui hoc dicunt de extraneo in aliqua Prouincia incorporato; vnde multo magis debent dicere de naturali, & habent Fratres Prædicatores *loc. cit.* his verbis, *licet autem Magister habeat plenam, & Generalem potestatem in Ordine, tamen nunquam est ei vtendam huiusmodi plenitudine potestatis, vbi causa rationabilis non occurrerit.*

Probatur primò, quia Iudex Superiorem agnoscens non potest in damnum tertij quidquam facere, vel Ordinare absque rationabili causa, vt docet Panorm. *in c. Cum omnes de const. num* 2. & Nauarr. *lib.* 2. *conf. de appell conf.* 5. *n.* 4. & patet *per caput. Erit autem lex dist* 4 vbi dicitur, quod lex debet esse rationabilis, & honesta.

Secunda, quia omnis sententia lata contra inauditum, & incitatum legitimè, est ipso iure nulla, vt habetur *Capite Nos in quemquam* 2. *q.* 1. vbi dicitur *Nos in quemquam sententiam ferre non possumus, nisi aut conuictum, aut sponte confessum, & in Capite primo de causa possessionis*, vbi dicit Papa se contra inauditam partem nihil posse definire.

Neque credendum est Generali dicenti, se talem Fratrem transferre ex iusta, & rationabili causa, nam vt bene ait Nauarr. *de spoliis Cleric.* §. 2. *num.* 7. & 8. *& lib.* 3. *consil. de Reg. conf.* 56. *num.* 2. Superiori etiam non recognoscenti alium Superiorem, dicenti se facere aliquid ex iusta causa, non creditur, nisi constet de illa, si id non potest facere sine causa. Ergo multo magis illi non est credendum, qui Superiorem agnoscit, nec quidquam sine rationabili causa potest facere.

Tertiò probatur, specialiter conclusio in nostra Religione Minimorum, vbi Superioribus assignantur tres socij, vt illorum prouido suffulti consilio, commissa sibi Religionis negotia, discretè, ac sapienter possint discernere, atque definire. Sed non definit discretè, & sapienter, qui absque causa rationabili; & inaudita parte procedit; ergo.

Dico tertiò, si Generalis absque rationabili causâ Subditum transferat de sua naturali in extraneam Prouinciam, habet hic iustam appellandi causam; seù de grauamine conquerendi apud Illustrissimum Protectorem, qui eum audire tenetur, & à grauamine subleuare. Ità Nauarr. *lib.* 2. *conf. de appellationibus, conf.* 5. *n.* 6. *& lib.* 1. *de const. conf.* 9. *num.* 11. *in particulari casu de nostra Religione*, Rodrig. & Vega. *locis cit.*

Probatur primò, quia quilibet iure naturali, cui Religiosus, vt diximus, non renuntiauit per professionem, tenetur periclitantem honorem defensare, ac periclitatur hic honor illius Religiosi transferendi; non solum apud Religiosos, sed etiam apud sæculares, putabunt enim omnes, illum commisisse aliquod delictum, propter quod fuerit merito expulsus: & illius vita durante, semper liberum erit malignis ei talem expulsionem exprobare: quare licitè potest se per appellationem, seù recursum à tali molestia liberare. Imò puto quod quando esset fama necessaria pro virtute conseruanda, vt regulariter contingit, & insinuatur illo loco Ecclesiast. 41.

versu At an Prælato, Rodriq. *tom. 2. sum cap. 9. conclus. 5. & q. regul. tom. 3. q 19. art. 7.* Ledesma *cap. 4. de statu Relig. in communi conclus.* 8. *in fine pag. mihi* 136. Sanch. *lib. 6. in decalog. cap. 2. n. 47.* Lessius *lib. 3. de iustit. cap. 41. dub. 9. n. 77.*

Probatur, quia id præscriptum regulæ excedit. Excipiuntur autem ab hac regula Patres Societatis Iesu. qui speciali voto ad id se obligaut, vt bene Rodriquez, Lopez, Sanchez.

Summua autem Pontifex posset Religiosos, & alios quoscumque Clericos ad id cogere, si ità necessitas boni communis postularet; vt Sanchex, Rodriquez, & Ledesma *loco cit.*

§. Vnicus,

Vtrum Subditus teneatur obedire Prælato eum mittenti ad habitandum loca aëris intemperie laborantia.

HIc disputantem non vidi. Noto igitur primo, vel mittitur Subditus ad talia loca ex odio & malignitate Superioris, vel ex necessitate ad subueniendum, & conseruandum conuentus in talibus locia situatos.

Noto secundò, vel subditus scit per experientiam iu se ipso alias probatam talem aërem sibi, suæque complexioni esse noxium, vel solum hoc scit per experientiam probatam, seù visam in aliis.

Dico primò, si Subditus mittatur ad talia loca ex odio Superioris, & aliàs est expertus in se ipso per longam infirmitatem, simulque periculosam talem aëris intemperiem, non tenetur obedire.

Probatur primò, quia vt ex D. Thoma sæpius diximus 2. 2. *q.* 104 *art.* 5. in his, quæ pertinent ad naturam corporis; omnes simus pares.

Secundò, quia odium Superioris non debet mihi obesse in re tam graui.

Tertiò, quia indiscretus, & immisericors ostenditur ille Superior, qui sciens, suum subditum periclitaturum salute, si illi hoc iubeat; iubet nihilominua, & videtur tendere ad illius destructionem, vnde non tenebitur obedire.

At inquies, quomodo sciam, Prælatum, hoc mihi ex odio iniungere.

Respondeo, scies, quando per experientiam in te ipso probatam, & Superiori manifestatam, iste nihilominus, & vt te non mittat togatus, vult mittere: licet alij adsint: qui possint ire, nec aëris intemperiem vnquam probauerint. Quia cum Superior pater sit subditorum, hos vt filios, non vt seruos debet tractare. Pater autem cum scit filio suo graue imminere periculum vitæ, vel sanitatis, si mittat illum ad faciendum aliqnod negotium in aliquo loco insalubri, tantum abest, vt mittat, quin potiùs retrahit euntem, nec ire permittit. Vnde cum te non tractet Superior vt filium, sed potiùs vt inutilem seruum, & vile mancipium, nihil habens pensi tuam sanitatem, & vitam; quòd ex odio procedat, manifestè apparet; Quare tu, qui de iure naturæ teneris conseruare vitam, ad illi obediendum puto, quòd non sis obligatus: fauet huic opinioni Rodriquea *tom. 3. quæst. regul. q.* 51. *art. 9.* Quatenus probat, iustam causam, propter quam Prælatus Religionis potest subdito facere facultatem transeundi ad laxiorem religionem, esse malam aëris intemperiem, si in illa Religione, non sit aliud Monasterium, quòd tali intemperie non laboret; quia tunc ad illud mittendus esset religiosus, aëris intemperiem patiens, & citat alios.

Dico secundò, si subditus mittatur ad loca aëris intemperie laborantia ad conseruanda Monasteria in illis posita, vel succurrendum Religiosis, ibi commorantib. tenetur obedire; præsertim si aëris intemperiem nunquam probauerit experientia.

Probatur primò, quia ex debito iustitiæ tenetur subditus obedire Superiori iusta præcipienti, vt dictum est.

Secundò, quia vt membrum, & filius Religionis, quæ illum alit, & nutrit sanum, & infirmum, tenetur matrem suam conseruare, & defensare omni eo modo, quo potest, etiam cum maximo incommodo suæ personæ.

Tertiò, quia non omnes homines sunt eiusdem complexionis, & aër, qui vni insalubris est, alteri, etsi non to aliter salubris, saltem minua insalubris esse poterit, & frugaliter viuendo crebrius aëris intemperies vitantur.

Quartò, quia in dubiis, vt est in casu præsenti, Superiori parendum est. Fauet huic opinioni Ledesma *c.* 4. *de statu Religiosorum in communi, conclus.* 8. *in fine, pag. mihi* 136. Quatenus habet, posse Prælatos Religionis mittere subditos ad Indos pro conseruatione Religionis.

CAPVT XII.

Vtrum Generalis possit aliquem Religiosum eijcere ex Prouincia, in qua natus est, & sumpsit habitum absque rationabili causa.

POtest videri pro hoc capite Nauarrus *tom. 4. de regularibus num.* 22. *& lib.* 1. *consil. de constitut. consil. 9. num.* 11. *& lib. 2. de appellationibus consil.* 5. Rodriquez *tom. 1. quæst. regul. quæst.* 23. *artic.* 3. *& in summa de ordine iudiciali cap.* 12. *conclus.* 7. Vega *part. 2. sum. cap.* 86. *casu* 42.

Noto primo, pro intelligentia quæstionis, quòd solent quandoque Superiores Prouinciales, ad se ipsos potius, quàm ad commune bonum respicientes, si habeant aliquem Religiosum sibi subditum, quem non rectis aspiciunt oculis, & gestant in naribus, vel quia non adhæret eorum non vndequaque rectis voluntatibus: vel quia liberè, vt Zelator boni communis, prauas eorum detestatur actiones: vel quia vitæ, & morum integritate incorruptua, illorum est minimè meticulosua: vel quia scit, & potest repercutere, percussus: scribere ad patrem Generalem, talem Religiosum esse seditiosum, factionatium, inquietum, zizaniosum, & pacis perturbatorem, cum de nullus vitiis specialibus eum possint arguere, & tantum facere, & refacere, scribere, & rescribere, quòd pater Generalis bonum illum Religiosum transmittit in alienam prouinciam, inauditum, inscium, inconsulum; Hoc loco quæritur, an pater Generalis possit hoc facere, & dato quod faceret, an ille obedire teneatur: vel potius habeat iustam causam reclamandi: & an debeat ab eo, apud quem reclamauit, audiri.

Noto secundò, quòd licet Religiosi per votum obedientiæ propriam abnegauerint voluntatem, & totos se resignauerint in voluntatem suorum Prælatorum, & Deo totaliter dicati, penitus mundom deseruerint; non eo tamen modo hoc intelligendum est, vt ideò possint, tanquàm serui, & mancipia pretio, vel bello acquisita, ad libitum Prælatorum pessundari, & supercalcari: vilissimus enim, & stultissimus computandus esset, qui statum hunc appeteret, & indueret; cum libertatem, quæ toto auro nobilior est, & qua melior in homine nihil est, à se penitus abdicaret: sed intelligendum est, quod voluntate propriam, propter Deum in Prælatorum voluntatem resignant, à quibus rationabiliter, discrete, & charitatiue tractentur.

Noto tertiò, quòd nullum maius bonum, quò ad extrinseca, potest in homine reperiri honore, & fama, vt

vt bene D. Thom. 2.2. *q.* 103 *art.* 1. *ad* 2. quòd latè prosequitur Simon Maiol. *tom.* 4. *canicularium colloquio* 4. *à pag.* 319. vnde honor vt diuinus, & sacrosanctus in sacris literis commendatur, 4. Reg. 14. *Contentus esto gloria, & sede in domo tua.* Prou. 22. *Melius est bonum nomen, quam diuitiæ multæ*, & Ecclesiast. 4. *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi, & magni*, nullumque aliud Deus ipse recto, ac iusto viro præclarius præmium pollicetur, vt David cecinit Ps. 111. quàm quòd, *In memoria æterna erit iustus, & ab auditione mala non timebit.* Nulla igitur maior cura homini habenda, quàm animæ, & honoris, nam alia humana bona aut natura, aut casu à nobis abeunt, semper superstite anima, & honore viuente, ita vt sublato corpore, terræque submisso, animo, & honores vigeant: vnde Aug. *de bono viduitatis* relatus *capite Non sunt audiendi* 11. *q.* 3. *& capite nolo* 12. *q.* 1. ait. *Non sunt audiendi siue viri sancti, siue fœminæ, qui quando reprehenduntur ex suspicione, sufficere sibi coram Deo tutam conscientiam respondent; Contemnentes hominum æstimationem crudeliter, cum occidant animas aliorum, quia nobis necessaria est vita nostra; aliis fama nostra, conscientia nobis fama proximo*: & Anselmus epist. ad Philippenses, *Crudelis est, qui negligit famam suam*; quòd idem etiam habet Panormit. *in cap. Magnæ, de voto num.* 13. & Arist. 3. *Ethic. cap.* 6. ait, *quod timere infamiam honestum est, non timere turpe est, qui enim eam timet modestus, & verecundus, qui non timet impudens est*, & Plautus in Mostellaria, *Et si bonam famam mihi seruauero sat diues ero*, & Philelphus in Satyris.

Omnia si perdas, famam seruare memento.
Qua semel amissa, postea nullus eris.

Vnde Baldus *il leg.* 1. *colum.* 5. *Cod. de confessis* ait Bonam famam esse thesaurum inæstimabilem, & sicut lilium dans suauitatem odoris.

Noto quartò, quòd honor est cuiuslibet virtutis præmium, vt docet D. Thom. 2.2. *q.* 129. *art.* 4. *corpore*, & est testimonium excellentiæ, quæ est in homine, sed maximè secundm virtutem, vt idem D. Th. *ibi q.* 103. *art.* 1. *corpore*; Honoratus enim homo dicitur ille, qui in se aliquam virtutem, laude, & honore dignam habet: vel etiam, qui nullum vnquam crimen commisit, infamia, & vituperatione dignum: qui honos, vt diximus; est maximum inter externa bona. Huic autem honori, vt excellentiam dicit secundum virtutem, non renuntiant Religiosi per votum professionis, vt bene D. Thom. 2. 2. *q.* 186. *art.* 7. *ad* 4. Vbi Cajet. Nauarrus *capite Inter verba conclus.* 5. *num.* 64. *fine, & comm.* 2. *de Regul. num.* 2. *versu Tertio dico, & Miscellaneo* 11. *de oratione num.* 9. *in fine*, Valentia *tom.* 3. *disp.* 3. *q.* 10. *p.* 5. *col.* 24. *versu. Ex his igitur*; Soyrus *in Claui Regia lib.* 11. *cap.* 4. *num.* 15. *versu. Quæ ratio*, Suar. *tom.* 3. *de Relig. lib.* 8. *cap.* 4. *num.* 3. Vnde etiam illi suum honorem, seù bonam de se ipsis existimationem defensare tenentur, ne crudeles contrà se ipsos sint, vt dicebamus, ex August. & Anselm. Et vituperabile, omnino est non facere ea, quæ honore sunt digna, vt ait D. Thom. 2. 2. *q.* 129. *art.* 1. *ad* 3. honorem autem proprium defensare, honorabile est, ergo contemnere vituperabile. Vnde Christus dicebat in Euangelio *ego dæmonium non habeo, & alibi si male locutus sum testimonium perhibe de malo.*

Dico primò, potest Prouincialis transferre suum Subditum de vno ad alium Conuentum, & Generalis de vna ad aliam Prouinciam. Ita Nauarrus *comm.* 4. *de Regular num.* 22. *& lib.* 1. *cons. de constit. consil.* 9. *nu.* 11. habent Prædicatores *in lib de instruct. Officialium Ordinis c.* 5 *de Officio Magistri Ordinis*, vt refert Nauarrus *comm* 4. *citato.* his verbis *suum* (scilicet Generalis) *est transferre Fratres de Prouincia ad Prouinciam pro vtilitate, vel Ordinis, vel Fratrum transferendorum, vel ad quem translatio huiusmodi fuerit facienda*, quem morem sequuntur alij mendicantes, vt dicit ibi Nauarr.

Probatur primò, quia omnes Conuentus vnius Prouinciæ faciunt vnum corpus, respectu sui Prouincialis, qui est caput: & omnes Conuentus Religionis faciunt vnum corpus respectu Generalis, qui est caput, sed capitis est prospicere vtilitati corporis per membra; sicut prospiciendum iudicauerit, ergo.

Secundo, specialiter in nostro Ordine Minimorum, in quo tenemur obedire Prælatis in omnibus, exceptis quæ sunt contra animam, & contra Deum.

Dico secundo, non potest Generalis transferre Fratres de vna in aliam Prouinciam contra voluntatem trãsferendorum, & eis inauditis absque rationabili causa. Ita Nauarr. *loc. cit.* Rodrig. *tom.* 1. *q. reg. q.* 23. *art.* 3. Vega *p.* 2. *c.* 86. *casu* 42. qui hoc dicunt de extraneo in aliqua Prouincia incorporato; vnde multo magis debent dicere de naturali, & habent Fratres Prædicatores *loc. cit.* his verbis, *licet autem Magister habeat plenam, & Generalem potestatem in Ordine, tamen nunquam est ei vtendum huiusmodi plenitudine potestatis, vbi causa rationabilis non occurrerit.*

Probatur primò, quia Iudex Superiorem agnoscens non potest in damnum tertij quidquam facere, vel Ordinare absque rationabili causa, vt docet Panorm. *in c. Cum omnes de const. num.* 2. & Nauarr. *lib.* 2. *cons. de appell cons.* 5. *n* 4. & patet *per caput. Erit autem lex dist* 4 vbi dicitur, quod lex debet esse rationabilis, & honesta.

Secunda, quia omnis sententia lata contra inauditum, & incitatum legitimè, est ipso iure nulla, vt habetur *Capite Nos in quemquam* 2. *q.* 1. vbi dicitur *Nos in quemquam sententiam ferre non possumus, nisi aut conuictum, aut sponte confessum, & in Capite primo de causa possessionis*, vbi dicit Papa se contra inauditam partem nihil posse definire.

Neque credendum est Generali dicenti, se talem Fratrem transferre ex iusta, & rationabili causa; nam vt bene ait Nauarr. *de spoliis Cleric.* §. 2. *num.* 7. *&* 8. *& lib.* 3. *consil. de Reg. cons.* 56. *num.* 2. Superiori etiam non recognoscenti alium Superiorem, dicenti se facere aliquid ex iusta causa, non creditur, nisi constet de illa, si id non potest facere sine causa. Ergo multo magis illi non est credendum, qui Superiorem agnoscit, nec quidquam sine rationabili causa potest facere.

Tertiò probatur, specialiter conclusio in nostra Religione Minimorum, vbi Superioribus assignantur tres socij, vt illorum promdo suffulti consilio, commissa sibi Religionis negotia, discretè, ac sapienter possint discernere, atque definire Sed non definit discretè, & sapienter, qui absque causa rationabili; & inaudita parte procedit; ergo.

Dico tertiò, si Generalis absque rationabili causa Subditum transferat de sua naturali in extraneam Prouinciam, habet hic iustam appellandi causam: seù de grauamine conquerendi apud Illustrissimum Protectorem, qui eum audire tenetur, & à grauamine subleuare. Ità Nauarr. *lib.* 2. *cons. de appellationibus, cons.* 5. *n.* 6. *& lib.* 1. *de const. cons.* 9. *num.* 11. *in particulari casu de nostra Religione*, Rodrig. & Vega. *locis cit.*

Probatur primò, quia quilibet iure naturali, cui Religiosus, vt diximus, non renuntiauit per professionem, tenetur periclitantem honorem defensare, ac periclitatur hic honor illius Religiosi transferendi; non solum apud Religiosos, sed etiam apud sæculares, putabunt enim omnes, illum commisisse aliquod delictum, propter quod fuerit merito expulsus: & illius vita durante, semper liberum erit malignis ei talem expulsionem exprobare: quare licitè potest se per appellationem, seù recursum à tali molestia liberare. Imò puto, quod quando esset fama necessaria pro virtute conseruanda, vt regulariter contingit, & insinuatur illo loco Ecclesiast. 41.

quod non posset Religiosus cedere iuri suo appellandi cum hoc medio recuperet famam sibi iniustè ablatam, sicut licèt homo sit Dominus diuitiarum; quando tamen his opus habet pro alenda familia non potest illas pro libito prodigere, sic non potest famæ renuntiare, quandò est necessaria ad virtutem conseruandam.

Secundo, quia non est malitiis hominum indulgendum, *iuxta legem in fundo, ff. de rei vendicatione*, & habet Nauarr. *com. 4. de regularib. num. 23. versu 4. potest agere, & comm. 2. num. 65. versu addo* 8. vbi definit, quòd licèt si Prælatus possit spoliare Subditum officio aliquo manuali absque causa, & solum pro suo libito, si id tamen faciat malo animo, habet Subditus iustam causam agendi contrà Prælatum, ergo, & in hoc casu, si absque iusta causa amoueat, statim malum suum animū ostendit, & malitiam suam manifestat, vnde illi nō est indulgendum. Et verè istæ amotiones non fiunt sine malo animo, odio, & stomacho, nam quid ad Generalem, an aliquis Subditus moretur hic, vel illic? ergo quòd velit eum amouere, est vt cruciet, molestet, torqueat.

Tertiò, in specie pro nostra Religione Minimorum, in qua anno 1620. Cum vellet Reuerendiss. Generalis amouere aliquos fratres Gallos à Conuentu Sanctissimæ Trinitatis de vrbe, & transmittere in Prouinciam Genuensem, in qua tunc temporis ego officio Prouincialis fungebar, habuerunt recursum ad Sacram Congregationem Cardinalium, deputatam super negotiis Regularium, quæ sanctè, piéque ordinauit, vt fratres illi permanerent localiter in dicto Conuentu Sanctiss. Trinitatis, quovsque Pater Generalis talis expulsionis assignaret causam, & tamen Galli non sunt naturales in vrbe.

Quartò. Quòd Illustriss. Protector teneatur taliter grauatum audire, & constito, quòd verè grauatus fuerit, à grauamine liberare, patet, quia ad hoc datur ad ipsū recursus, vt grauatos subleuet, iniustè punitos absoluat, iustitiam tueatur, nihil, quod iniquitatē sapiat, admittat.

Ex quo patet, vt benè Nauarr. *comm. 4. de regularibus, n. 22. versu. Ex quibus facilè*. Quòd magna deberet esse causa, ob quam Generalis Hispanum volentem, nolentem transferret in Gallias, vel Germaniam: aut contra, Gallum, & Germanum in Hispaniam.

Dico quartò, Saluo meliori iudicio, quòd Subditus non tenetur obedire Generali, eum amouenti ex sua naturali Prouincia absque legitima causa.

Probatur primò, quia Prælato Superiorem recognoscenti, & iniustum aliquid mandanti, etiamsi tale iniustum peccatum non contineat, non teneor obedire, vt docet Panorm. *in cap. Inquisitioni de sent. excommun. num. 5.* & Tab. *verb. Obed. num.* 6. & dictum est suprà, & exemplificant, si Prælatus mandaret mihi, vt illi darem meos libros non teneor obedire, sed *deteriores sunt, qui fama nostra detrahunt, quam qui substantiam nostram diripiunt*, vt dicitur *Capite Deteriores 6. q. 1.* & habet Panorm. *in c. magna num. 13. de voto*, ergo si non teneor obedire, dando illi meos libros, multò minus dando illi meam existimationem, & famam.

Secundò, quia in omni obedientia sunt intelligendæ aliquæ conditiones, idest si potero, vel si rationabile præceperit, vt docent Tab. *verb. Obed. num.* 17. Angelus *num.* 3. Syluest. *num.* 3. Armilla *num.* 2. Rosella *num.* 12. ergo si præcipiat aliquid sine ratione, non teneor obedire.

Dico vltimò, æquum & iustum mihi videtur, quòd fratres non amoueantur ex sua Prouincia: nisi vel vtilitate ipsorum, puta ad studendum: vel Prouinciæ à qua amouentur, ad agenda aliqua negotia pro ea: vel Prouinciæ, ad quam diriguntur, ad illam subleuandam, conseruandam, & honorandam, vel Religionis in communi, ad eam dilatandam, & ampliandam, quod si quandoque alij seductores, & pacis perturbatores, vel scandalosi sunt amouendi, amoueantur tempore visitationis, vel si extra illud necessitas ad id cogat, non amoueat Generalis, nisi prius habita informatione authentica à Patre Prouinciali Prouinciæ amouendi, subscripta à Collegis ipsius, cum dictis aliquorum saltem fratrum Prouinciæ, quo pacto, nec Generalis in hoc arguetur à conscientia, nec Subditus conqueri poterit, quia si est malus, sibi imputet, & hoc videtur rationi, & æquitati consonum.

Quando autem transmittendi sunt necessario propter proprias culpas, vel de vno in alium Conuentum, vel de vna in aliam Prouinciam, debent adhuc Superiores Prælati, tùm Generales, tùm Prouinciales esse valdè circumspecti, vt extra tempora non fiant tales mutationes, nam crebriùs oritur ex tali subita, & incogitata mutatione in populo infamia contra illos fratres translatos, populus enim qui, cum sit sibi cœcus, totus lynceus est in notandis Religiosorum actionibus, videns illos Religiosos transferri, putat propter scandala ibi commissa, quod bene aduertunt Rodrig. *tom. 1. quæst. regul. q. 5. art. 9.* & Spatharius *de modo corrigendi regular. tract. 2. cap. 4. num* 1. vnde potius esset dissimulandum inter fratres vsque ad tempus mutationum, nisi casus vrgeret, vt dictum est.

In his denique omnibus Charitate, & Prudentia vtendum. Vnde diuinum est illud Oraculum Ecclesiast. 10. *Beata terra, cuius Rex nobilis est*, (idest sapiens, & prudens) *& cuius Principes vescuntur in tempore suo, ad reficiendum, & non ad luxuriandum.* Hæc dicta intellige, quando vero ex tali amotione oritur in populo, vel in Religione infamia contra Religiosum amotum, quia nimirum est persona grauis, & multum cognita in ciuitate, & præsertim in illis Religionibus, in quibus fiunt filiationes Conuentuum. Intelligitur etiam quando nulla apparet causa talis amotionis, quod tamen raro accidit, agendo de fratribus grauibus, de quibus intelliguntur hic dicta. Hæc dicta sint ad liberandum innocentes Subditos è manibus Superioris tyranni, non fouendos iniquos Subditos, vt sanctos Prælatos tyrannizarent, & se in suis iniquitatibus manutenerent, & hoc pacto omnia supradicta intelligenda sunt, nam alioquin puto, quod ab obedientia Generalis appellari non possit per priuilegium Sixti IV. quod refert Casarub. *in comp. verb. Generalis num.* 14. & Iulij II. vt refert idem Casarub. *verb. appellare num.* 3. præsertim in Ordine nostro, vbi tenemur obedire Prælatis in omnibus, quæ non sunt contra Deum, aut Regulam.

CAPVT XIII.

Vtrum Subditus teneatur Obedire Prælato præcipienti, vt in carcerem pergat, non assignata causa talis carcerationis.

Hic præeuntem non vidi, ipse mihi aliquibus notabilibus sterno viam. Primo igitur noto pro quæstionis intelligentia, quòd sunt quandoque aliqui Prælati Religiosorum tàm indiscreti, & exorbitantes, vt potius carnificis, & Tyrannuli vendicent sibi nomen, quàm Pastoris, & patris: & ita suis se domandos dedunt passionibus, vt errantem Subditum (Subditum inquam, quem in naribus gestant) in quacunque re leui, detrudi iubeant in tetrum carcerem, quòd si talis detrusionis quærat Subditus causam, vel quia leuissima sit, vel quia nulla in rei veritate existat, recusant dicere, his suam malitiam tegentes verbis, carcerem petito, causam inde scies. Quæritur modò, an Subditus in hoc teneatur obedire.

Noto secundò, quod carcer apud Religiosos est maximum dedecus, & irreparabilis iactura, vt docet Rodrig. *to. 2. q. regul. q. 22. art. 2.* & ideò tardè adhibendus à Prælatis, quia si sola suspicione, aut præsumptione, aut semiplena informatione Subditos in carcerem detrudant, & eos deinde innocentes reperiant, licet si absolu-

toria

toria ſententia deinde eos liberent, à iactura, in quam per carceris detentionem inciderunt, nunquam totaliter liberabunt, vt notat Io. Andreas *c. Si Cleric. de ſent. excomm. in 6.* obiicietur enim ſemper talibus Religioſis à malignis, quod tali tempore, à tali Superiore fuerint incarcerati, & cum homines naturaliter ſint procliuiores ad malè ſuſpicandum de punitis, quàm de punitoribus, non ita de facili talis macula abſtergitur.

Noto tertiò, ex Nauarr. *in Rubr. de iud. num.* 83. quòd *Iudices etiam ſupremi debent eſſe multum circumſpecti in inquirendo, vel mandando inquiri, ne faciant, quo propter propria peccata caſtigentur, dum aliena caſtigare nimis anhelant. Quandoquidem non lege humana tantùm, ſed naturali, & diuina contenta in octauo præcepto Decalogi, vetatur, ne quis proximum infamet: vel ſit cauſa propinqua infamandi: qua eadem ratione debent abſtinere à coniciendo in carcerem, præſertim viros honoratos, & de fuga non ſuſpectos, donec iuſtam informationem de crimine habeant.* Hæc Nauarr. qui eodem comm. de iudicijs num. 51. ait, *Peccare mortaliter iudices quacunque de cauſa etiam leuiſſima, vel ſuſpicioſa in carcerem Subditos conijcientes, tenerique etiam ad reſtitutionem famæ*, quod etiam tenuit Syluester, *verbo Carcer quæſt.* 2. & Spatharius *de modo corrigendi Regulares tract. 9. cap. 14. num.* 4.

Noto quartò; quòd Religioſus iniuſtè, & per vim incarceratus cum ſui honoris, & famæ iactura, poteſt fugere abſque apoſtaſiæ nota: etiam vim inferendo cuſtodibus: etiam rumpendo vincula, & carceres: etiam arma ad hæc aſſumendo, dummodò recta properet ad Superiorem illius, qui eum iniuſtè in carcerem coniecerat. Et ſi iniuſtitia notoria ſit, poſſunt alij Confratres eum adiuuare ad fugiendum, præbendo inſtrumenta, quibus carcerem frangat, compedes limet, diſrumpat vincula, &c. non obſtante quocumque Superioris præcepto in contrarium, ſub quacumque forma verborum facto; etiam ſub merito ſanctæ Obedientiæ: etiam ſub pœna excommunicationis ipſo facto; quia iniuſto præcepto nemo tenetur obedire. Hæc omnia colligunt ex Caietano, 2. 2 *quæſt. 69. art.* 3. habet expreſsè Bald. *in capite Ad noſtram de appellationibus Cardinalis in Clement. 1. §. præfata de ſtatu Monachorum*, Graffius *part. 1. deciſ. lib. 3. cap. 5. num.* 126. Spatarius *de modo corrigendi Regulares tract. 9. cap. 17. num.* 3. 4. 5. Addo quod Fratres adiuuantes Superiorem in iniuſta Confratris incarceratione, vim illi inferentes, recuſantem in carcere portantes, peccant omninò mortaliter, ſi de iniuſtitia conſtet, quia iniuſtè actioni, iniuſti Superioris cooperantur, non enim in eo caſu illi tenentur obedire, etiamſi ſub pœna excommunicationis præcipiat, quia hoc gladio non vtitur Eccleſia ad feriendum innocentem, ſed tantum contumacem, & reum; nec eſt adinuentus ad fouendos iniuſtos Prælatos, ſeu potius infernales furias, ſed ad coërcendos inſolentes Subditos, & rebelles, & habetur *in cap. Imperatores 11. quæſt. 3. cap. Quando, cap. Non inuenitur* 23. *q.* 3.

Noto quinto, quòd Religioſus non debet niſi ex delictis grauibus incarcerari, vt notat Abbas *in cap. vt famæ de ſent. excommunic. num.* 2. & Graffius *par. 1. deciſ. lib. 3. cap. 5. num.* 128. & colligitur *ex cap. Nouimus de verb. ſignif. & cap. Sunt in vno, §. fin. de hæret*, quod ſi quis poteſtati Prælatorum reſiſtere non valens, de facili pro culpa talem pœnam non merente incarceretur, non per hoc fit infamis, vt dicit Graffius *loco citat.* Quia nemini imputatur ad pœnam, quod per vim coactus eſt ſufferre: & de carcere, & catenis, quandoque quis egreditur ad regnum, vt patet de ſancto Ioſeph, & ſancto Petro. Et quando dicitur, quòd per carcerem irrogatur infamia, intelligitur de carcere ad pœnam dato, vt notat Baiard. *ad quæſt. 72. pract. crim. Iulij Clari lib. quinto, numero primo.* Victorinus Manſus *in ſua pract. capito vigeſimo, numero quarto*, licèt macula, etiam iniuſtè tolerata, non de facili abſtergatur, vt dixi.

Dixi primò, Subditus non tenetur obedire Prælato præcipienti, vt carceratum ſe præbeat, non aſſignata cauſa talis carcerationis.

Probatur primò ex dictis, quibus conſtat, quòd carcer irrogat maximam infamiam Religioſo, qui honorem ſuum de iure naturali, cui, vt diximus *capite Superiori*, non renunciauit, tenetur, ſeu ſaltem poteſt defenſare, & ideo non tenetur ſic captis oculis carceratum ſe præbere.

Secundò Probo, ex locis ſcripturæ, in quibus, cum Deus ſuum populum punit, vel ei aliquod graue minatur flagellum, ſemper aſſignat cauſam talis flagellationis. Actorum. 12. *Confeſtim percuſſit eum Angelus Domini, eo quod non dediſſet honorem Deo*; & Iſaïæ 10. *Ad gentem fallacem mittam eum: & contra populum furoris mei mandabo illi; vt auferat ſpolia, & diripiat prædam*, quia nimirum fallax gens eſt, idcò mittam, &c. & Ezechielis 29. *Fili hominis, Nabuchodonoſor Rex Babylonis ſeruire fecit exercitum ſuum ſeruitute magna aduerſus Tyrum, & merces non eſt reddita ei, &c. propterea hæc dicit Dominus; Ecce ego dabo Nabuchodonoſor Regem Ægypti, & accipiet multitudinem eius, &c.* & primo Regum 6. *Percuſſit autem de viris Bethſamitibus, & percuſſit de populo ſeptuaginta viros, & quinquaginta millia plebis, eo quod vidiſſent arcam Domini*, & Matth. 25. *Eſuriui, & non dediſtis mihi manducare, ſitiui, & non dediſtis mihi bibere, &c. Ite in ignem æternum*, & Geneſis 3. *Serpenti dixit, quia feciſti hoc maledictus es inter omnia animantia: Adæ verò dixit, quia audiſti vocem vxoris tuæ, & comediſti de ligno, &c. Maledicta terra in opere tuo*, ergo ſi Deus, de quo Iob, vndecimo dicitur, *ſi ſubuerterit omnia vel in vnum coarctauerit, quis contradicet ei?* ſemper puniendo, cauſam punitionis adducit, Homo vermiculus terræ atrocem infamationis pœnam, abſque cauſæ aſſignatione, dabit illis Subditis, qui liberè, & voluntariè pro Dei amore ſe illi ſubiugauerunt.

Tertiò probo, *ex capito 2. diſtinct. 36. §. ecce, verſu Hinc*, & Petrus; vbi dicitur, Quòd Prælatus debet eſſe paratus reddere rationem omni poſcenti, & *capite Coriepiſcopi diſtinct.* 68. dicitur, *quod ratione caret; extirpari neceſſe eſt*; quæ etiam habentur *capito Omnia talia diſtinct. 12. & capite peruenit de cenſibus.*

Quartò probo, quia tunc indiſcretè, & iniuſtè procedit Prælatus; vnde ſubditus non tenetur ei obedire; vt dicitur *capite ſollicitudinem, §. ſi verò de appellationibus.*

Dico ſecundò, etiamſi Prælatus aſſignet cauſam, quæ tamen ſufficiens non ſit ad talem pœnam, non tenetur ſubditus obedire. Quam concluſionem ſic probo, & declaro ex pract. Diaz *cap.* 126. Vict. Manzi *cap. 20. num.* 3. & Spath. *tract 9. de modo corrigendi Regulares cap.* 14. Triplex eſt carceris genus; Primum eſt in pœnam criminis, & id nunquam adhibetur, niſi per diffinitiuam ſententiam, præuiis probationibus, & defenſionibus. Secundum genus eſt ad cuſtodiam, ad quod licèt non requiratur plena informatio delicti, nunquam tamen adhibere poteſt, niſi fuerit reus de culpa valdè ſuſpectus, vt potè alias fugere ſolitus, vnde Trid. *ſeſſ. 25. cap. 6. de reform.* præcipit iudicibus Eccleſiaſticis, vt in omnibus criminibus ſemper ea ratio habeatur, vt iuxta qualitatem delicti, & perſonarum, delinquentes, loco decenti cuſtodiantur. Tertium genus eſt ad afflictionem, & eſt quædam torturæ ſpecies, & adhiberi non debet, niſi pro graui crimine, nec ſine cauſæ ſufficienti cognitione, cum magnum præiudicium inferatur taliter incarceratis.

Noto tamen, quod ſi perſona eſſet admodum vilis, & de delicti veritate apud Prælatum ſatis conſtaret: vel per manifeſtiſſima indicia: vel per teſtem omni exceptione maiorem, tunc poſſet Prælatus talem iuſtè in carcerem ad afflictionem conijcere.

CAPVT XIV.

An Subditus poßit proponere Prælato causas, quare obedire non poßit, & an Prælato illas acceptare nolenti teneatur nihilominus obedire.

PRo hoc capite videatur D. Bonau. *in speculo disciplinæ par. 1. principali particula 1. cap. 4.* Turrecrem. *in regula S. Benedicti cap. 68. tract. 143.* Aluar. *tom. 2. de vita spirituali lib. 5. par. 3. cap. 13.* Alphonsus Rodrig. *part. 3. exercitij perfectionis tract. 5. cap. 15.*

Dico primò. Non est contra obedientiæ votum causas humiliter proponere, quare mandato Superioris obedire non possimus, est omnium citatorum.

Probatur primò, *ex scriptura Ezech. 4.* Præcipit illi Dominus ad calamitatem Iudæorum portendendam, vt panem, quo vesci debebat, igne humani fimi desiccari coqueret, à qua re valdè abhorrens diuinus vates, Deum obsecrat, ne illi hoc præcipiat dicens A. A. A. *Domine Deus ecce anima mea non est polluta, & morticinam, & laceratum à bestiis non comedi ab infantia mea vsque nunc, & non est ingressa in os meum omnis caro immunda*, non exacerbatus est Dominus Prophetæ verbis, sed mitigauit mandatum, & vatem consolatus est, *ne putemus* inquit Hieronymus ad hunc locum, *Prophetam contradicere imperio Domini, sed causas reddere, imò deprecans, cur hoc facere non poßit.* Simile quid contigit Petro *Actorum 10. & Genesis 18.* Minantem Deum Abrahæ fœdarum illarum Ciuitatum destructionem & ruinam, nonne obedientissimus vir, honorem præfans semel bis, atque iterum deprecatus est.

Secundo probatur, *ex Regula S. Benedicti cap. 68.* & habet Bonau. *in speculo disciplinæ cap. 4.* vbi dicitur. *Si cui fratrum, aliqua fortè grauia, aut impoßibilia iniungantur, suscipiat quidem imperium cum omni mansuetudine, & obedientia, quòd si omnino virium suarum mensuram viderit pondus oneris excedere, impoßibilitatis suæ causas, ei, qui sibi præest patienter, & opportunè suggerat, non superbiendo, aut resistendo, vel contradicendo.*

Tertiò probatur, *ex capite, si quando de rescriptis*, vbi dicitur; *Si quando aliquas fraternitati tuæ dirigimus, quæ animum tuum exasperare videntur, turbari non debes: qualitatem negotij, pro quo tibi scribitur diligenter considerans, aut mandatum nostrum reuerenter adimpleas, aut per tuas litteras, quare adimplere non poßis, rationabilem causam prætendas, quia patienter sustinebimus, si non feceris, quod praua nobis fuerit insinuatione suggestum.* Eadem ferè habentur *Capite cum teneamur de præbendis, & dignitatibus*, Cassiod. 6. *variar. formula 5. quæst. vnic. pro æquitate*, ait, *seruanda etiam nobis patimur contradici, cui oportet etiam obediri.*

Dico secundo, si propositis causis adhuc Superior persistat in sua voluntate, Subditus obedire tenetur, est omnium citatorum.

Probatur primo ex dictis, Nam si Deus in sententia illa perstitisset, quod vates Ezechiel panem humano stercore coctum comedisset, licet sit abominabile hoc fuisset, obediendum tamen illi erat, & Petro ter recalcitranti, immundaque dicenti, quæ illi obiiciebantur, dictum est, *Quæ Deus, sanctificauit, tu ne immunda dixeris.*

Secundo, ex Regula S. Benedicti *loc. cit.*, vbi post dicta subiungit, *Quòd si post suggestionem*, id est insinuationem suam, *in sua sententia Prioris imperium perdurauerit, sciat Iunior, ita sibi expedire, & ex charitate confidens de adiutorio Dei obediat.*

Tertio, ex Bonauent. *loc. cit.* Vbi postquam dixit non esse contrà Obedientiæ votum causas proponere, quare obedire non possimus, subiungit: *Si adhuc Superior in sua manserit sententia, ita sibi nouerint expedire, & ex charitate de adiutorio Dei confisi obediant. Christus, factus est pro nobis obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis, qui licet ad Patrem pro Calicis translatione clamauerit continuò tamen adiunxit, verum tamen non mea voluntas, sed tua fiat.*

Quarto probatur, *ex præcitato capite cum teneamur*, vbi id expressè habetur. Et *capite contra morem d. 100. & cap. ante triennium d. 31. & cap. In memoriam d. 19.* quibus capitibus probatur expressè nostra conclusio.

Quæ tamen limitanda est, si quod præcipitur non est omnino impossibile, nam ad impossibile nemo tenetur: & si quod præcipitur, non contineat aliquod peccatum mortale, vel veniale; nam tunc magis est obediendum Deo, quàm hominibus: vel est intelligenda de Superiore Superiorem non recognoscente, qualis est Papa, cui etiam in iniustis, quæ peccatum non continent, si replicat, est obediendum, quod probant capita hic allata, & habet Tabiena *verbo Obed. num. 6.* vel si loquamur de Prælato Ordinis, conclusio est intelligenda, quando quæ præcipit sunt indifferentia, vel dubia, nec sunt in præiudicium animæ, vitæ, honoris, & famæ Subditi, neque alterius iuxta dicta *Superioribus capitibus.*

CAPVT XV.

Vtrum Subditus teneatur obedire Prælato præcipienti reuelare secretum fidei suæ commissum.

PRo hoc capite, & ratione tegendi secretum potest videri D. Thom. *quodlib. 4. art. 12. & quodlib. 1. art. 15. & 2. 2. q. 68. art. 1. ad 3. & q. 70. art. 1. ad 2.* vbi Cajet. Sotus *de ratione tegendi secretum*, Antonin. *2. par. tit. 1. cap. 20. §. 5.* & ibi *cap. 19. §. 7.* Vega *par. 2. cap. 96.* Rodrig. *in sum. par. 2. cap. 54.* Salzed. *ad pract.* Diaz *cap. 106.* Nauarr. *in sum. cap. 18. num. 51. & sequent. & cap. inter verba conclus. 6. Imperfecta num. 18. & ibid. eadem concl. 6. perfecta num. 401. & de pœnit. dist. 6. cap. penult. à num. 1.* Azor. *tom. 3. instit. moral. lib. 13. cap. 31.* Syluest. & alij Summist. *verb. Secret.* Valent. *tom. 3. disp. 5. q. 13. p. 1. & q. 14. p. 2.* Lessius *lib. 2. de inst. cap. 11. dub. 8. num. 91. vsque ad 85.* Reginald. *in praxi lib. 24. nu. 106.* Scotus *in 4. dis. 21. q. 2.*

Notandum est ex Cajet. 2. 2. *quæst. 70. art. 1. in calce respons. ad 2.* quòd in triplici sunt differentia res, quæ fidei nostræ committuntur; Quædam, quæ & si non sint fidei nostræ commissa, tenemur seruare secreta, vt occulta adulteria, & facta, quæ reuelata essent semina discordiæ: vel animæ, & corpori, honori, vel famæ, vel fortunis alicuius nocerent. Quædam, quæ etsi simpliciter possent referri, quantum in nostra notitia est, occultas tamen habent rationes in eo, qui fidei nostræ commisit, quia voluit secretum seruari. Quædam verò sunt, quorum occultatio nulli prodest & reuelatio nulli nocet, quæ leuiter committuntur, & leuiter acceptantur secreta.

Dico primò, si secretum commissum vergit in damnum corporale, vel spirituale communitatis: vel in graue damnum alicuius personæ, præsertim quam quis speciali iure tutari tenetur: puta in damnum vitæ, vel honoris mei Prælati per secretam, eamque iniustam coniurationem, tunc non est expectandum Superioris præceptum, sed statim reuelandum: etiamsi de non reuelando iuramentum præcessisset. Ita D. Thom. 2. 2. *qu. 70. art. 1. ad 2. & quodlib. 1. art. 15. corpore*, Antonin. 2.

part.

part. tit. 1. *cap.* 19. §. 7. *in fin. & cap.* 22. §. 5. *verbo* 3. *modo*. Nauarr. *in sum. cap.* 27. *num.* 54. *verbo Dixi in iniustam, & cap. inter verba conclus.* 6. *perfecta à num.* 402. *& de pœnit. dist.* 6. *cap. Sacerdos numero* 37. Reginald. *in praxi lib.* 24. *num.* 112. Azor. *tom.* 3. *institut. moral. part.* 3. *lib.* 13. *cap.* 31. *dub.* 4. Angelus *verbo testis num.* 33. Syluest. *eodem q.* 8. *d.* 2.

Probatur primò, quia licèt lex naturalis dictet, seruandum esse secretum, alia tamen lex etiam naturalis fortior ista dictat, bonum commune bono particulari esse præferendum. & malum commune, quòd sequeretur ex celatione secreti, esse anteponendum malo particulari, quòd sequitur ex reuelatione, vt si v. g. reuelet mihi aliquis, multos esse combusturos totum, vel partem Conuentus, etiamsi id faciat ex amicitia, quam mecum prætendit, vt me indemnem conseruare possit, vel etiam aliquid esse facturos, ex quo graue aliquod damnum totum Religionis corpus est passurum. Quia dubitat? quòd præceptum Prælati expectare non debeo: sed statim teneor reuelare, etiamsi sub secreto non reuelandi acceperim, nam hoc casu valet illud, *In malis promissis fidem non expedit obseruare*, vt dicitur *regula* 69. *de regulis in* 6. Etiamsi sub iuramentum acceperim non reuelandi, per Regulam non est obligatorium, quæ est 58. *de Regular. iuris in* 6. vbi dicitur, *Non est obligatorium contra bonos mores præstitum iuramentum*.

Secundò probatur, de Superiore in specie, quia huic teneor ex debito iustitiæ naturalis fidem seruare. Vnde in iuramento fidelitatis, quod serui exhibent Dominis suis, hoc continetur, quòd huiusmodi secreta debeant Dominis reuelare. Ergo contra hanc fidem, per commissum, & acceptatum quodcunque secretum, iuxta Regulas iur s allatas in præcedenti argumento, non possum obligari.

Tertiò de Religiosis particularibus probatur conclusio, nam *Prouerb.* 24. dicitur, *Erue eum, qui ducitur ad mortem*, & refertur *Capite non in inferenda* 23. *quæst.* 3. Quod intelligo per occultas machinationes, iniustásque technas, & ad. Rom. 1. *Digni sunt morte, non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*.

Quartò, in vniuersali de omnibus ad nostrum propositum, quia quilibet Religiosus tenetur, ratione voti professionis, suæ Religionis indemnitatem, puritatem, & honorem defensare, sit enim ibi vltrò ad hoc, citroque obligatio, sicut enim Religio tenetur suum Subditum alere, & defendere. Ratione iustitiæ, vt docet Lessius *lib.* 2. *de iust. cap.* 35. *dub.* 52. *num.* 68. *versu sed contra*, ita & Religiosus illam, vt dicitur *cap. nulli dub.* 3. *q.* 1. Similiter tenetur Subditus sui Prælati defensionem suscipere, ad Capitis enim defensionem accurrunt naturaliter inuocata membra. Et item ad defensionem Religiosi particularis, ratione ligaminis fraternitatis, quam inter se, & ad inuicem habent singuli Religiosi; Membro enim membri incumbit cura, & vnicuique mandauit Deus de proximo suo.

Hæc tamen intelligenda sunt, modo non habeantur sub secreto confessionis; nam quæ hoc modo sciuntur, non sciuntur ab homine simpliciter, vt homo est, sed vt Ministet Dei est, vt habet D. Thom. 2. 2. *qu.* 70. *art.* 1. *ad* 2. & tunc maius est vinculum Sacramenti, quam quodlibet aliud præceptum. Ita D. Th. *loc. cit. & quodlib.* 1. *art.* 15. & Antonin. 2. *parte tit.* 1. *cap.* 19. §. 7. *fine*, Armilla *verbo Accusatio n.* 7.

Et nota, quòd non dicitur haben sub sigillo confessionis id quod habetur hoc pacto (licet multi allucinentur in hoc.) Dico tibi hoc in confessione: vel etiam dicitur Confiteor Deo, &c. etiam genibus flexis: etiam signata fronte signo crucis, absque animo tamen confitendi peccata, & absolutionem recipiendi, sed tantummodo aliquid reuelandi, vt habet Cajet. 2. 2. *q.* 70. *art.* 1. *cit.* Et Nauarr. *in sum. cap.* 18. *num.* 55. *& cap. Sacerdos de Pœnitentia d.* 6. *num.* 39. Vega 2. *par. sum. cap.* 96. *casu* 3. & alij communiter, sed hic modus manifestandi secreta nullam habet maiorem vim, quam si extra confessionem manifestata essent.

Dico secundo, si secretum non vergit in damnum alicuius tertiæ personæ, sed solum in damnum vergeret manifestantis, si propalaretur, tunc etiam non sub secreto aceeptum, ad Superioris præceptum sub quacumque forma verborum factum, non tenetur Subditus manifestare: neque etiam tenetur si non appareat quidem; quare manifestare non possit, occultas tamen habet rationes in eo, qui illius fidei commisit, propter quas voluit secretum seruari, Ita D. Thom. *quodlib.* 1. *art.* 5. *corp. &* 2. 2. *q.* 70. *art.* 1. *ad* 2. vbi Cajet. Nauarrus *cap. inter verba conclus.* 6. *perfecta num.* 43. *versu* 4. *& in sum. cap.* 18. *num.* 60. Sylu. *verbo testis quæst.* 8. *d.* 2. Azor. *tom* 3. *instit. moral. lib.* 3. *cap.* 31. *dub.* 5. Reginald. *lib.* 24. *num.* 110. Scotus *in* 4. *dist.* 21. *q.* 2. Antonin. 2. *part. tit.* 1. *cap.* 19. §. 7. *fine*.

Probatur primò, quia de iure naturæ debemus proximo, quæ nobis ab eo fieri volumus, vt dicitur Matth. 7. *Omnia quæcumque vultis, vt faciant vobis homines, hæc facite illis*. At omnis desiderat, secretum, quod aliis commisit, non publicari.

Secundò quia seruare fidem est de iure naturali, contra quod homini nihil potest præcipi, vt D. Thom. ait 2. 2. *q.* 70. *art.* 1. *ad* 3.

Tertiò, quia damnificans proximum grauiter in honore, & fama mortaliter peccat secundum omnium opinionem contra iustitiam, & ad restitutionem tenetur, vt habet in specie Reginald. *lib.* 24. *num.* 107.

Dico tertiò, si occultatio secreti nulli prodesset, & reuelatio nulli noceret, tunc reuelare non esse plusquam veniale: etiamsi sub secreto tegendo acceptum esset, vt Cajet. habet *loc. cit.* & Nauarr. *in sum. cap.* 18. *nu.* 52. *versu verum est tamen*, Azorius. *tom.* 3. *lib.* 13. *capite* 31. *dubit.* 5.

Probatur, quia hic non læditur notabiliter proximus, vnde peccatum non potest esse mortale. Fit autem contra fidelitatem proximo debitam: etiam ratione promissi, & per consequens est peccatum veniale. Quod peccatum veniale non tenetur Subditus committere ad præceptum Prælati, vt reuelet tale secretum per ea, quæ dicta sunt supra.

CAPVT XVI.

Vtrum Subditus teneatur obedire Prælato præcipienti reuelare crimen occultum fratris.

CAput hoc nos admonet, vt instruamus Subditum nostrum de modo, quo se debet gerere in visitationibus, tùm Generalibus factis à Generali: tùm Prouincialibus factis à Prouinciali, ex cujus ignoratione multi Subditi simpliciores præsertim iuuenculi, attenta etiam Prælatorum non admonentium diligentia, in varios errores cum dispendio famæ, & honoris proximi dilabuntur.

Pro hoc capite igitur (quantum pro nunc ad Subditum necessarium putamus) potest videri D. Thom. 2. 2. *q.* 68. 69. 70. *& quodlib.* 1. *art.* 16. *quodlib.* 4. *art.* 12. *& quodlib.* 12. *art.* 13. Innocentius *cap. Nouit ille de iudiciis, & toto tit. de accus. Inquisit. & denunciat*, vbi Abbas Hostiensis, & Canonistæ communiter, Raymundus *in summa. lib.* 3. *tit. de Inquis.* §. 2. vbi Friburgus, Nauarrus *cap. Inter verba conclus.* 6. *perfecta præsertim à num.* 221. *& in summ. cap.* 18. *num.* 56. & alibi, Diaz *in sua practica cap.* 6. vbi Salzedo

Angles *in floribus parte 2. q. de correctione fraterna art. 1. difficult. 7. & art. 2. & 3. Per multa, pag. mihi* 67. Sotus *lib. 5. de iust. quæst. 5. art. 1. & 2.* Syluest. *verbo Accusatio, Denunciatio, Inquisitio, testis, Correctio*, vbi Angelus, Tabiena, Armilla, Pisanella, Rosella, & reliqui Summistæ, Sà *in aphorismis verbo Denunciare*, Toletus *in sum. lib. 5. cap.* 58 Naldus *verbo Accusare, & reuelare*, Ledesma *part. 2. summ. tract. 4. cap. 4. conclus. 22. & tract. 8. cap. 23.* Spatharius *de modo corrigendi Regulares, præsertim tract. 5. per multa*, Rodrig. *tom. 2. quæst. regul. q. 6. & 7. in sum. tract. de ordine iudiciali*, Zerola *verbo Accusatio*, Lessius *lib. 2. de iust. cap. 29. à dub. 12.* Vega 1. *parte sum. cap.* 82. Bonacina *in Decalog. disp. 10. quæst.* 3. Graffius 1. *parte decis. cap.* 69. Azorius *parte 3. lib. 13. cap.* 19. 20. 21. Reginald. *in praxi lib. 24. num.* 40. Salon. 2. 2. *q.* 68. *per multa.* Valent. *tom. 3. disp. 5. q.* 12. Sayrus *in Claui regia lib. 11. cap. 10. & lib. 11. cap. 4. à num.* 8.

Noto primo, tribus modis potest Subditus suum Prælatum de aliquo delicto admonere. Primò Paternè, & est quando Subditus admonet Prælatum inter se, & ipsum solum de aliquo delicto: quo pacto solam constratris correctionem intendit, quam ipse per se obtinere non potuit: vel obtinere non posse sperauit; Secundo Iuridice: denunciando crimen ad Superiorem, tanquam ad iudicem competentem: & sic intendit correctionem quidem fratris præcipuè, sed pœnam delicto debitam in publicum bonum, & exemplum aliorum, & hoc modo denuncians non se obligat ad probandum, sed sufficit si proponat crimen, testes, & indicia illud probantia, quæ si defecerint ad ipsum nihil. Tertio etiam iuridicè, sed accusando; & sic vindictam intendit, & tenetur probare ad pœnam talionis, ita vt si non probet, luat pœnam accusato debitam. Ita communiter Doctores *loc. citat. in specie Clauis Regia lib. 12. cap. 14. num.* 11. Bonacina *in Decalog. disp. 10. qu. 3. p. 1. proposit.* 3. Rodrig. *tom. 2. quæst. regul. q. 6. art.* 1. Angles *part. 2. quæst. de correct. fraterna art. 2. conclus.* 1.

Noto secundò, quòd tripliciter potest dici, aliquod peccatum esse occultum, vt ait D. Thom. *quodlib. 4. art. 12. & 2. 2. quæst. 33. art. 7. corpore.* Primo simpliciter, quando scilicet nullo modo ad multorum notitiam peruenit, & tale peccatum occultum nocet soli facienti, & qui tale peccatum scit, solum correctionem fratris peccantis debet intendere, ad quam à Christo institutus est modus *Matthæi* 18. & si Prælatus præcipiat, vt peccatum fratris hoc modo occultum ei dicatur, obediendum non est. Secundo modo potest dici peccatum occultum, quando non scitur quidem factum ipsum malum, sed per aliquas suspiciones in notitiam multitudinis venit, vnde multorum scandalum oriatur, & iam peccatum, non solum nocet committenti, sed multis; & quia bonum multitudinis præferendum est bono vnius, ideò Prælatus debet disquirere veritatem facti, vt scandalum multitudinis cesset: vel per pœnam peccantis: vel per eius excusationem, & ideo in tali casu potest præcipere scienti crimen fratris, vt illud manifestet, & Subditus obedire tenetur: Tertio modo sunt quædam peccata occulta, quæ sunt in nocumentum proximorum, vel temporale, vel spirituale, vt si quis occultè tractet, quomodo Ciuitas tradatur hostibus: vel si hæreticus priuatim homines auertat à fide, & qui hoc modo peccat, statim est denunciandus; quia in multos peccat. Nisi fortè quis firmiter æstimaret, se per secretam admonitionem huiusmodi mala impediturum. Quo casu est aduertendum, non semper esse necesse denunciare personas, & delicta, sed solùm, quando aliter bono communi prouideri non potest; Nam si sufficiat generalis admonitio, quòd aliqua mala parantur, non esset facienda declaratio specialis, & si sufficeret sola specialis delictorum, non esset facienda personarum, quia semper seruanda est fama proximo, quoties id fieri potest sine detrimento boni communis, & sine detrimento animæ illius, vt habet Nauarr. *in summ. cap. 18. num.* 56. Graffius *parte 1. decis. lib. 2. cap. 69. n.* 17. Reginald. *in praxi lib. 24. num.* 55. & 58. & colligitur ex D. Thom. *quodlib. 12. art.* 13.

Noto tertiò, circa illa verba, quibus Prælati in principio suarum visitationum communiter omnibus præcipiunt, vel specificè vni particulari sub pœnis, & censuris, vt eis dicatur, si quid corrigendum sit, Quod hoc præceptum sano modo est intelligendum, saluo semper ordine fraternæ Correctionis, si enim contra ordinem à Domino præscriptum, præciperet, & præcipiendo peccaret, & non esset ei obediendum iuxta illud Actorum 5. *Obedire oportet magis Deo, quam hominibus*, vnde non habet potestatem præcipiendi super occultis, nisi in quantum per aliqua indicia manifestantur puta per infamiam, vel per aliquas suspiciones. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst. 33. art. 7. ad* 5.

Noto quartò, quia in sequentibus sæpius fiet mentio de eo, siue teste, siue reo, qui iuridicè fuerit interrogatus, quod tenetur veritatem fateri. Quod ille dicitur iuridicè interrogatus, semper, & solum quando tria concurrunt. Primum, quòd Iudex interrogans sit competens. Secundum, quod delictum sit probatum plenè, vel saltem semiplenè: hoc est saltem per vnum testem omni exceptione maiorem: vel indicia illi æquipollentia: vel per infamiam plenè probatam. Tertiùm, quòd sit notificata illi huiusmodi probatio, vt sciat in quo statu est. Ita D. Thom. 2. 2. *q. 69. art. 1. & 2. corpore*, Cajet. *ibi*, Nauarr. *in summ. cap. 18. num.* 57. Salzedo *ad practicam* Diaz *cap. 129. versu 8. & 9.* Reginaldus *lib. 24. num. 40. versu Porro*, Valent. *tom. 3. disp. 5. quæst. 13. p. 2. versu, sed circa primam.*

Dico primò, omnes iure diuino naturali tenemur ad correctionem fraternam sub peccato mortali. Ita D. Th. 2. 2. *quæst. 33. art.* 2. Cajet. *ibi*, Nauarr. *in sum. cap. 24. num.* 12. Rodrig. *tom. 2. quæst. regul. q. 8. art.* 1. Sylu. *verbo Correctio q. 1. num.* 2. Graffius 1. *parte decis. lib. 2. cap. 69. num.* 2.

Probatur primò, ex illo Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, corrige eum inter te, & ipsum solum*, vbi etiam præscribitur modus id exequendi.

Secundò, quia ius naturale præcipit, vt saluti proximorum ratione prædita subueniamus. Vnius enim speciei homines nos inuicem adiuuare debemus.

Quatuor tamen debent concurrere, ad hoc vt quis ad eam sub mortali teneatur. Quæ colligunt Nauarrus, & Graffius *loc. citat.* ex D. Thom. Primum, quod peccatum mortale sit, vel veniale ad mortale inducens. Secundum, quòd speretur emendatio: vel certè non timeatur deterior ratio. Tertium, opportunitas non solum personæ, quæ vel prudentior sit, vel magis obligata: vel magis profectura, considerata peccantis conditione, amicitia, parentela, &c. sed etiam temporis, & loci: Quartum, vt commodè fieri possit, idest, absque damno notabili, salutis, honoris, & famæ corrigentis.

Notat etiam Cajet. 2. 2. *q. 33. art. 2, in Responsione ad tertium*; quòd quando quis correctionem omittit: vel propter defectum spei, quia scilicet non sperat, illum se emendaturum, vel propter respectum humanum, quia timet, ne illum offendat: vel quia timet, ne reputetur præsumptuosus: vel propter ignorantiam, quia non credit, se in tali casu obligari: vel ex quacunque alia causa, hoc semper saluo, quòd si crederet probabiliter se à mortali peccato proximum retracturum omnia postponeret Charitati fraternæ, non peccat mortaliter.

Dico secundò, denunciare paternè omnes tenemur sub mortali, quando nulla spes emendæ fratris habetur, per correctionem fraternam factam, seù faciendam, secundum præscriptum Christi *Matth.* 18. quæ emenda speratur per paternam Prælati grauiorem, & seueriorem

uetiorem admonitionem. Ita D. Thom. 2. 2. q. 33. art. 8. ad quartum, Sylueft. verbo Correctio, q 3. n. 4. Graffius p. 1. decif. lib. 2 cap. 69. n. 15. Saytus in Claui regia lib. 12. cap. 10. n. 7. versu Primo quidem, Rodrig. tom. 2. quaest. reg. q. 6. art. 5. Spathatius de modo corrigendi Regulares tract. 5. cap. 1. num. 9.

Probatur, quia salutem proximi spiritualem ex præcepto diuino omnes procurare tenemur, omni meliori via, & modo, quo possumus, salua proximi fama, & honore; sed hic modus optimus est ad saluandum proximum: admonere pium, & Charitatiuum Prælatum de illius defectibus, vt corrigatur.

Vbi notandum, quòd de delictis secretis, quæ sunt contra peccantem solum, vt Luxuria, Gula, Auaritia, quando nulla speratur peccantis Correctio, etiam ex huiusmodi admonitione facta Prælato, vt Patri, sed potius timetur deterior ratio, & in peccatis durior obstinatio, non tenetur sciens, talem denuntiationem facere, quia esset contra finem fraternæ correctionis, quæ est Charitas. Ita D. Thom. 2. 2. q. 33. art. 6. & Rodrig. tom. 2. quaest. regul. q. 6. art. 5. qui addit, *Tunc rogandum esse Deum, vt talem peccatorem à via perditionis auertat, & ad viam veritatis reducat.* Quod intellige si sint omninò occulta, & per denuntiationem iudicialem probari non possint. Sin autem delicta sint in damnum tertij, vel Communitatis, tunc reuelanda sunt Prælato, etiam si nulli possint adduci testes, vt Prælatus secundum suam prudentiam, remedium adhibeat, vt ait Angles 2. parte quaest. de Correctione fraterna art. 1. difficult. 6. pag. mihi 67. & Salon. 2. 2. q. 68. art. 1. conclus. 2. parte 2. conclusionis, *cum cautelis tamen adhibitis notabili* 2. ex D. Th. Nauarr. & Graffio, vt solum ea, quæ ad vitandum malum necessaria videntur, denuncientur: salua, quantum plus potest, fama proximi.

Notandum est etiam, quòd quando Prælatus est secreto monitus tanquam Pater, non potest reum punire, neque iuridicè interrogare; sed debet tantum monere, & minis terrere, vt cautius viuat. Ratio est, quia Prælatus non potest iuridicè procedere, quando non habet contra reum legitimam probationem, infamiam, aut indicium; & reus tunc etiam sub sententia excommunicationis iussus confiteri non tenetur. Ita Angles *in floribus parte 2. quaest. de Correctione fraterna, art. 1. difficult. 7. conclus. 1. pag. mihi 67.*

Dico tertiò suppositio, quòd quis fraterna Correctione, vel paterna denuntiatione, nihil profecerit, si per testes idoneos potest delictum probare, denuntiare tenetur peccantem iuridicè. Ita Nauarr. cap. *Inter verba* conclus. 6. perfecta n. 380 & in Manuali cap. 17. n. 134. Angelus verbo Denuntiatio n. 13. & verbo Excommunicatio 3. n. 20. Graffius 1. parte decis. lib. 2 cap. 69. num. 15. Rodriguez tom. 2. quaest. regul. quaest. 6. art. 2. Regin. in praxi lib. 24. n. 50. Armilla verbo Inquisitio num. 8. Saytus in Claui regia lib. 12. cap. 10. n. 7.

Probatur, quia emendationem fratris, quam intendit denuntiatio etiā in iuridica, tenemur omnes procurare.

Dixi si per testes idoneos, saltem vnum omni exceptione maiorem, potest probare, quia si probare non potest, denuntiare non tenetur, vt dicunt omnes Doctores citati, etiamsi Prælatus denuntiari præcipiat sub merito sanctæ Obedientiæ, sub pœna excommunicationis, ad quod facit *caput plerumque* 2. quaest. 7. vbi dicitur, *quod plerumque boni viri sufferunt aliorum peccata, & tacent; quia sæpè deseruntur publicis documentis, quibus ea, qua ipsi sciunt, iudicibus probare non possunt.*

Et addunt Angel. dicto verbo Excommunic. 3. & Nau. dict. Cap. Inter verba, id esse verum, etiamsi Prælatus præcipiat denuntiari, licèt si probari non possit id, quod denuntiatur, sub quacumque forma verborum id faciat, quia hoc præceptum continet intolerabilem errorem.

Nota tamen, quod si Superior præcipiat, vt qui nouerit auctores talis criminis, debeat sibi tanquam patri

secreto reuelare, ad eorum emendationem, vel læsi satisfactionem, tenetur Subditus obedire, si primò constet de mente Superioris, quod velit omninò procedere tanquam Pater, & solum emendationem, & satisfactionem intendat; Secundò antequam admoneatur Superior, debet admoneri delinquens per secretam correctionem inter te, & ipsum solum, ac etiam inducendi sunt testes, si illa non sufficiat, & hæc per testes profutura indicetur, iuxta præceptum Christi *Matthæi* 18. quod si hac admonitione sit spes emendationis, non tenemur, neque debemus denuntiare Prælato, secùs verò, si nulla sit spes, Regin. in praxi lib. 24. n. 61.

Notà vlterius, quòd si delictum sit emendatum, vel spes probabilis sit emendationis, non tenetur Subditus illud denuntiare, etiam ad Superioris præceptum, Rodrig. tom. 2. quaest. regul. q. 6. art. 2. Angles in floribus parte 2. q. de correctione fraterna, art. 2. diffic. 2. propos. prima pag. mihi 71. Vega part. prima. cap. 82. casu primo, versu lo primero, Nau. in sum. cap. 25. n. 46. Spatharius tract. 5. cap. 6. n. 3. Probatur, quia cum denuntiatio solam correctionem intendat, si iam obtinuit intentum, nihil est amplius faciendum, vnde Christus aiebat, *Non est opus valentibus Medicus.*

Si autem delicta sint in damnum communitatis, etiamsi emendata sint, ea tamen denuntiare tenentur illi, quibus ex officio incumbit, vt sunt Correctores locales: Vicarij Conuentus, commoditatem, vel potestatem non habentes, huiusmodi peccantes castigandi. Innocentius in cap. Nouit. de Iudicijs num 2. Rodrig. loc. cit. Spathatius tract. 5 cap. 7. num. 1. 2. 3. Probatur, nam ad istos pertinet cura communitatis, cuius maximè interest, ne delicta etiam correcta impunita maneant: vt vnius Correctio, in aliorum transeat exemplum.

Exciperem tamen, quando peccatum commissum fuisset à persona, alioquin graui, & non solita talia perpetrare, quia tunc censetur Commissum ex vrgentissima passione, si correctum tamen sit, & emendatum: signaque maximæ contritionis in peccatore appareant: & absit scandalum.

Aduerte etiam, quòd, si aliquid mali, ex denunciatione sibi obuenturum iudicat quis probabiliter, denuntiare non tenetur, vt ait Rodrig. tom. 2. quaest. reg. q. 6. art. 3. Spatharius tract. 5. cap. 6. n. 1. quia cum hæc denuntiatio sit actus Charitatis, obesse non debet illā vtenti, intellige tamen, nisi delicta essent in damnum graue Communitatis, quia tunc bonum publicum, bono priuato est præferendum.

Denuum nota, si testes leues sint, idonei non censentur, & ideo, qui hos tantum habet, non tenetur denuntiare. Neque etiam tenetur, si ipse denuntians non sit fide dignus, etiamsi Prælatus præcipiat, sub quacunque forma verborum id faciat, Regin. lib. 24. num. 50.

Dico quartò, nemo tenetur denuntiare, quæ ab alio audiuit; Ita Rodrig. tom. 2. quaest. regul. q. 6. artic. 7. Spatharius tract. 5. cap. 11. n. 1. 2. 3. Nauarr. in sum. cap. 25. num. 46.

Probatur, nam vel ille, à quo audiuit est persona grauis, & ad ipsum pertinet denuntiare, & non manifestare Confratris delictum, imò manifestando præsumitur de illius leuitate, & homini leui non est credendum: vel persona à qua audiuit est vilis, & nullius auctoritatis: & illi credendum non est, nunc enim verum est illud. *Qui cito credit, leuis est corde.*

Sed quid, si Superior præcipiat sub pœna excommunicationis, vt dicas, non solum, quæ scis de visu, sed etiam quæ de audita.

Respondet Spathatius loc. cit. n. 4. quod in aliquibus casibus, vel propter grauitatem delicti: vel propter alium respectum tenetur obedire.

Rodrig. autem ait loc. cit. Quòd si audiuit à persona auctoritatis, tenetur obedire, si autem è contra, non tenetur.

Sed Respondeo distinguendo primò. Vel putat ve-

rum id, quod audiuit, vel non. Secundo, vel Superior interrogat bona mente, vel mala. Tertiò, vel Superior videtur dicto illi de auditu adhibiturus omnimodam fidem, vel aliqualem. Si putat verum id quod audiuit, & Superior interrogat bona mente, correctionem solummodo intendens, vel etiam punitionem in bonum commune, & non est adhibiturus illi dicto nisi eam fidem, quam ipsum meretur, puto, quòd teneatur obedire. Sin autem non putat verum id quod audiuit, non est cur falsitatem, seù rem falsam existimatam denunciet: & si putet Superiorem malo animo id quærere, vt inde indicium sumat ad inquirendum contra personam, de qua dicitur dictum illud de auditu, vt illam puniat, & castiget in odium, vel vindictam passionis alicuius particularis, non tenetur obedire: sicut nec etiam tenetur, si putat Prælatum illi dicto adhibiturum fidem, supra id quod meretur.

Dico quintò, nemo tenetur alterum accusare pro iniuriis, sibi illatis: potest quidem, si vult, sed si delictum sit contra communitatem, & bonum publicum, & possit per testes sufficientes commodè probari, accusare tenetur. Nisi possit alia via bono communi consulere. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst.* 68. *art.* 5. Cajet, *ibi*, Rodrig. *tom.* 2. *quæst. regul. q.* 7. *art.* 4. Angles *in floribus quæst. de correctione fraterna art.* 2. *in principio, pagina mihi* 68. Tabiena *verbo Accusatio n.* 2. Nauarr. *cap. inter verba conclus.* 6. *perfecta n.* 240. Syluest. *verbo Accusatio quæst.* 2. *n.* 3. Armilla *eodem n.* 6. Rosella *eodem n.* 5. vbi Pisanella, Azor. 3. *parte lib.* 13. *cap.* 19. *dub.* 4. Sotus *lib.* 5. *de inst. quæst.* 5. *art.* 5. *conclus.* 1.

Nota, quòd per accusationem non intelligitur hoc loco Accusatio stricto iure prout de ea loquuntur Iuristæ, sed intelligitur prout est idem, vel parum differt à denuntiatione iudiciali, vt bene explicant Sotus, Angles, & Azor. *locis cit.* & Ledesma 2. *parte sum. tract.* 8. *cap.* 23. *conclus.* 5. & D. Th. ipse videtur pro eodem accipere Iudicialem denuntiationem, & accusationem, *in* 4. *dis.* 19. *q.* 2. *art.* 3. *arg.* 3. pro contraria sententia.

Prima ergo pars conclusionis probatur, quia licitum est vnicuique non solum iniurias illatas remittere, sed etiam illarum restitutionem, vt habet D. Thom. 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 5. *&* *quæst.* 73. *art.* 4.

Secunda pars etiam probatur, quia potest quis velle sibi satisfieri pro illatis iniuriis. Et quòd iustitiæ (id quod suum est) tribuatur.

Tertia pars probatur ratione D. Thom. 2. 2. *q.* 68. *art.* 1. quia omnis tenetur procurare quietem perturbatæ Reip. per punitionem peccantium.

Quarta pars probatur, quia nullus tenetur ad id, quod debito modo perficere non potest.

Quinta pars patet, quia cum bono communi sit prouisum, cuius hoc est solum intentum parum interest, vtrum per vnum, vel per alium modum curetur ægrotus.

At inquies ergo nullo pacto differt accusatio à denuntiatione iudiciali.

Respondeo, hoc solum differunt in materia de qua agimus apud Religiosos Denuntiatio, & Accusatio, quod Denuntiatio, præter Correctionem Fratris, & iustam satisfactionem partis, nihil aliud prætendit: Accusatio verò prætendit etiam vindictam, & pœnam.

§. I.

Vtrum Reus teneatur seipsum manifestare.

Dico primo Reus iuridicè interrogatus, tenetur sub mortali sua delicta, quantumuis grauia confiteri. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst.* 69. *articul.* 5. 2. *corpore* Nauarrus *de pœnitentia dist.* 5. §. *Non dico tibi, num.* 19. *&* *in summ. cap.* 18. *num.* 57. Azor. *parte* 3. *lib.* 13. *cap.* 25. *dub.* 3. Syluest. *verbo Accusatio quæst.* 13. Sotus *libro quinto, de inst. quæst.* 6. *art.* 2. *conclus.* 5. Reginald. *in praxi lib.* 24. *n.* 35. Salzed. *ad pract.* Diaz *cap.* 129. *Pagella* 3. *verbo Primo quidem*

Probatur, quia Subditus tenetur obedire Superior in his, ad quæ ius Prælationis se extendit; vt patet ex illo *ad Rom.* 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus Subdita sit*, sed ius Prælationis se extendit ad omne iustum, præceptum imponendum, vt est hoc, vtpotè institutum ad vitandum damnum, quod communitas alioqrin pateretur, dum malefactores subinde multiplicarentur per confidentiam impunitatis.

Limitant tamen hanc conclusionem: quod solum intelligatur in ciuilibus: vel etiam in criminalibus, in quibus non timetur pœna sanguinis, Rodrig. *to.* 2 *quæst. reg. q.* 19. *art.* 4. Petr. Nau. *lib.* 2. *de rest. c.* 4. *a n.* 142. Less. *lib.* 2. *de inst c.* 31. *dub.* 3 *n.* 16. nec ab ea abhorret Regin. *lib.* 24. *n.* 37. Salzed. *ad pract.* Diaz. *cap.* 129. *pagella* 6. *versu decimo.* Illud perpetuæ memoriæ commendandum censeo. Quod est valdè rationi naturali consonum.

Ex quo deduco, quod non tenetur Religiosus etiam iuridicè interrogatus, veritatem fateri, cum ex tali confessione certò sibi infligendam putat pœnam triremium. Ratio est, quia pœna triremium non solem regulariter imponi Religiosis, nisi pro iis delictis, quibus correspondet in sæculo pœna mortis, & est vltimum Religiosorum supplicium: morte ipsa à viris honoratis æstimatum ignominiosius: macula nunquam abstergenda. Videtur etiam insinuare Rodrig. *loc. cit.* captesse Fagund. *in* 2. *precept. Ecclesiæ lib.* 8. *c.* 7. *n.* 4. Malder. 2. 2. *tract.* 6. *de inst. cap.* 2. *fol.* 527. Portel. *in dub. reg. verbo Reus num.* 43. *&* *in addit. eodem verb. n.* 5. Rodet. *resol.* 43. *n.* 7.

Dico secundo non tenetur Reus sub quacunque forma verborum iussus secretum delictum manifestare. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 69. *art.* 5. vbi Cajet. *&* *q.* 33. *art.* 7. *ad* 5. Nauarr. *dist.* 5. *de pœnit.* §. *non dico tibi per multa, præsertim n.* 25. Rodrig. *tom.* 2. *q. reg. q.* 5. *art.* 4. Salzed. *ad pract.* Diaz *cap.* 129. *pagella* 7. *versu* 2. *autem distinctionis membro*, Reginald. *lib.* 24. *n.* 41.

Probatur primò, ex multis testibus in iure *c. si quis aliquando*, §. *non dico tibi de pœnit. d.* 1. vbi dicitur, *Non dico tibi, vt te prodas*, & *cap. Erubescant dist.* 32. vbi dicitur, *De manifestis quidem loquimur; secretorum autem, & cognitor Deus, & Iudex est*, &c. si omnia: *c. si omnes, c. ex merito* 6. *q.* 1. vbi dicitur, quòd *occultorum iudicator est Deus.*

Secundò probatur, quia tunc solum reus tenetur respondere in iudicio, cum legitimè interrogatur: sed diximus, quòd ad hoc vt aliquis sit legitimè interrogatus, debet præcedere infamia, vel semiplena probatio, vt est omnium Theologorum, & Canonistarum sententia.

Et aduerte, quod potest quis ad vitanda grauia tormenta sibi falsum crimen imponere etiam absque peccato veniali, licèt ob illius confessionem esset morte plectendus, nam vita non est digna tanto dolore, & mendacium excusatur æquiuocatione in mente retenta, scilicet crimen commissi non re, sed solum vt fatear Iudici ad vitanda tormenta, quod est verum, etiam si hanc impositionem falsi criminis iuret propter eandem rationem. Ita Io. Sancius *in select. disp.* 46. *num.* 56. & Diana *tom.* 3. *tract.* 5. *resol.* 7. licèt alij tunc venialiter peccare asserant, vt Lessius *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 7. *n.* 4.

Dico tertio, Si delictum est notorium, author verò occultus, v. g. sublatum est aliquid notabile in conuentu, apponitur à Prælato excommunicationis pœna, vt quicunque sciuerit, furem, debeat manifestare. Dicò, quòd author talis furti non tenetur se manifestare, nec per hoc incurrit pœnam excommunicationis, Cajet, 2. 2. *q.* 69. *art.* 1. & alij omnes citati *concl. antecedenti*, & probatur rationibus eiusdem, quibus addo, *c. Inquisitionis* § *tertia dubitationis*, vbi dicitur, *Nullum esse de crimine, super quo non laborat infamia, puniendum.*

Sed quid, inquis, si Prælatus tali pacto ferat excommunicationem; Excommunico, qui tale furtum commisit, nisi se manifestauerit.

Dico

Dico, quòd tunc duplex potest esse sensus illius excommunicationis. Primus, ita vt excommunicatio cadat super furtum; Et sensus sit excommunico, qui tale furtum commisit, ex gratia autem, & ex liberalitate, si se manifestauerit, non excommunico: Secundus ita vt excommunicatio cadat absolutè super reuelationem, & sensus sit. Excommunico, qui non reuelauerit, se tale furtum commisisse. Primo modo tenet excommunicatio, quia sicut potest excommunicari, qui tale furtum commiserit: ita potest, qui commisit: Secundo modo, non tenet excommunicatio, quia excedit vires humani iudicij. Ita Cajet. *loc. cit.* qui sic explicat casum illum positum *cap. Quidam quinta quæst.* 1. vbi excommunicatur, si se non prodat, qui famoso libello Castorij famam læsit; quo eodem pacto hoc explicat Nauarrus *dist.* 1. *de pœnit.* §. *non Dico tibi num.* 28.

Sed quid si vnus tantum sciuit, talem commisisse furtum: de quo tamen nulla laborat infamia; cum sit vir alias probatæ vitæ, tenetur-ne, qui nouit authorem talis furti eum prodere? ad euitandam pœnam excommunicationis.

Respondeo, si author furti est omninò occultus, nec vlla laborat infamia, non tenetur, qui nouit eum manifestare. Ita Petrus Nauarr. *lib.* 2. *de restit. cap.* 4. *num.* 167. & 168. Rosella *verbo Correctio num.* 4. Syluest. *verbo testis quæst.* 8. *d.* 1. Reginald. *lib.* 24. *num.* 47. quia talis est exemptus ab inquirentis iurisdictione propter defectum scientiæ; Debet tamen admonere auctorem furti, vt satisfaciat, vt ait Rosella; sed si furtum est in perniciem Communitatis propter graue scandalum inde oriundum: vel in notabile alicuius damnum tenetur, qui solus scit, furem prodere; bonum enim commune, particulari semper est anteponendum, vt ait Reginald *loc. cit.*

Adde, quòd si quis reum furti, vel peccati in perniciem communitatis non vergentis, acceperit sub sigillo secreti naturalis ad consilium, vel remedium adhibendū ei in anima, vel corpore non potest, quantumcumq; præcesserit infamatio, vel semiplena probatio sine mortali, & obligatione ad restitutionem detegere: nisi fortè idipsum adhuc alia via resciuerit. Ita Petrus Nauarr. *loc. cit. num.* 222. & 223. Syluest. *verbo testis, quæst.* 8. *d.* 2. Regin. *loc cit* Quia ius naturale postulat, vt fides præstita non frangatur, & habetur expresse *cap. Antigonus de pactis.* Quod intellige, etiamsi Superior reuelari præcipiat sub merito sanctæ obedientiæ, & pœna excommunicationis; quia ius naturale iuri positiuo præpondetat.

Sed quid, inquis, ad furtum alicuius rei præcipit Prælatus sub pœna excōmunicationis ipso facto, vt qui furatus est, debeat eam restituere, vel qui sciuerit furem, teneatur eum manifestare. Ante prolationem huius præcepti, fur factus est impotens ad rem sublatam restituendā; vel quia eam ludo perdidit: vel quia scorto, vel aliis donauit; & qui auctorem furti nouit. Nouit etiam talem impotentiam restituendi, incurrent-ne isti in dictam excommunicationem, non reuelando furtum, seu auctorē?

Respondeo mihi videri, non incurrere. Primo, quia cum excommunicatio sit lata in non restituentem, impotens restituere non potest, ergo neque excommunicationem incurret. Secundò, quia excommunicatio semper fertur in contumacem, at hic contumax non est. Tertiò, quia si feratur excommunicatio contra aliquem, nisi soluat quandam summam pecuniarum, quam soluere non potest, nulla est in omnium opinione, vt potè errorem continens intolerabilem: & cogens hominem supra id, quod potest. Quarto, quia ad impossibile nemo tenetur iuxta regulam. Nemo potest, quæ est sexta *de regul. iur. in* 6. vbi dicitur, quòd *Nemo potest ad impossibile obligari.* Atq; ita docet Innoc. *in c. Cum. D. & G. de offic. deleg. n.* 2. Quod idem dic de sciente impotentiam, cum suo dicto quidquam profecturus non sit. Aliter forsan esset dicendum de eo, qui ex malitia affectata se impotentem reddidisset; quia ex delicto non debet reportari commodum c. *Tua de Clericis non residentibus*, vt sentire videtur Innoc. *loc. cit.* Sed idem puto dicendum propter dicta. Non autem esset idem dicendum, si non esset verè, & totaliter impotens, sed posset aliquo labore, & industria rem sublatam, & donatam recuperare.

§. II.

Vtrum aliquo casu correctio fraterna, vel paterna denuntiatio possit omitti.

Dico primo. Quando peccatum est publicum, statim nulla secreta fraterna correctione, & paterna denūtiatione præcedente, est denuntiandum: aut accusandum coram Iudice competente, vt delinquens puniatur: posthabita delinquentis turbatione, & bono tantum publico perspecto. Ita D. Th. 2. 2. *quæst.* 33. *art.* 7. *corpore.* Sylu. *verbo Correctio quæst.* 3. *n.* 4. Rosella *verbo inquisitio statim in principio*, Pisanella *verbo Correctio* §. *Quo ordine procedendum*, Armilla *eodem num.* 4. Ledesma 2. *par. sum. tract.* 4. *cap.* 4. *conclus.* 21. *pag. mihi* 203. Vega *par.* 1. *sum. cap.* 71. *casu* 35. Rodrig. *tom.* 2. *quæstionum Regul. quæst.* 6. *art.* 4. Reginald. *in praxi lib.* 24. *num.* 53.

Probatur primo, quia de his non intelligitur illud Matth. 18. *Si peccauerit in te*, idest coram te, & non publicè, vt benè aduertit D. Thom. *loc. cit.* tunc enim non solum coram corripiente peccatur, sed coram aliis, illos turbando, & scandalizando.

Secundo, quia non solum est adhibendum remedium ei, qui peccauit; sed etiam illis; coram quibus fuit peccatum, vt scandalizati non remaneant, si non viderint subsequentem pœnam, quæ pœna non infligitur, nisi à Iudice, per denuntiationem, seu accusationem delinquentis.

Quod est maximè notandum Religiosis, de quorum substantia, & essentia est, esse integræ vitæ, & exemplaris; Quod enim peccatum aliquod publicum commiserit Religiosus, excusant pij, & prudentes in sæculo viri: Homo est, fragilis est, terra, & caro est: At quòd istud dissimuletur per ipsorum Superiores: quòd occasio non amoueatur: quòd non puniatur, & castigetur, scandalum graue est, & illud tolerare non possunt, & meritò; Religiosi enim qui publicis, & priuatis concionibus, publica peccata, & scandala punienda deprædicant, ipsi tolerabunt? vide Bonau. *tom.* 2. *opusc. de sex alis Seraphym cap.* 2. aiebat, *non ideo laudabilis Religio, quia in ea nullus peccans reperiatur, sed quia nullus impune peccare sinatur.*

Quare peccant omnino lethaliter Religiosi illi, qui scientes peccatum aliquod publicum, & scandalosum sui Confratris, non statim denuntiant, vel accusant apud suū Prælatum; etiamsi peccatorem maximè pœniteat perpetrasse, & signa pœnitentiæ ostendat, quia, vt dixi, satisfaciendum est scandalo. Et aduertant Religiosi, quòd in publicis delictis ad omnes, & singulos ex officio, & interesse incumbit, Superiorem admonere: & apud eum delinquentes publicè accusare, seù denuntiare, vt publica peccata, publica pœnitentia deleantur provt: Dicitur *cap. manifesta de pœnitentiis, & remissionibus*: cum gentium sæcularium notum sit, quòd vno Religioso cognito peccante, tales omnes iudicant, quod implorabat Aug. epist. 137. ad Plebem Hipponensem, *Cum de aliquibus, qui sanctum nomen profitentur, aliquid criminis, vel falsi sonuerit, vel veri patuerit, instant, satagunt, ambiunt, vt de omnibus hoc credatur.*

Neque in hoc Charitas, & pietas est delictum occultare, vt D. Hieronym. *Relatus in cap. sed illud dist.* 45. aiebat. *Quæ est ista misericordia? quæ est ista benignitas? vni parcere, & omnes in discrimen adducere, polluitur enim ex vno peccatore* (publico) *populus, sicut ex vna oue morbida, vniuersus grex inficitur.* Itaque non pietas est hæc, sed odium, odium inquam, tum Religionis, quæ tale pati relinquitur detrimentum; tùm Fratris ipsius

peccantis, qui, si corrigatur, & puniatur publicè, saltem per amonitionem ab illo loco, in quo deliquit, metu pœnæ, si non virtutis amore, cauebit in futurum similia perpetrare.

Notandum est nihilominus. quod si æquè bene posset satisfieri scandalo per publicam correctionem Confratris, vel alio modo, tunc non esset denuntiandus, vt bene aduertunt Armilla, Ledesma, & alij.

Notandum est etiam, quòd publicum peccatum dicitur illud, de quo quis est conuictus in iudicio: vel quod est commissum in aliquo publico loco, vbi semper sunt gentes; vel est publicum in aliqua via, vel in Religione, seù conuentu, licèt non sciatur extra illum in Ciuitate vel est per publicam famam diuulgatum. Ita communiter Vega *part. 1. cap. 71. casu* 37. Pisanella *verbo Accusare*, *§. Notorium*.

Dico secundo, si peccatum est occultum, sed est in damnum particularis personæ, vel communitatis, statim est denuntiandum absque correctione fraterna. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 33. *art.* 7. Vega *part.* 1. *cap.* 71. *casu* 35. & alij citati conclusione præcedenti: Iuxta modum huiusmodi denuntiandi dictum Notabili. Secundo peccata in damnum communitatis sunt traditiones: subornationes electionum: ea, ex quibus potest oriri aliquod scandalum in Ciuitate: & denique ea, quibus perturbatur Communitas; In damnum tertij sunt homicidium, furtum, adulterium. Ita Vega *loc. cit. notab. primo*, vbi similiter est aduertendum, quod si potest æquè bene prouideri damno publico, vel priuato per secretam admonitionem, non est recurrendum ad denuntiationem; si autem dubitatur, an per secretam, seu paternam admonitionem sit remedium adhibendum, tunc denuntiandum est; quia in dubiis magis prouidendum est bono communi, quàm particulari. Ita Vega *loc. cit.* Nald. *in summ. verbo Accusare num.* 1.

Dico tertiò, ante accusationem non esse necesse, quòd præcedat fraterna correctio, vel paterna denuntiatio. Ita D. Thom. *in 4. d.* 19. *quæst.* 5. *art.* 3. *quæstiunc.* 1. *ad* 4. Nauarr. *cap. Inter verba, conclus.* 6. *perfecta num.* 244. Angles *in floribus par.* 2. *quæst. de correct. frater. art.* 2. *dif.* 1. *pag* 69 Ledesma 2. *par. summ. tract.* 8. *cap.* 23. *conclus.* 2. *dub.* 1. Azor. 3. *par. lib.* 13. *cap.* 19. *dub.* 3. Lessius *lib.* 2. *cap.* 30. *dubit.* 3. Angelus *verbo Accusatio num.* 1. Bonacina *in Decalogum dis.* 10. *quæst.* 3. *p.* 5. *propos.* 4. Nota quod D. Thomas citatur etiam pro contraria opinione à Syluest. *verb. Accusatio quæst.* 3. *num.* 3. & verè illo loco nihil determinatè dicit; ambas enim recitat opiniones, nec magis in vnam, quàm in aliam videtur inclinare. Hanc tamen videtur tenere *quodlib.* 1. *art.* 16. quatenus habet, *Quòd admonitionem debet præcedere correctio, Inquisitionē infamatio, accusationem inscriptio.*

Probatur primò, quia accusatio non est ad correctionem fratris; sed ad punitionem delecti.

Secundò probatur, *ex capite qualiter, & quando el segundo, de accusationibus, §. ad corrigendoe*, vt dicitur, quòd *Sicut ante denuntiationem precedit charitatiua monitio: & ante Inquisitionem præcedit clamorosa insinuatio*: ita *ante accusationem legitima debet precedere inscriptio.*

Tertiò, quia accusatio fit etiam de delictis iam transactis, & correctis; vnde non est necesse præcedere correctionem fraternam, quæ nihil posset prodesse; cum solùm intendat emendationem criminis, quod iam est emendatum.

Quartò, quia si delictum est in damnum accusatoris, æquum non videtur iniuria affectum adhuc debito fraternæ correctionis supergrauari.

Si quæras, an in casu hæresis, vel in casu, quo quis fœminam in actu confessionis sollicitasset, ante accusationem, vel denuntiationem debeat præcedere fraterna correctio.

Respondeo, si hæreticus sit formaliter in hæresi radicatus, statim est Inquisitoribus denuntiandus absque fraterna correctione; quia nihil illi profutura videtur, si vero non sit hæreticus formaliter, sed solum protulerit aliquam hæresim, forsan ex ignorantia, teneur sub mortali, priusquam illud ad Inquisitores denuntiem, admonere; cum possim præsumere, illum fore mea admonitione corrigendum, & vniuersaliter, quando per secretam admonitionem speratur correctio, hæc debet præcedere, vt docet D. Thom. 2. 2. *quæst.* 33. *art.* 7. *corpore*, Nauarr. *in summ. c.* 18. *n.* 56. Grassius *part.* 1. *decis. lib.* 2. *cap.* 69. *num.* 58. Ledesma *par.* 2. *summ. tract.* 4. *cap.* 4. *conclus.* 24. *dub.* 1. *pag. mihi* 507. Vega *par.* 1. *cap.* 71. *casu* 42. Toletus *in summ. lib.* 4. *cap.* 5. *num.* 5. Naldus *verbo Accusare num.* 1. Ratio est, quia cum possum consulere communitati absque detrimento honoris proximi, debeo facere.

Quod idem est dicendum de eo, qui sollicitauit mulierem in confessione, si enim speratur per correctionem fraternam emendatio, debemus illam adhibere, vt habet in specie Ledesma *dub.* 2. Verum quidem est, quòd in istis delictis vergentibus in damnum Communitatis, vt in proditione, hæresi, & isto sollicitationis mulierum, ratò potest sperari emendatio per fraternam correctionem, ideò ratò hæc erit adhibenda, vt aduertunt Nauarrus, Grassius, Ledesma *loc. cit.*

§. III.

Quæ teneatur, vel non teneatur Subditus reuelare vocatus, vt testis.

Dico primo Testis iuridicè interrogatus sub mortali tenetur veritatem fateri. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 70. *art.* 1. *corpore*, Nauarr. *cap. inter verb. conclus.* 6. *perfecta à num.* 300. Syluest. *verbo Testis quæst.* 8. *d.* 1. Rodrig. *tom.* 2. *quæst. reg. q.* 53. *art.* 7. Azor. *par.* 3. *lib.* 13. *cap.* 27. *dub.* 1. Lessius *lib.* 2. *de iust. cap.* 30. *dub.* 6. *num.* 43. Sotus *lib.* 5. *de iust. quæst.* 7. *art.* 1. *concl.* 1.

Probatur primo, quia cum Subditus adstringitur iusto Prælati præcepto tenetur obedire, sed si iuridicè interrogat, præcipit iustè.

Secundo, quia veritatem occultans, iustitiæ impedit executionem, quod minimè licitum est.

Dico secundò, Testis etiam non legitimè, interrogatus tenetur veritatem fateri, quando delictum est in publicam perniciem: vel in damnum particulare priuatæ personæ, quod absque illius testimonio vitari non potest. Ita D. Th. *loc. cit.* Nauarr. *in sum. cap.* 15. *num.* 17. *& cap.* 25. *n.* 47. Valent. *tom.* 3. *disp.* 5. *q.* 14. *p.* 1. *assert.* 3. Azor. 3. *par lib.* 13. *cap.* 27. *dub.* 4. Vega 2. *parte sum. cap.* 115 *casu* 8. Spatharius *tr.* 7. *cap.* 7. *n.* 3. *&* 4.

Probatur, quia sicut denuntiator tenetur statim denuntiare huiusmodi delicta propter vitandum publicum vel priuatum damnum. Ita ad id tenetur testis, præsertim propter liberandum innocentem, iuxtà illud. Ps. 81. *Eripite pauperē, & egenum de manu peccatoris liberate.*

Et addit D. Th. quem sequitur Nauar. *cap. inter verba conclus.* 6. *perfecta n.* 314. 315. quod etiamsi testimonium, minimè requiratur, tenetur facere, quod in se est, vt veritatem alicui denuntiet, qui ad hoc possit prodesse.

Dico tertiò, Testis non tenetur, nec etiam iure potest, etiamsi velit ferre testimonium de eo, quod nouit per Sacramentalem confessionem: siue id sciat, quoniam peccator ipsi fuit confessus: siue quia confessarius id ei aperuit: seu ipse audiuit, aut sciuit licitè, vel illicitè quocunque casu, etiam pro salute totius Reip. Nauarr. *cap. inter verba conclus.* 6. *perfecta n.* 309. Sotus de ratione tegendi secretum *membro* 3. *quæst. vltima conclus.* 4. Lessius *lib.* 2. *de iust. cap.* 30. *dub.* 6. *num.* 45.

Probatur, quia hoc est proprium illius Sacramenti, quod est maius vinculum, quam quodlibet hominis præceptum.

Dico

Dico quartò, si delictum sub sigillo secreti alicui detectum fuit, vel consilio, vel auxilij petendi gratia, testificari non potest, etiamsi contra delinquentem esset infamia: vel semiplena probatio, Nauarr. *in sum. cap. 25. num.* 46 Lessius *loc. citat.* Spatharius *tract.* 7. *cap.* 8. *num.* 2. Azot. *par.* 3. *lib.* 13. *cap.* 28. *sub dubit.* 2. Valent. *tom.* 3. *disp.* 5. *q.* 14. *p.* 1. *col.* 7. *versu postremo notandum*, Reginald. *lib.* 24. *praxis num.* 47.

Probatur, quia seruare secretum est de iure naturali, cui cedit ius Prælati in cogendo Subditum ad testificandum.

Hoc tamen intellige, modo id, quod acceptum est sub secreto, non sit in damnum corporale, vel spirituale multitudinis, vel graue alicuius personæ particularis, vt benè aduertunt Valent. & Lessius citati.

Dico quintò, Testis non tenetur testificari, si delinquens non laborat infamia, vel delictum non sit semiplenè probatum. Syluest. *verbo Testis quæst.* 8. *d.* 1. Lessius cit. *num.* 47. Valent. cit. *assert.* 2. Spath. cit. *n.* 7.

Probatur, quia tunc solum tenetur testificari, quando legitimè interrogatur, sed si non præcedat infamia, vel semiplena probatio, non legitimè interrogatur, ergo.

Dico sextò, si peccatum est occultum, & peccator iam emendatus: vel sola fraterna correctione probabiliter emendabilis, tunc non potest testificari ante fraternam correctionem. Nauarr. *in sum. cap.* 25. *num.* 46.

Probatur, quia tunc præceptum correctionis fraternæ obligat.

Dico septimò, non tenetur quis testificari cum suo notabili damno spirituali, vel temporali personæ, honoris aut bonorum, Nauarr. *in summ. cap.* 25. *num.* 50. Lessius *loc. citat. num.* 50. *versu* 6. Spathar. *loc. cit. n.* 9. Reginald. *lib.* 14. *n.* 48. Qui addit, quòd nec etiam tenetur si ex eius testificatione sit oriundum scandalum.

Probatur, quia hæc officia præstare non debemus cum damno nostro, nisi essent in commodum communitatis, loquendo enim de priuatis, ordo charitatis postulat, vt prius nobis, quàm aliis consulamus.

Dico octauo, non tenetur testis testificari ea, quæ tantum ex auditu cognouit, iuxta ea, quæ dixi, agendo de denuntiatione ex auditu. Hanc tenet indistinctè Spathar. *loc. cit. num.* 10. & citat Nauarr. *in sum cap.* 25. *num* 46. Nec Testis de auditu siue proprio, siue alieno quidquam probat, *Rom.* 345, sed an faciat iudicium, seu præsumptionem. Idem *Rom.* censet, quod sic, sequens Archidiacon. *in cap. non videtur*, 2. *q.* 5. contrarium tenet cum multis Gabriel Saray. *ad dict. sing. Rom.* testis autem de audita probat, si deponat de auditu ante litem motam, *Rom. sing.* 753, nota etiam, quod statutum factum à communitate, quod credatur testibus de auditu non valet, *Rom. sing.* 363.

Dico nonò, si testis rationabiliter dubitat, an sit legitimè interrogatus, præsertim à Prælato aliqualiter suspecto, non tenetur testificari. Sotus *lib.* 5. *de iust. q.* 7. *art.* 1. Spatharius *tract.* 7. *cap.* 9. *n.* 1. Azot. *part.* 3. *lib.* 13 *cap.* 27. *dub.* 1. Salzedo *ad practicam*, Diaz *c.* 129. *pagella* 9. *versu Illud verò*, Reginald. *lib.* 24. *num.* 46.

Probatur quia in dubiis, id quod est tutius, minus periculosum, & minorem potest afferre iacturam semper est eligendum.

Intellige tamen, si reo ex tali testificatione immineat aliquod graue damnum: non autem si leue, vel nullum.

Intellige item, modò ex tacita veritate, non immineat damnum bono communi, & vniuersaliter in dubiis, vtrum quis legitimè interrogetur, sequendum est illud, in quo est minus periculi.

Dico decimò, in casibus, in quibus licitum est celare veritatem in iudicio, non obstante quocunque iuramento, vel præcepto, vel excommunicatione, potest testis apertè dicere, se illam nescire, intelligendo ad ius; scilicet in iudicio dicendam. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 69. *art.* 1. *corpore*, Cajet. *opusc. septemdecim responsionum resp.* 5. Nauarr. *in Manuali cap.* 18. *num.* 61. & *cap.* 12. *num.* 9. Azot. *p.* 3. *lib.* 13. *c.* 25. *dub.* 9. Salzedo *ad practicam* Diaz *cap.* 129 *pagella* 9. *versu Idemque pars ratione*, Valent. *tom.* 3. *disp.* 5. *q.* 13. *punct.* 2. *col.* 6. *versu Nihilominus*, Lessius *lib.* 2. *de iust. cap.* 30. *dub.* 6. *n.* 51. Reginald. *lib.* 24. *num.* 48.

Probatur, quia quando quis iniquè interrogatur idem est, ac si à nullo interrogaretur; Nam hæc iniqua interrogatio ad nihil, prorsus obligat hunc hominem. Sed quando à nullo interrogatur, potest verba intelligere eo modo quo vult, vt patet. Ergo.

Et nota quòd post dicere, se nihil scire, vel non fecisse tale delictum, si Reus sit: vel si testis se non vidisse, vel non interfuisse tali delicto, quod scilicet ad hoc iudicium pertineat, vt in specie explicant Val. & Azot.

§. IV.

Quousque liceat delictum Confratris Religiosi denuntiare iudicialiter, vel accusare.

Dico primo, Si aliquis Religiosus fuerit de aliquo crimine conuictus, quòd commiserat ab hinc quindecim annis: & dicatur, quod non fuerit punitus potest nihilominus propter tale delictum puniri. Ita Rodrig. *tom.* 2. *quæst. regular. quæst.* 5 *art.* 11. Spatharius *tract.* 3. *cap.* 15. *num.* 1. qui citant Innocentium *capite ad nostram de appellationibus num. vnico in fine*, Nauarr. *cap. consideret num.* 127. *de pœnit. distinct.* 5. Syluest. *verbo Præscriptio* 2. *q.* 2. & 3. Azot. 3. *p. lib.* 1. *cap.* 20. *q.* 5. Diaz *in sua practica cap.* 150. vbi Salzedo.

Probatur, quia iure Canonico delicta non præscribuntur, vt probant præfati Doctores, & habet Glossa *in c. admonere* 33. *q.* 2. *verbo pœnitentia.*

Limitant tamen hanc conclusionem Rodriguez, & Spatharius, quòd procedat, quando delicta sunt in damnum Reipub. vel Communitatis verbi gratia.

Si quis bona Communitatis ante multos annos furatus fuerit: vel alienauerit: vel aliquod aliud malum in ipsius præiudicium commiserit, potest à Prælato ex iudicis officio procedere, non ad partis alicuius instantiam puniri; Si nunquam fuerit per iudicis sententiam punitus, quantumuis coram Deo sit correctus, & emendatus; & quamumuis fecerit pœnitentiam; nec contra hoc potest fieri aliquod statutum; quia statuta in damnum communitatis non valent. Ad communitatem autem interest multùm, vt peccata contra ipsam perpetrata, impunita non maneant, vt alij terreantur. Ita dicit Innocentius *loc. cit.* & Rodrig.

Cauendum tamen Prælatis, vt notat Spatharius *loco cit. num.* 5. ne odio, vel passione exsuscitent, & ex mortuis resurgere faciant contra prædictam limitationem; iam mortua, & consopita Fratrum delicta in ipsorum animas, & honoris Fratrum detrimentum; impium est enim hoc, & execrabile, & vt tale à Propheta Hieremia damnatur *cap.* 8. maximam enim calamitatem populo prænuntians, ait; *In illo tempore eijcient ossa Regis Iuda, & ossa principum eius, & ossa Sacerdotum, & Prophetarum, & ossa eorum, qui habitauerunt Ierusalem, & expandent ea ad Solem, & Lunam, & ad omnem militiam Cœli.* Et talia facientes crudeliores serpentibus dicuntur. Tales sunt Prælati, quia iam demortua, & consopita delicta suorum Subditorum, ad eâ punienda, & Subditos infamandos, ex sepulchris exeauant, & ea reuiuiscere faciunt. Infandum, & calamitosum facinus?

Dico secundò, potest Prælatus Subditorum delicta; quantumcumq; antiqua, & à memoria hominum elapsa; quando delinquens in eodem genere delicti aliàs delinquere solitus fuerit, præsertim si correctus sæpius non se emendauerit, in iisque fuerit quodammodo inueteratus; inquirere, non ad ea punienda, sed ad vitam illius cognoscen-

gnoscendam, & ad præsentis prætensi delicti probabilitatem, & seueriorem punitionem. Ita Spatharius *loc. citat. num. 6.*

Probatur primò, quia ad Iudicis officium spectat omnibus viis, & modis licitis delicta contra prætensum reum elucidare; Ad hoc enim ponuntur Iudices, vt leges obseruare faciant, & transgressores puniant. At est maximum indicium præsentis delicti, de eodem iam fuisse punitum; iuxta illam regulam, *Semel malus semper præsumitur malus in eodem genere mali.* Quæ est octaua *in regulis iuris 6.*

Secundo probatur, quia peccata eò fœdiora, quò diuturniora,& ideo grauioris pœnæ digniora. Vnde Panorm. *in cap. Graue nimis de prebendis , & dignitatibus num. 5.* & Nauarr. *cap. consideret de pœnit. d. 5. n. 130.* Dicunt, quòd peccatum iteratum grauiùs punitur. Quare prudenter faciunt Prælati suorum Subditorum animas zelantes, qui inueterata crimina penitus extirpare conantur: etiam antiquis delictis ad hoc excitatis.

Dico tertio, potest in aliqua Religione fieri statutum, vt, certo tempore elapso, delicta amplius accusari, seu iuridicè denuntiari non possint. Ita Rodrig.& alij citati *in 1. conclus.* Quatenus probat, quòd iure ciuili præscribitur terminus viginti, vt ait Rodrig. vel decem, vt Azor, vel quinque, vt idem Azor. annorum ad accusandum; In iure autem canonico, non potest præfigi terminus, ad hoc vt Index, eo elapso, per viam Inquisitionis procedere non possit. Potest tamen præscribi ad hoc, vt non possit procedere per viam accusationis. Cum expressum non reperiatur in iure Canonico contrarium. Ita Abbas *in c. Accepimus n. 1. de purgatione Canonica,* Diaz *in sua practica c. 150.* Bart. *leg. Eum qui §. in popularib. ff. de iur. iur. n. 4.* Io. Franc. Balbi *de præscript. p. 4. princ. de act. personal. q. 2. to. 17. tract.* Et est illud, quod nos diximus *in 1. conclus.* Delicta nunquam præscribi quoad hoc, vt non possit semper Prælatus ex officio Iudicis, per viam scilicet Inquisitionis procedens delicta punire, & de crimine infamatus, in administratione diuinorum cum aliorum scandalo, & contra bonum commune toleretur, non posse tamen Prælatum per viam accusationis ad instantiam partis delicta punire. Itaque cum in iure ciuili præscribantur delicta post quinquennium, hoc quinquennio elapso, in iure canonico per dictum Abbatis nulli accusare licebit, quod vbi ius Canonicum non disponit, iuri Cæsareo standum est, vt colligitur *ex cap. 1. de noui op. nunc.* Quod tamen in iis Religionibus, in quibus visitationes Generales non fiunt, nisi de sexennio in sexennium, vt in nostra Minimorum, non potest procedere.

Probatur ergo nostra conclusio, quia tale statutum non conforme iuri ciuili, nec est contrarium iuri Canonico, sed Religiosorum capitula habent potestatem faciendi statuta, quæ non sunt contraria iuri canonico, ergo hoc statutum facere possunt. Vbi aduerte primo quod.

In nostra Religione Minimorum diuersis temporibus facta sunt circa hoc punctum varia statuta *in capitulo Genuensi 6. n. 22.* statutum est, *vt Generales non possent inquirere in suis visitationibus, nisi de iis delictis, quæ fuissent, perpetrata ab vltima visitatione sui prædecessoris vsque ad eam, quam ipsi facere pratendunt.* Quod statutum limitandum, & intelligendum est iuxta dicta, nimirum, quòd non possit Generalis ad instantiam partis procedere, & inquirere, nisi de delictis intra illud tempus perpetratis: vt patet ex ipsis verbis statuti: Non autem quòd non possit inquirere de delictis, etiam antiquioribus, & extra illud tempus, quæ essent in damnum communitatis.

In *Capitulo Romano 4. num. 7.* factum est statutum sequentis tenoris. *Quoniam compertum est, vt quidam fratres propriæ salutis immemores à suis Superioribus tempore visitationum sub sancta obedientia merito, aliisque Ecclesiasticis grauioribus censuris adurati, delinquentium fratrum crimina tunc corrigenda dolosè reticuerint, & successoribus visitatoribus ad nutum detegenda, linere nescitur quo, & odio reseruauerint. Hanc super hoc legem patres inuiolabiliter seruandam statuerunt, videlicet, vt crimina inquisita à Patre Generali, Prouincialibus, aliisque visitatoribus, tam in communi, quàm in particulari tempore suarum visitationum scita, & non publicata, quantumuis non punita, à successoribus Superioribus non puniantur, sed potius puniantur eorum accusatores, Tum quia odio Fratrem accusare dignoscuntur, tum etiam quia adiurati tacuerunt, & negligentes obedire Superiorum mandato in excommunicationis sententiam lapsi sunt.*

Vbi aduerte secundò, quod meritò, qui tempore visitationis tacuerunt, veniunt ab accusatione, denuntiatione, & testimonio repellendi, quia præsumuntur rationabiliter suspecti: ex quo intra tempus constitutum non proposuerunt ius suum. Habetur expressè *cap. cum in tua de his, qui matrimonium accusare possunt.* Vbi Glossa *verbo repellendus*, & Innocentius *eodem verbo.* Verum tamen est, quòd si quis tempore visitationis non erat præsens, sed in itinere, vel ad concionandum in remota parte, & non sciuit, quod Prouincia, seu Conuentus visitaretur, vel erat ita morbo grauatus, vt apud se non esset: tunc cum non ex malitia tacuerit, castigari non solum non debet: sed admitti, vel ad accusandum, vel ad denuntiandum, vel ad testificandum. Habetur *d. cap. Cum in tua inuncta Glossa.* Quod tamen limitat Innocentius, quando delictum à nullo accusatore fuerit accusatum, nam si accusatum fuerit, etiam si legitimè absens ignorans superueniret, non audiretur, quia iam promissum est publico, vel priuato incommodo per delicti punitionem, vt suppono.

Tertiò, circa processus in Ordine nostro Minimorum, statutum est *in Capitulo Genuensi 5. num. 6.* quod debeant iudicari à Generali, vel Prouinciali, durante tempore suorum officiorum; quod si ab iis iudicati non fuerint, prohibentur à successoribus iudicari, & puniri, & expressè mandatur, vt de illis nulla meotio habeatur. Quod tamen limito iuxta *d. suprà*, nimirum, vt ij processus à successore non puniantur, qui puniti non fuerint ab eo, qui fabricauit; modo delicta in iis contenta non sint in damnum communitatis: & ex passione Superioris, ne puniretur delinquens, iudicati non fuerint, statutum autem intelligitur, vt ex ipso textu colligitur, quòd non iudicentur ad instantiam partis.

Quartò. Circa omnes processus determinatum est *in Capitulo Valentiæ 4. num. 62.* quòd in Capitulo Generali, Pater Generalis deferat processus ab ipso fabricatos, & si nullus Fratrum reclamauerit, se malè punitum fuisse, omnes coram Capitulo comburantur: si quis reclamauerit, suus processus non comburatur, sed examinandus, & iudicandus relinquatur successori, similiter de processibus factis à Prouinciali statuitur, quod comburantur in Capitulo Prouinciali, vel tradantur comburendi Patri Generali illam Prouinciam visitanti.

Circa quod est notandum 5. vt bene Notat Passarellus *in Scholiis ex Genuensi num 6.* quòd licèt iure communi processus debeant seruari, vt si super his fuerit oborta contentio contra Iudicem, possit veritas declarari, quia alioquin si processus non apparet, semper contra illum præsumitur. Et propter multa alia bona, præsertim delinquentis terrorem, quæ adducit Graffius *tom. 1. consil. lib. 2. de Iudiciis, consil. 1. difficul. 1. num. 1. & seq.* Apud Religiosos tamen aliter esset faciendum, nam huiusmodi reseruatio est fomentum, & incentiuum odij, ad quod respiciens Benedictus 11. relatus ab Antonino 3. p. tit. 9. c. 7. §. 7. super statutis Minorum præcipit; quòd intra biennium teneatur Prælatus terminare processus, alias elapso biennio, non possint amplius obesse.

Sed quia, crescente in dies hominum malitia, concrematis processibus, ostendebantur aliquando sententiæ ad criminosos iam emendatos, & correctos infamandos,

dos, & terrendos; & quandoque etiam sententiæ falsæ, & nunquam à Superioribus emanatæ *In capitulo Rom. 6. num.14.dub.4.* Mandante Illustr. ac Reuerendiss. Patre Fratre Augustino Calamino ordinis Prædicatorum, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali præsidente in d. capitulo; tanquam vice-Protectore Religionis, factum est sanctissimum,& iustissimum statutum, quo omnibus malis obuiam itur. Et est, quòd Processus conseruentur, sed non apud fratres particulares, nec apud Generales, vel Prouinciales: sed processus facti à Generali asseruentur, post finitum illius Generalatum,in Archiuio communi pro tota Religione; quòd mandauit fieri in Conuentu Sanctissimæ Trinitatis de vrbe, cum quatuor clauibus in d.cap. distributis; Processus verò facti à Prouinciali, finito illius officio,asseruentur in Archiuio Prouinciæ, quod fieri mandauit in principaliori conuentu cuiuslibet Prouinciæ, similiter cum quatuor clauibus. Et quia ex hoc statuto vnum videbatur oriri malum, nimirum quòd crimina fratrum semper essent in hominum memoriam duratura; cautum est, vt processati processus, statim eo defuncto comburantur; Quo statuto.

Primo, adhibitum est remedium Iudicis, qui, quotiescunque fuerit contra eum suborta contentio, poterit se defendere, & veritatem declarare, & manifestare.

Secundo, prouisum est viris probis, quibus non leue quandoque incumbebatur fastidium, dùm contra ipsos ostendebantur aliquæ sententiæ, quæ probatæ dicebantur in tali processu, tempore talis visitationis, à tali Generali, subscribere ab hominibus malignis, vel incognitis. Quod tamen ipsi nunquam sommauerant.

Tertio, satisfactum etiam est fini illi, propter quem seruari debent de iure communi processus, nimirum ad terrendos reos, & discolos,cum semper viuant processus, ipsis viuentibus; ex quibus argumenta, & iudicia pro futuris temporibus sumi possunt.

Quarto, Præclusa est via malignitatibus eorum, qui apud se seruabant processus fabricatos contra aliquos:& ostendebant ad eos infamandos,& de gradu suo deiiciendos,quando ipsis libebat: Huiusmodi enim processibus, reseruati si qui fuerint apud priuatos fratres, nulla est adhibenda fides: Immòquiuis prohibetur in dicto statuto sub pœna excommunicationis, tenere apud se huiusmodi processus, vel etiam copias: seù etiam memorialia contra aliquos fratres particulares, seù Prælatos.

CAPVT XVII.

An præcipiente Prælato non reuelari secreta ordinis, subditus obedire teneatur.

DE hac quæstione tractat Rodriquez *tom. 2. quæst. regul. q.36. art. 3.* vide Menochium *de arbitriis lib.2. casu* 537.

Notandum, quod per secreta ordinis intelligo ea, quæ foras publicata, maculam, infamiam vel damnum aliquod Religioni, vel Conuentui, seù Prælatis, vel particolaribus Religiosis parturiunt. Sic statutum est in Capitulo Generali nostri Ordinis Minimorum Valentiæ *4.num.13.* & determinarunt etiam fratres Prædicatores *in Capitulo generali Vlyssippone celebrato anno* 1618. Huiusmodi sunt dissensiones inter Fratres, & Prælatos: Prælatorum defectus, illorum priuationes, suspensiones: Fratrum carcerationes: pœnitentiæ graues, quæ grauia arguunt delicta: Fratrum particularium inimicitiæ, odia, dissensiones, defectus: quòd sit lusor, verbi gratia, concubinarius, comedo, ebrius: Defectus etiam naturales, & secreti, & apud solos cohabitantes noti, verbi gratia, quòd sit Spurius, ex maculato genere natus, &c. & denique. Quidquid minus nitoris communitati, vel priuato alicui Religioso afferre potest.

Dico primo, potest, immò debet Prælatus præcipere subdito non reuelare secreta ordinis,& iste obedire maximè tenetur. Hanc sententiam omnes, vt puto, debent probare.

Probatur primo, quia potest Prælatus præcipere subdito omne iustum, & licitum secundum regulam,& iste tenetur obedire; sed quid iustius, & regulæ conformius; quàm præcipere non reuelari secreta,per quæ ipsa Regula, & Religio maculatur, & polluitur.

Secundo, quod debeat, patet, quia tenetur Prælatus omnibus viribus, & posse procurare, vt fama sibi commissi gregis conseruetur, & amplietur; sic omnes Religiones bene ordinatæ imponunt pœnas graues reuelantibus ordinis secreta: Fratres Prædicatores sub excommunicationis pœna,vt patet ex eorum constitutionib. *dist.2. cap.8. num.9.* Habent etiam fratres Minores, vt refert Spatharius *tract. 10. de modo corrigendi Regul. part. 3. cap. 25.num.5.*& in ordine nostro Minimorum *Capitulo Valent. 4. num. 63.* apponitur pœna duorum mensium carceris, & *Cap. Rom. 2. num* 33. iubentur huiusmodi reuelatores de conuentibus, in quibus degunt, & in quibus reuelarunt, transferri. Quod idem habetur *in Capit. Tholosano numero* 71. vbi additur, quòd grauiter debent puniri in conuentibus, ad quos transmissi fuerint.

Dico secundo, reuelare secreta ordinis est grauissimum peccatum, in se multa complectens peccata, specie distincta, maximeque detestabilia.

Probatur, qui facit contra plures virtutes distinctas specie, tot committit peccata distincta specie, quot sunt virtutes, contra quas facit; vt est communis sententia, & habet in specie Azor. *tom. 1. inst. moral. lib. 4. cap.2. quæst. 5.* & patet in adulterio coniugati, cum coniugata, in quo interueniunt tria peccata specie distincta; quia fit contra tres virtutes specie distinctas. Primum est simplicis fornicationis contra castitatem: Secundum infidelitatis, contra fidelitatem proprio coniugi, promissam: Tertium iniustitiæ, contra iustitiam coniugi alterius illatam: quæ dicuntur adulteria ex vtraque parte, vnde nec sufficit in confessione dicere, Ego peccaui cum coniugata, sed debet dici, Ego coniugatus peccaui cum coniugata. Colligitur hæc doctr. ex D. Thom. *part. 2.q.73. art.5 ad 1.* vbi ait, *quòd adulterium non solum pertinet ad peccatū luxuriæ, sed etiam pertinet ad peccatum iniustitiæ:* Sed qui reuelat secreta Religionis, facit primò cōtra obedientiam debitam Prælato, cui tenetur obedire in rebus licitis (supposito, quòd ad id, eum Prælatus astrinxerit.)

Secundo facit contra iustitiam, damnificat enim proximum, & confratrem suum, illum infamando in re graui; Ex qua damnificatione vlterius resultat damnum in totam communitatem. Hoc est enim sæcularium genium, vt vno Religioso infirmo,& peccato recognito, statim acclament omnes peccatores, & infirmos, vt dicebamus ex August. & habet D. Thom. 2. 2. *q. 33. art.7. corpore*, & Bonauentura *quæst. 16. super regulam S. Francisci. Ex hoc*, inquit, *arguitur stoliditas sæcularium quorumdam, qui dum vident aliquem Religiosum in aliquo offendere, omnes Religiosos, despiciunt quasi omnes tales sint; Cum ipsis videretur iniustum, si quis eos propter aliena vitia, deteriores haberet*; Ratio autem huius est, quæ redditur Ecclesiastes 10. *Sed, & in via stultus ambulans, cum ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat.*

Adde, quòd si huiusmodi secreta reuelet ex odio, & detractione, contra charitatem proximo debitam, vt habet Azor. *loco cit.*

Tertio, peccat speciali peccato scandali, licet scandalizandi expressam intentionem non habeat; quia præbet occasionem illis, quibus reuelat, murmurandi, & malè sentiendi, de Religiosis, & Religione: præsertim si ex pusillorum hominum genere sint. Quod enim non

fit necesse habere expressam intentionem, scandalizandi, ad hoc, vt quis peccet speciali peccato scandali; tenet Syluest. *verbo scandalum q. 2. fine* Nauarr. *in summ. c. 6. num. 19. & dis. 3. de pœnit. capit. consideret, §. animaduertere n. 9.* & alij, quos refert, & sequitur Valent. *tom. 3. disp. 3. quæst. 18. p. 4. col. 4. versu Hac posteriar sententia,* qui id per multa probat, & bene, ad quod simul cum Syluestro, citat etiam D. Thom.

Verum quidem est, quòd si persona, cui reuelarentur secreta, esset prudens, & cordata, quæ non inde occasionem murmurandi assumeret, sed potius ipsum reuelantem redarguetet: vel illius infirmitatibus compateretur, hoc casu ab hoc speciali peccato scandali excusaretur reuelans.

Grauissimum itaque crimen ex multis compactum criminibus, reuelare secreta, omni æuo, & ætate damnatum, grauissimaque pœna mulctatum. Sic apud Ethnicos ferunt Sisyphum illum, quia Deorum arcana hominibus patefecit, eam apud Inferos sustinere pœnam; vt delatum ingens saxum ad verticem montis, inde ad calcem deiectum, statimque ad eundem verticem reporter, sicque perpetuo labore lassetur, Auctor est Seruius *ad v. 1. Æneidos*. Sic Tarquinius Romanorum Rex, Marcum Tellum Duumvirum, quòd librum secreta ciuilium sacrorum continentem, custodiæ suæ commissum, corruptus largitione, Petronio Sabino describendum dedisset, culeo insutum in mare abijci iussit, refert ex Valerio Salzedo *ad pract.* Diaz *cap.* 106 & addit, quod apud Ægyptios reuelanti secreta lingua abscindebatur.

In scriptura maximè detestatur hoc vitium, Prou. 11. *Fraudulenter ambulat, quisquis reuelat arcana,* & cap. 20. *Cum eo, qui reuelat mysteria, ne commiscearis,* & cap. 25. *secretum extraneo ne reueles: ne fortè insultet tibi cum audieris, & exprobare non cesset;* & Ecclesiast. 27. *Denudare amici mysteria, desperatio est animæ infelicis.* De istis rectè potest explicari illud Genes. 9. *Cum vidisset Cham, verenda patris sui esse nudata, nuntiauit duobus fratribus foras*: nota illud *foras*. Meritò itaque isti nomine Religioso indigni, qui matris suæ pudenda patefaciunt, sicut Cham, maledictionem Dei merentur, quam sine dubio incurrent; vt habetur *c. sententia 2. q. 7.* vbi dicitur *Sententia Cham filij Noë damnantur, qui suorum Doctorum, vel propositorum culpam produnt*; idest extra claustra peruulgant.

Falx est huiusmodi reuelatio regularis vitæ Religionis destructio, Conuentuum dissipatio, morum relaxatio, boni nominis amissio, existimationis exinanitio, ipsorum quoque reuelantium infamatio, omnium criminum atrocissima culpa, merito rigorosissima pœna luenda, vt luitur in omnibus bene rectis Religionibus. Quod late prosequitur Iulius Nigronus *in com. regularum communium Societatis Iesu regul. 38. numero 6.*

§. Vnicus,

Quorum Religiosorum sit proprium hoc vitium.

TRium generum hominum est proprium hoc vitium, curiosorum, loquacium, & vinosorum. Curiosorum hominum commune vitium, de quibus Plutarchus *lib. de curiositate* multa dicit, præsertim, quòd *tranquillitatem, & silentium ferre non possunt*; vt habet *columna 4. in medio*; *Et morbus est*, inquit, *improbitate abundans*, & addit, *Curiositatem non posse non subsequi maledicentiam*, & Aug. *lib. 10. confessionum*; *Curiosos*, ait, *esse promptos ad cognoscendam vitam alienam, desidiosos ad corrigendam suam.* & Ecclesiast. 3. dicitur, *Insuper vacuis rebus noli scrutari sensum tuum multipliciter: non est tibi necessarium ea, quæ sunt abscondita videre oculis tuis; de ea re, quæ te non molestat, ne certaueris: & in pluribus operibus tuis non eris curiosus.* Imolerabilis gens, quæ aliquem nacta infinitis molit quæstionibus ad sudorem vsque, id sibi contigisse narrat Oratius Satyra nona.

——— *Misere discedere quærens,*
Ire modò ocyus, interdum consistere, in aurem,
Dicere nescio quid puero: cum sudor ad imos
Manaret talos.

Scitè Aristoteles vexatus à quodam, & importunis quæstionibus, absurdisque narrationibus exagitatus, dicenti subinde: *Nonne hoc mirum est Aristoteles? non perfecta*, inquit, *hoc est mirum, sed si quis pedibus præditus te sustinet?* Ita refert Martinus de Roa *singularium locorum lib. 6. cap. 11. in fine.*

Loquacium hominum est etiam hoc vitium; omnis enim curiosus loquax, hac enim mente, vt publicet peruestigat; vnde Oratius ad Lollium.

Percunctatorem fugito, nam garrulus inde est.
Nec retinent patula commissa fideliter aures.

Et Plutarchus *in lib. de garrulitate col. 6. in medio*, ait, *Multa audire volunt loquaces, vt multa habeant, quæ dicant: ac maximè abscondita, & arcana scrutantur, atque inuestigant.* Tamque est proprium hoc vitium garrulorum, vt disrumpi videantur, quandiu retectum tenet, quod perbelle dicitur Ecclesiast. 19. *Audisti verbum aduersus proximum tuum, commoriatur in te fidens quoniam non te disrumpet*; fidem dat illis publicam sapiens, tutosque reddit, quod celantes non disrumpentur, contrarium namque ipsi existimant.

Vinosorum etiam familiare vitium; vnde bene Plato *lib. 1. de legib. Nullum*, ait, *esse tormentum minus sumptuosum, minusque noxium, ac periculosum, quàm vinum, ad explorandos hominum affectus ac mores,* & Plin. *lib. 15. cap. 21.* scribit vinum vsque adeo mentis arcana prodere, vt mortifera etiam inter pocula loquantur homines, & ne per iugulum quidem redituras voces contineantur, & celebratur Persæ cuiusdam apophtegma, qui negauit tormentis opus esse ad exquirendum verum, vino enim rectius elici, & est apud Græcos prouerbium, quod in corde sobrij, id in lingua Ebrij, & Euripides apud Athenæum.

Aurum alit argentium fabri dignoscitur igni
Vinum hominis prodens arguit ingenium.

Plura huius generis videri possunt apud Manutium *in adagiis præsertim pag. 415.*

Et apud Oratium ad Lollium.

Arcanum neque tu scrutaberis vllius vnquam,
Commissumque teges, & vino tortus, & ira.

Et lib. 2. epist. 5.

Quid non ebrietas designat? operta recludit.

Infame vitium ebrietas, & homine Religioso maximè indignum. Contra quod tam scriptura sacra, quam patres multa dicunt Esaiæ 5. *Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, & potandum vsque ad vesperam, vt vino æstuetis* & Prouerb. 23. *Cui væ? cuius patri væ? cui rixæ? cui foueæ? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? nonne his, qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis? Ne intuearis vinum quando flauescit, cum splenduerit in vitro color eius: ingreditur blande, sed in nouissimo mordebit, vt coluber, & sicut regulus venena diffundet,* & Ecclesiastici 19. *Operarius ebriosus non locupletabitur*, & Sanctus Basil. homil. 14. de ebriet. *Ebrietas dæmon est voluntarius ex voluptate animis nostris inditus; ebrietas malitiæ mater, virtutis inimica, fortem virum reddit ignauum, ex temperante facit lascivum, iustitiam ignorat, prudentiam extinguit; sicut enim aqua igni est aduersa, sic vinum immodicum rationi, &c. quid, quæso, sunt ebrij aliud, quam gentium idola? oculos habent, & non vident.* S. Ambrosius in libro de Elia, & ieiunio. *Ebrietas fomentum libidinis, ebrietas incentiuum insaniæ, ebrietas venenum insipientiæ: Hæc sensus hominum mutat, & formas: per hanc fiunt ex hominibus equi adhinnientes, &c.*

vocem

vocem amittunt, colore variantur, oculis ignescunt, ore anhelant, fremunt naribus, in furore ardescunt, sensu excedunt. Et infra, *quid autem obtestationes potantium loquar? quid memorem sacramenta, quæ violare nefas arbitrantur? bibamus, inquiunt, pro salute Imperatorum, & qui non biberit sit reus in deuotione, videtur enim non amare Imperatorem, qui pro eius salute non biberit, ô pia deuotionis obsequium, &c. ô stultissima hominum, qui ebrietatem sacrificium putant, qui æstimant, illos ebrietate placare, qui ieiunio passiones sustinere didicerunt,* & Chrys. hom. ad populum. *Ebrius dæmon est voluntarius, mortuus animatus, morbus veniam non habens, ruina excusatione carens, commune generis nostri opprobrium,* & hom. 58. in Matth. *quanto melior asinus ebrioso est, quanto canis præstantior?* Aug. ser. 251. de tempore, *cum ebrietatis malum sit graue vitium, & Deo odibile, ita per vniuersum mundum à pluribus in consuetudinem missum est, vt iam nec putetur esse peccatum.* Et ser. 232. *qui credit ebrietatem paruum esse peccatum, si se non emendauerit, & pro ipsa ebrietate pœnitentiam non egerit, cum adulteris, & homicidis æterna sine remedio illum pœna cruciabit* Et Isidorus lib. 2. de sum. bono cap. 43. *Plerisque laus est multum bibere, & non inebriari. Audiant hi aduersum se dicentem prophetam* (Esaiam cap. 5.) *væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem,* id est væ helluones, qui ad omnia inualidi infirmi, inepti, & insulsi estis & solum valetis, & sapitis in vino; & fortes estis, & strenui non contra hostes, sed ad exhauriendos calices: gigantes estis non ad bellandum, sed ad potandum.

Audiamus Poëtas. Virgilius de vino, & Venere,

Nec Veneris, nec tu vini capiaris amore.
Vno namque modo vina venusque nocent.
Vt Venus eneruat vires, sic copia vini,
Et tentat gressus, debilitatque pedes.

Ouidius lib. 1. amorum elegia 6.

Nox, & amor, vinumque nihil moderabile suadent,
Illa pudore vacat, liber, amorque metu.

Plautus in Pseudulo.

Magnum hoc vitium est vino.
Pedes captat primum, luctator dolosus est,

Quo circa Bacchus ipse tres crateres conuiuio præfiniuit, vt est apud Ebulium, & refert à Lapide *cap 5. in Esaiam versu* 11. his versibus.

Tres tantum ego sanis crateres misceo:
Vnum valetudinis, secundum amoris, saporis tertium:
Quo, qui sapere solent, eunt hausto domum.
Nam quartus haud est amplius crater meus,
Sed contumelia. Velut huic proximus.
Clamoris, hunc sequitur commessandi furor.
Ita septimus habet vulnera; octauus forum,
Nonusque stomachum. At decimus est insania.

Vnde Sacerdos ebrietati deseruiens, nisi desistat, est deponendus, *cap. Episcopus d.* 35. & in ebrietate comprehensus, triginta diebus à communione præcipitur abstinere; Et clericus, seù non Sacerdos verberibus subiici *capite Ante omnia dist. eadem*, in qua multa de ebrietate dicuntur. Quod deberent multum aduertere Superiores, & tali nota mactatos corrigere; quod si sæpius correcti non se emendauerint, eiiciant à Religione, vt eam desinant vilipendere, & infamare.

Isti sunt, qui arcana reuelant Religionis, in eiusdem dedecus, & opprobrium; vnde quando constat de huiusmodi reuelationibus, & non constat de reuelante: curiositas; garrulitas, & vinositas sunt proditoris huiusmodi manifesta indicia; & Prælati non deberent cessare, verbis, & verberibus tales signatas pecudes coërcere;

CAPVT XVIII.

Vtrum subditus possit impetrare Visitatorem contra Prælatum.

NOto primò, quòd non intendo hic, quæ ad visitationis materiam pertinent, tractare; multa enim dixi suprà, & multò plura dicam *tom.* 2. Cum de Prælatis, sed, ad quos interest hoc munus visitationis? Hic solum pro subditis intendo inuestigare, præsertim secundum regulam nostram minimorum, & regularia statuta; An possit subditus contrà Prælatum malè viuentem, vel malè gubernantem, & regentem Prouinciam (de Prouinciali enim loquor) impetrare Visitatorem extra ordinarium tempus visitationis.

Noto secundo, multi sunt casus, in quibus Prælatus regularis potest deponi, & officio, quo fungitur, priuari. Primò, si est dilapidator bonorum Monasterij. Secundò, si incontinenter viuit. Tertio, si regulam destruit, eamque relaxat in se ipso, & in aliis, qui ad illius exemplum effrænatè viuunt; & alij similes, de quibus Panorm. *in cap. Monachi de statu Monachorum n. 5. & 6. & in cap. vt si Clerici, & cap. cum non ab homine de iudiciis.* Habetur *dicto capite Monachi, fin.*

Noto tertiò, ad hoc vt possint subditi tuta conscientia petere Visitatorem à Generali, vel Illustris. Protectore contra Prælatum, debent prius illum corrigere, bis, ter, aut quater, vel etiam quinquies, seruato ordine correctionis fraternæ, eo modo, de quo infrà; nam secus ex odio procedere conuincerentur; debentque Prælati excessus esse ità notorij, & irreparabiles, vt nocumentum graue sint allaturi, tùm communitati, tùm particularibus, nisi illis prouideatur; vt zelo boni communis ducti, Visitatorem petentes appareant.

Dico primò, licitum est subditis, qui habent Prælatum incontinenter, & relaxatè viuentem, seù scandalosè: vel dilapidantem bona Monasterij: regulamque non obseruantem, sed potiùs destruentem, & ad interitum suo exemplo alios trahentem conuenire, & eum accusare apud Patrem, Generalem, seù Protectorem (ipso Generali negligente, seù renuente, vel parui pendente) ab ipsoque Generali, vel Protectore; visitatorem contrà talem Prælatum impetrare, vt puniatur, & deponatur, ita Rodriquez *tom. 2. quæst. regul. q. 35. art. 2.*

Probatur primò, ex multis capitibus, quæ affert Gratianus 2. *quæst. 7. cap. Præsumunt, cap. quapropter, cap. si quid, cap. Metrapolitanum, & cap. sicut inquit*, vbi dicitur, *Sicut, inquit, laudabile, discretumque est reuerentiam, & honorem debitum exhibere Prælatis, ità rectitudinis, & Dei timoris est, Si qua inter eos correctione indigent, nulla dissimulatione postponere, ne totum quòd absit, corpus incipiat morbus inuadere, Si languor non fuerit curatus in capite*; Ex quibus patet, quòd non solum licitum est subditis Prælatum accusare, contraque ipsum Visitatorem impetrare, sed etiam quandoque debent pro salute totius communitatis, id facere.

Secundo probatur, ex Trid. *sess. 25. cap. 1. de Regularibus*, vbi dicitur, quòd à Prælatis Regularibus, quæ ad substantiam vitæ regularis pertinent, relaxari non possunt & reddit rationem, *Si enim illa*, inquit, *quæ bases sunt, & fundamenta totius regularis disciplinæ, exactè non fuerint conseruata, totum corruat ædificium necesse est*, Ergo Prælatus hæc relaxans in se ipso, exemploque suo ad idem cæteros trahens, est omnium deponendus; ergo subditi, quæ ad talem depositionem necessaria sunt, possunt omnia procurare.

Tertio, ad omnia membra particularia pertinet conseruatio totius; sed si dissimuletur iste Prælatus, periclitatur totum Religionis, vel Prouinciæ, alicuius particularis corpus? ergo possunt, & debent membra pro totius

totius conseruatione, etiam cum periculo proprio clamare, scribere, accusare, Visitatorem petere.

Aduerto tamen in accusatione Prælatorem, non debere admitti quoscunque testes indifferenter, sed eos, qui sunt tantùm omni exceptione maiores, & omninò irreprehensibiles vt habetur *cap. criminationes 2. quæst. 7.* & prorsus excludendos puto in ordine nostro Minimorum ab accusatione, seu iudiciali denunciatione, vel etiam testificatione eos conuersos, quos oblatos vocamus; quod nihil prosuadeo propter id, quod habet Damasus Papa *cap. Sacerdotes 2. quæst. 7.*

Dico secundò, circa modum impetrandi talem Visitatorem, *in nostra statutis, cap. Valentino 4. num. 40.* Ita determinandum est. *Statuerunt deindè ad tollendas rebelliones, & conspirationes, vt nullus ad Superiorem recurrat contra Prouincialem impetrando Visitatorem, nisi habeat commissionem à maiori parte correctorum illius Prouinciæ*, & apponitur pœna contrarium facientibus. *Nec per hoc prohibetur, quia fratres possint scribere ad Patrem Generalem de sua Prouinciali.* Quod statutum habent etiam fratres Prædicatores, vt patet ex eorum Constitutionibus *d. 1. cap. 19. & in capitulo Massiliensi 1. num 60* statuitur, quòd Visitatores non mittantur nisi præcedat petitio maioris partis Prouinciæ; & quòd non mittantur tales Visitatores extraordinarij, nisi post festum S. Michaëlis Archangeli, vel post Pascha Resurrectionis: Ita vt dicti Visitatores non possint visitare, nisi post dictum festum S. Michaëlis, vsque ad finem mensis Iunij, vt declaratur in dubiis missis ab Illustrissimo Cardinali de Nazaret nostræ Religionis Protectore *ad dictum capitulum Massiliense resoluendis, dub.* 8. Atque ita, id quod dicitur in nostris Constitutionibus *d. cap. Valent. 4. num.* 28. quòd tempore capituli non fiunt faciendæ priuationes, per tempus capituli posset forte intelligi spatium trium mensium Iulij, Augusti, Septembris, quo ad capitula prouincialia, & intermedia, quo verò ad capitula localia, spatium, quòd est à mediatate Iunij, vsque ad medietatem Septembris. Quòd etiam innuitur in decretis Clementis Octaui missis ad capitulum Genuense; quatenus decernitur, quod dicto tempore non possint amoueri fratres de suis localitatibus, nisi obstarent verba *dicti capituli, Valent. n.* 28.

Sed quæres potest ne Pater Generalis contra talem formam mittere Visitatorem?

Respondeo non posse, quia non potest contrauenire statutis factis à Capitulo Generali, quod supra ipsum est, inferior enim in superiorem imperium non habet; vt dicitur *cap. Inferior d. 21. & Clementina Ne Romani de elect. §. 2.* & hoc maximè, cum inferior à superiore recipit potestatem, vt notat Glossa *in dict. Clementina verb. Inferiorem*, vt est in caso nostro in quo Generalis à Capitulo Generali recipit potestatem.

At inquies potest in hoc statuto Generalis dispensare. Respondeo, de hoc dicam latiùs *lib. 2.* hic solum, quòd ad dispensandum requiritur semper iusta causa, alioquin non valet, vt diximus, quia nescio, an hic intercedat secundò, quod in præiudicium tertij, & præsertim communitatis, etiam aliqua causa subsistente, non est dispensandum, absque consensu interesse patientis, vel communitatis, seu maioris partis illius, ad quod adduco textum *in cap. præsentium 1. q. 5.* & videtur dicere Syluest. *verbo dispensat. q. 4. num. 7.*

Ex quo sequitur, quòd si his non obstantibus, mittat nihilominus Pater Generalis Visitatorem ad prouinciam visitandam, non tenentur fratres illius prouinciæ talem Visitatorem recipere, tum quia contra statuta venit, tum quia illi Prouinciæ fit iniustitia, & iniusto præcepto nemo tenetur obedire: etiamsi præceptum recipiendi sub mortali obliget: etiamsi sub pœna excommunicationis, vt habentur *cap. sollicitudinem, §. si verò de appellationibus.* Denique non potest pater Generalis mittere talem Visitatorem contra hanc formam, quia videretur fouere rebelliones, & conspirationes, quas præcisè intendit dictum statutum cauere.

Dico tertiò, quòd quando mittitur Visitator, debitis modis, vt dictum est, impetratus, debent illi assignari duo socij altet ad explendum munus visitationis à Prouinciali illius respectiuè Prouinciæ non admittatur. Ita habetur in *dicto Capitulo Valent. 4. num. 39.* quod est valdè conforme regulæ nostræ, quæ omnibus superioribus, Generalibus, Prouincialibus, Correctoribus trea socios assignat: quorum prouido suffulti consilio, commissa sibi negotia, discrete, ac sapienter discernant, vt dicitur *in Regula num. 51.* & congruit *cap. quoniam contra, de probat.* Qui socij debent semper assistere Patri Generali, & Patri Prouinciali tempore visitationis, vt determinatum est per fœlicis recordationis Clementem VIII. in ordinationibus missis ad Capitulum Generale, celebratum *Genuæ anno* 1596. de quibus alibi facta est mentio, & fiet.

Vbi aduerte, quod si Visitatori, etiam legitime impetrato, non fuerint assignati prædicti duo socij, non tenebitur Prouincialis Prouinciæ visitandæ eum, quo ad effectum visitationis, recipere; tunc enim valet illa regula *Quæ contra ius fiunt, debent vtique pro infectis haberi*, quæ est 64. *de regul. iur. in 6.* cum præsertim statutum habeat annexam perpetuam prohibitionis causam, annulletque factum in contrarium, tribuatque Prouinciali facultatem Visitatorem non admittendi, si plenè non fuerit obseruatum.

§. I.

Vtrum possit Pater Generalis semel visitata aliqua Prouincia, ad libitum suum eam iterum per se, vel per Visitatorem à se missum visitare.

Postquam visitauit Pater Generalis Minimorum aliquam prouinciam, durante termino sui Generalatus, vult etiam iterum visitare, nullo reclamante, non instantibus iis, quibus incumbit; sed solum propter suos determinatos fines, vt nodum in scirpo quærat, quæritur, an id possit tuta conscientia facere, & an Prouincia talem visitationem teneatur admittere.

Dicendum, est non posse Patrem Generalem vnam Prouinciam iam visitatam pro suo libito absque instantia eorum, quibus incumbit, iterum visitare.

Probatur primò, quia ex antiqua consuetudine Religionis, quæ pro lege seruanda est, vt dicitur *Cap. Videtur da his, qui matrimonium accusare possunt, & aliis textibus*, quos adducit Glossa *dict. Cap. verba antiqua consuetudine*, Vnus Generalis semel tantum visitat totam Religionem: nec vnquam visum est, quod aliquis Generalis voluerit in suo Generalatu vnam Prouinciam bis visitare, absque legitima causa. Quæ causa legitima, diximus, quòd est, quando maior pars Correctorum Prouinciæ instat, vt iterum visitetur: vel etiam hoc facit maior pars fratrum.

Secundo, per decreta Clementis VIII. publicata *in Capitulo Genuensi 6. anno 1596.* Mandatur Generali, vt personaliter visitet totam Religionem, & deindè Romam se conferat (si per tempus ante Capitulum Generale celebrandum ei licebit) ad reddendam rationem bonæ administrationis. Ex quibus colligitur, quòd de mente Pontificis sufficit, quod Generalis, durante suo Generalatu, semel tantum totam Religionem visitet.

Tertio. Hoc colligitur expressè ex motu proprio Pauli V. super extensionem officij Generalatus ad sexennium, Dato Romæ sub annulo piscatoris anno 1605. die prima Octobris. Quod incipit, *Cum sicut accepimus*, vbi principalis ratio, quare Pontifex extenderit Generalatum ad sexennium, hæc assignatur. *Quia cum propagarentur in dies domus familia Minimorum, non poterat Generalis, sicut tenebatur omnes Conuentus visitare. Imò,*

&

& quos visitabat, ita festinanter visitabat, vt ex tali visitatione paruum, vel nullum emolumentum in Religionem resultaret. Ergo ex mente Pontificis debet Generalis totum tempus sui Generalatus expendere in diligenti visitatione Religionis, illudque sibi prudenter diuidere; ergo non potest vnam Prouinciam bis visitare, absque legitima causa: aliis Prouincis præsertim nondum visitatis.

Quarto probatur ex altera ratione, quam affert dictus Paulus V. in prædicta extensione, nimirum *ad vitandos sumptus, & expensas*, Sed in visitationibus huiusmodi multæ, & intolerabiles fiunt expensæ, non solum pro esu, & potu, sed pro equitibus, & ratis: quandoque tam sunt extremæ, vt Prouincias pauperiores, non de facili extinguendo, grauentur ære alieno, ad quas omnes, & alias euitandas, talem videtur Pontifex extensionem fecisse. Licet enim solum loquatur de expensis faciendis pro eundo ad Capitulum Generale, cum tamen militet eadem omnino ratio, potest ad hunc etiam casum extendi; vt habetur *Cap. translate de Constitutionibus*, & habet Panorm. *in cap. Coram de electione num.* 4. ergo contra mentem Pontificis est, absque legitima causa Prouinciam bis visitare, tales expensas causando.

Quintò probatur, ex Trid. *sess.* 24. *cap.* 3. *de Refor.* vbi scopus, & finis visitationum dicitur esse, *Sanam doctrinam inducere, bonos mores tueri, prauos corrigere, & subiectos eius cohortationibus, & admonitionibus ad Religionem, & pacem accendere.* Ergo vbi talis necessitas non fuerit coërcendi, & ad pacem accendendi, quia omnia bene se habent, quiete omnes, & pacificè vitam ducunt, mediante bono regimine Patris Prouincialis talem Prouinciam moderantis, non poterit Pater Generalis semel visitatam, eam iterum extra tempus visitare. Neque dicas, quòd visitabit ab bonos mores tuendos, & sanam doctrinam inducendam; quia eum hoc fecerit per suam primam visitationem, debet sufficere, & onus relinquere suo successori; lætarique, quòd ab ipso instituta in tali Prouincia obseruentur, & durent; quod in eius non paruam resultat Gloriam.

Sexto, quia idem Tridentinum *sess.* 25. *de regular. c.* 1. præcipit Prælatis, vt suis temporibus visitationes facere non prætermittant. Ergo vetat extra tempus visitare, saltem absque legitima causa.

Septimo, quia absque legitima causa extra tempus volens visitare Generalis, conuincitur procedere ex aliquo suo particulari interesse, seu ex odio, & malignitate; sed non est malitiis hominum indulgendum, iuxta *legem in fundo, ff. de rei vendicatione*, vt habent Nauat. *comm.* 4. *de Regular. n.* 23. *versu* 4. *potest agere.*

At obiicies primo *ex Regula Minimorum num.* 46. *& constit. Greg. XIII. pro ipsis Minimis* quæ incipit, *Ex pastoralis officij, data Romæ* 27. *Martij* 1576. & habetur in nostra Regula post ceremonias *pag.* 22. possunt Generales quoscunque Visitatores in quamcunque Prouinciam, vbi, & quando sibi expedire videbitur, transmittere, nec possunt Correctores locales, aut Prouinciales, seu quicumque alij fratres dictis Visitatoribus, à Generali pro Prouinciis visitandis missis, resistere, vel se opponere, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ipsi Pontifici reseruatæ; & sub pœna priuationis officiorum.

Respondeo primò. Magis esse attendendum ad mentem statuentis, quam ad verba statuti, vt habetur expressè *cap. Humana* 22. *q.* 5. & iuxta mentem statutum est obseruandum: etiamsi verba videantur contraria; vt habet Syluest. *verbo Dispensatio quæst.* 4. *num.* 7. Mens autem statuentis ex ipso procemio statuti colligitur, vt Panorm. *in cap. aduersus num.* 2. *de immunit. Ecclesia.* Relatum est Pontifici, quòd cum quidam Vicarij Generales in diuersis partibus Religionis Minimorum contra eiusdem ordinis statuta multa præstitissent, dubitasset-que Generalis tunc temporis officio fungens, ne si mitteret aliquos Visitatores, vt debebat, ad eos visitandos, ipsi Vicarij, vt qui de suis actionibus malis sibi ipsis optimè erant conscij, eos non reciperent, cornuaque contra ipsos erigerent, eisque se pro posse opponerent, supplicauit sanctissimo pro remedio, qui tale adhibuit, vt supra in obiectione. At nos sumus in differenti casu, hic enim agitur de Prouincia bene visitata, quietè, & pacificè se habente cum Prouinciali, contra quem non reclamatur, vt reclamabatur contra illos Vicarios.

Secundo respondeo, quod quando dicitur quòd Pater Generalis potest mittere ad libitum Visitatores: additur ferè semper, si expediens fuerit, vt necessario debet semper intelligi, quoties fuerit necessarium, & vtile, quod etiam debet intelligi in bulla illa Gregorij? Neque enim credendum est, voluisse, Pontificem, vt sine causa posset Generalis mittere istos Visitatores, ad grauandas Prouincias, & fratres illius, non solum in expensis: sed & multo magis in existimatione; quando enim mittuntur tales Visitatores extra tempus in aliquam Prouinciam, mali quid homines semper scientes suspicantur.

Obiicies secundò, *in dubiis resoluendis missis ab illustrissimo de Nazaret ad Capitulum Generale Massiliense dubio octauo*, dicitur, quòd Generalis debeat per se, vel per Visitatores singulis trienniis prouincias visitare.

Respondeo. Illa dubia *in dicto Capitulo Massiliensi* non fuisse inserta, & ideò parum, vel nihil firmitatis obtinere. Secundo posse intelligi de visitatione cum causa legitima, vel tertio nunquam fuisse acceptatas determinationes illorum dubiorum, & præsertim huius: immò vsu contrario fuisse antiquatas. Quare in facti contingenti rationabiliter fuit repulsus à secunda visitatione Prouinciæ Neapolis, quam intendebat P. Pr. Didacus Arias Generalis, qui fuit electus in dicto Capitulo Massiliensi cum consensu, vt audio Illustriss. Domini Cardinalis Lancelloti, tunc temporis Religionis Viceprotectoris.

§. II.

Vtrum quando necessariò debet mitti Visitator à Generali, vel Protectore, debeat esse de corpore eiusdem Religionis.

Dico primo Papa potest subiicere Regulares quoscunque visitandos Religiosis alterius professionis, etiam Clericis sæcularibus. Ita Abbas *in Cap. Officij de elect. n.* 4. Rodriq. *tom.* 2. *quæst. reg. quæst.* 52. *art.* 7. & communiter.

Probatur primò, quia hi Doctores dicunt, quod Religiosus alterius Professionis, seu etiam Clericus sæcularis, potest per Papam promoueri ad dignitatem in ordine, in quo non est professus; ergo multo magis debent id dicere de Visitatore.

Secundò, quia hoc est de iure positiuo, super quo Papa habet plenariam potestatem.

Dico secundo, certissimum est non posse Generalem subiicere visitandam aliquam Prouinciam Religiosis alterius professionis, vel Clericis etiam sæcularibus.

Probatur, quia Generalis non potest se extendere, nisi quantum illi per Regulam, & Regularia statuta conceditur: Certum est autem, quòd hoc illi non concedunt sua regularia statuta.

Dico tertio, nec Protector potest mittere ad visitandam aliquam Prouinciam Religiosum alterius professionis: etiamsi Clericus sæcularis sit, Ita Rodriq. *tom.* 3. *quæst. Regul. quæst.* 77. *art.* 9. & *tom.* 2. *q.* 4. *art.* 2. & *q.* 52. *artic.* 7. Pro qua conclusione cito etiam omnes illos, qui tenent, non posse in Prælatum Religiosorum eligi Religiosum, alterius ordinis, vel habitus, vt Abbas *in cap.* officij

officij de elect. num. 4. Antoninus, *part. tit.* 19. *cap.* 2. §. 6. Syluest. *verbo electio* 1. *q.* 14. *num.* 15. Tabien. *verbo electio* §. 16. Angelus *eodem* §. 23. Rosella *eodem* 1. *num.* 35. Pisanella *ibidem* §. *Quis non potest eligi*, & alij communiter; nam munus visitationis Prælaturam, & Præfecturam dicit. Et rationes, quæ adducuntur, militant tàm pro Prælatis, quàm pro Visitatoribus, vt dicam *conclus.* 5.

Probatur primò, quia Visitator alterius professionis non potest esse instructus in regula illorum Religiosorum, quorum Prouinciam visitare intendit, ergo bene eam visitare non potest, vt dicitur *capite officij de elect.* *& in Concil. Trident. sess.* 25. *cap.* 21. *de reform.* Quomodo enim præibit, qui nunquam iuit per illud iter.

Secundò, quia sic araretur in boue, & asino contra id, quod habetur *Deut.* 22. quod expendit Glossa *in c. officij verbo Incontinenti*; ad hoc etiam facit *Clementina prim. de elect.* vbi expressè prohibetur, eleuari ad Prælaturam Religiosum, qui non est in ea Religione professus; *Cum hoc*, inquit Papa, *rationi consonum non sit.*

Tertiò, quia, & si esset instructus in ea Religione, quam sumit visitandam Religiosus alterius professionis, non est tamen in ea expertus, vt ait dicta Glossa *in cap. officij, & graue est inexperto diuinis obsequiis applicare*, vt habetur *cap. Monasteriis* 19. *q.* 3. & habet Panormit. *in d. c. officij num.* 4.

Quarto probatur, specialiter ex priuilegiis Innocent. VIII. concessis Cistersiensibus, quæ refert Rodriquez *tom.* 3. *quest. reg. q.* 77. *art.* 9. quibus statuit, quòd Monasteria dicti ordinis non possint visitari ab aliis, quam à Monachis eiusdem ordinis: & hoc in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub Ecclesiasticis censuris præcipit quibuscunque Visitatoribus, quacunque præfulgeant dignitate: declarans irritum, ac inane quicquid contra hoc priuilegium factum fuerit, quo priuilegio gaudent omnes communicationem habentes.

Quintò, quia ad id non se extendunt literæ Protectoriatum à Pontificibus concessæ Protectoribus, vt patet ex Bulla Gregor. XI. quam refert Cherubinus *tom.* 1. *sui Bullarij in Gregorio XI. pag.* 221. Approbata, & confirmata à Sixto IV. qui eam vtilem fuisse expertum se, asserit, cum esset in minoribus, prout refert idem Cherubinus *ibi in Sixto IV. fol.* 334. quam etiam confirmauit Iulius II. Gregorius XIII. & Paulus V. vt refert idem Cherubinus *tom.* 3. *Bullarij in Paulo V. fol.* 243. quas bullas in fine huius paragraphi ad maiorem facilitatem, & commoditatem legentium per extensum apponam. De iis faciunt mentionem Hier. à Sorbo *in compend. priuil. verbo Protector.* Vbi Corduba, & Rodriq. *tom.* 3. *quest. regul quest.* 42. *artic.* 1. Festus *sum. const. predic. part.* 3. *cap.* 27.

Dico quartò, etiamsi Domini Protectores ad id obtinuerint à Summo Pontifice potestatem, non conuenit tamen suis Illustris. Dominationibus ea potestate vti; A nomine enim Protectoris; quid sibi facere oporteat, edocentur, nimirum protegere, & defendere. Protegant itaque, & defendant iustitiam, ita tamen, vt misericordiam non dispergant ab ea: & ita misericordiam faciant, vt iustitiam ab ea non diuidant, vt dicitur *cap. disciplinam dist.* 45. Hoc tamen semper salua regulari ordinis sibi commissi disciplina.

Attendant itaque Domini Protectores, & diligenter perspiciant; ne dum iusti multum, & zelatores videri appetunt, rigidi, & truces appareant, & sciant quid dicit sapiens Ecclesiast, 7. *Noli esse iustus multum: nam qui vehementer emungit, elicit sanguinem*; vt dicitur Prou. 30. *& in ista Iustitia perit iustus*, vt dicitur *eodem Eccles.* 7. ad quod faciunt versus Tertulliani, quos refert Delrius *lib.* 2. *ad sriorum in* 314. & Lorinus *cap.* 7. Ecclesiast. *versu* 17.

Indulge dictis, sapientia non placet alta.
Omne quod est nimium contradicit, vnum operantur.
Et calor, & frigus sic hoc, sic illud adurit:
Sic tenebra visum, sic sol contrarius aufert,
Et pariter lædunt feruens, gelidumque lauacrum,
Esca alitur corpus, corpus corrumpitur esca,
Vimque suam minuit, si quid prætenditur vltra:
Denique si sedeas, requies est magna laboris.
Si multum sedeas labor est, Maro namque Poëta
Pro pœna posuit; sedet, æternumque sedebit
Infelix Theseus, semper nocet vtile longum,
Prandia longa nocent, ieiunia longa fatigant,
Sic nimium sapere stultum facit improba secta.
Me Dea sic docuit moderamen amabile dixit.

Et alibi legi.

Qui nimis emungit, solet exterquere cruorem.
Et violenta facit, correctio deteriorem.
Sed moderata satis correctio gignit Amorem.

Et alibi.

Quisquis plus iusto non sapit, ille sapit.

Virtus itaque in meditullio consistit, verè ille Iustus est, qui oleum cum marina nouit miscere, & nimium zelatores rem perditam mirum; vt vidimus, & manus nostræ contrectauerunt in quadam Prouincia Ordinis Minimorum, quæ propter Protectoris nimium zelum, qui eam visitandam dederat cuidam Presbytero magnæ cuiusdam ciuitatis Generali Vicario, funditus penè est euersa: religiosi opprobrium, & peripsema sæcularibus facti: publicè vincti, in carcerem ducti palam de rebus, quas nec forsan somniauerant, argui: obstructo ore audire coacti mille improperia: errores, & defectus, intrà Religionem sepulti, in propatulo positi: honorati fratres hinc inde translati, Religionis fæces exaltatæ, auditæ ipsæ solum aurem talis Visitatoris habentes, eum tanquam paleam auræ susurrationum ad nutum eleuantes: quæstus ne, vel odij, & passionis causa: vel quia de facto, vt puto, irreligiosus, & irregularis homo, oculorum mentis, & corporis lumine obcæcatus, hæc fecerit, non discutio; Hoc vnum scio, misericordem illum Deum, à quo solo his casibus remedium est expectandum, quandò omnino hæc Prouincia ruitura videbatur, eam subleuasse, & respirare concessisse, morte talis Protectoris zelatoris, & creatione alterius verè iusti, verè pij, verè zelatoris, & Protectoris nomine bene meriti, qui Religionem verbis, & factis protexit, auxit, & ampliauit. Nec meritas aufugit pœnas Visitator prædictus; fortè enim fortuna (nisi velimus diuina prouidentia factum, vt aliis esset in exemplum, & ipse haberet quid semper lueret) accidit, vt cum aliquando veheretur curru, strepitantibus equis, curru inuerso, crus ei fractum sit.

Dicò quintò, Legatus Papæ non potest Clericum sæcularem instituere in Visitatorem alicuius regularis religionis.

Probatur primò, *ex cap. officij de electione*, vbi Papa cassat electionem Abbatis, quæ priùs fuerat confirmata ab eius Legato, nulla alia assignata ratione, nisi quia antequam esset discipulus voluit esse Magister.

Secundò probatur, ex Panorm. *in dicto cap. officij n.* 5. nam regulariter inferior non potest in aliquo immutare, vel vulnerare constitutionem Superioris, vt habetur *in Clementina, ne Rom. de elect.* Ergo non potest tollere statuta, quæ prohibent, non expertum, nec professum promoueri ad Prælaturam regularem.

At inquies, Visitatores non sunt Prælati.

Respondeo, verum quidem est, Visitatores non esse Prælatos, si nomen Prælati sumatur stricto modo, prout solum is dicitur Prælatus, qui habet ordinariam iurisdictionem, vt dicit Abbas *c. decernimus de iudiciis n.* 16. *& c. tua nos de Clerico ægrotante n.* 2. Verum si nomen Prælati sumatur largo modo, prout omnis habens curam animarum dicitur Prælatus, & habet Glossa *in cap. Tua nos citat.* & Panorm. *loc. cit.* Sic Visitator potest dici Prælatus, quia habet curam animarum iuncta etiam iurisdictione, licet non ordinaria, Sed esto, quòd Visitator non

sit

sit Prælatus; rationes tamen adductæ, quare Clericus alterius professionis non possit eligi ad Prælaturam regularem, militant etiam hoc casu, vt patet.

Dico sextò, Legatus à latere potest alterius professionis Religiosum regularem in Visitatorem instituere. Ita Rodriq. *tom. 2. quæst. regul. q. 52. art. 9.*

Primo propter ampliorem facultatem, quæ illi tribuitur à Summis Pontificibus.

Secundo, quia hic Religiosus quoad essentialia Religionis est iam instructus.

Dico septimò, Episcopo accedenti ad visitandum aliquod monasterium exemptum, asserenti se id facere ex speciali delegatione Summi Pontificis credendum non est nisi literas authenticas talis delegationis ostendat. Ita Graff. *tom. 2. consil. lib. 1. de offic. deleg. consil. 3. à n. 9.* Panorm. *c. cum in iure de offic. & potest. Iudicis delegati num. 3.*

Probatur ex textu claro *in cap. cum in iure cit.* vbi alicui hæsitanti, an teneretur obedire alteri mandanti, quòd aliquem excommunicaret, & asserenti se ad id habere apostolicam auctoritatem. Respondet *Papa super hoc huiusmodi tibi damus responsum, quod nisi de mandato eius Apostolica certus extiteris, exequi non cogaris, quod mandatur.* Super quòd caput dicit Baldus pondera istud verbum (Certus) quia pluribus modis potest, quis certificari, de quibus *in lege Certum, §. si certum petat.* Illa tamen est plenior certificatio, quæ fit per ostensionem literarum originalium. Vnde si Episcopus visitet tanquam delegatus etiamsi verè delegatus sit; tamen si literas delegationis non ostendat, non potest excõmunicare visitando, & si excommunicet, non valebit, vt Innocen. Panorm. Rosella *verbo delegatus* §. 8. & alij *d. c. cum in iure*, & Graffius *loco cit.* qui id multis probat: vt potè lata in non subditum à iudice incompetente; & ratio est, quia non valet, quod faciunt delegati, nisi probata delegatione. Iuxta quæ determinatum est in *vltimo capitulo generali Romæ 7. sess. 11. celebrato*, vt Visitatores missi à Generali, statim ac accesserint ad aliquem Conuentum suæ visitationi subiectum, debeant ostendere literas testimoniales suæ delegationis.

Addit Graffius, quòd Prælatus Monasterij potest Episcopo nolenti suæ delegationis literas ostendere, resistere non solum verbo protestando, sed etiam facto. Si ex tali resistentia scandalum non esset secuturum.

§. III.

Afferuntur Bullæ Summorum Pontificum Gregorij, Sixti, & Pauli, De auctoritate Protectoris.

Bulla Gregorij XI. inseritur de verbo ad verbum in Bullà Sixti IV. vnde sat erit hanc referre.

Sixtus Episcopus, &c. Sancta Minorum Religio, quæ agrum militantis Ecclesiæ Sanctis operibus, & exemplis copiosissimè fæcundat, & sapientiæ splendore Catholicam illustrat Ecclesiam, tanto vberioribus, fructibus fertilior esse perspicitur, quanto in suo statu quietior permanet, & consistit, & maior, promptiorque à subditis eiusdem fratribus Ordinis suis Prælatis obseruantia exhibetur, nullisque extrinseci impedimenti perturbationibus agitatur, & molestatur, quin in ea caput vnicum sit, & esse censeatur, à quo omnia dictæ Religionis negotia, & causæ administrentur, & cui omnes, & singuli dicti Ordinis pareant, & illius subiaceant disciplinæ.

Dudum siquidem fœlicis recordationis Gregorius Papa XI. prædecessor noster, cognito, quod nonnulli d. Ordinis Protectores, dum maiorem, quàm eis ex eiusdem Ordinis Regula conceditur, auctoritatem vendicare, ac vsurpare sibi ipsis voluerunt, vera subditorum præfati Ordinis ad suos Prælatos obedientia submouebatur; vnde perturbationes inconuenientiæ multa, inutiles fratrum discursus, & grauia scandala fuerant exorta, in magnam ipsius Ordinis iacturam, præiudicium, & detrimentum literas sequentis tenoris edidit.

Gregorius Episcopus, &c. Cunctos Christi fideles, super quibus cura ex debito officij Summi Pontificis generè obligamur, per præsidentes eisdem sic charitatiuè, sicque prouidè ac iustè, cupimus gubernari, quod illi in viam mandatorum Domini dirigantur, & hi ex merito præsidialis sollicitudinis vberius supernæ remunerationis præmium nanciscantur.

Sed nos nimirum in illis desideramus ardentius, & affectuosiori studio procuramus, quorum alij à mundanis abstracti, & grauibus pœnitentiis dediti, cœlestibus inhiant, & ad illa per contemplationis pennas, suauius, & altius eleuantur, vt aquila, & cum Maria parte optima perfruuntur; Alij verò sanctam sollicitudinem Marthæ sectantes, celebrationi diuinorum vacant solertius. Alij discunt, & docent Dei scientiam, & alij plebem instruunt in eadem, alijque feruentioris spiritus ardore succensi, non timentes, sed amantes barbaras nationes ad illarum conuersionem, pergunt intrepidi, vt valeant ad Dominicam aream multos afferre manipulos, & de solentis eis creditis bonam Domino reddere rationem.

Hi profectò sunt fratres Minorum Ordinis, in Dei Ecclesia multiplicibus splendoribus radiantes, quorum sonus prædicationis, & sanctitatis opera præ cœteris Religiorum professoribus vsque ad extremum terræ noscitur exiuisse. Hi sunt, quos Deus numero multiplicauit, & meritis, quibusque sicut, & aliis benè currentibus in stadio militantis Ecclesiæ æternum brauium, quod certatim apprehendere satagunt, elargitur. Et propterea nos de ipsis dignè curam vigilem gerimus, vt eos in his sanctis operibus nil impediat, nil perturbet, sed ipsi opportunæ quietis dulcedine potiantur.

Sanè cum in B. Francisci Regula, cuius ijdem fratres existunt, hæc verba contineantur expressè, videlicet, Per obedientiam ad hæc iniungo ministris, vt petant à Domino Papa vnum de Sancta Romana Ecclesia Cardinalibus, qui sit Gubernator, Protector, & Corrector istius fraternitatis, vt semper subditi, & subiecti pedibus eiusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, stabiles in fide Catholica, paupertatem, & humilitatem, & Sanctum Euangelium Domini nostri Iesu Christi, quod firmiter promisimus obseruemus; Iidem fratres existentes pro tempore huiusmodi Protectores dictæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales successiuis temporibus petierunt à Sede Apostolica, & etiam habuerunt.

Sed aliquis eorundem Protectorum, putantes fortè bene, & licitè à certis temporibus citra, suam potestatem nimium extendisse, dicuntur in pluribus, ex quibus in ipso ordine graues perturbationes, & scandala sunt exorta.

Nos igitur, vt idem Ordo in sua primæua quiete remaneat, de virtute in virtutem eat assiduè, & quibuslibet amotis præpediis eradicatisque spinis, & tribulis fructum non solum consuetum, sed etiam vberiorem afferat, ad radicalem submotionem turbationum, & scandalorum huiusmodi iam exortorum, & ne oriantur in posterum, prouidere, ac eiusdem Ordinis Protectoribus, qui erunt pro tempore (cum nullus sit ad præsens Ordinis præfati Protector) transgressionis suæ potestatis occasionem tollere efficaci remedio cupientes, auctoritate Apostolica, eisdem Protectoribus districtius inhibemus, ne præsumant quæcumque ordinata, statuta, siuè disposita, aut ordinanda, statuenda, seu disponenda, per Generalia, vel Prouincialia, aut custodialia Capitula infringere, reprobare, corrigere, suspendere, dispensare super ipsis, seu contra ea, vel eorum aliquid quomodolibet immutare, nisi contrà præmissos articulos in præfata, vt profertur, vel aliquem ipsorum existeret manifestè.

Aut quemcumque Prælatum, seu officialem dicti Ordinis, seu alicuius loci eiusdem quocumque nomine nuncupent

cupetur, ponere, seu instituere, aut deponere, destituere, seu priuare, aut à suo officio suspendere, seu impedire super eius libero exercitio quouis modo.

Aut aliquem fratrem ordinis antedicti ad lectoratum, aut quamcumque lecturam, seu studium, vel gradum promouere, aut promotos ab eis remouere, seu etiam reuocare.

Aut de loco ad locum mittere, aut mutare, siue alicui fratrum eorundem eundi ad quodcunque Monasterium, vel locum alium, aut Dominum, vel aliquam personam licentiam impertiri.

Et ne insuper in quemuis singularem fratrem memorati Ordinis de quocumque crimine, vel delicto punire, vel à pœna, seu pœnitentia liberare, aut eam minuere, augere, vel immutare.

Aut etiam de loco alicui fratri locum, cameram, cellam, libros, vel alias res dicti Ordinis concedere, vel eius vsui deputare.

Aut quacunque per Prælatos eiusdem Ordinis, aut alios deputata quomodolibet amouere.

Nec etiam rebus, aut Correctione fratrum dicti Ordinis (nisi in casibus præmissis contentis in præfata regula, seu eorum aliquo) se aliquatenus intromittere quouis modo, sed quòd dictus Ordo, seu fratres eiusdē Ordinis in nullo subsint futuris Protectoribus, nisi duntaxat in casu, quo ipsorū fratrum Communitas, vel Generale Capitulum, quod absit, à prædictis articulis, vel eorum aliquo deuiarent. Alioquin si secus fecerint, id decernimus irritum, & inane.

Et nihilominus fratres, qui contrà huiusmodi inhibitionem nostram quicquam impetrabunt, seù post inhibitionem huiusmodi, vtentur etiam per alios impetratis, puniantur illis pœnis, quibus essent pro grauibus culpis secundum statuta dicti Ordinis puniendi. Et sint nihilominus actibus priuati legitimis, & à suis, si qua habent, suspensi officijs ipso facto.

Cæterum nos eosdem futuros Protectores hortamur attentius, quod per facti efficaciam, sic nominis sui officij procurent effectum, quòd ordo ipse per eos non lædatur in aliquo; sed potius ac aduersis (si quando forsitan imminebunt) suo opportuno defensionis clypeo protegatur, & à noxiis præseruetur, sic acturi prouide, & æquitatis, ac modestiæ limites seruaturi, vt non trahatur ad noxam, quod promissum extitit ad salutem; sed ex charitatiuis gestis eorum Ordo præfatus quietem, & consolationem percipiat, & Protectores magnum apud Deum præmium sortiantur, & super contrario non oporteat dictæ sedis prouidentiam aliud remedium adhibere. Nulli ergo, &c.

Dat. apud Pontem Sorgiæ Auenionen. Diœcesi sexto Kalendas Iunij Pontificatus nostri Anno III.

Nos autem, cum in minoribus constituti ipsius Ordinis Generalis cura, & administratio incumberet, saluberrimū, opportunum, & necessarium dicto Ordini esse conspeximus, vt Protectores vltra præfixum, ac eiusdem Ordinis Regulæ auctoritatem non extenderent. Nam experti sumus, & vidimus, quanta pax, quies, vtilitas, quantaque commoda præfato Ordini, & fratribus eiusdem ex firma, & inconcussa dictarum literarum obseruantia prouenerint, quæ, & quanta perturbationes, iacturæ, incommoda, damna, & grauia scandala in dicto Ordine suscitata sunt quoties dicti Ordinis Protectores suæ auctoritatis limites excedere attentarunt in particularibus dicti Ordinis, & fratrum eiusdem causis, & negotijs se intromittere, & vsurpata sibi auctoritate inuidere, cognoscere, iudicare, & discernere voluerunt. Cupientes, vt Religio, & Ordo præfatus, quē affectuosissima charitate complectimur, vtpote, quod in eo à teneris annis enutriti, & doctrina, ac regularibus disciplinis, & moribus instituti fuimus, ac vti firma fide tenemus, certissimisque in nobis experimentis dicimus ad officia, & dignitates, ad quas in Minoribus promoti sumus, & ad hunc Summi Pontificatus apicem meritis, & precibus Seraphici illius Patriarchæ Francisci eiusdem Ordinis Patris, & Fundatoris prouecti fuimus, quieto consistens statu, virtutibus, & meritis augeatur, & multiplicetur, vt fidei Catholicæ, & Christianæ Reip. augumentum, & multiplex, ac solidum fundamentum ex eiusdem Ordinis fratrum operibus, & exemplis, sapientiæ splendore, & fructuosis studiis, & prædicationibus proueniant, promptissimo, & liberali animo, vt dignum censemus, & debitum, ea, quæ pro ipsius Ordinis quiete, pace tranquillitate, & prosperitate à Pontificibus prædecessoribus nostris prouide statuta, & ordinata sunt, vt illibata perdurent, nostræ approbationis munimine solidamus, interpretamur, & declaramus, prout ipsius Ordinis tranquillitati conspicimus salubriter expedire.

Vt igitur de cætero ipsius Ordinis professoribus omnis euagandi extra Religionem occasio tollatur, & vera suis Prælatis obedientia, in qua ipsius Religionis verius, & solidum firmamentum, & robur consistit, exhibeatur, præfatique Ordinis, & fratrum eiusdem negotia, & causæ non alibi, neque per alios, quàm in ipso Ordine, & ipsius Prælatos tractentur, agitentur, iudicentur, & determinentur, dilecti filij Zenoti de Vtino Generalis dicti Ordinis Ministri, & totius Generalis Capituli in hac parte supplicationibus inclinati, inhibitionem, & literas prædictas prædecessoris præfati, auctoritate Apostolica præsentium tenore approbamus, & robur perpetuæ firmitatis retinere decernimus.

Et per eas Protectori præfato, qui in tempore erit, nisi in illis casibus, & articulis in Regula dictorum fratrum expressis, & præfatis prædecessoris literis declaratis, atque in illis, dum non vniuersalis, sed aliqui ipsius Ordinis professores in quouis numero à fidei vnitate, & Sacrosancta Romana Ecclesiæ obedientia deuiarent, vel regulam præfatam non obseruarent: sed de eorundem deuiantium, & non obseruantium regulam, correctione, aut reductione, ac alijs quibuslibet causis, & negotijs dicti Ordinis se impediat, inhibitum fore, dicta auctoritate decernimus, & declaramus.

Hortamurque illum, qui ad officium protectionis huiusmodi (quod in præsentiarum per obitum bonæ memoriæ Bessarionis Episcopi Sabinensis dicti Ordinis olim protectoris nuper vita functi vacat) assumi, & deputari contigerit, & ipsius successores dicti Ordinis Protectores, ne eius in virtute Sanctæ obedientiæ, districtè præcipiendo, inhibemus, ac extra prædictos articulos, & casus in Regula prædicta contentos, & expressos, nec etiam in illis (cum non vniuersus ordo, sed aliqua ipsius, & specialis persona errares) ipsorum fratrum querelas audire, seu de ipsorum causis, & negotijs contra literas, & declarationes huiusmodi intromittere se quoquo modo præsumant, sed curent (vti est eorum propriam officium, & præfati Sancti Francisci, & Apostolicæ Sedis intentio extitit) ipsum ordinem in quieto, tranquillo, & pacifico statu conseruare, & nutrire, & ab impugnantibus, molestantibus, & perturbantibus defendere, & tueri, ne secus agendo, Ordinem præfatum, non solum non protegant, conseruent, & exaltent, vt tenentur, sed in animarum suarum perniciem, & dicti Ordinis detrimentum, & scandalum, confundant, & destruant. Nulli ergo, &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo, quadringentesimo septuagesimo secundo; quinto Calend. Februarij, Pōtificatus nostri Anno secūdo.

Quas Bullas confirmauit etiā Iulius II. die 15. Octobris, Pontificatus sui anno quarto, quam vti simpliciter confirmatoriam, ait, se consulto omisisse, Cherubinus *tom. 1. Bullarij in Sixto 4. pag. 334.* refert tamen eam, simul etiam cum confirmatoria eiusdem Gregorij XIII. Rodriquez *in suo Bullario in Gregorio XIII. const. eius 4.* cui congruit alia Bulla Pauli V. pro Protectoribus, quam refert idem Cherubinus *tom. 3. sui Bullarij in Paulo V. constit. 53. pag. 243.* tenoris sequentis.

Paulus Papa V. &c. Cum ordo fratrum Minorum Conuentualium Sancti Francisci Protectore ad præ-

sens

fens destitatus reperiatar. Nos eidem Ordini de idoneo Protectore prouidere volentes, ac de Tua industria, singulari prudentia, doctrina, & integritate, ac Religionis zelo plurimam in Domino fiduciam habentes, motu proprio, non ad ipsius Ordinis, aut eius superiorum, vel alterius pro eis nobis super hoc oblata petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & deliberatione nostra, te, ex cuius protectione ob tuas eximias virtutes ordinem prædictum commodi plurimum suscepturum esse confidimus, prædicti ordinis, ac illius Domitnorum, Conuentuum, & fratrum quorumcumque apud nos, & sedem Apostolicam protectorem cum omnibus facultatibus, iurisdictionibus, honoribus, & oneribus solitis, & consuetis, ac quibus alij huiusmodi Ordinis Protectores vsi sunt, ac vti quomodolibet potuerunt, seu etiam debuerunt ad tui vitam facimus, constituimus, & deputamus.

Volumus autem, ac tibi in virtute Sanctæ obedientiæ per præsentes easdem iniungimus, & mandamus, vt superiorum dicti Ordinis auctoritatem, quantum fieri poterit, conseruare cures. Et propterea cum ipsi superiores eorum officij debito satisfecerint, ac gubernio subditorum sufficienter incubuerint, tunc negotiis eorum fratrum te non immisceas. Quando autem ab ipsis fueris requisitus, vt in eisdem negotiis auctoritatem interponas, vel accessofore cognoueris, vt eandem auctoritatem tuam in eisdem negotiis exerceas, tunc id libere facere possis, sed quoad potueris per te ipsum hoc facere cures, adhibito ad scribendum, quando opus fuerit in eisdem negotiis seu causis loco Notarij aliquo ex fratribus dicti Ordinis.

Mandantes propterea prædictis superioribus, nec non vniuersis fratribus, & personis quibuscumque Ordinis huiusmodi in virtute Sanctæ Obedientiæ, vt te in eundem protectorem iuxtà præsentium tenorem recipiant, & ea qua decet reuerentia prosequantur, Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Ceterum te in Domino hortamur, vt huiusmodi Protectionis munus ità obedire studeas, vt apud Deum bonorum operum retributorem, æternum præmium, & à nobis condignam laudem valeas promereri.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die VIII. Octobris MDCVIII. Pontificatus nostri Anno Quarto.

CAPVT XIX.

Vtrum subditus possit suum Prælatum tempore visitationis tanquam suspectum recusare.

PRo hoc capite videatur Hostiensis *in sum. lib. 1. de recus. Iudicis deleg. pag.* 307. *& lib. 2. Rubrica de recusationibus pag.* 837. Innoc. *cap. cum speciali de appellationibus*, Abbas *d. capit. & cap. Si quis contra Clericum de foro competenti, & cap. accedens el 1. & 2. vt lite non contestata*, Sylu. Armilla, Tab. Angelica *verbo recusatio*, Iulius, Clarus *in sua practica criminali lib. 5. § finali quæst. 43.* vbi Baiardus, Nauarrus *in cap. Cum contingat de rescriptis decima causa nullitatis à n. 1.* Graff. *tom. 2. consil. de officio delegati lib. 1. consil. 2. diff. 1. à n. 3. & parte 2. decis. lib. 3. cap. 4. n. 6.* Sanch. *lib. 6. in decalog. cap. 8 num. 111.*

Dico primo Iudex ordinarius quantacumque præfulgeat dignitate; siuè sit Generalis, siue Prouincialis, potest vt suspectus recusari: & hoc tàm in visitatione Generali, quàm in particulari. Hostiensis *in sum. lib. 2. de recus. num. 1. §. Vtrum ordinarius* Abbas *in cap. Si quis contra Clericum de foro competenti num. 6. & capite cum speciali de appellationibus numero 2.* Innoc. *capite cum speciali num. 3.* Graff. *2. part. decis. lib. 3. cap. 4. num 6.* Baiardus *ad practicam Iulij Clari lib. 5. §. finali quæst. 43. num. 2.* Sanch. *lib 6. in decalog. cap. 8. num. 111.*

Probatur primo *ex cap. Si quis contra Clericum de foro competenti: & c. Secundò requiris, §. Tertio postulas, & c. cum speciali de appellationibus*, in quibus capitibus habetur expresè nostra conclusio: & præcipuè *caput cum speciali de Ordinario* loquitur, vt Glossa *d. c. verbo de recusatoris*; & patet ex illis verbis, *At ipsa probata legitimè de recusatoris assensu, persona idonea committat negotium recusatus*, vnde apparet, quòd si debet alium deputare, debet esse ordinarius; nam delegatus id facere non potest.

Secundo. Probatur, quòd hæc recusatio possit fieri tàm in visitatione generali, quàm in particulari; tùm quia quoad reum parum est, an visitetur in visitatione Generali, vel particulari; Tum quia non debet reus hoc defensionis genere, quod illi de iure naturæ debetur, priuari; eo quia visitetur Generaliter, vel particulariter, seù à Iudice delegato, vel ab ordinario, modo causam suspicionis assignet, & probet.

At obiicies constitutionem illam capitis, cum speciali ad regulares non extendi, vt in ea expresè dicitur in fine. *Ceterum has duas constitutiones præmissas nolumus ad regulares extendi contra suas speciales obseruantias*, ergo non possunt Regulares suos Prælatos recusare.

Respondeo, istam constitutionem non extendi ad regulares, quatenus eius extensio impedit eorum correctionem iuxta regularia statuta, vt dicam etiam *sequenti cap. de appellatione*. Nam quando regularis ponitur secundùm regulam à superiore, non potest appellare; neque potest Prælatum secundùm regulam procedentem recusare. At si modum excedat, vel sit suspectus, quòd excedet, optimè recusari potest, vt dicunt Abbas *d. cap. Cum speciali §. Porro n. 3.* Sanch. *lib. 6. in decalog. cap. 8. n. 111.* qui multos alios citat, & notatur expresè, quando dicitur, *contra suas speciales obseruantias*; innuitur enim, quòd si secundum eas procedat Prælatus, non potest vt suspectus recusari.

Dico secundo. Iudex delegatus potest vt suspectus recusari. Hostiensis *in summ. lib. 1. de recus. Iud. deleg. n. 2. §. Quis recusetur, pag. mihi* 308. Panorm. *in cap. Accedens el primo, vt lite non contestata n. 6.* Syluest. Armilla, Tab. Angelica *verbo Recusatio.*

Probatur 1. *ex cap. 2. Requiris § 3. Postulas de appellationibus* vbi Glossa *verbo coram eodem allegare*, ait hoc caput loqui *de Iudice deleg.*

Secundo. Probatur à maiori ad minus, nam si potest Ordinarius, multo magis delegatus. Quod argumentum valere in iure, Probatur *ex cap. Paulus 32. quæst. 5.* & habet Glossa *in capite dicimus 24. quæst. 1. verbo nihil habere.*

Dico 3. Inter recusationem *Iudicis deleg. & ordinarij*, hæc est differentia: quòd Delegatus, probata causa suspicionis, à causæ cognitione omnino debet supersedere; vt habetur *cap. secundo requiris §. tertio postulas*, Ordinarius verò probata causa suspicionis, potest causam de recusatoris assensu, & alterius partis, si adsit, alij personæ idoneæ committere: vel ad superiorem transmittere, vt habetur *cap. Cum speciali cit.*

Dico 4. Iudex, quem Papa ex certa scientia delegauit; etiam recusari potest ex iusta causa, Panorm. *in cap. Accedens el 1. vt lite non contestata n 6.* Innoc. *in c. Ex transmissa de foro competenti*, Graff. *tom. 2. consil. lib. 1. cons. 2. diff. 1. num 4.*

Probatur 1. *ex cap. Accedens el primo citat.* ex quo cap. id probat Panorm. nam, inquit, manifestum erat, istos duos Episcopos esse suffraganeos istius Archiepiscopi, vt ipse Papa dicit, & tamen delegando scienter, non abstulit potestatem recusandi: Delegauit autem, quia parti liberum erat recusare, vel non. Probatur etiam conclusio *ex c. ex parte tua; & c. super eo, el 2. de officio, & potestate Iudicis deleg.*

Secundo, quia ratio dictat, quòd suspecti, & inimici Iudices esse non possunt; vt dicitur *cap. quòd suspecti 3. quæst.*

quoest.5.& cap. secundo requiris, §. tertio Postulas de appellat.

Sed quid, inquies, si exprimatur in literis, quòd nullæ debeant exceptiones admitti: seù remota omni appellatione, vel recusatione, vt expressit Paulus V. in literis transmissis ad Episcopum Portugalensem *Anno Domini 1610. die 29. Octobris*, quòd tempore visitationis recusari non posset, quas literas refert Barbosa *remiss. in Conc. Trid. sess. 24. de reform. c. 10. num. 5.*

Respondeo, Adhuc esse locum recusationi, & appellationi, iusta causa existente, tum quia, si solùm generaliter dicatur in literis, *omni exceptione remota* intelligitur, excepta recusatione, & appellatione; tùm quia si exprimantur exceptiones, puta appellatio, intelligitur, remota appellatione friuola; cui non est deferendum: vel in notoriis, in quibus non admittitur appellatio, vt *in cap. cum specialis §. Porro*; si vero exprimatur recusatio, intelligitur de recusatione frustratoria, quæ à Iudice sperni debet, vt Panorm. *in cap Cum speciali cit. num.* 15. vel quæ est euidenter malitiosa ad fugiendum Iudicium, quomodo debent intelligi illæ literæ Pauli V. vt idem Panorm. *in cap. super eo ad appellat. num.* 13. Seù intelligitur illa clausula, *recusatione remota*, in delictis notoriis: & in quibus pœna pro illis delictis est à iure determinata; nam tunc recusationi locus non est, vt *in cap. Proposuit de appellat.* vbi Panorm. *num. 2.* & Glossa *verbo Manifesto*, additionator Panorm. *in cap. Accedens, ol 2. sub litera. B.* Ratio autem huius responsionis est; quia appellatio, & recusatio, sunt defensiones, quæ cum sint iuris naturalia, non possunt à Principe tolli, vt dicitur Clementina Pastoralis in fine de sententia, & re iudicata, & habet Innoc. *c. Quæ in Ecclesiarum de const n.* 3. Et in vniuersum, quòd adhuc sit locus appellationi, & recusationi, posita illa clausula, *Omni appellatione; & recusatione remota* docent Panorm. *in c. 2. requiris n. 9.* Sylu. *verbo Appellatio num. 7. d. 4.* Armilla *eodem n.* 12. Graff. *tom. 2. cons. lib. 1. de officio Iud. deleg. consil. 2. diff. 3. à num. 4.* qui id multis probat.

§. I.

Quomodo se habeat recusans, & recusatus, tempore recusationis, & quid vterque facere debeat.

NOto primo, quod de iure Canonico non potest Iudex sine iusta causa assignata, & probata recusari; oportet enim, vt causa suspicionis assignetur coram Iudice recusato, & deinde probetur intra constitutum tempus coram arbitris eligendis à partibus: vel si fortè nullum aduersarium habeat pars, cum Iudice arbitros communiter eligat, quòd si concordare non potuerunt, vterque suum arbitrum eligat, qui de suspicione cognoscat; & quod si isti arbitri concordare nequiuerint aduocent tertium, vt quod duo ex ipsis decreuerint, robur obtineat firmitatis; Causa vero suspicionis legitimè infra competentem terminum non probata, Iudex debet sua iurisdictione vti; si verò causa fuerit legitimè probata, de recusatoris assensu, debet recusatus, si sit ordinarius, negotium alteri personæ idoneæ committere: vel ad superiorem transmittere; si vero sit delegatus, omnino debet abstinere à causæ cognitione, vt dixi *conclus.* 4. Ita habetur *in terminis, in capite Cum speciali, & c. secundo requiris §. Tertio postulas de appellationibus, & capite Si quis contra Clericum de foro competenti.*

Noto secundo, quòd recusationis causa vnica tantùm est, nimirum suspicio Iudicis, causæ vero suspicionis multæ, de quibus §. *sequenti* Habetur *c. Quòd suspecti 3. q. 5. & cap. Iudex de officio Iudicis delegati n. 6.* Glossa *in cap. Si contra vnum, verbo Causa legitima eodem titulo in 6.*

Noto 3. quòd causa suspicionis debet assignari in scriptis coram Iudice recusato; non debet tamen coram eo probari; sed coram arbitris N etenetur recusans petere, vt arbitri eligantur: sed hoc pertinet ad Iudicis officium. Ita Panorm. *in cap. Cum speciali cit. numero* 15.

Noto 4. quòd arbitri electi ad causam recusationis, habent assignare partibus terminum ad probandam causam suspicionis. Ad ipsosque pertinet testes examinare, punire, & cætera facere, quæ ad hunc articulum pertinent. Ita expressè habetur *in cap. Suspicionis de officio, & potestate Iudicis delegati.* Iudex verò recusatus compellit arbitros ad causam finiendam, intra terminum ab ipso illis præfixum. Ita habetur *c. Legitima de appellationibus in 6.* & dicit Panorm. *cap. Suspicionis cit. num.* 10. Quòd si arbitri intrà ipsum terminum illis assignatum à Iudice recusato causam non finierint, recusatus poterit suam iurisdictionem reassumere, causam prosequi, &c. Habetur *eodem cap. Legitima*; & dicit Hostiensis *in sum. lib. 1. tit. de recusatione Iudicis delegati n. 5. §. Qualiter recusatio.*

Noto 5. quòd si causa est euidenter frustratoria, & solum ad fugiendum iudicium inducta, non tenetur Iudex eam acceptare; sed potest eam spernere. Immò si sit in præiudicium alterius partis debet omninò respuere. Sicut è conuerso, Non est necesse arbitros eligere, quando causa rationabilis est in iure, & in facto notoria, v.g. si notum est Iudicem esse cognatum, seù affinem aduersarij mei. Ita Panorm. *in c cum speciali cit. n.* 15. Baiardus *ad practicam Clari lib. 5. §. finali q. 43. n. 17.*

Noto 6. Quod si isti arbitri electi nollent recipere arbitrium, possunt ad recipiendum cogi à Iudice recusato. Ita Hostiensis *loc. cit.* & Gloss. *c. Suspicionis de officio, & potest. iudicis delegati, verb. ad quos omnia*, & *cap. cum speciali, verb. Districto præcepto.* Quòd si non possunt concordare, debent aduocare tertium, ad quod possunt cogi à Iudice recusato, vt Hostiensis *ibi*, sed si non possunt concordare de tertio: debet illis recusatus assignare terminum, in quo concordent, vel tertium aduocent, quòd si intra terminum assignatum non concordauerint, recusatus vtitur sua iurisdictione, vt dixi *not.* 4. Ita etiam Hostiensis *loco citat.*

Noto 7. Quòd allegans Iudicem suspectum, & suspicionem non probans, debet arbitrio arbitrorum puniri; Glossa *cap. Suspicionis cit. verbo Ad quos omnia*, Baiardus *loco cit. num.* 4.

Noto 8. quòd tres casus ponuntur in iure, *c. Nimirum si contra vnum de officio, & potestate Iudicis delegati in 6.* in quibus suspicionis causa coram arbitris non tractatur. Primus cum recusatur vnus ex delegatis, datis cum clausula, *quod si ambo interesse non possunt, alter eorum in causa procedat*; tunc enim suspicionis causa coram altero condelegato probari debet; si autem essent simpliciter delegati tunc assumendi sunt arbitri, vt diximus; ex quo enim sunt simpliciter dati, vnus sine altero procedere non potest; vt Gloss. *in dict. cap. si contra vnum verbo Clausula.* Si enim non potest condelegatus cognoscere in principali, nec poterit in accessorio, vt eadem Gloss. *verbo, & hoc verum.* Secundus casus est, cum recusatur delegatus Episcopi. Tertius cum recusatur illius officialis. His enim casibus coram Episcopo probanda est causa suspicionis: si sit præsens: vel possit de facile adiri, & sine multis expensis: secus autem si sit multum absens, & ad eum adeundum requirantur multæ expensæ vel negotium multum vrgeat; tunc enim arbitri eligendi, vt Glossa *dicto cap. Si contra vnum verbo Episcop. in fine.*

Ex quibus colligo, quid iuris in nostra Religione Minimorum, in qua mittuntur visitatores, & vicarij Generales, assignatis illis duobus ad minus sociis; si quis enim vellet recusare aliquem ex dictis Vicariis, seù sociis, deberet causam suspicionis proponere coram omnibus, videndæ deinde literæ delegationis: si enim in

illis

illis sit illa clausula. *Quòd si omnes interesse non possunt, tunc alter eorum in causa procedat*: proposita coram omnibus suspicionis causa, coram reliquis probabitur. Sin autem sint delegati simpliciter, tum eligendi arbitri. Si vero dicatur in literis. Quod vicarius non possit procedere, nisi de consilio collegarum; si dictus vicarius recusetur, eligendi omnino arbitri; quia socij tum non sunt coniudices, sed consiliarij simpliciter. Si autem recusetur alter collegarum, tùm Vicarius cum altero collega poterit causam suspicionis cognoscere, quia est Iudex absolutus; licet enim teneatur consilium petere; sequi tamen non obligatur. Si addatur in litteris patentibus, de consilio, & assensu collegarum, cum consensum debeat non solum requirere, sed expectare, videntur omnes comparticipes officij, & coniudices, & cum vnus non possit procedere sine aliis, arbitri puto, quòd sint eligendi.

Colligo 2. quòd si quis vellet recusare aliquem collegam Patris Generalis, deberet causam suspicionis coram Generali, & aliis collegis probare. Quia Pater Generalis sine vno collegarum procedere potest. Sin autem ipsum Generalē vellet quis recusare, eligendi essent omnino arbitri. Quia Collegæ Generalis nō possūt sine ipso procedere.

Noto 9. quòd si dubitatur de vnò delegatorum an habeat potestatem; potest alter (quando dati sunt cum clausula, *quòd si ambo interesse non possunt*) in causa procedere, protestando, quod intendit solus procedere in quantum solus habet potestatem, sed ad maiorem cautelam vult procedere cum alio collega; & tunc tenet sententia ex parte ipsius: licet postea reperiatur, alium collegam, fuisse incompetentem; Panorm. *in c. cum super de officio, & potestate Iudicis delegati num.* 10.

Noto 10. quòd Iudex recusatus potest cogi ad iurandum, an causa suspicionis proposita sit vera; Speculator *tit. de recus. Iudicum in fine*, Ancharan. *in cap. ab arbitris de officio deleg. in 6.*

Noto 11. Quod merus executor recusari non potest. Panorm. *in c. Si quis contra Clericum de foro competenti n. 15.* Vnde colligit, posse Iudicem vindicare propriam iniuriam, sibi notorie illatam, cum in hoc casu sit potius Executor quam Iudex, quia exequitur pœnam à Iure impositam Dati Merus Executor: quia si quid relinquitur eius arbitrio, recusari potest; vt ait Nauar. *c. Cum contingat de rescriptis causa nullitatis* 10. *num.* 9.

Noto 12. quod à sententia arbitrorum, potest tàm recusatus, quam recusans appellare: ille, si causa suspicionis, non fuit legitime probata: iste, si non fuit illi assignatum competens tempus ad eam probandam. Ita expressè habetur *c. ab arbitris, de officio, & potest. Iudic. Deleg. in 6.* & dicit Glossa *in c. Suspiciones, verbo ad quos omnia*, Baiardus *ad practicam Clari lib.* 3. §. *finali q.* 43. *n.* 13. qui citat Abbatem *consil.* 92. quo tamen loco cum inuenire non potui; sed de hoc agit Abbas *cap. Secundo requiris de appellationibus n.* 17. remissiuè *ad dictum cap. ab arbitris.*

Noto 13. Quod processus factus à Iudice recusato non valet, si recusans, facta recusatione iuridica, non amplius comparuit coram recusato: etiamsi fuerit ab illò principaliter citatus. Est opinio Panormitan. *in cap. Cum speciali n.* 12 qui variis opinionibus circa hoc recitatis, hanc tandem tenet, & probat; tùm quia per recusationem inficitur adeò iudicis iurisdictio, vt causam committere non possit sine consensu recusatoris, nec possit procedere in principali, nisi prius discutiatur, articulus recusationis, vt dicitur *cap. Cum speciali, cap. Secundo requiris de appellationibus, & aliis capitibus supra citatis*: tùm quia iste processus est formatus contra ordinem iuris, cum prius debuisset sententiari super recusatione, ergo non valet, vt *in lege Prolatam codice de sententia*: tùm quia licet si non debeat Iudex recusatus se reputare offensum à recusatore; quia hic vtitur iure suo; & qui vtitur iure suo nemini faciat iniuriam, vt dicitur *c. Cum Ecclesia Vulterana de elect.* Tamen negari non potest; quin multùm videatur diffidere de recusati iustitia, qui recusat; & quòd hæc diffidentia in animo Iudicis recusati, nesciò quid odij, & maleuolentiæ generet, quo odio, & maleuolentia stante, periculosissimus esset recusatori processus, à recusato formatus.

§. II.

De causis, propter quas Iudex potest tanquàm suspectus recusari.

NOto primo, quòd causæ, propter quas Iudex potest tamquam suspectus recusari, non sunt omnes in iure expressæ, quia non possunt de facili omnes exprimi; sed arbitret, seù Iudex causam suspicionis cognoscens, arbitrabitur eam iustam, vel iniustam secundum eas, quæ in iure exprimuntur; nam de similibus ad similia procedendum est, vt dicitur *in lege, non possunt ff. de legibus, & in c. Cum dilecta de confirm. vtili, vel inutili §. nos igitur attendentes*, Glossa *in cap. Cum speciali de appellat. verbo iusta suspicionis*, vbi Panorm. *n.* 7. Hostiensis *in sum. lib.* 2. *tit. de recus. num.* 2. §. *& quibus causis* & habetur *in cap. Suspicionis de officio, & potestate Iudicis delegati.*

Noto secundo, quòd non omnis causa, quæ esset sufficiens ad remouendum Iudicem delegatum, debet censeri sufficiens ad remouendum Iudicem ordinarium perpetuum, vt habet Hostiensis *loco cit.* qui has solum causas assignat, propter quas est remouendus Iudex Ordinarius perpetuus: nimirum si sit Pater, vel Patronus, vel corruptus, vel odiosus, vel nimis fauens, vel si fuit aduocatus, vel Procurator eiusdem causæ, vel Iudex: sed quia apud Regulares rari admodum sunt Prælati ordinarij perpetui; ideo propter omnes causas assignandas puto, quòd poterit remoueri Prælatus Regularis; non nego tamen aliquam esse faciendam differentiam inter Prælatum ordinarium, & delegatum, cum ille Pater sit naturalis, hic vitricus: sed hoc prudentum, & iustorum arbitrorum erit iudicium, considerata causa suspicionis, persona recusante, & recusata, cum aliis debitis circumstantiis. His prænotatis.

Prima causa suspicionis est inimicitia Capitalis, vel grauis quando scilicet inter Iudicem, & Iudicandum intercedit odium capitale, habetur *c. Accedens el* 2. *vt lite non contestata.* Oritur autem inimicitia capitalis 1. ex spoliatione, seù retentione rei particularis, Glossa *in c. Cum non oporteat de accus.* 2. quando inimicus minatus fuit mihi mortem: seù accusauit me de crimine capitali, Glossa *in lege licet ff. de arbit.* 3. si odit me ad mortem, vt Glossa *in Auth de test.* § *Si verò dicatur* 4. Oritur talis inimicitia ex verbis iniuriosis, vt Bald. *in c. Veniens in fine de iureiur.* 5. si vulnerauit in facie, vt notat Sebastianus *Sap. ad Panorm. in c. Accedens el* 2 *vt lite non contestata, littera E* 6. Præsumitur inimicus; qui alium non salutat, & sicut inimicus potest recusari, Panorm. *in c. cum cessante de appel. n* 8. 7. si minatus fuit de lædendo, siuè in illa causa, siuè in alia, etiamsi mortem minatus non fuerit, Panorm. *in d. c. cum cessante, & c. Super de off. & potestate Iudic. deleg. n.* 48. Oritur inimicitia capitalis ex eo, quod quis mouit quæstionem super dignitatem assecutam. Rodriq. *tom.* 2. *q. regul. q.* 16. *art.* 3. 9. Oritur inimicitia ex eo, quod quis, quando in Ecclesia datur pax, non vult me admittere ad osculum pacis *c. cum super de off. & potestate Iudic. deleg.* vbi Panorm. *n.* 4. sed de his, & aliis causis, ex quibus oritur inimicitia sufficiens ad iudicem repellendum, vide Rodriq. *loc. cit.* & Franciscum à Coriolano *parte secunda de casibus reseru. casu* 5. *de iuditio regul. de defensione Rei* §. 4. *n.* 17. quem pro *hoc* §. vide in tomo illo §. 4. vbi agit de de exceptionibus contra iudicem.

Ex quibus colligi facile potest, quæ dicenda sit apud Regulares inimicitia sufficiens ad Iudicem recusandum: nimirum, si minatus est *vn giorno me la pagherai*, & sit

persona, quæ iniuriarum meminisse est solita; si me percussit aliquando pugno, vel alapa; si me accusauit, & dedit capita contra me: si me ita odit; vt quotiescumque mei memoria incidit, semper de me male loquitur, & me defendentes, iniuriis afficit, si me verbis iniuriosis est multo toties insecutus. Si cum esset Superior me nunquam quiescere permisit, sed semper huc, illuc coëgit vagari, si apud omnes communi sensu meus inimicus censetur, si mihi super assecutam dignitatem mouit quæstionem: si semper assequendæ toto posse, & viribus se opposuit, si dum in Ecclesia omnes alios ad osculum pacis admittebat, me admittere noluit, si est amicus inimici mei: si cum inimico meo familiariter conuersatur: si descendit, vel dependet ab inimico meo.

Ex quibus vlterius noto, quòd si Prælatus sit meus Capitalis inimicus, propter vnam, vel plures ex dictis causis, possum recusare non subesse illi, *argumento cap. Accedens el 2. vt lite non contestata. & cap. de cætero de sentent. excommunic.*

Et hæc inimicitia est talis naturæ, vt coram inimico nunquam respondere tenearis, Abbas *in cap. Accedens el 2. vt lite non contestata num.* 2. & 3.

Secunda causa suspicionis est: si Iudex est consanguineus inimici mei Capitalis, licèt hic inimicus meus mecum non litiget. Habetur *in cap. Accedens el 2. vt lite non contestata.*

Tertia, si est continuus commensalis inimici mei, *dicto cap. Accedens el* 2.

Quarta, quando est oriundus de terra aduersarij mei: in qua meus aduersarius habet iurisdictionem, *dict. cap. Accedens.*

Quinta, si est de districtu aduersarij mei: & Subditus inimici mei. Panor. *dicto cap. Accedens num.* 2.

Sexta, potest quis Iudicem recusare, si fuerit citatus ad locum suspectum, tam propter inimicitias particulares, quàm propter inimicitias suæ patriæ, vt notant Panorm. *in c. Cum R. de off. & potest. Iudic. deleg. n.* 1.

Septima, quando Iudex videtur nimis fauere alteri parti, *d. cap. Accedens* Vbi notat Panor. quod quando Iudex dicendus sit nimis fauere alteri parti, relinquitur Iudicio prudentis viri. Et vlterius notat *num.* 8. quod non sufficit dicere, quod nimis faueat: nisi fauor exprimatur, nec sufficit fauere, ad hoc vt possit Iudex recusari: sed debet nimis fauere, vt notat etiam Glossa *dicto cap. Accedens, verbo Nimis fauens.* Quæ ait, quòd sicut non omnis amicitia, sed maxima repellit eundem. Quæ autem maxima censenda sit amicitia, prudentis iudicio relinquitur; vt Nauarr. *cap. Cum contingat de rescriptis, causa nullitatis* 10 *num.* 3. Glossa autem Marginalis *dicto c. Accedens* ex Hostiensi notat, quòd maxima amicitia sufficiens ad repellendum Iudicem esset, si duo conciues reperirentur in remotis partibus, & se tenerent tanquam Fratres, quòd etiam notat Panorm. *dicto cap. Accedens num.* 7. Adde, quòd maxima est censenda amicitia illa, quæ ab antiquo contractu, absque interruptione saltem graui continuata, mutuis hinc inde fauoribus esset confirmata. Quod crebrius solet in Religionibus contingere.

Octaua, si sit nimis familiaris aduersarij mei; Vnde Canonicus non potest esse Iudex Concanonici sui aduersus extraneum, vt habetur *cap. Cum R. & cap. Insinuante de off. & potest. Ind. del.* propter nimiam familiaritatem, quæ veritatem aliquando impedire solet; vt dicitur c. *Accusatores* 3. *q.* 5. aduersus tamen alium Canonicum, vt si duo Canonici inter se litigent, potest alter Canonicus esse Iudex, quia par affectionis causa omnem suspicionem remouet, vt Glossa *dict. cap. Cum R. verbo Cum sint eius socij in fine*, & Panorm. *à simili cap. Accedens el* 1. *vt lite non contest. num.* 21.

Ex quo Colligo, quòd in Ordine nostro Minimorum vnus Collegarum Generalis, vel Prouincialis non potest esse Iudex alterius collegæ contra tertium, propter dictam rationem, quia scilicet habent materiam sæpius conueniendi in vnum. Potest tamen, si duo collegæ inter se litigent.

Nona, si Aduocatus extitit in eadem causa. Glossa *in cap. Causam de off. & potest. Ind. del.*

Decima. Reddit se Iudex suspectum, & tanquam talis potest recusari, si nolit audire Aduocatos meos, etiam quando causa est clara. Additionator Panor. *ad cap. Accedens el* 2. *sub Litera B.*

Vndecima, si munera accepit ab aduersario meo. Hostiensis *lib.* 2. *sum. Rubr. de recus. num.* 2. §. *ex quibus causis in principio:* vel facta illi promissione per aduersarium meum sperat accipere, quia iam censetur corruptus iuxta versus,

Quatuor ista, timor, amor, & odia, sensus,
Sæpè solent hominum rectos peruertere sensus.

Duodecima, si pars sibilat in aurem Iudicis, quia loquitur secum secretè, aut Iudex clara voce dicat alteri Parti, Audi, Panor. *in cap. Accedens el* 2. *num.* 8. *ex speculatore*, quem citat. Sed si reuelet parti, quod sibi ab altera parte fuit in aure dictum non potest recusari, Gabriel Sarayna *addit. ad singul. Rom. sing.* 261.

Decima-tertia, Socius in domo non potest esse Iudex consocij, durante societate, sine metu recusationis, Panor. *loc. cit. ex eodem speculatore.*

Decima-quarta, Quando quis comitatur aliquem per longum iter, expensis comitati, eique inseruit tanquam Capellanus. Nauarr. *in cap. Cum contingat de rescriptis causa nullitatis*, 10. *num.* 2.

Decima-quinta, Qui appellauit à Iudice in vna causa, potest illum in alia causa recusare *cap. Ad hæc el* 1. *& cap. Prapositus de appellat.* Nauarr. *loc. cit. num.* 7.

Decima-sexta, Potest recusari Iudex, qui extraiudicialiter grauauit. Si postea Iudicialiter procedere voluerit *cap. conquerente de restit. spoliat.* Nauarr. *loc. cit.*

Decima-septima, Consanguineus aduersarij mei potest recusari, habetur *in cap. Postremo de appell.*

Decima-octaua, Potest etiam recusari affinis *c. Absens tertia q.* 9. *& cap. similiter eadem causa q.* 5.

Decima-nona, Potest recusari Iudex suffraganeus aduersarij *cap. Accedens el* 1. *vt lite non contestata.*

Vigesima, Propter Dominum tota familia potest recusari, Glossa *dict. cap. Accedens el* 1. *verbo subesse.*

Vigesima-prima, Potest recusari Iudex, qui est Dominus aduersarij mei, *cap. Causam, quæ inter, F. & R. de off. & potest. Ind. deleg.*

Vigesima-secunda, Si Iudex sit publicè excommunicatus, vel infamis, potest optimè recusari, quia excommunicatus non potest esse Iudex, nec ordinarius, nec delegatus. Iulius Clarus *in sua pract. crim. lib.* 5. *§. finali, quæst.* 44. *num.* 4. vbi Baiard. *num.* 20. & est opinio communis. Non tamen potest opponi contra Iudicem, quòd sit criminosus: quia si hæc exceptio admittatur, pauci possent iudicare, cum nemo sine crimine viuat, vt Clarus *loc. cit. num.* 3. & Panorm. *in cap. cum R. de off. & potest. Ind. del. num.* 5. *& cap. Qualiter & quando el* 2. *de accus. num.* 16.

Vigesima-tertia, Scholares habitantes in eadem domo possunt dici socij: nec vnus potest esse Iudex in causa alterius. Panorm. *dict. cap. cum R num.* 3.

Vigesima-quarta, Doctor, seù Magister non potest esse Iudex sui Scholaris absque periculo recusationis Panorm. *ibi*, de quibus omnibus, & aliis causis potest videri Panorm. & Hostiensis *loc. cit.*

Forma autem recusationis, ex Abbate *in sua practica cap.* 51. *tom.* 8. potest esse talis ad Regularium vsum accommodata,

Coram Reuerendiss. P. V. (vel alio Tit. iuxta Iudicis dignitatem) *Proponit, F. Laurentius, & dicit contra personam Reuerendiss. P. V. quòd cum F. Franciscus aduersarius suus sit vester consanguineus, vel domesticus, vel familiaris, &c. ex huiusmodi causa est vehementer suspecta,*

pecta & quia periculosum est coram Iudice suspecto causam dicere; Ratio dictat, vt P.V. & vestrum Iudicium recuset: & causam huiusmodi suspicionis probaturum se offert coram arbitris, quos communiter eligere vnà cum aduersario est paratus, quòd si in tali electione conuenire non poterunt, ipse nominat F. Franciscum Marium, & eligit pro parte sua. Quæ forma procedit, quando Iudex est ordinarius: vel delegatus vnus, & pars habet aduersarium.

Si verò est delegatus habens collegam, & dati sunt cum clausula (*quod si ambo interesse non possunt*) tunc coram collega probanda sit exceptio recusationis: dicat excipiens; *Et causam suspicionis huiusmodi coram collega vestro legitimè probaturum se offert.*

Si autem non habeat reus partem. *Dicat coram &c. Frater Laurentius, & dixit, quòd cum vestra Paternitas sit illius inimicus: vel in alia causa ab ipsa appellauerit, &c. vt probaturum se offert coram arbitris, &c.* Sic de aliis.

CAPVT XX.

Vtrum Subditus possit appellare à sui Prælati sententia.

Videri potest pro *hoc cap.* D.Thom. 2.2. *q.* 69.*art.* 3. Innoc. Abbas, & alij Canonistæ, *Toto tit. de appell.* Hostiensis *lib.*2. *sum. rubr. pag. mihi* 790. Sylu. Armilla, Angelus, Rosella, Pisanella, Tabiena, Nald. & alij Summistæ, *verbo appellatio*, Antonin. 3. *par. tit.* 9. *cap.* 14. Quaranta *in summ. Bullarij, verbo Archiepiscopi auctoritas num.* 18. & 19. Casarub. *in priuil. mendic. verbo appellare*, vbi à Sorbo, Sotus *lib.* 5. *de inst. q.* 6. *art.* 3. Nauarr. *com.* 3. *de Regul. num.* 51. & *to.* 1. *consil. toto tit. de appell.* Rodrig. *tom.* 1. *q. reg. q.* 29. & *de ord. iudiciali cap.* 13. Valent. *tom.*3. *disp.*5. *q.* 13. *p.*3. Sayr. *in Claui regia lib.* 12. *cap.* 17. *num.* 37. Azorius *tom* 1. *inst. moral. lib.* 12. *cap.* 11. *q.* 7. & 8. Spatharius *de modo corrigendi Regulares tract.* 10. *p.*4. *c.* 1. 2. & 3. Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 8. *n.* 101.

Dico primò, non esse Religiosos hoc priuilegio naturali, à grauaminibus verè sibi à suis Superioribus illatis appellandi, priuatos. Innoc. *in cap. ad nostram de appell.* vbi Glossa *verbo Minus*, Abbas *ibi num.* 1. & *in cap. de priori num.* 3 Nao. *comm.* 3. *de Regul. num.* 51. & *comm.* 2. *num.* 61. Rodrig. *tom.* 1. *q. regul. q.*29. *art.*2. Pasarellus *in scholiis ex Auenionensis num.* 16. Sayrus *in Claui regia lib.* 12. *cap.* 17. *num.* 38. Azor. *tom.* 1. *instit. moral. lib.* 12. *cap.* 11. *q.* 8. Vega *part.* 1. *cap.* 19. *casu* 1. *not.* 3. Spathar, *de modo corrigendi Regulares tract.* 3. *parte* 4. *cap.* 2. *num.* 4. Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 8. *num.* 102. qui multos alios citat.

Probatur primò, *ex constit. Bonifacij IX.* vt refert Confectius *in compend. priuil. medic. in Bonifacio constitut.* 1. *fol.* 21. *versu finem.* Leonis X. vt refert idem Confectius *in Leone, constit.* 10. *fol.* 120. *in principio*, quæ constitutio habetur etiam *in compend. priuil nostri ord. fol.* 156. Gregor. XIII. vt refert idem Confectius *in Gregorio constit.* 1. *fol.* 194. & habetur etiam *in constit. nostri Ord. post Regulam, & correctorium, fol.* 23. Clement. VIII. vt refert Cherubinus *tom.* 3. *Bullary in appendice ad Clementem constit.* 1. *Quoniam nostro, fol.* 33. Sixti V. *in declaratione constitutionis suæ* 71. *quæ incipit. Ad Romanum spectat Pontificem* §. 21. & refert Cherub. *tom.* 2. *Bullarij in Sixto V. sub constit.* 71. *fol.* 603. qui omnes Pontifices concedunt appellationem, seù recursum Regularibus à grauaminibus sibi illatis. Gradatim tamen procedendum statuunt, à Priori ad Prouincialem, ab hoc ad Generalem, à Generali ad Protectorem, ab hoc ad sacram Congregationem, & ab ista ad Romanum Pontificem, vt specialiter in ipsis terminis habet constitutio cit. Clementis VIII. Quod idem statutum est à Sacra Congregatione Regularium anno 1587. vt refert Confectius *in compen. priuil. mendic. tit.* 7. *de appell.* & à Sorb. *in addit. ad Casarubium, verbo appellare.* Et eadem appellatio gradatim permittitur *in constit. nostri ord. Capitulo Valentino* 5. *num.* 15.

Secundo. Probatur *ex cap. de Priore de appell.* vbi grauiter iubetur castigari Prior, qui appellationem non admisit.

Tertiò. Probatur ratione, quia non est cur hoc remedio; iure naturali debito, debeat Religiosus priuari, vnde Nau. *com.*3. *de Regul. num.* 51. *ad quartum*, ait: *iniquè, & irreligiosè valdè facere Prælatos, qui iustas appellationes à se oppressorum non admittunt, & debere acriter castigari: & iniquitatem iniquitati opponere eos, qui non admittunt, nec dant licentiam prosequendi, & adeundi Superiores, & pessima malis accumulare, qui non solum negant prædicta, sed etiam conijciunt in carceres duros, inedia torquendos, donec appellationi renuntient.*

Aduertendum tamen, quòd sicut ista appellatio debet fieri gradatim, ita non potest ante definitiuam sententiam, & in nostra Minimorum Religione expressè habetur, *capitulo Valentino* 5. *num.* 15. his verbis. *Volentes tot, tantasque Religiosorum tollere vagationes, ordinauerunt, vt recursus appellationum gradatim habeatur: & appellationes nonnisi post latam sententiam admittantur; Quòd si reus post latam sententiam appellauerit, iudex à quo teneatur mittere processum ad iudicem appellatum. Si autem (dicta sententia non expectata) ipsos Superiores adierit, ad suum Superiorem, à quo discessit, remittatur, ad iudicium expectandum, & pœnam Apostasiæ luet.* Consimile statutum habent Fratres Minores, vt patet *ex eorum statutis Vallisoletanis fol.* 154. & refert Spatharius *tract.* 10. *p.* 4 *cap.* 1. *n.* 4. Et in vniuersum id fuit statutum à Pio IV. vt refert Cherubinus *tom.* 2. *Bullarij in Pio IV.* §. 6. *incipit de salute gregis Dominici fol.* 20. & habetur, etiam *in Trident. sess.* 13. *cap.* 1. *de reformat.* his verbis. *In causis visitationis, & correctionis, siue habilitatis, & inhabilitatis, necnon in criminalibus ab Episcopo, seù illius in spiritualibus Vicario Generali, ante definitiuam sententiam ab interlocutoria, vel alio quocumque grauamine non appelletur: nec Episcopus, seù Vicarius appellationi huiusmodi tanquam friuolæ deferre teneatur,* & Paulò infrà, *nisi grauamen huiusmodi per definitiuam sententiam reparari, vel ab ipsa definitiua appellari non possit.*

Circa quæ, duo occurrunt dubia. Primum an quoties Religiosus non expectata sententia Superiorem appellauerit, ipsumque adierit, sit dicendus in pœnam incidisse apostasiæ.

Secundum, quid sibi velint illa verba Concilij: *Nisi grauamen huiusmodi per sententiam definitiuam reparari: vel ab ipsa definitiua appellari non possit.*

Ad primum respondeo; si non expectata sententia fugit ad Superiorem, Apostasiæ pœnam luet, in Ordine nostro Minimorum, & in Ordine Minorum propter citata statuta ipsorum Ordinum, quia temerè, leuiterque fugisse Iudicabitur, & iure ad Superiorem processurum remittetur: quia aliter vagandi non tollerentur occasiones. Si verò post sententiam sentiens se quis grauatum, deque grauamine protestans, & appellans, nolit Prælatus appellationi deferre, nec licentiam Superiorem adeundi impertire, imò in carcerem trudat, & valdè torqueat, censet Nauarr. *comm.* 2. *de Regul. num.* 61. & *comm.* 3. *num.* 51. *ad quartum*, licitè posse fugere, nec propterea Apostasiæ pœnæ reum futurum; quia hic cum iustè sit grauatus, iustè potest de grauamine conqueri, & Superiorem, qui eum ab iniusto grauamine releuare potest, adire. Quod etiam sentit Rodrig. *de Ord. iudiciali, cap.* 13. *num.* 4. Vega 1. *part. summ.*

cap. 20. *casu* 1. Sayr. *in Claui regia lib.* 12. *cap.* 17. *num.* 40. Azor. *tom.* 1. *instit. moral. lib.* 12. *cap.* 11. *q.* 7.

Neque obstat Concilium Trid. *sess.* 25. *cap.* 4. *de regul.* vbi dicitur, *Nec liceat regularibus a suis Conuentibus recedere, etiam prætextu Superiores suos adeundi, nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint*, nam Concilium intelligendum est de illo, qui non grauatus absque vlla appellatione adit Superiorem, eo solum, quòd prætendat, licere sibi adire illum absque Prælati immediati licentia, petita saltem iusta de causa, quod est falsum. Ita Nauarr. *loc. cit.* & Rodrig. *tom.* 1. *q. regul. q.* 30. *art.* 3. *& tom.* 2. *q. regul. q.* 53. *art.* 10. *& tom.* 1. *summ. cap.* 43. *conclus. & num.* 1. *& de ord. iudic. cap.* 13. *conclus.* 3. *num.* 4. Saytus & Azor. *loc. cit.* Passarellus *in Scholiis ex Auenionensi num.* 6.

Si autem Superior petitam licentiam denegauerit; tunc Subditus grauatus coram testibus fide dignis, licentiam petat, licèt etiam certò sciat Superiorem denegaturum; & procuratis literis testimonialibus ab illis, qui audierunt, dictam licentiam ab eo fuisse petitam, Superiorem adeat, iuxta Bullam Sixti V. quæ incipit, *Ad Romanum spectat*, § 10. quam habet Cherubinus *in Sixto V. sub constit.* 71. *tom.* 2. *Bull. fol.* 603. Quas literas illi facere tenentur; cum de iniustitia grauaminis omninò constat. Quia iniustè grauato, debitum fraternitatis postulat, vt omnes succurramus. Vide Suarez 4. *de Relig. tract.* 1. *lib.* 3. *cap.* 1. *n.* 7.

Addunt Nauarr. *commento illo* 3. *de Regul. num.* 51. *ad* 4. *fine*, & Saytus *loc. cit.* Quod si Subditus petendo licentiam Superiorem adeundi, timet de aliquo maiori grauamine, non tenetur eam petere, sed potest etiam, illa non petita, Superiorem adire, quia nemo tenetur sibi maius grauamen procurare. Quæ omnia omninò vera sunt existimanda, nec iudicanda nimiùm Subditis fauorabilia, cum aliquando sint ita indiscreti, & parum charitatiui aliqui Superiores, seipsos potiùs, quàm alios pascentes, vt miseris Subditis misera sit agenda vita, nisi his iurium fulcris sustententur. Et aduerte ad vnum bonum punctum quod notant Poriell. *in addit. ad dubit. reg. verbo habitus num.* 3. & Diana *tom.* 3. *tract.* 2. *resol.* 113. quod Religiosus, qui grauatus recurrit ad suum Prælatum, si timet sibi impediri iter, & plus grauari inde potest absque vllo scrupulo habitum dimittere, & sic incognitus directè iter suum prosequi, nam portare habitum est præceptum humanum, quod non obligat cum tanto periculo carceris, infamiæ grauaminis iniusti.

Ad secundum dubium respondeo, quod in vna causa sunt multi articuli: vt quòd testes examinentur: & quòd tales, vel non tales, &c. si fiat alicui Religioso grauamen, quod per definitiuam possit reparari, non potest ab illo appellare, verbi gratia. Produco testem ad mei defensionem, quem iudex non vult examinare: etiamsi nulla excludendi possit afferri causa, me sentio de hoc valdè grauatum; quia tamen hoc grauamen per appellationem à definitiua possum reparare, ab eo appellare non possum.

Grauamina autem, quæ per appellationem, à definitiua sententia reparari non possunt, sunt illa, quæ eo ipso quòd sunt illata, suum sortiuntur effectum, v. g. carcer, excommunicatio, suspensio, interdictum, tortura, per ea, quæ habet Nauarr. *in Rubr. de iudiciis, num.* 83. & Naldus *in summ. verb. appellare, num.* 2.

Si autem à definitiua non potest appellari, puta quia reus est conuictus, & confessus de delicto: vel quia delictum est notorium, vt habetur in *cap. Cum speciali* §. *Porrò, de appell.* Tunc potest appellari ab aliis grauaminibus, quæ aliàs possent per definitiuam reparari. Quæ appellatio vocatur ab Interlocutoria.

Dico secundò, Regularis non potest appellare à correctionibus, & punitionibus sibi iustè inflictis, idest secundum Regulam, & statuta sui Ordinis, quæ sunt in vsu: nisi fortè modus in corrigendo excedatur. Abbas *in cap. Cum speciali, num.* 2. *& cap. ad nostram, num.* 1. *& cap. Reprehensibilis fine, & cap. de Priore, num.* 2. *de appell.* Angel. *verbo appellatio, num.* 10. Tabiena *eodem num.* 11. Syluest. *q.* 7. *num.* 9. Armilla *num.* 16. Rodrig. *tom.* 1. *q. regul. q.* 29. *art.* 2. Glossa *in cap. Reprehensibilis de appell. verbo. Nec subiecti*, Sanch. *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 8. *num.* 102.

Probatur primo, *ex constit. Bonifacij VIII.* vt refert Confectius *in Compend. priuil. mendic. pag.* 18. *qua incipit, Ad augmentum continuum*: quam etiam refert Cherubinus *tom.* 1. *Bullary, fol.* 140. Iulij II. vt refert Passarellus *in Compend. priuileg. Minim. fol.* 102. & Confectius *loc. cit. fol.* 101. *que incipit, Exposuisti nobis* Sixti IV. vt refert Casarubius *in Compend. priuileg. mendic. verbo Generalis, num.* 11. *&* 12. referunt etiam Rodrig. *tom.* 1. *quæst. regul. quæst.* 29. *art.* 2. & Spatharius *de modo corrigendi regulares tract.* 10. *par.* 4. *cap.* 2. *num.* 2. qui Pontifices omninò prohibent Regularibus appellationem à correctionibus suorum Prælatorum: quando nimirum secundum Regulam puniuntur.

Secundo, Probatur *ex cap. Ad nostram, & cap. Reprehensibilis, & cap. Cum speciali de appellationibus*, quæ capita, & alia similia appellationem vetantia Regularibus, semper debent intelligi, quando non exceditur modus, vt explicant præfati Doctores, præsertim Abbas, Sylu. & Sanchez.

Tertio, Probatur ratione; nam appellatio adinuenta est ad tollendum illatum grauamen, sed grauamen non sentit Religiosus, cum secundum Regulam, quam professus est, corrigitur, & punitur, quia ad id sponte se obligauit, ergo, sentit autem, si modus in corrigendo excedatur, ergo tunc licitum erit illi remedio appellationis vti.

Dices, si alicui statuto fuerit annexa aliqua pœna, v. g. excommunicatio, & Iudex declarauit, aliquem incidisse in illud statutum, & per consequens in excommunicationem, erit locus appellationi?

Respondeo à pœna legis appellari non potest, vt habetur in *cap. Quia nos de appellationibus*, & ibi Glossa *verbo in communi capitulo*, potest tamen appellari à sententia Iudicis declarantis, illum incidisse in pœnam legis; quia illa declaratio est sententia hominis, & non iuris. Vnde si illi pœnæ sit annexa excommunicatio; quæ per appellationem non suspenditur, *cap. Pastoralis* §. *Verum de appell.* vbi Panor. Declaratio tamen, qua aliquis declaratur incidisse in excommunicationem, suspenditur per appellationem: si saltem dubium sit, eum non incidisse, iuxta Glossam communiter receptam *in cap. Cupientes*, §. *Quòd si per viginti, verbo Priuatos, de elect. in* 6. vnde durante lite appellationis, neque vitari debet, neque vitare taliter appellans. Ita Panorm. *in cap. Peruenit el primo de appell.* 6. Nauarr. *lib.* 5. *consf. de sententia excommunicat. consil.* 6. *num.* 2. Syluest. *verbo Appellatio num.* 7. *d.* 3. Armilla *eodem num.* 10. Tabiena *num.* 8.

Dico tertio Religiosi non possunt appellare ad tribunalia Ecclesiastica, quibus, non subduntur, & hoc sub pœna excommunicationis maioris latæ sententiæ, tam appellantibus, quàm Iudicibus appellatis: quicumque illi sint, etiam conseruatores, qui appellantium querelas contra aliquem Religiosum recipiunt, deque iis cognoscunt, hoc videtur Sotus *lib.* 5. *de iust. quæst.* 6. *art.* 3. Valent. *tom.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 13. *p.* 3. *in fine*, Sayrus *in Claui regia; lib.* 12. *cap.* 17. *num.* 41. Rodrig. *in summ. de Ord. iudic. cap.* 13. *num.* 5. *concl.* 4. Salon. 2. 2. *quæst.* 69. *artic.* 3. *dubit.* 2. Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 8. *num.* 108.

Probatur primò. *Ex constitutione Bonifacij IX.* quam refert Confectius *in Compend. priu mendic. in Bonifacio fol.* 21. *incipit Sacra Religionis*, & Leon. X. quam

quam refert idem Confectius *in Leone, fol. 120. incipit Romani Pontificis.*

Secundo Probatur ratione, quia, vt bene Sotus, vbi primum Religionum causæ claustrorum metas exierint, actum de illis est, ex qua ratione constat, quòd quamvis possint Regulares appellare ad Protectorem, vel ad Congregationem, hoc tamen non debent facere, nisi quando sunt ita necessitate abstricti, vt aliter facere non possint; Et pro negotiis grauibus, & maximi ponderis, quia hi recursus maxima toti Religioni afferunt nocumenta, vnde satiùs esset, tolerare quandoque aliquid etiam iniustè, quàm cum tanta Religionis iactura iniurias à se abdicare, vt optimè aduertunt Rodrig. *tom. 1. quæst. reg. q. 29. art. 3.* & Sayrus *in Claui regia lib. 12. cap. 17. num. 42.*

Dico quartò, prohibitum est Religiosis sub pœna excommunicat. latæ sententiæ, Pontifici reseruatæ, appellare ad tribunalia sæcularia, vel coram illis aliquem suorum Confratrum, vel Superiorum conuenire, vel ad illa quouis colore confugere.

Probatur *ex constit. Bonifacij IX. & Leonis X. cit. & præterea ex constitut. Gregorij XIII.* quam refert Confectius *in Compend. priuileg. mendic. fol. 194. in Gregorio constit. 1. incipit. Quoniam nostro, & ex constitut. Clementis VIII.* quam refert Cherubinus *tom. 3. Bullarij in append. ad Clementem, constit. 1. fol. 43. incipit quoniam nostro.* Qui duo Pontifices vltra excommunicationem ipsis reseruatam, vt diximus addunt priuationem vocis actiuæ, & passiuæ ipso facto incurrendam absque alia declaratione.

Ex quibus pœnis colligitur, quam malè faciant Religiosi illi, qui appellant, seù trahunt Confratres suos, vel Superiores ad tribunalia sæcularia, vel Ecclesiastica, quibus non subduntur, vitia, & defectus intra Religionem sepultos reserantes, in propatuloque ponentes, quos ego his elegantibus elogiis condecorare decreui. Latrones sunt, & fures, bonum nomen, & famam suorum Confratrum harpagantes Fratricidæ, Fratrum suorum honorem maculantes, ferientes, & quandoque omnino tollentes. Matricidæ, Religionem pijssimam, & munificentissimam illorum matrem, quæ tot, tantisque gradibus eos cumulauit, dignosque reddidit honorari ab omnibus, necare quantum in ipsis est, non verentes. Ingrati homines, ingratæ bestiæ, imò ingratiores, & bestialiores bestiis: nam *cognouit Bos possessorem suum, & Asinus præsepe Domini sui,* vt ait Isaïas *cap. 1.* Isti autem benefactricem suam non cognoscunt.

Ad quos rectè loquitur Bernardus sermone de ingratitudine. *Magna est,* inquit, *super nos magna valdè misericordia Dei; quos tamen ineffabili spiritus sui virtute, tam inæstimabilia dona gratiæ suæ eripuit à vana nostra conuersione huius sæculi, in quo eramus aliquando sine Deo, aut certè, quod execrabilius est, contra Deum: non ignorantiã habentes, sed contemptum: Huius vitæ, aut potius mortis (anima enim, quæ peccauerat, ipsa moriebatur) vtinam frequenter in oculis nostris terra versaretur imago, quanta videlicet cæcitas, quanta peruersitas illa fuerit, vt sedula meditatione pensantes, misericordiæ pondus, etsi non tam perfectè, sicuti est, aliquatenus tamen æstimare possemus liberatricis misericordiæ quantitatem. Iam verò, si quis ex nobis diligenter considerare non negligat, non modo vnde erutus, sed vbi constitutus: non solùm quid euaserit, sed, & quid acceperit: non tantum vnde reuocatus sit, sed etiam quo vocatus, inueniet sine dubio cumulum huius misericordiæ, omninò mensura prioris excedere quantitatem.* Hæc Bernardus; quæ considerent ingrati isti, qui Religionis, ad quam eos traxit Dominus ab ipsa alendos, & nutriendos, existimationem, sepulta secreta reliniendo apud sæcularia tribunalia, ita vt ipsa Religio per omnium ora traducatur, offendunt. Considerent inquam; & pudefiant; scientes, quod *ingrato homine terra peius nihil creat:* & quod *dixeris maledicta cuncta, cum ingratum dixeris,* & quod cum patiens, patientissimus, & multum misericors sit Deus, ingratum tamen ferre non potest.

At videtur fortè alicui satis contra hos dictum, sed nihil adhuc. *Maculæ sunt conuiuantes,* sine timore se ipsos, & suas Sathanicas passiones pascentes: *nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur:* ventis, inquam, ambitionis, & superbiæ, qui turbinibus, & procellis Religionem quatiunt, totamque voluunt à sedibus imis: *arbores autumnales infructuosæ,* suam marcescentiam præferentes, dum zelo zelari iustitiæ apparere exoptant: *bis mortuæ* Deo, & proximo, eradicandæ, euellendæ, & extirpandæ ex Dei pomario, & Ecclesiæ: *Fluctus feri maris despumantes confusiones suas,* dum factionibus, clamoribus, & seditionibus omnia agitare, & euertere prætendunt, nihil tamen aliud, quàm sordes suas, leuitatem, superbiam, arrogantiam, & infamiam despumantes, & ostentantes, Dicente etiam Esaïa 57. *Impij autem quasi mare feruens, quod quiescere non potest; Et redundant fluctus eius in conculcationem eorum, & lutum: Sydera errantia,* nouum, & nouum occasum semper, & ortum quæritantes, nunquam consistentes, in deuia semper abeuntes, in circuitu, vt impij ambulantes; Pauonum instar aliis se pulchriores, & doctiores existimantes, sibique complacentes, pedes verò, affectusque suos spurcos, & inconstantes non respicientes: *His procella tenebrarum seruata est in æternum,* nisi resipiscant, *& in contradictione Core* miserè deperibunt. Eia, eia sodes, hæc contemplentur tali morbo affecti, vel tentati, ex epistola Iudæ collecta, quæ de ipsis indubiè loquitur, & videant, quòd intentant illis omnia mortem, & infamiam.

At inquient, rectè omnes cum valemus, optima consilia damus ægrotis, & saturi ad sacra deprædicanda Nephalia sunt maximè propensi. Sed vera sunt hæc, si inuerso ordine dominam capessere iussa, ancillam imperitare, permiserimus, quod intolerabile dicitur à Sapiente *Prouerb. 30.* Quod eques equum vehet, quis sustinebit? equus sensus est, ratio eques, clarum est, quòd si equus insedat equiti, sensus rationi, nihil, quod commodum, vtilitatem, & gustum non afferat, tolerabit. At si eques, si ratio, vt decet, si dominatrix suorum affectuum, quis non videt, quòd ad maius vitandum malum, permittitur minus, & quòd ad saluandum caput, se mortis periculo exponunt voluntariè, & naturaliter membra, quia ab eo vita, & salus pendet totius corporis: Sic etiam ratio dicta naturalis, vt se feriri (quando nulla recta, & honesta ratione id aliter potest vitari) grauaminum ictibus permittat Subditus, vt caput, quod est Religio, illæsum permaneat.

Attendant etiam Prælati, qui debent esse omnia in omnibus, & considerent suorum Subditorum conditiones, & qualitates, iisque, quantum fieri potest, salua æquitate, occasiones recurrendi, & appellandi præscindant, & sciant Patris se tenere locum: & sint potius addicti misericordiæ, quæ iustitiam non excludit, quàm iustitiæ sine misericordia; *qua mensura mensi fuerint, remetietur eis.* Lucæ 6. Et sciant quod *iudicium sine misericordia illi, qui non fecerit misericordiam,* vt dicitur epistola Iacobi *cap. 2. de quo argumento latius tom. 2.*

Dices, si appellatio est priuilegium naturale, quomodo possunt Religiosi eo priuari, quoad tribunalia sæcularia, & Ecclesiastica, quibus non subduntur? nam quandoque melius subleuabuntur ab his tribunalibus vetitis, quàm à concessis: & grauatus debet posse quacumque via à se grauamen abdicare.

Respondeo cum Valentia *tom 3. disput. 5. q. 13. p. 3. col. 2. versu Respondeo.* Expedire sæpe bono communi, vt aliquæ personæ non exequantur ea omnia, quorum alioquin ius naturale facit facultatem, sicut expedit non concedere carnes 6. feria, quod tamen alias licèt

per

per ius naturæ. Solum enim ius positiuum impedire non potest, quod ius naturæ ita concedit, vt etiam præcipiat, v. g. quòd in necessitate omnia sint communia, si enim ius positiuum contrarium præciperet, malè præciperet, nec valeret præceptum contra ius naturale. Et similiter, si præciperet, ne quis, se defenderet cum moderamine inculpatæ tutelæ, hæc enim ita concedit ius naturæ, vt etiam præcipiat, quòd autem ius naturæ solum permittit, vt hoc ius appellandi, bene potest ius positiuum impedire. Vide Suarez *lib. 7. de Legibus cap. 6. num. 8. fine.*

§. Vnicus,

Vtrum Appellatio executionem retardet, aut suspendat.

Dico primo Regulariter omnis appellatio executionem sententiæ suspendit. Panorm. *in cap. Pastoralis, §. Verum num. 13. & in cap. Ad hæc el 5. num. 2. de appell. & cap. Per tuas de sent. excomm. num 2.* Nauarr. *lib. 2. consil. de appell. consil. 6. num. 1.* Rodr. *tom. 1. quæst. regul. q. 9. art. 5.* Aotonius Fiancus *in cap. Venientes de iureiurando.*

Probatur *ex dicto cap. Venientes*, vbi dicitur, *vos sententias appellatione suspensas executioni mandantes*, & *cap. Pastoralis, §. Præterea, de Offic. Iud. deleg.*

Dico secundò, Ab hac generali Regula excipiuntur Ecclesiasticæ censuræ, excommunicatio nimirum, suspensio, & interdictum, à quibus, etiamsi appelletur, appellatio tamen effectum illatum non impedit. Panor. *in cap. Pastoralis, §. Verum de appell. à num. 6.* qui multas huius rei affert rationes, Nauarr. *lib. 5. consil. de sent. excomm. consil. 6. num. 2.* Tabiena *verbo Appellatio num. 4.* Angelus *eodem num. 2.* Rosella *statim in principio*, Toletus *in sum. lib. 1. cap. 12. num. 7.* Naldus *verbo Appellare, num. 5. & 6.*

Probatur *ex cap. Is, cui, §. finali de sentent. excommunic. in 6. & cap. Pastoralis, §. Verum de appellat.* quia istæ censuræ secum trahunt executionem, vt dicitur *dicto cap. Pastoralis in fine* cum enim sint sententiæ spirituales, non possunt remanere in suspenso: Sed melius videtur posse dici id esse; quia bona, quibus participant fideles, Ecclesiæ bona sunt, vnde si dicti fideles sint dictæ Ecclesiæ inobedientes, & ab illa per excommunicationem separati, non vult vllum admittere diffugium, vt sic sollicitiores sint fideles ad illi se reconciliandos; ista ratio quietat aliquo modo intellectum, sed melius est disponenda, *cap. Pia, de excep. in 6.*

Si verò post legitimam appellationem interpositam, quis fuerit excommunicatus, tunc excommunicatio est nulla, v. g. Præcipit mihi Prælatus sub pœna excommunicationis aliquid, in quo ei obedire non teneor, ego statim appello ab illo præcepto, eiusque pœnis, si nihilominus, appellatione ac non obstante, ferat Prælatus excommunicationem, excommunicatio nulla est & taliter excommunicatus non est vitandus. Ita Angelus *verbo Appellatio, num. 4.* Tabiena *eodem num. 5.* Rosella *num. 3. & verbo Excommunicatio 7. num. 19. fine.* Syluest. *verbo Appellatio, num. 4. fine* Sayrus *lib. 1. de censuris cap. 16. num. 18.* Naldus *in sum. verb. Appellare num. 5.* Ratio est, quia per appellationem suspensa est Iudicis iurisdictio, quæ inferente excommunicationem libera debet esse.

Quòd est verum etiamsi denuntietur excommunicatus post elapsum terminum sibi assignatum, ad prosequendam appellationem, vt Sayrus *loc. cit. num. 23.* Rosella *verbo Appellatio, num. 5.* & Naldus *loco etiam cit. verbo Sciendum*, & habetur *cap, licet de sent. excommun. in 6.* quòd enim ab initio non valet, tractu temporis non conualescit, vt dicitur in Regula; Non firmatur *de reg. iur. in 6. reg. 18.* vide Naldum, qui optimè respondet ad obiectionem, quæ potest fieri *ex dicto cap. licet.*

Dixi post legitimam appellationem. nam si appellatio non sit legitima, excommunicatio tenet, vt Panor. *in cap. Pastoralis, §. Verum, num. 13. & 14. de appell.* Sayrus *lib. 1. de censuris, cap. 16. num. 27.* & Naldus, *in sum. verbo Suspensio, num. 17.*

Appellatio tunc dicitur legitima, quando est talis causa, quæ probata reputaretur sufficiens *cap. vt debitus honor de appell.* vt Sayrus *loc. cit. num. 12.* Dicitur autem legitima per contrapositionem ad friuolam, cui non est deferendum, per Concil. Trid. *sess. 13. cap. 1. fine.* Friuola autem appellatio dicitur, quæ sine legitima causa interponitur, vt quando quis appellat, vbi non est grauatus iniustè, & sic idem est dicere friuolam appellationem, quòd vanam, & inanem, & sine iusta causa interpositam. Ita Rodrig. *tom. 2. q. regul. q. 53. art. 10.* Nota hic etiam, quod dicens excommunicationem esse nullam debet audiri à Superiore prouocato, licet absolutionem purè, vel ad cautelam non petat. Dicens autem, quod excommunicatio est iniusta non debet audiri, Volens eius iniustitiam probare, nisi ante omnia petat absolutionē, ita habetur *in cap. Per tuas de sentent. excommunic.* vbi Panorm. *num. 3.* Excommunicatio autem notoriè iniusta non ligat; secus autem, si non notoriè; Abbas *in cap. Ab excommunicato, de rescriptis, num. 10. l. autem excomm. iniusta*, secundo modo teneat quoad homines, non tenet tamen quoad Deum, quia sine peccato non potest quis priuari gratia Dei; si quis autem contemneret excommunicationem iniustam, tunc ligaretur etiam quo ad Deum ita Abbas *loc. cit. num. 11.* & habetur *in cap. Per tuas de sent. excomm.*

Dico tertiò, in correctionibus quoad mores, appellatio executionem non retardat. Est expressa sententia Trid. *sess. 22. de reformat cap. 1. & sess. 24. cap. 10.*

Quandò autem dicitur, quòd à censuris, & in causis correctionis non appellatur; intellige quoad effectum suspensiuum, quia scilicet appellatio executionem non suspendit, non autem quoad effectum deuolutiuum, quia talis appellatio transfert causam ad Superiorem. Ita vt, ea pendente, nihil in illius præiudicium attentetur. Ita Syluest. *verbo Excommunicatio 2. num. 1.* Rodrig. *tom. 1. quæst. regul. q. 29. art. 1.* Spatharius *de modo corrigendi Regulares, tract. 10. par. 4. cap. vlt. num. 3.*

Dices si appellatio à suspensione, executionem non retardat, Appellatio à suspensione vocis actiuæ, & passiuæ neque etiam executionem suspendet.

Respondeo cum Nauarro *lib. 2. consil. de appell. consil. 6.* Rodrig. *tom. 1. quæst. regul. q. 29. art. 5.* Spathario *part. 4. tract. 10. cap. vltimo*, quod appellatio à suspensione vocis actiuæ, & passiuæ suspendit sententiam, & eius effectum. Nam illa regula, quòd appellatio à suspensione non retardat effectum, intelligitur solum de suspensione à diuinis officiis: vel ingressu Ecclesiæ, vt habet Panor. *in cap. Ad hæc el 5. de appell. num. 1.* vnde, vt aduertunt Rodrig. & Spatharius. Si quis in capitulis Generalibus, Prouincialibus, vel etiam localibus suspendatur à voce actiua, & passiua, si post appellationem eligatur, & eligat, valida erit electio. In nostra tamen Religione cautum est *Capitulo Val. 4. num. 28.* quòd priuationes in capitulis non fiant, & sanctè, nam tales suspensiones non fiebant ad suspensionem, sed ad exclusionem suspensorum à capitulis, ne intentam electionem perturbarent, quòd erat valdè nociuum libertati electionis.

Demum nota, quòd appellationes sunt faciendæ intra decem dies, à recitatione sententiæ numerandos. Hostiensis *in sum. lib. 2. de appell. num. 9.* Syluester *verbo Appellatio, num. 5.* Intra quod tempus, nisi fuerit appellatum, sententia executioni mandatur, nec potest Iudex hoc tempus decem dierum minuere, vt Sylu. ait *loc. cit.*

Appellanti autem conceditur à iure annus integer, ad prosequendam appellationem, qui annus, iusta causa

interue

interueniente, protogatus vsque ad biennium, quòd tempus non cutrit, data impossibilitate prosequendi. Verum quidem est, quòd potest Iudex, à quo appellatur, & quandoque Iudex ad quem, præfatum tempus moderari, iuxta negotiorum, & temporum qualitates, & conditiones. Videatur Hostiensis *loc. cit. num.* 10. & Syluest. *verbo Appellatio, quæst.* 16. *num.* 17. qui bene distinguit in quo Iudex terminum, ad prosequendam appellationem statutum, limitare possit.

Circa formam appellationis videatur Hostiensis *loc. cit. num. 6. per multa*, vbi varias appellationum formas ponit, & Abbas *in sua practica cap.* 111. *&* 112. Ad nostrum propositum, si appelletur statim à Sententia, dicat Appellans. *Ego talis à tali sententia, tanquam iniqua, & iniusta, ad talem Superiorem appello.*

Quòd si ex interuallo in scriptis appelletur, dicat Appellans. *Coram Reuerendiss. P.V.* (vel iuxta titulum illi conuenientem) *Ego Fr. Laurentius principalis propono, & dico animo appellandi, quòd decem diebus nondum elapsis, in causa tali, qua vertebatur in iudicio coram vobis, sententiam contra me tulistis definitiuam, si sententia iure dici meretur, neque per eandem vestram prætensam sententiam condemnandum censuistis. Idcirco ab eadem prætensa sententia, tanquam iniqua, & iniusta, ipsius nullitate semper salua, ad talem Superiorem appello: vel ad sanctam Sedem Apostolicam, & sanctissimum in Christo Patrem, & Dominum D. Papam talem prouoco, & appello, & Apostolos 1. 2. & 3. cum debita instantia mihi dari posco. Et specialiter protestor, quòd appellationem huiusmodi possum corrigere, emendare, & innouare, & eam intimare verbo, & prosequi, prout mihi videbitur expedire.*

Ad vltimum noto, quòd licèt in iudicio Regularium dicatur, quòd non tenentur eorum Prælati omnes apices iuris seruare; id tamen intelligo in causis ciuilibus, & minus grauibus: at in causis grauibus, vt quando agitur de reo habitu spoliando: ad triremes damnando: carceribus perpetuò detinendo: Prælato deponendo: puto, quod sint omnes iuris solemnitates seruandæ, quæ reo possunt quidquam proficere, vnde illi sunt aperienda non solum dicta, sed etiam nomina testium, vt bene Panorm. *in cap. Olim, num.* 8. *de accusat.* Rodriguez *tom.* 2. *quæst. regul. quæst* 16. *art.* 1. Ghisilerius *in sua practica, cap.* 11. *num.* 24. & dicitur *in cap. Qualiter, & quando, el* 2. *de accus.* §. *debet sic.* Possunt etiam posci Apostoli, qui sunt literæ breues instruentes iudicem appellatum, & omnes circumstantias appellationis comprehendentes: & debent continere, quis appellat, à quo contra quem, super quo, ex qua causa: & an Iudex, à quo appellatur, deferat appellationi, de quibus Panor. *in sua pract. cap.* 114. *& sequentibus.*

CAPVT XXI.

Vtrum Subditus absque Prælati licentia possit sæcularium confessiones audire, etiam ab Ordinario approbatus.

PRo hac quæstione videri potest Antoninus 3. *part. tit.* 17. *cap.* 7. Angelus *verbo Confessio* 3. *num.* 4. Syluest. *verbo Confessio* 1. *num.* 5. Medina *Codice de Confessione quæst.* 34. §. *Si quæras.* Rodrig. *tom.* 1. *qu. Regul. quæst.* 60. *art.* 1. 2. *&* 3. Henriquez *lib.* 6. *de Sacram. pœnit. cap.* 6. *num.* 6. Ledesma 1. *part. summ. de Sacram. pœnit. cap.* 13. *dub.* 22. *pag. mihi* 431. *& de statu Religios. in communi, cap.* 4. *conclus.* 13. *difficul.* 1. *pag. mihi* 167. Lopez 1. *par. instruct. cap.* 16. Alphonsus Viualdus *in Candelabro aureo quæst. de absolut.* à *num.* 22. Graff. *tom.* 1. *consil. lib.* 5. *de pœnit. & remiss. consil.* 4. *num.* 17. *& part.* 1, *decis. lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 87. 88. Nauarr. *in sum. cap.* 4. *& num.* 6. Casarub. *in Compend. priuil. verbo Confessiones, & Confessores, num.* 6. à Sotho *ibid. & verbo Absolutio per multa*, Reginald. *in praxi lib.* 1. *num.* 196. Suarez *tom.* 4. *in tertiam partem, disp.* 26. *sect.* 1. *num.* 12. Angles *in floribus, quæst. de confess. art.* 8. *de ministro confess. difficult.* 4. *dub.* 1. *conclus.* 5. *&* 6. Vega *parte prima sum. cap.* 62. *per multos casus*, Confectius *in Compend. priuileg. mendic. tit.* 17. *cap.* 1. *& sequentib.* Miranda *tom.* 1. *Manualis, quæst.* 45. *art.* 11. *& sequentib.*

Dico 1. Simplex Sacerdos Regularis absque sui Prælati licentia non potest, neque Regularium, neque sæcularium confessiones audire, excepto articulo mortis, in quo habet potestatem, saltem tacitam à Papa. Ita Antoninus 3. *part. tit.* 17. *cap.* 7. Angelus *verbo Confessio* 3. *num.* 4. Nauarrus *in sum. cap.* 4. *num.* 6. Graffius 1. *part. decis. lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 87. Mirand. *tom.* 1. *Manualis, quæst.* 45. *art.* 11.

Probatur quia, Religiosi per votum obedientiæ ita facti sunt alterius iuris, vt neque velle, neque nolle aliquod habeant, vt dicitur *cap. si Religiosus de elect. in* 6.

Quod ita verum est, vt neque à venialibus, neque à mortalibus, aliàs ritè confessis, licitè, idest sine peccato possit Religiosus absoluere absque sui Prælati licentia. Neque etiam absque dicta licentia potest absoluere eum, qui haberet ad sibi eligendum Confessarium Apostolicum diploma, modo tamen à Pontifice expressè non nominaretur, quia tunc certum est, quòd posset non solum absque licentia, sed etiam ipso contradicente. Ita Antonin. Angelus, Nauarr. Graff. Miranda *locis cit.* Sotus *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 4. *art.* 4. Syluest. *verbo Confess.* 1. *quæst.* 5. *num.* 5. *in principio.* Ratio eadem est, quia non est in potestate Religiosi, quo se opere occupet, cum sui non sit arbitrij: attenta præsertim prohibitione, quæ viget in omnibus bene rectis Religionibus, de confessionibus non audiendis absque Prælati licentia. Quod in nostra Minimorum est expressum *in Correctorio, num.* 79. quoad sæculares: quoad Religiosos verò *num.* 85.

Itaque peccaret Regularis audiens confessiones etiã venialium: etiam mortalium aliàs ritè confessorum: etiam illius, qui ad id haberet Apostolicum diploma, & posset à suo Prælato puniri, valeret tamen in dictis casibus confessio, vt dicunt omnes Doctores cit. quia cum venialia, & mortalia aliàs ritè confessa, non sint materia necessaria confessionis, vt in confesso est apud omnes. Quilibet Sacerdos potest ab eis absoluere, vt habet D. Thom. *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 2. *art.* 3. *quæstiuncula prima ad tertium.* Per habitualem illam iurisdictionem, quam quis accipit in receptione characteris Sacerdotalis, absoluendi, atque ligandi omnes illos, qui ei se legitimè subijceret, quæ in actualem reducitur per legitimam confitentis subiectionem, in cuius potestate est, se subijcere cui voluerit; Ita Nauarr. *dist.* 6. *de pœnit. cap. Placuit. num.* 20. 21. *&* 22. Cajet. *in summ. verbo Absolutio.* Illius autem, qui haberet facultatem à Papa, valeret confessio, quia per electionem pœnitentis Confessor accipit iurisdictionem à Pontifice.

Dico secundò, Confessiones factæ Regulari approbato ab Ordinario absque proprij Prælati licentia sunt validæ, licèt ille peccet, & grauiter debeat puniri: nec potest gratiis, & priuilegiis suo Ordini concessis vti. Rodrig. *tom.* 1. *quæst. regul. q.* 60. *art.* 3. Miranda *tom.* 1. *Manualis præl. q.* 45. *art.* 12. *conclus.* 2. Graffius *prima parte decis. lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 88. Angles *in floribus, quæst. de confess. art. de Ministro, versic. Regularis pag. mihi* 281. Vide Campanil. *in diuers. iur. rubr.* 12. *cap.* 13. *num.* 59. *&* 60.

Probatur primò, quia hic reperitur totum id, quod requiritur ad validè Sacramentum pœnitentiæ ministrandum: nimirùm potestas Ordinis, & potestas Iurisdictionis.

Secundo,

Secundò, quod peccet, probatur, quia facit contra voluntatem sui Superioris: vel statutum suæ Regulæ: vel saltem consuetudinem suæ Religionis. De quo autem peccato, dicam modo.

Tertiò. Quòd non possit vti priuilegiis suo Ordini concessis, patet, priuilegia enim à Pontifice non conceduntur Religiosis particularibus, nisi medio Prælato, vt dicam.

Quæres, quodnam peccatum erit confessiones audire venialium, vel moralium, aliàs ritè confessorum; seù illius, qui ad id haberet potestatem à Pontifice, absque Prælati licentia, vel audire cum approbatione Episcopi, & sine licentia Superioris?

Respondeo. Si prohibitio sit sub mortali, mortale erit; si sub veniali, veniale: si sub nullo, nullum peccatum. Ita Ioannes Medina *Cod. de confess. quæst.* 34. *§. Si quæras*, Nauarrus *in summ. cap.* 5. *num.* Reginald. *in praxi lib.* 1. *num.* 196. Sin autem nulla sit quidem prohibitio, sed tantummodo consuetudo; tunc videndum erit, an sit communiter recepta, & legitimè præscripta, & contra illam agere, erit crimen eiusdem generis cum illo, quod committitur, agendo contra statuta illius Religionis.

In duobus autem casibus inualida erit absolutio. Primò si in illa Religione sit aliquod statutum irritans licentias ab ordinariis obtentas, annullansque confessiones factas Sacerdotibus, licentiam Prælati non habentibus à Sede Apostolica approbatam, vt est in Religione Dominicanorum per priuilegium Iulij III. quod refert Rodriguez *tom.* 1. *quæst. Regul. quæst.* 60. *art.* 1. & Miranda *tom.* 1. *Manualis quæst.* 45. *art.* 12. Quo priuilegio gaudent omnes Religiones communicationem habentes, & possunt tale statutum condere; vbi autem nondum statutum est, procedit nostra conclusio. Ita Rodrig. & Miranda *loc. cit.*

Secundus casus est, si sit prohibitus confessiones audire sub mortali; pœnitens sciens talem prohibitionem, adit nihilominus illum Religiosum; confessio est inualida, quia pœnitens inducit eum ad peccatum mortale: & per consequens eum ponat obicem gratiæ Sacramenti, absolutio erit nulla. Ita Medina, & Reginald. *loc. citat.*

Sed dices, quid dicendum circa audientiam confessionum absque licentia Prælati in Religione nostra Minimorum, in qua audiens sæcularium confessiones absque dicta licentia iubetur per biennium ad talem audientiam non assumi: quæ non assumptio nihil aliud videtur esse, quàm suspensio, & quando est apposita statuto pœna suspensionis, tum qui audit, non solùm illicitè audit, sed etiam inualidè: ita vt tales confessiones, & absolutiones sint omnino nullæ, vt dicitur *in cap. Si celebret de Clerico excommunicato, vel deposito ministrante, §. Peccat*, & habet Medina *Cod. de confessione, loc. cit.* Inualidæ dicendæ erunt confessiones factæ à sæcularibus Religioso Minimo, approbato ab Ordinario absque licentia proprij Prælati?

Respondeo primò. Verum quidem est, quòd quandocunque quis est prohibitus sub pœna suspensionis ipso facto confessiones audire, si audiat inualidè audit, & nullæ sunt absolutiones; quia suspensi carent iurisdictione actuali vt Graffius *prima parte decis. lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 88. Angles *in floribus quæst. de confess. art. de ministro, versic. Regulares pag. mihi* 281. Saynus *de censuris lib.* 5. *cap.* 20. *num.* 4. Si verò suspensio sit solum comminatoria, vt est ista in Ordine nostro (si suspensio merito dici potest) cum iurisdictione non priuet, vt dicitur *cap. Ad probandum de sententia, & re iudicata*, non poterit reddere confessionem inualidam. Dari autem suspensionem ipso factu, & comminatoriam, est clarum, & habet Toletus *lib. primo, summ. capite* 44. *num* 5.

Secundò, respondeo, quod duplex est suspensio. Vna quæ est pura pœna, altera, quæ est Ecclesiastica censura, vt bene Suarez *tom.* 5. *in tertiam partem, disput.* 25. *sect.* 1. *à num.* 2. Quæ est Ecclesiastica censura, semper supponit peccatum mortale, quando est à iure, vt idem habet *disp.* 28. *sect.* 4. *num.* 7. Si verò sit ab homine poterit ferri propter veniale, vt idem ibi; Cum autem nostra Regula ad nullam culpam obliget, vt diximus, sequitur, quòd illa suspensio si suspensio est, sit pura pœna, & per consequens, cum nulla iurisdictione priuet, qui contra illud statutum absque alia Superioris prohibitione, & suspensione, confessiones audiret cum approbatione Episcopi, audiret non solum validè, sed etiam licitè, cum statutum purum ad nullam culpam obliget, licèt posset puniri ad pœnam illius.

Tertiò, respondeo, & Germanius, illam non assumptionem, non esse suspensionem; nam loquitur ibi legislator de iis, qui nondum confessiones audierunt, & per nullum Superiorem fuerunt vnquam approbati, qui tamen se ingerunt absque licentia Prælati ad confessiones audiendas; & dicit, quòd in pœnam talis temeritatis, per duos annos non assumitur ad tale ministerium. Consimilemque pœnam imposuerat *eodem Correctorio num.* 78. iis, qui promoueri petebant ad Ordines, & iusserat eos retardari per annum à susceptione illorum. Vnde cum non possit, suspendi, qui nondum fuit promotus, sequitur, quòd illa non assumptio, suspensio non sit, & per consequens manet, quòd Frater Minimus confessiones audiens absque Prælati licentia, licèt possit puniri ad formam citati statuti: vel etiam grauiùs, vt in eo dicitur, iuxta Prælatorum Iudicium, & prudentiam, facit tamen confessiones validas; & cum statutum ad nullam culpam obliget, nullam taliter audiens incurret. Secus tamen esset, si fieret aliquando statutum, tales confessiones irritans; quòd diximus supra, fieri posse: vel si quis esset per sententiam suspensus à Prælato.

Dico tertiò, Regularis approbatus ab Episcopo ad audiendas sæcularium confessiones de licentia sui Superioris, potest ab hoc rationabili de causa reprobari, & suspendi, Graffius *tom.* 1. *consil. lib.* 5. *de pœnit. & remiss. consil.* 4. *num.* 58. Sotus *in* 4. *dist.* 18. *q.* 4. *art.* 3. Confectius *compend. priuil. mendic. tit.* 17. *cap.* 5. *illatione* 7. Rodrig. *tom.* 1. *quæst. regul. quæst.* 60. *artic.* 2. Henriquez *in sum. lib.* 6. *cap.* 6. *num.* 6. Qui addit, quòd potest etiam eiusdem iurisdictionem limitare, circa certas personas, & casus, & citat ad hoc *in comm. lit. X.* declarationem viuæ vocis oraculo Gregorij XIII. quod etiam notauit Graffius *loc. cit.* sentit etiam Miranda *tom.* 1. *Manualis, quæst.* 45. *art.* 13. *concl.* 5.

Probatur quia iurisdictio, quoad confessiones sæcularium audiendas, datur Religioso à Papa immediatè per approbationem Ordinarij, mediante Prælati persona. Ne quid debitæ subiectioni erga proprios Prælatos derogetur; ergo censetur illi data ad nutum, & voluntatem Prælati vtenda, vel retinenda.

Quòd iurisdictio detur Regulari immediatè à Papa est communis opinio. Vega 1. *part. sum. cap.* 62. *casu* 7. Armilla *verbo Absolutio, num.* 23. Sayr. *de censuris, lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 10.

Henriquez *loc. cit. num.* 5. *lib.* 7. *de Indulg. cap.* 28. *numero secundo.*

Quòd autem hæc non detur, nisi mediante voluntate Prælati, patet ex *Clementina dudum de sepulturis, §. Statuimus*, & habet Henriquez *lib.* 6. *de Pœnitent. citat*, & Graff. *lib.* 5. *consil. cit.*

Dico quartò, Confessiones factæ illi Regulari, etiam approbato ab Ordinario cum licentia sui Prælati, qui per sententiam latam, & publicatam suspensus fuit à confessionibus audiendis ab eodem Prælato, vel ab alio auctoritatem habente, sunt omninò nullæ, & iterandæ. Confectius *in compend. priuil. mendic. tit.* 17. *cap.* 5. *illat.* 7. Graff. 1. *part. decis. lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 88.

Rodriguez

Rodrig. *tom.* 1. *q. Regul. q.* 60, *art.* 2. *versu* 2. *dico*, Miranda *tom.* 1. *Manualis q.* 45. *art.* 13. *conclus.* 3. Nauarr. *in summ. cap.* 9. *num.* 8.

Probatur, quia huiusmodi notoriè suspensus non habet potestatem sufficientem ad sententiam validè proferendam secundum iura, vt *cap. Ad probandum de sentent. & re iudic.*

Dicò quintò. Si huiusmodi Regularis non fuerit iuridicè, & notoriè suspensus à suo Prælato, sed tantùm priuatim prohibitus, ne confessiones audiat, propter causam occultam, Prælato notam, peccabit quidem, & mortaliter non obediens; at confessiones illi factæ, validæ erunt. Rodrig. *loc. cit. & in sum.* *tom.* 1. *cap.* 60. *num. & conclus.* 3. Syluest. *verbo Confessor primo q.* 19. *num.* 15. *versic. Tertio verò casu*, Lopez 1. *parte instruct. cap.* 26. *col.* 4. *versu Tertio dicimus*, Miranda & alij cit. *in* 4. *concl.*

Probatur primò, quia cum acceperit iurisdictionem à Papa, mediante Prælati licentia, & Episcopi approbatione, non potest illa iurisdictione priuari, nisi sit legitimè conuictus.

Secundò. Quia actus facti ab occultè suspenso, ratione publici officij validi sunt, vt Nauarr. Syluest. Rodrig. Lopez, & alij cit. 4. *& 5. conclus.* & habetur *cap. Ad Probandum de sent. & re iudic. addita Glos. verbo Innodatus.* Si autem non sit notoriè suspensus, tamen notorius est apud pœnitentem, tunc eo Capite erit inualida confessio, quia pœnitens inducendo confessarium ad audiendam suam confessionem absque necessitate, eum inducit ad peccatum mortale, & per consequens ponit obicem gratiæ Sacramentali, vt supra dixi.

Dico sextò. Religiosus habens licentiam à suo Prælato eligendi sibi confessarium extra Ordinem, confiteri potest Religioso alterius Religionis: etiam non approbato ab Ordinario, modo sit à suo Superiore in Confessorem suorum Confratrum electus. Vega 2. *part. cap.* 61. *casu* 2. §. *nota*, Angles *in floribus q. de confess. art. de ministro, versu Hinc potuerunt Monachi*, Graffius 1. *part. decis. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 107. *& lib.* 1. *de Arbitrarijs confessariorum. cap.* 14. *num.* 6. Rodrig. *to.* 1. *summ. cap.* 60. *num. & conclus.* 6.

Probatur, quia per licentiam sui Superioris datur iurisdictio illi, cui se subiecerit in confessionis foro, qua iurisdictione accepta, potest confessor eum absoluere, vt habet D. Thom. *in* 4. *dist.* 17. *quæst.* 3. *art.* 3. *quæstiuncula* 5. *corpore.*

Obijcies, Concilium Trid. *sess.* 23. *cap.* 15. *de reform.* prohibet Regularibus confessiones etiam Sacerdotum audire absque approbatione Episcopi.

Respondeo, Concilium loqui de Sacerdotibus Subditis Episcopo, quales non sunt Religiosi; vt bene explicant Graffius, Angles, & alij cit. Præterea Suarez *tom.* 4. *in tertiam partem*, *disp.* 28. *sect.* 4. *num.* 4.

Dixi modò sit in Confessorem suorum Confratrum à suo Superiore electus; quia licèt concilium non tollat illam consuetudinem antiquam, quam habebant Regulares confitendi Sacerdotibus, non approbatis ab Ordinario, tamen non cecidit illis licentiam, vt possint confiteri illis Sacerdotibus, qui non sunt admissi à suis Superioribus ad confessiones Fratrum. Et Ratio est, quia nunquam Papa in suis constitutionibus intendit derogare consuetudinibus laudabilibus, & statutis particularium locorum, & personarum, si expressè non deroget, quia cum sint de facto, & in facto consistant, à Papa possunt ignorari vt dicitur *cap.* 1. *de constit. in* 6. & aduertit Passatellus *in not. priuil. minim. notab.* 9. & Glossa *eodem cap.* 1. *& cap. si Postquam de election. in* 6. & sic concedens Pontifex, vt Religiosi non teneantur confiteri Sacerdotibus approbatis ab ordinario, non concedit, vt possint simplicibus Sacerdotibus suæ, vel alterius Religionis confiteri; quia hoc esset derogare laudabili consuetudini Religiosorum, per quam prohibentur simplices Sacerdotes, audire confessiones Fratrum.

Dicò septimò, possunt Regulares confiteri Sacerdotibus extra ordinem, siue sæcularibus, siue Regularibus, etiam per nullum Episcopum approbatis, cum iter egerint, aut extra Conuentum degerint de suorum Superiorum licentia, ab iisque, eligendi quemcumque confessorem facultatem habuerint, Nauarr. *in sum. cap.* 4. *num.* 7. Rodrig. *tom.* 1. *q. Regul. q.* 62. *art.* 5. Vega 1. *p. summ. cap.* 62. *casu* 2. Viualdus *in Candelabro aureo tract. de absolut. num.* 22. Reginald. *lib.* 1. *prax. num.* 175. *& lib.* 8. *num.* 36. Suarez *tom.* 4. *in tertiam partem*, *disp.* 28. *sect.* 4. *num.* 5.

Probatur ex Priuilegio Sixti IV. quod refert Confectius *in Sixto IV. constit.* 5. *in suo compend. priuileg. mendic.* & Rodriguez *loco citato*, & habetur *in priuilegijs nostris Minim. pag.* 57. Quod priuilegium non esse derogatum per Concilium Trid. probant Nauarr. & Suarez *loc. cit.*

Dico octauo, duo Sacerdotes transmissi per obedientiam de vno ad alium Conuentum, iter aliquot dierum facturi, quorum nemo est in confessorem electus, nec ab Episcopo, nec à suo Superiore, possunt nihilominus sibi inuicem confiteri, ita Vega *loco cit. casu* 3. Rodrig. etiam citatus *in fine art.* Graff. *tom.* 1. *consil. lib.* 5. *de pænit. & remiss. conf.* 2. *diff.* 2. *à num.* 1.

Probatur quia Prælatus dans licentiam, seu potius transmittens illos duos Fratres ad alium Conuentum, censetur etiam illi dare ea omnia, quæ ad tale iter peragendum necessaria sunt, vt habetur *c. Præterea de off. & potest. Iud. deleg.* & dicunt præfati Graff. Vega, & præterea Nauarr. *lib.* 1. *consil. de elect. conf.* 12. *num.* 3.

Nota tamen, quod non possunt se inuicem absoluere à casibus reseruatis, vt dicunt Graff. Vega Rodrig. cit. Ratio est, quia in generali etiam expressa concessione, non veniunt ea, quæ non esset quis verisimiliter in specie concessurus, vt est textus clarus in *cap. Si Episcopus de pænit. remiss. in* 6.

Nisi fortè id facerent per ratihabitionem de præsenti, quam sufficere ad licitè, & validè absoluendum, aiunt Syluest. *verbo Confessor primo q.* 6. *decis.* 8. Rodrig. *loco cit.* Graff *de casib. reser. lib.* 2. *cap.* 34. *num* 20. Henriquez *lib.* 6 *de Sacram. pænit. cap.* 13. *num.* 13. Ratihabitio autem de præsenti est hæc. Scio, quòd meus Prælatus est contentus, vt ego nunc absoluam hunc mihi subiectum à reseruatis: & hoc, vel propter amicitiam, & familiaritatem, quæ est inter nos, vel propter ea, quæ ex ipsius mente aliàs cognoui; Ratihabitio verò de futuro est hæc. Scio, quòd meus Prælatus erit contentus de hac absolutione, & hæc non est sufficiens ad validitatem Sacramenti. Quòd hoc à futuro non pendeat.

Dico nono, proprius Sacerdos, seu confessarius Religiosorum est Generalis in tota Religione, & Prouincialis in sua Prouincia, ita vt non possit quilibet Religiosorum confiteri, nisi Generali, vel Prouinciali, vel ab eis deputatis. Angles. *in floribus quæst. de confess. art. de ministro, versic. Vniuersi, pag. mihi* 277. Rodrig. *tom.* 1. *quæst. Regul. quæst.* 62. *art.* 4. Henriq. *lib.* 6. *de Sacram. pænit. cap.* 6. *num.* 4.

Probatur ex Marimagno Minimorum *in compend. priuil. pag.* 76. vbi dicitur. *Inhibemus insuper vniuersis Fratribus vestri Ordinis, ne aliquis eorum (nisi necessitatis vrgente articulo) alius, quàm Prælatis suis peccata sua confiteri præsumat, vel alijs eiusdem Ordinis Sacerdotibus secundum Regulam, & ipsius Ordinis statuta.* Regula autem solum admittit Generalem, vigiles (qui non sunt in vsu) & Prouinciales, vt patet *ex correct. numero* 85. vel ab istis deputatos; ex quo patet, quòd Correctores in nostra Religione, nisi admittantur à supradictis, vt communiter admitti solent, non possunt confessiones, neque Fratrum neque sæcularium audire.

Nota tamen, quòd huiciuri communi, nunc est derogatum per Decretum Clem. VIII. de casuum reseruatione, quod refert Quaranta, *verbo Casus reser.* & à Sorbo *verbo Absolutio ordinaria, quoad Fratres versus finem.* In quo dicitur, *Non liceat Superioribus Regularium Subditorum Confessiones audire, nisi quando peccatum aliquod reseruatum admiserint, aut ipsimet Subditi sponte, aut proprio motu, id ab eis petierint.*

Dico decimò, Religiosus admissus à Prælato ad confessiones Fratrum audiendas in vna Prouincia, v. g. In Genuensi, non potest eas audire in Prouincia Mediolanensi; Si ad illam per obedientiam transmittatur absque licentia Prouincialis Mediolanensis.

Probatur, quia Prouincialis Genuensis nullam habet iurisdictionem in Prouincia Mediolanensi, secus verò si sit admissus à Generali, quia hic habet iurisdictionem in vniuersa Religione.

Dico vndecimò, Petentibus Religiosorum confessariis à Superiore facultatem absoluendi ab aliquo casu reseruato, si negauerit dictus Superior talem facultatem concedere; possunt nihilominus dicti confessarij pro illa vice tantùm, pœnitentes, etiam dicta facultate à Superiore non obtenta, absoluere. Ita concessit Paulus V. *in decretis pro Regularium reformatione.* Cuius decreti meminit. Nald. *verbo Religiosus, n. 44. fine & verbo casus, n. 22.* Franc. à Coriolano *in suo tract. de casib. reseruat. p. 1. sect. 1. art. 17. in fine artic. prima impressione*

§. I.

Quid possint Confessores Regulares circa casus reseruatos, & votorum dispensationem, vel etiam commutationem per sua priuilegia.

Circa potestatem, si quam habent confessarij Regulares à casibus reseruatis absoluendi, videatur Henriquez, *lib. 7. de Indulg. cap.* 28. Miranda *tom. 1. manual. prel. q.* 46. Rodrig. *tom. 1. q. regul. quæst.* 61. Confectius *in compend. priuil. mendic. tit. 17. cap.* 6. Suar. *tom. 4. in 3. p. disp. 30. sect. 5. num.* 16.

Et nota, quod per edictum sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium, de mandato S. D. Clementis VIII. vt refert Confectius *tit. 17. cap. 6.* Miranda *loco cit. art.* 2. Quaranta *in sum. Bull. verb. Casus reseruati.* Fuit omnino Regularibus sublata potestas absoluendi à casibus, tum Pontifici, tum Episcopis à iure, vel ab homine reseruatis, prout in dicto Decreto, seù in eius declaratione: vel etiam illius innouatione facta de mandato Sanctiss. Domini Papæ Pauli V. ab eadem Congregatione, quam refert Naldus *in sua summ. verbo Casus num. 14. in fine*, expressius continetur. Et nota vlteriùs, quòd nomine casus reseruati, à quibus prohibiti sunt Regulares absoluere, intelliguntur etiam censuræ, eisdem Pontifici, & Episcopis reseruatæ, vt dicitur *in d. constitutione facta de mandato Pauli V.* Circa quæ decreta videri potest Miranda *loc. cit. art.* 1. à Sorbo *in compend. priuil. mendic. verbo Absolutio quo ad Fratres, & saculares fine, pag. mihi* 67. Floronus 1. *part. de casibus reser. cap.* 1. §. 2. *num.* 6. *fine & cap.* 4. §. 7. *num.* 18.

Tandem verum est, post tale decretum nullos Regulares posse absoluere à casibus reseruatis Pontifici, seù Episcopis à iure, vel ab homine; neque etiam ab vlla excommunicatione eisdem reseruata.

Vltimo tamen Suarez *tom. 4. de relig. tract. 3. cap. 2. num.* 15. fine inueni dicentem, dictum Decretum Congregat. non obtinuisse, nec in Lusitania, nec extra dominium temporale Papæ, vide *tom. 1. priuil. in constit. 2. Iulij II. §. 25. num. 62. & 63.*

Circa autem commutationem, vel dispensationem votorum, quoad sæculares, in prædicta constitutione Congregationis, nihil est innouatum. Vnde cum nomine casus non comprehendantur vota, vt communis est sententia, & in specie habent Rodriguez *tom. prim. quæstione prima, Regular. quæst. 51. art.* 6. Armilla *verbo Casus, num. primo*, Graffius *de quinque Casibus reseruatis, lib. 2. capite 43. numero* 13. Nauarr. *in sum. capite 12. numero* 79. illi potestati, quam habebant regulares ante prædictam constitutionem, circa commutationem, & dispensationem votorum, nullo modo per prædictam constitutionem est derogatum, eaque nunc, vt antea, possunt vti. Quod sentire videntur omnes illi Doctores, qui post prædictum decretum scripserunt, & tamen hanc potestatem Regolaribus non ademerunt, licèt dicti decreti expresse non meminerint, vtpotè tanquam certum supponentes, illud non loqui de votis; Nam dicere, quòd illud ignorauerint, absurdum est, cum sit lippis, & tonsoribus notum; Huiusmodi sunt à Sorbo *in compend. priuil. verbo Absolutio quoad Fratres & sæculares, pag. mihi 56. à concl. sexta, & pag.* 67. Sanch. *to. 1. in Decalog. lib. 4. c. 43. n.* 54. Quo argumento in casu simili vtitur ipse Sanchez 6. *in Decalog. cap. 8. num.* 30. expressè cum sentiunt Miranda *tom. 1. Manualis, quæst. 47. art. prim.* & Zenardus 1. *part. sua summa in materia de voto, cap.* 52.

Dico igitur primò. Habent Regulares mendicantes priuilegia à Summis Romanis Pontificibus concessa, per quæ possunt dispensare super omnibus votis ordinario iure Episcopo reseruatis, ita à Sorbo *in compend. priuileg. mendic. verbo Absolutio quoad Fratres, & sæculares, conclus. 7. pag. mihi* 56. Miranda *tom. 1. Manual. q. 47. art.* 3. Sanchez *lib. 4. in Decalog. cap. 43. num.* 4. Rodrig. *tom. 1. quæst. Regul. q. 63. art.* 3. Henriquez *lib. 7. de indulg. cap. 28. num.* 6. & alij quos citat *in com. lit. P.* Saytus *in Claui Regia lib. 6. cap. 11. dub. 17. n.* 95. Lopez 1 *p. instruct. cap. 5. col. 3. vers. Ex priuil.*

Probatur ex priuilegiis Summorum Pontificum Innocentij VIII. & Martini V. & aliorum, quæ latè referunt præfati Doctores, præsertim Saytus, & apud ipsos possunt videri.

Et aduerte, quòd licèt per priuilegium Innoc. VIII. non possent Regulares dispensare super votis peregrinationis vltra duas dietas (idest milliaria sexaginta, vt notat Sanchez *loc. cit.*) Per priuilegia tamen alia, præsertim Martini V. possunt dispensare super omnibus, super quibus possunt dispensare Episcopi.

Vota autem quorum dispensatio pertinet ad Episcopum, sunt ferè hæc. Primo votum non nubendi, quod differt à voto castitatis, quia vouens matrimonium non contrahere, fornicando, non facit contra votum.

Secundò. Votum continentiæ ad tempus, puta ad mensem, vel ad annum, vel continentiæ coniugalis: vel suscipiendi ordinem sacrum, etiam Presbyteratum.

Tertiò. Votum peregrinationis, ieiuniorum, eleemosynæ erogandæ.

Quartò. Votum pœnale Religionis, castitatis, siue de adeundo Romam, Compostellam, Hierosolymam, quæ sunt quinque vota, reseruata Papæ *in Extrauaganti. Etsi Dominici, la secunda de pœnit. & remiss. etiam adimpleta* conditione, vt tenent Rodrig. *tom. 1. q. regul. q. 63, art. 7. & in summ. tom. 2. cap. 97. conclus. & n.* 2. Miranda *tom. 1. Manualis, q. 47. art.* 6. Corduba *in summ. q.* 152. Suar. *tom. 2. de Religione, lib. 6 cap. 23. num.* 6. Henriq. *lib. 7. de indulg. cap. 30. num.* 6. qui innumeros pro hac sententia citat *in com. lit. A.* Quia, aiunt isti Doctores, hæc vota solum esse reseruata Papæ, quando ex Deuotione emittunt, & sunt simpliciter voluntaria. Et addit Miranda ita censuisse Doctores Salmaticenses, licèt alij contrarium censeant, quos refert ibid. Mirand. *loco cit.* & sequitur Graffius 1. *p. dec. cap. 28. lib. 2. num.* 3. Limitat tamen Suarez *num.* 13. Rodrig. & alij, modo taliter vouens, id non faciat in gratiarum actionem, peccatorum medicinam, cultumque Dei, & Religionis. Quia tunc non sunt purè pœnalia, sed conditionalia, vnde, conditione adimpleta, remanent vota simplicia, & absoluta.

Quinto.

Quintò. Possunt etiam Episcopi dispensare in voto nunquam dispensationem petendi, vel petita, & obtenta nou vtendi. Hæc est Graff. *de casibus reseruatis lib. 2. cap. 43. n. 31.* Sanch. *in 4. Decalog. cap. 40. a n. 41. vsque ad finem*, vnde super istis etiam votis possunt confessores Regulares approbati à suis Prælatis dispensare.

Sextò. Possunt Regulares approbati à suis Prælatis dispensare cum sæcularibus ad petendum debitum, si post emissum votum castitatis, de facto contraxerint: Per priuilegium Pij V. vt refertur *in compend. priuileg. Societ. I E S V, verbo Dispensatio* §. 9. ita Henriquez *lib. 12. de matrim. cap. 2. n. 9.* Rodrig. *tom. 1. quæst. 1. Regul. q. 63. art. 2.* Viuald. *in Candelabro aureo de Sacram. Matrim. n. 141.* Mirand. *tom. 1. Manualis, quæst. 47. art. 2.* Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp. 16. n. 3. & 4. in Decalog. cap. 43 n. 10.* vbi addit, posse Regulares cum istis dispensare, etiam ante consummatum matrimonium, & citat Sayrum *in Claui regia lib. 6. cap. 11. num.* 104. licèt contrarium teneat Azor. *tom. 1. instit. moral. lib. 11. cap. 19. quæst. 20. versu, sed dubia quæstionis est.* Notandum tamen, quòd si votum fiat post matrimonium, virtute eius priuilegij non possunt super illud Regulares dispensare, vt aduertunt Rodrig. Mirand. *loc. cit.* & Vega *1. p. sum. c. 129. casu 77.* Possunt tamen virtute alterius priuilegij, quod habent in omnibus votis dispensandi quando non sunt Pontifici reseruata. Si autem ante matrimonium, vel post, nondum tamen consummatum vouerit coniux Religionem, nequeunt cum illo Regulares dispensare, vt petat; aut reddat debitum, quia nec id possunt Episcopi, vt idem Sanch. *loc. cit. num. 13.*

Septimò. Possunt dispensare inter coniugatos, quorum alter cùm alterius consanguinea adulterium perpetrauit, ad petendum debitum, ex priuilegio Martini V. quod refert Sayrus *in Claui regia lib. 6 cap. 11. n. 98.*

Dico secundò. Possunt Confessores Regulares cõmutare omnia, & quæcumq; vota, exceptis illis quinque reseruatis Pontifici Ita à Sorb. *in compend. priuil. verb. Absolutio quoad Fratres, & seculares, concl. 6. pag mihi 56.* Sanch. *lib. 4. in Decalog. c. 54. n. 3.* Miranda *to. 1. Manualis quæst 47. art. 4* Rodrig. *to. 1. q. regul. q. 63. art. 4.* Sayr. *in Claui regia lib. 6. cap. 12. dub. 2. num. 15.* & alij, quos citaui pro prima conclusione. Nam qui habet auctoritatem dispensandi, habet etiam commutandi saltem in melius, vt ait Sayrus *loc. cit.* & patet ex Regula cui licèt, quæ est 53. *de Regulis iuris in 6.* vbi dicitur, cui licèt quòd est plus, licebit vtique quod est minus.

Probatur ex priuilegiis Summorum Pontificum Eugenij IV. Pauli III. & Greg. XIII. qui Gregorius extendit etiam ad vota iurata, quæ non sunt in præiudicium tertij, vt referunt Rodriguez, Miranda, Sanch. *locis cit.*

Et notant Rodriguez, & Miranda, quòd non erit in præiudicium tertij, si quis voueat, aut iurer dare Deo Calicem huic Monasterio: si nomine Monasterij tale votum non est acceptatum; Potest enim excommunicatione Episcopi, vel Confessarij Regularis alteri Monasterio, aut pro operi applicare, vt cum communi tenet Nauarr. *in sum. cap. 12. num. 78.*

Item possunt Confessarij Regulares commutare votum alicuius ingrediendi in arctiorem Religionem, vt ingrediatur in suam: dummodò si ante professionem recesserit, commutatio, siue dispensatio sit nullius momenti per priuilegium Eugenij IV. vt refert Casarubius *in Compend. verbo Dispensatio numero* 28. & habet Sanchez *libro quarto in Decalog. capite 43. num.* 19. Qui addit *numero* 21. posse etiam cum isto Confessores Regulares dispensare absolutè, vt ingrediatur suam, vel alienam Religionem, sine eo onere, vt egressus ex legitima causa, ante professionem teneatur ad priua votum; quia hoc non est dispensare in voto, sed in voti circumstantia. Quod posse Episcopum, & per consequens confessorem Regularem, probat ipse Sanch. *loc. cit. cap. 40. num 74.*

Dico tertio possunt Confessarij Regulares dispensare & commutare omnia vota Pontifici reseruata, quoties in eis materia promissa deficit à natura materiæ reseruatæ. Ita Sanch. *lib. 4. in Decal cap. 43. n. 7. & cap. 54. num. 18.* Suarez *tom. 2. de relig. tract. de voto lib. 6. cap. 26. n. 17.*

Probatur, quia in iis, illo casu possunt dispensare, eaque commutare Episcopi, ergo & Religiosi mendicantes, habentes priuilegium dispensandi in omnibus votis, quibus Episcopi. Et ratio est; quia cum deficiunt à materia voti, tunc non sunt Pontifici reseruata.

Vnde colligitur, posse confessarium Regularem dispensare in voto disiunctiuo, cuius solum altera pars est reseruata, vt si quis voueat castitatem, aut ieiunium, quando vouens nondum elegit partem, quam velit seruare, Sanchez, *lib. 4. in decalog. cap. 40. num. 41.*

Secundo colligitur, posse Regularem dispensare in votis reseruatis, quando expressus vouentis animus fuit iis, ad solam culpam venialem se obligare, vel ad solam pœnam; quia tunc à voti perfectione deficiunt, & leuissima reputantur. Sanch. *loc. citat. num. 47.*

Tertio posse dispensare in voto castitatis coniugalis seruandæ: quia non est totius castitatis votum sed partis, cum integrum sit huic matrimonium inire. Intellige, nisi hoc votum sit alicui statui Religioso auctoritate Pontificis annexum. Sanch. *loc. cit. num. 50.*

Quarto posse dispensare in voto Religionis non approbata non est verè Religio, Sanch. *num. 71.*

Quinto posse dispensare cum eo, qui non tantùm promisit Religionem intrare, sed in ea perseuerare: nimirùm circa perseuerantiam, ita vt possit hic tempore nouitiatus exire, si expertus Religionis austeritates, iusta causa ad non perseuerandum ducatur, Sanchez *numero 75.*

Sexto posse dispensare in triplici peregrinationis reseruatæ voto, quando expressus vouentis finis fuit non ad inuisenda ea loca, sed ad alium finem, vt si quis promittat ire Romam ad inuisendam imaginem B.M.V. ad osculandos Pontificis pedes, eumque recognoscendum: vel ab eo impetrandum peccati absolutionem, si autem ea vota fiant absolutè, nullo fine considerato, tunc sunt reseruata. Sanch. *num. 77.*

Septimo tandem colligitur, posse confessarium Regularem dispensare in circumstantia, his peregrinationibus adiuncta, vt si quis promisit, se iturum pedibus, aut mendicando, potest confessarius Regularis dispensare, vt equo vectus eat, & portet necessarias itineris expensas; quia tunc non dispensatur in voto, sed in circumstantiam per accidens adiuncta. Sanch. *num. 78.*

Dico quarto stante perfecta votorum reseruatorum Papæ materia, licèt possit Episcopus ratione alicuius circumstantiæ: necessitatis, v. g. vel dubietatis super iis dispensare, non possunt tamen confessarij Regulares. Ita Sanch. *lib. 4. in Decalog. cap. 40. num. 26.* Suarez *loco cit.* Rodrig. *tom. 1. quæst. regul. q. 63. art. 6.* Miranda *tom. 1. Manualis, quæst. 47. art. 4.*

Probatur, quia in hoc casu illa vota sunt verè reseruata, & dispensatio verè cadit super materiam reseruatam; & ideò casus illi non sunt ordinario Iuri Episcoporum subiecti; sed ex quadam benigna voluntatis reseruantis interpretatione. Quando autem hoc pacto possit Episcopus super his dispensare, latè docet Sanchez *loc. cit.*

Dico quintò. Potestas dispensandi, & commutandi vota Religiosis concessa non restringitur ad Subditos illius Diœcesis, in qua sunt Religiosi, sed extenditur ad quoscumque vndecumque venientes. Ita Sanchez *lib. quarto in Decalogum, capite 43. numero 15. & capite 54. numero 59.* à Sorbo *in Compend. verbo Absolutio quoad Fratres, & seculares, conclusione decima; pag. mihi 57.*

Probatur ex priuilegio Pauli III. concesso Soc. IESV, quod refert Sanchez *lib. 4 in Decalog. cap. 54. n. 3.* quo tribuitur Confessariis Societatis, & per participationem

reliquis mendicantibus, facultas commutandi quæcumque vota quorumcumque, vndedecumque venientium. Et ratio esse potest, quia cum Religiosi habeant auctoritatem dispensandi, & commutandi vota à Summo Pontifice, qui toti orbi præest, non est cur ea restringenda sit ad Subditos illius Diœcesis, in qua Religiosi inueniuntur.

At inquies, ergo etiam Episcopi, qui habent auctoritatem à Papa, poterunt vndecumque venientium vota dispensare, & commutare quòd tamen est falsum, vt habet communis sententia. Sylu. *verbo Domicilium in fine*, & supponit Sanc. *lib. 4 in decalog. c. 43 n. 14 & c. 54 n. 59.*

Respondeo, falsum assumi, quòd Episcopi habent talem auctoritatem à Papa, habent enim à iure ordinario, per quod, seclusa reseruatione, possunt in suis Diœcesibus in omnibus votis, sicut summus Pontifex in toto orbe, dispensare. At ratione reseruationis nequeunt in quinque, ita Sanchez 4. *in Decalog. cap. 40. num. 24.* innumeros citans. Vnde non est mirum, si ordinaria illorum auctoritas ad forenses non extendatur, ad quos extenduntur delegata Regularium per citatum priuilegium Pauli III. quod si videre potuisset, Sylu. *loc. cit.* aliter locutus fuisset.

Quæres primò. An requiratur in confessariis regularibus licentia specialis suorum Prælatorum, ad hoc vt possint vti dicta facultate, circa dispensationes, vel commutationes votorum, an vero sufficiat licentia illa generalis, qua admissi sunt ad confessiones audiendas.

Quæres secundò, si possunt confessarij Regulares prædicta facultate circa vota vti, vnde est quod aliqui Episcopi commutationem votorum, & dispensationem sibi reseruant? vt Archiepiscopus Genuensis, Neapolitanus, Episcopus Regij in Lombardia, & Nolæ in Regno Neapolis. Ex quo sequitur, quod stante Decreto Sacræ Congregationis citato, quo prohibetur Regularib. absolutio à casibus Episcopis reseruatis, non possunt, in prædictis saltem locis, Regulares prædicta facultate vti.

Ad primum respondeo, sufficere generalem illam licentiam suorum Prælatorum, qua approbati sunt ad sæcularium confessiones audiendas, absque noua, & speciali licentia; nisi forte in aliquo peculiari casu ea requiratur quia sic expresse declarat Pontifex priuilegium concedens, vt in dispensando ad petendum debitum, cum eo qui facto voto castitatis, de facto contraxit, vt dicit in specie Sanch. 4. *in Decalog. cap. 43. num. 10.* vel si quis alius sit casus in hac materia votorum quem non viderim, in reliquis sufficit illa generalis licentia. Et ratio est, quia eo ipso, quod sunt approbati à suo Prælato, & ab Episcopo, recipiunt auctoritatem, & iurisdictionem à Pontifice, vt dixi *supra hoc cap. conclus. 3.* Ita videtur sentire à Sorbo *in compend. priuil. verbo Absolutio quoad fratres, & secul. versus finem, pag. mihi 64. tit. resolutio quoad absolutionem secul.* & Rodriguez *tom. 1. quæst. Regul. q. 61. art. 5.*

Ad secundum respondeo, non ideo sibi illos Episcopus vota reseruare, quia casus sint, sed vt intelligatur, quòd dispensare super illis, eaque commutare, pertinet ad ipsorum iurisdictionem. Vnde non sibi talem iurisdictionem reseruant pro Regularibus priuilegiatis, sed pro illis, qui tale priuilegium non habent. Sicut antequam prohibiti essent Regulares absoluere à reseruatis, adhuc tamen Episcopi sibi casus reseruabant, & tamen pro illis, qui habebant priuilegium absoluendi, non intelligebantur casus illi esse reseruati.

§. II.

De aliis quibusdam priuilegijs Regularibus circa Confessiones sæcularium audiendas.

Dico primo, possunt Regulares mendicantes approbati legitimè ad confessiones audiendas etiam non graduati aliquo magisterio, vel doctoratu, literas, seù Breuia sacræ Pœnitentiariæ, quæ committuntur Doctori, aut magistro in Theologia aperire, & auditis confessionibus ad ipsos recurrentium, imposita illis pœnitentia in literis expressa, vel de iure imponenda, eos absoluere, ac in foro conscientiæ quascumque sibi verbo, vel scripto commissas absolutiones, dispensationes, & pœnitentiarum iniunctiones excipere, & exequi, si fuerint ad id specialiter à Generali admissi, & approbati, ita Henriquez *lib. 7. de indulg. cap. 28. num. 6.* à Sorbo *in comp. verb. Confessores fine*, Rodriguez *tom. 1. quæst. Regul. q. 63. art. 8.* Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 34. num. 11.* Molfesius *tom. 1. sum. tract. 4. cap. 12. n. 64.*

Probatur ex priuil. Gregor. XIII. concesso Sacerdotibus Soc. Iesv, quo fruuntur omnes participantes, & referunt citati Doctores.

Et per extensum Cherub. *tom. 2. Bull. in Greg. XIII. const. eius 75. quo pag. mihi 457. incipit, Exponi nobis*, & pro explicatione huius priuilegij, vide Portel. *in addit. ad dub. Reg. verb. Confessor à num. 15.*

An autem possint Regulares nullo gradu insigniti extrà Sacramentum pœnitentiæ, tales literas aperire, & expedire, tutat Sanchex *loco cit. num. 30. quod sic.* Sed obstare videntur verba illa priuilegij (*& auditis confessionibus.*) Ad quæ licèt respondeat; cautiùs tamen est confessiones eorum audire. Quia sic etiam melius adimplentur conditiones quæ solent apponi in talibus literis, v. g. *si ita esse per diligentem Oratoris examinationem inueneris.*

Dico secundo Regularis approbatus ab aliquo Ordinario de licentia suorum Superiorum, quando terra, aut mari iter agit, potest (non repugnante Parocho, illius Ecclesiæ) vbique, prædicare, & omnium confessiones audire. Ita tamen, vt si eo loco ordinarius adsit, illius licentiam priùs obtineat. Henriq. *lib. 7. de indulg. cap. 28. num. 2.* Rodrig. *tom. 1. q. regul. q. 59. art. 5.* à Sorbo *in compend. verbo Absolutio quoad Fratres, & sæculares, conclus. 11. pag. 57.* Miranda *tom. 1. Manualis prel. q. 54. art. 8.* Suar. *to. 4. in 3. p. disp 28. sess. 7. n. 53.*

Probatur ex priuil. Greg. XIII. Concesso Sacerdotibus Soc. Iesv, quod referunt citati Doctores. Sed, vt audio, hoc priuilegium fuit viuæ vocis oraculo reuocatum. Cautè igitur procedendum, & re meliùs inspecta.

Dico tertiò. Possunt Regulares approbati in vna Diœcesi, Subditos illius Diœcesis, vbicumque repertos, etiam extrà territorium, & Diœcesim, à peccatis absoluere. Sotus *in 4. dist. 18. q 4. art. 3. versu Alind verò dubium*, Ledesma *1. p. sum. de Sacram. pœnit. cap. 12. dub. vlt. pag. mihi 420.* Angles *in floribus, q. de confess. art. de ministro, versu poterit etiam confessiones, pag. mihi 281.* Henriq. *lib. 6. de Sacram pœnit. cap. 7. n. 1.* qui dicit esse communem recentiorum, Rodrig. *tom. 1. q. Regul. q. 60. art. 5.* Mirand. *tom. 1. manualis, quest. 45. art. 14. conclus. 3. fine.*

Probatur ex priuil. Sixti IV. Id disertis verbis concedentis, quod refert Casarub. *in compend. verb. Absolutio, quoad sæculares 1. n. 11.* Rodrig. Mirand. Henriq. *locis cit.*

Secundo. Probatur, quia possunt Curati suos Subditos vbicumque repertos, etiam extrà Diœcesim, absoluere, vt communis opinio, Sylu. *verb. Confessor. 1. q. & n. 14.* Armill. *verbo Confessio n. 34.* Henriq. Rodrig. Ledes. & alij cit, ergo & id possunt Regulares, consequentia probatur, tum auctoritate citatorum scriptorum, tùm *ex Clementina Dudum de sepulturis*, vbi Clemens V. auctor illius Clementinæ, pares facit Regulares confessarios, quoad potestatem audiendi confessiones, Curatis.

Si obijcias *ex eadem Clementina, §. Statuimus in fine*, quòd extra Diœcesim, in qua fuerint Regulares deputati, non possint Confessiones audire.

Respondent Sotus, Ledesm. Henriq. *in comm. lit. D.* Sensum illius Clementinæ esse, quòd nullo pacto possint Confessarij Regulares iurisdictionem exercere in Subditos illorum Episcopatuum, in quorum Diœcesibus non

sunt

sunt approbati: Non autem, quòd non possint eadem exercere in Subditos illorum Episcopatuum, in quorum Diœcesibus sunt approbati, vbicumque repertos. Vnde videtur, quòd dicta Clementina derogare voluerit falsæ illi opinioni, quam habuerunt aliquando Regulares, quòd approbatus in vna Diœcesi, esset approbatus in omnibus.

Limitanda tamen est conclusio, modo Subditus extra territorium repertus, in ea non sumpserit domicilium, nam tunc est Subditus Episcopo domicilij, in quo, Si non est confessor approbatus, iurisdictionem exercere non potest.

Et quis dicatur sumpsisse Domicilium, vide Sanctarel. *tom. 1 variar. resol. q. 77. à num.* 2. & Sanch. *lib.* 3. *de Matrim. disp.* 23. *num.* 5. vbi determinat quod quis dicitur constituere in aliquo loco domicilium, quando ibi habitat animo ibidem perpetuo habitandi, & quod si talem animum non habeat, etiamsi per multum temporis ibi habitet, nunquam dicetur ibi constituere domicilium, vnde colligit *num.* 4. quod Gubernator alicuius Arcis, vel Ciuitatis non dicitur constituere Domicilium in loco, in quo est Gubernator, etiamsi ibi per multum temporis, & multos annos habitet, cum ibi habitet animo recedendi. Quare isti tales Gubernatores poterunt confiteri Sacerdoti approbato ab Episcopo in quo habent suum Domicilium, etiamsi non sint approbati ab Episcopo, in cuius Diœcesi habitant.

Circa autem approbationem Regularium ad confessiones sæcularium audiendas, ab Episcopo faciendam, affirmant multi Doctores, & Classici; *Clementinam Dudum de sepulturis*, in qua §. *Statuimus* præscribitur modus, quo Regulares debent præsentari à suis Prælatis, vel personaliter, vel per scriptum coram Episcopo: nimirum humiliter petendo ab eo, vt præsentatos dignetur approbare: quos perperam, & sine causa reiectos, approbat Papa de plenitudine potestatis. Affirmant, inquam, multi Classici Doctores, hanc Clementinam per Decretum Concilij Trid. *sess.* 23, *cap.* 15. *de reformat.* Non fuisse reuocatam, quinimò per dictum Concilium esse approbatam, & confirmatam. Ita Nauarr. *in summ. cap.* 27. *à num.* 264. Henriq. *lib.* 6. *de pœnit. cap.* 6. *num.* 4. Miranda *tom.* 1. *manual. quæst.* 45. *art.* 6. Vega 1. *part. sum. c.* 62. *casu* 4. Rodrig. *to.* 1. *q. reg.* 59. *art.* 2.

Si autem quæras, an possit Episcopus. Regulares idoneos repertos admittere cum limitatione temporis, certorumve locorum, vel generis personarum.

Respondeo, quòd non, si generaliter idonei reperti sunt, vt definiuit sacra Regularium congregatio, *Anno Domini* 1587. *die* 2. *Iunij*, & refert Confectius *in compendio priuil. mendic. tit.* 17. *cap.* 4. *fine*, si autem non ita idonei reperti fuerint, possunt eos limitatè, & restrictè admittere.

Sed inquies, quomodo cognoscetur, an Regularis propria culpa, & defectu, non fuerit idoneus repertus, & ita limitatè admissus an verò fuerit limitatè admissus, non quia idoneus non repertus fuerit, sed ex odio, seù alia passione Episcopi.

Respondeo, ad hoc cognoscendum, duo à Doctoribus assignantur manifesta indicia. Primum, Quando omnes doctos & minus doctos, Theologos, & simplices, indifferenter admittit cum restrictione personarum, locorum, & temporum, vel ad suum beneplacitum. Ita Vega 1. *p cap.* 62. *casu* 7. & 8. Ledes. *p.* 1. *sum. de Sacram. pœnit. c.* 13. *dub.* 9. *pag. mihi* 447 Rodrig. *in explic. Bulla Cruciata p.* 1. §. 9. *n* 33. Ratio est, quia impossibile est credere, ex omnibus Regularibus, qui quidem studiis, plusquam cæteri, vt Ecclesiæ inseruiant, incumbunt, nullum idoneum reperiri, qui simpliciter approbetur. Sed cum sciant Domini Episcopi, quòd Regularis per Pontificia priuilegia semel idoneus repertus, debet simpliciter admitti, nec potest ab eodem Episcopo ampliùs examinari, istas technas adinuenerunt, ad hæc priuilegia deludenda, quæ illis fuerunt concessa, tùm ad eos liberandos à talibus vexationibus, tùm in fauorem populorum, tùm ob beneficia in vniuersalem Ecclesiam ab ipsis collata, vt Leo X. testatur *in Concilio Lateranensi, Anno Domini* 1565. *die* 29. *Septembris, in Bulla, quæ incipit, Dum intra mentis*, & refertur *in compend. priuil. Minimorum, pag.* 164. §. 1. vbi Religiosos pares omninò facit in conferendis in Ecclesiam beneficiis Sanctissimis Episcopis, dicens *Nouimus; Episcopos ipsos in partem sollicitudinis nostræ fuisse, quorum honor, & sublimitas (testante Ambrosio) nullis possunt comparationibus adæquari: Religiosos etiam in agro Dominico pro Christiana Religionis defensione, & ampliatione complura fecisse, ac vberes fructus protulisse, & in dies singulos proferre, ita vt eorumdem Episcoporum, ac Religiosorum bonis operibus, orthodoxam fidem incrementa sumpsisse, & per orbem terrarum vndique dilatatam fuisse, fidelium nullus ignoret. & sicut ipse sæpè numero vigilantissima, & solerti cura schismata in Dei Ecclesia extinguere, & Ecclesiæ vnitatem reddere, & eiusdem Ecclesiæ pacis tranquillitas daretur, innumeros, labores subire non dubitarunt.* Hæc dictus Leo, Sciant ergo Domini Episcopi, quòd dictus Leo pares illis facit Religiosos in subeundis laboribus pro pace, & tranquillitate Ecclesiæ: & quod illorum sunt charitatiui coadiutores, & vt tales deberent ab ipsis tractari. Alioquin sciant, quòd in fraudem legislatoris nihil est faciendum, & factum non prodest, *cap. Constitutis de concessionibus prabendarum.* Nam non in foliis, sed in radice rationis consistit lex, vt dicitur *cap. Marcion.* 1. *quæst.* 1.

Secundo Censetur Episcopus ex odio Regulares limitatè admittere, quando non eodem modo se gerit cum ipsis, ac cum aliis Presbyteris sæcularibus eiusdem conditionis, & qualitatis. Nam sicut non possunt Episcopi in odium Regularium plures illis casus reseruare, quàm reseruant Parochis, quo casu probabilissimum est, quòd non tenerentur illis obedire, circa talem restrictionem, atq; limitationem, vt bene Syl. *verb. Confessor.* 2. *n.* 5. Sotus *in* 4. *dist.* 18. *q.* 2. *art.* 5. Rodr. *to.* 1. *q. reg. q.* 50. *art.* 8. Suar. *to.* 4. *in* 3. *p. disp.* 30. *sect.* 2. *n.* 16. Regin. *in praxi, lib.* 8. *n.* 74. Molfes. *to.* 1 *sum tract.* 7. *cap.* 17. *n.* 30. Vnde quando ab aliquibus Episcopis conceditur per decretum publicum ordinaria facultas suis Curatis absoluendi in aliquibus anni festiuitatibus à casibus quos sibi reseruarunt, dicta facultas censetur etiam concessa Regularibus ab ipsis approbatis. Vt patet *ex Clem. Dudum*; §. *Per huiusmodi de sepulturis*, quæ pares omnino facit confessores Regulares Parochis. Nec obstat, quod non nominet, nam censetur supponere ex vulgaribus iuribus, pro quo facit *cap. illud superfluum dist.* 95. Ita probabile est, quòd nec tenet restrictio iurisdictionis facta in fraudem illius decreti Congregationis absque iusta, & legitima causa. Ita videntur sentire Mir. *tom.* 1. *manual. prel. q.* 54. *art.* 10. *concl.* 2. Ledes. 1. *p. sum de Sacr. pœnit. c.* 13 *dub.* 9. *pag. mihi* 447. Henriq. *lib.* 3. *de Sacrament. pœnit c* 6. *n.* 5. Expressè Rodrig. *in explic. Bulla Cruciata p.* 1. §. 9. *n.* 34 Cum præsertim ab Episcopis, vt diximus, nullam Regulares iurisdictionem, sed simplicem tantummodò approbationem recipiant.

Sed nota, quòd nobis Minimis illæ restrictiones, quæ solent ab aliquibus Episcopis apponi, locorum, in Ecclesiis verbi gratia, tui ordinis, nihil obsunt, quia *per nostrum Correctorium, numero* 83. *Confirmatum à Iulio II. in Bulla Incipiente, Pastoralis officij*, quæ habetur *ante dictum Correctorium, pag.* 27. Facultatem habemus confessiones audiendi extra nostras Ecclesias, non solùm in Ecclesiis, & Oratoriis, de licentia intellige Rectorum dictarum Ecclesiarum, sed etiam in cunctis domibus, & locis congruis, quod priuilegium à Papa inferiore infirmari non potest vt dicitur *in Clement. ne Romani de elect. in principio.*

Tandem quætes primò, an liceat coofeſſariis iniungere pœnitentibus vt faciant celebrare tot Miſſas pro pœniteotia.

Reſpondeo, licitum eſſe confeſſario iniungere Miſſas pro pœnitentia, ſicut orationes, & alia opera pietatis. Hoc tamen non eſt indifferenter cum omnibus faciendum, ſed conſiderata perſona pœnitentis, & peccatorum qualitate, & circumſtantiis. Quo tamen caſu debet prudens confeſſarius mittere pœnitentem ad aliá Eccleſiam pro celebratione dictarum Miſſarum vt nullo modo poſſit iniici ſcrupulus pœnitenti, id illi ex auaritia eſſe iniunctum; & multò magis debet confeſſarius abſtinere à receptione eleemoſynæ pro dictarum Miſſarum celebratione, ne ſcandalizet pœnitentem. Non eſſet tamen damnandus, ſi reciperet, vbi nulla ſcandali, ſeu admirationis eſſet Dubietas. Ita Sylu. *verbo Decima num. 6.* Corradus 2. *parte reſponſ. q.* 358. Non poteſt verò Religioſus eleemoſynas acceptas pro celebratione Miſſarum ſibi retinere, etiamſi habeat à ſuo Prælato generalem licentiam retinendi eleemoſynas, ſibi prouenientes ex miniſtratione Sacramenti pœnitentiæ. Tùm quia in generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus, *iuxta Regulam in Generali*, quæ eſt 81. *de Regulis iuris in* 6. tùm quia non poteſt Subditus per ſe ipſe abſque licentia Prælati ſatisfacere pro Miſſis receptis, cum hoc pertineat ad Prælati officium, apud quem eſt Conuentus adminiſtratio. Vnde tanquam fur poterit condemnari, ſi aliquam Miſſarum eleemoſynam conuictus fuerit recepiſſe. Et nota vlteriùs, quòd ſi Subditus habeat licentiam à Prælato celebrandi vnam, vel duas Miſſas pro parentibus, vel amicis ſuis, non poteſt loco earum celebrare Miſſam pro iis, qui illi dederunt pecuniam; quia hoc eſt contra mentem concedentis. Nota vlteriùs, quod Subditus valorem Miſſæ ſibi ſpecialiter debitum poteſt applicare cuicunque voluerit. Ita Sotus *in* 4. *d.* 13.*q.*2. *art.* 2. *verſu. Quibus autem.* Nauarr. *in ſumm. c.* 25. *n.* 92. Corradus 2. *parte reſp. q.* 357. Scottia *lib.* 1. *de Sacrif. Miſſa cap.* 9. *num.* 2.

Nota denique ſecundum Attag. 2. 2. *q.*85. *art.* 3. *in fine* quòd Subditus Religioſus, qui defraudat aliquem vna, vel duabus Miſſis, peccat omninò mortaliter, licèt alioqui eleemoſyna recepta non ſit materia peccati mortalis. Quia priuat proximum magno bono ſpirituali, nec poteſt abſolui, niſi promittat celebrare, vel celebrare facere, ſeu rogare Prælatum, vt det licentiam celebrandi; & ſi ſit conuerſus, cui illam eleemoſynam arripuerit, & expenderit, debet rogare aliquem Sacerdotem, vt ſatisfaciat, ſi nolit ſe Superiori manifeſtare. Quæ aduertere debent confeſſarij.

Quæres ſecundò an confeſſarius Regularis poſſit licitè eleemoſynam à pœnitente datam recipere, & an pœnitentes eam elargiri debeant ſuis Confeſſariis.

Reſpondeo Corradus 2. *parte ſuarum reſponſionum queſt.* 164. licere confeſſario accipere quidquid, ſiue paruum, ſiue magnum ſibi à pœnitente ſponte oblatum fuerit, non ratione confeſſionis, ſed per modum eleemoſynæ, datæ intuitu incommoditatis, & laboris, quem patitur confeſſarius dicto miniſterio aſſiſtens. Ita tamen, vt ſit ſemper paratus miniſtrare Sacramentum pœnitentiæ, tam dantibus illi aliquid, quam non dantibus. Et licèt pœnitens de rigore iuris dare aliquid, ſuo confeſſario, non teneatur, de honeſtate tamen, & conuenientia dare debet. *Nam dignus eſt operarius mercede ſua Luc.* 10. *& Apoſtolus* 1. Corint. 9. *neſcitis quoniam, qui in ſacrario operantur, qua de ſacrario ſunt edunt, & qui altari deſeruiunt, cum altari participant. Ita & Dominus ordinauit iis, qui Euangelium annuntiant de Euangelio viuere.* Et ad Rom. 15. *Si ſpiritualium eorum participes facti ſunt, debent & in carnalibus miniſtrare illis.* Vnde Chryſoſt. *ad locum illum Pauli ex* 1. *Corint.* ait, *Non habebunt Sacerdotes, & Leuita, & omnes, qui de eadem tribu ſunt, partem, & hereditatem cum reliquo Iſraël, quia ſacrificia Domini, & oblationes eius comedent*, & Gregor. *in Iob.* 29. *A bonis*, inquit, *prædicatoribus non cauſa victus prædicatio impenditur, ſed cauſa prædicationis accipitur victus.* Et verè diuinum eſt argumentum Pauli 1. Corint. cit. *Quis militat ſuis ſtipendijs vnquam? quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? quis paſcit Gregem, & de lacte Gregis non manducat.* Id eſt, vt miles ſtipendio, paſtor ouium lacte, qui vineam plantat, vineæ fructu, ſic meſſor, & operarius Euangelicus mercede ſua paſcitur. Laudabilis itaque eſt illa conſuetudo. Et ideo vbi viget ſeruanda; nam præterquam, quod alitur, aliqualiter ſeruus, datur occaſio deuotis illis pœnitentibus merendi propter illam eleemoſynam largitionem. Et licèt verum ſit, quòd, ad omnem cupiditatis occaſionem, tollendam, & ad bonùs confeſſarij munus exequendum, melius, eſſet actu ſaltem confeſſionis, nihil à pœnitente recipere. Vnde Apoſtolus 1. *Corint. cit. ait*, *Sed non vſi ſumus hac poteſtate, ſed omnia ſuſtinemus, ne quod offendiculum demus Euangelio Chriſti.* Quia tamen multi pœnitentes quandoque indigeantur, ſi nolit confeſſarius recipere, quod ei deuotionis gratia offerunt, nec videntur ſibi in illa confeſſione ſatisfeciſſe; & quia etiam non tenemur ſemper facere quod melius eſt, ſed ſufficit, ſi faciamus, quod malum non eſt. Vnde illud opus in Apoſtolo, non recipiendi quidquam pro prædicatione Euangelica fuit ſupererogationis, vt patet *ex verſu* 15. vbi ait, *Bonum eſt mihi magis* (id eſt melius, & ſuaus duco) *mori, quam vt gloriam meam* (quod gratis, & liberaliter Euangelizem) *quis euacuet.* Ideò licitè, & laudabiliter, ſtante confeſſarij, & pœnitentis rectâ intentione, poteſt, & ille accipere, & iſte dare quidquid eius deuotio perſuaſerit.

CAPVT XXII.

Vtrum Subditus poſſit prædicare abſque Prælati proprij licentia.

Videatur pro hac q. D. Thom. *quodlib.* 12. *art.* 27. *& in* 4. *d.* 19. *q.* 2. *artic.* 2. *quæſtiuncula* 2. *ad* 4. *& opuſculo* 19. *cap.* 4. Nauarr. *in ſumm. cap.* 25. *à num.* 141. Rodrig. *tom.* 3. *quæſt. regul. q.* 32. *per totam, & in ſum. tom.* 2. *cap.* 34. Miranda *tom.* 1. *manual. q.* 50. *per totam* Henriq. *lib.* 7. *de indulg. cap.* 28. *num.* 8. Sà *in Aphoriſmis verbo Prædicare*, Confectius *in compend. priuil. mendic. tit.* 16. *à cap.* 2. Quaranta *in ſumm. Bull. verb. Prædicare*, Caſarub. *in compend. priuil. mendic. verbo Prædicatores verbi Dei*, Graff. 2 *part. deciſ. lib.* 3. *cap.* 19. *n.* 29. *& cap.* 21. *num.* 11. Antonin. 3 *p. tit.* 18. *cap.* 3. *& ſeq.* Syluest. *verbo Prædicatio*, Cajet. *in ſum. verbo Prædicatores*, Vega 2. *par. ſum m cap.* 86. *caſu* 40.

Hic nihil aliud occurrit, niſi in medium afferre ea, quæ de prædicatoribus verbi Dei abundanter habet Trid. *Seſſ.* 5. *cap.* 2. *de reformat. & Seſſ.* 24. *cap.* 4. *de reform.* eaque quantùm cum adiutorio prædictorum auctorum poterimus declarare.

Primò Ergò habet Trid. *Seſſ.* 5. *cap.* 2. *Quòd Regulares cuiuſcumque Ordinis, niſi à ſuis Superioribus de vita, moribus, & ſcientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum prædicare non poſſint.*

Secundò. Quòd cum hac licentia perſonaliter ſe coram Epiſcopis præſentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant.

Tertiò. Quòd ſi in Eccleſiis, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, vltrà licentiam ſuorum Superiorum, etiam Epiſcopi licentiam habere tenentur, ſine quibus licentiis poſſint nullo modo prædicare.

Quartò. Quòd ſi prædicator errores, aut ſcandala diſſemina

disseminauerint in populum, etiamsi in monasterio sui, vel alterius ordinis prædicet, Episcopus ei prædicationem interdicat.

Quintò. Quòd si hæreses prædicauerit, contra eum, secundùm iuris dispositionem, aut loci consuetudinem procedat Episcopus quantumvis, se exemptum esse prætendat.

Sextò. Quòd quæstores eleemosynarij, qui etiam quæstuarij vulgo dicuntur, cuiuscunque conditionis existant, nullo modo, nec per se, nec per alios prædicare præsumant; & contrà facientes, ab Episcopis, & ordinariis locorum omnino arceantur.

Septimò. *sess.* 24. *de reformat. capite* 4. ita habetur *Nullus autem secularis, siuè Regularis, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum, contradicente Episcopo, prædicare præsumat.*

Circa primum aduerto, peccare mortaliter regularem prædicantem sine sui superioris licentia. Ita Nauar. *in sum. cap.* 25. *num.* 441. Caiet. *in sum. verbo Prædicatorum peccata in principio*, Armilla *verbo prædicare, n.* 1. Reginaldus *in praxi, libro* 18. *num.* 130. Probat Caiet. *ex cap. Excommunicauimus* §. *Quia vero, de hæreticis*, vbi id prohibetur sub pœna excommunicationis; & adducitur illud Apostoli ad Rom. 10. *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur.* Quòd efficacius probatur ex Bulla Leonis X. in concilio Lateranensi, quam refert Quaranta *in sum. Bull. verbo Prædicator*, in qua Pontifex excommunicat excõmunicatione Papali ipso facto, prædicantes sine licentia suorum Prælatorum, cuius absolutionem sibi reseruat Clausula enim illa. *Si qui autem contra præmissorum aliquod, committere quidquam ausi fuerint, &c.* in fine constitutionis posita, concernit omnia præcedentia; præsertim quandò non habent suas determinatas clausulas, & ad eandem rem pertineant, vt in præfata constitutione, pet ea, quæ habet Abbas *in c. Cum dilecti de donationibus, num.* 7. *& in c. Secundò requiris de appell. num.* 10. 11. Dictamque excommunicationem incurrere prædicantes absque superiorum licentia, expresse habet Zerola *in praxi, verbo Prædicatio, n.* 2, *p.* 1. Reginald. *in praxi, lib.* 18. *num.* 129.

Peccant etiam omninò mortaliter Prælati, qui subditos non examinatos, nec de vita, moribus, nec de doctrina, immò scientes, non esse idoneos, approbant ad prædicandum verbum Dei, etiamsi dicant, se illos approbare, honorandi gratia: vel illorum importunis precibus satisfaciendi; tùm propter auctoritatem Trident. quod tale examen necessariò præcedere approbationem requirit; tùm quia in præfata constitutione Leonis X. onerat Pontifex conscientias Prælatorum, qui subditos ad munus prædicandi destinatos, diligenter non examinant. Tùm propter scandala, quæ inde possunt, & solent euenire. Cum enim thrasones isti, & ambitiosi circulatores vident, se literis patentibus concionatoris condecoratos cristam erigunt, famosissimos se deprædicant, & dilatando phylacteria sua, magnificando fimbrias, subsannando alios, pulpitum audent impudentissimè conscendere; Vnde dato, quòd nec Hæreses, nec errores, nec falsas doctrinas disseminarent, (sed optimas (scholiores enim psitaci more omnia memoriter discere consueuerunt, & iuxta cantilatum) vnde rectè illis potest dici illud si *Carta cadit, tota scientia vadit* (doctrinam docti sunt) populum ad risum, & cachinnum, quandoque etiam inuitum prouocant, cum vel obliuiscuntur: vel inordinatè recitant: vel verba parùm congruentia proferunt: vel saltus mirabiles edunt: vel ab extremo ad extremum currunt sine medio: vel omnia ab imis ad supera inuoluunt, vel Solecismos ridiculosissimos euomunt, vel scripturas falsificant, historias peruertunt, nomina mutant; & similia etiam peiora præstant; Quòd malum, Prælato perperam licentiam concedendi, tribuitur. A mortali ergo non est talia Prælatus absoluendus, vt nec absoluere videntur Nau. *in sum. cap.* 25. *num.* 143. & Reginald. *lib.* 18. *num.* 31. quatenus habent quòd contrafaciens statutis Concil. Trid. cit. peccat mortaliter.

In ordine nostro Minimorum circa Prædicatores aliqua Sanctè statuuntur, primo, quòd *nemo audeat prædicare sine licentia superiorum.* In correctio, *num.* 79. vbi aduertendum, quod licet ratione huius statuti non peccet mortaliter Frater Minimus, prædicando sine licentia; omninò tamen peccat, mortaliter per ea, quæ modo dicta sont.

Secundo Præcipitur, *in prædicationis tempore. Prædicatores sæcularium conuiuia frequentent, d. Correct. n.* 80. Quid enim absurdius prædicare abstinentiam, & deinde epulis, & conuiuiis delectari? posset enim illis dici, isti Prædicatores dicunt, & non faciunt; & pleno ventre ieiunium prædicant.

Tertio Præcipitur, ne *Prædicatores prædicationis tempore multum se in audiendis confessionibus occupent, dicto Correct. num.* 82. Priuatur namque libertate corrigendi, qui assiduè in confessionibus audiendis versatur.

Circa secundum aduerto, quòd ad hoc vt regulares possint in Ecclesiis sui ordinis prædicare, sufficit, vt examinati à suis superioribus, & ab eis approbati, eum ipsorum licentia coram Episcopis se præsentent, & ab eis, antequam incipiant prædicare benedictionem petant. Nec requiritur licentia ipsorum Episcoporum, vt probatur ex contextu Concilij, & ex differentia, quæ ponitur, quando debent prædicare in Ecclesiis sui Ordinis, & quando in Ecclesiis, quæ sui Ordinis non sunt. Vnde hanc benedictionem non potest eis Episcopus denegare, vt notat Farinacius *sess.* 5. *in Concilium Trident. cap.* 2. §. *Prædicare*; quod si neget, possunt nihilominus in Ecclesia sui Ordinis prædicare, vt notat Rodriq. *tom.* 3. *q. regul. q.* 32. *art.* 1. & probatur ex ipso contextu Concilij; ait enim: *Quòd teneantur petere benedictionem*, non dicit & illam obtinere; ergo sufficit, vt petant, licet non obtineant. Et probatur, quia benedictio iure petita, si iniustè negetur, videtur ipso iure concessa: vt bene docet Henriq. *lib.* 6. *de pœnit. cap.* 13. *num.* 4. qui *in com. litera F.* multos alios citat. Et tandem dicitur, hoc censuisse Sacram Congregationem, *Anno Domini* 1597. *die prima Ianuarij.*

Circa tertium aduerto, quòd ad prædicandum in Ecclesiis, quæ suorum Ordinum non sunt, requiritur, vltra licentiam sui Prælati, licentia etiam Episcopi Ordinarij illarum Ecclesiarum, in quibus prædicare intẽdunt; Quam licentiam possunt Episcopi velle dare Regularibus mediante examine. Nam si ad prædicandum in Ecclesiis sui Ordinis, supponitur, quòd sint examinati à suis superioribus; ergo & ad prædicandum in iis, quæ sui Ordinis non sunt, in quibus præterea requiritur licentia Episcopi, supponitur, quòd per Episcopum examinati possint; & habet Zerola *in praxi, verbo Prædicatio, num.* 9. Vnde si minus idonei reperiantur, possunt ab Episcopis reprobari.

Aduerto vlterius, quòd Parrochus potest concedere licentiam viro docto, vt in sua Ecclesia duabus, aut tribus vicibus concionetur, quod habet Henriq. *lib.* 7. *de indulg. cap.* 28. *num.* 8. Rodriquez *loco cit.* Nauarr. *in summ. cap.* 25. *num* 141. Riccius *par.* 1. *praxis decis.* 755. qui ait id fuisse declaratum à Sacra Congregatione indefinitè Campanil. *in diuers. iur. rubr. in c.* 13. *n.* 11.

Insuper nota, quòd Regulares mendicantes, in Prædicatores semel ab Episcopis assumpti, ex priuilegio Gregorij XIII. de quo *superiori cap.* iter mari, vel terra faciunt, possunt vbique locorum prædicare, non contradicentibus Parochis; nec in locis, vbi sunt præsentes Episcopi absque eorum licentia, vt refert etiam Rodriq. *tom.* 3. *q. regul. q.* 32. *art.* 6.

Aduerte etiam, quòd si quis regularium, in Ecclesiis, quæ suorum Ordinum non sunt, prædicauerit sine Episcopi licentia (in casibus, quibus non prodest priuile-

gium Gregorij citati) non potest tamen ab Episcopo puniri, sed puniri debet à suis superioribus, vt censuisse sacram congregationem, refert Quaranta *infra. Bull. verbo Priuilegio regularium.*

Nota etiam, quòd regularis semel ab Episcopo licentiatus, & approbatus ad prædicandum, non potest ab eodem sine rationabili causâ à prædicatione suspendi; vt dicit Sà *in aphorismis, num. 6. verbo Prædicare, de mente Congregationis Concilij.*

Aduerto denique, quòd Prædicatores regulares semel ab Episcopo approbati, non possunt ab eodem iterum compelli, vt præsententur, ad hoc vt denuò examinentur, & approbentur; Mir. *tom. 1. manual. præl. q. 50. art. 9.* Sà *in aphorismis, verbo Prædicare, n. 7.* Et habetur expressè *in Bulla Pij V. quæ incipit. Etsi mendicantium*, quæ quoad hoc, per illius reductionem ad terminos iuris communis, & Concilij Trid. factam à Gregor. XIII. & per annullationem omnium priuilegiorum decretis Concilij contrariorum facta à Pio IV. non est reuocata. Non enim hoc est contra Concilium Trid. vt ait Sà *loc. cit.* & A Sorbo *in compend. priuil. mendic. verbo Prædicator, versu, & notandum.*

Circa quartum, & quintum aduerto quòd Sacra congregatio Concilij censuit per confirmationem priuilegiorum regularium ab Apostolica sede obtentam, non esse derogatum huic decreto Concilij, nisi in ipsis priuilegiis appareat expressa dispositio, quæ contraria sit dispositioni Concilij. Refertur *in declarationibus Concil. sess. 5. cap. 2. versu Procedat.*

Circa sextum aduerte, quòd licet si Religiosi mendicantes sint quæstuarij; Victitant enim præcario, præsertim qui nihil proprij in communi habent; non comprehenduntur tamen hoc decreto prohibente, quæstuarios, nec per se, nec per alios posse prædicare, vt habet Nauarrus *lib. 5. consil. de pœnitentiis, & remiss. consil. 33.* Rodriq. *tom. 2. quæst. regul. q. 57. art. 7.* sed solùm procedit in quæstionibus, qui quærunt eleemosynas, prædicando, vel publicando indulgentias concessas iis, qui piis locis, quorum ipsi sunt quæstores, manus adiutrices porrexerint.

Circa Septimum aduerte, quòd *in Clem. Dudum de sepulturis; §. Statuimus* (quæ per hoc Concilij decretum nullatenus censetur reuocata) habetur hoc statutum. *Apostolica auctoritate statuimus, & ordinamus, vt dictorum Ordinum fratres in Ecclesiis, & locis eorum, ac in plateis communibus, liberè valeant Clero, & Populo prædicare, ac proponere verbum Dei, illa hora dumtaxat excepta, in qua locorum Prælati prædicare voluerint, vel coram se facere solemniter prædicari, in qua Prædicare cessabunt.* Decretum igitur Concilij de non prædicando, contradicente Episcopo, intelligendum est de illo tempore, & hora, qua Episcopus prædicare voluerit, vel coram se facere solemniter prædicari: non autem aliàs; Ita Rodriquez *tom. 3. quest. regul. quæst. 32. art. 1.* Mitanda *tom. 1. manual. q. 50. art. 3.* qui addit consultos super hoc doctores Salamaticenses, ita respondisse; & necessario sic debet intelligi, ne cogamur dicere, *Concilium sibi ipsi esse contrarium*; si enim possunt Regulares in Ecclesiis sui Ordinis, petita ab Episcopis tantùm benedictione, licet non obtenta, vt diximus, absque alia ipsorum Episcoporum speciali licentia prædicare? quomodo non poterunt contradicente Episcopo?

Vltimo aduerte, quòd Prædicatores regulares à suis Prælatis examinari, & approbati, ab iisdemmet, rationabili existente causa, reprobari possunt, & ab eodem munere suspendi. Probatur ex his, quæ diximus de confessariis.

Verùm quidem est, quòd si Regularis, suspensus ab officio prædicandi, nihilominus prædicauerit, licet mortaliter peccet: non fit tamen irregularis. Ita Henriquez *lib. 13. de excommunic. & suspens. cap. 32. num. 5.* Rodriq. *in summ. tom. 2. cap. 24. conc. 7. & ibi c. 69. conc. 8.* Arm. *verbo Suspensio, §. 15.* Ratio est, quam affert Henriq. Quia actus prædicandi, solemniter, etiam cum benedictione petita, potest competere laico ex dispensatione Episcopi, vt habet expressè Glossa *in cap. Adiicimus 16. q. 1.* & probat Reginald. *lib. 18. praxis, num. 121.* licet sit ex lege humana; aut consuetudine actus prædicandi deputetur Ordini Diaconatus.

Ad vltimum noto duo. Primum. Quòd Diaconi de licentia suorum prælatorum possunt prædicare, ita Syluester *verbo Prædicatio q. 1.* Armilla *verbo Prædicare, n. 7.* Tabiena *eodem. statim in principio*, Angelus *ibidem*, Reginaldus *in praxi, lib. 18. num. 120.*

Nec solùm Diaconi regulares possunt prædicare, sed etiam Clerici in minoribus ordinati, vt habet Reginald. *loc. cit.* & refert Rodriq. *in suo Bullario in Gregor. constitutione eius 28.* priuilegium ad hoc concessum à Gregorio XIII. Societatis IESV, *Anno Domini 1584. die 20. Nouembris, Pontificatus eius Anno XIII.* Quod incipit *vigore priuilegij*, quod sic habet.

Præsentium tenore declaramus, vt vnicuique vestrum etiam ad sacros ordines non promoto, primaque tonsura tantum insignito, à præposito tamen approbato, prædicationis munus ad populum exercere posse liceat, districtius inhibentes vniuersis locorum ordinariis, ac aliis quacumque dignitate fulgentibus, ne vos in huiusmodi impedire, aut molestare audeant.

Noto secundo, quod postquam hæc scripsit, exiit constitutio Gregorij XV. quæ incipit *inscrutabili Dei prouidentia*, data apud S. Petrum. *anno 1622. Nonis Februarij Pontificatus eius anno II.* Super quam factæ sunt aliquæ declarationes, de mente eiusdemmet Pontificis, à Sacra Congregatione Concilij. Iuxta quam constitutionem in iis (in quibus viget) moderanda sunt dicta *hoc capite.*

CAPVT XXIII.

Vtrùm Regularis de licentia Prælati possit extra Conuentum degere.

Videri potest pro hoc Capite Nau. *comm. 3. de regul. num. 40. & lib. 3. consil. de regul. à consil. 68. vsque ad 74.* Rodriquez *tom. 3. q. regul. quæst. 53. art. 5.* Miranda *tom. 1. manual. præl. quæst. 32. art. 3.* Panorm. *in cap. Clerici de vita, & honestate Clericorum, numero 11.* Sà *in aphorismis, verbo Religio, numero 53.* Molina *disput. 140. pag. mihi 480. versu Idem dicendum*, Vega *pars. 2. sum. capite 86. casu 14.* Henriquez *lib. 7. de indulg. capite 16. num. 1.* qui alios citat *in comm. litera D.*

Dico primo, non licet Religioso extrà Conuentum ire absque licentia superioris, Nauar. *com. 4. de regular. n. 34.* Graff. *part. 1. decis. lib. 3. c. 5. n. 96.* Mitanda *tom. 1. manual. præl. q. 32. art. 2.*

Probatur *ex cap. Statuimus 19. q. 3. & c. Placuit el 2. & c. Monachi el 2. 16. q. 1.* Quale autem peccatum sit. Respondet Nauar. *loco cit. n. 35.* quòd ratione regulæ quorum statuta ad nullam culpam obligant, non esset peccatum; sed quia est contra ius commune, regulariter est veniale, vt habet etiam Graff. *p. 1. decis. lib. 3. cap. 5. n. 96.* Potest autem esse mortale ex contemptu: vel si sit contra præceptum speciale superioris; vel si etiam contra laudabilem, & toto rigore obseruatam consuetudinem, vt est in nostra Religione Minimorum, in qua graue quid existimatur, egredi Conuento absque licentia, & benedictione superioris, nec est, qui audeat, quantumuis priuilegiatus, hoc perpetrare; Vnde si quis in nostra Religione absque licentia egrederetur, talis egressus esset iudicatus ab omnibus maximè præsumptuosus, & non sine temerario contemptu, & per consequens omninò esset peccatum mortale. Quod forsan in

in aliis Religionibus non ita strictè obseruatur. Consentit Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 1. lib. 3. capite 1. numero 1.* Addit etiam Nauarr. quòd esset mortale, quoties fieret cum notabili scandalo, vel damno Monasterij.

An autem hæc licentia debeat esse expressa, vel sufficiat tacita. Dico cum eodem Nauarro *loco cit. num.* 34. Miranda *loco cit. conclus. 1.* quòd sufficit regulariter, quòd sit tacita: Nam eadem est vis taciti; & expressi, vt habetur *cap. ex Parte de rescriptis.* Nec etiam requiritur specialis, sed sufficit generalis: præsertim cum Procuratoribus conuentus, & aliis fratribus, qui quotidie ad necessitates Conuentus exeunt. In nostro autem Ordine, adhuc vsu non est recepta talis licentia tacita, nec generalis; sed requiritur necessario expressa, & specialis, & videtur rationi consonum, vt sciat superior, vbi sint Religiosi suæ curæ demandati: sicut Pastor scire debet, vbi pascant oues sibi creditæ.

Hanc autem licentiam exeundi, si dent Prælati absque necessitate, vel vtilitate, semper peccant, saltem venialiter; & Subditi eam importunis precibus extorquentes non minori culpa grauantur; vt notant prædicti Nauar. & Miranda.

Dico secundo Regulares extra conuentum, nunquam debent esse soli, sed semper debent habere Socium Panorm. *in Clem. ne in agro de statu Monachorum num.* 28. Antoninus *3. p. tit. 16. cap.* 8. § 2.

Probatur *ex dicta Clem. Ne in agro*, §. *Ad hæc*, vbi id habetur expressè. Et in regula nostra Minimorum, *numero* 19. Hæc, & antecedens conclusio expressè habentur.

Et *in num.* 20. Mandat circa hoc, vnum particulare B. Pater noster Franciscus dicens. *Insuper quandiu foris extiterint, alterum alter Correctoris vice fungatur.* Quòd est omnino diuinum: tum propter eum, qui Correctoris vices gerit. Memor enim, quòd superior debet ita se in incessu gerere, vt talis appareat; tùm propter eum, qui illi debet subesse; Quis enim nisi impudentissimus, ad sui superioris præsentiam, non omnia, quæ recta sunt, semper operabitur.

Dico tertio, iusta existente causa potest Regularis de licentia Prælati extra Conuentum degere Vega *2. p. sum. c. 86. casu* 14. Nauar. *com. 2. de regul. n.* 40. Panor. *in c. Clerici de vita, & honestate Cleric. num.* 11. Rodriq. *tom. 3. quæst. regul. q. 53. art. 5.* Miranda *tom. 1. manual. prel q. 32. art. 3.* Sà *verbo Religio, num* 53.

Probatur *ex c. Cum Pastoralis 2. quæst. 7. & c. placuit. 1. & 2. & cap. Monachi 1. & 2. 16. quæst. 1.*

Dixi iusta existente causa; quia sine illa, nec etiam Papa potest talem facultatem facere: Cum Regularis voto adstringatur ad stabilitatem perpetuam in monasterio seruandam: Et certum est, nullum superiorem, etiam Papam, posse in voto absque iusta causa dispensare vt Nauarrus Rodriquez & Miranda *loc. cit.* & habetur *capite Non est voti, de voto, iuncta Glossa verb. Adimplere.*

Iusta autem causa est vtilitas Monasterij, etiam indirecta, vt sit v. g. Procurator Patroni Ecclesiæ vel alicuius Episcopi: vel amici, qui monasterio profuit, prodest, aut quòd sit profuturus speratur, ita Nau. *dicto num.* 40. *versu* 2. *Quòd iusta causa.*

Secundo Causa iusta est ad studendum: vel etiam docendum facultates regularibus licitas. Nauarrus *loc. citat.*

Tertio est ad subueniendum parentibus inopia laborantibus, per ea, quæ diximus supra *c.* 9. & habent Rodriquez, & Mir. *locis cit.*

Quarto, ait Rodriquez *loc. cit.* posse Generalem facere facultatem fratri alicui inquieto, & insolenti, qui propter sua delicta condemnatus fuit ad triremes, ab his postea restitutus, vt possit heremiticam regulariter vitam ducere: vel in aliquo Hospitali, vel Ecclesia, præstita per eum obedientia Ordinario loci, seù Generali ipsi, ita etiam consuluit. Nau. *lib. 3. consil. de regul. consil.* 74. Et Ratio est, quia cum iste talis sit naturaliter inquietus, & insolens, si aliqui fratrum ei improperauerint sua delicta, non de facili eos sustinebit, & erit nouissimus error peior priore.

Quinto potest subditus de licentia superioris extra conuentum degere ad sanitatem procurandam, cum consilio Medici dicentis, illum extra Conuentum sanaturum: vel quia Conuentus aëris laborat intemperie: vel quia ita distat a Ciuitate, vt facile Medici non possit haberi assistentia: vel quia pauperrimus est, & omnia necessaria tali infirmo suppeditare non potest. Ita Rodriquez *loco citato* & Nauarrus *lib. 3. consil. de regul. consil.* 70.

Hic esset agendum, An Frater Minimus ratione infirmitatis, cum licentia Prælati possit extra conuentum degere, stante particulari decreto fœlicis record. Clem. VIII. Sed quia longiorem requirit disputationem, pro nostra Minimorum Religione, illud transfero in quæstionem de voto vitæ quadragesimalis.

Aduerto tamen, quòd quando dico, quòd potest Regularis in casibus supradictis extra Conuentum degere, debet intelligi, habitu retento; nam concedere talem licentiam, habitu dimisso solius Papæ est; vt ait Nau. *tom. 3. de regul. n. 49. & lib. 3. consil. de regul. conf. 72. num.* 2. Rodriq *tom. 3. q. regul. q. 53. art.* 6. Mir. *tom. 1. manual. q. 32. art.* 8.

Aduertendum vltimò supradicta esse vera de iure communi; sed pro nostra Religione Minimorum, exiit edictum à Sanctissimo D.N. Papa Paulo V. *Anno Domini* 1617. *die* 23. *Decembris*, intimatum P. Fr. Io. Pinæ de Celiis nostri ordinis tùm temporis Zeloso à R. D. Vulpiano Archiepiscopo, & congreg. Regul. Secretario tenoris sequentis.

Admodum Reuerendo in Christo Patri Procuratori Generali Ordinis Minim. Sanctissimus ordinauit mihi, vt notum facerem P. vestræ, quod prouideat, ne imposterum sub quocumque prætextu detur licentia suis Religiosis, extra Mon. vel domus, Conuentus, vel Collegia suæ Religionis permanendi; & si fortè fortuna nunc aliquis extra reperiatur absque licentia huiusmodi Sanctæ Sedis, ad claustra reuocetur. Insuper vt renouentur Ordines, quòd appellens aliquis suorum Religiosorum locum, vbi sint Monasteria, Domus, Conuentus, seù Collegia suæ Religionis, teneantur illuc recta ire & se illius Domus superiori consignare. Quod decretum intimatum est à dicto Patre Zeloso vniuerso ordini, *die 4. Febr. Anno Domini* 1618.

Per quod decretum videtur sublata potestas superioribus, facultates extra Conuentum degendi, ob prædictas causas, concedendi, in perpetuum, vel ad longum tempus, non autem ad breue.

Sed quæres, An post tale decretum, si Prælatus faceret alicui facultatem foras degendi, posset hic tuta conscientia remanere.

Respondeo. Peccaret quidem Prælatus, & esset arbitrio sui superioris puniendus (vbi enim lex non apponit pœnam, contrafacientibus, videtur Iudici arbitraria vt dicitur *in c. Nihil de elect.*) quia contrafecit statuto Papæ sed subditus potest tuta conscientia permanere, tum quia hic valet illa regula, *Multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent*: nam decretum non annullat licentias contra ipsum datas. Vnde videtur, solùm velle superioribus Timorem incutere, ne sint nimis faciles, in talibus licentiis concedendis; tùm quia Lex de nouo statuta à Principe, non derogat priuilegiis positis & insertis in corpore Iuris communis; etiam positis quibuscumque circumstantiis, & clausulis generalibus, nisi faciat de illis specialem mentionem, vt ait Bartolus citatus à Miranda *tom. 1. manual. prel. q. 45. art.* 6. Et Gloss. *in leg. 2. §. Legati ff. de re vendicata*, & probat Bonacina

multos

multos allegans *de Censur. disp.4 quæst.6. puncto 2.n.15.* Sed posse Prælatos concedere tales licentias, priuilegium est insertum in corpore iuris communis, vt patet *ex capitibus cit. in probatione nostra 3. conclusionis*; Nec in hoc edicto sunt aliquæ non obstantiæ; ergo.

CAPVT XXIV.

Vtrum liceat Subdito de vna Religione transire ad aliam.

DE hac quæstione agunt D. Thom. *2.2. quæst.189. art.8. in 4. dist.27. quæst. 1. art. 3. quæstiuncula 1. ad 3. & dist. 38. quæst.1. artic.4.quæst.3. ad 2.* Panorm. *in cap. Ex Transmissa de renunc. num.9. & 10. & cap. Sane de reg. per totum, & cap. Licet à num. 1.* Sylvest. *verb. Religio 4* Pisanella *Religio 5.* Nauarr. *com 4. de reg. à num. 10. & lib. 3. consil. de regul. à consil. 52. vsque ad 70.* Armilla *verbo Religio, num. 14.* Angelus *num. 34.* Antoninus *3. part. tit. 16. cap.4.* Reginaldus *in praxi lib. 18. à num. 112.* Azor *tom.1. instit. moral. lib. 12. cap. 14. & 15.* Rodriq. *tom.3. quæst. regul. quæst.52.* Mir. *tom.1. manual. quæst.31.* Graff. *1. part. decis. lib.3. cap.5. à num.98.* Sa *in aphoris. verbo Religio, num 35.* Quarantain *sum. Bull. verbo Monasteria Regularium, pag. mihi 434. versu Reuocatio indultorum*, Casarub. *in compend. priuil. mendic. verbo Apostatæ, præsertim numero 6. & 14. & verbo Recipere*, vbi à Sorbo, Stephanus Durantus *in quæst. iuris, quæst. 9.* Lessius *lib.2. de iust. capite 41. dub. 13. numero 100.* Passatellus *in not. priuil. Minim. notab. 39.* Sanchez *lib. 6. in decalog. cap. 7.*

Dico primo Transitus ad arctiorem Religionem Zelo maioris perfectionis, iure communi est licitus, petita à Prælato licentia, licet non obtenta. Dicunt omnes doctores cit.

Probatur *ex cap. Sanè, & cap. Licet regul. & cap. Statuimus, & cap. Mandamus 19. q.3.* & supponit Trid. *14. de refor. cap.11. & sess. 25. cap. 19.*

Dico secundo Superior, qui potest facultatem facere transeundi ad arctiorem Religionem, & à quo debet talis licentia peti, est Generalis in toto ordine, vel Prouincialis in sua Prouincia. Ita Angel. *verb. Religio numero 35.* Rodriquez *tom. 3. quæst. regul. quæst. 52. art. 3.*

Probatur, quia ad ipsos ordinariè spectat recipere fratres ad Religionem; sed per easdem causas dissoluitur contractus, per quas fit; ergo.

In iis autem Religionibus, in quibus priores conuentuales habent facultatem fratres ad ordinem recipiendi, poterunt prædicti priores talem licentiam concedere. Quo pacto intelligendi sunt Doctores dicentes, posse priores Conuentuales, hanc facultatem concedere, vt Nauarr. *com.4. de regul. num. 10.* Syl. *verb. Religio 4. q 3* & alij.

Vnde colligitur, quòd transiens ad strictiorem Religionem, non est admittendus absque literis Superioris Religionis, à qua transit, vt constat *ex c. Statuimus 19. q. 3.* Quare cum subditus absque his literis adit superiorem strictioris religionis, debet talis superior consulere superiorem Laxioris; interrogareque, an dederit licentiam, vel cur denegauerit; & tunc si nullam, aut manifestè iniustam denegationis causam assignet, poterit securè ipsum ad strictiorem admittere; si verò iustam assignet, & Religiosus velit eam incontinenti probare falsam, non est huius Superioris causam discutere, sed ille non est admittendus, donec causa coram superioribus Prælati decisa sit, & transitus ab eo approbatus, ita Innoc *in c. Licet de reg. num.5.* Sanchez *6. in decal. c.7. num. 39.*

Neque in his obstat extrauagans Pij Quinti edita *Anno 1569.* quæ incipit *Quacumque Sacrarum*, quam refert Cherub. *in suo Bull. tom.2. in Pio V. constit. eius 89. pag. mihi 290.* In qua præcipit, non posse recipi, neque retineri ab vlla Religione Fratres alterius ordinis, sed statim debere ad proprios ordines remitti. Non enim agit de transeuntibus secundum iuris communis dispensationem; sed tantùm de fugitiuis, & Apostatis, qui sine licentia à suis superioribus petita, se ad alias Religiones transferre volunt ob iurgia, contentiones, leuitates, & malefacta. Itaque hæc extrauagans non tangit eos, qui laudabiliter de vna Religione transire volunt ad aliam, vel Zelo perfectioris Religionis; vel propter declinationem suæ Religionis à debita perfectione; vel propter infirmitatem, aut debilitatem. Quæ tria sigillatim iustificant (iuxta D. Thomam ab omnibus receptum *2. 2. q. 189. art. 8.*) Causa cuiuscumque transeuntis. Sic intelligunt hanc extrauagantem Nauarr. *lib. 3. consil. de reg. cons.88* in casu, quo quidam Carmelita transferat ad nostram Religionem Minimorum. Probat enim non obstante prædicta extrauaganti, posse in Religione Minimorum permanere; quia in ea non est receptus vigore alicuius priuilegij particularis, concessi à Sede Apostolica fratribus Minimis contra Ius commune, vt possent recipere Apostatas (licet etiam hoc priuilegium haberemus concessum à Iulio II. *anno 1506. Quinto Kal. Augusti*, in Bulla, quæ incipit *Dudum*, & habetur *in nostris priuilegiis, pag. 62.* Cui tamen per dictam extrauagantem Pij V. est sufficienter derogatum) sed est receptus in ea virtute iuris communis, quo licet omnibus de Religione laxiori ad arctiorem transire. Sic etiam intelligunt eamdem extrauagantem Rodriquez *tom.3. q.reg.q.52. art 8.* Mir. *tom.1. manual. q.31. art. concl.1.* Sanch. *6. in decal. cap.7. num 1.*

Dico tertio, ad solum Papam pertinet concedere licentiam transeundi ad Religionem æquæ strictam; quando nulla talis transitus adest legitima causa. Ita Anton. *3. part. tit.16. cap.4. ad finem principij*, Rosella *verbo Abbas, num. 3.* Angelus *verb. Religiosus, num. 34.* Sylu. *verbo Religio 4. quæst. 2.* Tabiena *quæst. 23.* Azor. *tom.1. inst. moral. lib. 12. cap.14. quæst. 9.* Sanch. *6. in decalog. cap.7. num 64.* Mir. *tom. 1. manual. q. 31. art.5. concl. 2. fine.* Quæ licentia Pontificis sine causa obtenta excusat etiam quò ad Deum, vt Angelus, Sylu. Miranda *loc. cit.*

Probatur, quia per supremam potestatem, quam habet summus Pontifex, videtur hoc illi esse concessum etiam nulla existente legitima causa, cum præsertim Dei parum referat, vtrum hoc vel illo loco ei debita soluantur. Et hoc non vergat in præiudicium tertij.

Dico quarto, Legitima causa existente, potest per se solus Prælatus Religionis, quem diximus *conclus. 2.* facere facultatem transeundi ad æqualem Religionem, ita Panorm. *in cap. non est, de regul. n.6.* Rodriq. *tom.3. q. regul q.52. art.9.* Sanch. *6. in decalog. cap. 7. n.65.* Mir & alij cit. *conclus. praced.*

Probatur ex Gloss. *in c. Cum singula de prebendis, & dignitatibus, verbo Canonicè*, quæ ad hoc affert *caput statuimus 19. q. 3*

Dico quinto, concedere facultatem transeundi ad laxiorem Religionem sine causa, est solius Pontificis quoad forum externum tantum; ne molestia inferatur transeunti; nam quoad forum internum, prædicta licentia non valebit, & etiā ipso facto nulla; & peccabit tàm concedens, & ea vtens, quàm qui eam scienter procurauit, ita Abbas *in c. Non est, de regul. n.6.* Angelus *verbo Religiosus, n.34. in principio*, Sylu. *verbo Religio 4. q. 2.* Rosella *verb. Abbas, n.3.* Tab. *verb. Religio 4.23.* Rodriq. *tom.3. q. regul. q.52. art.10.* Nau. *tom 4 de regul. num. 10. versu secundò addo*, Sanch. *lib.6. in decal. c. 7. n. 67.* & alij, quos ipse citat *num. 51.*

Probatur, quia dispensatio circa legem dependentem à iure diuino, vt in casu nostro, non potest à Pontifice

fieri

fieri fine iusta, & legitima causa, vt habet in specie Rodriquez *loc. cit.* sed hic interuenit dispensatio, ergo.

Dico sexto, concedere facultatem transeundi ad laxiorem cum legitima causa, est probabile, posse etiam Prælatum Religionis, ita Abbas, Sylu. Angelus, Tab. *locis cit.* Nauar. *lib. 3. consil. de reg. consil. 56. num. 1.* Rodriq. *cit. art. 9.* vbi multas causas legitimas, & sufficientes, affert, Sanch. *loc. cit. num. 68.* Mir. *tom. 1. manual. q. 31. art. 5. concl. 3.* Et hoc, etiamsi ad Pontificem sit facilis aditus vt Ang. Syl. Tabiena Sanchez debet semper tamen intercedere consensus conuentus, à quo transit vt Rosella *verbo Abbas, num. 4.* Syl. Tab. Ang. *loc. cit.* Sanch. *n. 70.* Lessius *lib. 2. de iustitia, c. 41. dub. 13 num. 103.* Qui etiam affert causas legitimas talis transitus, *num. 102.* quas & refert, Sanch. *n. 71.* & Diana *tom. 3. tract. 2. resol. 43.* vbi quatuor huiusmodi causas assignat.

Dixi, hoc esse probabile propter tot Doctorum sententiam. Cæterum mihi probabilius videtur, hanc licentiam transeundi ad laxiorem Religionem, solùm Summum Pontificem posse concedere. Quia continet quandam dispensationem in solemni voto; & est opinio securior in conscientia; immò in praxi ita seruatur. Hanc tenent multi Doctores, quos refert Sanch. *loc. cit. n. 52.* præsertim Cordi: ba *in regula Diui Francisci, c. 2 q. 17. p. 1.* & est conformior Conc. Trid. *sess. 25. c. 19.* quatenus dicit, quòd *nemo Regularis cuiuscumque facultatis vigore transferatur ad laxiorem Religionem.* Licet id explicent de transitu fine causa, Nauar. *lib. 3. consil. de regul. consil. 56. num. 3. & consil. 53. n. 1.* Graff. *1. part. decis. lib. 3. cap. 5. num. 99.* Sayrus *decis 55. de regul.* Lessius, & Sanchez *locis cit.*

Cæterum eum omnes ferè Religiones habeant sua particularia priuilegia prohibendo huiusmodi transitum, etiam ad arctiorem, vt est videre apud Casarub. *in compend. priuil. verbo Apostata, & verbo Religio*; & apud Atmillam *verbo Religio, num. 14.* Ad euitandas censuras in eiusmodi priuilegiis positas, tàm contra receptos, quam contra recipientes, consultum est; vt volentes Zelo perfectioris vitæ transire; obtineant licentiam à Pontifice: vel à Sacra Congregatione Regularium. Vt deciditur in *cap. licet statim in princip. de reg.* & dicit Sanch. *lib. 6. in decalog. cap. 7. num. 10.* Quod nunc videtur omnino necessarium post Bullam Sixti V. quæ incipit, *Immensa æterni Dei*, emanata *anno 1588. die 23. Martij*, quam refert Quaranta *in sum. Bull. verb. Congregationes Illustrissimorum Cardinalium*, in qua instituens diuersas Congregationes; *in institutione Congregationis pro consultationibus regul. versu; Nec Sane minus*, tribuens dictæ Congregationi varias potestates, & facultates circa illos, inter cætera ait. *Concedimus etiam, vt dictis regularibus non ad laxiorem, nec ad parem, sed ad arctiorem Religionem transeundi, iis, quos feruore Spiritus incensos, ad perfectioris vitæ statum transire velle constiterit, obstantibus quibuscumque prædecessorum nostrorum decretis licentiam dare possint.* Vnde videtur sequi, quòd facultatem abstulerit Prælatis Regularium hanc licentiam concedendi, Ad quid enim eam concedere Cardinalibus, si possunt Prælati Regulares? Nisi dicamus, eandem facultatem Prælatis Regularium iure communi concessam, voluisse dictæ Congregationi participare, vt regularibus licitum esset, tùm à propriis Prælatis, tum, à dicta Congregatione licentiam petere.

Dico septimo, illa Religio simpliciter strictior dicitur, quæ seruat duriora, & arctiora statuta. Ita Ioannes Andreas *cap. Sanè num. 8. ad finem de regul.* vbi Abbas *n. 5.* Rosella *verbo religio 4. n. 8. fine*, Angelus *verbo Religiosus, n. 34* Passarellus *in priuilegiis Minim. notab. 39.* Lessius *lib. 2. de iustitia, cap. 41. dub 13. num. 100. versu dico arctiorem*, Azor. *tom. 1. institut. moral. lib. 12. c. 14. quæst. 2.* Rodriquez *tom. 3. q. regul. q. 32. art. 4.* Sanchez *lib. 6. in decalog. cap 7. n. 21.* Reginaldus *lib. 18. in praxi num. 414.*

Probatur Primò, *ex cap. Licet de regul. & cap. Virgines 20. quæst. 4. in quibus cap.* expressè habetur, quòd hic transitus tantummodò fit licitus intuitu strictioris, & durioris Religionis.

Secundò Probatur, quia *Extrauagans viam ambitiosæ de regul.* concedit omnibus mendicantibus, Vt possint transire ad Carthusiam; & omnibus Religionum priuilegiis denegantibus transitum ab illis ad aliam Religionem semper excipitur Carthusia; Cum tamen hæc non sit perfectior cæteris, quò ad finem, vt potè, quæ nullatenus est instituta ad vacandum saluti spirituali proximorum, sed soli orationi, & silentio, cum arctissima clausura; ergò iura solum respiciunt maiorem asperitatē.

Nota tamen, quòd ad iudicandum, quæ Religio sit arctior, & asperior, non est spectanda regula in sua primæua institutione, sed in præsenti obseruantia? Nam potest accidere, quòd regula in sua primæua constitutione sit lata, & deinde per adiunctas constitutiones reddita sit arctior, & durior & è contra, vt bene Aduertunt Abbas, Rosella *locis cit.* & Sanchez etiam *cit. numero 23. 24.*

Ex quibus colligitur, quòd de iure communi licitum erit ex omni alia Religione ad Religionem Minimorum transire: cum hæc propter perpetuam quadragesimalem vitam sit arctissima omnium Religionum, vt declarauerunt summi Pontifices Iul. II. & Leo X. in priuilegiis, quæ afferam §. *seq.*

Fallit tamen hæc regula in Minoribus de obseruantia, per priuilegium Iulij II. datum *die 9. Iulij*; *Anno 1510.* quod incipit, *exponi vobis*, & habetur *in priuilegiis Minimorum, pag. 103.* Refert etiam Casarubius *in priuilegiis Mendicantium, verbo Recipere, num. 10.* vbi prohibentur fratres Minimi sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, aliquem fratrem Minorem de obseruantia recipere, vel retinere.

Fallit etiam hæc Regula in Capuccinis, per priuilegium Pij V. datum *die 6. Octobris Anno 1567.* quod incipit *Sedis Apostolica Solertia*, & habetur *in priuilegiis Minimorum, pag. 231.* & refert Capuccinus *ad finem priuilegiorum Mendicantium, pag. 546.* vbi prohibetur transitus Capuccinorum ad Minimos, & è contra.

§. I.

Vtrùm Religio Minimorum sit arctior Religione Carthusianorum.

Dicendum est simpliciter, & absolutè, Religionem Minimorum esse strictiorem Religione Carthusianorum, & per consequens strictissimam omnium, quæ hucusque sint in Ecclesia Dei. Ita Passarellus *in priuil. Minim. notab. 39.* Ricciulus *de iure personarum*; *lib. 8. cap. 7* vbi id ex professo probat; addens *num. 5. in fine*, bane conclusionem propter declarationes summorum Pontificum, quas afferam, non esse vlteriùs sub disput. reuocandam Barbosa *in cap. licet de Regul. numero 21.*

Probatur primò ex Bulla Iulij II. emanata *die 27. Martij 1508.* quæ incipit *Sacer ordo*, & habetur *in compendio nostrorum priuilegiorum, pag. 86.* in qua hæc inter alia habentur. *Et cum vita Ordinis Minimorum huiusmodi sit cæteris aliorum Religiosorum arctior, & strictior sub excommunicationis latæ sententiæ pœna mandamus, quam tam recipientes, quam recepti, & concedentes ipso facto incurrere debeant, quod fratres ipsi ad nullum alium, quantumlibet etiam priuilegiatum ordinem, prætextu quorumcumque priuilegiorum cuicumque alteri ordini, etiam sub quacumque verborum forma quomodolibet concessorum, absque nostra, & Generalis Correctoris licentia speciali transire possint.*

Secundò,

Secundò, probatur ex alia Bulla Leonis X. quæ incipit, *quamvis alias*. Emanata *Anno* 1516. *die* 18. *Augusti*, & habetur *in dicto compendio pag.* 118. in qua, Commemorans Papa dictam Bullam Iulij II. ait, *Quamvis aliàs Iulius II. prædecessor noster, prouidè considerans, quòd vita & obseruantia Ordinis Minimorum, cum sit continua vita quadragesimalis, tàm in Conuentibus, & domibus huiusmodi, quàm extra, Cæterorum quatuor mendicantium Ordinum, & aliorum Religiosorum sit arctior, & strictior.* Per quæ verba (*Et aliorum Religiosorum sit arctior, & strictior*) sine dubio voluit etiam Summus Pontifex excludere Carthusiam, quæ non est ex Religionibus mendicantibus, quam etiam exclusit Iulius Secundus per illa verba (*Ad nullum alium quantumlibet etiam priuilegiatum Ordinem*) sicut erat ordo Carthusiensium *per extrauagantem viam Ambitiosæ, de regularibus.* Quorum verborum vniuersalium, & indefinitorum hæc est vis, vt includant etiam illas Religiones, de quibus erat facienda expressa mentio, vt per multos textus probat Ricciulus *loco cit. num.* 9.

Tertiò probatur ex communi omnium sensu, statim enim ac quis audit, fratres Minimos obseruare quadragesimalem vitam, caperat frontem, stringit dentes, eleuat humeros, & compatiendo dicit, hæc quidem Religio est omnium strictissima; & quidem meritò: nam vt ait D. Paulus ad Ephesios 5. *Nemo vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit, & fouet eam*, natura sic dictante, & inclinante, sed appetitus naturales domare est maximè arduum, & durum; ergo Religio nostra, quæ appetitum hunc naturalem fouendi, & nutriendi propriam carnem coërcere, & domat, erit omnium strictissima. Cum nulla alia Religio reperiatur, quæ hoc specialiùs, & principaliter intendat.

Quartò, quia ad vitam quadragesimalem se obligant Minimi per votum solemne, quod nulla alia Religio facit neque Carthusiana: quod vinculum nulla potest, quantumuis arcta constitutione compensari.

Obiicies primò, *extrauagantem viam Ambitiosæ inter communes primam de regularibus*, in qua Pontifex, prohibito transitu omnibus mendicantibus ad monachales Religiones, illum eis liberum concedit ad Carthusianos, vt potè strictiores omnibus.

Respondeo primò, siuè *illa extrauagans* (*Viam*) sit Martini Quinti, vt multi eam citant, siuè Martini IV. vt alij, & in titulo ipsius extrauagantis dicitur Martinus Quartus emanata est antequàm Religio Fratrum Minimorum instituta esset; nam Martinus V. rexit sedem ab Anno 1417. vt Platina *In eius vita*, & Bellarminus *in sua Cronologia illo anno*, & vixit in Pontificatu *annos* 13. *& mensem decem.* Martinus verò Quartus rexit sedem *ab anno* 1281. vt idem Bellarminus, & Tursellinus *in sua epitome illo anno*; B. verò Pater Franciscus natus est *anno* 1417. & ordinem Minimorum instituit *anno* 1435. Vnde non est mirum, si Pontifex Martinus concesserit transitum ad Carthusianos, qui tunc temporis erant strictiores omnibus.

Secundò Respondeo, *illam extrauagantem*, quòd ad nos Minimos satis fuisse antiquatam per Bullas Iulij, & Leonis in quantum ad transitum.

Sed contra primam responsionem obstabis, nam lex, quæ perpetua est, non solùm obligat eos, qui nati erant, eo tempore, quo ipsa lata est, sed etiam eos, qui nascentur toto tempore, quo ipsa durabit; Hæc autem lex est perpetua, ergo.

Respondeo, quandò lex etiam perpetua est facta propter aliquem finem, ipso cessante, debet etiam ipsa cessare, vt dicitur *l. Quòd dictum ff. de pactis*, & habetur *cap. cum cessante, de Appell.* sed huc priuilegium fuit concessum Carthusianis intuitu solùm vitæ strictioris, vt habet Sanchez *lib. 6. in decalog. cap. 7. n.* 21. Quia nimirùm tunc temporis nulla Religio strictior Carthusia reperiebatur; ergo cum alia strictior ipsa superuenerit, debet omninò illud priuilegium cessare. Sicut si nunc orietur io Ecclesia Religio strictior nostra, iam nostra non posset dici strictissima omnium non obstantibus declarationibus Iulij II. & Leonis X.

Obiicies secundò, Nauarrus *tom. 1. consil. lib. 3. de regul. consil.* 51. probat, Religionem Carthusianorum esse strictiorem Religionem Minimorum, *Quia*, inquit, *Carthusiani non comedunt carnes neque ægritudinis tempore; quod tamen faciunt Minimi.*

Respondeo primò, Carthusiani omni tempore vescuntur ouis, & lacticiniis; Minimus autem de his nullo tempore licitum est gustare. Quod si diligenter trutinetur, apparebit; quòd nunquam comedere Carnes, nec lacticinia, nisi tempore infirmitatis erit sine comparatione multo grauius quàm comedere omni tempore oua, & lacticinia, & nunquam comedere carnes; tum quia si corpus nunquàm infirmetur, nunquam comedentur carnes; tùm quia cibi quadragesimales extenuant vires, debilitant corpus, sanitatem frangunt, si non, dicant, qui experiuntur; At verò abstinentia perpetua à carnibus de se graues infirmitates non inducit, vt dicit Io. Medina *cod. de ieiunio, q.* 13. *§. Est tamen dubium ad* 4. Quia caro non est simpliciter necessaria ad tuendam, & conseruandam vitam; vt optimè probauit Arnoldus à Villanoua Doctissimus medicus ad instantiam Carthusianorum; sicut refert Io. Antonius Guercius Monachus Carthusianus *lib. 1. de elect. vitæ perfectæ, colloq.* 11. *pag. mihi* 116. Antoninus 3. *part. tit. 16. c. 6. §.* 5. Quòd prius Arnoldo probauerat Plutarchus *opusc. de sanitate tuenda.*

Itaque nos Minimi comedimus carnes, quandò eas comedere non possumus, gustu deprauato: & eas comedimus, quandò est necesse pro tuenda vita, & restauranda sanitate, quam sanitatis restaurationem, & vitæ tuitionem iure naturali diuino tenemur procurare: ergo erat necessarium pro tempore infirmitatis, strictissimum vitæ quadragesimalis votum relaxari, alioquin indiscretum, & contra naturam fuisset. Carthusiani autem præterquam quod nunquàm comedere carnes, non habent sub voto; & aliqui etiam dicunt, quod comedendo mortaliter non peccant; Quod tamen non credo, saltem ratione consuetudinis introductæ, nullam talem necessitatem patiuntur: tùm quia oua, & lacticinia non ita debilitant vires, nec frangunt sanitatem: tùm quia si in aliquam infirmitatem inciderint, possunt optimè ab ea reparari ouis, & lacticiniis, suppositis aliis medicaminibus, iuxta artem medicam, vt dixi. Quod si non possent vitam his mediis conseruare, tenerentur etiam ipsi carnes comedere, vt bene docet Medina *loco cit.* saltem secluso scandalo.

Secundò; Ad argumentum respondeo, quòd nos Minimi comedamus carnes tempore infirmitatis, non facit quòd Religio nostra non sit strictior Carthusianorum. Nam laxitas, vel austeritas Religionis non est mensuranda ex eo, quod obseruatur in casu aliquo particulari, sed ex eo quod obseruatur in vniuersali; vt colligitur ex optima Doctrina D. Thomæ *quodlib. 3. art. 11. & 14.* Generaliter autem in tota nostra Religione sit solemne votum vitæ quadragesimalis, & cum toto rigore obseruatur, ita vt reperiantur aliqui sexagenarij in Religione, qui nunquam illud fregerunt. Quòd autem tali casu, nimirum infirmitatis non obseruetur, non minuit de austeritate voti, nisi id, quod est necessarium ad hoc vt indiscretum, & contra naturam non sit.

Concessit itaque Sanctus Pater hanc indulgentiam infirmis, quia cum Religionem suam fundasset in charitate, eamque illi in insignia dedisset, sciebat, quòd tempore infirmitatis, iura tùm diuina, tùm naturalia, tùm humana ægrotis laxant habenas, quò ad corporis sanitatem restaurandam; ideoque illi visum est hoc sini suæ Religionis esse omninò necessarium. Ac si dixisset Filij agite pœnitentiam, quando per vires potestis; quando autem infirmi estis, vires recuperate, vt eas iterum ad gloriam

gloriam Dei, & animarum vestrarum salutem implicebis. Legerat enim illud Cassiani *collat. 2. cap. 2.* vbi ait *Innumeros sæpè accerimè ieiuniis, & vigiliis incumbentes arreptum opus non potuisse congruo exitu terminare, summumque fervorem, & conversationem laudabilem detestabili fine conclusisse.*

Ex his igitur patet, quòd Religio Carthusianorum ex hoc non est strictior Religione Minimorum, sed laxior. Quod etiam video sentire Lessium *lib. 2. de iustit. c. 41. dub. 13. n. 100. versu, dico arctiorem*, & Reginaldum *in praxi, lib. 10. n. 414.*

Obiicit tertio, Nauar. *eodem loco*, sibi iocertum esse, an Minimi obseruent vitam quadragesimalem sub voto, & dato quòd obseruent, parùm referre, an talis abstinentia obseruetur sub voto speciali, & expresso, an generali, & tacito quo vouetur Regula id continens.

Respondeo ad illud de incertitudine, esse mirabile, Doctissimum Nauatrum, qui interrogatus manè, respondebat vesperi, & qui tantam familiaritatem habebat cum fratribus Minimis, vt ex consiliis pro ipsis datis appatet, tam diu fuisse in hac incertitudine, ex qua præiudicium vni Religioni resultabat, ablegenda. Vndè meritò *Anno 1618.* ad instantiam Admodum Reuerendi Patris Io. Pinæ de Celiis nostri Ordinis Zelosi, Sanctissimus in Christo Pater Papa Paulus V. ordinauit, hoc loco Nauarrum esse corrigendum. Ad illud, quod dicit, *parùm referre, &c.* Respondeo, multum referre ad religionis arctitudinem, an aliquid obseruetur sub voto solemni, an verò sub simplici constitutione. Nam vota obligant strictiori vinculo, quàm constitutiones, & obligant etiam eiectos, quos tamen non obligant constitutiones, vt Sot. *lib. 10. de iustitia, quæst. vltima, art. vlt.* & Nauarrus ipse *tom. 3. de regul. n. 46.* & communiter alij.

Obiicies quarto, Nauar. *eodem loco* Carthusianos obseruate maxima Silentia, & strictissimam Clausuram, officiaque longiora canere.

Respondeo primo, Abstinentiam à carnibus esse præcipuam constitutionem, propter quam obtinuerunt à Pontificibus priuilegium illud, recipiendi omnes ex quocumque ordine ad ipsos conuolantes, vt habet Vasq. *1. 2. disp. 162. cap. 4. n. 23.* Vndè, destructo principaliori fundamento, facilè ruit id, quod est minus.

Respondeo tamen secundo ipsos, vt audio, non obseruare amplius illa Silentia perpetua, quæ in sua primæua institutione dicuntur obseruasse; nam comedunt, & colloquuntur simul singulis diebus Iouis, & festiuis, tam celebratis ab vniuersali Ecclesia, quàm ipsis in particulari hoc tamen cum prudenti dispensatione Pontificum: quibus diebus etiam ad honestas, & Religiosas pergunt recreationes. Quò ad officia verò in Choro, vt audio, non recitant, nisi matutinas, & vespertinas horas, quæ omnia sunt rigida quidem, & austera; sed si nostris hæc sunt aliquando arctiora statuta, ea compensamus cum molesta, & fastidiosa mendicitate, & paupertate, quæ est tàm extrema, vt credi vix possit: labore prædicationum, & confessionum; Addo, quòd nos etiam silentia seruamus à completorio, vsque ad primam. Quinquies infra dies, & noctem chorum contendimus. Bis in hebdomada, vltra ieiunia vniuersalis Ecclesiæ, ieiunamus; & vlteriùs à 2. die Nouembris, vsque ad diem Natalis Domini. Sed quando hæc non sufficerent, ad illam clausuram, & silentia compensanda; nihil est quod possit adæquare vitam quadragesimalem, eamque paupertimam, & miserrimam.

Obiicit quinto Nauarrus, Iuliom Pontificem, quando dicit, nostram Religionem esse cæteris arctiorem, loqui de mendicantibus, & addit, statuta Minimorum, quæ non tangunt tria vota essentialia, ad nullam culpam obligare.

Respondeò, ad hæc iam patere ex dictis prima, & secunda probatione nostræ conclusionis, quæ si vidisset Nauarrus, aliter locutus fuisset; quod etiam fecisset Azor. qui cum Nauarro, licet satis irresolute sentit, *tomo primo instit. moral lib. 12. cap. 14. q. 14.* & Miranda *tom. 1. manualis, q. 31. art. 10.* Adeat curiosus Lector nostrum Correctorium, *n. 18. & n. 86.* & videbit, an votum solemne vitæ quadragesimalis obliget ad culpam, nec ne.

Obiicies sexto Capuccinis & Minores de obseruantia sunt strictiores Minimis, quia viuunt in extrema paupertate, tàm in communi, quam in particulari: Induunt vestes illas rudas, & asperas, absque subuculis, & sine calceis, & caligis omni tempore per glacies, per niues, per frigus incedunt, quod horrorem, & compassionem maximam generat.

Respondeo, hæc esse quidem ardua statuta, at per hoc non faciunt Religionem Capuccinorum, & Minorum strictiorem nostra Minimorum. Ad illud enim de paupertate dico, quòd viuere in paupertate particulari, & in communi, ita vt nihil possit retineri, nec etiam in communi, nihil facit ad austeritatem Religionis; nam censentur ab omnibus Carthusiani esse strictissimi, & tamen magnis abundant diuitiis, necessariis tamen, ita vt nihil penitus quærtuent. Et D. Tho. 2. 2. q. 188. art. 7. ait, quòd habere aliquid in communi non minuit, de perfectione Religionis, nec ex eo, quòd paupertas maior in vna, quàm in alia, facit Religionem simpliciter perfectiorem. Addo, nos, qui proprium in communi possumus habere, habemus hoc proprium, ita tenue, *vt cogamur admodum perfricta fronte esse ob ventris esurientis necessitatem*, vt loquitur Chrysost. *homil. 68. ad populum Antiochenum.* Vnde puto, quòd diuitiæ in communi sufficientes pro numero Religiosorum, maximè conducant ad obseruantiam regularem, tolluntur enim hoc pacto vagationes fratrum, commercia cum sæcularibus, peruasæ Religiosis noxia, & multi alij abusus, qui quotidie visuntur in Religionibus, quæ precario victitat. Quare meo iudicio vnicum remedium reformandi Religiones illud esset, dare illis fæculares sufficientes pro sustentatione fratrum, qui in singulis Conuentibus degunt: vel illis prohibere, quòd non possent recipere ad habitum, nisi eos fratres, quos commodè possent sustentare, quo pacto desinerent, fieri in Religionibus tàm rabiosæ quæstuationes pro illarum sustentatione. Vide Rodriquez *tom. 3. quæst. Regul. q. 29. art. 14. col. 5. & 6.* Nec per hoc absolute damno quæstuationes, nam ipsis datur crebriùs deuotis amicia, & fidelibus occasio, eleemosynas faciendi, & consequenter merendi: & quæstuarij fratres etiam ipsi multùm merentur, & obedientiam faciendo, & quòd maximum duco, eleemosynas petendo; *Nam non leui mercede emit, qui precatur*, vt ait Apuleius: & Seneca *lib. 2. de benefic. c. 1. Nulla res carius emitur, quàm qua precibus empta est.*

Ad illud de rudo vestitu, & pedum nuditate, respondet D. Thom. *2. 2. q. 188. art 6. ad tertium*, quòd *ad continentiam*, propter quam hæc fiunt, *efficacius ordinatur maceratio carnis per abstinentiam cibi & potus, quæ pertinent ad famem, & sitim, quàm per substractionem vestium, quæ pertinent ad frigus, & nuditatem*, & Caiet. ibi ait, *Attende quòd non exempli tantùm, sed veritatis doctrinam continet; nam pauperes nudos vacare generationi videmus, & similiter laborantes continuè laboribus maximus, vacare etiam generationi perspicimus; famelicos autem, & sitibundos nequaquam, iuxta illud sine Cerere, & Baccho friget Venus. Conuenientius ergo medium ad Continentiam seruandam est abstinere à cibo, & potu, quàm carere caligis, aut calceis*, Ad quod facit etiam illud Gregorij *lib. 5. in primum regum, cap. 14. Abstinentia ciborum contra hoc vitium fortissima est; si enim ignis libido est, subtrahis igni materiam, cum cibos subtrahis.*

Tandem noto pro iis, quæ possent, hic replicari, quòd tres sunt inimici nostri, Dæmon, Mundus, Caro, Ad quos debellandos ingrediuntur Religiosi Religionis vallum; Dæmonem vincere nos docet Apostolus Petrus *sua 1. Epistola, cap. 4. Christo igitur in carne passo, vos eadem cogitatione armamini.* Mundus fugiendo vincitur, vnde Bernardus *serm. 40. in Cantica. Sede*, ait, *solitarius vt rursus* ... *nihil*

nihil ibi,& tu ibi,nihil cum multitudine caeterorum:etiam ipsum oblivisceré populum,& domum patris tui,& concupiscet Rex decorem tuum. At caro, molestissimus hostis semper nobiscum, & venit & dormit difficillimè superatur. Est velut effrænus equus, qui vix domatur inedia,& propterea cibi ad illum domandum sunt quadragesimales, vt vniuersalis censet sensus Ecclesiæ. Et addo illud Psalmi 108. *Caro mea immutata est propter oleum*, idest ex calidissima, eaque libidinosissima complexione factus sum complexionis frigidissimæ,& continentissimæ, comedens Quadragesimales cibos, qui oleo solo condiuntur, vel comedens multum olei; Scio Glossam, & alios hunc locum aliter applicare:nimirum *propter oleum idest propter defectum olei*; at volui sequi vulgatam; & hoc pacto explicare,suffultus authoritate Doctissimi Galeni,qui *lib.2. de simplicium medicament. facult.c.22.*ait, *Vnde merito* (loquitur de oleo) *velut materia quadam caeterorum fuerit medicaminum,nam si frigida illi commisceas,frigidum efficietur illud, quod mixtum, erit,sin calida, calidum*; At omnia quadragesimalia; quibus nos præsertim iuxta nostram pauperiem vtimur, humid ssima, & frigidissima sunt, pisciculi, caules, herbæ, &c. Quæ condita oleo,non est mirum,si robustissimam complexionem commutent in maximè infirmam,&per consequens continentem.

Ex quibus omnibus constat,non solùm posse ex omnibus Religionibus (seclusis priuilegiis Minorum, & Capucinorum,de quibus diximus)sed etiam ex Carthusiensibus, quoscumque zelo maioris perfectionis, ad nostram Religionem transire. Nos autem Minimos ad nullam, neque etiam ad Carthusiensem posse Religionem transire.Quod etiam collegit Ricciulus *loco cit. num. 11.*

§. II.

An Laudabile sit de vna Religione transire ad Aliā.

Dicendum est, transire de vna Religione ad aliam, nisi propter euidentem vtilitatem,vel necessitatem, non esse laudabile, ita D.Thom *2.2. q.189.art.8.*

Primo, quia *Apostolus 1.Corinth.7.*dicit *Vt vnusquisque permaneat in vocatione, qua vocatus est.*

Secundo, quia ex hoc transitu, vt plurimùm scandalizantur illi, qui relinquuntur.

Tertio, quia facilius quis proficit in Religione, quam consueuit, quam in illa, quam non consueuit, ait enim Cassianus coll. 14. capite 5. *Vnicuique vtile est secundùm propositum, quod elegit, vt summo studio, ac diligen ia ad operis arrepti perfectionem peruenire festinet, & nequaquam à sua, quam elegit, simel, professione discedat.*

Quarto, quia Bernard. *de precepto, & dispens. propè finem ait. Fortè vult aliquis de Cluniacensibus institutis ad Cistercensium se se stringere paupertatem, eligens prae illis, nimirum consuetudinibus, magis regula puritatem Si me consulit, non consulo, si non fanè id Abbatis sui vsurparit assensu. Primo propter scandalum ipsorum, quos deserit. Deinde, quia certa pro dubiis relinquere, tutum non est. Tertiò suspectam habeo leuitatem, qua id fapit, quòd facile volumus, antequam probemus, expertè iam volumus, vno propriè momento idipsum, & capientes, & respuentes, tàm leuiter, quàm, & irrationabiliter. Quales vtique non paucos frequenter experimur, qui vna vix hora in vna voluntate durantes, aura leuitatis impulsi, vagi & instabiles hac & illac velut ebrij nutant, mutantque pro experimento iudicium; immò sine iudicio fluctuantes, & tumultuantes,tot de se consilia præsumunt, quae loca remfunt, semper quod non habent cupientes, & quod habent fastidientes.*

Et verè maximum est leuitatis, & instabilitatis, ne dicam ingratitudinis indicium,priorem matrem,cuius vbera suxta sunt, deserere, cum præsertim nulla sit tàm relaxata Religio, quæ viros,multos exemplari vita, Religiosis moribus, & sanctitate refertos non nutriat, vt experientia constat; non nego tamen,quòd vna plures,quàm alia non alat, sed hoc nihil facit; nam decet Religiosum exempla perfectionis non à multis, sed ab vno vel paucis expetere, vt optimè Cassianus *lib. 4. de institutis, cap.40. Ad quod, ait, vt valeat facilius peruenire,exemplatibi sunt imitationis, ac vita perfecta, in congregatione commoranti. à paucis, immo ab vno,vel duobus,non à pluribus expetenda: Nam præter id quod examinata vita, Et ad purum excocta reperitur inpaucis, etiam istud ex hoc vtilitatis accedit, quod ad perfectionem propositi huius, idest cœnobialis vita, diligentius quis vnius, ac formatur exemplo.* Cum ergo nullus sit Conuentus, qui vnum saltem Religiosum non nutriat vitæ exemplaris, plus proficiet, si voluerit, quis huius exemplo in sua Religione,quam si transierit ad aliam, in qua multi tales reperiantur.

Quæres primo an oblati,& conuersi possint zelo perfectionis Religionis, etiam ipsi strictiorem transire, non posse, tenent Glossa *in cap.vt lex continentia verbo professi in fine 17. q. 1.* Abbas *in cap.non est n.2.de regul.* Angel. Atmil. Tab. *verbo Monachus, n. 1.* Sed posse, tenent Rodriquez *tom. 3. q.regul.q.5 a.art.7.* Sanchez *6. in decalog. cap.7. n.9.* qui alios citat; quam sententiam puto veram; præsertim in nostra Religione, in qua conuersi,& oblati sunt verè Religiosi,& vouent quatuor vota, sicut nos; vnde hoc priuilegio zelo arctioris vitæ non deberent priuari, si austeritas Religionis, vt diximus, non obstaret. Prima opinio intelligitur de oblatis, qui se, suaque obtulerunt Religioni,& habitu sæculari retento, vel parùm immutato, facti sunt quasi serui illius Monasterij, cui se dedicauerunt.

Quæres secundo,ad quosnam pertineat recipere transeuntes.

Respondeo, de iure communi pertinere ad eos superiores, ad quos pertinet recipere ad habitum alios nouitios, in nostra autem Religione pertinet ad solum Generalem, vt habetur *in Capitulo Paula, n.33.& in Capitulo Gemme 6.n 25.* & receptio talium interdicitur Prouincialibus sub pœna priuationis officiorum.

§. III.

Vtrum Religiosus Choro destinatus possit ad ordinem Conuersorum transferri.

Dicendum est, posse Clericum choro deputatum, proindè vt ad Sacerdotium promoueatur, iussu & auctoritate superioris transire ad ordinem Conuersorum, ita vt in posterum sit futurus Religiosus Laicus, seù Conuersus, non solùm voluntariè; sed etiam contra voluntatem suam, in pœnam scilicet alicuius delicti, qui sic translatus in posterum non erit obligatus ad recitationem officij diuini, ita Sotus *lib.10. de iustit. q. 9. art. 5. col.penul.versu ad Aliud verò*, Aragon.*2.2. q.83.art.12. dub. 4. in argum. 4. & ibi ver. Aduertendo 2. in fine*, Azor *tom. 1. inst.moral.lib.10.cap.6. quest.7.* Ledesma *2. p.summ. tract.9. cap.4. conclus.13. dub.1 pag mihi 740.* Suarez *tom.2.de relig. lib.4 cap.17.n.7.*Ex professo Sanchez *lib.6. in decalog. cap.7. num. 80.*

Probatur, primo quia non variatur substantialis Religionis status, sed illæsus manet; nec hic transit ad aliam Religionem, sed cum eiusdemmet Religionis votis in ea in laicali ordine manet.

Secundò, quia sicut potest Prælatus suis subditis alias grauiores pœnas infligere, vt eiectionis à Religione,perpetui carceris, triremium, &c.*iuxtà caput in singulis,& cap. Ea qua de statu Monachorum*, & probo latiùs *in seq.* ita in pœnam alicuius delicti potest destinatum choro ab illo amouere, & ad statum Laicalem transferre. Tertiò,quod hic sic translatus sit exemptus à recitatione officij diuini, patet; quia ablato fundamento, quoad il-

lud tenebatur nimirum destinatione ad chorum, auferrur etiam obligatio.

Obiicies primò statum laicorum est laxior aliorum choro destinatorum ergo ex hoc sequitur, quòd poterit Prælatus dare licentiam transeundi ad statum laxiorem.

Respondeo, negando, esse laxiorem, tenentur enim Laici ad vota, & ad alias constitutiones pœnales, sicut alij & præterea duriorem, & asperiorem degunt vitam, omnes ferè labores Conuentus supportantes.

Obiicies secundò Prælatus Religionis non potest eximere suum Religiosum professum ab onere diuini officij persoluendi, annexo professioni chorum destinatorum.

Respondeo, non posse quidem Prælatum directè, & per se eximere subditum ab ea obligatione, at posse per accidens, remouendo cum ab illo statu deputatorum choro.

Obiicies tertiò. Ergo hic ex suo delicto reportabit commodum.

Respondeo, hoc non est absurdum, quòd per accidens quis ex delicto reporter commodum, sicut si beneficiatus priuetur beneficio, priuatur etiam oneribus beneficio annexis; & quando quis eiicitur à Religione, eximitur ab illa stricta obedientia, & alliis obseruantijs, ad quas tenebatur. Deinde dico, quòd hic nullum commodum reportat; nam licet non teneatur amplius recitare officium diuinum, vt qui choro sunt destinati: tenetur tamen recitare illud, quod est præscriptum laicis.

At inquies, ad hoc non tenetur sub mortali, sicut tenebatur ad illud, vt dicunt Soto *lib.* 10. *de iust. q.* 5. *art.* 3. *col. vltima, paulo ante ad primum*, Ledesma 2.*p. sum. tract.* 9.*c.* 4.*conclus.* 8. *pag. mihi* 731. Sylu. *verbo Hora, q.* 2. *n.* 3. *d.* 7. Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 4. *cap.* 17. *n.* 2. *fine.*

Respondeo, Verum quidem est, quod dicunt isti Doctores, non teneri scilicet Laicos ad persoluendum officium sibi præscriptum sub mortali, sed tantummodo eo vinculo, quo tenentur obseruare alias constitutiones, vndè in nostra Religione Minimorum, in qua statuta ad nullam culpam obligant per istorum sententiam nullo peccato ad illud tenerentur, at Antonin. 3.*part. tit.* 13 *c.* 4. §. 1. *in fine* videtur dicere (saltem sic eum intelligit Sotus *loco cit.*) quòd tenentur sub mortali, & cum Augustinus de Ancona, & Pettum de Palude, & affert rationem, quia eo ipso, quòd sunt applicati totaliter ad cultum Dei, habent beneficium interpretatiuè, scilicet viuendi ex eleemosynis: vel de redditibus Monasterij: vel de quæstibus, qui eis conceduntur ab Ecclesia, ratione applicationis ad cultum diuinum. Ex qua sententia sequitur, quòd in nullo relaxentur huiusmodi translati quòd si sequemur opinionem Soti, dicendum erit, hoc esse per accidens, & non esse absurdum.

Dices ergo, Religiosus electus à Religione, & in maioribus non ordinatus, non tenebitur ad officium diuinum, cum iam sit liberatus ab vsu chori.

Respondeo cum Suarez *loco cit. n.* 8. disparitatem esse inter hunc, & illum, quia licet hic sit separatus ab actuali vsu chori; semper tamen manet in statu Religiosi professi ad chorum, & ideo tenetur officium recitare, ille autem non est ampliùs in illo statu & idcò est liber ab annexis illi statui; quia obligatio dicendi officium non consistit in vsu, sed in statu. Quo fundamento dicemus infra eiectos: & ad triremes damnatos teneri ad officium diuinum; quod ait etiam Suarez *loco cit. n.* 9.

Sed quæret hic merito aliquis, Cuiusnam superioris auctoritate poterit destinatus ad Chorum, transferri ad statum laicorum.

Sanchez *loco cit. n.* 81. existimat pertinere ad Generalem, vel prouincialem cum consensu Conuentus. Quia res grauis est iuxta ea, quæ dixerat de iis, ad quos pertinebat concedere licentiam transeundi ad æque arctum, vel laxiorem Ordinem, sed non puto esse necessarium consensum Conuentus: præsertim in nostra Religione, in qua Prælati cum suis collegis habent auctoritatem definiendi omnes causas graues.

Si quæras vltetiùs propter quas causas destinatus ad churum potest transferri ad ordinem Laicorum.

Respondet Sanchez *loco cit. n.* 81. & assignat tres nimirum, vel punitionem delicti: vel ingenium vitæ humilioris in illo Religioso ardorem; vel ineprudinem ad literas addiscendas, & Sacerdotum ministeria.

Ad vltimum nota duo, primum, hæc intelligi de Clerico ad Chorum destinato, qui nondùm Sacris est initiatus, vt aduertit Soto *loco cit.* nam si est in Sacris, non potest ad gradum inferiorem deiici. Secundum, quòd hæc procedunt in iis Religionibus, quibus regula, & regularia statuta contrarium non præscribunt, vt Regula nostra, *n.* 3. Qua non obstante, vtrùm aliquo casu hæc procedant, dicã, Deo dante, in explicatione Regulæ *illo loco n.* 3.

CAPVT XXV.

Vtrum Subditus propter aliqua delicta possit per Prælatum à Religione expelli.

PRo hoc Capite videri potest D. Thomas, *quodlib. vltimo art. vltimo* Bonauent. *tom.* 2. *opusc. in quæstionibus super regulam S. Francisci*, q. 14. Panorm. *in cap. Cum dilecta de rescriptis, & cap. Finali de regul.* Angelus *verbo Abbas, n.* 17. Sylu. *verbo Religio* 6. *quæst.* 17. Anton. 3.*p. tit.* 16. *cap.* 5. Nauatrus *comm.* 2. *de regul. à num* 33. *& lib.* 3. *consil. de regul. n. consil.* 77. Armilla *verbo Religio, n.* 15. Soto *lib.* 7. *de iust. q.* 2. *art.* 1. *ad* 3. *dub. vltimo* Zerola 2. *parte praxis verbo Eiecti.* Passatellus *in nat. priuil. Minim. notab.* 16. Sà *in aphorismis verbo Religio, num.* 40. Vega 2. *parte sum. cap.* 86. *casu* 12. 13. 16. 37. 42. Sayrus *in Clau. reg. lib.* 6. *cap.* 9. *dub.* 14. *num.* 25. Angles *in Floribus* 2. *parte quæst. de voto, art.* 2. *diff.* 8 *pag. mihi* 89. Molina *tom.* 1. *de iust. disp.* 140. *dubia. de electis à Religione*, Rodriq. *tom.* 1. *quæst. regul. q.* 30. *art.* 14. *&* 9. 23. *art.* 5. Azor. *tom.* 1. *instit. maral lib.* 12. *c.* 6. *à dub.* 2. Lessius *lib* 2. *de iust. cap.* 41. *dub.* 14. Mir. *tam.* 1. *Man. quæst.* 52. Casarub. *in Campend. verbo Eiicere*, vbi à Sorbo, Aragon. 2. 2. *q.* 88. *art.* 3. *circa solut. ad* 2. *pag. mihi* 7 *ro. versu. Huc usque* Spai harius *de modo corrigendi regul. tract.* 10 *part.* 3. *cap.* 19. 20. Graff. *tom.* 1. *consil. lib.* 3. *de regul. consil.* Reginaldus *in praxi, lib.* 18. *à num.* 417. Diaz *in sua Pract. c.* 142. vbi Salzedo, Sanchez *lib.* 6. *in decaleg. cap* 9.

Dico primo, potest Religiosus propter sua demerita à Religione expelli, & habitu spoliari. Ita D. Thom. *quodlib. vlt. art. vlt.* D. Bonau. *in quæst. super regulam S. Francisci, quæst.* 14. Antoninus 3. *parte, titulo* 16. *cap.* 4. *fina* Passarellus *in priuileg. Minim. notab.* 16. Nauatr. *Comment.* 2. *de regul. num.* 33. Turrecremata *in regula D. Benedicti, tract.* 87. Sylu. *verbo Religio* 6. *q. vltim.* Sanch. *lib.* 6. *in decalog cap.* 9. *num.* 3. Festus 4. *parte sui summ. cap.* 25.

Probatur primò, *ex priuileg. Alexandri VI. Innocentij IV. Sixti IV. Pij V. Sixti V. & aliorum Summorum Pontificum*, quæ referunt Casarub. *in Campend. verba Eiicere*; & habentur *in mari magno Minim. pagina* 74. & concessit etiam Ioannes 22. vt refert Festus *loc. cit.*

Secundò, probatur *ex Cap. Finali de regul.* in quo id supponitur: & *cap. Finali de statu Monachorum*, §. *Porrò*, iubentur visitatores expellere rebelles, ne ouis morbida, sinas inficiat: & *cap. cum in Ecclesijs de maioritate; & obedientia in fine.*

Tertiò probatur, *quia sicut caro morbis emortua, si abscissa non fuerit, salutem reliqua carnis putredinis suæ contagione corrumpit: ita isti, qui emendari despiciunt, & in suo morbo persistunt, debent abscindi: si enim moribus depranatis in Sanctorum societate permanserint, eos exemplo sua perditionis inficient*; vt loquitur D. Prosper *lib.* 2. *de vita contempl. c.* 7. & refertur *cap. Ecce autem* 24. *q.* 3. Quod idem

idem habetur *cap. Resecanda, & ca. Corripiatur eadem causa, & q.*

Quartò, probatur ex Regula S. Benedicti c. 28. vbi præcipitur abscindi ferro, qui medicaminibus correctiorum curari respuit; & S. Augustini *regula 3. cap.* 20. vbi incorrigibilis de fratrum societate iubetur proiici.

D. tamen Bonauentura loco cit. tria requirit, ad hoc vt quis iustè possit è Religione eiici, & habitu spoliari. Primum, quòd eius delicta sint publica, tàm fratribus, quàm sæcularibus; nam si sint solummodò nota fratribus, putat, talem tolerandum, & in carcerem detrudendum. Tùm ne eiectus, cùm eius culpæ non pateant, iniustè eiectus videatur. Tùm ne eius peccata propalentur. Secundum, quòd eius excessus tàm graues sint, vt possint alios fratres inficere, & sæcularibus propter scandalum esse causa ruinæ. Tùm propter auferendum scandalum. Tùm propter corruptionem ordinis præcauendam. Tertium, quòd sæpiùs correctus non se emendauerit; nam si vult corrigi, non est eiiciendus, vt habet D. Thomas *quodlib. vlt. art. vlt.* sed est sequestrandus in carcerē, vel alio modo puniendus. Quia eiectio in Religione est velut excommunicatio in Ecclesia; quæ tamen non excommunicat, nisi contumaces; Quod tamen limitat Sylu. *verbo Abbas, num. 6* nisi incorrigibilitas præsumatur de facto, vt modo declarabo. Absque his conditionibus tutum non putat Bonau. saltem in foro animæ, expellere Religiosum à Religione: licet in foro fori per Pontificia priuilegia, etiamsi aliqua ex his desint, tutum esse possit.

Dico Secundo, Eiicere fratres à Religione, ad Generales per se solos pertinet, in iis religionibus, in quibus Generales per se soli procedunt, absque consensu aliorum, licet non absque consilio. In nostra autem Religione, in qua non procedunt in casibus grauibus, nisi de consilio, & assensu suorum Collegarum, ad Generales cum Collegarum assensu, & ad Prouinciales cum consensu maioris partis Capituli Prouincialis pertinet. Ita concessit Alexander VI. Generali, & Prouincialibus, ordinis Minorum, & referunt Casarub. *in Compend. verbo Eiicere, num. 4.* Rodriquez *tomo primo. qu. regul. qu.* 30. *artic.* 16. *&* 17. Miran. *tomo primo Manualis, q. 52. art. 1. conclus.* 2.

Circa quod noto, quòd consensus maioris partis Capituli Prouincialis, non est necesse, quòd obtineatur ab ipso Capitulo in vnum congregato; nam huiusmodi Capitula non congregantur, nisi statutis temporibus semel in anno (suppono enim quòd capitula intermedia, seù definitoria, eandem vim habeant, quam Prouincialia,) vt declarauit Pius V. *Anno Domini* 1568. *die* 27. *Maij* in Bulla, quæ incipit *super familiam*, & habetur *in nostris statutis post regulam, pag.* 13. & potest dari casus, in quo propter commune bonum conueniat eiicere aliquem à Religione; & tamē puto, quòd poterit Prouincialis cum consensu definitorum, qui totum constituunt Capitulum Definitorium, talem eiicere.

Sed amplius priuilegium, & sine talibus limitationibus concessum est nobis Minimis, vt videre est *in nostro Mari magno in Compend. priuil. Ord. pag.* 74. vbi conceditur Generali, & Prouincialibus potestas eiiciendi, propter emeritas culpas fratris à Religione: & ita obseruatur in praxi, quòd soli Prouinciales cum consensu suorum Collegarum, quos tali pœna dignos agnoscunt, expellunt, id quod expressè etiam docet Nauarr. *libro 3. consil. de regul. cons.* 77. *num.* 1.

Dico tertio, prima & principalis causa, propter quam quis est eiiciendus à Religione, est incorrigibilitas. Ita omnes Doctores citati.

Hic solùm quæri potest quisnam dicendus sit incorrigibilis. Multa dicunt Doctores, Sayrus *libro 5. de censuris, cap.* 21 *num.* 37 Graff. 1. *parte decis. lib.* 2. *c.* 24. *num.* 10. Sanchez alios citans 6. *in decalog. cap.* 9. *n.* 4. Abbas *in cap. Cum non ab homine de iudiciis*, sed breuiter, in iure incorrigibilis dicitur, qui tertio monitus non, resipuerit *cap. Contingit el 2. de sententia excommunicationis, & cap. Constitutionem eodem titulo in* 6. Hostien. *in cap. cum in Eccles. de maior. & obed. &* Io. Anton. de Trigona dicunt, quod Monachi non tenentur amplius recipere Monachum, qui alias bis de monasterio fugit. D. Thomas 2. 2. *q.* 186. *artic.* 10. *ad* 3. eos vocat incorrigibiles, qui ad hoc perueniunt, vt non ex fragilitate, vel ignorantia, sed ex contemptu peccent, nam hi sunt, qui difficulter surgunt iuxta illud Hier. *Confregisti iugum meum dirupisti vincula mea, dixisti non seruiam.*

In ordine Prædicatorum definitur, quòd incorrigibilitas fratris, quare ab ordine est eiiciendus, est *quando culpas non timet committere: & pœnas recusat ferre: vel ex earum, sæpiùs repetita inflictione iudicio discretorum cognoscitur non proficere.* Ita habetur in constit. dicti ordinis vt refert Festus 4. *part. cap.* 25.

In ordine Minorum ille dicitur incorrigibilis, *qui ter fuit iuridicè punitus, & conuictus de eodem, vel distincto crimine graui & nunquam fuit emendatus.* Ita habetur in illorum constit. Tolet. & Vallisolet. *pag.* 147. vt refert Spatharius *tract.* 10. *p.* 3. *cap.* 19. *n.* 7.

In nostro ordine Minimorum, *qui tres arripuit fugas, non debet amplius recipi.* Ita statutum est *in cap.* 1. *Valentia num.* 13.

In hoc mihi quam maximè placet Doctrina Syluest. *verbo Incorrigibilis, & verbo Abbas n.* 6. *q.* 3. qui distinguit duplicem incorrigibilitatem, vnam de facto, alteram de iure. De iure propterea, quia regula, vel constitutiones mandant, talia tot vicibus perpetrantem appellari, & esse incorrigibilem. De facto, quando quis, licet de iure incorrigibilis non sit, quia ter conuictus, & punitus non fuit, est tamen de facto propter eius conditiones naturales notas; quia scilicet vitiis assueuerit, & ad hæc habet naturalem inclinationem. Quas ambas incorrigibilitates esse sufficientes ad alicuius expulsionem à Religione, & habitus priuationem, docent Rodriq. *tom.* 1. *q. regul q.* 30. *art.* 15. Miranda *tom.* 1. *Manualis, q.* 52. *art.* 2. *conclus.* 2. Festus *loco citato.*

Itaque secundùm istos Doctores, incorrigibilis non solùm est, qui ter correctus, & punitus non se emendauit, sed etiam, cui bis, aut ter crimina remissa, condonata, dissimulata, emendationis spe fuere, & tamen non se correxit; & citat ad hoc Rodriq. quandam declarationem Parlamenti Parisiensis, in qua fuit declaratum, quòd in criminibus grauibus, in quibus non imponitur pœna mortis, reputatur Clericus incorrigibilis ad effectum, vt degradatus possit tradi brachio sæculari, si bis ipsi venia data fuit. Quàm doctrinam probant Iul. Clarus *in sua practica crimin q.* 36. *num.* 34. & Salzedo *ad practicam.* Diaz *cap.* 142. *verbo incorrigibilis*; quibus omnibus adde Cassaneum cit. à Claro. & Salzedo *super consuet. Burg. fol.* 51. *post. numerum* 66. Qui ait, quòd in curia Parisiensi seruatur, quòd post binam remissionem de delictis pro quibus ingeritur pœna mortis, Clericus habetur pro incorrigibili.

Ex quibus elicio cum Rodriquez, & Miranda *locis citatis* quòd Religiosus, qui propter latrocinia, & alia scelera, & crimina fuerat in quadam Religione ad triremes damnatus, cum autem aufugisset è carceribus diù apostatauit: in qua Apostasia, crebrius celebrauit, sacramenta pœnitentiæ, & Eucharistiæ ministrauit: ad aliam deinde Religionem transiens, in eaque ludum alearum prohibitum grauibus censuris, & pœnis sæpiùs exercuit cum maximo istius Religionis detrimento, & scandalo sæcularium, & fratrum, quos ad ludendum prouocabat, docendo eos alearum ludos prohibitos: quinque cibis vetitis sub mortali in tali Religione notoriè, & publicè vesci non erubuit. Quinque eleemosynarum vsurpator, & dissipator extitit continuus: quinque ventri, & Veneri fibulam laxauit: quinque inter fratres discordias, rixas, zizanias disseminauit, inimicitias sparsit quamplurimas, easque

graues,

grauès, quinque mendaciis, & dolis, non solùm fratres apud fratres, sed fratres apud sæculares infamauit: qui-que totam Religionem in cõmuni depompauit pro pos-se: fratres, quos potuit temerarii, manuari priùs, deinde ludere docuit: Intestabilis, & detestabilis homo seu po-tiùs bellua, sine spe alicuius correctionis, & emendatio-nis, etiamsi non fuerit bis, neque ter conuictus, nec pu-nitus, sed semper toleratus spe emendæ, seu forte etiam timore dolosæ, & maledictæ ipsius linguæ (licet hoc damnetur *cap. Sed illud, decis. 45.*) potest iure optimo ab ista Religione, tanquam membrum putridum infectum, & per eius Conditiones incorrigibile expelli.

Probat id mulos Rodriguez, & præcipuè ex illo ad Rom. 2. *An ignoras, quòd patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? An diuitias bonitatis eius, patientiæ, & longa-nimitatis contemnis? secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor tuum, thesaurizas tibi iram.* vbi apparet, quòd Paulus notat habere impœnitentem cor, id est incorri-gibile, illum, qui contemnit clementiam, & bonitatem Iudicis delicta condonantis; quem locum declarans Ber-nardus *primo de consid. ad Eug. Quid est*, inquit, *cor du-rum ipsum est, quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec mouetur precibus, minis non cedit, flagellis induratur, ingratum ad beneficia est, ad Consilia infidum, ad iudicia sæuum, inuerecundum ad turpia, impauidum ad periculum, inhumanum ad humana, temerarium ad diui-na, præteritorum obliuiscens, præsentium negligens, futura non prouidens.* Hæc Ber. Nec potest melius describi cor incorrigibile.

Quare cum istius vitia cum illo creuerint ab adolescē-tia sua, & propter longam consuetudinem, assuefactio-nem, & in illis inueterationem, facta sint illi quodammo-do naturalia; Tanquam putridum membrum, ne alios inficiat est eijciendum: nec expectanda bina, aut trina per sententiam punitio, quæ potius nocitura, quàm profutu-ra videtur; Acessas enim medicator istis qui tempore magis indurescont, patientia marcescont, & quorum vi-tia antiquitate non antiquantur, sed magis adolescunt, & reuiuiscunt; Quapropter quam maxime mihi probatur Patrum Iesuitarum nunquam satis laudatæ Religio, qui abscindunt cancrum antequam serpat. Vtinam face-rent cæteræ Religiones; & pœna tritemium à Religio-nibus penitus ablegaretur. Peruersi namque cum per-uersis peruertuntur, vt dicam infra.

Dico quarto, propter delicta, quibus in sæculo re-spondet pœna mortis, potest regularis à Religione ex-pelli: puta homicidium voluntarium: cultura (vt sic lo-quar) habitualis, & formalis fundi sterilis, &c. nisi pœna sit illis apposita, non tantùm ratione delicti, quantùm ra-tione insidiationis: vt puta extrahere de manibus insti-tiæ condemnatum ad mortem; nam tunc non deberent Religiosi à Religione expelli, cum actum exercuerint, charitatem, & pietatem olentem, ita Rodriguez *loco cit. art. 18. 19.* Graff. *tom. 1. consil. 3. de regul. consil. 5. n. 16.* Mit. *etiam cit. conclus. 3. & 4.*

Probatur ex concessionibus Pij V. quas refert Capu-cinus *in compend. priuil. verbo Eijcere in principio*, Ro-driquez *tom. 1. quæst. regul. q. 30. art. 15. & 16.* & Miran-da *tom. 1. Manual. q. 52. art. 1. conclus. 2.* Quibus Ordini S. Hieronymi in Hispania concessit, & indulsit, quod Generalis, vel eius ministri dictæ Religionis, de consi-lio fratrum, possunt fratres delinquentes, in casibus, qui-bus quis de iure communi esset ad mortem damnandus habitu Religionis spoliare, ab eaque expellere. Quo priuilegio gaudent omnes communicationem haben-tes; debent tamen Prælati eo prudenter vti, consideratis conditionibus, passionibus, consuetudinibus; vita ante acta, qualitate Religiosi puniendi, & cæteris, vna enim circumstantiola addita, vel adempta facto, frequenter variatios, quod oritur ex eo, vt ait Nauar. *lib. 5. consil. de apostatis, consil. 1. n. 2.* Attento etiam, quòd vix vlla Re-gula absque aliqua exceptione inuenitur, etiamsi verbis vniuersalibus affirmatiuis, vel negatiuis concipiatur, vt idem Nauarrus habet *ibidem.*

Circa quam concessionem notat duo Rodriguez *art. 16.* primum, quòd Generales virtute huius priuilegij Pij V. possunt demeritos à Religione expellere per se solos, adhibito consilio seniorum, quod tamen non tenentur sequi; qui enim tenetur petere consilium, ad illud sequi non obligatur; vt habet Panor. *in cap. Cum in veteri de elect.* & Rodriquez *loc. cit. art. 17.*

Secundum, quòd Prouinciales per hoc priuilegium non possunt à Religione expellere, nisi de commissione Generalis. Quia auctoritas datur Generali, vt per se, vel per suos ministros procedat.

Dico quinto eiecti, si emendati, & correcti humiliter petierint in Religionem iterum recipi, admitti debent, Antoninus *3. parte tit. 16. capit. 5. statim in principio*, Syluester *verbo Apostasia, quæst. 5. num. 10.* Turrecre-mata *in regula S. Benedicti tract. 88.* Molina *tom. 1. de iust. disp. 140. col. penul. §. Quòd ad votum*, Lessius *lib. 2. de iust. cap. 41. dub. 15. num. 112. versu verius ta-men puto*, Nauarrus *lib. 3. consil. de regul. consil. 78. n. 3.* Corduba *in Regula D. Francisci cap. 2. q. 21. p. 2. versu Notandum.*

Probatur primo, *ex cap. finali de regularibus*, vbi id expressè habetur.

Secundò, Quia Religio non habet ius à vinculo Re-ligionis aliquem absoluendi, & ab ea eijciendi, nisi qua-tenus id permittunt illius delicta, ergo cessante ista cau-sa, & eiecto ad meliorem frugem reducto, & penitus emendato, debet cessare effectus; & debet eum humili-ter, & de corde puro petentem iterum recipere.

Limitat tamen Corduba, nisi aliud obstet: vtpotè si sit probabile, scandalum ex tali admissione secutu-rum: vel si redeant morbo aliquo contagioso infecti: vel alias inhabiles ad ordinis officia: vel taodem si ad aliorum terrorem valde conducat, hos iterum non ad-mittere; Limitat etiam Lessius, nisi Religio iustas non admittendi causas haberet dictas scilicet vel alias.

Vnde in nostra Religione Minimorum, tales eiecti, si spem emendationis præbuerint, ac literas probatas co-rum mores testificantes attulerint, possunt à Patre Ge-nerali, vel eius Vicarijs admitti iterum ad Religionem, ita statutum est *in Capitulo Barchinonensi, n. 17.* quod in-telligo de eiectis à Patre Generali, nam eiecti à Prouin-ciali, ab eodem recipi poterunt, nam eiusdem est sol-uere, cuius est ligare, *c. inferior, decis. 21.*

Dico sexto Religio potest cogere tales eiectos ad re-deundum D. Bonauentura *in Regula S. Francisci. q. 14. fi-ne*, Sylu. *verb. Apostasia, q. 6. n. 10. & verb. Religio 6. q. 12. n. 12.* Passarell. *in not. priuil. notab. 16.* Vasquez *t. 2. disp. 165. c. 8. n. 87.* Lessius *lib. 2. de iust. c. 41. dub. 15. n. 111.* Molin. *to. 1. de iust. disp. 140. col. penult. paulo ante §. Quo ad votum*, Sanch. *lib. 6. in decalog. c. 9. n. 30.* Reginald. *in praxi, lib. 18. n. 417.* & alij apud Sanch.

Probatur primo, *ex c. finali de regul.* vbi statuitur, hos eiectos debere censuris Ecclesiasticis cogi redire ad Re-ligionem. Dubiis autem, quæ possunt fieri circa hanc de-cretalem, respondet bene Sanch. *loc. cit. n. 17. 18. & 30.*

Secundo; quia isti eiecti non liberantur à votorum obligatione: & temanent veri eiusdem Ordinis Reli-giosi, & Prælatis Ordinis subditi, vt declarauit Ioan. 22. vt refert Festus *in summario constit. prædicatorum 4. p. cap. 25. de grauissima culpa* his verbis. *Ille autem, qui propter culpam suam expellitur ab ordine, adhuc Prælatis subditus est: sicut morbida ouis quamuis à grege expulsa, tamen pastoris est.*

Tertiò, quia ab eorum delicta, non debent commo-dum libertatis perpetuæ consequi, & fieri potioris con-ditionis, quàm alij Religiosi.

Dico septimo, hos eiectos, tanquam incorrigibiles, obligatos esse ad corrigendum mores, habilesque se red-dendos, vt iterum in Religionem admittantur; & ita

Correctos, se Religioni offerre, quod quoadusque fecerint, sunt in malo statu, ita Sotus *lib. 7. de iust. q. 2. art. 5. in solut. ad 3 sub fine*, Graff. 1. *p. decis. lib. 3. c. 5. num.* 147. Angles *in floribus 2. p. q. de voto art. 2. diffic.* 8. Aragon. 2. 2. q. 88. *art. 3. circa respons. ad secundum, pag. mihi* 710. §. *dico* 2. Sayrus *in Claui Regia lib. 6. c. 9 num.* 25. & 27. Sanch. *lib. 6. in decalogum, cap. 9. nu.* 25. Naldus *in sum. verbo Religiosus, num.* 16.

Probatur, quia quando in malitia, & culpa sua manent, ipsi sunt causa suæ expulsionis, & per consequens ne votum Religionis, quod emiserunt, possint adimplere; ergo non sunt tuti in conscientia; quia malitia, & culpa nulli debent patrocinari.

Verum quidem est, quòd si postqoam eiectus se emédatus obtulerit Religioni, non fuerit receptus, potest tutè manere io seculo, vt dicunt præfati Doctores, Sayrus, Aragon Sotus, & alij, quia adimpletio voti iam illi est facta impossibilis sine sua culpa; nisi forsan per suos Prælatos illi fuerit iniunctum, ad aliam Religionem transire; nam tunc teneretur obedire. Posse autem Prælatum primæ Religionis id illi præcipere, docent D. Bonauent. *in quæst. super Regulam fratrum Minorum quæst.* 14. Pisanella *verbo Religio primo*, §. 6. à Sorbo *in Compend. priuil. verbo Eijcere, vers. Nec potest*; Passarellus *in priuilegijs Minim. notab.* 16. Et ratio est, quia cum vouit istum Ordinem, ita se alligauit Religioni; quòd secundùm ius canonicum nullatenus potest redire ad seculum, vel ad laxiorem vitam transire; ergo tenetur obedire Prælato præcipienti, vt regularem in aliqua approbata Religione vitam ducat, qoia licet non se obligauerit ad profitendum in alia Religione, præterquam in ea, quam professus est, tamen se obligauit ad viuendum sub disciplina regulari; & obseruantia votorum essentialium. Per quæ est satis responsum rationi Sanchez, contrariam opinionem tenentis 6. *in decalog. cap. 9. n.* 42.

Si autem ordo, ad quem ingredi fuerit iussus eiectus eum recipere noluerit, nec inuenerit, qui eum recipiat, & primus ipsius ordo neque etiam velit eum recipere propter aliquas causas sufficientes, potest tuta conscientia in sæculo remanere, sicut etiam potest tuta conscientia remanere, si fuerit eiectus absolutè, & postquàm se correxerit, iterum ingredi attentauerit, quibus non obstantibus semper fuerit passus repulsam, absque aliqua conditione de intrando in aliam Religionem.

Obijcies contra dicta quandam declarationem factæ Congregationis Concilij, quam refert Zerola 2. *parte sue praxis, verbo Monachi num.* 7. & Farinacius *decisionibus in Concilium, sess.* 25. *de regularibus, cap.* 14. quæ sic habet; *In posterum Nemo regularium eijciatur à Monasterio, etiamsi sit incorrigibilis, sed peccantes à superioribus ignominia carceris castigentur, & acrius etiam si opus fuerit, pro modo delictorum puniantur.*

Hoc dubium postulat, vt aliquid dicamus de huiusmodi declarationibus factæ congregationis, de quibus dubitant doctores an sint auctoritatiuæ, an verò tantùm doctrinales, seu an habeant vim legis, & obligent in vtroque foro, an solùm contineant interpretationem doctrinalem, & sint responsa prudentum. De his declarationibus tractat ex professo Rodriquez *tom.* 1. *quæst. regul. quæst.* 1. *art.* 1. & 2. Salas *de legibus, tract.* 14. *disp.* 2. *sect.* 9. & *disp.* 21. *sect.* 12. Molfesius *tom.* 1. *sum. tract.* 7. *cap.* 18 *num.* 14. & *tract.* 9. *cap.* 13. *num* 43. & 44. Zerola *prima parte praxis, verbo Auctoritas*, & 2. *parte, verbo Absolutio in principio*, vt resoluam.

Noto, quòd Sixtus V. *anno* 1588. edidit bullam, qua constituit quindecim congregationes Cardinalium, quæ incipit *immensa æterni Dei*, & eam refert Quaranta *in summa bullarij, verbo Congregationes Cardinalium*, in institutionem autem Congregationis Concilij tribuens eidem auctoritatem, hæc habet. *Cum ad singularem Papa aucteritatem tantummodo spectet generalia concilia indicere, confirmare, interpretari, & vt vbique eorum seruentur, curare, ac præcipere: eorum quidem decretorum, quæ ad fidei dogmata pertinent interpretationem nobis ipsis reseruamus: Cardinalibus verò præfectis interpretationi, & executioni Concilij Tridentini, si quando in his, quæ de morum reformatione, disciplina, ac moderatione, & Ecclesiastici iudicijs, alijsque huiusmodi statuta sunt, dubietas aut difficultas emerserit, interpretandi facultatem (nobis tamen consultis) impartimur.* De valore huiusmodi declarationem vide Io. Val. *in dist. vtriusque fori, verbo absolutio, n.* 2.

Dico primo, declarationes factæ à sacra congregatione, Consulto sanctissimo, & in forma authentica præsentatæ obligant in vtroque foro, & secundùm illas iudicandum est: patet, quia sunt factæ cum auctoritate Papæ, & idem est in moralibus facere per alium, ac facere per se. Præsentantur autem in forma authentica: vel per breue Papæ: vel per monitorium auditoris Cameræ: vel per epistolam alicuius ex Cardinalibus dictæ congregationis, & ipsius nomine: vel partibus citatis per transumptum, ex registris ipsius congregationis desumptum, sigillo secretarij eiusdemmet congregationis munitum, ita Salas *dicta disp.* 21. *corollario* 6.

Dico secundo declarationes, quæ non sunt factæ à sacra congregatione, consulto sanctissimo (vt ferè communiter testatur Salas *loco cit. ante corollarium primum* his verbis. *Illud verò ex declarationibus impressis, & manuscriptis patet, quod congregatio non semper, sed in raro casu, & in grauioribus, & difficilioribus dubijs, summum Pontificem consulere solet*) non habent vim legis, nec obligant ad eas sequendas in vtroque foro, ita Suarez relatus à Salas *dicta disp.* 2. *num.* 53. his verbis. *An declaratio Cardinalium circa Tridentinum sit authentica, seu auctoritatiua vim habens legis, an vero doctrinalis, seu quasi doctorum, huius dubij decisionem summo Pontifici remitto: & dum aliud non definitur, nondum censeo habere vim legis, donec certius de illis constet, & sufficienter proposita, ac promulgata sint.*

Et probatur primò, quia cum Cardinales non habeant à iure communi auctoritatem condendi leges, vt colligitur ex Suarez *lib. 4. de legibus cap. 5. num.* 4. solum eam habent per auctoritatem illis à Pontifice delegatam, Pontifex autem, vt patet ex verbis citatis Sixti, concedit, fieri tales declarationes (nisi aliud per sequentes Pontifices, quod non scio, sit determinatum) ipso Pontifice prius consulto.

Secundò, sensus ipsiusmet congregationis videtur esse, quòd nolit, suas communiter declarationes haberi pro legibus. Nam cum certum sit, de essentia legis, vt obliget esse promolgationem, vt dicitur, *cap.* 1. *de postul. Prælatorum*, §. *Verum*, & docet D. Thomas 1. 2. *q.* 90. *artic.* 4. Nauarrus *tom.* 1. *Concil. de Constit. consil.* 1. *num.* 2. *versu. Quinto dico*; tantum abest, vt dictas declarationes promulget sacra congregatio, vt eas nolit, neque manuscriptis, neque impressis libris publicari, & libros eas diuulgantes prohibet, vt constat ex decreto dictæ Congregationis, *anno* 1621. *die* 19. *Aprilis*, & alio simili congregationis Indicis *sub die* 6. *Iunij eiusdem anni.*

Et licet dicatur, quòd declarationes legum iam receptarum, non est necesse, quòd publicentur, cum in ipsis legibus insint, vt habet Rodriquez *loco cit. art.* 2. id tamen intelligo in manifestis, non autem in dubiis, quia tales declarationes sunt veluti nouæ leges. Vnde quando sacra congregatio vult eas haberi pro legibus (quando scilicet factæ sunt consulto sanctissimo) eas promulgat, ita Salas *loc. cit. coroll.* 5.

Ad dubium ergo propositum respondeo, prædictam declarationem nihil obstare dictis, tùm quia authentica non est; tùm quia sufficienter promulgata non est, & promulgatio erat omninò necessaria cum sit dicta declaratio (si declaratio congregationis est contra ius commune, & contra tot priuilegia summorum Pontificum,

cum, & tot regulas à tot summis Pontificibus confirmatas. Vnde omninò noua lex esset, de cuius essentia, diximus, esse promulgationem, tùm quia non constat, quòd sit facta de mente Pontificis.

§. I.

Ad quid teneatur à Religione eiectus.

Dico primo, eiectus tenetur ad castitatem seruandam; est communis omnium opinio: etiam si non sit in sacris. Soto *lib. 7. de iustit. quæst. 2. articul. 1. ad tertium fine.*

Dico secundo, tenetur ad obedientiam Episcopo; eo tamen modo, quo reliqui Presbyteri, neque alio speciali, Molina *disp.* 140. *col. antepenultima*, Rodriguez *tom.* 1. *q. regul. q.* 30. *art.* 20.

Dico tertio, tenetur etiam ad paupertatem, eo modo, quo status, in quo repetitur comparatur, nullius que rei dominium verum, & absolutum sibi potest comparare, ita Mol. & Rodriq. citat. Sanchez 6. *in decalog. cap.* 9. *num.* 45.

Dico quarto, si eijciatur ex ordine Minimorum, tenetur etiam ad votum vitæ quadragesimalis, ita expressè Ledesma, *cap.* 3. *de statu Episcop. concl.* 25. *diffic.* 1. *Paulo ante, digno lo tercero, pag. mihi* 75. loquens de Minimis translatis ad Episcopatum: quod à fortiori valet in eiectis; & ratio, quam reddit, est quia ad id se obligauit per solemne votum; & ego latius dicam in *quæst. de vita quadragesimali, cap.* 2. vbi probabo, quòd Minimus ad Episcopatum translatus tenetur ad vitam quadragesimalem, quidquid dormiens dixerit Vega 2. *part sum. cap.* 86. *casu* 16. quem sequitur Sanchez *lib. 6. in decalogo, c.* 9. *n.* 56. ad cuius rationes etiam respondebo. Fauet etiam nostræ conclusioni Rodriq. *tom.* 1. *quæst. regul. q.* 30. *art.* 20. *fine.* Quatenus dicit, quòd non excusaret ab obseruatione ieiuniorum eiectos ab ordine Minorum; quia ad hæc tenebantur sub mortali.

In vniuersum autem, quod eiecti teneantur ad vota essentialia, & solemnia, docent Nauarr. *comm.* 2. *de regul num.* 34. 35. 36 *& comm.* 3. *num.* 46. Ledesma *de statu Religiosorum in communi, cap.* 8. *conclus.* 7. *versu Aduiertase que en el tal caso, pag.* 277. Corduba *in regula D. Francisci, cap.* 2 *q.* 21. *par.* 3. Azor *tom.* 1. *instit. moral. lib.* 12 *cap.* 16 *quæst.* 4. Vasquez, *part.* 2. *disp.* 165. *num.* 87. Lessius *lib.* 2. *de iustit. cap.* 41. *dub.* 5. *n.* 112. Mol. *tom.* 1. *de iust. disp.* 40. *col. antepenul. versu Quandò verò*, Rodriquez *tom.* 1. *quæst. regul. quæst.* 30. *art.* 20. Miranda *tom.* 1. *Manual. q.* 52. *art.* 5. Reginaldus *lib.* 18. *num.* 418. 420. Sanchez, *lib. 6. in decalog. cap.* 9. *num.* 27. Et ratio est; tùm quia Prælatus non potest suos subditos liberare, à iugo votorum solemnium, & monasticæ professionis, quia sunt de essentia Monachatus, vt dicitur, *capite. Cum ad monasterium de statu Monachorum*, tùm quia omnes fatentur, huiusmodi eiectos teneri ad votum castitatis; & eadem est ratio de aliis; cum sint æque solemnia, ac Religioni essentialia; tùm quia Religiosus factus Episcopus ab his non liberatur.

Dico quinto tenetur etiam ad officium diuinum, etiamsi non sit in sacris; Nauarr. *de horis canonicis, c.* 7. *n.* 10. Rodriquez *loco cit. art.* 20. Ledesma *p. sum tract.* 9. *c.* 4. *conclus.* 13. *dub.* 2. *pag. mihi* 741. Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 4. *cap.* 17. *n.* 9.

Probatur, tùm quia ex delicto non debet reportare commodum, *cap. Tua de clericis non residentibus*; tùm quia non liberatur à statu clericali, cui est annexa obligatio recitandi officium diuinum.

Dico sexto, ad alias obseruantias Regulares, ieiunia, silentia, &c. non tenetur. Sotus *lib* 7. *de iust. q.* 2. *art.* 1. *in solut. ad* 3. *sub fine*, Nauarrus *comm.* 3. *de regul num.* 46. Aragon. 2. 2. *q.* 88. *art.* 3. *circa solut. ad* 2. *pag mihi* 710. *§. Hucusque diximus*, Lessius *lib.* 2. *de iust. cap.* 41. *dub.* 15. *n.* 115. Sà *in aphorismis, verbo Religio, n* 40.

Probatur, tùm quia hæc non vouit expressè; tùm, quia hæc comitantur vitam Monasticam; & ratione solius Religionis tenebatur ad illa.

Dico septimo, quòd isti eiecti, quandiù in sæculo steterint, si sunt Sacerdotes, non possunt confessiones audire, nec prædicare, nec docere. Ita Rodriguez, *tom.* 1. *quæst. regul. q.* 30. *art.* 21. Mir. *tom.* 1. *Manual. q.* 52. *art.* 5. Spathatius *de modo corrigendi Regulares, tract.* 10. *p.* 3. *cap.* 20. *num* 9.

Probatur ex priuileg. Innoc. IV. & Clem. IV. & Iulij II. qui quidem Iulius id nobis Minimis concessit vt videre est in bulla quæ incipit, *virtute conspicuos*, quam refert Cherub. *tom.* 1. *Bullar. in Iulio II. sub constitut. eius* 50. §. 14. *pag.* 418. qui Pontifices id expressè concedunt; quæ priuilegia refert Casatub. *verbo Eijcere, num.* 1. *&* 3. & præterea id etiam habetur expressè *in nostro mari magno, fol.* 74. *vers. Inhibemus.* Contrarium autem attentantes, præuia monitione, possunt Generales, & Prouinciales auctoritate Pontificali excommunicare.

Ex quo colligit Rodriguez *loco cit.* quòd huiusmodi eiecti sunt infames, ad quod citat Lapum *super consil.* 38. *Federici*; idque etiam sentit Miranda *loco cit. art.* 7. Quòd intelligo de infamia facti: & quandiù in sæculo incorrecti vixerint.

Et meritò tales eiecti dicuntur infames; nam *si fama est* (vt post Glossam *in cap. Vestra verbo Notorium de cohabitatione Clericorum, & mulierum* definiunt vt plurimum Summistæ in verbo Fama) *illæsa dignitatis status, vita, & moribus comprobatus, & in nullo diminutus.* Infamis merito dicitur eiectus, quia dignitatem Monachismi læsit, ab honorato suo statu decessit, cum pessima vita, & deprauatis moribus expurgando.

Vel si famam definiamus cum Theologis, vt Soto 4. *de iust. q.* 6 *art.* 3. *ad* 4. *& lib.* 5. *q.* 9. *art.* 1. Salon 2. 2 *q.* 62 *art.* 2. *post controuersiam* 12. Quòd sit, *Communis, & clara opinio, & æstimatio bona, & inculpata vita voce manifestata, quam de aliquo habent homines.* Infamissimus merito dicitur eiectus; Communis enim omnium sensus, nemine discrepante, eiectos improbos, & scelestos iudicat, & ita, vt si quis videat aliquem, quem primo aspectu iudicet integrum, probum, & sanctum si de eo deinde audiat, quòd fuerit à Religione eiectus, statim ait, non potest esse bonus, iniquum, dolosum, fallacem putat.

Vel si definiamus infamiam cum iuristis, vt Bart. *in lege* 1. *Cod. Ex quibus causis infamia irrogatur*, quòd *sit læsa dignitatis status.* Quis non videat eiectum maximè statum suum læsisse.

Præterea eiectos esse infames, ex eo specialiter probo, quòd sint prohibiti prædicare, docere, &c. nam sicut qui prohibitus est à testimonio ferendo: vel à testamento condendo, dicitur intestabilis, idest infamis, vt demonstrat Gellius *lib.* 6. *c.* 7. *& lib.* 15. *cap.* 13. quia nimirum priuatur propter sua demerita iure testamenti condendi, deque rebus proprijs disponendi: & priuatur iure testimonij ferendi, quibus non potest quis priuari, nisi propter scelera (nisi aliud iuridicum adsit impedimentum.) Cum sint hæc hominum propria, ita quod sacerdos priuetur iure confessiones audiendi, & Prædicator prædicandi, & Doctor docendi, quæ sunt illius propria, supponit aliquod flagitium perpetratum, propter quod fuerit dignè talibus priuatus; vnde intestabilis, & execrabilis meritò dicitur.

Quare tanquam talibus nulla est adhibenda fides, si quid in Religionem effutiant, nec multum curandum de eorum maledictis; *dementia* enim *est maxima*, vt ait Seneca *epist* 91. *vereri ne infameris ab infamibus*; Genius namque illorum notus, quia quod ipsi agunt, aut agere cogitant, id per summam impudentiam ordini affingunt, vt eiectionem suam, & flagitia excusent, ac velent. Ad quod facit illud Cypriani *epist* 25. qui cum de S. Cornelio Pontifice à desertorib. fidei sparsum esset, cum pas-

ſim communieare ſactificatis,teſpondit, *Hoc de apoſtatarũ ſictis rumoribus naſcitur,neque enim poſſunt laudare nos, quirocedune: aut expectare debemus, vt placeamus illis, qui nobis diſplicentes, & contra Eccleſiam rebelles ſollicitandis de Eccleſia fratribus,violenter inſiſtunt.* Hæc Cyprianus, quæ iure optimo iſtis eiectis aceommodati poſſunt.

Et tamen abeſt,vt eorum maledictis Religioni,& fratribus maculam inutant, vt his potius eam laudate videantur, ait enim Gregorius in Ezechielem, *Peruerſorum derogatio vita noſtra approbatio eſt,quia iam oſtenditur,aliquid iuſtitia nos habere.ſi illis diſplicere incipimus,* qui *non placent Dto.*

Nec nouum eſt in Mundo, malos maledictis inſequi bonos;ineontinẽs enim,& imputa Domina,ſed ſuatum paſſionum ſerua, puri, & S. Ioſeph, eum incontinentiæ notauit,*Gen.*39.ſuperbi,& elati Hebræi,humilem Moyſem ſuperbiæ redarguerunt,*num.*16.Sceleſtus Rapſaces, ſceletibus nutritus ſcelerum aceuſabat ſincerum Ezechiam, ſic Alexander ætatius multa mala oſtendit *Paulo II.ad Timoth.*4. ſic Semei maledixit Dauid 2. *Regum* 16.quod & dicitur *cap.nulli dubium* 3. *quaſt.*3.

Sed notandum, quòd Deus quandoque permittit, vt nos dicti Apoſtatæ, & eiecti lingua, & manibus inſequantur, vt noſtram patientiam exerceat, vanã gloriam compeſcat, noſqoe ad virtutes ardentius proſequendas inflammet, à leuitatib. reſtræoet, ad mundum deſpiciendum incitet, & ad patriam cœleſtem amandam inuitet iuxta *cap. ſunt plurimi 6. q.*1. Audiamus, quid ad hoc propoſitum dicat Gregorius *lib.*9. *epiſtolarum ep.*39 *ad Theoſiſtam. Neque enim* ait,*electis ſuis in hac vita promiſit gaudia delectationis,ſed amaritudinem tribulationis, vt medicina mere,per amarum poculum ad dulcedinem aterna ſalutis redeant. Quid namque dicit? Mundus gaudebit, vos lugebitis. Sed qua ſpe,qua promiſſione? Paulo poſt additur. Iterum videbo vos,& gaudebit cor veſtrum,& gaudium veſtrum nemo tollet à vobis. Hinc iterum diſcipulis dicit. In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. Penſate, quaſo, vbi erit patientia, ſi deeſt quod toleretur. Ego Abel eſſe non ſuſpicor, qui Cain non habuerit, Bonò enimſi ſine malis fuerint,perfecti eſſe boni non poſſunt,quia minimè purgantur. Ipſa autem malorum ſocietas,purgatio bonorum eſt. Tres in arca filij Noë fuerunt,vnus irriſor patris extitit, qui etſi in ſe benedictus fuit, maledictionis tamen ſententiam in filio ſuſcepit. Duos Abraham,priuſquam vxerem Ceturam acciperet, filios habuit, ſed tamen carnalis eius filius eſt repromiſſionis filium perſecutus. Quod magnus Doctor exponit,dicens ſicut autem is, qui ſecundum carnem eſt, perſequebatur eum, qui ſecundum ſpiritum, ità & nunc. Duos Iſaac filios habuit, ſed vnus,qui ſpiritalis extitit,antè minas carnalis fratris fugit. Duodecim Iacob filios habuit,ſed vnum, qui rectius viuebat,decem in Aegypto vendiderunt. In Dauid Propheta, quia fuit quod purgari debuiſſet, actum eſt,vt perſecutorem filium pateretur. Beatus Iob de ſocietate reproborum dicit. Frater fui draconum, & ſocius ſtruthionum. Ad Ezechielem Dominus ait,Filij hominis,increduli, & ſubuerſores ſunt tecum,& cum ſcorpionibus habitas. In duodecim Apoſtolis vnus reprobus mixtus eſt, vt eſſet cuius perſecutione vndecim tentarentur. Apoſtolorum Princeps diſcipulis loquitur,dicens Iuſtum Loth oppreſſum à nefandorum iniuria,& conuerſatione eripuit. Aſpectu enim,& auditu iuſtus erat, habitans apud eos, qui de die in diem animam iuſti iniquis operibus cruciabant. Paulus quoque Apoſtolus diſcipulis ſcribit dicens: In medio nationis praua,& peruerſa, inter quos lucetis ſicut luminaria in mundo, verbum vita continentes.*

Quia ergo, ſcriptura teſte, cognoſcimus, bonos ſine malis eſſe non poſſe, de ſtultorum vocibus excellentia veſtra turbari nullatenus debet. Et paucis interpoſitis. *Si ergo fuerunt, qui malam famam Paulo imponerent, qui hunc ſeductorem vocarent; Quis,rogo, Chriſtianus debet indignum ducere, pro Chriſto iniurias audire? Quanta autem virtutis pracurſor noſtri Redemptoris fuit, nouimus, qui per ſacrum eloquium, non ſolùm pluſquam Propheta, ſed etiam Angelus vocatur; & tamen, ſicut mortis eius hiſtoria teſtatur, poſt mortem à perſecutionibus eius corpus incenſum eſt. Sed quid iſta de ſanctis hominibus dicimus? De ipſo Sancto Sanctorum (ideſt de Deo) qui pro nobis homo factus eſt, loquamur, qui antè mortem iniuriam, quòd Damonium haberet, audiuit. Poſt mortem verò à ſuis perſecutoribus ſeductor appellatus eſt, cum dicerent: Scimus, quia ſeductor ille dixit, Poſt tres dies reſurgam. Quanta ergò nos peccatores à lingua, vel manibus iniquorum hominum portare neceſſe eſt, qui in aduentu aterni Iudicis iudicandi ſumus, ſi & ipſe, tanta tàm ante, quàm poſt mortem pertulit, qui, & Iudex venit?*

At inquies, aliqui ex calumniis, & conuicijs talem voluptatem hauriuot, vt facilè etiam præbeant aſſenſum Vnde intereſt,hos ſycophantas commoni omnium ludibrio, & irriſui exponere, vt malefacta cognoſcant ſua; & qui his conuicijs delectantur, ſe conuiciatoribus delectati intelligant, quod & monuit Yſocrates. *Caue calumnias, licet falſa ſint, nam multi veritatem ignorant, famaque, & opinione ducuntur.*

Reſpondeo, verum quidem eſſe, quod *non eſt quidquam mortalibus, tam ſuaue, & iucundum, quam de rebus alienis garrire*, vt ait Sanctus Gregorius Nazianzenus *apologia* 1. Et quod aliqui ita ſunt curioſi audiendi aliena facta; Religioſorum præſertim, etiamſi falſa ſiot, & nullam veri ſpeciem præſeferant,vt ea totis pedibus excauare nitantur, ijſque ſycophantis ita delectentur, vt alij ſuauiſſimis, & dulciſſimis cantionibus, parum aduertentes dictum Comici, *Qui calumnijs aſſenſum prabet, is aut moribus improbus eſt, aut puerilem animum gerit.* Et licet dicant,ſe non præbere aſſenſum,ſed delectati tantummodo audire talia. Ergo dicemus eſtis, vt Scarabæi, qui delectantur, & nutriuntur in ſtercore, & eſtis portæ illæ ſterquilinij, de quibus Plutarchus *apud Roa ſingularium locorum lib.*6.*c.*15.per quas purgamenta eijciuntur ciuitatum.Quod ita verum eſt,vt negari nequaquam poſſit. Nam ſi detrahentium guttur nihil eſt aliud,quam ſepulchrum, iuxta illud Pſalmi, *Sepulchrum patens eſt guttur eorum,* Ex ſepulchris non oriuntur niſi fætores, qui dum excipiuntur, & tam hilariter à vobis, portæ meritò ſterquilinij nuncupamini.

Hæc, inquam, vera ſunt,ſicut & verum eſt dictum illud. *Calumnia negligenda non eſt, licèt valdè falſa ſit, ſunt qui eam nolint amplificare, & magnis incrementis adaugere. Propter quos rationi conſentaneum eſt, vt hoc talia vitentur, & caueantur,* & illud Apulei apolog.2. *Pudentis, & verecundi animi eſt, etiam falſa vituperatione grauari.* Tamen verum etiam eſt dictum illud Demoſthenis. *Calumniam, occaſione oblata, firmam quidem ſuſpicionem auditoribus inijcere: temporis autem progreſſu langueſcere, & euaneſcere.* Et dictum Senecæ 2. de Ira cap.30. *Ille magnus,& nobilis eſt. Qui more magna fera latratus canum ſecurus exaudit.* Et ibidem, *Contumeliarum patientia ingens inſtrumentum eſt ad tutelam regni.* Verum etiam eſt illud Iob.16. *Ecce enim in calo teſtis meus, & conſcius meus in excelſis.* Quem locum explicans Gregorius in principio epiſtolæ citat. *ad Theoſitam,* ait; *Qui enim vita ſua in calo teſtem habet, iudicia hominum in terra pertimeſcere non debet.*

Quid igitur faciendum? Tolerandæ ne omninò calumniæ,an reſiſtendum? Ad hoc reſpondeo,reſiſtendum pro poſſe,lingua,& manibus,verbis,& operibus; Quia, vt Gregorius *loco cit.* ait, *Cum ſedari ſtultorum hominum murmur tranquilla ratione poteſt, peccatum eſſe credo, ſi ne bonum, quod valet fieri, negligitur, vt fiat. Nam cum placare inſanas mentes, atq; ad ſalutẽ reducere poſſumus, ſcandalizare eos minimè debemus. Sunt enim quadam ſcandala, qua omninò deſpicienda ſunt: quadam verò cum*

vitari

vitari sine culpa possunt, despicienda non sunt, ne cum culpa seruentur. Et paucis interpositis, docet, illa scandala, quæ nos ad peccata implicant, contemnenda, & ea, quæ placare sine peccato possumus, modis omnibus mitiganda. Si verò omnibus diligentiis peractis, nihil proficiamus, tunc dicamus eum Christo Matt. 15. Sinite illos, caci sunt, & duces cacorum. Et consolemur illo Matth. 5. Beati estis cum maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos mentientes, propter me. Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlo: sic enim persecuti sunt Prophetas, qui fuerunt ante vos. Et illo Matt. 10. Si patremfamilias Belzebuth vocauerunt, quantò magis domesticos eius. Consolemur denique exemplis eorum, qui similibus calumniis petiti sunt Quorum multos hic supra attuli, addentes, quòd, Reddet illis Dominus secundùm opera eorum, vt dicitur ad rem hanc 2. ad Timoth. 4. Et quod disrumpantur licèt calumniatores, & eorum auditores, Religio semper erit Religio, & quò acriùs fuerit impugnata conuiciis, eò (protegente Domino, primo Religionum omnium fundatore) florebit feliciùs. Et canet illud Pindari.

Preme Preme immersabilis sum sicut suber maris septum. His tandem vnam mentem proponò si sapiunt quidquam, voluendam, Augustini sententiam *serm.* 53. *ad Fratres in Eremum*, vbi ait, *Nemo laceret seruos Dei, quia non expedit lacerantibus, seruus Dei quidem merces falsis detractionibus crescit, sed crescit etiam pœna detrahentibus. Nam non sine causa dictum est, Gaudete, & exultate, quando detrahunt de vobis, quia merces vestra magna est in cœlo?*

§. II.

Quare à Religione eiecti, & Apostatæ sint tàm peruersi flagitiosi, & scandalosi.

EST tes miserabilis, & contrà naturam, quòd assueti Regulari disciplinæ, si semel excutiant iugum, tam effrænatè, & libidinosè viuunt, vt vix flagitiorum genus sit repertte, quod ipsi attentare non audeant. & tamen videretur, quod contrarium foret futurum, quia, vt dicitur Prouerb. 22. *Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea*, & S. Maximus in serm. de S. Io. Bapt. *Quod in iuuentute addiscitur, in matura ætate seruatur*, & Salust. in Iugurtha, *Benefacere ex consuetudine, in naturam vertitur*. & tandem, *Suaue est homini, quod consueuit tota vita sua.* Hic huius rei rationem quærimus.

Dicendum est cum Philosopho, quod corruptio optimi pessima est, & si bonus bonitatem relinquat, non fiet malus, sed pessimus, sicut enim flumen assuetum fluere, si per aliquod tempus retineatur, aperta deinde aliqua via; maiori impetu ruit; Vnde Poëta *Æneidos primo de ventis carcere ab Æolo detentis.* Cum conuersa cuspide impulit in Latus cauum montem. *At venti velut agmine facto. Qua data porta ruunt, & terras turbine prestant.* Sic isti aquatici homines, Veneris Fratres, & ventu ambitionis agitati sub iugo suaui Religionis assueti, si semel illud excutiant, ve sui iuris compotes facti, omnia sibi licere existimant, & sic nullum reperitur facinus, quod attentare non audeant. Quod etiam omniscius D. Thom. docuit 2. 2. *quæst.* 186. *art. vltim.* ad 3. vbi ait. Quod *isti non fiunt mali, sed pessimi*, & ad id adducit illud Ieremiæ *Confregisti iugum, dirupisti vincula, dixisti non seruiam, in omni colle sublimi, & sub omni ligno frondoso, tu prosternaberis meretrix.* Ratio autem formalis est, quia procliuius tendit in malum, quam in bonum natura, quæ ad malum est prona ab adolescentia sua, & oneri habet Regularem disciplinam in quæstin autem relaxatè vincte.

Ad quod facit illud Doctissimi Baronij *tom.* 12. *annal. anno* 1125. *pag.* 102. *Nihil*, ait *in suis membris infestius Ecclesia patitur, quàm Religiosos à paternis institutis deficientes, & amore secularium ad gloriam, & lucra turpiter inhiantes.* Sed meliùs Augustin. epist. 137. *Qui testis est super animam meam, ex quo Deo seruire capi, quomodo difficile sum expertus meliores, quàm qui in Monasteriis profecerunt, ita non sum expertus peiores, quàm qui in Monasteriis ceciderunt. Ita vt hinc arbitror scriptum in Apocalypsi. Iustus iustior fiat, & sordidus sordescat adhuc*, & refertur *in cap. Quantumlibet distinct.* 47.

§. III.

Vtrùm possit eiici à Religione, qui interrogatus in Professione, an haberet aliquam infirmitatem incurabilem, vel aliud impedimentum, negauit, si posteà repertus fuerit habere.

IN Religione nostra Minimorum Nouitij facturi professionem interrogantur, an habeant aliquam infirmitatem incurabilem, vel contagiosam, qui si negauerint, admittuntur ad professionem, cum protestatione, quod si deinde reperti fuerint aliquam huiusmodi habere, professio erit nulla, ita habetur in nostris cæremonijs de modo recipiendi Fratres ad professionem, & *in Capitulo Paula auctoritate Apostolica confirmato*, *num.* 33.

Secundò, in eodem Capitulo Paulæ nunu. 34. *Definierunt Patres, quòd similis interrogatio fieri debeat de illis, qui ex Confessorum genere originem traxerunt, cum simili protestatione de habenda nulla, & irrita eorum professione*, de cuius statuti validitate dispur. Nau. *lib.* 3. *consil. de Regul. consil.* 26. Passarellus *in Scholijs ex Gennensi*, *num.* 31. Rodriguez *tom.* 3. *quæst. Regul. quæst.* 11. *artic.* 1. & 2. Beia 4. *parte casuum*, *casu* 33. Miranda *tom.* 1. *Manual. quæst.* 19. *art.* 7.

Tertiò, interrogantur, an grauati sint ære alieno, & cum non esset soluendo, ad Religionem conuolauerint: vel commiserint aliqua delicta, propter quæ non possint in sæculo tuti manere.

Quæritur igitur *in hoc* §. An qui negauit habere aliquod ex prædictis impedimentis (cæteræ enim interrogationes non multam patiuntur difficultatem) præfata protestatione adhibita, posteà repertum fuerit habere aliquod, sit nulliter professus, & per consequens possit à Religione expelli.

Circa primam interrogationem dico, quod in nostra Religione per prædictum statutum à Papa confirmatum, Professio habentis incurabilem, vel contagiosam infirmitatem est nulla, ita Rodrig. *tom.* 3. *q. Regular. q.* 17. *art.* 9 Mirand. *tom.* 1. *Manual. q.* 19. *art.* 2. Vegà 2. *part. cap.* 50. *casu* 4. *notab.* 3. à Sorbo *in compend. priuil. mendic. verbo Nouitius post* 7. *notab.* §. 5. *principaliter*, *pag. mihi* 435. Sanchez *lib.* 5. *in Decalogum cap.* 4. *num* 57. Quod etiam sensit, & defendit præclarissimus Iurisconsultus Zacharias Giraldus Bonon. *anno* 1610. in casu, quo quidam filius Excell. D. Antonij Cucchi Medici præclarissimi; in d. Ciuitate propter comitialem morbum fuerat à nostra Religione expulsus, in qua solemniter professionem emiserat; cui expulsioni adstipulata est deinde, vt audiui, Romana Rota.

Circa secundam interrogationem dico, quòd illud statutum Paulæ est contra ius commune, *cap. Eam te de rescriptis*, vt Felinus *num.* 12. ponit hanc Regulam, *Infidelitas etiam propria non nocet Conuerso.* Et latè id probat Passarellus *in Scholiis ex Genuensi*, *numero* 31: §. *Quæstio super receptionem istorum*, & ideò cum acta prædicti Capituli sint confirmata, quatenùs iuri communi contraria non sunt, statutum illud nihil valet: Præterea fuit cum multis non obstantiis antiquatum in specie à Gregorio XIII. *anno Domini* 1583. *die primà Augusti* per suam constitutionem, quæ incipit. *Muneris nostri*,

nostri, & habetur *in nostris constitutionibus post Regulam, pag.* 23. in qua cessat prædictum statutum, *quia*, ait, *Græci, & Iudæi, distinctio esse non debet*, admittitque præfatos ad dignitates, & officia ordinis.

Confirmat autem dictum statutum *quoad illos, qui ex Iudæis, ex eo quod post baptisma ab eis susceptum, iterum à fide Catholica recesserint, per sententiam in foro Ecclesiastico latam damnatis, Mahumetanis item, & Hæreticis similiter damnatis, viuis, vel defunctis, vel quorum ossa, vel statua combusta sunt, originem ducunt per lineam paternam, vel maternam vsque ad quartam generationem inclusiuè*, vide Zenatdum *tom.* 2. *sua sum. cap.* 17. quod conformat cum *cap. Si qui Presbyteri prima quæst.* 7.

Itaque prædictum statutum Paulæ indistinctè nullius est momenti, tùm propter dictam constitutionem Gregorij; tùm quia contra ius commune cit. *Cap. Eam te*, contra quod nullus inferior Papæ habet auctoritatem statuendi, vt docet Nauarr. *lib.* 3. *consil. de Regul. consil.* 26. *num.* 4. Passarell. *loc. cit.* Rodrig. *tom.* 3. *q. Regul. quæst.* 11. *art.* 2. Miranda *tom.* 1. *Manualis, quæst.* 19. *art.* 7. *versu Premitto* 2. *d.* 20. & habetur expressè *in cap. Quod super his de maioritate, & obedientia.*

Valet autem quoad eos, qui originem ducunt ex relapsis Iudæis, Mahumetanis, & Hæreticis damnatis per sententiam in foro Ecclesiastico, & hoc siue dicant originem per paternam, vel maternam lineam. Vnde duæ conditiones requiruntur, ad hoc vt quis iam professus in nostra Religione, vigore prædicti statuti possit expelli vsque adquartam generationem inclusiuè. Primò, quòd ducat originem ex Iudæis, &c. qui post susceptum baptisma ad Iudaismum, &c. redierint. Secundò, quòd de hoc conuicti, & damnati fuerint in Tribunali Ecclesiastico.

Dicunt verò Nauarr. *loc. cit. num.* 1. *&* 11. Rodrig. *loc. cit.* Ludouicus Beia 4. *part. casuum, casu* 35. *vers. Probatur hæc veritas, col.* 2. *& versu, Ex his apertè, col.* 6. Sanch. *lib.* 7. *de matrim. disp.* 37. *quæst.* 4. *num.* 30. *& lib.* 5. *in Decalog. cap.* 4. *num.* 73. Quòd licèt præfati descendentes ex maculato genere (non loquor de relapsis) non possunt eijci ex Religione vigore præfati statuti, quod nullum est, possunt tamen eiici, quia non fuit datus consensus legitimus ex parte recipientium, receperunt enim eos cum ista conditione, si non descendissent ex infidelibus, & dispositio conditionalis, non existente conditione, nihil operatur, vt *cap. Si pro te de rescriptis in* 6. *& cap. Præterea el secundo de appell.* quibus tamen, (Hoc saltem casu) obstat præfata Constitutio Gregorij, quæ vult, quòd conditio originis, Iudæis, & Mahumetanis, nec quoad ingressum, nec quoad dignitates, quidquam nocere possit, aut debeat etiam facta d. protestatione ex parte Religionis; vt patet ex *dict. constit. Gregor.* §. 1.

Ad tertiam interrogationem. Dico quòd in Ordine nostro nullum est statutum irritans professionem istorum: & quando fiunt protestationes, non fiunt, nisi de infirmitate incurabili, vel contagiosa: præsertim in his partibus Italiæ, in quibus ratò inueniuntur, qui ex genere Iudæorum, vel Mahumetanorum descendant.

Primò autem circa grauatos ære alieno: & reddendis rationibus obnoxios, propter administrationem rei alienæ, vel publicæ, vel particularis: vel criminosos, extant duæ constitutiones Sixti Papæ V, vna, quæ incipit *cum de omnibus*, & altera huius modificatiua, quæ incipit *ad Romanum spectat, Pontificem*, quas refert Quaranta, *verbo Monasteria Regularium, pag. mihi* 406. & Naldus *in sum. verbo Religiosus, num.* 40. in quibus prohibet, tales ad Religionem recipi, & receptos, & iam professos eijci iubet, & priuat voce actiua, & passiua, & officijs, quæ habent ipso facto quoscumque Religiosos, & eorum Superiores, inhabilesque reddit in perpetuum ad alia obtinenda, qui dictos ære alieno grauatos, & criminosos ad Religionem receperint. Quas extrauagantes, simul cum illarum modificatoria Gregorij XIV. quam referunt iidem Quaranta & Naldus, reduxit ad terminos iuris Communis Clem. Papa VIII. *anno Domini* 1602. *die* 2. *Aprilis* per suam constitutionem, quæ incipit *in suprema Ecclesia*, quam refert Naldus *in sum. verbo Professio Regularium, num. vlt.* & Cherub. *tom.* 3. *Bull. in Clemente VIII. constit. eius* 83. *pag. mihi* 129. & Meminit de ea Sanchez 7. *de matrim. disp.* 37. *quæst.* 4. *num.* 34. & Beia 4. *parte casu* 18. *fine*, Miranda *tom.* 1. *Manual. quæst.* 19. *art.* 3. relictis tamen in suo robore pœnis, ibi contentis contra Superiores, qui ea forma non seruata, aut illis impedimentis affectos ad Religionem admittunt.

De iure autem communi certum est, professionem pressi ære alieno, esse validam, etsi profitendo, teddatur impotens ad soluendum; cum tamen in sæculo esset soluendo, & patet, quia ad hoc vt professio sit valida, satis est, si persona sit libera, & à iure profiteri non prohibeatur, persona autem debitoris non est creditorum serua nec eis debita, quamuis ad illis satisfaciendum obligata, nec vllo iure Ecclesiastico illa professio irritatur ante constitutionem Sixti V. ita Angles *in floribus*, 2. *part. quæst. Quis à resist. fit liber, art.* 2. *difficul.* 9. *pag.* 172. *versu valebit tamen*, Medina *Cod. de rebus restitut. quæst.* 3. *casu* 8. *ad quintum*, Sanchez *lib.* 4. *in Decalogum, cap.* 19. *num.* 2. Verùm quidem est, quòd tam receptus, quàm recipientes peccabunt mortaliter, vt Angles.

Circa verò reddendis rationibus obnoxium, si reddere debeat Reipublicæ, & communitati, cui sit perpetuò obligatus, ingredi non potest, vt habetur *c. Legem, d.* 53. Si verò sit obligatus ad ratiocinia priuatorum, potest ingredi, vt habent Angelus, *verbo Religiosus, num.* 10. Sylu. *verbo Religio* 2. *quæst.* 6. Sanchez multos citans 4. *in Decalog. cap.* 19. *num.* 19.

Secundò noto, quòd debita, quæ prohibent, his onustum ingredi Religionem, debent esse suprà ipsius facultatem; & debent esse certa, quorum Dominus, facta diligenti Inquisitione, possit sciri, vt dicitur *in præfata constit.* & per debita intelliguntur, non solùm realia, verum, & personalia, si scilicet aliquis esset condemnatus ad soluendum aliquid in pœnam alicuius transgressionis. Verùm quidem est, quòd posset quis ingredi Religionem de consensu suorum creditorum, vel etiam ipsis inuitis, priùs cedendo bonis suis; vt notant Rodrig. *tom.* 3. *quæst. Regul. quæst.* 10. *art.* 9. Miranda *tom.* 1. *Manualis, quæst.* 17. *art.* 7. Naldus *in summ. verbo Religiosus, num.* 2.

Tertiò, Circa obnoxios reddendis rationibus noto, quòd si patrimonium illius, qui vult profiteri, longè superat æstimationem administrationis præstitæ, nec rationes eius ita sunt inuolutæ, vt possit el molestia aliqua inferri, hoc non esset impedimentum ad Religionem profitendam, vt ex mente huius constit. colligit Diaz *in sua practica, cap.* 2. *num.* 6. Naldus *loc. cit.*

Nec similiter impeditur quis à Religionis ingressu, & à facienda professione, si ante ingressum sufficientem cautionem præstitisset, qua fideiussores se ad reddendas rationes obligateor, sicut principales debitores, vt notat idem Diaz. Qui autem sint ij, qui sunt obnoxij ad reddendas rationes, docet Rodrig. *loc. cit. art.* 11. nimitùm Tutores, Curatores, Actores, Procuratores, & Executores: de quibus omnibus intelligitur *prædicta exerauagans Sixti V.* videri potest circa hoc ipsum Rodriguez *tom.* 3. *quæst. Regular. quæst.* 54. *art.* 2. *& per totam quæstionem*, vbi ex professo agit de istis Bullis Sixti, & Sanch. *loc. cit.*

Quartò, Circa criminosos noto, quod si postquam quis commisit homicidium, latrocinium, &c. & antequam de his cognoscat Iudex sæcularis, ingrediatur Religionem, non potest de his delictis ampliùs Iudex sæcularis

cularis cognoscere, nec hæc crimina impediunt Religionis ingressum, sed solùm impedirent, quando ante susceptionem habitus deducta essent in iudicium per accusationem, seù Inquisitionem contra delinquentes, ita declarauit suam primam constit. prædictus Sixtus, & aduertunt Rodriguez *loc. cit. art. 7.* & Miranda *tom. 1. Manual. quæst. 20. art. 8.*

Aduertendum tamen circa hos criminosos, quod Leo X. *Anno 1516. die 15. Martij* per suam constitutionem, quæ incipit, *cum sicut nobis*, & habetur *in nostris priuileg. Minim. pag. 151. Concessis Generalibus, & Prouincialibus Ordinis Fratrum Minorum, vt Fratres eiusdem Ordinis etiam professos, qui grauissimis, & scandalosis delictis notati, & diffamati fuerint, qui fraudulenter, ac dolosè in eorum receptione, ac professionis emissione (monitione super his per prædictos Prælatos præmissa) tacuerunt, non obstante, quòd iam recepti sint, & professionem emiserint, ne morbida, & infecta pecus ouile Domini corrumpat, & vt alijs cedat in exemplum, à domibus, & conuentibus dicti ordinis expellere, & remouere, liberè, & licitè possint, & valeant, prout conscientijs prædictorum Superiorum (quas super hoc onerat) visum visum fuerit iustum, & honestum.*

Circa quam constitutionem aduertit Rodrig. *tom. 3. quæst. Regul. quæst. 17. art. 9.* quod ad hoc vt præfati criminosi possint espelli à Religione, non est necesse, quod eorum delicta sint deducta per accusationem, denuntiationem, vel Inquisitionem in iudicium, vt volebat constitutio Sixti V. sed satis est, quod de iis delictis fuerint diffamati, & notati: etiamsi non fuerint accusati.

Aduerto etiam, quod hoc priuilegio gaudent omnes communicationem habentes, & quod non est reuucatum. Noto etiam, quod non conceditur per hoc priuilegium, vt professio ab istis facta possit nulla declarari, sed tantùm, vt possint expelli.

Ex his igitur colligitur primò, quod nullus professus potest à Religione expelli, eo quod descendat ex genere Iudæorum, Mahumetanorum, & aliorum Infidelium, quantumvis interrogatus hoc tacuerit in professione, neque potest à Religione expelli professus ære alieno grauatus. Nec reddendis rationibus obnoxius iuxta dicta: Verùm quidem est, quod Superiores recipientes huiusmodi debitis, & ratiociniis obligatos incurrent pœnas positas in Bullis Sixti, atque ita tenet Sanchez *lib. 4. in Decalogum cap. 19. num. 21.*

Secundò, Colligitur, posse tamen à Religione Minim. expelli laborantem incurabili, seù contagiosa infirmitate, & descendentem ex Hæreticis, Iudæis, vel Mahumetanis relapsis; Posse etiam expelli criminosos, quamvis eorum delicta non fuerint in iudicium deducta, modo de iis fuerint diffamati, per priuil. Leonis citatum.

§. IV.

A quonam debeat expelli Professus inualidè propter infirmitatem, vel crimina, de quibus est in sæculo diffamatus.

Dicendum est, quod debet expelli à Generalibus, vel Prouincialibus Ordinis, cum eorum Collegis, absque aliquo interuentu ordinarij, ita Rodrig. *tom. 3. quæst. Regular. quæst. 17. art. 9. & quæst. 11. articul. 2,* Nauarr. *lib. 3. consil. de Regular. consil. 26. num. 13 & consil. 87. à num. 1.* Miranda *tom. 1. Manual. quæst 52. art. 2. conclus. 5.* Zacharias Giraldus cit. *§. præced. in facti contingentia, num. 76.*

Probatur *ex priuil. Leonis X. cit.* quod expresè concedit hanc facultatem Superioribus ordinis, vt vidimus.

At obiicies, Concil. Trid. *sess. 25. de Regul. cap. 19.* vbi dicitur, *quòd quicumque Regularis prætendat se per vim, aut metum ingressum esse Religionem, aut etiam dicat ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile, veliteque habitum dimittere quacumq; de causa, &c. Non audiatur, &c. nisi causas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore suo, & ordinario.* Ex quo colligitur, quod ad declarandam professionem nullam, requiritur auctoritas, non solùm Superioris Religionis, sed etiam ordinarij locorum.

Respondeo circa hoc caput, multa, & doctè docent Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 37.* & prædictus Zacharias *in consil. pro hac re, à num. 48. vsque ad 97.* Ait ergo Sanch. *quæst. 4. num. 32.* quem sequitur d. Zacharias, Concilium non procedere in professione nulla, & irrita ex statutis Religionis à Pontifice confirmatis, sed procedere in causis irritantibus professionem de iure, vt exempla, quæ affert, innuunt; Professio enim facta ante tempus debitum nulla est ipso iure, si fiat ante pubertatem, item professio metu, vi, dolo nulla est, vt Syluest. *verbo Religio 3. num. 11.* sed hæc professio nulla est per statutum speciale.

Ex quibus colligitur, posse Religionem, nulliter per ipsius statuta professum in casibus propositis semper eijcere, etiam transacto quinquennio, quia alioquin maximum detrimentum pateretur, cogeretur enim effectos inhabiles per sua statuta à Papa confirmata retinere, eo quod quinquennium translactum sit à professione irrita, doloque facta, atque ita decretum fauore Religionis editum in ipsius detrimentum redundaret, contra Regulam. Quod ob gratiam quæ est 61. *de Regulis iur. in 6.* vbi dicitur, *Quod ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum,* & illi inhabiles, commodum ex suo delicto reportarent, contra *caput tua de Clericis non residentibus,* ita Sanchez *loc. cit. num. 32.*

Secundò, Colligitur, hos inhabiles, quocumque tempore transacto reclamantes esse audiendos; quia Trid. claudens aditum ad reclamandum post quinquennium, non loquitur de his inhabilibus; clausula enim. Ex quacumque causa, ad personas habiles restringenda est, ita Sanch. *loc. cit. num. 33.*

Tertiò, Colligitur, ipsos debere reclamare apud solos Prælatos Regulares, ad quos pertinet, declarare nullitatem professionis, nec posse cogi Prælatos Regulares ad simul cum ordinario causam decidendam, quia, Concilium non loquitur in his casibus, vt diximus, & fuit in facti contingentia, ita iudicatum in casu illo Bononiensi citato, in quo per solum Vicarium Generalem nostri Ordinis fuit prædictus Cucchius propter comitialem morbum à Religione expulsus: quam sententiam, vt audio, confirmauit Rota Romana,

Quartò, Colligitur, quod professio facta per metum cadentem in constantem virum est nulla, etiamsi metum incutiens non incutiat in ordine ad dictam professionem; nam professio debet esse libera, sed ex quocumque fine sit metus concussus libera non est, cum est, per metum; ergo neque Concilium requirit, quod metus sit incussus in ordine ad professionem, sed absolutè; quod qui per vim, aut metum prætenderit, &c. Vnde qui timore, ne occideretur in sæculo, Religionem est ingressus, videtur posse prætendere se per metum fuisse ingressum. Sic iuuenis, qui sæuitiam Patris, vt aufugeret, Religionem est ingressus, videtur, posse prætendere fuisse per vim ingressum; nam tunc professio libera non est, supposito quod nesciat quo alio loco commodius possit diuertere. Fauet Trid. *dicta sess. 25. cap. 17 & cap. 16.* ibi, *ne hac accasione discedere nequeat*, in quo supponit Trid. quod bona Monasterio donata libertatem professionis impediant; quod si bona temporalia dictam impediunt libertatem, multò magis illam impediet metus mortis, quæ verò impediunt ne liberè fiat professio; factam professionem cassant in casibus designatis à Concilio, scilicet vi, metu, &c.

§. V.

§. V.

Vtrùm Conuentus possit consentire, vt habens incurabilem, seù contagiosam infirmitatem, validè profiteatur.

SCiunt Fratres vnius Conuentus, aliquem Nouitium Comitiali morbo, seù alio incurabili laborare, tamen admittunt eum ad professionem cum consensu Prælati. Quæritur, an iste sit validè professus, ita vt ab alijs Superioribus non possit amplius expelli.

Dicendum est, non posse Fratres consentire, vt talis validè profiteatur.

Probatur, tùm quia est contra Regulam, & Regularia statuta, tùm quia, licèt reuera consentiant, deest tamen potestas validè consentiendi, & validus nouitij consensus, vtpotè qui iure incapax est.

Neque valet quod vnicuique licèt iuri suo renuntiare, nam dico quod hoc intelligitur de iuribus singularibus, & personalibus, non autem de iis, quæ sunt in communem vtilitatem Religionis: his enim fratres vnius Conuentus renuntiare non possunt: imò neque Fratres Capituli Prouincialis; neque etiam Fratres Capituli Generalis; quia hæc Capitula non possunt quidquam, quod sit contra Regulam, & commune bonum, vt patet *ex cap. si diligenti de foro competenti*, & habet Glossa *in capite ad Apostolicam de Regul. verbo Monasterij*, adde quod quando dicitur, quod vnicuique licet iuri suo renuntiare; intelligitur modo non sit in præiudicium tertij; vt esset hoc casu, nimirum communitatis.

CAPVT XXVI.

De Religiosis Apostatis, vagabundis, & fugitiuis.

PRo hoc capite videatur. Cajet. 2. 2. *quæst.* 12. *art.* 2. §. *antepenult.* Innocent. Panorm. & alij Canonistæ *toto titulo de Apostatis* Hostiensis *in summ. lib.* 5. *tit. de Apostasia, pagina* 1547. Angelus, Tabiena, Rosella, Pisanella, Sylu. Cajet. & reliqui Summistæ *verbo Apostasia* Nauarr. *lib.* 5. *consil. de Apostatis*, & *lib.* 3. *consil. de Regul. consil.* 75. & *comm.* 2. *de Regul. num* 33. Quaranta *in summ. Bullarij. verbo Apostata*, & eius Additionator, *verbo casus reseruati circa secundum casum*, Graff. *lib.* 3. *de casibus reseruat. cap.* 2. & 1. *p. decis. lib.* 3 *cap.* 5. *à num.* 78. Confectius *in compend. priuil. mendic. tit.* 13. *cap.* 14. & 16. Casarubius, & à Sorbo *in compend. verb. Apostata* Zerola *part.* 2. *praxis verb. Monachus*, Diaz, & Salzedo *in practica, cap.* 114. Sà *in Aphorismis, verbo Religio, à num.* 71. Vega 1. *part. sum. cap.* 20. Antonin. 3. *part. tit.* 16. *cap.* 5. Valent. *tom.* 3. Iulius Clarus *in sua practica crimin. lib.* 5. *quæst.* 77. *num.* 16. Rodrig. *tom.* 1. *quæst. Reg. quæst.* 30. Azor. *tom.* 1. *instit. moral. lib.* 12. *cap.* 16. Lessius *lib.* 2. *de iustit. cap.* 41. *dub.* 15. Suar. *tom.* 5. *in* 3. *part. disp.* 23. *sect.* 4. *excommun.* 14. Reginald. *lib.* 18. *praxis, num.* 416. Miranda *tom.* 1. *Manual. quæst.* 51. Ioannes à Cappeanile 2. *part. de casibus reserv. cap.* 2 *quæst.* 1. Sayrus *lib.* 3. *de censuris, cap.* 34. *à num* 7. Thomas Triuizanus *in sua pract. crimin. cap.* 18. *num.* 28. Spatharius *de modo corrigendi Regul. tract.* 10. *part.* 3 *cap.* 18 Ledesma *de statu Religiosorum in communi, cap.* 4. *conclus.* 18. *diffic.* 1. *pag. mihi* 176. & *cap.* 8. *per totum, pag.* 273. Sanchez. 6. *in Decalog. cap.* 8.

Missis variis distinctionibus Apostasiæ, à Fide, ab Obedientia, à Religione, vel ab Ordine, & aliis subdiuisionibus horum membrorum, quæ videri possunt apud cit. Doctores. Hic solùm nobis agendum est de Apostasia à Religione, quam quis per solemne votum professus est. Quæ Apostasia nihil est aliud, quàm recessio à Religione, quam quis professus est, habitu dimisso, vel retento, absque animo ad eam amplius redeundi.

Noto primò, ex Cajet. 2. 2. *quæst.* 12. *art.* 1. §. *antepenult.* dupliciter posse contingere, Religiosum sine licentia extra Claustra manere. Primò eo animo, & intentione, vt non sit ampliùs Religiosus, & hic est verus Apostata: nec excusatur ab Apostasia, & censuris annexis, ex hoc quòd habitum deferat, sed tenetur ad omnia, ad quæ tenentur alij Apostatæ sine habitu; Secundò eo animo retrocedendi à Religione, sed propter Prælatorum fortè rigorem, aut propter libidinem vagandi, aut aliquid huiusmodi, & talis non est Apostata, sed fugitiuus, & vagus; quod probat Cajet. ex eo quia Apostasia consistit in retrocessione à Religione: ac per hoc, qui retrocessioni à Religione nunquam consentit, nunquam Apostasiam incurrit, quamvis incurrat peccatum inobedientiæ, & rebellionis, contra præceptum Prælati exeundo. Sicut etiam stans in Claustro, & nolens pertinaciter obedire Prælato aliquid iustè præcipienti, rebellis est, non Apostata.

Noto secundò, Nauarr. *lib.* 5. *consil. tit. de Apostatis, cons.* 11. *num.* 8. ex prædicta doctrina Cajetani, optimè colligere differentiam inter Apostatam, & fugitiuum, seu vagum. Fugitiuus enim, est qui exit Monasterium sine Superioris licentia, & vagatur, siue omisso, siue retento habitu, & se celat, ne inueniatur, non animo Religionem deserendi, sed ad eam reuertendi. Apostata verò est ille Religiosus, expressè, vel tacitè professus, qui deserit Religionem, quam professus est, sine transitu ad aliam, absque animo ad eam reuertendi, siue dimisso, siue retento habito. Et dixi, tacitè, vel expressè professus, ad insinuandos duos modos, quibus quis per professionem Religionem ingreditur, de quibus *in sequentib.* §. aliqua dicam. Dixi, siue transitu ad aliam, quia si quis deserat Religionem laxiorem, & ingrediatur strictiorem, etiam non obtenta licentia sui Prælati, licèt petita, Apostata non est, vt dixi supra *cap.* 24. *conclus.* 1. Si autem ingrediatur laxiorem cum licentia Pontificis, non est dicendus Apostata, quia ad id Summus Pontifex habet auctoritatem, vt dixi *cap.* 24. *conclus.* 5. Si autem sua propria auctoritate, absque licentia Pontificis, vel sui Prælati data cum causa legitima, vt dixi *d. cap.* 24 *conclus.* 6. non est dicendus Apostata, nisi impropriè. Ita Rodrig. *tom.* 1. *quæst. Regular. quæst.* 30. *artic.* 1. & Graff. *lib.* 3. *de casibus reser. cap.* 2. *n.* 34. Ledesma *de statu Religiosorum in communi, cap.* 8. *conclus.* 4. Sanchez 6. *in Decalog. cap.* 8. *num.* 8. quamplurimos citans, quia iste non retrocedit à substantia Religionis, sed retroabit. Esset tamen, si à nostra Minimorum ad aliam, absque legitima causa, & auctoritate transiret, quia tunc retrocederet à substantia Religionis, de qua est quartum votum vitæ Quadragesimalis, vt dicam suo loco. Neque est censendus Apostata, qui exit Monasterium ad succurrendum parentibus, extremè, vel grauiter indigentibus, petita, licèt non obtenta licentia, vt dictum est supra *cap.* 9. & denique nullus fit Apostata, nisi per culpam mortalem; & non per omnem mortalem, sed per eam, qua retroceditur à Religione, animo ad eam amplius non reuertendi, vt dicunt omnes.

Ex quibus vlterius colligitur, non esse Apostatam eum, qui retrocessit ea retrocessione, quæ non est mortifera; vt si per aliquos passus sine licentia Prælati egrediatur Monasterio, statim reuersus Nauarr. *lib.* 5. *consil. tit. de Apostatis consil.* 11. *num.* 8. Rodrig. *loco cit.* Graff. *loc. etiam cit. num.* 46. cum exiguitas in omni materia excuset à mortali, vt docet D. Thom. 2. 2. *q.* 59. *art.* 4. *ad secundum.*

Neque esse Apostatam eum Religiosum, qui lasciuiendi liberius gratia, de nocte Monasterium exit, habitu dimisso, cum animo eadem nocte reuertendi, licèt si

incurrat

incurrat excommunicationem capitis, vt periculosa, de qua infra. Ita Graffius *part. 1. decis. lib. 3. c. 5. num. 79.* Ledesma *de statu Religiosorum in communi, cap. 4. conclus. 18. difficul. 1. vers. digolo 1. pag. mihi* 177.

Neque esse Apostatam illum, qui ad longum tempus, etiam sine habitu vagatur, si semper habet redeundi animum Graff. *lib. 3. de casibus reseru. cap. 2. num. 45.* Sanchez 6. *in Decalog. cap. 8. num. 4. fine*, Bannes, & Aragon. 2. 2. *q. 12. art. 1.* contrarium sentit Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 1. lib. 3. cap. 1. num. 41.*

Neque esse Apostatam, vel fugitiuum, nec mortaliter peccare illum Religiosum, qui valdè grauatus à suo Superiore Prælatum adit, vt à tali grauamine subleuetur, vt dixi supra *cap. 20. conclus. 1. dub. 1.* ex Nau. *com. 2. de Regul. num. 61.* Rodrig. *tom. 1. q. regul. q. 30. art. 3.* quibus addo Sanchez *6. in Decalog. c. 8. n. 17.* Franciscum à Coriolano *de casib. reseru. 2. p. casu 3: à num. 9.* Ricciulum *de iure personarum, lib. 8. c. 2. à num. 24.* qui id multis probat, & exponit Concil. Trid. *sess. 25. de regul. c. 4.* vide Suarez *to. 4. de relig. tract. 1. lib. 3. cap. 1. num. 5.*

E contra autem ex dictis etiam colligitur: esse Apostatam illum Religiosum, qui animo ad Religionem non reuertendi vagatur etiam cum habitu, patet ex Cajet. licèt si in foro exteriori non est iudicandus Apostata. Secundum aliquos quoad incurrendam excommunicationem capitis, vt periculosa, quam aiunt solum ferri in habitum dimittentes, non in hos Apostatas, qui licèt tales verè, & realiter sint, tamen cum id in intentione solum consistat eos excommunicatos non indicat sine habitus dimissione, quia solum de his, quæ videt, iudicat Ecclesia.

Etiam esse fugitiuum, Religiosum fugientem è carcere, in quo iussu sui Superioris iustè detinebatur. Ita Cajet. *2. 2 q. 69 art. 4. dub. 2. fine*, Armilla *verb. Accus. num. 19.* Nau. *comm. 4. de reg. n. 64. Corolar. 5.* Aragon. *2. 2. q. 69. art. 4. circa secundum argumentum* D. Thom. *dubio 1. fine*, Sanchez. quamplurimos citans *6. in Decalog. c. 8. num. 12.* Ratio est, quia Religiosi per vota se sua libertate exeundi à claustro, & vagandi priuauerunt. Temperat tamen Sanchez, nisi pœna capitis, vel membri alicuius abscindendi illi imponenda esset: vel licèt iustè detentus; iniustè tamen ibi per nequitiam custodis, vel mandatum Superioris affligeretur: puta, denegando illi cibum potum, vestem, aut ignem, ad vitæ sustentationem necessaria: quia tunc naturale conseruandæ vitæ desiderium, ius illi præberet fugiendi,

Etiam esse fugitiuum fugientem è carcere, in quo erat perpetuo damnatus. Nauar, *loco cit. Corolar. 4.* Salzedo *ad practicam* Diaz, *cap. 140. versu. Sed vtrùm Clericus, pag. mihi* 574. Saytus *in Claui Regia, lib. 12. cap. 18. num. 9.* Rodrig. *de ord. iudic. cap. vlt. num. 4. fine, & tom. 1. sum. cap. 40. num. 1. versus finem*, Sanchez *loco citat. num. 11.* propter dictam rationem; Quod etiam temperandum est; nisi iustè detentus, iniustè affligeretur.

Dico primò, Apostata est ipso iure, & ipso facto excommunicatus, siue habitu retento, siue dimisso vagetur. Ita Rosell. *verbo Excommunicatio primo, casu 16. num. 1.* Armilla *verbo Apostasia, num. 12.* Tabiena *verbo Excomm. 5. casu 23. num. 1.* Henriq. *lib. 12. de excommunic. cap. 39. num. 1. fine, & cap. 40. num. 1.* Azor. *tom. 1. instit. moral. lib. 12. c. 17. quæst. 6.* Mirand. *tom. 1. Manualis, q. 51. art. 1. concl. 2.* Glossa *in cap. Vt periculosa, ne Clerici, vel Monachi in 6. verbo ipso facto*, Citatur etiam pro hac sententia Cajet. *2. 2. q. 12. art. 1. §. antepenult.* vbi ait; Apostatam non excusari ab Apostasia, & censuris annexis, ex eo quòd defert habitum. *In summ. autem, verbo Apostasia* dicit, quòd Apostata est excommunicatus propter dimissionem habitus.

Probatur primò *ex d. cap. Vt periculosa*; in quo ideò fertur excommunicatio in eos, qui temerè suæ Religionis habitum dimittunt, vt periculosa Religiosis euagandi subtrahatur occasio. Ergo siue habitu indutus, siue eo exutus Religiosus à Religione defecerit, vt liberè euagetur, in excommunicationem incurret, vt bene Azor; Nam tam perniciosa est vagatio cum habitu, quàm sine illo. Imò dico, quod est magis perniciosa, & magis scandalosa, quia cum habitu nocet sibi, & Religioni, eam suis malis actibus, & actibus infamando: sine illo autem non nocet, nisi sibi ipsi, cum non cognoscatur ab omnibus.

Secund. Probatur ex priuil. Innoc. VIII. & Sixti IV. quæ refert Casatub. *in comp. priuil. verb. Apostatæ ab Ordine, num. 21.* in quibus excommunicantur ipso facto Apostatæ, Constat etiam ex multis aliis decretis summorum Pontificum, de quibus meminit Mir. *loc. cit.* & ex aliis, quæ refert Sanch. *6. in decal. c. 8. n. 11.* Francisc. à Coriol. *p. 2. de casibus reseru. casu 2. de Apostasia, n. 14.* Nald. *verbo Relig. num. 32.*

Circa hanc conclusionem noto, quod multi Doctores, quos refert, & sequitur Sanch. *loc. cit. num. 20.* præter quos Passarell. *in formulario Ordinis Minim. de modo recipiendi Apostatas, num. 3.* Ledesma *de statu Religiosorum in communi. c. 8. concl. 1. dub. 1.* Graffius *lib. 3. de casibus reseru. cap. 2. num. 8.* Coriol. & Nald. *loc. cit.* tenent, quòd contra Apostatas non inest in iure lata excommunicatio ipso facto, & quòd non incurrunt excommunicationem capitis. Vt periculosa, nisi dimittant habitum; tamen verior mihi videtur nostra sententia propter dicta.

Et addo, quod licèt Apostata non dimittat habitum, materialiter, dimittit tamen formaliter; quia Religionem relinquit. Præter illa excommunicatio capitis vt periculosa, videtur principaliter lata contra vagantes, vt patet ex ipso procemio, ex quo colligitur mens disponentis, vt ait Panorm. *in cap. Aduersus, num. 2. de immunitate Ecclesiæ*, ait enim ibi Papa, *Vt Periculosa vagandi tollatur occasio*; vbi particula (Vt) dicit causam finalem, propter quam fertur illa excommunicatio; Procemia enim continent causam finalem, vt habet Rodrig. *tom. 1. q. regul. q. 11. art. 6. reg. 1.* ergo cum causa finalis, propter quam est lata, sit vt tollatur occasio vagandi, siue quis vagetur cum habitu, siue sine illo, parum refert ad eam incurrendam.

Dico secundò, Apostatæ antequam sint reconciliati, sunt ipso iure infames, & repelluntur ab accusatione, & testificatione, ita Ledesma *de statu Religiosorum in communi, cap. 8. conclus. 1. dub. 1. pag. mihi* 274. Chappeauille *de casib. reseru. part. 2. c. 2. de Apostasia, versu Apostasia ab ordine*, Graff. *lib. 3. de casib. reseru. cap. 2. num. 26.* Hostiens. *in sum. lib. 5. tit. de Apostatis, num. 3. §. Qualiter puniantur, pag. mihi* 1547. Diaz *in sua pract. cap. 114. num. 2.* Francisc. à Coriolan. *p. 2. de casibus reseruat. casu 2. à num. 14. versu sed in illa.*

Probatur primò ex *cap. Alieni 2. q. 7. & cap. Beatus 3. quæst. 4. & cap. Infames 6. q. 1.*

Secundò, quia relinquentes Religionis statum, in quo acquiruntur, & vigent virtutes, eas abominari videntur; vndè digni non sunt, vt eis vlla adhibeatur fides.

Vnde etiam collige, quod ad Religionem recepti, & ab excommunicatione absoluti, etiamsi neque in Apostasia receperint, neque in receptis ministrauerint, non possunt neque in susceptis ministrare, neque ordines recipere, antequam sit cum illis per præfatos Regulares super dicta infamia dispensatum; neque decet statim dispensare, ne qui hodie in circo saltat, mane in altari ministret, vt dicitur *in cap.*

Dico tertiò, Qui suscepit ordines sacros in Apostasia, est irregularis, Sylu. *verb. Ordo 5. quæst. 5. num. 6. fine* Henriq. *lib. 13. de excom cap. 39 40. num. 1.* Antonin. *3. par. tit. 27. cap. 4. versu Apostata paulò ante medium*, Graffius *lib. 3. de casibus reseru. cap. 2. num. 19.* Azor. *tom. 1. instit. moral. lib. 12. cap. 17. quæst. 5.*

Probatur primò, ex *cap. Consulationi de Apostatis*, vbi

vbi id expressè dicitur. Quod caput specialiter declarat Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 1. lib. 3. cap. 1. à num. 18.*

Secundò. Quia cum probauerimus, Apostatam esse ipso facto excommunicatum, tum per excommunicationem *cap. Vt periculosa*, tùm per excommunicationem priuil. Ord. necesse est, quòd dicamus, recipientem Ordines esse irregularem, cum excommunicatus ordines recipiens fiat irregularis *cap. Cum illorum de sentent. excomm. § Si autem hos.*

Nec solùm Apostata est suspensus, & irregularis Ordines sacros suscipiens in Apostasia, sed etiam suscipiens Minores, vt Abbas *cap. Consultationi, num. 1.* Angelus *verbo Apostasia, num. 6.* Armilla *eodem num. 12.* Azor, Henriquez, Anton. Sylu. *loc. cit.* & alij, quos cit. Sanchez *lib. 6 in Decalog. cap. 8. num. 25.*

Sed quæres, Quis poterit dispensare cum isto qui suscepit Ordines in Apostasia.

Respondeo *in cap. Consultationi cit.* dicitur, quòd recipiens ordinem sacrum in Apostasia sit suspensus, & irregularis: nec cum eo etiam ad pœnitentiam redacto possit quispiam dispensare, nisi Romanus Pontifex, sed hoc cap. nihil dicitur de recipientibus Ordines Minores, *in cap. verbo Cum illorum cit.* dicitur, quòd ordinati in excommunicatione sint ipso facto irregulares, & suspensi: & quòd cum istis non possit dispensare: nisi Romanus Pontifex, si scienter in contemptum Ecclesiasticæ disciplinæ id fecerint: si autem non in contemptum, sed facti memoriam, vel iurisperitiam non habentes, & factum non fuit graue, & notabile, potest dispensare proprius Prælatus. Variant hic multùm Doctores, vt videre est apud Sanchez *loco cit.* Resolutoriè dico, quòd cum omnibus ordinatis in Apostasia seruanda est de iure communi dispositio capitis cum illorum, vt Angelus *verbo Apostasia, num. 6.* Sylu. *eodem, quæst. 8. num. 11. in fine*, Tabiena *num. 12.* Panor. *cap. Consultationi de Apostatis, num. 2.*

Dixi, de iure communi, nam de iure particulari per priuilegia possunt omnes Prælati Religiosorum dispensare cum suis Subditis super omni irregularitate, quomodocumque contracta, excepta irregularitate homicidij voluntarij, bigamiæ, & mutilationis membrorum, ita Antonin. *3. p. tit. 28. cap 6. § vlt fine*; Passarellus *in formulario Ordinis Minim. de forma recip. Apostatas, num. 5.* latè Miranda *tom. 2. Manual. quæst 8. art. vlt. conclus. vlt.* vbi refert diuersa priuilegia circa hoc Romanorum Pontificum, possunt etiam videri Casarub. *in compend. verbo Dispensatio, præsertim, num. 21.* vbi à Sorbo *in fine*. Confect. *in suo compend. pag. mihi 21.* Rodrig. *tom. 1. quæst. regul. q. 24. præsertim art. 8. & in Marimagno Minim. expressè habetur pag. 79.*

Et nota, quòd non solùm possunt Prælati Religionum dispensare cum ordinatis in Apostasia, vt ministrent in ordinibus susceptis, sed etiam vt possint ad alios promoueri, vt dicitur *in præfato Marimagno loc. citat.* & habet Sanchez *6. in Decalog. cap. 8. num. 53.*

Ex quibus sequitur, quòd celebrans in Apostasia sit irregularis, quia est excommunicatus, *cap. cum illorum de sentent. excomm.*

Dico quartò, Apostata, durante Apostasia, non potest ad dignitates eligi, Sylu. *verbo Apostasia, quæst. 8. num. 11. in medio*, Diaz *in sua practica, cap. 114.*

Probatur *ex cap. Legi 16. q. 1.*

Imò nec potest ad dignitates eligi, & electus debet priuari, postquam ad meliorem vitæ frugem, & ad pristinam Religionem se receperit. Ita Sylu. *verbo Excommunicatio 9. casu 24. num. 52.* Antonin. *3. part. tit. 24. cap. 53. vers. Dic quod illud loquitur.* Passarellus *in formulario cit. num 2.* Graff. *lib. 3. de casibus reseruat. cap. 2. num. 25.* qui id probat *ex dicto cap. Legi, & aliis capitibus*: sentiunt etiam alij quos citat Sanch. *6 in Decalog. cap. 8. num. 31.* licèt ipse ab hac opinione recedat *num. 32.* sed nostra sententia est multum conformis constitutioni Pauli IV. quam refert Cherub. *tom. 1. Bull. in Paulo IV. constit. eius 14. pag. mihi 732.* quam ad terminos iuris communis reduxit Pius IV. vt refert idem Cherubinus *tom. 2. Bullarij in Pio IV. constit. eius 3. pag. 3.* De quibus agunt Nauarr. *lib. 5. consil. de Apostatis, à num. 9.* Rodrig. *tom. 1. quæst. regul. quæst. 30. art. 4.* qui addit, quòd Apostatæ possunt compelli per ordinarios redire ad pristinam Religionem per dictam constit. Pij IV. & per Decretum Concilij Trid. *sess. 25. de Regularibus, cap. 4.* Est, inquam, nostra conclusio multum conformis isti constitutioni Pauli IV. etiam redacta ad terminos iuris communis, quia non est contra ius commune, hos Apostatas etiam ad Religionem reductos, ad Prælaturas non posse præfici: imò illi multum conforme, vt docent Antonin. Sylu. Graffius qui *ex multis iuris capitibus* id probant.

Quibus omnibus addo declarationem dictæ Bullæ Pauli IV. factam ad instantiam Fratris Mathurini Auberth. nostri Ordinis zelosi de mente ipsiusmet Pontificis à Pio V. cum esset Cardinalis Alexandrinus, *Anno 1559. die 10. Aprilis*, & habetur *in nostris constitutionibus post regulam, pag. 19.* in qua declaratione inter alia hæc habentur.

Idcò de eiusdem Sanctissimi Domini mente, & voluntate esse, tenore præsentium declaramus, Huiusmodi Apostatas per vos receptos, & Religioni iterum insertos, actiua, & passiua vocibus, iuréque sua primogenitura, necnon publica ad populum prædicatione, & confessionis sæcularium audientia, priuatos esse, per nullos Superiores, nec etiam per. Generalia, seu Prouincialia capitula rehabilitandos, donec ad minus quadriennium bene, & laudabiliter, sub correctionis, & disciplinæ ferula patienter, & humiliter vixerint. Quo quidem quadriennio sic expleto, poterunt ex huiusmodi Generalis, vel Prouincialis capitulorum, duarum ex tribus partium vocalium accedente consensu, rehabilitari, & ad omnes, & singulos Religionis legitimos actus restitui eiusdem Sanctissimi Domini Nostri Pauli IV. auctoritate, & gratia permittimus, & indulgemus, dummodò tempus, quo manserunt extrà Religionem inter sua Professionis annos non computetur.

Et nota, quòd hæc declaratio fuit Missa ad capitolum Generale Ordinis Minimorum Genuæ 3. celebratum, & à patribus dicti capituli fuit libenter acceptata, vt videri potest *in dicto capitulo num. 4.* & de ea fit etiam mentio *in capitulo Valentino 4. num. 52.* vbi additur, quòd *Apostatæ redeuntes, etiamsi elapsi quadriennio fuerint rehabilitati, non possunt præfici nisi elapso decennio.* Quòd habent etiam Fratres Prædicatores *in eorum constit. d. 2. cap. 13.*

Dico quintò, Recipientes Apostatas, siue Religiosi sint, siue sæculares, sunt ipso facto excommunicati Ita Rodrig. *tom. 1. quæst. reg. q. 30. art. 9.* Miranda *tom. 1. Manualis, quæst. 51. art. 2.*

Probatur ex multis priuilegiis, quæ refert Rodrig. & Mir. *locis cit.* & Casarub. *in compend. priuil. mendic. verbo Apostata ab Ordine, præsertim num. 4. & 7 versu Attende insuper, num. 21.* & retinentes possunt Prælati Ordinis excommunicare, etiamsi Magnates sint, & Duces, dictus Casarub. *num. 7. & 17.* & Rodrig. *loc. cit.* Constat etiam *ex constitut. 1. Iulij II. §. 13. in nostro Comp.* Et per Bullam Pij V. quæ incipit. *Quæcumque sacrarum*, emanatam *Anno Domini 1569.* quam refert Cherub. *tom. 2. Bullarij, in Pio V. constit. eius 89. pag. mihi 290.* de qua etiam nos *supra cap. 24. conclus. 2.* reuocata sunt omnia priuilegia recipiendi tales Apostatas, præter dispositionem iuris communis.

Notat autem Rodriguez, & Miranda circa Apostatas retinentes. Non per hoc incurrere excommunicationem, qui Apostatas, & fugitiuos reciperet non vt tales, sed vt consanguineos, affines, amicos, & familiares, benignitate quadam naturali, ipsi benefaciendo, quòd

probat

probat à simili de recipientibus Hæreticos; comprehendit enim hæc excommunicatio contra recipientes Hæreticos, tantummodò recipientes, vt tales, vt notat Nauarr. *in sum. cap. 27. num. 55. versu. Quarta quod fautores*, quia potest quis, licèt non teneatur, Hæreticis etiam non extremè indigentibus subuenire, quatenus homines sunt, *argumento capitis duo ista nominâ 23. quæst. 4.* vbi dicitur. *Quia peccatum est corripe: Qua homo est miserere: & ideò. Nulli homini claudenda est misericordia, sicut nulli peccatori impunitas relaxanda.*

Dico sextò, Apostatæ, vel fugitiui possunt vbique, & extra territorium à suis Superioribus absque alicuius licentia apprehendi, ligari, & in Monasterium reduci, ita Nauarr. *comm. 3. de Regul. num. 50.* Rodriguez *tom. 1. quæst. Regul. q. 30. art. 6.* Miranda *tom. 1. Mannalis, quæst. 51. art. 3.* Sanch. *lib. 6. in Decal. cap. 8. num. 33.*

Probatur primò, ex multis priuilegiis, quæ referunt Rodrig. & Miranda, & ex rationibus, quas ad id adducit Nauarr. *loc. cit.*

Secundò, ex Priuilegio Innoc. IV. quod refert Casarub. *in compend. priuil. mendic. num. 4.* vbi Pontifex concedit, quòd *Generalis, & Prouincialis Ministri, & Custodes, & cæteri Fratres Ordinis Minorum, possint Apostatas, & Insolentes dicti Ordinis excommunicare, ligare, capere, & carceri mancipare, si videbitur expedire.*

Tertiò. Probatur ex Priuilegio nobis Minimis concesso à Iulio II. *ann. Domini. 1506* & habetur *in Bull. inserta in nostris priuilegiis, pag. 38.* quæ incipit *Dudum, in fine eiusdem Bullæ*, vbi Pontifex hæc ad propositum habet. *Necnon eiusdem Ordinis Minimorum Apostatas, & gyrouagos quoscumque vbilibet repertos, & quibuscumque literis, ac prouisionibus Apostolicis, etiam quascumq; derogatoriarum derogatorias clausulas in se continentibus munitos, quas ei nullatenus suffragari posse decernimus, inuocato etiam ad id (quatenus opus fuerit) auxilio brachij secularis, capere, incarcerare, ac punire, seu capi, incarcerari, ac puniri facere, liberè, ac licitè valeant.* Id etiam habet Leo X. *in constit. eius 13. tom. 1. nost. priuil.*

Et nota, quod possunt Prælati Apostatas capere vbique, etiam in Romana Curia, vt aduertunt Rodriguez, & Sanchez *locis cit.* per priuilegium concessum Carmelitis, vt ijdem dicunt.

Ex quibus colligitur, quòd hæc potestas compellendi Apostatas ad redeundum in Religionem, est concessa Generali, Prouincialibus, & Superioribus immediatis, Correctoribus, Prioribus & habetur etiam expressè *in Bulla cit. Superius Pauli IV. contra Apostatas* vbi id conceditur omnibus indifferenter, & habetur cap. ne Religiosi de Regularibus.

Vbi aduerte, quòd in nostro Ordine Minimorum vbi Correctores locales compulerint Apostatas, & fugitiuos ad redeundum in Religionem, eosque in carcerem detrusérint, causam finire, eosque denuò in Religionem incorporare, ad solos Generales, & Prouinciales spectat, vt patet *ex declaratione citata Cardinalis Alexandrini, & ex Capitulo Rom. 3. num. 24.* Quod idem etiam est dicendum de Apostatis spontè venientibus, quos recipere iuxta formam traditam à Patre Passarello, ad solos Generales, & Prouinciales spectat, vel quibus ipsi commiserint, quæ forma omnino seruanda est: & addendum, quòd semper debent absolui ab excommunicatione, etiamsi habitum non dimiserint, iuxta traditam supra conclusione prima.

Dico septimò, Prælati Regulares tenentur summo studio requirere Fratres Apostatas, & fugitiuos, omnique procurare, vt à tali statu exeant, & ad propria Monasteria, siue Religiones reuertantur. In Sylu. *verbo Apostasia, q. 6. n. 10.* Anton. *3. part. tit. 16. cap. 5. statim in principio.* Angelus *verbo Abbas, num. 17.* Rosella *eodem n. 2.* Tab. *verbo Apostasia, n. 9.* Abbas *cap. finali de Regul. n. 3.* Azor. *tom. 1. inst. moral. lib. 12. c. 17. q. 1.* Rodr. *tom. 1. q. reg. q. 30. art. 5.* Franciscus à Coriolano *part. 2. de casibus reseru. casu 3. n. 13.* Mit. *to. 1. Manual. pral. q. 51. art. 4.*

Probatur primò, *ex cap. finali de regul.* vbi dicitur: *Ne Religiosi viri vagandi occasionem habentes, salutis propriæ detrimentum incurrant, & sanguis eorum de manibus Prælatorum requiratur, statuimus, vt præsidentes capitulis celebrandis, &c. fugitiuos suos, & eiectos de ordine suo requirant, & sollicitè, annuatim, & inobedientes excommunicent, & excommunicatos denunciari ab Ecclesiarum Prælatis procurent.*

Secundò, probatur *ex Bulla Pauli IV. cit. contra Apostatas*, vbi præcipitur, vt Superiores perquirant Apostatas, & ad Religionem redire cogant, & si redire distulerint, vel recusauerint, per Ecclesiasticas Censuras compellant, & auctoritate Pontificis excommunicatos declarent; Quæ constitutio quoad hoc reuocata non est, eo quia fuerit per Pium IV. reducta ad terminos iuris communis, conformat enim cum caput illud: Ne *Religiosi de Regular.*

Quæres, an hoc eodem pacto debeant Prælati Regulares, & Priores Conuentuales perquirere eiectos, & ad Religionem compellere, cum caput illud: Ne *Religiosi de eiectis* etiam loquatur.

Respondeo, caput illud: Ne *Religiosi*, quod est finale *de regul. quoad eiectos*, varias admittit explicationes, de quibus potest videri Sanchez *6. in Decal. cap. 9. num. 17. 18.* Azor. *tom. 1. instit. moral. cap. 17. q. 1.* Nauarr. *comm. 2. de Regul. num. 36.* Franciscus à Coriolano *par. 2. de casibus reseru. casu 3. num. 13.* Dico itaque breuiter, caput illud: Ne *Religiosi, quoad eiectos tantùm*, cum sit iuris humani, esse consuetudine abrogatum, neque enim Religionum Prælati, Religiosos eiectos quotannis perquirunt, neque reducunt, neque repetunt; Quò verò ad Apostatas adhuc est in obseruantia, quia Prælati Religionum eos perquirunt, & redire compellunt. Licèt alioqui iure, nimirùm diuino naturali, dicat eos ad id teneri Sanchez *loc. cit.* non iure humano inserto in illo capite: Ne *Religiosi*, quod totum totaliter abrogatum putat consuetudine.

Sed est aduertendum, quod non tenentur Prælati Religionum omnes, & quoscumque Apostatas sine discrimine perquirere, & recipere, sed eos tantùm, de quibus emendatioris vitæ propositum concipere, & sperare probabiliter possunt: & etiam, qui Religioni possint esse bono vsui, vt declarauit Cardinalis Alexandrinus, posteà Pius V. *in declaratione Bull. Pauli IV. citata supra conclus. 4.*

Dico octauò, Quidquid sit de iure antiquo, bona acquisita à Fratribus Apostatis, eiectis, & fugitiuis, si extra Religionem decesserint pertinent ad Cameram Apostolicam, ita Nauarr. *lib. 3. consil. de statu Monach. consil. 17. num. 11.* Rodriguez *tom 1. q. regul. q. 30. art. 12.* Mir. *tom. 1. Manual. q. 51. art. 7.* Sanchez *lib. 7. in Decal. cap. 34. num. 9. 21. & 31.*

Probatur *ex motu proprio Greg. XIII. incipiente: Officij nostri, emanato ann. 1577. die 21. Ianuar.* quem refert Cherub. *tom. 2. sui Bull. in Greg. XIII. const. eius 43. pag. mihi 413.* & Quaranta *in sum. Bullarij, verb. Spolia Clericorum, pag. 614.* vbi expressè habetur nostra conclusio.

Dixi, si extrà Religionem decesserint; nam si ad Religionem reuertantur, & deferant omnia, extrà eam acquisita, hæc in Religione manent, etiamsi deinde dicti Apostatæ per aliqua de nouo patrata delicta, tanquam incorrigibiles à Religione de nouo expellerentur; vel denuò Apostatare contingeret, & extra Religionem decederent; Quod aduertit in specie Rodriguez *loc. cit.* quia dicta bona per ingressum dictorum Apostatarum, &c. sed Religionem, iam non sunt amplius ipsorum, sed sunt facta propria Religionis, in eaque incorporata, ita etiam Suar. *to. 4. relig. tract. 1. lib. 3. cap. 2. dub. 4. n. 29.* Sed cui acquires eiectus, seu Apostata in Diœcesi exempta à Spolio, vt est hæc nostra Genuensis, hic non resoluo.

§. I.

De Pœnis fugitiuorum, & dimittentium Habitum Regularem.

IN *cap vt periculosa, ne Clerici, vel Monachi in 6.* excommunicatur Monachus temerè habitum suæ Religionis dimittens, vt liberiùs euagetur, de qua excommunicatione latè Passarell. *in notabilibus priuileg. Minim. notob.* 34. Ledesma *de statu Religiosorum in communi, cap.* 4. *concl.* 18. *pag.* 176. Suarez *tom.* 5. *in tertiam partem, disp.* 23. *sect.* 4. *num.* 26. Sayrus *lib.* 3. *de censuris, cap.* 34. *à num.* 7. latissimè Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 8. *à num.* 37.

Itaque ad hanc excommunicationem incurrendam requiritur temeraria, idest absque iusta vel saltem apparenti causa, habitus propriæ Religionis dimissio, quæ sit apta ad periculosè vagandum.

Ex quibus colligitur, quod qui dimittit habitum causa mutationis, mundationis, aut reparationis, seù etiam balneationis, natationis, vel modestæ, & recreatiuæ piscationis, seù causa euidentis infirmitatis; vel metu mortis, vel periculi, vt si transeat per loca Turcarum, Sarracenorum, vel Hæreticorum, aut etiam hostium nominis Religiosorum, non incurrit hanc excommunicationem, quia tunc non est temeraria habitus dimissio, adest enim iusta, vel apparens dimittendi causa, vt dicunt omnes Doctores citati, præsertim Passarellus *loc. cit. versu primo modo*, & Sanch. *num.* 41.

Neque etiam incurrit, qui habitum dimittit ludendi gratia, aut aliqua alia leuitate, puta si tempore recreationum quis habitum dimittat, vt induat ad modicum tempus in Conuentu habitum Histrionum, licet ista dimissio non sit sine peccato veniali, ita Sylu. *verbo Excommunicatio* 9. *num*, 53. Suarez *tom.* 5. *in tertiam partem disp.* 23. *sect.* 4. *num.* 29. Antonin. 3. *parte, tit.* 24. *cap.* 53. Ratio est, quia ista non est temeraria dimissio.

Neque incurrit hanc excommunicationem Religiosus, qui dimittit habitum, seù potiùs habitu se spoliat in sua cella, vt quietiùs dormiat, pulices quærat, lignum aliquod scindat, seù etiam vt terram fodiat, vel propter calorem æstiuum, ita communiter D. Antoninus *loc. cit.* Sanchez 6. *in Decalog. cap.* 8. *num.* 59. Quia hæc non est propriè habitus dimissio, sed spoliatio: quæ duo valdè differunt, vt bene notat Suar. *loc. citat. numero* 27. Tabiena *verbo Excommunicatio* 5. *casu* 23. *numero primo.*

Neque etiam incurrit hanc censuram, qui habitum dimittit, vt cum fœmina rem turpem habeat, seù vt aliquid liberiùs surripiat, ita Sylu. *verbo Excommunic.* 9. *casu* 24 *num.* 42. *notab.* 3. Nauarr. *in summ. cap.* 27. *num.* 131. Azor. *tom.* 1. *instit. moral. lib.* 12. *cap.* 17. *quæst.* 9. Passarellus *in notab priuil. Minim. notab.* 34. *versu. Si verò dimittit*, Sanchez *loco cit. num.* 56. Ratio est, quia tunc non dimittit vt periculosè vagetur, sed vt commodiùs fornicetur, vel liberiùs furetur, licèt Antoninus cum aliis, quos citat Sanchez *numero* 56. putent incurrere.

Incurrit autem hanc censuram, qui dimittit habitum causa diuagandi, aut eundi ad lupanar, ne tanquam Religiosus cognoscatur, Sylu. *loc. cit.* Tabiena *loco etiam cit. versùs finem*, Nauarr. *loco cit.* Passarellus *versu, item temerè sit.* Ratio est, quia isti dimissio est ad periculosè vagandum.

Item incurrit hanc censuram, qui habitum quidem defert, sed ita coopertum, vt cognosci non possit. Antonin. 3. *par. tit.* 16. *cap.* 6. *paulè post principium.* Sylu. *loc. cit. quæst.* 4. Cajet. *in summ. verbo Excommunic. cap.* 61. ibi Armilla *casu* 53. *num.* 11. Passarell. *loco cit. versu. Sed tu distingue*, Iulius Clarus *in pract. crimin. lib.* 5. *quæst.* 77. *num.* 16. Ricciulus *de iure personn. lib.* 8. *cap.* 12. & alij multi, quos citat, & sequitur Sanchez *loco cit. numero* 65. Habet etiam Glossa *in Clementina quoniam de vita, & honestate Cleric. verbo extrinsecus.* Ratio est, quia licèt non dimittat materialiter, dimittit tamen formaliter: & idem est habitum non gestare, ac illum gestare alio habitu coopertum; quia bene potest liberè vagari, ac si illum non haberet, & patet ex Trid. *sess.* 25. *de Regul. cap.* 19.

Item incurrit hanc excommunicationem, qui habitum temerè dimittit etiam in Monasterio, & sic habitu dimisso, se sæcularibus præsentat, Rosella *verbo Excommunicatio primo, casu* 16. *num.* 5. Sylu. *eodem* 9. *casu* 24. *num.* 54. *quæst.* 3. *fine*, Azor. *tom.* 1. *institut. moral. lib.* 12. *cap.* 17. *quæst.* 15. Sanchez 6. *in Decal. cap.* 8. *num.* 61. & alij, quos citat. Ratio est, quia talis habitus dimissio est apta ad periculosè vagandum.

Sed quid, si aspectibus sæcularium se non præsentat, putant incurrere, Azor. *loc. cit. quæst.* 13. & Sanchez: propter dictam rationem; quod probabile puto, nisi in aliquo Conuentu esset consuetudo, vt omnes Religiosi illius aliquo saltem anni tempore, puta in æstate, per Conuentum absque habitu incederent: vel nisi ita absque habitu incederent, vt tamen à vestitu sub habitu gestari solito, possent tanquam Religiosi illius Monasterij ab omnibus cognosci.

Quæres, Fugitiuus, qui habitum non dimittit, incurret ne hanc excommunicationem?

Respondet Nauarr. *comm.* 2. *de Regul. num.* 61. *versus finem*, quem sequitur Sanchez *loco cit. num.* 46. non incurrere, quia *ex capite. vt periculosa*, non excommunicantur fugitiui, sed habitum dimittentes, ita etiam Suarez *tom. quart. de Relig. tractat. prim. lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 9. & 10.

Rebuffus tamen apud Nauarr. & Sanch. *loco cit. in praxi benefic. tit. de dispens. cum Regul. num.* 17. putat incurrere, fortè propter rationem, qua supra *hoc cap. conclus.* 1. probaui, Apostatam etiam cum habitu incurrere hanc censuram, quæ videtur etiam hoc casu militare, præsertim si fugitiuus sit ad longum tempus; quid enim tunc interest, in foro saltem exteriori, inter fugitiuum, & Apostatam habitum non dimittentem, cum sola intentione differant, quo pacto omnes Doctores citat. *in dicta prima nostra conclus.* d. Rebuff. suffragarentur.

Rodriguez *tom.* 1. *quæst. Regul. quæst.* 30. *art.* 8. refert duo priuilegia Eugen. IV. & Cœlestini V. per quæ huiusmodi fugitiui ipso facto excommunicantur. Itaque censeo, fugitiuos esse excommunicatos, siue per illam *capitis vt periculosa*, vt Rebuffus: siue per hanc Eugenij, & Cœlestini Fugitiuos, inquam, non grauatos recurrentes ad suos Superiores, quos fugitiuos non appello, cum nec mortaliter peccent fugiendo: & fugitiuos vagantes per multum temporis.

§. II.

Quid requiratur ad Professionem expressam.

DIximus suprà, quod Apostata est Religiosus, expresè, vel tacitè professus, qui Monasterium exit animo non reuertendi, cuius occasione nunc quærimus, quæ requirantur ad inducendam professionem expressam.

Prima, conditio requisita ad inducendam professionẽ expressam, est vt fiat in manibus illius qui recipiendi habet legitimam potestatem, vel cui ipse commiserit, ita Nau. *comm.* 4. *de Regular. num.* 74. Sylu. *verb. Religio* 3. *q.* 18. §. *secundo requiritur*, Angelus *verb. Professio*, *n.* 1. Rosella *verbo Nouitius, n.* 19. Pisanella *verbo Religio* 4. §. *qua est professio expressa*, Sanch. *lib.* 5. *in Decal. c.* 4. *num.* 62. & alij communiter; & habetur *cap. Porrectum de Regul. & cap. ad Apostolicam eodem titulo.*

Sed

Sed difficultas maxima est, quisnam sit iste, qui habet auctoritatem recipiendi Nouitios ad Professionem: an Prælatus ipse per se solus, absque consilio, & consensu Conuentus: an Prælatus cum consilio Conuentus: an Prælatus cum consensu Conuentus, an verò Conuentus per se ipse absque consilio; & consensu Prælati: Dicam primò, quid de iure communi, deinde quid de iure Regulæ nostræ, & nostrorum statutorum.

Dico primò, in recipiendis Nouitijs ad Professionem, spectandum in primis esse, an aliquid circa hoc consuetudo legitimè præscripta, Religionis Priuilegia, aut constitutiones habeant, quibus standum est Panorm. *in cap. ad Apostolicam de regular.* Felin. *cap. Quoniam de Simonia, num.* 2. Sylu. *verbo Religio* 3. *quæst.* 13. Azor *tom.* 1. *institut. moral. lib.* 12. *cap.* 5. *q.* 3. Sanch. *lib.* 5. *in decal. cap.* 4. *num.* 64.

Probatur *ex cap. si ac solum de regul. in* 6. vbi ad creationem Monachi supponitur, standum esse legitimæ consuetudini.

Dico secundò, Abbas per se solus, seù alius immediatus Conuentus superior non potest Nouitium ad professionem recipere, Panorm. *in cap. ad Apostolicam de regul. num.* 12. Sylu. *verbo Religio* 3. *q.* 13. Rosella *verbo Nouitius, num.* 20. Nauarr. *comm.* 3. *de regul. num.* 5. & alij communiter.

Probatur *ex cap. Nouit. & ex cap. Quanto de his, qua fiunt à Prælatis*; vbi dicitur, quòd in præcipuis negotijs Ecclesiæ, seu Conuentus, debet Prælatus procedere cum consilio totius, vel maioris partis Conuentus, & Regula omnium Religiosorum id præscribit.

Dico tertiò, Conuentus absque suo superiore non potest Nouitium ad professionem recipere, est sine controuersia, quia sine capite, non potest Collegium legitimè esse Congregatum; & habetur *cap. Porrectum, & cap. ad Apostolicam de regul.*

Dico quartò, de iure communi recipere Nouitios ad Professionem, pertinet ad Abbatem, seù Priorem, seù Correctorem, & quocumque nomine vocetur, ad superiorem immediatum illius Conuentus, in quo Nouitius annum probationis expleuit, cum consilio dicti Conuentus, non autem requiritur consensus, ita Panorm. *in cap. ad Apostolicam de regularibus, num.* 11. *fine*, Felinus *in cap. Quoniam de Simonia, num.* 3. Sylu. *verbo Religio* 3. *quæst.* 13. *& qu.* 18. *d.* 4. Angelus *verbo Professio, num.* 1. Rosella *verbo Nouitius, num.* 20. vbi Tab. *num.* 8. Nauar. *comm.* 3. *de regul. num.* 5. Azor. *lib.* 12. *instit. moral. cap.* 5. *quæst.* 3. Passarellus *in Scholijs ex Barchinonensi, num.* 12. Vega 2. *part. sum. cap* 50. *casu* 4. *notab.* 1. Citatur etiam pro hac conclus. Rodrig. *tom.* 1. *sum. cap.* 8. *num.* 8. *concl.* 7. sed perperam, dicit enimibi expresse contrarium, requiri nimirum, vt maior pars Conuentus consentiat, & addit, suam conclusionem esse contra Panorm.

Probatur *ex cap. Nullam* 18. *qu.* 2. vbi dicitur quòd ad Abbatem tota potestas pertinet Conuentus, & *ex cap. Porrectum, & cap. ad Apostolicam de regul.* vbi dicitur, quòd professio Nouitiorum recipitur ab Abbate per se, vel per alium.

Ex quibus primò, Colligitur, quòd superior Conuentus non tenetur expectare consensum singulorum fratrum, seù maioris partis ipsorum, sed petito consilio, ipsis volentibus, nolentibus, potest Nouitium ad professionem recipere; quia qui tenetur petere consilium, non tenetur sequi, vt dicunt omnes cit. Doctores, & nos diximus etiam supra *cap* 25. *conclus* 4. *versu circa quam*, & latè probat Sanchez *lib.* 1. *de matrimon. disp.* 34. *n.* 24.

Colligitur secundò, quòd si non petito consilio, Prælatus recipiat Nouitium ad professionem, professio est ipso iure nulla, vt dicunt omnes cit. quando enim requiritur à iure consilium, si id non adhibeatur, nullius est momenti quod fit, vt habetur *in cap Nouit. & cap Quarto, de his, qua fiunt à Prælatis.* Contra hoc cotollarium tenet Suar. *tom.* 3. *de relig. lib.* 5. *cap.* 20. *n.* 7.

Verùm quidem est, quòd licet de iure communi, hæc vera sint, consuetudine tamen præscripta introductum est in Religionibus ferè omnibus, vt Nouitij non recipiantur ad professionem à Prælatis, nisi de consensu Capituli. Ita Rodriguez *tom.* 3. *qu. regul. q.* 17. *art.* 7. Nauar. *lib.* 1. *consil. de constit. consil.* 9. *numer.* 12. qui hoc pacto potest conciliari cum se ipso *in tomm* 3. *de regul. numer.* 5. sicut etiam possunt conciliari alij Doctores, quos refert, & sequitur Sanchez, de hac etiam consuetudine testificans *lib.* 5. *in decalog. cap.* 4. *num.* 65. nimirum, quod dicentes requiri ad professionem Nouitij, non solùm consensum Prælati, sed etiam Conuentus, debeant intelligi, non de iure communi, sed de consuetudine, & verè nullo iure cauetur, teneri superiorem ad expectandum consensum Conuentus.

Dico quintò, potest Generalis, aut Prouincialis ex iusta causa præcipere immediato Conuentus superiori, ne quemquam, ipso inconsulto, ad professionem admittat; adeò decreto reddente irritam professionem aliter factam, ita Sanch. *loc. cit. n.* 70.

Probatur primò, quia tota potestas immediati Prælati est eminenter in Prouinciali, tanquam in legitimo ipsius superiore, & tota vtriusque potestas est eminenter in Generali, tanquam in totius Religionis capite: ergo potest in casu speciali iusta causa ductus reseruare sibi consensum illum vna cum conuentu præstandũ, et admissioni ad professionem, & subinde efficere, vt professio aliter facta sit irrita, defectu legitimi consensus admittentis.

Secundò, quia potest Prælatus ex iusta causa superiorem immediatum amouere: ergo & partem eius facultatis in casu speciali, ex iusta causa suspendere.

Tertiò, Quia Prælato iusta præcipienti subditus tenetur obedire, vt supra latè probatum est; sed immediatus superior est subditus Prouincialis, & hic Generalis; ergo tùm superior immediatus Prouinciali, tùm hic Generali tenentur obedire, quando iusta causa aliquid præcipitur illis. Quod in nostra regula est indubitatum: posse enim Prælatos id præcipere habetur *cap. Val.* 2. *num.* 15.

Dixi, ex iusta causa, nam sine ea neuter obedire tenetur, & valeret professio, etiam cum decreto adiecto irritante, quæ iusta causa debet esse nota inferiori superiori. Nec sufficit superiorem Prælatum dicere, se id facere ex iusta causa, sed illam debet assignare, vt supra diximus ex Nauar. *lib.* 3. *consil. de regul. consil.* 56. *n.* 2. *& de spolijs Clericorum*, §. 2. *n.* 7. *&* 8.

In nostro ordine Minim circa receptionem Nouitiorum ad professionem, tenet Passarellus *in Scholijs ex Barchinonensi, n.* 12 a. quod non potest Prælatus sine consensu Capituli, nec Capitulum sine consensu Prælati recipere Nouitios ad professionem.

Quod Capitulum non possit sine consensu Prælati, Prouincialis scilicet, aut Generalis præsentis (qui duo solùm apud nos vocantur Prælati, nam Correctores locales Prælati non sunt, vt probabo latiùs alibi, & patet *ex Correctorio, numer.* 11.) Patet tùm ex iure communi, de quo diximus *conclusione* 2. vbi enim maior est auctoritas, cessare debet minor; tùm ex multis textibus nostrorum statutorum, vt *Correctorio, num.* 64. 105. *Capitulo Tholosano, n.* 35. *Val.* 2. *num.* 10. *Primo Bononiensi, n.* 14. in quibus locis determinatur quod *Correctores locales suum exerceant officium, quatenus eis per Correctores Prouinciales permissum fuerit; & quòd nihil cõcludatur per Correctorem, & Capitulum locale, & quod conclusio executioni nõ mandetur, nisi ex scientia, & assensu superioris Prælati.*

Dixi, Prouincialis, aut Generalis præsentis; nam si sit absens, potest Capitulum locale cum Correctore Nouitios ad professionem recipere, vt declaratur *in capitulo Val.* 2. *n.* 15.

Sed pone casum, quod Corrector cum suo Capitulo locali acceptet Nouitium ad professionem, & de facto illum faciat solemniter professum, professio erit ne valida? Si Prælatus Prouincialis præsens ignoret, & non cõ-

sentiat, nec ipsius nomine ad professionem talis Nouitius recipiatur.

Respondeo, Talem non esse professum, & posse à Religione expelli, quia eius professio oon fuit acceptata ab habeote auctoritatem recipiendi, ita Sylo. *verbo Religio 3.quæst.18.d.2.* Reginald. *in praxi, lib.18.numero* 385. Azor *tomo primo instit.moral.lib.12.cap.5 quæst.* 7. Passatellus *in Scholijs ex Barchinonensi, numero* 12. Certum est autem, in nostra præsertim Religione, quod sicut ad Prælatos Prouinciales pertinet recipere Nouitios ad Religionem, ita ad eosdem pertinet eos recipere ad professionem: nec potest quidquam Corrector cum suo Capitulo locali notabile concludere, nec conclusum executioni mandare absque scientia, & consensu Prælati Prouiocialis præsentis, vt dictum est.

Sed quæres, poterit-ne Prælatus talem professionem factam absque illius nomine, & auctoritate, cum sciuerit, ratificare?

Respondeo, quòd non; *nam ratum habere non possum, quòd meo nomine non est gestum*, vt dicitur in Regula, *Ratum* quæ est *9. de regul. iur. in 6.* secus autem, si inscio Prælato illius nomine professio sit facta; nam tunc eam poterit ratificare, vt dicunt Sylu. *verbo Religio 3.q.16.* Rosella *verbo Nouitius, num.25*, Sanch *5. in decalog. cap.4. num* 80. Antequàm autem ratificet, vota facta non censentur solemnia, sed simplicia; vnde à Prælato possunt irritari, & nulla declarari, vt ait Sylu. *loc. cit.* Quod tamen absque rationabili causa oon debet Prælatus facere; immò legitima causa cessante, tenetur professionem ratam habere, vt probat Passarellus *loc. cit.* & colligitur *ex nostro Correctorio, n.16.*

Sed pone casum, quòd ex odio, & malitia nolit superior Prælatos coosentire, vt talis Nouitius, omnia habens requisita, ad professionem recipiatur, poterit-ne tunc à solo Capitulo recipi?

Respondeo, si Congregato Capitulo de consensu Prouincialis, ipsoque præsente pro acceptando tali Nouitio ad Religionem, inter ferenda suffragia (si ferantur vocaliter) nolit illi Prouincialis suum suffragium impertire: immò verbis, & nutibus nitatur, vt neque alij illi suffragentur, quibus non obstantibus, reliqui omnes de Capitulo Nouitium ad professionem recipiant, cum *malitijs hominum non sit indulgendum*, iuxtà legem *in fundo ff. de rei vendicatione*, videtur, quòd deindè suo tempore poterit talis Nouitius à Correctore locali, vel de eius iussione ad professionem admitti, etiam Prouinciali renuente, sed tutius puto hoc casu, quòd poterit Nouitius agere apud Generalem, vel alterum superiorem, vt ad professionem recipiatur, vt docet Abbas *in cap. cum causam de electione, num* 8. quia eo ipso, quòd ad Religionem à Capitulo legitimè congregato fuit admissus, Religio non poterit illum amplius expellere absque iusta causa, nàm ex parte sua consensum tribuit, & omnis ratio dictat, vt promissa seruemus, vt dicitur *cap. Antigonus de pactis.*

Si verò suffragia ferantur secretò, vt fit in nostra Religione, tunc non potest esse dubium, quin talis suo tempore debeat ad professionem admitti, quia cum iam fuerit per maiorem partem suffragiorum acceptatus, nisi quid de nouo emerserit, propter quod mereatur à Religione expelli, non potest Prælatus contrà talem acceptationem ire, quia *quod semel placuit, amplius displicere non potest*, vt dicitur *in Regula, Quod semel*, quæ est 21. *de regul iuris in 6.*

Quòd verò Prælatus in nostra Religione non possit absque consensu Capituli recipere Nouitios ad professionem, ita habet consuetudo; & fuit statutum *in Capitulo Barchinonensi* 1. *n* 12. his verbis. *Mota fuit quæstio, ad quos spectaret recipere Nouitios ad professionem; et si absque consensu Capituli localis possint Prouinciales ipsos Nouitios recipere, & fuit determinatum, quòd ipse Prouincialis, contra voluntatem Capituli localis, non possit Nouitios recipere ad professionem, quod si contrarium fecerit, à suo officio per sex menses suspendatur.*

Sed quid, si Prouincialis contra voluntatem Capituli localis Nouitium ad professionem recipiat, professio erit-ne valida?

Respondeo de iure communi, professio non est oulla, si Prælatus à Capitulo de tali recipiendo ad Religionem consilium postulauerit; quia, qui tenetur petere consilium, noo tenetur illud sequi, vt supra dictum est: erit autem nulla, si consilium non postulauerit, vt dictum est. De consuetudine verò, quæ necessario requirit Capituli consensum, est nulla; quia quando requiritur consensus ad actus validitatem, si hic non habeatur, actus redditur nullus, vt habet Glossa *in c. Si pro te de rescriptis in 6. verb. Assensus*, & eadem Glossa *in c. Si ad Episcopum, ne sede vacante in 6. verbo cum consilio*, & ita habent Sanch. *lib 5. in decalog. cap. 4 n 66.* Mir. *tom. 1. Manualis præl. q.15 art.2. fine.* licèt Rodrig. *tom.3. q. regul. q. 37. art.7.* dicat, talem professionem non esse ipso iure nullam, sed talem declarandam.

Io nostra autem Religione habeo aliquam difficultatem. Nam statutum illud Barchinonense, licèt prohibeat, recipi ad professionem Nouitios absque consensu Capituli, factum tamen non irritat; vndè videtur, quod hic valere possit illa regula; *Multa fieri prohibemur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem* vt dicitur *cap. ad Apostolicam de regul.* vbi Glossa ait; quod ista Regula habet locum in his, quæ non habent perpetuam prohibitionem: quia scilicet non cauetur in prohibitione, quod si factum fuerit non valebit; qood etiam notat Innoc. *in c. cum in tua de his, qui matrim. accus. possunt*, & Rodrig. *tom 3. q. regul. q.17. art.20.*

Denique statutum illud Barchinonense cit. in quo determinantur personæ, ad quas pertinet recipere Nouitios ad professionem, innuit, quòd post factum tenet professio; apponit enim pœnam suspensionis ab officio per sex menses Prouincialibus, qui contra Capituli localis volontatem Nouitium ad professionem admiserint; & quandò lex apponit pœnam transgressoribus, actum gestum contra illam non est irritum, vt dicunt communiter scribentes *in lege non dubium, cod. de legibus*, vt notat Sanch. *lib 5. in decalog. c.4. num.6.* & Felinus *cap. Dilecte, de exceptionibus num.4. fine.* & habet Azor *in sum. lib.1. cap.17. n.10.* facit etiam quod dicunt communiter Iuristæ, & Canonistæ, quòd lex pœnalis non est extendenda vltrà verborum proprietatem. Itaq; puto, quòd in nostra Religione, si Prouincialis contrà voluntatem Capituli, sumpto tamen illius consilio, aliquem Nouitium ad professionem admiserit, valida erit professio propter dicta.

At obijcies, voluntas dicit consensum, vt dicitur *lege quarta, cod. de fideiussoribus*, sed quando ad aliquem actũ requiritur consensus alicuius, si hic non adsit, actus redditur irritus, vt diximus, ergò cum statutum Barchinonense requirat, vt Nouitij ad professionem non admittantur contra voluntatem Capituli localis, vbi hæc non intercesserit, videtur, quòd professio erit nulla.

Respondeo, *Illud contra voluntatem*, posse dupliciter sumi, positiuè, & negatiuè, si capitulum locale non solùm consensum non præbeat recipiendo; sed contradicat formaliter, & protestetur de nullitate, tùm si fiat professus cum sola voluntate Prælati, fortè professio erit nulla. Si autem capitulum totum, vel maior ipsius pars neget solummodò præstare consensum, sed se positiuè non opponat, puto si fiat cum voluntate Prælati, quòd erit valida professio, quia quando ad aliquem actum requiritur voluntas alicuius, non sic accipitur voluntas, vt consentire teneatur, qui voluntatem præstare debet, sed vt ne contradicat, vt dicitur *lege secunda §. Voluntatem ff. solut. matrim. & lege 37. ff. eodem.* Immò addo, quòd cum Capitulum, non contradicat videtur consentire,

qui

qui enim tacet, conſentire videtur, per regulam. *Qui tacet*, quæ eſt 43. *de reg iur. in* 6. & ſubſequenter approbare quòd priua reprobauerat; vel non approbauerat: Quod ſatis eſt ad conualidandum actum, in quo voluntas alicuius requiritur, vt dicitur *lege* 10. *ff. de aqua & aqua pluuia*. Itaque quando dicitur, quòd non fiat quis profeſſus contra voluntatem Capituli, intelligo, contradicente capitulo, reclamante, proteſtante, poſitiuè non autem negatiuè ſe habente.

Sed quid ſi Prælatus faciat quidem Nouitium profeſſum de voluntate Capituli, ſed coacta, puta incuriendo timorem contradicentibus, vel non conſentientibus incurret-ne ſaltem pœnam illam ſuſpenſionis, in dicto capitulo Barchinonenſi taxatam ſi probauerint deindè, fratres iuſto timore perculſos conſenſiſſe.

Reſpondeo, non incurret, quia voluntas coacta, voluntas eſt, vt dicitur *cap. Meritò* 15. *q*. 1. nam regulariter metus non excludit conſenſum, nec annullat actum ipſo iure, niſi in ijs, quæ requirunt liberum conſenſum, vt in matrimonio, electione, profeſſione, & alijs ſpiritualibus rebus, confeſſione, eleemoſyna, pœnitentia. De quibus vide Tabienam *verbo Coactio, n*. 6. ita Panorm. *in c. cum locum de ſponſalibus, & matr. n*. 2. neque in noſtro caſu tantus poteſt eſſe timor, qui voluntatem excludat.

An autem ex precibus ſuperioris, quæ dicuntur eſſe mandata iuxtà Gloſſ. *in Clem*. 1. *verbo Exhortamur de teſtibus*, cauſetur metus cadens in conſtantem virum, & voluntatem excludens. Dico, quòd non, niſi ſit ſolitus tyrannicè tractare non obtemperantes ſuis precibus. Tab. *verbò Coactio, num*. 2. Panorm. *cap. cum inter. R. De electione, n*. 8. quod tamen vix contingere poteſt in Religionibus.

Sed quid de Superiore legitimè excommunicato, & denuntiato, aut notorio Clerici percuſſore, qui profeſſionem admittit, aut alteri admittere committit, erit-ne talis admiſſio irrita?

Reſpondeo cum Sanchez *lib*. 5. *in decal. cap*. 4. *n*. 78. quòd erit valida, ſiuè acceptet per ſe, ſiuè committat alteri; quia recipere ad profeſſionem, non eſt actus iuriſdictionis, quo priuat excommunicatio, ſi enim eſſet actus iuriſdictionis ſpiritualis, minimè eſſet capax illius fœmina, ſed ſuperioritatis, vt ſentit Roſella *verbo Nouitius, n*. 21. *fine* quo non priuat excommunicatio.

Quid deniquè, ſi Prælatus eſſet ſuſpenſus denuntiatus, valeret-ne profeſſio ab illo acceptata? Reſpondet Sanch. *loco cit. n*. 79. quòd erit valida, quia ſoli actus iuriſdictionis exerciti à Suſpenſo denuntiato ſunt irriti, non autem actus ſuperioritatis, qualis eſt, vt dixi; recipere ad profeſſionem.

Vel dic, ſi placet, in iſtis duobus caſibus, quòd ſi ſit excommunicatus, de breui reconciliandus, vel ad breue tempus ſuſpenſus, ſi commodè fieri poteſt, debet expectari eius abſolutio; quantumuis inſter Nouitius profeſſurus; Si autem Suſpenſio ſit ad longum tempus, perinde eſt, ac ſi eſſet abſens. facit *cap. Si ad Epiſcopum ne ſede vacante in* 6. *iuncta Gloſſa*.

§. III.

De Reliquis Conditionibus Profeſſionis expreſſa, & de Profeſſione tacita.

Secundum, quod requiritur ad profeſſionem expreſſam, quæ eſt illa, quæ verbo, vel ſcripto publicè emittitur, iuxtà formam in vnaquaque Religione obſeruatam eſt, vt, qui profeſſionem facit, expleuerit ætatis ſuæ annum 16. Deſumitur ex Trid. *ſeſſ*. 25. *cap*. 15. *de regul*. vbi nota; quòd non ſatis eſt, vltimam diem decimi ſexti anni eſſe inceptam: ſed debere, eam ætatem eſſe completam de momento ad momentum; & quandò annus eſt biſſextilis, reputari duplicem diem pro vna: & ità ſit illa ætas compleatur *anno biſſextili, die* 24. *Februarij* verbi gratia, complenda erit in die *ſequenti die* 25. *Februarij* in puncto horæ reſpondenti diei Natiuitatis, ita Sanchez *lib*. 5. *in decal*. 4. *cap*. 4. *num*. 4. Vndè in noſtra Religione, in qua ad profitendum requiruntur anni 18. quia hoc ſtatutum non irritat factam profeſſionem antè, ſatis erit, ſi compleuerint, qui profeſſionem ſunt facturi, annum 16. *argum. Capitis ad Apoſtolicam de regularibus*, & probat benè Nauarr. *lib*. 3. *conſil. de regul. conſil*. 24. *n*. 2. & Sanchez *loco cit. n*. 6. Rodriguez *tom*. 3. *q. regul. q*. 17. *art*. 20.

Tertium, quod requiritur ad profeſſionem expreſſam, eſt, vt qui facit profeſſionem, abſoluerit annum integrũ probationis, Habetur in Trid. *loco citato*, vbi noto, quòd huic anno non eſt addenda vna dies, niſi in anno biſſextili, qui cum excedat alios annos in vna die, de illius integritate eſt vna dies, & debet eſſe completus de momento ad momentum; & etiam requiritur vt ſit continuus, vt Nauarr. *loco cit. conſil*. 17. *n*. 2. Sanchez *lib*. 5. *in decal. cap*. 3. *n*. 31. *& cap*. 4. *n*. 9. Henriquez *in ſum. lib*. 13. *cap*. 40. *n*. 2.

Circa profeſſionem tacitam, multis modis poterat fieri antè Concilium Trid. de quibus poteſt videri Azor. *lib*. 12. *inſt. moral. c*. 4. *q*. 3 Reginald. *lib*. 18. *praxis, n*. 386. Sanchez 5. *in decalog cap*. 3. *n* 13. Nunc autem poſt Concilium, Si quis per annum integrum geſſer habitum profeſſorum, & Nouitiorum communem, ſuſceptum auctoritate ſuperioris, cuius eſt ad profeſſionem; & Religionem admittere, & expleuerit annum 16. ſciens & volens animo in Religione perpetuò permanendi & vota ſeruandi, cenſendus eſt tacitè profeſſus, ita Reginaldus *loco cit. verſu poteſt vero*, & Sanchez etiam cit. *à numer*. 14.

Quandò autem habitus Nouitiorum, & profeſſorum eſt diſtinctus, vt in noſtra Religione, in qua diſtinguitur in forma Caputij, cinguli, & tonſuræ, quamuis quis talem habitum portet, etiam ad viginti annos, nunquàm inducitur profeſſio tacita, vt bene probat Gloſſa *in Clem. Eos, qui de regul.* quæ varios modos habitum geſtandi, communem, vel diſtinctum, latenter, vel patenter diſtinguit. Notat etiam Paſſatellus *in Ceremonijs Minim ad propoſitum profeſſionis, num*. 5. *pag. mihi* 62. ſecùs autem eſſet, ſi elapſo anno, non ponaret ampliùs Caputium, cingulum, & Tonſuram Nouitiorum, ſed profeſſorum; quia tunc efficeretur tacitè profeſſus, ſi cæteras haberet conditiones dictas & talem habitum profeſſorum portaret, ſaltem per tres dies, vt notat Paſſatellus *loc. cit.* vndè taliter profeſſus poteſt compelli manere in Religione, eumquè Religio, quam ſic profeſſus eſt, retinere tenetur, vt Reginaldus *loco cit*.

Dixi, ſciens, & volens, quia qui poſt profeſſionem etiam, expreſſam, inualidè, ſiuè nulliter factam, illius nullitatem ignorans in Monaſterio perſeuerat, non cenſetur ſatis illam ratificare, eò quia ſe actibus ſolis profeſſis conuentibus immiſceat. Ita Caiet 2. 2. *q*. 189. *art*. 5. §. 1. Nauar. *lib*. 3. *conſil. de regul. conſil*. 17. *n*. 3. *& conſil*. 24. *à n*. 3. Azor. *lib*. 12. *inſtit. moral. capite quarto, quaſt*. 7.

CAPVT XXVII.

Vtrum Subditus Regularis, ita ſuis exigentibus delictis poſſit per Prelatos ad Triremes damnari.

Videri poteſt pro hic dicendis Diaz *in ſua practica Crim. cap*. 146. vbi Salzado, Nauarr. *comm*. 3. *de regul. numer*. 52. *& lib*. 5. *conſil. de hareticis, conſil*. 1. Graff. *lib*. 3. *conſil. regular. conſil*. 4. *difficult*. 2. *num*. 6. *& conſil*. 6. *num*. 8. *tom*. 2. *& prima parte, deciſ. lib*. 3. *cap*. 5. *num*. 82. Zerola *in praxi, part*. 2. *verbo Excommunicatio, num*. 19. & ibi *verbo Triremes*, Iul. Clar. *in ſua practic. Crim. lib*. 5. §. *finali, n*. 7. *quaſt*. 67. vbi Baiardus *n*. 13. Rodrig. *tom*. 2. *q. regul. q*. 25. *art*. 1. *&* 2. *& in ſum. de ord.*

iudiciali, cap. 12. conclus. & n. 13. circa finem, & cap. vlt. conclus. 4. Miranda *tom. 1. Manualis prael. q. 52. art.* 8. Victorinus Mansius *de modo proced. in causis regul. cap. 19. n. 4.* Franciscus Pegna *in 3. part. directorij inquisit. com. 46. pag. mihi* 518. Viualdus *in suo Candelabro, tract. de depos. & de gradu, n. 38. pag. mihi* 83. Azor. *tom. 1. instit. moral. lib. 12. cap. 16. q. 15.* Sanchez 6. *in decalogum, c. 8. numer. 16. & cap. 9. numer. 58.* Spatharius *de modo corrigendi regul. tract. 10. parte 3. cap. 17.* Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 1. lib. 2. cap. 10. à n. 3.* Riccius *4. part. praxis decis. 169.*

Dico primò, licèt pœna triremium sit noua, quò ad hoc vt ea plectantur Domino Deo dicati Regulares; & à iure communi exorbitans. Per consuetudinem tamen, & priuilegia particularia, possunt Prælati Regulares ad tempus, vel in perpetuum suos subditos ad eas condemnare. Si delicta eorum eò deuenerint, vt aliter castigari non possint. Hæc conclusio habet quatuor partes, & per omnes probanda est.

Prima pars, quòd scilicet sit pœna noua, patet quia ea nunquàm vsi sunt antiqui patres, nec Religionum institutores, Benedictus, Basilius, Augustinus, vterque Franciscus in suis regulis de ills meminerunt, eo dumtaxat contenti, vt scelesti, & incorrigibiles ab eorum societate explodetentur: vel carceribus manciparentur, ita Nauar. *comm. 3. de regul. n. 52.*

Secunda pars, quòd scilicet hæc pœna sit exorbitans à iure communi. Probatur *ex cap. Vniuersitatis de sent. excommunic.* vbi excommunicantur Prælati mandantes verberari Clericos, seù Religiosos per sæculares, in quam excommunicationem incurrunt etiam sæculares verberantes. Sed qui damnant regulares ad triremes, eos subijciunt quotidianis, ne dicam momentaneis, verberibus.

Tertia pars, quòd scilicet possint per consuetudinem, & priuilegia, probatur primò, quia consuetudo, ita obtinuit, & quotidie videmus, Religiosos damnari à suis Prælatis ad triremes, de qua consuetudine testantur citati Doctores.

Secundò. Probatur *ex priuil. Pij V. concesso Priori Generali Ordinis Sancti Hieronymi in Hispania*, vt refert Rodriguez *tom. 2. quæst. regul. quæst. 25. art. 1.* quo datur facultas dicto Priori, vt possit fratres de cōsilio deputatorum delinquentes ad triremes damnare perpetuò, vel ad tempus: eoque gaudent omnes Religiones communicationem habentes, vt ait idem Rodrig. *tom. 1. qu. regul. quæst. 30. art. 16.* atque ita Generales aliorum ordinum possunt de consilio illorum, quibuscumque decernunt grauiora Religionis negotia, suos fratres ad triremes damnare, quod tamen per hoc priuilegium non possunt Prouinciales, nisi de commissione Generalis, quia priuilegium hanc facultatem priori solùm Generali concedit, vel cui ipse commiserit.

Tertiò. Contrà Clericos ter blasphemantes Christum & B. Virginem à dicto Pio V. constituta est pœna triremium, *Anno Domini 1566. die prima Aprilis* per eius constitut. quæ incipit *cùm primum*, §. 10. quam refert Cherub. *in suo bull. tom. 2. in Pio V. constit. eius 5. pag. mihi* 179.

Quartò. Probatur ex alio priuilegio concesso nobis Minim. (de quo neminem vidi mentionem facientem) à Clemente VII. *Anno Domini 1529. die 19. Augusti,* ad instantiam Patris fratris Desiderij de Mota tunc temporis nostri ordinis Generalis, & est insertum in nostris constitutionibus *post regul. pag.* 18. tenoris sequentis.

Exponi nobis, & infrà. *Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi, & pro tempore existenti Generali, ac zeloso, nec non alijs superioribus dicti ordinis, omnes, & singulos dicti Ordinis fratres, quos in quibusvis Ciuitatibus, & locis, tàm sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quam quorumuis Regum, Ducum, & aliorum Principum ditioni subiectis, inhonestè, & præter regularium institutorum, eorundem obseruantiam viuentes, & scandalum generantes, & incorrigibiles repereritis, ac vobis de eorum prauato viuendi modo, per vos, vel teste fide dignos constiterit, corporaliter capiendi, seù capi, eosque iuxtà criminum, & delictorum per eos perpetratorum qualitates, ad triremes perpetuò, vel ad tempus, absque aliqua Iudicum Ecclesiasticorum, vel sæcularium super eisdem criminibus, & delictis, cognitione, vel sententia prolatione, detrudendi, & condemnandi, seù detrudi, & condemnari faciendi, sine conscientia scrupulo, omni tamen malitia, & specie vindictæ ex parte vestra, & vobis in hoc assistentium cessantibus, plenam, & liberam auctoritate Apostolica, tenore præsentium licentiam, & facultatem concedimus. Mandantes triremium earundem Capitaneis in virtute sanctæ obedientiæ, vt eosdem fratres, quos iuxtà cōnscientiam vestram, & de vobis assistentium consensu, huiusmodi pœna dignos iudicaueritis, eis pro tempore consignatos inibi delictorum suorum pœnitentiam facturos, recipiant, & retineant.*

Circà quam constitutionem noto primò quòd hoc priuilegio gaudent cæteræ Religiones communicationem habentes; atque ita, tùm Generales, tùm Prouinciales de consensu sibi assistentium possunt fratres delinquentes ad triremes damnare; Non puto tamen, quòd hanc auctoritatem habeat Pater Zelosus, licet dicatur in Bulla, Tibi, & Patri Zeloso; nàm Pater Zelosus in nostra Religione est tantummodò procurator Generalis, nullam habens auctoritatem iudiciariam, nec iurisdictionem, licèt aliquam præeminentiam, vt patet *ex Capitulo Paula, n. 24.* Ideò quandò illi concedit Pontifex auctoritatem damnandi ad triremes, debet intelligi, quandò zelosatui est annexa auctoritas Vicarij Generalis, prout ordinariè est in absentia Reuerendissimi ab vrbe; Non enim censendus est Pontifex voluisse illi tantam facultatem tribuere contra Regulam, & Regularia statuta. Et ratio est, quia in suis constitutionibus non intendit Papa derogare statutis particularium locorum, nisi expresśè deroget, vt supra dixi, *cap. 21. conclus. 6. versu dixi modo*, neque per illa verba. *Alijs superioribus dicti Ordinis*, possunt intelligi Correctores locales, qui in nostro Ordine ad summum habent auctoritatem formandi processus in rebus grauibus, non autem decidendi, neque sententiandi absque auctoritate Prælati, vt dicam alibi. Remanet ergo solùm præfata potestas penes Generalem, & eius Vicarios, & penes Prouinciales; & sic fuit declaratum *in cap. Val. 4. n. 61.* & quoad Prouinciales cum limitatione, vt priùs Generalem consulant.

Noto secundò, quod hoc possunt facere dicti Prælati absque *conscientiæ scrupulo, & iuxtà conscientiam suam*, cuius verbi repetitio in Canone, vel lege grande mysterium continet, vt optimè tradunt Glossa *in Clem. prima, verbo Diœcesanis de iur. patron.* & Sanchez 6. *in decalog. cap. 8. num. 10.* Mysterium ergo est ad innuendum, quàm maturè debeant Prælati procedere in tali condemnatione.

Noto tertiò, quod debent hoc facere Prælati absque passione iræ, vel vindictæ, sed solo zelo iustitiæ, & boni communis, quod si aliter, videtur innuere Pontifex, quod incurrent excommunicationem *capitis Vniuersitatis de sent. excommun.* quia vapulandum præbent Religiosum sæcularibus, quod vetatur *illo cap.*

Noto quartò, quod debent hoc facere Prælati, non de consilio tantùm collegarum, sed de consensu. An autem assistentes, si specie vindictæ damnant aliquem ad triremes, dictam excommunicationem incurrant, puto quod sic; quia quando collegæ debent præstare assensum in aliquo negotio, ita vt negotium illud, nisi talem assensum præstent, expediri non possit, concurrunt tanquàm participes officij, & ideo videtur, quod debeant participare in illa excommunicatione *cap. Vniuersitatis*, quia & ipsi pro parte sua Religiosum sæcularibus, præbent verberandum. Addo, quod Consilium, & fauorem dantes, incurrunt in excommunicationem *capitis.*

Pitis. Si quis suadente, vt dicunt omnes, Sayrus *lib. 3. de censuris, cap.* 26. Suar. *tom. 5. in 3. partem, disp.* 22. *sect.* 3. *num.* 55.

Noto quintò, quod Capitanei triremium non recipientes dictos Religiosos ad suas triremes damnatos, legitima causa cessante, & receptos inscijs Superioribus ipsorum Religiosorum damnatorum, vel contradicentibus, dimittentes, peccant omnino mortaliter.

Quarta pars conclusionis, quod scilicet hæc pœna non debeat irrogari, nisi quando aliter Regulares castigari non potest; probatur, quia hæc pœna est omnium terribilissima. Vndè eam merito deplorat Diaz *in sua pract. c.* 146. *n.* 3. Qui nec approbat dari Sacerdotibus Dei, quibus maior dignitas collata est, quàm Angelis, quacumcumque facinorosis, quia ibi est maxima omnium sceleratorum hominum copia, maximus squallor, maximus omnium ærumnarum, ac immundiorum aceruus: & putat tolerabilius quovis mortis genere (momentaneo tamen) vitam finire, quam longo vitæ interuallo cum tot facinorosis hominibus, ac etiam infidelibus; sæpius tali quotidiana pœna torqueri.

Quod non minoribus, & efficacioribus verbis & sententijs deplorat Viualdus *tract. de depos. & degrad. sub n.* 38. *pag.* 84. vbi ad longum deplorata miseria talium damnatorum, in hæc concludit. *Vellem equidem, vt si aliquis mihi notus, vel coniunctus ad triremes esset condemnandus, vt morte potius puniretur quacunque subita naturali quam illa ciuili: In morte enim naturali per ministros iustitia data, multa reperiuntur commoda, videlicet confessio, sacratissima communio, indulgentiarum acquisitio, piorum hominum consortatio, fidelium orationes, ac denique in ictu oculi de hoc mundo in cœlum, vt piè creditur, euolatio. In triremibus è contra miserrimus quisque reus quotidie moritur, & nunquam finitur; infinita ferè discit peccata, qua postea vix deseris. Quotidie flagellatur & sæpè sine culpa: Habitat cum Turcis, & Infidelibus, latronibus aliisque pessimis hominibus: Non satiatur pane, & aqua; semper pluuiis, ventis, infanisque expositus procellis: ac, vt alia taceam, denique catena ligatus, pedibusque suspensus, fracta, submersaque triremi, inter vndas absque sacramentis, aliaque consolatione desperatus perit, atque tanquàm lapis in infernum descendit.*

Quibus omnibus, misceam loci illius deplorantes, symbolum nostrum adiiciamus, & nos; Schola sunt triremes omnium peccatorum, scelerum, vitiorum, facinorum, criminum, quantumvis nefandorum, & enormium, vbi prima Cathedratica Venus, cui adstant sodomorum turbæ, ganeonum Conuentus, scortorum, & parthicorum multitudines, ociosorum phalanges, latronum cohortes, ludentium Myriades, ebriorum, & comedonum exercitus. Secundus Cathedraticus (in præiudicio in assignatione locorum aliis) Zoroaster, cuius sunt auditores venefici, incantatores, strigones, iudiciarij, necromantes: Tertius Cathedraticus est Pater mendacij Diabolus, cuios auditores sunt blasphemi, mendaces, murmuratores, calumniatores, falsi testes, periuri, malefici, zizaniarum seminatores, animarum negotiatores. Et verè *edaces scelerum triremes.* Vnde iure merito possunt appellari. *Terra tenebrosa, & operta mortis caligine, terra miseria, & tenebrarum, vbi vmbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Vt loquendo de Inferno ait Iob. *cap.* 10. Quarè, & locum illum appello infernum temporalem; nam si *in inferno*, vt ait Greg. in diuersis locis suorum operum, præsertim, 9. *moralium, c.* 38. 39. *&* 4. *dialog. c.* 36. *Erit immortalis vermis, fætor intolerabilis, horrida visio Dæmonum, confusio peccatorum, desperatio omnium bonorum, Mors sine morte, defectus sine defectu.* Hic adest semper vermis immortalis propriæ conscientiæ, qui dicitur synderis, semper accusans, improperans vinctum illum: quæ est grauissima pœna. Vndè Ambr. *lib.* 3. *officiorum, cap.* 4. *Qua autem, ait, pœna grauior, quàm interioris, vulnus conscientia? quod fuerint indicium, quam domesticum, quo vnusquisque sibi reus est?* alibi idem Ambr. *Nihil agit sapiens, nisi quod honestum sit, nisi quod cum sinceritate sine fraude sit. Neque quidquam facit in quo se crimine quoque obliget etiamsi latere possit, sibi enim est reus priusquam cateris, nec tam pudenda apud eum publicatio flagitij, quàm conscientia est,* & Socrates ad Dæmonia cum ait, *si quid vnquam turpe admiseris, ne speraueris fore clam, nam vt aliis id celes, at sibi ipse eris conscius, &* tandem ad id facit Iuuenalis carmen Satyra 13.

Nocte, dieque suum gestas in pectore testem.

Fœtor intolerabilis, & talis, qualis, nisi ab illi Cloacæ assuetis sustinere potest, si non, dicat rerum magistra experientia; Horrida visio hominum indæmoniatorum, omnibus vitiis affluentium, & dæmonibus etiam peiorum: Confusio peccatorum, nihil proprius, ebaos omnium confusionum: Desperatio omnium bonorum: quid amplius? Mors sine morte, quæ semper incipit, & nunquàm deficit: Moriuntur quotidie, & semper viuunt, feriuntur flagellis, & verberibus absque pietate, & discretione præ manibus Turcarum, & infidelium, vnde aceto, & sale medicantur, semper deficiunt, & nunquàm deficiunt. Teterrima itaque pœna, incautè, & pro quocumque delicto non infligenda, sed pro eo solùm, & non vno, sed pluribus, propter quæ fit quis morte turpissima dignus.

Sed quoniam, vt ait Iulius Clarus *in sua practica Crimin. libro* 5. *quæst.* 67. *§. finali, num.* 7. ita creuit plurimorum regularium libido, & impudentia, vt non possint ordinariis caeterum pœnis coërceri, quia vel aufugiunt, vel non oment, necessaria fuit Cloaca ista ad Religiones expurgandas, & purificandas. Neque sat est aliquando à Religione eiectio, Homicidæ enim, Latrones, & Draucai, si à Religione eiiciantur, meritas absque dubio non luent pœnas. Fateor tamen, quòd meliùs esset, tùm pro Religionibus, tùm pro istis scelestis, qui propter facinora perpetrata fiunt digni, vt ad triremes eiiciantur, eos ad perpetuos, & dutos carceres compedibus, disciplinis, & inedia torquendos, eomdemnare; sic enim de illorum salute, & correctione posset sperari, quod etiam notat Rodriquez *de ord. iudic. cap. vlt. conclus. & numero* 4.

Dico secundò, si quandoque esset Religiosus ad triremes damnandus, deberet eondemnari, vel in perpetuum, vel si tantùm non mereretur pœnam, vt finito tempore, habitu remaneret spoliatus, ita vt ad Religionem ampliùs non rediret, est opinio Rodriquez *tom.* 2. *quæst. regul. quæst.* 25. *art.* 2.

Probatur primò, nam ad mala pronus, cum peruersis degens, pessimus efficitur. Nec enim incorruptus manere potest, qui corruptis sociatur, *cap. Quisquis* 23. *q.* 4. Vndè *Ecclesiastici* 13. dicitur; *Qui communicat superbo induet superbiam.* Et vicinitas confœderationem arguit vitiorum *distinct.* 44. §. 1. & tantùm abest, vt possit sperari emenda de istis, quin potiùs rationabiliter credi possit ipsos euasuros peiores; vndè infecta illa ouis, quæ scelerum magistra erit facta, ad inficiendas in Religione alias oues sanas, admitti non debet.

Secundò. Probatur ex eo, quod dicit Apuleius apologia 2. *Peccata semel, vt bonum quisque, postea sollicitius cauet, ità quis ingenio malo est* (vt sunt isti) *confidentius integrat, ac iam de catero, quò sepiùs delinquit; Pudor enim veluti vestis quantò obsoletior est, tantò incuriosius habetur.*

Tertiò. Quia indecentissimum est, Galeotas istos iàm infami punitionis genere punitos, iterum Religiosorum sancto, & honesto habitu reindui, & denique.

Cœlum, non animum mutant, qui trans mare currunt, vt cecinit Horatius *lib.* 1. *epist.*

Dico tertiò. Ad triremes damnandus esset priùs actualiter degradandus. Franciscus Pegna *in* 3. *parte direct. inquis. comm.* 46. *versu de eo verò, pag.* 518. Salzedo ad

ad practicam Diaz, *capite 146. versu, Sed utrum.*

Probatur, quia perpetuis carceribus immurandus per definitionem Vrbani IV. quam refert Pegna *loco citato versu. Et consequenter.* Salzedo *ad Pract. Diaz, cap. 116. versu debet*, est degradandus, ergo ad triremes perpetuò damnandus; quia cum par sit vbique, & penitus similis ratio, idem erit statuendum, lege illud, *ff. ad lem Aquiliam.* Aduertunt tamen Pegna, & Salzedo *loc. citat.* In conclusinne, quòd quia cum istis solet aliquando dispensari. Ideo non solet Clericus, seu Regularis ad istas pœnas damnatus, actualiter, sed verbaliter tantùm degradari. Quæ autem sit degradatio actualis, quæ verbalis, v de apud Sylu. *verbo Degradatio, n. 1.* Sebastianum Medicem *in sum. peccatorum, cap. 22.* Suarez *tom. 5. in 3. partem de censuris, disp. 30. sect. 2. à n. 6.* Ambrosinum *de immun. Ecclesiæ cap. 18. n. 35. 36. & caput degradatio de pœnis in 6.*

Dico quartò, Ministri triremium verberantes Religiosos ad eas damnatos non incurrunt in excommunicationem, Nauarr. *comm. 3. de regul. n. 52.* Mir. *toma 1. Manualis, q. 52. art. 8.* Freita *addit. ad Cuncha q. 24. n. 45.* Molina *tom. 4. de Iust. tract. 3. disp. 51. n. 5. col. a. & tom. 6. tract. 5 disput. 7. n. 4.* Aldrete *de Religiosa disciplina lib. 2. cap. 27. num. 16.* ex Freita *loco cit.* qui id etiam putat à Summi Pontificis commissione in consequentiam necessariam pendere.

Probatur, nàm si sit actualiter degradatus, iam perdidit priuilegium Clericale, *per cap. degradatio in fine, de pœnis in 6.* & probat cum aliis multis Viualdus *tract. de depos. & degrad. q. 58. pag. 84.* Si autem sit tantùm verbaliter degradatus, licèt si priuilegium non perdat, vt Glossa *d. cap. Degradatio*, & Sylu. *verbo degradatio, n. 8. q. 6.* cum communi; tamen per consuetudinem in contrarium videntur excusari à culpa, & à pœna, si modum non excedant: vel non verberent ex odio, & malignitate. Quia cum lex de non verberando Clerico, non sit naturalis, nec diuina, sed humana, tolli potest per consuetudinem, vt habet Nauar. *loc. cit.* & Suarez *tom. 5. in 3. partem, disp. 22. sect. 1. num. 44.* Panorm. *in cap. vt famæ de senten. excommun. num. 8.* licet dicat hanc consuetudinem esse malam. Videatur quid dicat Zerola circa hoe, *secunda parte suæ praxis, verbo Excommunicatio, §. 19.*

Sed quid si quis absolutum à pœna triremium, eò quia tempus suæ condemnationis compleuit, sed nondùm illis egressum, nec habitu regulari nondùm indutum percutiat?

Respondeo, erit excommunicatus, quia peracta pœnitentia, Ille non est ampliùs triremium legibus subditus, sed est Religiosus sub obedientia sui Prælati.

Dico quintò, damnatus ad triremes tenetur ad officium diuinum, si erat choro destinatus: etiamsi in sacris non sit, modò tamen commodè possit id facere, ita Suarez *tom. a. de Relig. lib. 4. cap. 17. num. 9.* Aphonsus Vinald. *loca cit. numero 4.* qui addit, quòd si commodè non potest officium recitare, tenetur ad aliquas preces, verbi gratia, Pater noster, Aue Maria loco officij.

Probatur, quia non absoluitur per damnationem ad triremes à statu regulari; ergo tenetur ad omnia ea, iuxta possibilitatem suam, quæ statu illo sunt, vel essentialia vel ad præscripta consuetudine.

Dico sextò, Religiosus damnatus ad triremes perpetuò, vel ad tempus non potest ab eis tuta conscientia fugere, Sanchez *lib. 6. in decalog. capite 8. numero 16.* & alij multi, quos citat, licèt Bannes etiam ab ipso citatus *2. a. quæst. 69. artic. 4. post 5. conclus.* contrarium teneat; quod est valdè probabile propter illius pœnæ duritiam, & ignominiam, modò rectè superiorem adeat.

Probatur nihilominus conclusio, quia per votum obedientiæ sa ita libertate priuauit, vt non sit ei licitum ad beneplacitum vagari: sed tenetur permanere, & stare, vbi suis illi præceperit Prælatus.

Dico septimò, Si Religiosus ad triremes damnatus aliquid quærit, ait Graff. *1. part. dec. lib. 3. cap. 5. num. 8a.* quòd quærit Episcopo, cui sunt subiectæ triremes, sed puto distinguendum, nàm vel est damnatus perpetuò, vel ad tempus: si perpetuò, cum sit seruus, & mancipium exauctoratus, & degradatus, quærit illi, cui quærunt serui, & mancipia: si verò ad tempus, & eo transacto ad suam, vel alienam Religionem non reuertitur, sed remanet in habitu Clericali, vel Laïcali, tùm etiam distinguo, vel est ita damnatus ad triremes, vt finito tempore, sit habitu spoliatus; & tùm quærit illi, cui quærunt eiecti: vel non est habitu priuatus, & tùm ad Religionem tenetur redire, & secum omnium acquisita deferre; si negligat redire, remanet in sæculo, quærit illi, cui quærunt Apostatæ.

Dico octauò, ad triremes damnatus ad tempus, si eo finito ad Religionem reuertatur, non amittit Genitutam Sylu. *verbo Religio 3. q. 19. versu secundo inducitur.* Panorm. *in cap. ex rescripto de iureiur. num. 4.* Nauar. *com. 4. de regul. num. 74 versu aduertendum 3.* aduerte, quod ad triremes damnatus, si confugiat ad Ecclesiam gaudet immunitate, Giurba *in consil. crim. consil. 30. n. 21.* Diana *tract. r. de Immun. Ecclesiæ resolut. 40.* qui ait id esse etiam verum de Bonauoliis, & sic in praxi fuisse sæpius declaratum, Ita Passarelius in Scholiis ex Genuensi, *n. 21.* & probatur, quia in Monasterio dicitur esse Monachus, qui manet in quocumque loco de superioris mandato.

Dico vltimò, damnatus ad triremes, per Iudicis legitimam sententiam est infamis infamia iuris: quæ à summistis, verbo infamia dicitur, quando quis legitimè conuictus de aliquo enormi crimine, fuit legitimè condemnatus, & per consequens est irregularis, vt notat Glossa *in Regula infamibus, quæ est 87. de regul. iur. in 6.* & Rodriquez *tam. 1. quæst. regul. quæst. 24. art. 6.* & Tolet. *in sum. lib. 1. cap. 62. num. 1. fine*, vndè sequitur, quòd si sit Sacerdos, seu ordinatus in aliquo ordine sacro, non possit exercere ordinem, quem habet, nec promoueri ad quem non habet absque dispensatione, vt Toletus *loco citat.* & alij communiter; Repellitur etiam ab accusatione, & testificatione, & omnibus aliis actibus prohibitis infamibus, Sayrus *lib. 7. de censuris, cap. 11. num. 6.*

Sed quæres, quis poterit cum isto dispensare, vt celebrer in ordine suscepto, & ad altiores promoueatur.

Respondent omnes Doctores communiter, quod super irregularitate proueniente ex infamia iuris, solus Papa potest dispensare. Nauar. *in summ. cap. 27. num. 204. versu decimoseptimo.* Sayrus *lib. 7. de censuris, cap. 11. num. 15.* Toletus *in summ. lib. 1. cap. 62. num. 5.* In specie autem, quòd Prælati Religionum non possint dispensare super irregularitate proueniente ex infamia iuris, docent Rodriq. *tom. 1. q. regul. q. 24. art. 6.* & Mir. *tam. 2. Manualis, q. 8. art. 5.*

Si obiicias id, quod diximus supra; Prælatos Regulares posse per sua priuilegia dispensare cum suis subditis in omnibus irregularitatibus, excepta Bigamia, mutilatione membrorum, & homicidio voluntario.

Respondent prædicti Rodriquez & Miranda, quod licet ita sit, tamen sicut adhuc censentur reseruatæ Pontifici irregularitates prouenientes ex aliquo corporis vitio, & defectu, propter scandalum, quod fidelibus, inde prouenire potest, ita cum istis infamibus solus Papa potest dispensare propter scandalum, quòd exindè generari potest, videndo ipsos celebrare.

Quòd licet habeat aliquam probabilitatem, tamen non puto omnino verum; non enim solido innititur fundamento. Nàm si dicatur, quòd non possunt Prælati Regulares dispensare cum istis, qui ad triremes fuerunt damnati

damnati propter ſcandalum, quod poteſt generari in populo, videntes eos celebrare, quia hoc dicit quandam deformitatem, idem poterit etiam dici de Papa; nàm idem ſcandalum generabitur; poſtquàm fuerit cum illis diſpenſatum per Papam, quia eandem deformitatem habebit: quòd tamen nullus dicet. Addo, hoc eſſe ita in his temporibus ordinarium, vt Eccleſiaſtici ad triremes damnentur, & quòd deinde egreſſi celebrent, vt nullam, aut ſaltem paruam hoc in populo generet admirationem, putant enim, eum illis fuiſſe diſpenſatum ab habente auctoritatem. Itaque, niſi aliud obſit, puto, quòd Prælati Religionum per ſua priuilegia, quæ latè ſunt interpretanda, iuxta Regulam *Odia reſtringi*, quæ eſt *15. regul. iur. in 6.* poſſint diſpenſare cum infamia iuris notatis, & per conſequens cum iis, qui propter delicta fuerunt ad triremes damnati, & ita obſeruatur in praxi, vt audio, quod etiam dicit Naldus *in ſum. verbo Infamia, n. 1. verſu hic autem addendum.*

CAPVT XXVIII.

Quomodo ſubditi teneantur ſuos Prælatos honorare.

PRo hîc dicendis videri poteſt D. Thom. 2. 2. *q. 63. art. 3. & q. 103. art. 2. & quodlib. 8. art. 7. & in 3. diſt. 9. quæſt. 2. art. 3.* Ariſtoteles *primo Ethycorum, c. 12. & lib. 4. cap. 3.* Plato *lib. 34. de legibus, dialogo* 11. Val. *tom. 3. diſp. 5. q. 7. part. 3.* Tab. Angelus, Sylu. Armilla *verbo Honor*, Petaldus *in summ. vir. & vit tom. 1, tract. 5. de inſt part. 6. cap. 1. & 2.* Thomas Kempis *de fideli diſpenſatore, §. 24. & cap 4. de diſcipl. clauſtral.* Iacobus Aluarez *de vita religioſe inſtituenda, lib. 6 cap. 9. & de vita ſpirit. tom. 2. lib. 3. p. 5. ſect. 6. à cap 9.* Antoninus *4. p. tit. 5. cap. 10. §. 1.* Nauarrus *cap. inter verba, concluſ. 4. à n. 4. & concl. 5. à n. 63. & de finibus humanorum actuum, à n. 47. & in ſumm. cap. 18. à num. 17. & cap. 23. num. 9.* Sayrus *in claui regia, lib. 11. cap. 8.* Aragon. 2. 2. *quæſt. 63. art. 3.*

Noto primò, quòd quinque ſunt honoraria bona; Reuerentia, Laus, Honor, Fama, & gloria humana, *Reuerentia*, vt eam Thomas Valdenſis *in lib. de ſacramentalibus, cap. 118. art. 6.* definit: *Eſt animi reputatio, qua quis bonitatem alterius magnifacit*, & vt Sanctus Thom. 2. 2. *q. 103. art. 1. ad primum* dicit. *Eſt primum motiuum ad honorandum, in quantùm ſcilicet aliquis ex Reuerentia, quam habet ad aliquem, eum honorat; eſt etiam honoris finis, in quantum ſcilicet aliquis ad hoc honoratur, vt in reuerentia habeatur ab aliis.*

Laus eſt oratio magnitudinem virtutis oſtendens, vt eam definit. Ariſt. 1. *Rethoric. cap. 9. verſus finem, & 3. Rethoric. cap. 16. in principio*, & verſatur circa vniuerſalia, ad differentiam Encomij, quod verſatur circa ſingularia, & Prædicationis, quæ circa finem, vt idem Ariſt. 2. *moral. Eudemiorum, cap. 1. fine.* Differt autem ab honore dupliciter, primò, quia laus conſiſtit in ſolis ſignis verborum; Honor autem in quibuſcumque exterioribus ſignis. Secundò, quia per exhibitionem honoris teſtimonium reddimus de excellentia bonitatis alicuius abſolutè, ſed per laudem teſtificamur de bonitate alicuius in ordine ad finem, vt quando laudamus aliquem operantem bene propter finem, vt D. Thom 2. 2. *q. 103. art. 1. ad tertium* Antoninus *4. part. tit. 5. §. 1.*

Honor eſt exhibitio Reuerentiæ in teſtimonium alicuius excellentiæ, quæ in honorato reperiatur. Ita D. Thom. *1. p. 2. q. 2. art. 2. corpore, & 2. 2. q. 25. art. 1. ad ſecundum*, vbi aſſignat differentiam inter amorem, & honorem, quòd ille reſpiciat bonum in communi, hic proprium bonum honorati.

Fama, vt iam *cap. 25. §. 1. concluſ. 7.* diximus: *Eſt illæſæ dignitatis ſtatus, vita & moribus comprobatus, & in nullo diminutus.* Et eſt non ſolùm de iis, quæ virtutem reſpiciunt, ſed etiam de iis, quæ ingenium, fortunam, &c. ſicut etiam de iiſdem eſt laus, vt dicit Nau. *cap. inter verba, concluſ. 4. num. 4. & de finibus humanorum actuum, num. 48.* quia moribus vitioſus, ſi habeat aliquam ingenij excellentiam, & eſt laude dignus, & fama.

Gloria denique eſt clara cum laude notitia, vt ex Ambroſio *in cap. 1. ad Romanos* eam definit D. Thom. *1. 2. q. 2. art. 2. & 2. 2. q. 103. art. 1. ad tertium*, vbi nota, quòd verbum illud (Laude) non ita ſtrictè ſumitur, vt ſuprà dictum eſt; fieri enim poteſt, vt alicui contingat gloria abſque laude verborum per honorem facti, vt *Mardochæo Eſter. 6.* Quod bene notat Nauarrus *de finibus humanorum actuum, numero* 48. Notandum eſt etiam, quòd gloria non eſt honor, ſed honoris effectus, & laudis, vt D. Thom. 2. 2. *q. 103. art. 1. ad tertium, & quæſt. 132. art. 2. corpore*; Ex hoc enim quòd aliquis honoratur, redditur clarus in oculis aliorum, vt idem D. Thom. 2. 2. *quæſt. 145. art. 2. ad ſecundum, & q. 103. art. 1. ad tertium.*

Adde ex Valdenſi *loco citat.* quòd hæc quatuor. Reuereri, Honorare, Laudare, & Glorificare, ita ſe habent, vt poſteriùs priori ſemper aliquid adiiciat; *Reuereri, enim, eſt animo magnificare, Honorare id aliquo ſigno exteriori ſignificare: Laudare, id verbis facere, Glorificare autem, Longè, lateque id expandere.* Tandem hic aduerte, *quod honor magis eſt in honorante, quàm in honorato*, vt refertur ex Ariſt. 1. *Ethyc* & Chryſoſt. *hom. 25. Epiſtola ad Hebræos*, ait, *Honorans alios ſe ipſum honorat.*

Noto ſecundò ex Ariſt. 4. *ethyc. c. 3. Ante medium*, & D. Thom. 1. 2. *q. 2. ad primum, & 2. 2. q. 103. art. 1. ad ſecundum, quod virtutis in hac vita non poteſt ſufficiens præmium aſſignari.* Cum autem nihil in rebus humanis, & corporalibus maius honore poſſit inueniri, in quantùm ſcilicet ipſæ corporales res ſunt ſigna demonſtratiua excellentis virtutis; Ideo dicitur honor eſſe præmium cuiuſcumque virtutis.

Noto tertiò, quòd *honor proprie ſoli virtuti debetur*, vt Ariſtot. 4. *Ethyc. cit.* & D. Thom. 2. 2 *quæſt. 63. art. 3. corpore, & quæſt. 144. art. 2. ad ſecundum.* Poteſt tamen aliquando aliquis honorari, non ſolùm propter virtutem propriam, ſed etiam propter virtutem alterius; ſicut Principes, & Prælati honorantur, etiam ſi ſint mali, in quantum gerunt perſonam Dei, & communitatis; Senes honorandi ſunt propter ſignum virtutis, quod eſt ſenectus, licet hoc ſignum quandoque deficiat, vnde dicitur Sap. 4. *Senectus venerabilis non diuturna, neque annorum numero computata, cani autem ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata.* Parentes etiam, & Domini ſunt honorandi propter participationem diuinæ bonitatis, qui eſt omnium Pater, & Dominus. Diuites etiam honorandi, quia maiorem locum in communitatibus obtinent, ita D. Thom. 2. 2. *q. 63. art. 3.*

Dico primò Prælatis Religioſorum debetur honor, & Reuerentia, ita D. Thom. 2. 2. *q. 102. art. 2. ad tertium & q. 103. art. 2. corpore, & in 3. d. 9. q. 2. art. 3.* Nauar. *cap. inter verba, concluſ. 5. n 63.* Antoninus *4. p. tit. 5. c. 10. §. 2.* Alnarez *de vita religioſè inſtit. lib. 6. c. 9.* Tab. *verbo Honor, num. 1.*

Probatur primò, ex Apoſtolo ad Rom. 13. *Cui honorem, honorem*; habita Relatione ad poteſtatem, de qua initio dixerat. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. 1. ad* Timoth. 5. *Qui bene præſunt Presbyteri, duplici honore ſunt digni.* Quod declarans Gloſſa ait, *Non ſolùm ſublimi honore, ſed terreno.* Et ad Rom. 12. *Honore inuicem præuenientes*, Quod exponens *ad Philip. 2.* ait, *Superiores inuicem arbitrantes*: quaſi dicat, Vos honore inuicem peruenite propriè poteſtia, quia ſinguli ſingulos inuicem Superiores arbitrari debetis, & 1. *Petri 2. Regem*, inquit, *honorificate.*

Secundò.

Secundò. Probatur *ex cap. Quanquam omnes, d. 13.* vbi statuitur, vt *vnusquisque dependat debitum per omnia honorem, atque obsequij reuerentiam praeminenti sibi*, & *cap. debent extra de officio iud. ord.* dicitur, *Debent superioribus suis reuerentiam subditi.*

Tertiò. Probatur ex Patribus. Ignatius *epistola ad Smirnenses. Honora*, inquit, *fili Deum, & Regem. Honora Deum vt auctorem vniuersorum, & Dominum: Episcopum autem vt Sacerdotum Principem, & imaginem Dei ferentem.* Thomas Kempis *cap. 1. de fideli dispensat. §. 24. semper*, inquit, *senioribus reuerentia deferatur, & honor siue dignitate Prelationis, siue auctoritate officij, siue aetate temporis, & conuersatione venerabiles fuerint, humili corde exigeris reddere debitam subiectionem; & Beatus, si impleas eam, & deuotè veneraris Prelati tui praesentiam*, & *de disciplin. claust. cap. 4. fine*, ait, *Vbi obedientia non curatur, & Prelatus parum reueretur, ibi bonum regimen annullatur.* August. in quaest. ex vet. test. q. 35. *Qui in officiis sunt, tamdiu honorandi, quandiu praesunt.*

Quartò. Probatur ex Arist. *5. ethyc. cap. 6. & 4. ethyc. cap. 3.* vbi dicitur, quòd *honor debetur optimis*, ideft superioribus, qui omnium subditorum optimi debent esse, vt exponit D. Thom. *2. 2. art. 2. in argumento, Sed contra*, & Plato *lib. 34. de legibus, dialog. 11. maiores*, inquit, *aliis praestant, vt seniores communiter iunioribus: Parentes natu: Viri mulieribus, atque pueris: principes subditis, quos venerari par est, cum in omni principatu, tum vel maxime in ciuili.* Seneca ep. 64. *Si Consulem videro, aut Praetorem, omnia quibus honor haberi solet faciam, equo desiliam, caput adaperiam, semita cedam.*

Quintò. Probatur ratione D. Thom. 2. 2 q. 102. art. 2. corpore, *Quia omne mouens habet quandam excellentiam supra id, quod mouetur, Prelatus autem cum habeat gubernare subditos habet illos mouere, in debitum finem; ergo ratione huius sublimioris gradus illi debetur honor*, licet fortè, vt dicit idem D. Thom. *2. 2. q. 103. art. 2.* quoad alios gradus ipso honorante esset multum inferior. Neque enim requiritur, vt qui honoratur, sit in omnibus excellentior ipso honorante, sed sufficit, quod sit excellentior quibusdam aliis; vel etiam ipso honorante quoad aliquid, non simpliciter. Deindè honorandi sunt praelati, quia gerunt personam Dei, & Communitatis.

Dico secundò, Vicarij missi à Superioribus ordinariis, etiam honorandi sunt, non tamen tantùm, quantùm ipsimet superiores. Prima pars est Antonini *4. part. tit. 5. §. 2. versu 6.* & probatur *ex Epist. ad Philipp. 2. Enim cum omni honore habetote*, & loquitur de Epaphrodito ad eos ab Apostolo misso.

Secunda pars est Nauarri *in cap. Humana aures, n. 6.* Rodriquez *tom. 2. q. regul q. 34. art. 2.* osculamur enim pedes ipsi Pontifici causâ honoris, non tamen id facimus eius legato, etiam à latere, & minus delegato; etiam dùm eum tanquàm Legatum, & Pontificis Vicarium honoramus: Deum Optimum Maximum adoramus latria, Papam eius Vicarium, etiam quandò tanquam Vicarium adoramus, dulia, vel hiperdulia; vndè Io. Andreas *super Glossam, cap. Si Canonici, verbo Deuotionis, de eff. ord. lib. 6.* ait, *Latria sit Domino, debetur dulia, seruo.* Et ipsa Ratio dictat, magis honorandum prototypum, quàm exemplar, etiam ad viuum ab ipso desumptum.

Dico tertiò, Honor, & Reuerentia debetur Praelatis à suis subditis ex debito legali, aliis autem Praelatis ex debito morali, ita D. Thom. *2. 2. q. 102. art. 2. ad secundum*, Caiet. *ibi*, qui benè aduertit, quòd omissio honoris debiti praesidentibus propriis, non solùm est peccatum, sed est punibilis per humanam legem. Omissio autem honoris extraneorum praesidentium, punibilis quidem non est, quia ad legale debitum non spectat; peccatum tamen quandoque est quia praeter morem est, & propterea à morali debito declinat.

Dico quartò, malis Praelatis debetur honor, in quantum gerunt vices Dei, vel Communitatis, ita D. Thom. *2. 2. q. 63. art. 3. & q. 103. art. 2. ad secundum, & in 3. dist. 9. q. 2. art. 3. & quodlib. 8. art. 7.* Antonin. *4. p. tit. 5. cap. 10. §. 2.* Aragon. *2. 2. q. 63. art. 3. §. 1. Circa finem.* Tab. *verbo Honor in princip.* Sylu. *verbo Honor. num. 2. quaest. 1.*

Probatur primò, & declaratur ex Doctrina D. Thom. in *quodlib. cit.* nam in Praelato duo possumus considerate, primo personam propriam, secundo dignitatem secundum quam est quaedam persona publica; ergo Praelatus si sit malus, ratione personae propriae non est honorandus, qui honor est reuerentia exhibita alicui in testimonium virtutis, vndè falsum testimonium proferret, si quis propriae personae intuitu eum honoraret. Sed in quantùm est persona publica, cum gerat locum, non sui ipsius sed alterius, ideft, Christi in Ecclesia, vel Reipub. vt Dominus in saecularibus dignitatibus idcò est honorę dignus, quantumvis malus.

Secundò, probatur ex Ber. *serm. 3. de aduentu*, vbi ait, *Redde cuique quod debes, Redde Reuerentiam Praelato, & obedientiam, quarum altera cordis, altera corporis est: neque enim sufficit exterius obtemperare maioribus nostris, nisi ex intimo cordis affectu sublimiter sentiamus de eis. Quod sitàm manifestè innotuerit indigna Prelati alicuius vita, vt nihil omnino dissimulationis, nihil excusationis admittat; propter eum tamen, à quo est omnis potestas, ipsum, quem modò talem nouimus, excelsum reputare debemus; Non praesentibus persona meritis, sed ordinationi diuina, & dignitatis ipsius officij deferentes.*

Tertiò, probatur ex Cypriano *lib. 3. epist. 9.* & refertur *cap. Dominus noster, dist. 93.* qui ait *Dominus noster ipso Iesus-Christus Rex, & Iudex, & Deus noster vsque ad Passionis diem seruauit honorem Pontificibus, & Sacerdotibus, quamuis illi nec timorem Dei, nec agnitionem Christi seruassent.*

Quartò, probatur ex Greg. *3. part. poster. adm. 5. Admonendi sunt Inquit Subditi, nè cum culpas Propositorum considerant, contra eos audaciores fiant, sed sic, si qua valdè sunt eorum praua apud semetipsos diiudicent; vt tamen diuino timore constricti, ferre sub eis iugum Reuerentia non recusent.*

Dico quintò, multis modis praestatur iste honor Praelatis à Subditis, quos enumerat Antoninus *loco cit.* Primo. Diligenter praestando auditum loquentibus. Secundò, Reuerenter alloquendo: Tertiò, venientibus assurgendo: Quartò sedentibus decenter stando. Quintò Incedentes comitando: Sextò Transeuntibus, vel alibi inclinando: Septimò propriam operam in seruitiis exhibendo: Octauò honorabiliora, vt fercula, vestes, &c. conferendo: Nonò propriam magnificentiam ad illorum praesentiam deponendo, vt caputium, pileum, &c. Decimò Ipsos praeferendo in omnibus, vt in eundo, descendendo, loquendo, sedendo, de quibus modis videatur etiam Aluarez *de vita Relig. inst. lib. 6. cap. 9. versu exterius verò.*

Dico sextò, qui hoc debitum Superioribus etiam malis soluere praetermittit; ex Superbia, vel contemptu, peccat omninò mortaliter; si autem ex inaduertentia, vel negligentia: seu in re minima, non peccat plùs quàm venialiter, est D. Thomae *2. 2. quaest. 102. art. 2. ad secundum*, vbi Caiet. licèt non determinent, quodnam peccatum sit; quia tamen dicunt, quòd subditi tenentur ad talem honorem exhibendum ex debito legali; quod debitum propriè ad iustitiam pertinet, vt idem D. Thom. *2. 2. quaest. 80. art. 11. corpore*; & laedere notabiliter iustitiam laethale sit; sequitur, quod hoc debitum Superioribus denegare sit omninò laethale. Expressa est sententia. D. Bonauenturae *in speculo animae, cap. 1. in principio; tom. 2. opusc.* Nauar. *in sum cap. 14 num. 22.*

Probatur

Probatur primò, ex prima ad Timoth. 6. *Quicumque ſunt ſub iugo ſerui, Dominos ſuos honore dignos arbitrentur* Ad quod faciunt multa *c. in iure, c. Solita de maior. & ob cap. Omnis anima de cenſibus*. Concilium Gangrenſe, *cap. 1.* vbi anathematizatur, qui docet alienum ſeruum contemnere Dominum ſuum, vt refert Iuſtinianus *in caput ſextum epiſt. prima ad Timotheum*, facit etiam Trid. *ſeſſ. 25. de reform. cap. 17.*

Secundo. Probatur ex multis, quibus ſunt mulctati à Deo hoc debitum ſuis Prælatis perſoluere negligentes. *Cham nuditatem Patris irriſit, & ſemen ſuum in ſeruitutem perpetuam damnauit, Abſalon quoque Dauid de regno expulit, & concubinas eius inceſtauit, ſed morte condignas pœnas luit: Heliſæi Caluitium pueri Betheli riſerunt, & duo vrſi de ſaltu ex eis quadraginta duos lacerauerunt. Quia puerilis ſtultitia Iudæorum in Caluaria loco Chriſtum Crucifixum irriſit: quadrageſimo ſecundo anno poſt Aſcenſionem eius duo vrſi Veſpaſianus, & Titus de ſaltu gentium egreſſi, illuſores ſæuiſſimè Laniauerunt.* Ita Gloſſa *in capite tertio Eccleſiaſtici ſuper illud* Honora Patrem tuum, vt ſuperueniat tibi bene.

Tertiò, quia, vt diximus, ad id tenentur ſubditi ex legali debito, quod ad iuſtitiam pertinet quam ſicut lædere in re graui lethale eſt, ita in re parua, ſeù ex inaduertentia veniale.

Quartò. Probatur omnibus argumentis quibus probauimus primam concluſionem, quæ hanc etiam euidenter probant.

Aduerte autem, quod etiam Prælati debent ſuos ſubditos honorare, vt dicitur *cap. Eſto ſubiectus diſt. 95.*

Sed pone, quòd Prælatus nolit ſubditum honorare ipſum ſalutando, tenebitur-ne ſubditus eum ſalutare? videtur enim quod non, nam fides non eſt ſeruanda non ſeruanti, *cap. Peruenit, el ſecundo de iureiurando*, & fruſtra petit debitum, qui, quod debet, non impendit, *argumento capitis eſto ſubiectus citat.* Vbi adducitur illud Oratoris Domitij, *Cur ego te habeam vt Principem, cum tu me non habeas vt Senatorem.*

Reſpondeo, tamen, quod nihilominus ſalutare debet ſubditus Prælatum non reſalutantem. Quia Prælatus ſe habet reſpectu ſubditi ſicut pater reſpectu filij, Patri autem expedit aliquando filium non ſalutare, imò nec aſpicere, nec interrogantí reſpondere, vt ſibi iratum patrem credens, ſe corrigat, & emendet: ſic Prælato licet aliquando ita ſe erga ſuum ſubditum gerere. Sed quid ſi non hoc bono fine, ſed ex ſuperbia, & inflatione reſalutare nolit, & hoc in conſuetudinem ducat. Hic multa poſſent dici quæ prætereo; nam ſubditi non eodem modo indifferenter tractandi, melius tamen eſt ſalutare etiam non reſalutantem, nàm & Iudex eſt; & vim coactiuam habet; & honor in honorante eſt. Videatur Gloſſa *in capite. Et ſubiectus cit. verbo Deferatur.*

§. I.

Quàm grauiter peccet Subditus inhonorans ſuum Prælatum, de illo murmurando.

DE hac materia murmurationis (vitium, in quo maximè peccant Clauſtrales) Agit D. Thomas 2. 2. *quæſt. 72. vſque ad 77.* nos hic aliqua ad noſtrum propoſitum. Vbi notandum, quod non diſtinguo inter conuicium, improperium, contumeliam, detractionem, &c. vt diſtinguunt Summiſtæ, & alij præſertim Sayrus *In Claui Regia lib. 11. cap. 8. num. 2.* Sed nomine murmurationis intelligo omne id, quo directè, vel indirectè, tacitè, vel expreſsè læditur, Superioris fama, honor, & reputatio. *Eſt autem murmuratio*, vt Bonauentura *tom. 2 opuſc. in ſpeculo animæ, cap. 1.* ait: *Iniuſta querela contra Superiores, latenter multorum auribus inculcata, & habet rationem mortalis ſecundùm quòd ad alterius diffamationem anhelat.*

Dico primò, quam diſpliceat Deo hoc peccatum murmurationis erga Prælatos, & per conſequens quàm graue ſit, patet ex multis auctoritatibus Scripturæ, & Patrum, & primò *ex ſcriptura. num. 12.* vbi Aaron, & Maria ſoror eius, quia contra Moyſen murmurauerant, grauiter à Deo reprehenſi ſunt; & Maria, quæ procaciùs id fecerat, lepra percuſſa eſt, & à caſtris ſeptem diebus ſegregata. Vis ſcire quare lepra? & quare à caſtris ſegregata? & quare ſeptem diebus? id fuit ad denotandam murmurationis naturam, quæ vt lepra eſt contagioſus morbus; inficit enim ſua dulcedine (attenta conditione humanæ fragilitatis) quoſcumque tangit: & ſicut lepra eſt morbus inſanabilis; ita murmuratio eſt infirmitas prorſus incurabilis, quæ cum ſemel radices eiecerit, per totum corpus ſerpit, & graſſatur: & ſicut lepra eſt morbus ſtomachabilis, ita murmuratio eſt pœnitùs ſtomachabilis, ſemper enim putrida inſtar muſcarum mordet, & rodit, ex cuius corroſione exeunt tales notæ, quæ de ſabæis meſſibus nihil ſpirantes, nares, & patulas aures, obturandi probis viris occaſionem præbent. Lepra eſt morbus faſtidioſus, qui neſcit ocioſitatem, licèt fortè ex ea oriatur, ita murmuratio morbus eſt faſtidioſus neſciens deſidiam, ſemper enim deficientibus nouis inculcat vetera mala, & ita moleſtus, vt penè intolerabilis ſit iis, qui eo non delectantur, licèt ex deſidia oriatur, vt dicam Leproſos fugiunt omnes, & multò magis deberent detractores, ne illis fierent ſimiles, dicente Bernardo *2. de conſid. in fin. Porrò detrahere, aut detrahentem audire, quòd horum damnabilius ſit non facilè dixerim.*

Sed cur eiicitur è caſtris. Primò ne alios inficiat, infecta enim pecus inficit omne pecus. Deinde vt iuſtam arrogantiæ pœnam luat; erexerat enim ſe ſuperbè Maria contra fratrem ſuum Moyſem Ducem Caſtrorum, Prælatorum Principem; eumque deſpexerat, ideò iuſtè humiliatur, vt quaſi infamis, & indigna, non tantùm fratris conſpectu, ſed & totius populi à caſtris ſeparetur. Tali ſunt mulcta mulctandi ſimiles Prælatorum murmuratores; vndè Baſil. *in regulis breuioribus, q. 26. 27. 39.* Colligit modum corrigendi *Religioſum murmurantem contra Prælatum, iubet enim ſeparari ab aliis, non ſolùm quò ad conſortium, ſed etiam quoad victum, & veſtitum, & tanquam omninò præciſum, lepra, & peſte infectum fugi, vt de ſuo errore erubeſcens, reſipiſcat ita, ne iterùm deindè ſimilis pœnæ timore perculſus cadat.*

Septem autem diebus à caſtris abigitur Maria; ideſt perpetuò; ponitur enim hic numerus terminatus pro interminato, quod eſt frequens in ſcriptura, præſertim dùm eſt ſermo de numero ſeptenario, vt Zachariæ 3. *Super lapidem vnum ſeptem oculi ſunt*; & exponunt expoſitores ſeptem oculi, ideſt infiniti oculi, oculi ſine numero; & perpetuò ablegabitur à caſtris Paradiſi murmurans de ſuo Prælato, niſi Moyſis precibus, niſi meritis Chriſti per condignam pœnitentiam fuerit reuocatus.

Audiamus ſanctum Ephrem ad hoc propoſitum factum hoc exponentem, dùm agit de morbo linguæ. *Ex teterrima*, inquit, *Maria propheteſſa lepra docemur, quàm graue, ac deteſtabile vitium ſit obtrectatio, corpus quod lepra infectum cernebatur, velut ſpeculum quoddam fuit animæ, quæ non perſpiciebatur, cuius indicabat maculam, & ex illa carnis corruptione patefactum eſt, quomodo hominis detractoris corrumpatur animus, nam ſicut illa defecerat à fratre ſuo, ita & ab ipſa proprium corpus defecit, vt ex ſemetipſa charitatem addiſceret.*

Sed multò peiùs habiti ſunt Chore, Dathan, & Abiron. *num. 16.* Cum omnibus adhærentibus ſuis, eò quia contra Moyſen murmurauerant, & iniurij illi fuerant, *Dirupta eſt enim terra ſub pedibus eorum, & aperiens os ſuum deuorauit illos cum tabernaculis ſuis, & vniuerſa ſubſtantia eorum, deſcenderuntque viui in Infernum operti humo.*

Et nihilo ſeciùs pexi ſunt murmuratores contra Moyſen. *n. 21. Miſit enim Dominus in eos igniros ſerpentes, à*

quibus partim sunt vulnerati, partim occisi. Quem locum contra murmuratores affert D. Paulus 1. *Corinth.* 10. dicens, *Neque murmurauetitis, sicut quidam eorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore.*

Sed cur, inquis, Deus tam seuerè punit contra superiores murmurantes?

Respondeo, quia superiores tenent locum Dei, & ab eo gradum illum receperunt; & ideò eos offendentes, Deum offendunt, vndè reputat suam illis factam iniuriam, & tanquam talem vlciscitur. Sicut iniuriæ factæ Legato Principis, ipsi factæ censentur, & ad eas vlciscendas tenetur Princeps, gerit enim illius personam. Sic Dauid iniurias factas suis Legatis ab Ammonitis in rasura dimidiæ partis barbæ, & præcisione vestium vsque ad Nates 2. *Regum* 10. vltus est vastatione terræ eorundem Ammonitarum, *c.* 11. cum ergo superior gerat vicem Legati Dei, ad iniurias illi factas tenetur Deus. Quod clariùs probatur ex c. 16. Exodi, *Murmurauit omnis Synagoga filiorum Israel aduersus Moysem, & Aaron, & dixerunt Moyses, & Aaron ad omnes filios Israël, Nos quid sumus quia mussitatis contra nos, nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum,* cuius scilicet personam gerimus. Et *primo Regum* 8 Quando filij Israël eiecerunt Prophetam Samuëlem, & ei obedire ampliùs, recusauerunt; quid dixerit Deus, audire? *Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.* Vndè Gregor. *in moralibus apud Bonauenturam, lib. 3. pharetra, cap. 3. de murmur. tom. 1. opusc.* ait, *Qui contra suprapositum sibi potestate murmurat, liquet quod illum redarguit, qui eandem homini potestatem dedit.*

Secundò. Grauitas huius peccati murmurationis colligitur ex dictis Patrum. Basilius enim *cap. 34. in regul. Monach.* ad interrogationem, qua pœna puniendus sit, qui detraxerit illi, qui præest, respondit, *In hoc manifestum est indicium iracundiæ Dei super Mariam, quæ detraxit Moysi, & peccatum eius, ne ipso quidem Moyse orante, inultum Deus esse, permisit.*

Et Bernardus *de considerat. apud Bonau. lib. 3. pharetra, cap. 3. de murmur.* ait. *Si molestè caperis sustinere, si iudicare Prælatum, si murmurare in corde, etiamsi exterius impleat, quod iubetur, non est virtus patientiæ, sed velamen malitiæ,* & in sententiis dicit. *Antè omnia sinè murmuratione sint fratres, fortè aliqui leue peccatum æstimant murmurare, sed non ille, qui antè omnia monet esse cauendum.*

Et alludit ad illud D. Pauli, qui *ad Philippenses* 2. ait, *Omnia facite sinè murmurationibus: puto autem ne illum quidem leue reputasse, qui murmurantibus aiebat, non contra nos est murmur vestrum, sed contrà Dominum:* & alludit ad illud *Exod.* 16. de quo diximus.

Gregorius 3. *parte pastoral. admonit.* 5. Moraliter interpretans factum illud Dauid abscindentis in spelunca oram Chlamydis Saül, inquit, *Saülem, tamen Dauid ferire metuit; quia pia subditorum mentes ab omni se peste obtrectationis abstinentes, præpositorum vitam nullo linguæ gladio percutiunt, etiam cum de imperfectione reprehendunt, qui, etsi quando pro infirmitate abstinere vix possunt vt extrema quædam, atque exteriora mala præpositorum, sed tamen humiliter loquantur, quasi oram Chlamydis silenter incidunt. Quia videlicet, dum Prælati dignitati saltem innoxiè, & latenter derogant; quasi regis superpositi vestem secant, sed tamen ad semetipsos redeunt, seque vehementissimè, vel de tenuissima verbi laceratione reprehendunt. Vndè bene illic scriptum est, Post hæc Dauid percussit cor suum, eo quod abscidisset oram Chlamydis Saül. Facta quippè præpositorum oris gladio ferienda non sunt, etiam cum rectè reprehendenda iudicantur.* Chrysost. *hom* 8. *in epist. ad Philipp. cap.* 2. in verba illa: *Omnia facite sinè murmurationibus, vides, inquit, quod eos erudiat, ne murmurent; est enim seruorum improborum, & insensatorum murmurare,* & paucis interpositis, *sæpè malumus ministerio, priuari, quàm murmurantem sustinere. Grauis enim, Grauis, inquam est murmurator, & vicinus blasphemiæ, alioqui cuius gratia illi tantum supplicij dederunt? Ingratitudo est res ista, qui murmurat ingratus est Deo, qui autem Deo ingratus est, blasphemus quoque est.*

Tertiò. Grauitas huius criminis colligitur *ex Iure Canonico, cap. Detractores,* vbi Detractores, & murmurantes contra suos Prælatos, eos infamando, dicuntur esse infames & repelluntur ab accusatione, & testificatione, *c. Detractores 3. quæst. 4.*

Quartò. Grauitas huius delicti noscitur ex damno, quod infertur ei, apud quem calumniatur Prælatus: non potest enim in posterum tantùm doctrina Prælati proficere, quantùm profecisset, si talem murmurationem de suo Prælato non audisset: Impossibile est enim illud, quòd multum efficaciter affirmatur, non gignere aliquam ambiguitatem etiam in iis, qui aliter credere dispositi sunt.

Dico secundò, quatuor modis potest, quis murmurare de suo Prælato, vt habent D. Thom. 2. 2. *q.* 73. *artic* 1. *ad tertium, & q.* 62. *art.* 2. *ad secundum,* Scotus in 4. *dist.* 15. *q.* 4. Perbaltus *tomo quarto sui Rosarij, verbo Restitutio,* §. 12. Toletus *lib. 5. sum. capite* 70. vbi multos citat Victorellus.

Primo modo imponendo falsum, & sic semper peccat mortaliter, si res sit grauis, quæ Prælatum dehonestet: & tenetur famam restituere eo modo, quo abstulit, etiam cum amissione famæ propriæ, vt habet Scotus *loco cit. in primo membro,* & fit similis Diabolo, qui primus fuit imposturatum inuentor Gen. 3. *Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis ex omni ligno Paradisi.* Manifesta impostura, nam non præceperat illis Deus, ne comedere possent ex omni ligno, sed solùm ex arbore vitæ.

Secundo modo potest Subditus murmurare de suo superiore alterando verum, & illud augendo, vel minuendo ex cuius augmento, vel diminutione, si auferatur superiori fama, erit mortale, & restitutioni obnoxium, vt dicunt omnes. Huius rei habemus exemplum *Matth.* 26. vbi refert Euangelista fabricationem illam iniquam processus contra Christum, & ait *Nouissimè accesserunt duo falsi testes, & dixerunt, Hic dixit, Possum destruere templum Dei, & post triduum reædificare illud,* sed quomodo Matthæus vocat istos falsos testes, cum Ioannes *c.* 2. dicat, Christum verè dixisse, *Soluite templum hoc, & post triduum reædificabo illud?* Christus hoc dixit de templo sui corporis, illi de templo materiali, ideò falsi testes dicuntur, quia verum alterauerunt.

Tertio. Murmuratur de Prælato reuelando secretum, Quando sit peccatum reuelare secretum, & quando non, diximus *supra, c.* 15. de huiusmodi secretorum reuelatoribus loquitur sapiens Eccl. 19. *Audisti verbum aduersus proximum tuum? commoriatur in te, fidens, quoniam non te disrumpet: à facie verbi parturit fatuus tanquàm gemitus partus infantis: sagitta infixa femori carnis, sic verbum in corde stulti.* Stultus itaque omnino est, qui vnum verbum occultare non potest.

Quarto, murmuratur de Prælato calumniando bonum, & est pessimum omnium, pessimumque malignitatis indicium. Vnde Sapiens Ecclesiastes 10. *Cor Sapientis in dextera eius,* quia omnia in bonam partem accipit & non valens excusare opus, quia manifestè malum, intentionem excusat: *Cor fatui in sinistra illius,* quia omnia in sinistram partem accipit, & non valens calumniari opus, calumniatur intentionem. Exempla harum veritatum habentur in scriptura *Gen.* 42 Sanctus Ioseph non poterat excusare peccatum fratrum, Attendite quomodo intentionem excuset, *Nolite timere, voluntas Dei hæc fuit.* Et Christus in Cruce non valens excusare opus Crucifixionis, excusat intentionem dicens, *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* E contra verò *lib. Iudicũ* 15. Ad conuisendos parentes secedit Samson, & putauit socer, quod secessisset, eo quia vxorem odisset, & loquentibus

tibus

tibus variis linguis Apostolis post receptionem Spiritus Sancti; Musto madere deputabant Hebræi; quia *cor fatui in sinistra illius.*

Et merito fatuus dicitur murmurator, quia suis murmurationibus nihil proficit; quantumlibet enim fremat, & obmurmuret, superiorum clementiam, si ea vti decreuerint, peruertere non poterit, nec si iustè exarserint ira contra aliquem, persuadebit, vt quidquam de illa diminuant; vnde rectè Sapiens Sap. 1. *Custodite vos à murmuratione, quæ nihil prodest.*

Secundò, fatuus dicitur murmurator, quia murmurando nihil lucratur, & multum perdit, *Prodit* enim vt inquit Bernard. *serm. 24. in Cantica, primùm se ipsum vacuum charitate, deinde quid aliud detrahendo intendit, nisi vt is, cui detrahit, veniat in odium, vel contemptum ipsis, apud quos detrahit, ferit ergo charitatem in omnibus, qui se audiunt lingua, maledica, & quantum in se est necat funditus, & extinguit. Non solùm autem, sed & in absentibus vulnerat, ad quos volans verbum, fortè per eos, qui præsentes sunt peruenire contigerit:* Hæc Bernardus.

Fatuus ergo detractor, & eius auditor, & ab vtriusque calumniatus vltionem repetet; *In Calumnia* enim, vt Herodotus *lib. 7. apud Stobeum,* ait *quæ est res grauissima, duo semper sunt, qui iniuriam faciunt. Is nimirum, qui calumniatur, & qui calumniati fidem habet, antequàm verè rem cognoscat. Alter autem iniuriam patitur, tum a calumniatore tùm ab illo, qui ipsum aures calumnianti præbeat, malum reputat.*

Quare illis optimè quadrare videtur dictum Augustini relatum à Suetonio Tranquillo in eius vita, *Minima commoda maximo sectantes discrimine, similes sunt aureo hamo piscantibus, cuius abrupti damnum, nulla captura pensari potest.*

§. II.

Carpuntur Murmuratores in Communi.

HIc solùm pauca congeram dicta Scripturæ, patrum, & Philosophorum, vt quàm detestabile sit hoc vitium, cognoscatur.

Dauid Psalmo 100. *Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar.* Paulus ad Rom. 1. *Detractores Deo odibiles,* vbi aliqui vertunt *Dei osores,* & Cyprianus *ep. 68.* vertit *Deo abhorrentes.* Leuit. 19. *Non erit Susurro, nec Criminator in populo;* quasi dicat Exterminandus est. Prouerb. 4. *Labia detrahentia procul sint à te.* Ecclesiastici 10. *Si mordeat serpens in occulto, nihil minus eo habet, qui detrahit.* & huic vitio accomodat Gregorius *in 2. p. Pastor. cap. 1. admon. 36.* illud *Leuitic. 19. Non maledices surdo: Quippe maledicere surdo,* ait Gregorius, *est absenti, & non audienti derogare.*

Chrysostomus homil. in Psalm. 100. *Graue malum est detractio, turbulentum Demon, nec vnquam peccatum hominem reddens. Ex ea odio pullulant, iurgia confluuntur, dissidia ortum trahunt, suspiciones malo procreantur, sine vlla causa hostem reddit, qui paulo ante amicus erat, vniuersas domos subuertit, & pacatas vrbes ad bellum excitat pulchra pacis vincula dissoluit, magna charitatis modum infringit; Qui detractioni studet, Diabolo seruit, vtpote, qui calumnia opera esse quatuor, quare detractor tanquàm mendax, & fur est propellendus,* & homil. 79. ad populum. *Homo es, ne venenum euomas aspidum. Homo es, fera ne fias: propterea tibi factum est os; non vt mordeas, sed vt medearis.*

Hieronymus ad Rusticum. *Nulli,* ait, *vnquàm omnino detrahas, nec aliorum vituperatione laudabilem te videri velis, magisque vitam tuam ordinare disce, quàm alienam carpere.*

Augustinus; vt refert Possidonius in illius *vita c. 22.* contra hanc pestilentiam hos versus suæ mensæ adscripsit.

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
Hanc mensam vetitam nouerit esse sibi.

Vnde, & Coepiscopos, quosdam sibi familiarissimos illius scripturæ oblitos, & contra eam loquentes, tam aspero aliquando reprehendit, vt diceret: aut delendos illos versus de mensa: aut se de media refectione ad suum cubiculum surrecturum, Quod ego & alij, qui mensæ illi interfuerunt, experti sumus, ita Possidonius.

Anselmus apud Bonau. *lib. 3. pharetra, cap. 3. de detractione, Tria,* ait, *sunt genera homicidij, quæ pari plectuntur pœna; interfectio hominum, detractio proximi, & odium fraternum.*

Isidorus apud eundem Bonauenturam *Detractio graue crimen est, Detractio grauis damnatio est.*

Ioannes Climachus gradu 10. *Detractio est proles odij, tenuis languor, pinguis & occulta, ac latens sanguisuga, quæ charitatis omnem demolitur, ac consumit sanguinem, dilectionis simulatio, cordis sordes, ac duritiam parans, castitatisque exterminatio.*

Thomas Kempis de disciplina Claustralium, cap. 4. *Non est credendum ei, nec consentiendum, qui superiori suo detrahit, & ad resistendum illi rationes quærit.*

Audiamus nunc Gentiles, Cicero de offic. *Detrahere alteri, & hominis incommodo suum commodum augere, magis est contra Naturam, quàm mors, quàm dolor, quàm cætera, quæ possunt Corpori accidere, aut rebus externis; nàm tollunt conuictum hominum, & societatem.*

Demosthenes in Oratione prima contra Aristogonum. *Neminem,* ait, *vnquàm vestrum fortasse vipera momordit, neque phalangium, & absit, vt mordeat vnquàm tamen omnia huiusmodi animalia vbi conspexeritis, mox interficitis; itidem, Et cum delatorem, & crudelem, & hominem videritis viperinam habere naturam, ne expectate donec aliquem vestrum mordeat, sed cum primum occurrerit, puniatur,* vbi aduerte, quod murmuratores assimilat viperæ, & scorpioni, qui mordent eos, in quos incurrunt, non quia irritentur, sed quia natura feruntur ad morsus, & venena fundenda.

Lucianus in fragmento de hac re. *Sepenumero quorum ferum calumniator fieri meminit, facium insimulat, vt cum anteuerterit accusando, suspicione culpa, aut crimine elabatur.*

Plutarchus de his citatus à Martino de Roa *lib. 6. Singularium locorum, c. 15.* ait. *Velut Vrbes portas quasdam habent nefastas, & sinistri ominis, per quas educunt supplicio capitis destinatos: purgamenta, & sordes eiciunt: nihil autem purum, aut sacrum per eas, vel ingreditur, vel egreditur: ita per horum aures nihil purum, aut laudabile transit, sed sermones de cædibus aditum inueniunt, atque ibi versantur, impuras, & falsas de aliorum vita, & moribus fabulas componentes.* Porta hæc mihi videtur illa, de qua dicitur 2. Esdræ 3. *Melchias filius Rechab ædificauit portam sterquilinij.* Melchias interpretatur chorus, & significat detractores, qui semper chorum faciunt detrahendo; soli namque nunquam reperiuntur; quia soli suam hanc artem exercere non possunt, Rechab, cuius est filius detractor, interpretatur pater mollis; tùm quia ex leuitate, & mollitie nascuntur detractores, homines enim sunt leuiores vento, tùm quia ex remissione, simulatione, & bonitate Prælatorum ortum habent isti murmuratores. Si enim hos murmurantes aduersus fratres suos Prælati redarguerent, & punirent seuerè, cauti essent in posterum; si eos in chorum reductos otiosos, vbi laudes Diabolo celebres, & gratas concinunt, dispergerent, & ad orandum, vel studendum mitterent, detrahendi illis occasiones auferrent; quia si deest qui audiat, deest, & qui detrahat; & malæ aures faciunt malas linguas; Detractor autem os suum portam sterquilinij ædificat, dùm eorum immunditias, quibus detrahit, in ore versat.

Salustius ad Cæsarem de ordinanda Republica. *Plerique mortales ad iudicandum satis ingenij habent, aut*

aut simulant verumtamen ad reprehendenda aliena facta, aut dicta ardet omnibus animus.

Ex quibus colligitur grauitas huius peccati, & etiam ex eo quod hæc culpa detractionis semper in hac vita, si non integrè, saltem in parte punitur; vnde Salomon *Prouerb. 13.* dicit. *Qui detrahit alicui rei, ipse se obligat in futurum*, scilicet tempore vitæ suæ; quia qui mordet, mordebitur, & qui notat, notabitur, & à quo minùs sperat, parabitur ei opprobrium, vnde Abacuch. 2. *Consurgent, qui mordeant te, & suscitabuntur, qui lacerent te, & quia expoliasti, expoliaberis*: & Sap. 11. *Per qua peccat quis per hac, & torquetur*, & Ecclesiastici 7. *Non semines mala in sulcis iniustitiæ, & non metet ea in septuplum*, & Dauid Pslm. 26. *Insurrexerunt in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi*: idest, Fefellit eos ipsorum met iniquitas, quia & illis damnum intulit; & Psalm. 119. *Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam*; quasi dicat Lingua maledica castigabitur iuxta naturam peccati. *Sagitta potentis acuta cum carbonibus desolatoriis*, idest cum Sagittis aliarum linguarum; & igne morsium aliorum maledicentium. Efficacissimum, & iustissimum remedium pro linguis istis infernalibus comprimendis.

Thomas Cantipratanus *lib. 2. apum, cap. 37. num. 3.* narrat de quodam, non re, sed tantum nomine Sacerdote, qui in tantùm huic vitio detractionis erat deditus, vt potius de se pessima mentiretur, quàm non socios, vel cohabitantes sibi Criminibus infamaret Hic ante mortem raptus in furiam, tanta in se debacchatus est cæde, vt propriis dentibus linguam maliloquam laniaret, & palam cunctis ostenderet, quod quia lingua sua dolosè egerat, & venenum aspidum sub labiis eius quasi sepulchrum patens guttur illius fætorem tetertimum exhalaret, vt per quæ peccauerat, per eadem in hac vita torqueretur.

Sed & in Inferno vltra communes aliorum damnatorum pœnas, particulari, eaque atrocissima plectuntur: de qua Ioannes in Apocalypsi 16. *Commanducauerunt linguas suas præ dolore*; illa lingua, qua hic proximi famam, & honorem corroserunt, illa in Inferno ab ijsdem commanducabitur, & corrodetur. Audi Iudam in sua Canonica. *Quibus procella tenebrarum seruata est in æternum, hi sunt murmuratores.* Tandem de his loquitur Sapiens Prouerb. 14. *Qui detrahit fratri sine eradicabitur.*

Multa alia de istis flagriferis maculis, tùm ex Scripturis, tùm ex patribus, tùm ex aliis Scriptoribus Catholicis, & prophanis possent afferri, sed hæc pro nostro instituto satis.

Hoc tantùm addo, rem esse mirabilem, quod cum omnes auctores linguas suas contra istos acuant; ita pauci tamen reperiantur, qui hoc vitium penitus deuitent; vnde Hieronymus *Epist. ad Celantiam*, *Pauci*, ait, *admodum sunt, qui huic vitio renuntient, raroque inuenies, qui ita vitam suam irreprehensibilem exhibere velint, vt non libenter reprehendant alienam, tantaque huius mali libido mentes hominum inuasit, vt etiam qui procul ab aliis vitiis recesserunt, in istud tamen, quasi in extremum Diaboli laqueum incidant*: ad quod facit etiam Glossa super illud Prouerb. 24. *Cum detractoribus ne commiscearis*, quæ ait, *Hoc specialiter vitio penè periclitatur totum genus humanum*, & D. Thomas 2. 2. *quæst. 73. art. 2. ad secundum* ait, *Pauci, vel nulli sunt, qui non aliquando ex animi leuitate aliquid dicant, vnde in aliquo, vel leuiter alterius fama minoretur.* Quare Diuinum est illud epistolæ Iacobi 3. *Si quis in verbo non offendit, hic est perfectus vir.*

§. III.

De Præcipuis murmurationibus Claustralium.

De Claustralium murmuribus agit in specie Paraldus *tom. 2. summ. tractat. 9. de peccata lingua, c. 2. §. de murmure Claustralium.* Tres sunt præcipuè murmurationes Claustralium, in quantum possumus pro nostra imbecillitate cognoscere.

Prima est, quod murmurant, taxando omnes actiones Prælati, malas augendo exaggeratione & ampliatione: bonas in malas retorquendo, vel diminuendo, vel tacendo, vel internos sensus nunquam imaginatos eliciendo: dubias in sinistrum interpretando.

Secundò murmurant, si aliqui fratres exaltentur, ipsis postpositis, non tam benemeritos sicut ipsos eos æstimando: ductos aliqua passione, seù interesse Superiores illos eleuantes, iudicando: zelo Religionis se vestiendo dicunt, communitati malè esse prouisum in persona talis, vel talis exaltati.

Tertiò, murmurant, si eis magna, & pinguis, & pretiosa pitantia non detur, omnia sibi comedere Superiores blaterando; cibos omnes nauseando, omnia stomachando; & fastidiendo.

Circa primum aduerte, quod peccatum est, & aliquando mortale, manifestas Prælatorum culpas damnare, illas augendo, manifestando, notificando. Tùm quia contra charitatem proximi est illius defectus manifestare: tùm quia ex odio id prouenire solet; tùm quia resultat in infamia illius, cuius culpæ reuelantur. Vnde Sanctè Sanctus Ioannes eleemosynarius Patriarcha Alexandrinus, etiam publicè peccantes taxari vetabat; *Non fieri*; inquiebat, *potest, vt peccatum pænitendo deleuerint, iniquum est autem id ab homine petulanter exprobrari, quod à Deo clementer est condonatum*: & Christus *Math. 7.* id expressè prohibuit, *Nolite iudicare, vt non iudicemini; in quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini*; Et Paulus ad Rom. 14. *Tu quis es, qui iudicas alienum seruum, Domino suo stat, aut cadit.*

Qui autem bonas actiones in malas retorquet, sine dubio peccat mortaliter, & Diabolo similis efficitur, *Gen. 3.* Ad ostendendum submissionem hominum erga Deum, præcepit illis Dominus, vt non comederent de fructu arboris boni, & mali; Iustissimum, æquissimumque præceptum; cum enim Deus eos donasset toto hoc vniuerso voluit ipsos remanere obligatos ad soluendum liuellum, seù terraticum in recognitionem Domini directi, sed vide Dæmonis malitiam, *Cur præcepit vobis Deus, ne comederetis de omni ligno, quod est in Paradiso*; conatur suadere, talem prohibitionem pronenire ex malignitate, & odio Dei erga ipsos. Colligitur hæc mens Diaboli ex textu Hebræo, vbi illi dictioni, *Cur*, respondent duæ istæ dictiones, *Af. Chi.* quæ iunctæ significant Latinè, quantò; magis; separatæ *Af.* significat itam, *Chi.* quate; nec est credendum; Dæmonem loqui cœpisse eum Eua ex his verbis, quanto magis, sed ex aliis: nimirùm, magna sine dubio debet esse ira Dei super vos, cum enim aliis nobiliora fiis animalia, non pulchros vos creauit, vt pauones, non fortes, vt Leones, non veloces, vt ceruos, *Af. Chi.* quanto magis, cum vobis vetuerit comestionem fructuum tàm dulcium, quod aliis non fecit animantibus: ecce opus bonum à Diabolo in malum retortum.

Quò verò ad actiones dubias, peccat etiam subditus, & mortaliter pro earum qualitate, & malitia eas in sinistram partem interpretando, tùm quia *cum sit ars artium, scientia scientiarum hominem regere, cum sit moribus varius, virtute diuersus*, vt ex Nazianzeno refertur. Sensus superioris facilè non intelligitur; præstat enim aliquando cum discolo temisse se habere, ne eum omnino perdat; & cum disciplinato austere, vt eum retineat. Audiat bonus subditus, quid Cassianus *lib. 5. instit. capit. 30.* dicat *Ob hoc enim iudicare de aliis periculosum est, quod ignorantes, vel necessitatem, vel rationem, qua illi hæc, in quibus offendimus, aut rectè coram Deo, aut venialiter agunt, inuenimur eos temere iudicasse. Et per hoc admittimus non leue peccatum*, & Sanctus Gregorius *tertia parte pastoralis*, admonet. 5. *Admonendi*, inquit, *sunt*

sunt subditi, ne præpositorum suorum vitam temerè iudicent, si quid eos fortassè agere reprehensibiliter vident, ne vndè mala rectè redarguunt, indè per elationis impulsum in profundiori mergantur. Quare optimum semper mihi visum est Apulei consilium apologia prima. *Ego nunquam studui malefacta cuiusquam cognoscere, sed semper potius duxi mea peccata tegere, quàm aliena indagare.*

Dênique circa hoc primum murmurationis genus aduerte, quod isti, qui omnes Prælatorum actiones taxant sunt illi, qui ex aliorum dedecore sibi venari volunt gloriam, quod intolerabile, ait Plutarchus de ijs, qui se citra inuidiam laudare possunt, *Molestissimus*, inquit, *planè, importunissimusque est, qui ex alterum culpa laudem sibi videtur velle quærere*; & sunt illi, qui videntes festucam in oculo fratris sui, trabem autem, quæ in oculo suo est non considerant; & pleni defectibus, eos iudicare non desinunt, etiam in iis, in quibus ipsi ordinariè delinquunt; Quibus Hieronymus *lib. 3. contra Ruffinum* loquitur. *Caueas in alterum dicere quidquid in te statim retorqueri potest*, & tandem Cicero hæc omnia concludit contra Salustium. *Carere omni vitio debet, qui in alterum paratus est dicere.*

Quò ad secundum murmurationis genus, multi sunt, qui eam de se ipsis habent opinionem, vt putent, neminem vnquàm reperiri posse aptiorem regimini, quàm ipsos. Natos se æstimant ad imperandum: Maximam sibi irrogari iudicant iniuriam, si quandoque sine officijs relinquantur; nec tùm bene Religioni esse prouisum, tempusque terrere censent, quo non fuerint in aliqua occupati dignitate; quos audies, in cœtu præsertim Iuniorum, se, suaque magnificare, laudare, & extollere, si quid vnquam, dum aliquo munere fungerentur, gloriæ, & honoris dignum exantlarint, omnia se in eo munere obeundo maxima prudentia & sagacitate peregisse: indè desumere occasionem omnes Prælatorum actiones taxandi: ad aliquod munus assumptos calumniandi: inter quæ audies quandoque suspiria ex intimis cordis partibus attracta, inde se nolle aliorum actiones taxare, cum ipsi fiat (dicunt) alijs omnibus peiores, sibique quam maximè displicere, eos non posse laudare, quod toto corde facerent: excusare incipiunt quandoque, sed ita, vt talem excusationem non admittere, quod excusare prætendunt, manifestent: Denique tacent, & suspirant, & tunc libera me Domine. *Malus enim, vbi bonum se simulat, pessimus est.* Vt ait Publius *apud Lipsium in dialogistam.* Quibus rebus accensos iuniores, vulpes istas non agnoscentes, audies murmurare, blaterate contra Prælatos, ipsorumque regimen, obseruantiam diminui, relaxari, penitùs deperdi, Religionem quamprimùm ruituram, eo solùm quod illius Zelatores ad illam regendam, & gubernadam oon admituntur.

Vides quanta mala causant ambitiosi isti, quos velim recordari Christi Domini, qui Ioann. 6. *Cum cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterùm in montem ipse solus*; Et legere Greg. 3. *parte pastoral. cap.* 3. vbi ait. *Idcircò Christus in carne apparuit; vt non solùm nos per passionem redimeret, verùm etiam per conuersationem doceret, exemplum se sequentibus præbens; Rex fieri noluit, ad crucis verò patibulum sponte peruenit; oblatam gloriam culminis fugit, pœnam probrosæ mortis appetijt, vt membra eius videlicèt discerent, Mundi fauores fugere, terrores minimè timere, pro veritate aduersa diligere, prospera formidando declinare. Quia & ista sæpè per tumorem cor inquinant, & illa per dolorem purgant, &c.* Quæ ibi Gregorius elegantissimè, & doctissimè docet.

Considerentque isti, qui honores, quasi præmia suarum actionum, exquirunt, quod qui eos hic recipiunt, æterna præmia perdunt: & ibi illis dicetur, *Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua.* Luc. 6 Relinquãt mundanos istos, & onere verè plenos honores, vt illos æternos mereantur accipere; & quidquid à Superioribus factum fuerit, desursùm prouenire existiment, idque æqui bonique consulant, & vt quietiùs in Religione viuant, scenæ pareant, totoque vtantur. Quod ipsorum tùm animæ, tùm corporis saluti profuerint, & iudicent dignum, quem dignus Prælatus elegerit, vel eligendum proposuerit.

Sed quod longè detestabilius est, eos videbis his murmurationibus immersos, qui omni titulo ab honoribus sunt exclusi Duplici titulo, vt puto, debentur in Religione Religiosis dignitates, vel bonitate vitæ, vel scientiæ Laurea, & expressè habetur *cap. Vilissimus* 1. q. 1. Quæ duo si in vno sint vnita, nihil melius desiderari potest; sin minus, vnum saltem eorum sufficere videtur, sed videbis appetere honores, & dignitates, easque mendicare externis, & internis fauoribus, per bonas, & malas artes, fas, & nefas, ignorantissimos, eosque vitiosissimos homines. Quos, si nonobtinuerint, audies clamare, stridere, & murmurare vsque ad sydera, & in sydera, benemeritos obtrectare, superiores calumniari, mordere, rodere, acriter carpere. Quos velim, vt se ipsos noscerent, vt Chilonis sapientia vtar; Et per speculum considerationis propriam conditionem recognoscerent.

Adinuenta sunt specula, vt Seneca 1. *quæst. natural. cap.* 17. ait, *Vt homo se ipse nosceret, multaque ex hoc consecuta: Primò sui notitia, deindè, & ad quadam consilium: formosus, vt vitaret infamiam, deformis vt sciret redimendum esse virtutibus quidquid corpori deesset; Iuuenis, vt flore ætatis admoneretur, illud tempus esse discendi, & fortia audiendi senex vt indecora canis deponeret, & de morte aliquid cogitaret: Ad hoc rerum natura facultatem nobis dedit nosmetipsos videndi:* Vtantur hoc speculo isti ambitiosi, & si materiale speculum non sufficiet ad penetrandam sui cognitionem, adhibeant speculum spirituale, idest reflexionem considerationis supra considerationem propriæ conditionis, & qualitatis; & desinent sine dubio, tùm contra Prælatos, tùm contra eos, quos isti subleuauerunt, mussitare, & *prius suæ domui*, idest, propriæ conscientiæ præesse discant, *quàm Ecclesiæ Dei curam attentent, & qui de vineis suis non colligere, nisi spinas & tribulos consueuerunt, vereantur vineis Dominicis audacter; & impudenter se ingerere*, vt Bern. ait *serm. 30. in Cantica* vnde Basilius *in regula Monach. cap.* 41. *Requirere gloriam, vel honorem, indicium est infidelitatis & qui inquirunt, alienos esse à pietate Dei.*

Contra istos optimè Bonauentura *apud Gretserium lib. 2. de modo agendi Iesuitorum, cap. 4. pag. mihi* 165. *Qui se*, inquit, *ad hæc officia impudenter ingerunt, indignantes, si ad ea tardius promouentur; quàm sint imprudentes, perpendere nolunt, aut nesciunt, & eo ipso se ad hoc ostendunt, & reddunt indignos. Nam si digni fuerint, & idonei, non debent se ad hoc ingerere, sed modestè expectare, quousque per inspirationem Dei à Prælatis suis, & fratribus, ad hoc suo tempore assumantur. Si autem indigni, vel nondum idonei, tum si se ingerunt. Primò quidem temerarij sunt; quòd antequam vocentur, ad tantum officium currere præsumunt.* Vndè Ieremias, *ipsi currebant, cum ego non mitterem eos*, & Paulus, *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Idem alibi; *Nec quisquã sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tãquàm Aarõ.* Et Christus dicit in Ioãne: *Neq; enim à me ipso veni, sed ille me misit, scilicèt pater.* Secundò superbi, *qui se ipsos reputãt dignos, & idoneos, ad quod fortè, nec Deus, nec Fratres, vel Prælati sub iudicant eos idoneos, sicut Chore, qui voluit sibi Sacerdotium vendicare. Tertiò stulti, quia cum talia officia sint occasio tentationis, per inanem gloriã, auaritiam, luxuriam, noxiam libertatem, & internæ deuotionis extinctionem, & alia plura pericula, quod ipsemet se talibus incautè ingerunt, nimis stultè se tãtis periculis sinè necessitate exponũt; cum fugere magis deberent à periculo, quàm illud appetere, nescientes, quo exitu bellũ quod sibi concitant, finiatur. Quartò non carent rancore Inuidia,*

vel contrà eos, qui ad hæc officia eos promouere possunt, & non faciunt; vel qui fortè impediuerunt, imputantes illorum maleuolentia, magis quàm sua insufficientio, quòd non promouentur, cum ipsi sibi videantur ad hæc digniores, quàm illi, quos vident iam promotos esse, quibus in scientia, & alijs se reputant aptiores. Hæc præclarè Sanctus Bonauentura, ex quo *in Apologia pauperum, 1. respon. 3. particul. art. 3. fine*, ad dicta addo. *Apparet igitur, quòd status Prolationis, simul est excelsus, & periculosus, & ideò ipsum appetere, simul est periculosum, præsumptuosum, & stultum.* Et Augustin. 19. de Ciuit Dei. *Locus Superior, sinè quò populus Regi non potest, & si ita administretur, vt decet; tamen indecenter appetitur.*

Circa tertium murmurationis genus. Ventri, & abdomini facti, qui *tanquàm boues*, vt aiunt *ad præsepe*. Nephalia sacra Baccho peragere nesciunt, quovsque ventrem ad saturitatem impleuerint, os habent semper quærimonijs, & lamentationibus onustum: Isti sunt, de quibus Apostolus ad Philipp. 3. *Quorum Deus venter est*, De quibus luculenter Bernard. *serm. 30. in Contic. Legumina inquiunt*, ait, Bernardus, *Ventosa sunt: Caseus stomachum grauat: Lac capiti nocet: Potum aquæ non sustinet pectus, caules nutriunt melancholiam, coleram porri accendunt, pisces, de stagno, aut de lutuosa aqua meæ penitùs complexioni non congruunt: quale est hoc, quod in totis fluuijs, agris, Hortis, cellarijsque reperiri vix possit, quod comedas? Puta sequæso, Monachum esse, non medicum. Parce obsecro primùm quieti tuæ, parce deindè labori ministrantium, parce grauamini domus, parce conscientiæ: conscientiæ dico, non tuæ, sed alterius, illius videlicet, qui propè sedens, & edens quod sibi apponitur, de tuo singulari ieiunio murmurat, scandalo quippè est ei, aut tua odiosa superstitio, aut duritia, quam fortè putas illius qui tibi habet prouidere, scandalizatur, inquam, in tua singularitate frater iudicans te superstitiosum, tanquàm superflua quæritantem: aut certè me durum accusans, qui non perquiram victus tuo necessaria.*

Sed in triplici differentia sunt (vt videas quantùm sibi negotij assumit, qui officium Superioris sibi, vel inuitè, vel voluntariè assumit) qui de cibarijs murmurant. Alij enim murmurant, nisi pretiosa cibaria illis tribuantur, & isti planè sunt suæ professionis immemores: non enim recordantur, se paupertatem fuisse professos; si enim recordarentur, recordarentur etiam, quod qui pauca habet, pauca debet expendere, & quod *vbi pauper diuites imitari caperit, peribit*, vt ait Seneca *apud Turrecrematam in regula S. Benedicti, tractat. 102.* Recordarentur etiam isti pauperum Christi, qui quandoque, pane carent; & viderent, quod magna peruersitas est, pretiosos quærere cibos, dum scitur, Dominum suum in pauperibus egere.

Cogitent etiam, quod non videtur esse membrum illius corporis, cuius caput est Christus, qui indigentiæ membrorum non compatitur, vt dicitur 1. *Corinth. 12.* Nec qui eandem hominibus cum animantibus assignauit escam communem voluisse videtur, vt pretiosa cibaria, sudore, & pecunia quæremus. Cum his loquitur Hieronymus *ad Nepotianum* dicens. *Natus in pauperi domo, & in tugurio rusticano, qui vix milio, & pane cribrato rugientem satiare ventrem poteram, nunc similam, & mel fastidio.*

Alij non quærunt quidem pretiosos cibos, sed vilibus, & communibus contenti, eos vellent studiosè, & accuratè præparari. De quibus Hugo *lib. 3. de Cloust. anima*, vt refertur, *Alij superstitiosi nimis in præparandis cibis studium adhibent, infinita decoctionum, & frixurarum, condimentorum genera excogitantes modò mollia, modò dura, modò frigida, modò calida, modò cocta aqua, modò assa, modò pipero, modò allio, modò cumino, modò sale condita, secundum consuetudinem prægnantium desiderantes.* Hæc autem ad quid, nisi vt soli fastidio, & satietati consulatur, contra quos Seneca epist. 119. *Inter reliqua hoc nobis natura præstitit præcipuum, quòd necessitati fastidium excussit, recipiunt superuacua delectum, &* ibidem, *Nihil contemnit esuriens.*

Alij quantitatem ciborum deposcunt; non curantes, an pretiosi sint, vel optimè præparati, necne. Sed isti non aduertunt, quod excessus ciborum nocet tùm corpori, tùm animæ, tùm famæ, & reputationi; Corpori, quia somnum aufert. *Saturitas diuitis non sinit eum dormire.* Ecclesiastici 5. Infirmitates generat. *In multis escis erit infirmitas.* Ecclesiastici 37. Dolores excitat. *Cum satiatus fueris arctabitur, æstuabit, & omnis dolor irruet super eum.* Iob. 20. Animæ verò nocet saturitas, quia aciem cordis obtundit, vndè Hieronymus *apud Turrecremotam in regul. S. Bened tract. 103. Nihil ait adeò obstruit intelligentiam sicut comessatio, & ebrietas.* Obliuiscentiam causat, *Saturati sunt, & obliti sunt mei.* Oseæ 13. Carnalem concupiscentiam concitat. *Saturaui eos, & mæchati sunt, & in domo meretricis luxuriabantur*, Ierem. 5. Famæ, & Reputationi nocet, quia Crapulones, & Manducones ab omnibus dicuntur, qui nunquàm comedendi finem faciunt. De quibus Esaiæ 56. *Canes impudentissimi nescierunt satietatem.* Et ego cognoui aliquos aliàs Sanctos, quia tamen hac macula erant tincti, ab omnibus vilipendebantur, & irridebantur.

Ad hoc propositum legitur in viris Patrum, *lib. 6 n. 17. Quòd cum quidam senex comederet aliquandò cum pluribus monachis, ex illis quosdam comedere vidit mel, alios autem panem alios verò stercus, & admiratus tantæ rei nouitatem, deprecatus est Dominum, vt illi mysterium reuelaret, optimus autem ille Deus, qui petentibus desiderata concedit, emisit de cælo vocem dicens. Qui manducant mel, hi sunt, qui cum timore, & tremore, & gratiarum actione edunt ad mensam, & incessanter orant, & oratio eorum sicut incensum ascendit ante Deum, ideoque, & mel comedunt. Qui autem panem manducant, hi sunt, qui gratias agentes percipiunt ea, quæ à Deo donata sunt. Illi verò qui stercus manducant, hi sunt, qui murmurant, & dicunt, hoc bonum est, illud malum.* O quanti Religiosi manducant stercus, pretiositatem, præparationem, vel abundantiam ciborum quæritantes.

Quibus tandem vnam sententiam Hugonis *lib. 1. cap. 8. de claustr. animæ* propono. *Abundans est pauperi Religio, mediocri sufficiens, tolerabilis diuiti, infirmis larga, delicatis compatiens, fortioribus moderata, Pænitentibus misericors, Peruersis seuera, Bonis optima*, Ex quibus colligitur, quod Religio dat omnibus suas necessitates secundum medioctitatem, & quod dat, est sufficiens ad vitæ sustentationem. Vndè superflua est tanta sollicitudo in quærendis cibis, vel delicatis, vel optimè præparatis, vel in maiori abuodantia.

§. IV.

Vndè Ortum ducat Murmuratio.

EX multis fontibus ortum ducit hoc flumen murmurationis, per totum fluens vniuersum, suisque aquis singulos penè homines proluens.

Primò oritur ex malignitate, vt notat Augustin. *libro 50. hom. homil. 2.* Cum ponderat ea verba Psalm. 49. *Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris, & aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum*, quod ipse alibi legit, ponebas detractionem. *Quod dixit*, ait Augustin. *Sedens, ostendere voluit, quod non transitoriè detraxeris, nec ei surreptum sit passione quadam subita, vt malum de proximo loqueretur, sed sedens, idest ex odio, & malignitate, quasi ad hoc vacans, vt derogaret proximo suo.*

Secundo oritur ex otio, Probatur ex eodem loco Psal. *Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris detrahendo*, vt explicat Anterus Papa relatus 6. *quæst. 1. cap.*

ex

ex merito. Quare loquebaris, quia sedens, quia otiosus eras. Quod manifestius probatur ex alio loco Psal. 72. *In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur*, i. non patiuntur eos labores, quos solent de ordinario pati homines, sed otiosi, & in delitijs viuunt. Vndè, sequitur, *Quod posuerunt in Cœlum os suum, & lingua eorum transiuit in terram.* Alcibiades, prout Plutarchus refert *in Apoptegm. Atheniensium*. Dua eanem possidebat perpulchrum emptum magno pretio, eique eum caudam quadam die amputasset, huius rei interrogatus, eo id se fecisse dixit, vt haberent otiosi Athenienses, quod de ipso loquerantur, neque in alias inquirerent res eius.

Detestabilissimum vitium otium, & Deo maximè exosum, propter quod Sathan deiectus est de Paradiso, vt dicitur Esaiæ 14. *Sedebo in monte testamenti*; Dedit illi Deus gratiam, vt illa operando, & negotiando, sibi Paradisum acquireret: ipse autem eo frui volebat, tanquàm si relictum sibi fuisset in testamento, absque aliquo sui labore, & industria. Propter hoc vitium Adam fuit expulsus è Paradiso, in quo positus erat à Domino, *Vt operaretur, & custodiret illum*, Gen. 2. & quia Eua otiosa aures serpenti præbuit, & Adam similiter otiosus auscultauit Euam, ideò facillimum fuit, illis transgressionem præcepti Dei persuadere, quo transgressio, è Paradiso electi sunt, & semen suum in æternum temerauerunt. Quod videtur sentire Hieronymus, *in epistola ad Rusticum Monachum*, seu potius illi antiqui cœnobitæ, ioter quos erat communiter receptum hoc axioma, *Aliquid operis facito, vt te Diabolus semper inueniat occupatum*; Non enim facile capitur à Diabolo, qui bono vacat exercitio. Ità etiam otium deijcit Monachum de Monasterio, illum vagabundum reddit, omnia fastidire facit, semper noua quærere, & vetera abhorrere suadet, sed de otio dicam latiùs *quæstione de castitate*. Nunc satis sit, quod ea otio oritur murmuratio.

Tertiò, oritur murmuratio ex vtilitate, & demissione animi, quid enim vilius murmuratore? Quid infimius, & demissius? Ideò infames, & deteriores latronibus dicuntur, *cap. ex merito, cap. Deteriores, & cap. Infames sexta, q. 1.* Fingebant antiqui; Mimum esse Deum Murmurationis, & ipsum ea vilissimis ortum duxisse patentibus, nimirùm ex somno tanquàm patre, & nocte tanquàm matre: & tamen de Dijs alijs omnibus, nullo excluso murmurabat; Sic vilissimos, & nullo honore dignos videbis, de viris honoratis murmurare, ijs detrahere, eosque deprimere; cum enim talibus viris, similes esse non possint, procurans totis viribus, & posse, ipsos fieri similes sibi.

Quartò, Oritur ex inconsideratione propriorum defectuum, Vndè Christus Matth. 7. *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides*. Indè versus,

Tollere festucam si vis de fratris ocello,
Qua tua conturbat lumina, tolle trabem.

Et August. in Psalm. 49. *Tolle te à tergo tuo, vbi te videre non vis; & constitue te coram te.* Et ad Galatas 6. *Vnusquisque onus suum*, non alienum, *portabit*.

Sed quæres, quomodò resistendum sit detractoribus. Respondeo quò ad audientes, resistunt isti detractoribus per tristitiam faciei, iuxtà illud Prouerb. 25. *Ventus Aquilo dissipat nubes, & facies tristis linguam detrahentem*. Et Hieronymus epist. ad Rusticum, *Sicut sagitta, si mittatur in duram materiam, nonnunquam in mittentem reuertitur, & vulnerat vulnerantem, illudque completur, facti sunt mihi in arcum prauum*, (Psalm. 77.) *Ità detractor cum tristem faciem viderit audientis, immò nec audientis quidem, sed obturantis aures suas, illicò conticescit, pallet vultus, hærent labia, saliua siccatur.*

Quò ad detractos verò, vberius docebo modum detrahentibus resistendi *tomo 2.* cum de Prælato, contrà quem linguarum sagittæ propriè diriguntur; nunc pro subditis satis sit remedium adhibitum à Dauid Psal. 38. *Posui ori meo custodiam, cum consisteret Peccator.* Idest detractor, seù murmurator *Aduersùm me.* Super quem locum ait Ambrosius. *Vectem adhibuit foribus oris sui, seruat thesaurum cordis sui argentum eloquij sui*, Vide Roman. *sing.* 678.

§. V.

Quòd Subditi tenentur tolerare defectus Prælati.

AD tolerandos defectus Prælati, molta possunt adduci motiua, quæ si bonus Subditus considerabit, nullo negotio Prælatorum defectus sustinebit.

Primò, cum sint homines Prælati, & non Angeli, in terra, non in Cœlo vitam ducentes, licèt boni sint non tamen sunt semper perfecti: quis enim est hic, qui carne indutus humana, in occasionibus, si non proximis, saltem remotis peccandi versant, tot, tantisque stipatus hostibus, qui illius ruinam non optant solùm, sed ambiunt, sed anhelant, & non cadit? Quis, inquam, est hic, & laudabimus eum. Baptistam scimus, in ventre matris sanctificatum, *autem petisse deserti sub teneris annis, ne leui saltem maculare vitam famine posset*. Quid de non sanctificato? Quid de non Ioanne Baptista? Et iusto dicitur Prouerb. 24. *Septies cadet iustus, & resurget*; & Ecclesiastes 7. *Non est homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Quod etiam intelligit de mortalibus Athanas. *de incarnat. versu contra Paulum Samosetanum*; ita vt nemo suis viribus ea vitare possit, & iustus esse. Ad quod infinuandum Christus *Ioann.* 8. volens absoluere mulierem deprehensam in adulterio, *Digito scribebat in terra*, Quasi assignans causam absolutionis, fragilitatem scilicet terrenam, & figmentum nostrum, quod non est aliud quàm puluis, & cinis. Vndè Sanctus Leo *serm.* 11. *de quadrag.* ait, *Quis non infirmatur in carne? Quis non sordescit in puluere?* Et ibidem, *Quis tanta puritatis est, vt ijs non polluatur, sinè quibus vita non ducitur.*

Vndè non est mirum, si Prælatus, quamvis bonus, in aliquem quandoque cadat errorem, errorem, inquam, qui forsan alij non imputaretur, sed quia Prælati est, error maximus est. Et Ratio est, quia cum Prælatus sit candelabrum supra montem positum, omnium oculi in ipsum intenduntur, quod eruditè notauit D. Bernardus *serm.* 31. *Paruorum*, ad id adducens locum illum ex 1. Corinth. 4. *Spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus, & malis, & bonis pariter* addit indeque colligit, quantum debeant Prælati in suis actionibus esse circumspecti, dicens, *Si ità omnium oculi in nos, nostri quò abierunt, aut quare soli ipsi recesserunt à nobis, à dextris scilicet, & sinistris tanto studio circumspecti, soli dissimulamus inspicere vitam nostram: Solis nosmetipsos negligimus intueri?* Quod etiam perbellè dixit Plutarchus *lib. pelitic.* ad Traianum: *Quisque sibi vitam, & mores excolere debet quò prorsus omni nota vituperationeque careat, quando præsertim eorum, qui præsunt, non modò singula verba, nec res tantum publicitus gesta animaduerti notatione solent, sed virtus quoque ioci, simul, & seria quoque*, Et cecinit Iuuenalis.

Omne animi vitium tantò conspectius in se.
Crimen habet; quantò qui peccat maior habetur.

Secundò, debent Subditi considerare, quòd boni filij, & boni Subditi est, agnitos parentum & Prælatorum defectus tegere. In ipso enim parentis, & Prælatos defectu suum agnoscit filius, & Subditus dedecus. Vndè *Ecclesiastici* 3 dicitur, *Ne glorieris in contumelia patris tui; non enim est tibi gloria eius confusio: Gloria enim hominis ex honore patris sui, & dedecus filij Pater sinè honore.* Quare bonus Subditus defectus sui

Prælati proprium dedecus reputat, & omni eo modo, quo suos defectus, abscondit, protegit, defendit, & excusat quantum potest. Quod si tam manifesti sint, vt nulla possint tergiuersatione celari, neque excusari, compatitur humanæ fragilitati, & eiusdem Prælati virtutibus cooperit, has illis longè præponderare demonstrans; & meritò, quia gloria illi ex honore Prælati sui; Quæ enim maior gloriatio Subditi quàm à bono regi Prælato & quod maius dedecus, quàm à malo; Mundani homines nonne gloriamur, bonum se habere Regem? Et contra illi maledicentes nonne merito irascuntur? Sic bonus tenetur facere Subditus, non tàm propter gloriam Prælati, quam propter suam.

Tertiò, ad hoc multum iuuat propriorum defectuum consideratio. Vndè Gregorius 5. *moral. cap.* 30. ait, *Cum alienos excessus aspicimus, nostra, quibus in alijs excessimus, delicta cogitemus; considerata quippe infirmitas propria, mala nobis excusat aliena; patienter nemque illatam iniuriam tolerat, qui piè meminit, quod fortasse adhuc habeat, in quo debeat ipse tolerari: & quasi aqua ignis extinguitur, cum surgente furore animi, sua quæque ad mentem culpa reuocatur; quia erubescit sibi peccata non parcere, qui vel Deo, vel proximo sæpè se recolit parcenda peccasse.*

Quartò, Tolerabit bonus Subditus sui Prælati defectus, si eum amauerit; amor namque bona amati videt, & laudat: mala verò, vel præterit, vel alleuiat. Vndè Apostolus ad Rom. 13. *Dilectio proximi malum non operatur*, Ad quem amorem tenetur, quia Prælatus Pater est Subditorum, quod optimè docuit Chrysostomus *hom.* 2. *in* 2. *ad Timoth.* his verbis. *Oportet enim naturales patres affectu, ac dilectione transcendere, sed & spirituales filios non segnius affici, quàm illi sibi necesse est. Obedite enim* (inquit Apostolus ad Hebræos 13.) *Præpositis vestris, & Subditi estote illis, scientes quoniam ipsi vigilant pro animabus vestris, quasi rationem reddituri.* Et paucis interpositis. *Iam vero considera quantum periculi sit per singulos Subditorum discuti, rationemque pro omnibus reddere, quamtumuis illi honoris impendas, quantumlibet obsequij deferas, nihil his periculis referre par poteris. Nam etsi animam ponas, ipse hoc pro te iugiter facit: etsi id minus hac in vita facit, quod persecutionis non adsit tempus; eam tamen periculo æternæ mortis exponit.*

Denique consideret bonus Subditus, quæ docet piè pariter, & erudite Thom. Kempis *de discip. claust.* 4. *n.* 1. *Caueat omnis bonus Subditus, ne Prælatum suum temere iudicet, nec vias eius curiosè scrutetur, sed potius eius dicta, & facta in melius interpretetur. Etsi quædam minus vtilia apparent, & aliqua defectuosa in eo reperiuntur, non despiciat, nec arguat eum, sed excuset, & piè toleret, & charitatiuè (si ita conuenit) admoneat: aut paterne obsecret per se, vel per alium magis idoneum; quia magnum onus super se habet, sæpius etiam pro eo secretò oret, vt Deus eum custodiat, & confortet, cum nullus sit in tota domo, qui tantam quotidie sollicitudinem pro omnibus gerat. Raro namque inuenitur Prælatus, qui possit cuilibet satisfacere, vel placere pro voto.*

§. VI.

Quomodo se habeat Subditus in vitijs Prælatorum Corrigendis.

AD honorem Prælatis debitum pertinet eorum errata, debita cum Reuerentia, si quandoque id facere fuerit necesse, corrigere.

Dico primo, non solùm possunt Subditi, sed etiam debent, quando necesse fuerit, suorum Prælatorum defectus corrigere. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 33. *art.* 4. & *in* 4. *d.* 19. *q.* 2. *art.* 2. *quæst.* 3. Caiet. ad Thom. 2. 2. cit. Val. *tom.* 3. *disput.* 3. *q.* 10. *p.* 4. Rodrig. *tom.* 2. *q. regul. q.* 8. *art.* 2. Tab. *verbo Correctio, n.* 9. Angel. *eodem fraterna, n.* 3. Rosella *n.* 2. Sylu. *num.* & *q.* 3. Pisanella *n.* 2. Angles *in floribus, p.* 2. *q. de correct. frater. difficult.* 3. *versu Grauius peccat, pag. mihi* 63. Suarez *de Fide, Spe, & Charitate, tract.* 3. *disp.* 8. *sect.* 5.

Probatur primo, quia correctio fraterna est in præcepto, vt habet D. Th. 2. 2. *q.* 33. *art.* 2. & alij communiter, & habetur Matth. 18 & Luc. 17. *Si peccauerit in te frater tuus, corripe illum*, ad quod præceptum tenentur omnes tam Subditi, quam Prælati, vt habet D. Th. *loc. cit. art* 3.

Secundò. Probatur *ex scriptura* 1. *Regum.* 19. vbi Ionathas dicitur laudabiliter corripuisse Saulem patrem suum, & Regem de iniqua persecutione contra Dauid, & 2. *Regum* 12. dicitur de Nathan Propheta, quòd corripuit Regem Dauid de adulterio, & *ad Coloss.* 4. ait Paulus dicite *Archippo* (Prælato) *vide ministerium, quod accepisti in Domino.*

Tertiò. Probatur *ex cap. Plerumque, & cap. Paulus dicit* 2. *q.* 7.

Quartò, ex Patribus August. *ep.* 19. *ad Hieronymum* agens de facto Pauli, qui Petro in faciem restitit *ad Galat.* 2. *Ipse Petrus*, inquit, *quod à Paulo fiebat vtiliter libertate charitatis, sancta, ac benigna pietate humilitatis accepit: atque ita rarius, ac sanctius exemplũ posteris præbuit (qui non dedignarentur sicubi fortè recti tramitem reliquissent, etiam à posterioribus corrigi) quam Paulus, quo confidenter auderent etiam minores maioribus, pro defendenda Euangelica veritate, salua fraterna charitate, resistere.* Greg. *lib.* 10. *regist. epist.* 35. Relatus *c. Sicut inquit* 2. *q.* 7. ait, *Sicut laudabile, discretumque est Reuerentiam, & honorem debitum exhibere prioribus: ita rectitudinis, & Dei timoris est, si qua inter eos correctione indigent, nulla dissimulatione postponere. Ne totum corpus, quod absit, incipiat morbus inuadere, si languor non fuerit curatus in capite.* Et 3. *par. pastoral. admonit.* 18. relatus *c. Amonendi* 2. *q.* 7. ait, *Admonendi sunt Subditi, nè plus quam expedit sint subiecti, ne cum student plusquam necesse est hominibus subijci, compellantur vitia eorum venerari.*

Quando autem sit necessarium, dixi supra, *c.* 16 *concl.* 1. *versu quatuor.* Et quando illa, quæ ibi assignaui, concurrunt tunc grauius peccat omittens corrigere Prælatum, quàm alium proximum, vt Angles *loc. cit.* Tum quia ordine charitatis, & eleemosynæ spiritualis, plus tenemur Prælatum, quam alios diligere, vt habet Angles *loc. cit.* & Origines *hom.* 3. *in Cantica. Si quis*, inquit, *laboret in verbo Dei, atque animas nostras instruat: & illuminet, viam salutis doceat, viuendique ordinem tradat; non tibi videtur multo amplius alio proximo diligendus, qui bonorum nihil egerit*; tum quia peccatum Prælati magis nocet.

Dico secundò, Prælatus, si quando est corrigendus propter aliquos defectus, debet corrigi à personis grauibus, & auctoritatis (si adsint, & velint) qui putentur aliquid profecturi; & hoc debet fieri leniter, humiliter, & reuerenter, ita D. Th. 2. 2. *q.* 33. *art.* 4. Val. *tom.* 3. *disp.* 3. *q.* 10. *p.* 4. *versu tertio certum est*, Rodrig. *tom.* 2. *q. regul. q.* 8. *art.* 2. *versu circa secundam conditionem.*

Probat primo D. Thom. ex illo primæ ad Timoth. 5. *Seniorem ne increpaueris, sed obsecra vt patrem*; vult enim Paulus, vt Prælati moneantur, sed eà reuerentia, & lenitate, vt potius eos obsecrare, quàm admonere videatur admonens, idem potest probari ex illo Sapientis loco, Prouerb. 25. *Inauris aurea, & margaritum fulgens, qui arguit sapientem & aurem obedientem*; Diuina quippe comparatio, & ad rem maxime faciens. Duo debent habere, ad hoc vt pretiosæ censeantur inaures, primum, quod sint ex materia magni pretij, auro, lapidibus pretiosis, &c. Secundum, quod sint parui ponderis; alioquin enim augerent aures. Talis debet esse correctio facta Prælato de re graui, primo lenibus, & appositis verbis secundò.

Secundò.

Secundò. Probatur ex Greg. V. *moral. cap.* 10. id confirmans exemplo Pauli, qui enam Subditos humiliter corripiebat, inquiens ad Ephes. 4. *Obsecro vos Fratres ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis*, &c. *Hinc*, ait Gregorius *colligat discipulus, si quando aliquid rectè sentit, quanta humilitate debeat magistro loqui, si ipse Magister gentium in ye, que cum auctoritate predicat, tam submisse discipulos rogat*, & tertia par. pastoral. adm. 5. *Aliter admonendi sunt iuuenes, atque aliter senes: quia illos plerumque seueritas admonitionis ad profectum dirigit, istos vero ad meliora opera deprecatio blanda componit.*

Dixi, hanc correctionem debere fieri à personis grauibus, & auctoritatis, quia vt prudentius corripiunt, ita attentius audiuntur, & frequentius proficiunt: & Prælati minus ægrè ferunt à qualificatis personis corrigi, quam ab ordinariis. Certum est autem, peccatum secretum Prælati secreto esse corripiendum; Si autem publicum sit, potest publicè corrigi, *cap.* 1. *de pænit. & remiss.* præsertim si sit in fide, aut moribus perniciosum, vt ait Cajet. 2. 2. *q.* 33. *art.* 4. *in respons. ad secundum*, & Pisanell. *verb. Correct. fraterna, num.* 2. & habetur expressè *cap. Paulus dicit* 2. *quæst.* 7. vbi dicitur, *Paulus dicit, seniorem ne increpaueris; sed hæc eius regula inconseruanda est, cum culpa senioris exemplo suo non trahit ad interitum corda iuniorum; vbi autem senior iunenibus exemplum ad interitum prabet, ibi districta increpatione feriendus est; Nam scriptum est Esaia* 42. *Laqueus iuuenum omnes vos, & cap.* 65. *Maledictus puer centum annorum.*

Nec hoc debet ægrè ferre Prælatus, quasi in eo de illius auctoritate aliquid minuatur, & minores Subditis fiant. Nam primò *vilissimus computandus est, nisi præcellat scientia, & sanctitate, qui est honore præstantior*, vt habetur *cap. Vilissimus prima, quæst.* 1. & 1. *Regum* 2. dicitur, *Quicumque honorificauerit me, glorificabo eum, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Vnde appatet, quòd Prælati propter culpas fiunt viliores Subditis.

Secundò, quia prudentes viri, quando corriguntur, gratias agunt, iuxta illud Prouerb. 9. *Argue sapientem, & diliget te: & plus proficit apud prudentem correctio, quàm centum plaga apud stultum*, *Prouerb.* 17.

Tertiò. Quia, vt optimè Dionysius de diuinis nominibus *Puniri non est malum, sed fieri pœna dignum, malum est.*

Quartò. Quia, vt ait Plinius, lib. 7. *Nulli patientius reprehenduntur, quàm qui maximè laudari merentur.*

§. VII.

Quàm grauiter peccet Subditus suum Prælatum percutiens.

HOc etiam pertinet ad honorem Prælatis debitum; & vt melius atrocitas huius delicti videatur, adducam quædam dicta Doctorum.

Abbas *in cap. Cum illorum de sentent. excomm. n.* 5. & Felinus *ibi, num.* 2. dicunt, quod excessus commissus in Episcopum, vel Abbatem, seu Priorem Conuentus, vel Prouincialem, vel Generalem proprium, semper dicitur enormis, etiamsi non sit effusus sanguis. Vnde à Prælato Regulari absolui non potest, sed est absoluendus à Papa, vt dicitur *d. cap. Cum illorum*, §. *Qui sic Claustrales in fine, & cap. Si quis suadente Diabolo*, 17. *q.* 4. & tradunt communiter Doctores, Nauarr. *in sum. cap.* 27. *num.* 91. Saytus *de censuris, lib.* 3. *cap.* 28. *à num.* 2. Suarez *tom.* 5. *in tertiam partem, disp.* 22. *sect.* 1. *num.* 90. ducentes, percussionem proprij Prælati semper esse enormem, (*nisi tot, tantaque concurrant circumstantia, vt conditio persona offendentis, quantitas, modus offensionis, occasio actionis, locus, tempus, & similia, quæ actum ita minuant, vt simpliciter normis dici non possit*, vt notauit Suarez *loc. cit. n.* 91.) & pro enormi percussione semper esse recurrendum ad Papam de iure communi.

Rodriguez *tom.* 2. *q. regul. q.* 54. *art.* 2. probat, enormitatem huius delicti ex pœnis, quæ infliguntur, percussoribus sæcularium magistratuum & citat Aristotelem 5. *Ethic. cap.* 5. *in principio*, qui ait: *Si magistratum quis gerens percusserit, repercutiendus non est: si autem magistratum gerentem quis percusserit, non solum est percutiendus, sed supplicio insuper afficiendus*, quem locum declarans Sanctus Thomas 5. *Ethic. lect.* 8. reddit rationem, quare percutiens principem, sit tam grauiter puniendus: quia ait, *qui percutit principem, non solum personam ipsius, sed totam rempublicam ladit.* Et *lege, omne*, §. 1. *ff. de milit.* ita habetur. Qui manus intulit Præposito capite puniendus est, augetur, autem petulantiæ crimen dignitate Præpositi. Vide Consetum *in addit. iudicem* Panorm. *in verbo, Iudex pag.* 70.

Addit Rodriguez, percutientem enormiter (ea scilicet enormitate, quæ talis dicitur ratione actionis, non ratione personæ) Prælatum suum, siue sit Generalis, siue Prouincialis, siue Corrector, esse à Religione eijciendum; quam tamen pœnam non consentit incurrere percutientem Vicarium Conuentus; quia Vicario non tantus debetur honor, sicut Superiori ordinario, vt diximus supra *hoc capite, conclus.* 2. quod est intelligendum de Vicariis ad modum prouisionis, & ad breue tempus, non de Vicariis ordinariis, qui præsunt alicui Conuentui, Correctorem propter petiurism alimentorum nequennij sustinere.

Neque est intelligendum de Vicariis, seu visitatoribus Missis ad visitandum aliquod Regnum, vel Prouinciam, quia sunt veri Iudices, & habent dignitatem, & amplissimam iurisdictionem.

Spatbarius *de modo corrigendi regul. tract.* 10. *parte* 3. *cap.* 17. ait, quòd per sui Ordinis Minorum statuta, quicumque Prælatum localem interfecerit, ad triremes perpetuo est damnandus: & si gladio vulnerauit, non secuta morte, damnandus est ad triremes arbitrio Superioris: & similiter arbitrio Generalis est damnandus ad triremes, qui Prouincialem quouis modo, etiam leuiter percusserit; si autem gladio, siue mors secuta fuerit, siue non, ad triremes omninò perpetuò est damnandus: & similiter qui Generalem ipsum etiam leuissimè percusserit.

In Ordine nostro Minimorum circa percussores Superiorum, nihil adhuc est determinatum, quod videtim, fortè quia per misericordiam Dei, quod sciam, nondùm datus est casus; & vtinam nunquam detur, quòd si forsan detetur (quod Deus auertuncet) posset Prælatus, cui incumberet onus delinquentes puniendi, consideratis considerandis proportionaliter ad dicta in causa procedere.

§. VIII.

Vtrùm Subditus malo Prælato teneatur obedire.

HOc etiam pertinere visum est ad honorem Prælatis debitum, & absque controuersia est inter Catholicos, Subditos vitioso Prælato obedire teneri. Quod probo auctoritate Scripturæ, & Patrum.

Primò *ex scriptura ad Hebræos* 13. ait Paulus *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis*, etiamsi discoli, & scelerati sint, inquit Theophylactus *eo loco*; Quod ad omnem ambiguitatem tollendam expressit disertis verbis Petrus prima Petri 2. *Serui Subditi estote omni timore Dominis, non tantum bonis, & modestis, sed etiam discolis. Hæc est enim gratia in Christo Iesu Domino nostro. Hæc est gratia*, ait, B. Laurentius Iustinianus *lib. de obed. cap.* 12. *vt non inspiciamus personam operantis; sed in pracipiente Dominum, cui famulari expedit, & à quo obedientia nostra debemus sperare mercedem*, & ad Ephes. 6. *Serui obedite Dominis carnalibus cum timore;* &

& tremore in simplicitate cordis vestri, sicut Christo. Si ergò præcipit Apostolus Christianis, vt obediant Dominis carnalibus, qui tunc sine fide omni erant iniquitate referti: quantò magis debemus obedire pastoribus, & Prælatis nostris: etiamsi in moribus sint scelesti. Et Christus *Matth. 23.* hoc expressit dicens, *Super Cathedram Moysis sederunt Scribæ, & Pharisæi quæcumque dixerint vobis seruate, & facite, secundum opera eorum nolite facere*, vbi Glossa, *Doctrinam tenete, non vitam.* Et Chrysost. *Sicut aurum de terra eligitur, & terra relinquitur, sic etiam auditores doctrinam accipiant, & mores relinquant, frequenter enim de homine malo bona doctrina procedit*, & ad Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, & loquitur de magistratibus sæcularibus, quibus soluuntur tributa, & vectigalia, de quibus loquitur *eodem cap. versu 7.* Ita exponit hunc locum Basilius *de constit. Monasticis, cap. 23.*

Secundò. Probatur eadem veritas ex Patribus; Clemens Petri discipulus in quadam epistola citatus à Ludouico Blosio qui hac de re disertè disserit *lib. 1. Collyrij Hæreticorum, cap. 7.* ait, *Episcoporum præceptis in omnibus obedite, etiamsi ipsi aliter (quod absit) agant, memores scilicet illius Dominici præcepti, quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite, obedientia enim, & humiliatio, quæ magistris impenditur, Domino exhibetur.* Quod iisdem ferè verbis præcipit D. Benedictus *in sua Regula, cap. 4. instrumento 60.*

Chrysostomus homil. 34. in cap. 13. epist. ad Hebr. *Quid ergò, dicit aliquis, dum præpositus malignus extiterit, num ob audiemus? Quomodo malum dicis: Si quidem est in causa fidei fuge illum, & euita, non solùm si homo fuerit, sed etiamsi Angelus de cælo descenderit. Si vero in vita moribus malignum dicis, noli curiosus esse:* & citato ad hoc loco Matthæi 23. *Super Cathedram,* &c. *Habent*, inquit, *dignitatem, licèt vita: veruntamen non ad vitam eorum sed ad sermones intendite.*

Bonauentura *tom. 2. opusc. in stimulo amoris, cap. 11. fine.* ait. *Si cor rationale, & nobile tu haberes, non certè renueres Deo, tam in se, quàm etiam in quocumque Prælato vilissimo obedire.*

Beatus Laurentius Iustinianus lib. de obed. cap. 12. *Cæterum si fortè cuiquam eorum, qui in hac pastorali resident Cathedra, vita non suppetat sanctitas, minimè tamen est illis subtrahenda subiectio: quippè cum non personæ, sed dignitati sit principaliter deferendum, Christo si quidem in Præsidente, & Præsidenti propter Christum omninò obtemperandum est; quia non à Petro Petra, sed Petrus à Petra sumpsit initium, cognomen, auctoritatem, & gloriam, ipse namque Dominus Iesus per se ipsum, ipse in pastoribus omnium suarum principatum gerit. propterea nemo, dedignetur subesse, & homini malo, cui imperandi est prærogata potestas.*

Thomas Kempis opusc. exercit. spirit. cap. 12. *Si vita alicuius Prælati non est ita perfecta, & laudabilis, sicut status, & ordo requirit, tu tamen benefacis obediendo in bono, quia non ab homine, sed à Deo præmium accipies.*

Hæc omnia intellige, quando Prælati mali non præcipiunt contraria fidei, nam tum *etiamsi Angelus de cælo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizamus vobis, anathema sit:* ait Apostolus *ad Galat. 1.* Vel non præcipiant contraria mandatis Dei: vel bonis moribus; quia tùm *obtemperare oportet magis Deo: quam hominibus*, Actorum 5.

Quæres primò. An Prælato existenti in peccato mortali notorio, sit obediendum.

Respondet Tostatus lib. 1. Paralip. cap. 21. quæst. 9. *Quod obediendum est Prælato, licèt sit in peccato mortali: etiamsi sit notorium, quousque per sententiam priuetur iurisdictione, aut suspendatur ab vsu eius, vel sit tale peccatum, in quod incidens ipso iure sit priuatus executione iurisdictionis*, & Panorm. *in cap. Cum liceat de præscriptionibus, num. 3.* ait, *quòd obediendum est Prælato, etiam notoriè criminoso ante sententiam, præterquam in quatuor casibus. Primò in crimine hæresis; Secundò in schismate; Tertiò in crimine notoriæ fornicationis; Quartò in simonia in ordine commissa.* Si possunt probari; quod etiam habet Gloss. *d. cap. cum non liceat, verbò Recedere*, quia ista crimina suspendunt ipso iure à iurisdictione, vt habetur, *cap. præter, §. verum, d. 32.* Quibus adde, si sit notoriè excommunicatus *c. Pastoralis de appell. & cap. Excommunic. 11. q. 3.*

Circa notoriè fornicarium, aduerte, quòd notat Panorm. *in cap. Vestra de cohabit. Cleric. & mulier. n. 7.* & habetur *cap. Quæsitum eodem tit.* Si ex euidentia operis est indubitatum, talem esse fornicarium, est ipso iure suspensus; vbi autem non est talis operis euidentia, non est ipso facto suspensus, & ideò ei obedire tenemur. An autem notoriè fornicarius celebrans fiat irregularis, tenet quòd non Franciscus Samarinus *in Sacerdotali, parte prima, tract. de irregul. regula 41.* alios citans. Alij contrarium tenent, vt Nauarr. *in sum. cap. 25. num. 76.*

Quæres secundò, An Prælato accusato de aliquo delicto, quo probato erit deponendus, sit obediendum, lite pendente.

Respondeo, esse obediendum, licèt non quoad desistendum ab accusatione. Abbas *in cap. ex parte de accusat. num. 4.* Felinus *ibidem paulò post principium*, Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 2. num. 64.* & habetur expressè *in cap. nonne directa 8. q. 4.*

CAPVT XXIX.

An liceat Regulari alios ad suam Religionem inducere.

PRo hoc capite videri potest D. Thom. 2. 2. *q.* 189. *art. 9. & quodlib. 3. art. 11. & 13. & opusc. 19. cap. 13.* Nauarr. *in sum. in cap. 12. à num. 44.* Reginaldus *in praxi, lib. 18. num. 373.* Sayrus *in Claui Regia, lib. 6. cap. 9. num. 1. 2. 3. 4.* Lessius *lib. 2. de iust. cap. 41. dub. 4. & de vitæ statu deligendo, quæst. 8.* Ledesma *de statu Religiosorum in communi, cap. 5. conclus. 8. pag. mihi 213.* Syluest. *verbo Religio 2. q. 2.* Azor. *to. 1. instit. moral. lib. 12. cap. 1. quæst. 2.*

Dico primò, non solùm est licitum inducere aliquem ad Religionem, sed etiam maximè meritorium, ita D. Thom. & alij *locis cit.*

Probatur primò ex scriptura, Iacob. *in sua epistol. cap. vltimo. Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum*, & Daniëlis 12. dicitur. *Qui ad iustitiam erudiunt plurimos, erunt quasi stellæ in perpetuas æternitates*, & Ierem. 15. *Si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris.*

Secundò. Probatur ex patribus, qui ad mundum relinquendum, & ad Religionem ingrediendum, se ipsos, & alios hortabantur, & primus sit Sanctus Fulgentius, qui vt refert Surius *tom. 1. in ipsius vita* aiebat. *Cur obsecro, sine spe futurorum bonorum laboramus in hoc sæculo? quid nobis denique præstare poterit mundus? si gaudere desideramus; licèt melius sit bene flere, quàm malè gaudere, quanto melius tamen gaudent, quorum in Deo tranquilla est conscientia, qui nihil timent, nisi peccatum, nihil agunt, nisi ex Dei præscripto: non fatigantur publicis negotiis, non damna res familiaris, aut miserabiliter flere, aut turpiter timere coguntur: nec cum sua ipsi reliquerint, aliis insidiantur, viuunt inter se pacifici, sobrij, mites, humiles, atque concordes: nulla ibi cogitatio libidinis, imò magna sollicitudo, & iugis custodia castitatis. Imitemur tam laudabiles viros, & arripiamus hanc bene viuendi constantiam. Sit nobis vtile, quod gratia reuelante meruimus meliora cognoscere;*

abijciamus

abijciamus pristinos mores, & mutemus labores, nitebamur priùs inter amicos nobiles, nobiliores apparere: nitamur modo inter seruos Dei pauperes, effici pauperiores.

Basilius hom. 52. *Ad vitam te vocamus ô homo, quid fugis vocationem? bonorum participationem? quid negligis donum? Regnum cælorum apertum est, qui vocat non mendax est: via facilis est, non tempore, neu sumptu, non negotio opus est: quid cunctaris? quid tergiuersaris? quid iugum times, velut iuuenca nondum iugum experta? Bonum est, lene est, ceruicem non atterit, sed glorificat? subde indomitam ceruicem, fias Christi iumentum, ne dimisso iugo, & vitam degens liberam, feris te laniandum exponas: Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus. Dulcedinem mellis, quomodo eam ignorantibus declarare possim? gustato, & videte.*

Chrysostomus *hom. 14. in epist. 1. ad Timoth. Sanctos viros*, ait, *inquire, qui re vera sancti sunt, qui in solitudinibus sedent*, & paucis interpositis, ait. *Verè Domus luctus, Monasteria sunt, vbi cinis, atque cilicium, vbi solitudo, vbi risus nullus, nullus negotiorum sæcularium strepitus, vbi ieiunia, vbi terrenorum duritia lectulorum, ibi munda sunt omnia, nullus ibi nidoribus locus, absunt procul sanguinis riui, perturbationes, curæ, tumultus; Tranquillo in portu nauigant, ac velut luminaria sunt, sublimi de loco nauigantibus fulgure suo iter aperientes, in littore placido sedent, omnes ad quietem suam inuitantes? ac pertrahentes, neque naufragium pati sinentes eos, qui se intuentur, non permittunt in tenebris degere eos, qui suas aspiciunt sedes: Perge itaque ad illos, quære, hospitio suscipe, accede, tange sacros pedes longè enim honorabilius est, illorum pedes, quam aliorum caput tangere*

Gregorius *lib. 6. regist. epist.* 190. Andream virum Nobilissimum, ab Imperatoris obsequio, ad quod aspirabat, ad Christi obsequium retrahere conatur. *Cur*, inquiens, *Magnifice fili non consideras, quia Mundus in fine est*, & infrà. *Vnde magn suadeo, vt magnitudo vestra in suo proposito quondam in pauco tempore delectabili receptaculo peregrinationis vincere studeat, & quietam, ac tranquillam vitam ducere, sacris lectionibus vacare, cælestia verba meditari, in æternitatis amore se accendere.*

Beatus Laurentius Iustinianus *de discipl. & perfect. Monast. conuers. cap. 2.* ait, *O Præuaricatores redite ad cor, resipiscite à viis vestris, ne post paululum in æternum pereatis: Cohibete corda vestra, ne post suas habeant concupiscentias: Ne quando vos mors rapiat, & non sit qui eripiat. Vendite quæ possidetis, vt hoc fælici commercio cælestem gloriam adipiscamini. Donate Christo quod sæculo relicturi estis: præmittite ante vos facultates vestras, quatenus necessitatis tempore multiplicata restituantur vobis: voluntariè abrenunciate Mundo, ne cum mærore de eodem exire cogamini; De necessitate virtutem facite, & post hanc vitam regnum accipietis æternum. Finem illorum diligenti examinatione cognoscite, qui præcesserunt vos, atque viuere voluerunt tanquam vos, nempè in sæculo floruerunt, diuitiis abundauerunt, & omni se voluptati dederunt, in canticis, in Choris, in Conuiuiis, in comessationibusque lætati sunt, duxerunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descenderunt. Exiguo exultauerunt tempore, & æterno damnati sunt exitio. Non sic autem contingit iis, qui Deo militant, qui pro Christo animas suas tradiderunt, & sub Præceptoris Imperio absque vlla requie proprias crucifixerunt voluntates, &c.* Quæ ibi pulchra valdè scribit Iustinianus.

Dico secundò, inducens ad Religionem aliquem minis, metu, atque terroribus, committit peccatum ex suo genere mortale, ita Ledesma *de statu Religios. in communi, cap. 5. conclus.* 8. *pag. mihi* 213. Reginald. *in praxi, lib.* 18. *n.* 373. & innuit D. Th. 2. 2. *q.* 189. *art.* 9. *corpore*, Saytus *in Claui regia lib.* 6. *cap.* 9. *n.* 2.

Probatur primò *ex cap. Præsens* 20. *q.* 3. vbi id expressè præcipit Nicolaus Papa.

Secundò. Quia sicut nemo potest ad baptismum cogi, qui tamen est de necessitate salutis, ita multò minùs ad Religionem, quæ solùm est de perfectione. Multis aliis rationibus nostram conclusionem probat Lessius *lib. 2. de iustitia, cap.* 41. *dub.* 4. *num.* 38. quæ apud ipsum possunt videri.

Quare sacrosancta Tridentina Synodus *Sess.* 25. *c.* 18. *de regul. Excommunicat omnes, & singulas personas cuiuscumque qualitatis, & conditionis fuerint, tam Clericos, quam Laicos, sæculares, vel regulares, atque etiam qualibet dignitate fungentes, si quomodocumque coëgerint aliquam virginem, vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem inuitam, præterquam in casibus à iure expressis, ad ingrediendum Monasterium, vel ad suscipiendum habitum cuiuscumque Religionis: vel ad emittendam professionem: quique consilium, auxilium, vel fauorem dederint: quique scientes, eam non sponte ingredi Monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem, emittere, qui quomodocumque eidem actui, vel præsentiam, vel consensum, vel auctoritatem interposuerint.* Pro cuius capitis declaratione videatur Suar. *to.* 5. *in tertiam partem, disp.* 23. *sect.* 7. *à num.* 8. Sanchez *tom.* 1. *in Decal. lib.* 4. *cap.* 4. *per totum.* Rodrig. *to.* 3. *quæst. reg. q.* 17. *art.* 19. Ex quibus.

Noto primò, sub hac excommunicatione non comprehendi, qui cogunt ad Religionis ingressum, vel ab eo impediunt viros, ita Suar. *loc. cit.* & Sanch. *num.* 3. Ledesma *de statu Relig. in communi, cap.* 5. *conclus.* 8. *pag. mihi* 214. Et ratio est, tùm quia idem Trid. *Sess.* 24. *cap.* 9. *de matr.* volens comprehendere eos, qui cogunt siue viros, siue mulieres ad matrimonium, id expressit; Tùm quia cum frequentissimum sit mulieres inuitas ad Monasterium trahi, rarum admodum est, sic duci viros, & legis est frequenter contingentibus prospicere, vt dicitur *lege nam ad ea, ff. de legibus*

Noto secundò, vtrùm cogentes mulieres metu leui, vel non cadente in virum constantem, vel precibus importunis, incurrant hanc excommunicationem; negat Sanch. *loco cit. num.* 4. Certum tamen puto, Parentes, Tutores, & alios, sub quorum cura est aliqua puella, qui eo fine, vt Religionem ingrediatur, dant illi parum cibi, vestibus laceris, & suo statui minùs conuenientibus eam vestiunt, deserteque cogunt, in aliqua includunt cella, & verbis, & operibus eam pessimè tractant ad hunc finem, vt his fastidita puella, talem vitam nauseans, Religionem appetat, & ingrediatur, incurrere hanc excommunicationem, ita Ledesma *loc. cit.*

Noto tertiò, casus in iure expressi, quos hic excipit Tridentinum, quibus potest quis cogi ingredi Religionem, sunt tres. Primus, quandò quis sponte Religionem vouit, tunc enim potest compelli vt impleat, *cap. Licèt de voto.* Secundus. Quando coniux conscius de dispositione iuris, *cap. Quidam, & cap. Placet de conuers. coniug.* quibus capitibus definitur, quod coniux non potest altero coniuge inuito Religionem ingredi, & ingressus tenetur ad instantiam alterius coniugis egredi; conscius, inquam, coniux de hac dispositione consentit, vt alter in Religionem ingrediatur, in eaque professionem emittat, si de coniuge remanente in sæculo habeatur suspicio, quòd non seruabit votum continentiæ, cui se adstrinxit, ad hoc vt alter posset Religionem ingredi, potest ad intrandum compelli, iuxta *caput significauit de conuers. coniug.* à contrario sensu. Tertius casus est, quandò quis commisit crimen, propter quod est in Monasterium detrudendos iuxta *cap. de lapsis* 16. *quæstione sexta.*

His tamen duobus casibus non potest quis cogi ad profitendum, sed solùm ad ingrediendum, vel ad continentiam seruandam, vel ad debitam delicto pœnam luendam. Videatur Lessius *libro secundo de iustit. cap.* 41.

cap. 41. dubit. 4. numero 42. Reginaldus *in praxi, lib. 18. num. 373.*

Ex quibus colligitur primò, quòd mulier inuenta in adulterio à marito, qui illam volebat occidere, si non promitteret ingredi Religionem, ingredi tenetur, nec maritus excommunicationem incurrit. Sicut neque etiam incurrunt dantes ad id consilium, auxilium, & fauorem, quia talis metus, licèt sit mortis, iniuriosus tamen non est, sed iustus. Ita Ledesma *de statu Religios. in communi, cap. 3. conclus.* 8. *pag. mihi* 215.

Colligitur secundò, quòd potest cogi mulier ad ingrediendum Monasterium absque periculo incurrendi hanc excommunicationem ad cautionem, puta, si maritus iter longum sit arrepturus, & de vanitate, & caliditate vxoris dubitans, illam ad Monasterium ingrediendum vsque ad illius aduentum, cogat. Idem dico de filia; quia ista coactio non est iniuriosa, sed rationabilis. Suarez *tom. 5. in tertiam partem. disp. 23. sect. 7. num. 9.* Ledesma *loco cit.*

Noto quartò, quòd inducens virum ad Religionis ingressum importunis, & terribilibus persuasionibus, mortale peccatum ex genere suo committit. Saytus *in Claui regia lib. 6. cap. 9. num. 2.* qui pro hoc citat Ricardum *in 4. dist. 38. art. 6. q. 3.* & Gabriel. *ibid. q. 1. art. 4. litt. T.* Tunc autem est nimis importuna persuasio, quando fit cum rerum temporalium promissione, & cum nimia sollicitudine; solent namque promissiones huiusmodi, & persuasiones importunæ in iuuenibus sorreptionem causare, & de libera voluntate eorum, quæ ad Religionis ingressum omninò requiritur, semper aliquid detrahere.

Dico tertiò. Mortale peccatum ex genere suo committit inducens ad Religionem aliquem muneribus per symoniam datis, & acceptis. Ita D. Th. 2. 2. *q. 189. art. 9.* Ledes. *de statu Relig. in communi, c. 5. concl. 8. pag. mihi* 216. Reginald. *in praxi, lib. 18. n. 374.* Azor. *tom. 1. inst. moral. lib. 12. cap. 1. q. 1.* Saytus *in Claui Regia loc. cit. num. 3.* Sylu. *verb. Religio, 2. quæst. 2.*

Probatur *ex cap. Quam pio 1. q. 2.* vbi dicitur *Nusquam legimus, Domini discipulos, vel eorum ministerio vniuersos quempiam ad Dei cultum muneris interuentu prouocasse.* Quod fit, quando intercedente pacto, quis alium ad Religionem trahit muneribus, si dabis mihi hoc vel dabo tibi hoc, si me ad Religionem duxeris, non verò quando hoc sine pacto fit, sed ex charitate, intendendo proximi salutem, & bonum, vt si quis scholastic um alat: vel enim sibi aliquibus muneribus beneuolum reddat ad hunc finem, vt ad Religionem pertrahat. Ita D. Thom. *loco cit. & q. 100. art. 3. ad 4.* Azor. *loc. cit.* Lessius *lib. 2. de iust. cap. 35. dub. 12. num. 66.*

Licèt tamen pro Religionis ingressu aliquid accipere, exigere & pacisci, quando Monasterium est ita tenue, vt non sufficiat ad tot personas nutriendas gratis tamen ingressum Monasterij exhibendo. Ita D. Th. 2. 2. *q. 100. art. 3. ad 4. & in 4. dist. 25. q. 3. art. 2. quæst. 2. ad 7.* vbi ait, *tum possessiones alicuius loci Religiosi non sufficiunt ad sustentandum plures, tunc potest exigi ab eo, qui in illo loco Deo vult seruire, non quasi pretium Religionis, sed vt habeat Monasterium vnde ei possit prouidere.* Ita etiam Syl. *verbo Symonia, q. 15. dist. 2.* Angelus *n. 4.* Tab. *n. 61.* Saytus *loc. cit.* Lessius *lib. 2. de iust. cap. 35. dub. 12. n. 71.* Admittit etiam Suar. *tom. 5 in tertiam parte, disp. 22. sect. 5. n. 12.* Hic non censetur quidquam spirituale vendi, sed illa pecunia exigitur tanquam conditio necessaria, vt alij Religiosi non grauentur; non enim par est, vt antiqui Religiosi maiorem inopiam patiantur propter eos, qui admittuntur. Nisi forsan admittendus, esset persona, insignis in literis, quæ maximam suis virtutibus posset toti Religioni vtilitatem afferre, nam tùm propter bonum commune deberent particulares Religiosi molestiam aliquam, & inopiam sufferre.

Licèt etiam propter largas eleemosynas, quas aliquis in Monasterium contulit, faciliùs ab ipso commendatum ad Religionem admittere, vt ait D. Th. 2. 2. *q. 100. art. 3. ad 4.* Saytus *loco cit.* sicut etiam potest quis blanditiis, & munusculis animos sibi Religiosorum allicere, vt faciliùs in Religionem admittatur, vt Ledesma *de statu Relig. in communi, cap. 5. concl. 8 pag. mihi* 216.

Circa autem donationes factas Monasteriis à Nouitiis, vel eius parentibus, adest Decretum Conc. Tridem. *sess. 25. de regul. cap. 16.* huiusmodi. *Sed neque ante professionem, excepto victu, & vestitu Nouitij, vel Nouitiæ illius temporis, quo in probatione est, quocumque prætextu à parentibus, vel propinquis, aut curatoribus eius Monasterio aliquid ex bonis eiusdem tribuatur, ne hac occasione discedere nequeat, quòd totam, vel maiorem partem substantiæ suæ Monasterium possideat, nec facilè si discesserit id recuperare possit: quin potius præcipit sancta Synodus sub anathemate pœna dantibus, & recipientibus, ne hoc vllo modo fiat, & vt abeuntibus ante professionem omnia restituantur, quæ sua erant.* Circa quod decretum,

Noto primò, quòd ista excommunicatio non incurritur ipso facto, vt probatur ex illis verbis, *Subanathemate*, Quæ non sententiam latam, sed ferendam denotant, peccaret tamen mortaliter, qui contra tale decretum acciperet, vel daret aliquid, Quia materia est grauis. Ita Ledesma *loc. cit. et diffic. 1. digo lo primiero.*

Noto secundò, quòd pro victu, & vestitu Nouitij potest aliquid accipi: & hoc erit iuxta locorum, & Religionum diuersitatem, prudentum iudicio pensandum, certa enim regula de hoc dari nequaquam potest.

Noto tertiò, quòd non peccarent parentes, vel propinqui Nouitij, nec contra hoc decretum facerent, si in fauorem ipsius Nouitij darent ex bonis propriis aliquid Monasterio. Quia Concilium solùm prohibet aliquid dari ex bonis ipsius Nouitij, non aliorum. Et ita tenent Ledesma *loco cit. digo lo secundo.* Sanchez 70. *in Decalog. cap. 5. num. 23.*

Noto quartò, quòd quæcumque donatio facta de bonis ipsius Nouitij Monasterio, quæ difficiliter posset recuperari, si Nouitius ad sæculum vellet redire, est prohibita per hoc decretum Concilij vide Sanchez *loco cit. num. 24.* Vnde colligit Ledesma *loco cit. digo lo tercero*, quod quantitates pecuniæ datæ Monasterio in ingressu Nouitij sub titulo mutui, ex bonis ipsius Nouitij sunt prohibitæ hoc decreto, quando scilicet sint veræ donationes sub titulo mutui, ad deludendam legem adinuentæ. Et Ratio est, quia difficiliter possunt deinde recuperari. Si autem pro mutuo dato ante professionem accipiatur pignus, vel fideiussio sufficiens, putat Rodriguez *tom. 2. quæst. regul. quæst. 48. art. 5.* videri potest Sanchez *lib. 7. in Decalog. cap. 5. num. 24.* Quòd non fiet contra hoc decretum, quia pignore, vel fideiussione acceptis, facilè potest mutuum, vel commodatum recuperari, & ideò ex hoc non potest detineri Nouitius, si ad sæculum redire vellet.

Noto quintò, quòd si Nouitius, vel Nouitia ante professionem volueint abire, debent eis restitui omnia, si quæ dederant in ingressu Monasterij, simul cum fructibus, si qui sint, deducto tamen victu, & vestitu. Zerola *in praxi, part. 1. verbo Monialis, num. 3. & part. 2. eodem verbo dub. 11.* vbi addit, quod non solùm sunt restituenda omnia, si redire voluerint ad sæculum, sed eadem restitutio debet fieri parentibus, iis mortuis, nisi de iis bonis, cum essent sui iuris, disposuissent. Ita etiam Naldus *verbo Nouitius, num. 6.*

Noto sextò, quòd si Nouitius sit sui iuris, & non habeat parentes, non potest in ingressu Religionis præter victum, & vestitum aliquid donare Monasterio amore Dei. Intellige aliquid magni momenti quod illum retardaret ab egressu, vt Sanch. *loc. cit. n.* 22. Quia id expressè prohibetur hoc decreto, *Ne quocumque prætextu aliquid Monasterio tribuatur.* Similiter neque potest Nouitius in ipso ingressu donare se ipsum, & omnia bona suo

suo Monasterio, vt fiebat olim; Et ita dicitur declaratum fuisse à Sacra Congregatione.

Dico quartò, non est aliquis mendaciis ad Religionem inducendus. Ita D.Th.2.2.*quæst.* 189.*art* 9.Saytus *in Claui regia,lib.6 cap.9.num.4.* Ledesma *de statu Relig.in communi,cap.5.concl.8.pag mihi* 217.*versu.La tercera caueza*, & alij citati præcedenti conclusione.

Probatur ex D.Thom. quia huic imminet periculum, ne se cum deceptum inuenerit, retrocedat. Vndè.

Noto primò, quòd inducens aliquem ad Religionem, debet illi omnia declarare, & manifestare, tàm bona, quam etiam mala. (Si in illa Religione reperiantur:) abstinentias scilicet Regulares, Durities lecti, vestimentorum asperitates, silentium, prolixitatem officij, ieiunia, totalem abrenuntiationem, abnegationem propriæ voluntatis, grauem delinquentium punitionem, & similia, quæ D. Benedict.in sua Regula prædicari iussit recipiendis *cap.*58. *Prædicentur*,inquiens,*eis dura,& aspera.* Si autem tepidè in illa Religione viuunt maiores, & inter minores multa est relaxatio, id etiam est ei explicandum, ne inductus deinde scandalum patiatur,vt Cajet.ait 2.2.*quæst.*189.*art.*9.& Saytus *loc.cit.*qui docent, etiam illicitum esse inducere aliquem ad Religionem,in qua tam relaxatè viuitur, vt promissa secundum regulam: etiam quoad essentialia non obseruentur: & vnusquisque quod illi magis arridet, hoc exequatur, cum paruo timore Dei, & minore Superiorum (si talis inueniatur Religio.) Quod etiam adnerrit Nauarr. *in Manuali, cap.* 12. *num.* 45. *& num.* 51.

Noto secundò, quòd decipiens aliquem ad hunc finem, vt eum pertrahat ad Religionem, quoad essentialia illi Religioni: puta, quod non tenebitur obseruare castitatem: vel in ordine nostro Minimorum,quod poterit comedere carnes, etiam post peractam professionem, peccat non solùm mortaliter, sed professio taliter facta est nullius vigoris, vnde poterit qui sic professus est ad sæculum redire, vxorem ducere, & cætera facere, quæ poterat ante ingressum,est communis opinio, Saytus *in Claui Regia loco cit.* Ledes.etiam cit.*pag.*218. *vers.digo lo tercero.* Ratio est, quia cum deceptio sit circa substantialia Regulæ, quæ sunt vota, tollit omninò voluntarium, requisitum ad votum, vt Sotus ait *lib.* 7. *de iustit. quæst.* 1. *art.* 2. *circa medium,* Rodr. *in sum. parte secunda, cap.* 92. *concl.*4. Saytus *loc. cit.*

Noto tertiò, quòd si deceptio fiat, non circa substantialia, sed circa aliquod statutum particulare illius Religionis, quod est apud illam maximi ponderis, & momenti, & in maxima obseruantia, & rigore, vt v. g. quod apud Monachos, & Dominicanos comeduntur carnes. Deceptio ista non annullat quidem professionem, sed dat professo iustam causam petendi transitum ad aliam Religionem, Primum probatur, quia circa substantialia non deceptus, vnde ad illa tenetur. Secundum probatur, quia cum sit deceptus in re graui, & multum contra suam voluntatem grauatus, nec possit illud grauamen illi altera via compensari, habet iustum titulum petendi dispensationem, vt ad aliam Religionem transire possit. Ita Ledesma *loco cit. pagin.* 219. *versu, digo lo* 4.

Dico quintò. Retrahens aliquem paratum ingredi Religionem, in qua disciplina Regularis obseruatur, & qui frugi futurus est illi Religioni, peccat quidem mortaliter, si odio, vel alio malo fine, id facit, ad restitutionem tamen nullam tenetur; Imò si bona intentione id fecit: vel affectu aliquo sanguinis ductus, poterit etiam aliquando à mortali excusari, Sotus *lib.* 4.*de iust. quæst.* 6. *art.* 3.*in responsione ad secundum argum. concl.* 2. Valent. *tom.* 3. *disp.* 5. *quæst.*6 *punct.*5.*colum.*9.*assert.* 4.*circa bona anima,* Nauarr. *in manuali,cap.*12.*num* 44. Reginaldus *in praxi, lib.* 18. *num.* 375. Arragon. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 2. *col.* 10. *d.* 3. *pag. mihi* 129. Saytus *in Claui Regia, lib.* 11. *cap.* 2. *num.* 27. 28. 29.

Prima pars probatur, quia ex odio impedite aliquem, ne aliquod bonum consequatur, peccatum mortale est, contra proximo debitam dilectionem, & charitatem.

Secunda pars probatur, quia non tenetur aliquid restituere ratione iustitiæ ipsi retracto, cum *per Regulam iuris* 27. *de Regulis iuris in* 6. *volenti, & consentienti nulla fiat iniuria*: Neque Religioni; Quia hæc nullum ius acquisiuit super ingressurum. Tenebitur quidem ratione Charitatis illum, corrigendo se ipsum, admonere, vt suum sequatur propositum, vt aduertit Sotus *loco citato.*

Tertia Pars etiam probatur, quia si bona intentione id facit, putans, talem non futurum vtilem tali Religioni, vel illum iudicans inconstantem: vel quia illius egent ope parentes: vel quia sibi in spiritualibus frugi fore sperat: vel quia in illa Religione non ita disciplinatè viuitur; Non videtur, quòd bono fine fecit, non facturus, si aliter credidisset, illios conscientiæ debere obesse, vt Nauarr. *loc. cit.*

Et nota, quòd si quis sine causa, vel dolo, vi, aut fraude retrahit puellam, vel aliquam aliam mulierem à proposito vel accipiendi,vel voti emittendi,incidit in excommunicationem latam *c.* 18.*sess.*25. *de regul. Concil. Trid.* Quam tamen non incurrit, si cum causa id suadet, vt Saytus *loco cit.* pro qua excommunicatione videri potest Sanchez *lib.*4.*in Decalog.cap.*5. *n.* 10.11. 14. *&* Suar. *tom.*5.*in tertiam partem, disp.* 23. *sect.* 7.*num.*10.

Dico sextò, retrahens Nouitiom à iam suscepto habitu, & ad sæculum redire suadens, mortaliter peccat, si odio, vel alio malo fine id fiat, ad nullam tamen restitutionem tenetur, Ita Saytus *loco citat. num.* 29. Valent. *loc. citat.*

Probatur, quia non tenetur retracto, quia volenti, & consentienti nulla fit iniuria contra iustitiam, neque Religioni, quia sicut Nouitius potest absque irrogatione iniuriæ Religioni eam deserere: Ita potest quis absque tali iniuria id illi persuadere. Quod autem mortaliter peccet,patet ex probatione primæ partis quintæ conclusionis.

Dico septimò, qui vi, fraude, & dolo aliquem ante, vel post susceptionem habitus, ante tamen professionem à Religione retrahit, peccat non solùm mortaliter, sed tenetur iniuriam per restitutionem compensare. Ita Val. *loco citat. versu Secus si,* Sotus *loc. cit. conclus.*3. Aragon. *loc. cit. diff.* 2. Saytus *cit. num.* 33.

Probatur, quia peccat contra iustitiam, faciens, quod retractus inuitus, per vim, fraudem, & dolum patiatur, quæ ipsi, & suo statui forent conuenientia; Et ideò restituere tenetur, remouendo vim, fraudem, & dolum, & exhortando ad ingressum, vel perseuerantiam in Religione. Quomodo etiam fieret Religioni ea restitutio quæ posset, & sufficeret. Si tamen hæc restitutio non sufficeret, ad hoc vt Nouitius, vel regrederetur, vel remaneret, nullum aliud, ait Sotus ligamen remanet, retrahenti.

Dico octauò, Abstrahens aliquem Religiosum professum à Religione vi, fraude, vel dolo, tenetur resarcire damna, quæ Religio passa est ex amissione talis viri: v. g. si legendo, concionando aliqua stipendia lucrabatur, Ita Valent. *loc. cit. assert.* 5. Aragon. *loc. cit. dist.* 1. Sotus etiam cit. *concl.* 5. Saytus cit. *num.* 34.

Probatur, quia nocens alteri cum iniuria, scilicet dolo, vi, fraude, tenetur resarcire damnum illatum.

Dico nonò, qui malo animo, sine vi tamen, & dolo Monacho iam professo exire persuasit, licèt mortaliter peccet, non tenetur tamen quidquam Religioni restituere, Ita Sotus *loco citat. circa finem secunda conclusionis* ibi vero neque ille, Saytus *loc. cit. num.* 30. qui alios citat, & multis id probat.

Probat, quia non tenetur restituere professo; quia sponte exiit: Neque Religioni, quia si Monachus sua sponte exiret, non teneretur quidquam restituere Religioni;

gioni; quamvis teneretur redire ratione obedientiæ, & voti, quo erat obligatus. Ergo nec qui ad exitum persuasit, tenebitur.

Dico ultimo, siue quis paratum ingredi, siue iam ingressum, sed nondum professum, siue etiam professum à Religione extraxerit, vel id faciat odio, vel fraude, vi, aut dolo ad illam ingrediendam, pro tali damno resarciendo, nullo modo tenetur. Ita Sotus *loc. cit. concl.* 4. Nauarr. *in sum. cap.* 12. *num.* 44. Sayrus *loco cit.* 35. Valent. *loco cit. affert.* 4. *versu secus si.* Arragon. *loc. cit. dicto vlt.* colligitur ex D.Thom. *quodlib.* 3. *art.* 13. vbi ait, *Pro nullo peccato posse homini imponi pro pœnitentia, vt Religionem intreat, in commutationem satisfactionis quantumcumque grauis.*

Probatur, quia cogeretur, quis inuitus essentialia Religionis vouere, & obseruare contra naturam, & essentiam voti, quod omninò requirit libertatem, coacta enim respuit Deus, negari tamen non potest, quin retrahens opus maximæ perfectionis faceret, si Religionem ingrederetur, vt refert Paludanus (qui partem contrariam tuetur) *in* 4. *dist. quæst.* 2. *art.* 2. fecisse Raymundum, qui propterea Religionem Dominicanorum ingressus est, quod euidam Nouitio id vitæ institutum dissuaserat, sed id non fecit ex obligatione. Pro his, qui retrahunt aliquem à Religione potest videri Ludouicus Beia, *secunda parte casuum, casu* 3. *in Congregatione habita die* 15. *Decembris, anno Domini* 1582.

CAPVT XXX.

Vtrùm Subditus teneatur obedire Prælato præcipienti, quòd studeat, & literis incumbat.

PRo hac quæstione videatur D. Th. 2. 2. *quæst.* 188. *art.* 5. & *quæst.* 167. *art.* 1. & *opusc.* 19. *cap.* 11. Abbas 1. *part. consil. consil.* 88. *num.* 6. Rodrig. *tom.* 3. *quæst. Regul. quæst.* 64. *art.* 4. Armilla Sylu. *verbo Scientia*, Angelus *eodem*, & *verbo Magister*, Tabiena *verbo Obedientia*, *num.* 10. ibi Pisanella *num.* 4. Antonin. *tertia parte*, *tit.* 16. *cap.* 6. §. 1. Graffius *in append. ad suas decis. lib.* 4. *cap.* 4. *à num.* 15. Valent. *tom.* 3. *disp.* 10 *quæst.* 6. *punct. primo*, *versu item rectè.*

Dico primò, studium sacrarum literarum Regularibus choro destinatis maximè conuenit, & est necessarium; siue Religio sit instituta ad opera vitæ actiuæ: siue ad opera vitæ contemplatiuæ: siue ad opera vitæ mixtæ, est expressa sententia D. Thom. 2. 2. *quæst.* 188. *art.* 5. & omnium aliorum cit.

Probatur primò ex scriptura Oseæ 4. *Tu scientiam repulisti, repellam te, & ego, ne Sacerdotio fungaris mihi;* Vbi Deus minatur, quod priuabit eos Sacerdotes (hos enim non populum alloquitur) dignitate Sacerdotali, qui eius legem per sacrarum literarum studia nosse negligunt. Et Malachiæ 3. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent de ore eius:* Et Danielis 12. *Quid docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stella in perpetuas æternitates.*

Secundò, Probatur ex Patribus. Hieronym. *ad Rusticum*, & refertur *cap. Sic viue* 16. *quæst.* 1. *Longo tempore disce, quod postmodum doceas.* Et ibidem, vt refertur *eadem causa, & quæst. cap. si Clericatum*, ait. *Si Clericatus titillat desiderium, discas, quod possis docere.* Et super Aggæum. *Considera, Sacerdotis esse officium de lege interrogatum respondere, si Sacerdos est, sciat legem Domini, si ignorat legem Domini, ipse se arguit non esse Sacerdotem Domini.* Et Chrysost. *lib.* 2. *de dignit. Sacerd.* ait, *Sapientissimum esse oportet Sacerdotem, & perspicacem in omnibus, & millè, dicitur, ex omni parte oculos habentem, quippè qui non solum sibi, sed etiam populo viuit*, Et Bern. serm. 66. in cantica. *Non ignoro quantum Ecclesiæ profuerint, & prosint literati sui, siue ad refellendos eos, qui ex aduerso sunt, siue ad simplices instruendos.*

Tertiò, Probatur ex multis textibus in iure Canonico, *cap. finali, dist.* 38. *Qui discere negligit, magis Diaboli, quam Christi membrum esse ostenditur*, & ead. *d. cap. Ignorantia* dicitur, *Quod ignorantia mater cunctorum errorum Sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt.* Et Clem. *ne in agro*, §. *penult. de statu Monach.* ait Clem. V. *Rursus vt ipsis Monachis proficiendi in scientia, via opportuna non desit, in singulis ipsorum Monasteriis, quibus ad hoc suppetunt facultates, idoneus teneatur Magister, qui eos in primitiuis scientiis instruat diligenter.* Et *cap. quia nonnulla de magistris* habetur, *Quod in Ecclesia Metropolitana constitui debet Magister Theologiæ, qui Sacerdotes in sacris literis doceat.* Et *cap. super specula eodem tit.* habetur, quòd *Prælati, & Capitula ad studia Theologiæ scholares dociles transmittant*, Et alibi sæpius, quæ etiā faciunt pro Regularibus, qui Sacerdotes, & Ecclesiæ ministri sunt.

Quartò, Probatur ex doctrina D. Th. 2. 2. *quæst.* 188. *art.* 5. Nam studium literarum ad vitam contemplatiuam iuuat dupliciter. Primò directè, coadiuuando ad contemplandum per illuminationem intellectus; nulli enim dubium est, quin literatus magis, & meliùs rationem diuinorum arcanorum sit contemplaturus, quàm illiteratus, tùm quia magis habet proportionatam potentiam intellectiuam, tùm quia aptiora media faciliùs potest inuenire. Secundò indirectè, Remouendo errores, qui frequenter instigatione Dæmonis in contemplatione diuinorum accidunt iis, qui literas, & scripturas ignorant.

Deinde studium literarum etiam prodest Religiosis institutis ad vitam actiuam; puta ad prædicandum, docendum, confessiones audiendum. Et ita prodest, vt sit, naturaliter loquendo, omninò necessarium; quis enim hæc potest absque literis exercere: & hæc non acquiruntur sine maximo labore, & studio.

Tertiò studium literarum Religiosis conuenit quantum ad id, quod est Religiosis omnibus commune. Primò enim valeat ad vitandam carnis lasciuiam. Tum propter laborem adiunctum, iuxta illud Ecclesiastici 31. *Vigilia honestatis tabefacient carnem*; Tum etiam, quia abstrahit cogitationem ab impuris rebus. Vnde Hieron. *ad Rusticum de viuendi forma circa medium*, & *de consecr. cap. Nunquam dist.* 5. refertur *Ama scripturarum studia, & carnis vitia non amabis*: Iuuat etiam ad seruandam paupertatem, quatenus patit contemptum rerum temporalium. Vnde dicitur Sap. 7. *Diuitias nihil esse duxi in comparatione illius.* Et 1. Machab. 12. *Nos autem nullo horum indigemus.* (Scilicet exteriorum subsidiorum.) *Habentes solatio sanctos libros, qui in manibus nostris sunt.* Valet etiam ad seruandam obedientiam; Vnde Aug. *lib. de operib. Monach. c.* 17 *circa finem, qua, inquit, est ista peruersitas, lectioni nolle obtemperare, dum vult ei vacare.* Addo, quod etiam iuuat ad seruandam ciborum abstinentiam, v. g. quadragesimalem vitam in nostro ordine, quatenus fugat otium, de quo Cassianus, *lib. instit. cap.* 6. *Mens otiosa nihil aliud cogitare nouit, nisi de escis, & ventre.*

Dico secundò, licèt Religiosis scientias liberales, & Philosophicas addiscere, non per se ipsas simpliciter, sed in quantum ordinantur ad sacram doctrinam. Ita D. Th. 2. 2. *quæst.* 188. *art.* 5. *ad* 3. vbi Caiet. Rodrig. *tom.* 3. *quæst. regul. quæst.* 64 *art.* 5. Angelus, Tab. Sylu. *verbo Scientia*, *num.* 1. Antonin. *tertia parte*, *tit.* 16. *cap.* 6. §. 1.

Prima pars probatur primò, quia hæ scientiæ multum conferunt ad intelligentiam sacrarum literarum, vt habetur *cap. Relatum*, §. *cum enim*, *dist.* 37.

Secundò, quia iuuant ad errores Gentilium confutandos, vt habetur *cap si quid veri*, *d.* 37.

Tertiò probatur *ex cap. Legimus enim*, *d.* 37. vbi triplex

plex redditur ratio, quare scientiis istis sæcularibus debeamus incumbere. *Legimus enim, vt ibi dicitur, aliqua ne negligantur; Legimus ne ignorentur; Legimus non vt teneamus, sed vt repudiemus.*

Quartò probatur *ex cap. Turbat & cap. qui de mensa, & aliis cap. eadem dist.* 37. vbi multa ad hoc probandum adducit Gratianus, præsertim *dicto cap. Legimus*, potest etiam probari *ex Clem. ne in agro de statu Monach.* cit. vbi per illud, primitiuis scientiis, intelligit Paulus Iurisconsultus super dicta *Clement. Grammaticam, & Logicam.*

Secunda pars probatur ex Caiet. *locis cit.* vbi ait, *Nota diligentissimè conclusionem, & rationem illius, scilicet quòd Religiosis non conuenit studium Philosophiæ, & huiusmodi; quia tota eorum vita mancipata est diuinis obsequiis. Vnde sicut negotia sæcularia sunt absolutè prohibita Religiosis omnibus; Ita studia scientiarum sæcularium, scilicet Philosophiæ, Mathematicæ, & artium liberalium. Verùm sicut pietatis gratia de Superiorum licentia, moderatè possunt Religiosi secularia tractare negotia; Ita Diuinæ scientiæ gratia licitum est Religiosis, cum Superiorum suorum beneplacito, vacare Logicæ, Philosophiæ naturali, & huiusmodi, vt scilicet possint errores confutare, & diuinitatis mysteria intelligere, & hæc bene aduertant Religiosi, qui totum vitæ suæ tempus in scientiis sæcularibus consumunt.* Facit etiam ad hoc caput *nonne vobis*, dist. 37.

Dico tertiò, studiis librorum Gentilium, Poëtarum, & Oratorum. *Se non tradere sed commodare* (vt loquitur Gerson, in Epist. cui titulus est. *Quid, & qualiter studere debeat, &c. parte prima, operum Gersonij, pag. mihi* 560.) *Et ea velut peregrinando percurrere.* Est Religiosis maximè vtile. Ita dictus Gerson. *loc. cit.* & multis id probat Roa, *lib. 5. singul. locorum, à cap.* 4.

Probatur primò, ex D. Basilio *homil. de legendis libris Gentilium*, vbi postquam docuisset, Poëtis, Oratoribus, & aliis quibusque vtendum. *Veluti plantis*, inquit, *Quibus propria virtus est fructu pulcherrimo scatere, folia nihilominus ramis coniuncta quemdam ferunt ornatum; Sic & anima, cui præcellens quidem veritas fructus est, non ab re tali tamen exteriore sapientia circumdatur sicut foliis quibusdam, vmbram fructui, ac aspectum non intempestiuum præbentibus. Dicitur enim: Et Moyses ille, cuius est in sapientia nomen apud omnes maximum, Ægyptiorum disciplinis mentem exercitatus, ita ad eius, qui est, contemplationem processisse: Similiter autem, & in sequentibus temporibus, Danielem Babylone Chaldæorum sapientiam dicunt didicisse, tunc denique diuinas attigisse doctrinas.*

Probatur secundò, ex Greg. Naz. *in oratione facta in funere D. Basilij. Illud*, inquit, *Inter omnes sanæ mentis homines constare arbitror, eruditionem inter humana bona primariam locum tenere. Non de hac nostrate solùm, ac nobiliore loquor, quæ contempto omnis sermonis lepore, ornamento, salutem vnam earumque rerum, quæ ratione, atque animo intelliguntur, pulchritudinem arctissimè complectitur, sed etiam de externa, quam plerique Christiani graui quodam iudicio, vt insidiosam, ac periculosam, & procul à Deo auertentem repudiant.* Et paulò post *Quamobrem non idcircò contemnenda est eruditio, quod ita quibusdam videatur, quin potiùs insulsi, & præposteri habendi sunt, qui hoc existimant, omnésque sui similes esse optareat, vt priuata eorum ignorantia communis ignorationis tenebris obtegatur, nec quisquam ipsorum inscitiam prodat, & coarguat.*

Tertiò idem probat Roa ex Patribus, Ambrosio *lib. 3. de fide*, Hieronymo *ad Galat.* 3. Chrysost. *homil. tertia in epist. ad Titum*, August. *secundo de doctr. Christiana, cap.* 28. vbi ait. *Historia plurimum nos adiuuat ad sanctos libros intelligendos, etiamsi præter Ecclesiam puerili eruditione discatur.*

Dico quartò, Religiosi scholares ad studendum deputati, qui sunt in studendo notabiliter negligentes, peccant omnino mortaliter. Ita Antonin. 3. *par. tit. 5. cap.* 2. §. 11. Nauarr. *in sum. cap. 25. n. 59. versu tertio peccat.* Sebastianus Medices *in summ. peccatorum, cap. 39. n.* 75. Nec negaret Tabiena *verbo interrogatio, n.* 29. Reginald. *in praxi lib.* 20 *num.* 55. Lambert. *de Iure patron. lib. 2. par. 1. q. 9. art. 24. num.* 6.

Probatur tum quia occupant locum aliorum, qui diligentes in studiis essent; tùm quia abutuntur commoditate illis data à Religione, quæ in aliis exercitiis eos occuparet. Tum quia videntur contemnere scientias, quas edocentur, & sic sunt velut membrum Diaboli, vt dicitur *cap. nullus Episcopus, distinct.* 38. Tum quia iniuria afficiunt magistrum, cui est gloria ex doctrina *Discipuli*, Et labore pro illis in docendo passo abutuntur, qui illud Ouidij cogit canere. *Verba miser frustra non proficientia perdo.*

Dico quintò, seniores, vel à paruo, vel à longo tempore professi, non debent erubescere, discere è iunioribus. Habetur expressè *in cap. Nullus, Episcopus, dist.* 38. vbi dicitur. Ita Tiraquell. *de iure primogen. in præfat. num.* 203. ait. *Nullus Episcopus propter opprobrium senectutis, vel nobilitatem generis, à paruulis, vel minimis eruditis, si quid fortè est vtilitatis, aut salutis, inquirere negligat.* Et August. ad Auxilium Episcopum, *epist.* 75. relatus *cap. Si habes 24. quæst.* 3. *En, ait, Adsum senex à iuuene, nec dum aniculo paratus sum discere.* Et *cap. de Constantinopolitan. dist.* 22. dicitur, *Stultus est, qui bona, quæ videt, discere contemnit. Et nulla ætas sera est ad discendum vsque ad ann. 78. ff. de fideicommiss. lege, apud Iulian.* vbi refert Pomponius Iurisconsul. dictũ cuiusdam Sapientis; videlicet, *Si vnum pedem haberem in tumulo, alterum extrà ad hunc non pigeret aliquid addiscere.* Et Glossa Marginalis refert dictum Solonis gloriantis, *Senescere se, quotidie aliquid addiscendo.*

Dico sextò, appetitus, seù studium cognoscendæ veritatis potest sex modis fieri vitiosus, licèt in se virtuosissimus sit. Primò si quis studeat, vt exinde superbiat, vt faciunt aliqui, qui disputantes de Cœlo, in Cœlo sibi habitare videntur, vel disputantes de Angelis, Angelos se esse existimant. Secundò si quis studeat ad peccandum, iuxta illud Hierem. 9. *Docuerunt linguam suam loqui mendacium, vt iniquè agerent laborauerunt*, vt faciunt Hæretici. Tertiò si per studium minus vtile, quis retrahatur à studio, quod ei de necess. incumbit. Vnde Hieron. *ad Damasum de filio prodigo* dicit. *Sacerdotes dimissis Euangelijs, & Prophetis, videmus comœdias legere, & amatoria bucolicorum versuum verba cantare.* Quartò, si quis studeat discere ab eo, à quo non licèt, vt si à Dæmonibus aliqua futura perquirat. Quintò, si appetat cognoscere veritates circa creaturas, non referendo ad debitum finem, scilicèt ad cognitionem Dei. Vnde Aug. *de vera Religione, c.* 29. dicit, *Quòd in consideratione Creaturarum non est vana, & peritura curiositas exercenda, sed gradus ad immortalia, & semper manentia faciendus.* Sextò, si quis studeat cognoscere veritatem supra proprij ingenij facultatem: Vnde dicitur Ecclesiastici 3. *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris, & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus.* Et postea sequitur. *Multos enim supplantauit suspicio eorum, & in vanitate detinuit sensus eorum.* Quod etiam faciunt Hæretici. Hæc D. Th. 2. 2. *q.* 167. *art.* 1. Vbi aduerte, quod sicut dictis modis fit appetitus cognoscendæ veritatis, seu studium, vitiosus, ita per oppositum sex modis fit virtuosus.

Dico septimò, Prælati debent suis Religiosis studentibus aliquas exemptiones concedere à communibus exercitiis, & ab aliquibus horis Canonicis, exceptis diebus festis, & omnem studendi commoditatem tribuere. Ita Grassius *in append. ad suas decisiones lib. 4. cap. 4. num.* 18.

Probatur primò, *ex cap. quia nonnullis, & cap. Super specula de magistris*, quibus capitibus conceditur studentibus,

dentibus; vt possint esse exempti à residentia, & percipere fructus beneficij, & hoc vt commodiùs studiis possint incumbere.

Secundò, Probatur ex Decretis Clement. VIII. publicatis, & receptis *in Capitula Generali Genuensi 6. Ordinis Minimorum, anno* 1596. De quibus supra facta est pluries mentio, vbi habetur, quod *Superiores cum studentibus, & studiorum causa occupatis possint dispensare, ab officio chori sint immunes.*

Quare debent etiam Superiores studentibus aliquas licitas recreationes concedere, *vt suis interdum interponant gaudia curis*: imò recusantes ad eas cogere, verbi gratia, vt quandoque extra Ciuitatem cum magistro proficiscantur: Quod certis diebus ludis aliquibus Religiosis, & honestis vacent. Hinc enim mens occupata, in studiis, quæ melancholiam passim gignunt, subleuatur, animus relaxatur, melancholia depellitur, lumen intellectus acuitur, & reiectis offuscationibus, quibus ex continuis occupationibus obumbrabatur, illustratur; Defatigatis enim quies maximi solet esse solatij. Corpus etiam exercitatur; vnde mali humores desiccantur, & inde ardentiùs studiis incumbitur.

Vnde Seneca *lib. de tranquillitate animi cap.* 15. ait, *Danda est remissio animis, meliores, acrioresque requieti surgent. Vt fertilibus agris non est imperandum, citò enim exhauriet illos nunquam intermissa fœcunditas, ita animorum impetus assiduus labor franget. Vires recipient paulum resoluti, & remissi: Nascitur ex assiduitate laborum, animorum hebetatio quædam, & languor: nec ad hoc tanta hominum cupiditas tenderet, nisi naturalem quandam voluptatem haberet lusus, iocusque; quorum tamen frequens vsus omne animis pondus, omnemque vim eripiet. Legum conditores festos instituerunt dies, vt ad hilaritatem homines publicè cogerentur, tanquam necessarium laboribus interponentes temperamentum. Et magni viri quidam sibi menstruas certis diebus ferias dabant, quidam nullum non diem inter otium, & curam diuidebant; qualem Pollionem Asinium Oratorem magnum meminimus, quem nulla res vltra decimam detinuit, ne epistolas quidem post eam horam legebat, ne quid noua cura nasceretur. sed totius diei lassitudinem duabus illis horis ponebat. Quidam media die interiunxerunt, & post meridianas horas aliquid leuioris operæ distulerunt.* Et supra ait. *Cum pueris Socrates ludere non erubescebat: Cato vino laxabat animum, curis publicis fatigatum. Et Scipio triumphale illud, & militare corpus mouit ad numeros*, Et infrà. *Indulgendum est animo, dandumque subinde otium, quod alimenti, ac virium loco sit: Et in ambulationibus apertis vagandum, vt cœlo libero, & multo spiritu augeat, attollatque se animus.* Et paucis interpositis, *Aliquando animus in exultationem, libertatemque extrahendus, tristisque sobrietas remouenda paulisper: Nam siue Græco Poetæ* (Anacreonti) *credimus, aliquando, & insanire iucundum est: siue Platoni, Frustra Poeticas fores compos sui pepulit: siue Aristoteli, Nullum magnum ingenium sine mixtura dementiæ fuit.* Et Dio relectus à Lipsio *ad cap. 15. Seneca de tranquil. num.* 318. *Remissiones*, aiebat, *præparamenta ad labores sunt, & arcus, & lyra, & homo vegetantur quiete.*

Dico octauò, studere diebus festiuis in honorem Dei, Sanctorum, si principaliter non fiat propter lucrum, sed ad illuminationem proprij ingenij, & aliorum, dummodo debitis horis, assistatur diuinis, peccatum non est, licèt accessoriè veniat lucrum. Ita Panorm. *in cap. Omnes dies de ferijs, num.* 4.

Probatur, quia studere opus seruile non est, quod solum prohibetur *cap. Licet tam de ferijs.* Doctores tamen legentes principaliter propter salarium à peccato non excusantur, vt Panorm. ait *loc. cit.* Addens, licere tamen Doctori expedire forenses, qui consilium expectant, ne stent in hospitio cum magna impensa. Conrzen. tamen *lib. 4. polit. cap. 15. §. 2. in principio*, dicit quod quamvis studeat quis lucri gratia dictis diebus non peccat, quia studium seruile opus non est, & lucri cupido honestum finem potest sortiri: nec Ecclesiastica lege luctum, sed opus seruile vetatur.

Dico nonò, Lectioni sacrarum scripturarum, seù auditioni earum debent vacare omnino Religiosi omnes, tam docti, quàm indocti, ab hoc enim exercitio nemo potest excusari. Qui intelligit, legat, & studeat, qui non, Legentem, & declarantem audiat, & hoc propter vtilitates, quæ ex tali lectione, vel auscultatione legenti, vel auscultanti proueniunt, quas duodecim numerat Turrecremata in Regula S. Benedicti, tract. 41. *Prima est productio bonorum fructuum. 2. Inflammatio cœlestis desiderij. 3. Animatio, & Confirmatio debilium, & infirmorum contra Dæmonum tentationes, virorum fortium exemplis. 4. Quia lectione, vel auditione cauentur Dæmonum insidiæ. 5. Valet ad cognitionem sui ipsius. 6. Valet ad commorandum cum Deo. 7. Ad animæ refectionem. 8. Ad salutaria remedia applicanda infirmitatibus. 9. Ad consolationem tribulatorum. 10. Ad vires animi replendas, accendendas. 11. Ad necessaria in vita præsentis peregrinationis cognoscenda, & prudenter prosequenda. 12. Valet, vt diximus, ad carnalia desideria refrænanda.*

Vnde optimè Athanasius sermone quodam ad Monachos *Sine legendi studio, neminem ad Deum intentum videas.* Et Hieronymus ad Eostochium. *Tenenti codicem somnus obrepat, & cadentem faciem pagina sancta suscipiat.* Ambros. lib. 1. offic. cap. 20. *Cur non illa tempora, quibus ab Ecclesia vacas, lectioni impendas? Cur non Christum reuisas? Christum alloquaris? Christum audias? illum alloquimur, cum oramus, illum audimus cum diuina legimus oracula.* August. epist. 143. ad Demetr. virg. *Ita scripturas sanctas lege, vt semper memineris, Dei illa verba esse, qui legem suam non solùm sciri, sed etiam impleri iubet*, & ibi *Optimè vteris lectione diuina, si eam tibi adhibeat speculi vice, vt ibi velut ad imaginem suam anima respiciat, & vel fœda quæque corrigat, vel pulchra plus ornet.*

Ex dictis colligitur, quod Subditus iussus à Prælato studere, & literis incumbere, tenetur obedire. Cum studium bonum per se sit, & Religiosis omnibus apprimè vtile, & necessarium.

At inquit quandoque Subditus. Doleo capite; Angor distillationibus, laboro stomacho, capacitatem non habeo, ideo studere non possum. Sed hæ sunt puerorum nugæ, friuolæ excusationes, quæ nec dici, nec acceptari merentur. Cælium namque Aurelianum legimus, in curando capitis dolore, lectionem adhibuisse. Senecam verò ad refrænandas, quas patiebatur capitis distillationes, eandem in vsu habuisse, vt ipsemet scribit epist. 78. *Studia mihi nostra saluti fuerunt, Philosophiæ acceptum fero, quòd surrexi, quòd conualui. Illi vitam debeo.* Et seniorem Plinium, iuniore testante, epistolarum lib. 9. in penultima. *Voce, & stomacho laborantem claram lectionem in remedium adhibuisse scimus.* Vnde Seneca *epist* 81. ait. *Studia etiam saluti corporis prosunt, in remedium enim cedunt honesta solatia, & quidquid animum erexerit, etiam corpori prodest.* Quoad capacitatem verò, nullum tam hebetem puto, qui aliqualis studij, & lectionis capax non sit, maximè si Choro destinatus existit. Sed tegit se incapacitate, quandoque desidia: *Punge*, Aiebat Origenes super Exodum, *& dabit lachrymas: Stringe mentem, & dabit intellectum; Tria sunt*, Hugo de S. Victore, *lib. 3. didasc. capite 7.* ait, *Necessaria studentibus, Natura, exercitium, disciplina. In Natura consideratur, vt facilè audita percipiat, & percepta firmiter teneat. In exercitio, vt labore, & sedulitate naturalem sensum excolat. In Disciplina, vt laudabiliter viuens, mores cum scientia componat.*

Circa disciplinam in discendo refert dictus Hugo *loc. cit. cap. 13.* dictum cuiusdam sapientis, qui interrogatus de modo, & forma discendi, Respondit; *Mens humilis,*

humilis, studium quarendi (idest desiderium sciendi, ex quo procedit inuestigat oocculrorum.) *Vita quieta*(interius,& exteriùs.)*Serariniumtacitum.* (Diligens perceptorum meditatio.) *Paupertas.* (Frugalitas in viuendo.) *Terra aliena*, (vbi quis in patria à studendo impeditetur, vel studendi commoditatem non habetet.) *Hac reserare solent nonnulla obscura legenti.*

Tria sunt, ait dictus Hugo, *lib.5. didasc. cap.5. Qua pracipuè studijs obesse solent: Negligentia, Imprudentia, Fortuna. Negligentia est, quando ea, qua discenda sunt, vel prorsus pratermittimus, vel minus studiosè discimus. Imprudentia est, Quando congruum ordinem, & modum in his, qua discimus, non seruamus. Fortuna est in euentu, casu siue naturaliter contingente, Quando vel paupertate, vel infirmitate, vel naturali tarditate, siue etiam Doctorum raritate, quia, aut non inueniuntur qui doceant, aut qui benè doceant, à praposita retrahimur.*

Et notent discipuli, quòd ad hoc vt addiscant facilius, & breuius, debent magistris subijci. Quoniam vt Boëtius *cap.2. de scholarium disciplina*, ait. *Qui se non nouit subijci, non noscat se magistrari. Miserum est enim, eum fore magistrum, qui nunquam se nouit esse discipulum: Debet autem discipuli subiectio in tribus consistere, scilicet in attentione, beneuolentia, & docilitate: Attentus, inquam, exercitio, docilis ingenio, beneuolus animo. Attentus, inquam, ad audiendum, docilis ad intelligendum, beneuolus ad retinendum.*

Vbi notandum, quod ita hæc, Attenno,Beneuolentia,atque Docilitas discipolum maximè magistro, atque doctrinæ submittunt, maius tamen horum est amor addiscendi, quo corda erudiendorum ad doctrinam cognoscendam fortius alliciuntur. Et hic amor ex tribus constare dicitur. Primò ex magistri cordiali dilectione; Dilectione enim intima erudientis, audita credibiliora redduntur in recipiente. Et hæc dilectio sita est in timore, & reuerentia erga magistrum. Vndè D. Paulus *ad Hebreos, 12.* ait, *Patres carnis nostra eruditores habuimus, & reuerebamur eos*, idest reuerenter timebamus. Et Basilius *in Psalm. 33.* ait, *Discipulus filius spiritualis est praceptoris; Qui enim ab aliquo informationem pietatis accipit, is velut efformatur ab ipso, & ad substantiam venit, quemadmodum à pragnante infantes.* Idque probat tum ex verbis psalmographi; *Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos.* Tum ex illis Apostoli ad Galatas 4. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Atque ita sicut carnales Patres eos timere reuerenter debemus. Vnde Cato aiebat, *Magistrum metue.* Secundò. Hic amor confirmatur ex adeptione fructus, quem quotidie recipere sentit se discipulos, ex quo ad disciplinam allicitur. Fructus autem Sapientiæ est donum Dei, vt August. ait 12. *de Ciuit. Dei*, cui nihil occurrit præferendum, & nulli pretio potest comparari. De qua Tollius *lib.2. offic. Quid enim post Deos optabilius? Quid prastantius? Quid melius? Quid omnino dignius sapientia?* Tertiò iste amor stabilitur ex naturali appetitu scientias addiscendi; De quo dicit Aristoteles 1. *Metaphysic. Quod omnis homo natura scire desiderat:* Tunc itaque proficit discipulus; cum attentè aduertit, audita dociliter intelligit, atque intellecta beneuole scrutinio cordis recommendat. Et *capit.4. Paulo post principium*, ait idem Boëtius, *Felicisque discipuli discretio magistratui gaudeat subijci, eumque metuendo diligat, diuesque existat. Nec ei sub picturata dilectionis obtuitu Albinus existat detrahendo. Va magistratus detractori*, Idest gaudeat fœlix, & discretus discipulus magistro suo subijci, & diligat eum metuendo, sit ei fidelis, tàm verbo, quàm opere, neque detrahat ei sub aspectu fictæ dilectionis; neque, *Et existat Albinus*, Idest Albini mores non sequatur, qui nefando scelere magistro suo manus violentas iniecit, eo quia *Ad primam aëris impressionem, nequiuit totam constitutionem comprehendere*, Vt ipsemet Boëtius dixit *cap.2.* idest quia non potuit comprehendere totam lectionem ad primam Magistri sui Galli pronunciationem. Signum maximæ ingratitudinis est magistro detrahere, eique non per omnia debitum honorem deferre; *Nam Dijs, Parentibus, Magistris nunquam possumus reddere aquale*, vt ex Aristotele 9. *Ethic.* refertur.

Quatuor autem conditiones debet habere Magister, vt à discipulis ametur, & reuerenter timeatur. Primò debet esse scientia illustratus, vnde *Ecclesiastici* 18. dicitur, *Antequam loquaris disce*, Idest antequam loquatis docendo, disce prius audiendo. Secundò debet esse humilis, benignus, facilis, affabilis. Vnde Gregorius relatus *d.46. cap. Hoc habet*, dicit. *Hoc habet proprium doctrina arrogantium, vt humiliter nesciant inferre, quod docent, & recta, qua sapiunt, rectè ministrare non possint.* Tertiò debet esse probus, ac rectus, vnde Seneca epist.6. *Homines amplius oculis, quàm auribus credunt. Et longum iter est per pracepta breue, & efficax per exempla*,

Vnde versus.

Non satis est Domini precepta euoluere lingua.
Is meminit legis, qui memor est operis.

Et Lactantius *lib. de falsa sapientia. Turpe est*, ait, *Ad Philosophiam pergere: & Philosophia opera non agere*, Quartò debet magister esse practicus,& expertus, vt sciat modum,& methodum facilè tradendi doctrinam, quam docet, captui scholarium se accommodare, vnde Palladius relatus ab Expositore Boëtij *de discip. schol. cap.6. lib.1. de agricultura* aiebat. *Pars prima prudentia est, vt consideres personam eius, cui pracepturus es, nam stultum est rusticos peritissimorum virorum alloqui stylo.* Vt ergo quis bene doceat, expedit, vt modum audienti vtilem exquirat, eiusque capacitatem, ætatem, & sensum concernat, nec extruere incipiat artes, sed priùs mutuet partes. Hincque sumptum est vulgare illud.

Artes post partes veteres didicere magistri.

Debet denique magister esse talis, qualis describitur à Boëtio *loco cit. cap.6. Sit in sermone verax, in iudicio iustus, in consilio prouidus, & in commisso fidelis, constans in vultu, pius in affatu, virtutibus insignitus, bonitatisque laudabilis existat, conuersatione etiam sit bonus. Nulla siquidem res est magis perniciosa discipulo vita magistri contumeliosa. Infusa enim vidimus sapissimè confundi ex fœtido vase, quia fœtidum vas aquas infusas corrumpit*; Et paucis interpositis ait, *Tenetur quoque Doctor eruditus esse, mansuetus, rigidus, antiquus non annis, non negligens, nec arrogans.* Quæ declarans ait, *Sit, inquam, eruditus, priùs enim oportet, vt discat, quam doceat. Mansuetus, quoniam quandoque discipulorum elationem pati opportunum est, Rigidus, in scholarium enim amplexu rigore frui* (vti) *commodissimum est, vt sic errantibus vindictam imponat. Sophistarum lites dissoluat, oblatrantes atque retardeat, obloquentesque reprimat, proteruientes castiget, Sit antiquus verò, non annis, sed perpetua scientia; Si verò vtrumque adfuerit, sanior condita erit. Non negligens, quoniam sicut in vnoquoque opere diligentia mater inuenitur constantia, ita vniuersa doctrina, & disciplina nouerca est negligentia, Non sit arrogans, quoniam viuax pauperum scintillula* (amor sciendi) *extinguitur magistrantis* (magistri) *arrogantia, voluntas discendi à ditibus sequestratur* (separatur) *quoniam arrogantis magistri sedulitas nunquàm fideliter hominem instruxit.*

Studeant ergo Religiosi omnes pro suo captu quisque. Et studeant, dum sunt iuuenes; nam cum corpore canescit ingenium, & hebescit, nisi exerceatur memoria, vnde Tibullus.

At tu, dum primi floret tibi temporis atas,
Vtere, non tardo labitur illa pede.

Et senes apud Ouidium 4. *de Ponto* canunt.

Da veniam fesso, studijs quoque frana remisi;
Ducitur, & digitis littera rara meis.
Impetus ille sacer, qui vatum pectora nutrit,
Qui prius in nobis esse solebat, abest.

§. Vnicus,

Quibusnam libris studere debeat studiosus Subditus.

HVnc paragraphum non nisi coactè valdè aggessi. Difficillimum est enim, præsertim mihi homunculo ineptissimo, non dicam de aliorum doctrinis iudicium ferre, sed de fructibus etiam ex ijsdemmet doctrinis colligendis; *Nam cum trahat sua quemque voluptas*, iuxta affectionem, quam ad libros habemus, eos fructuosos, vel minus, seù inutiles iudicamus. At postulantibus subditis nostris id negare non potui.

Dico igitur primò, in eo esse me opinione, vt credam, nullum librum esse tam infimæ notæ, ex quo bene affectus, & studiosus lector fructum aliquem, si non centuplum, saltem decuplum, vel etiam vnicum capere non possit; Quod etiam censuit Plinius senior, Iuniore testante *in Dedicatoria ad Marcum suum* his verbis. Dicere etiam solebat, nullum esse librum tam malum, vt non aliqua ex parte prodesset. Puto enim, immò firmiter credo, Doctores scribentes, & typis sua scripta mandantes, omnem diligentiam adhibere, vt eorum libri doctrina, de qua tractant, vberiori sint referti, mundatam namque farinam ex sua molestrina omnes progredi exoptant, & vt talis exeat, omnem adhibent diligentiam, iuxtà talentum sibi ab vniuersali Domino concreditum. Quod autem aliqui magis accepti sint, quam alij, fortunæ quandoque potius, quam arti tribuendum est. Vnde ego semper admonui Religiosos, vt studerent, & legerent libros quoscumque iuxta propriam affectionem (modo à Religiosis institutis libri penitus non aberrarent.) Legat itaque Subditus noster libros illos, ex quibus sibi plus, vel deuotionis, vel scientiæ, siue etiam honestæ recreationis nouerit prouenire.

Et ad hoc propositum bene dicit Gerson. 1. *parte suorum operum in opusc.* qui libri legendi sunt religioso *pagina mihi* 570. liber omnis, inquit, sit historicus, sit moralis, sit allegoricus, sit anagogicus, in quo plus reperiet ad deuotionem se moueri, legatur.

Dico secundò, studendum est in primis libris antiquioribus, & à multis sæculis probatis, à Sanctissimis, & expertissimis, seu consummatissimis viris compositis; Tum quia fontes ipsi sunt, vnde riuuli recentiorum librorum promanarunt; Tum quia illorum auctoritas magni fit ab omnibus; Tum quia sic nos docuerunt doctissimi viri, inter quos Putidanus (apud Gersonem, *prima parte suorum operum, in epistola*, cui titulus est. *Quid, & qualiter studere debeat nouus Theologia auditor, pag. mihi* 557.) in procemio egregij illius operis, quod scripsit super Ethica. Vbi fatetur, *Se nouis rationibus nequaquam adhæsurum, quantumcumque apparentibus, quia ab illis pluries deceptus est. Ex antiquorum autem dictis nunquam, præsertim in moralibus.* Propter quod etiam Aristoteles 8. *Ethic. cap.* 11. dicit, *Quare peritorum hominum, & seniorum, seu prudentium pronuntiationibus, & opinionibus absque demonstratione, non minus, quàm demonstrationibus attendendum est. Quia namque ex ipsa experientia vsum habent, principia intuentur.*

Dico tertiò, scholares, seu Iuniores, vel minus docti, vnius doctoris eruditione contentos esse debere, nec ipsis legendi sunt alij libri, præter scripta sibi à magistris dictata, seu legendi sunt libri de magistri scientia, & consilio. Inexperti enim in scientijs, nesciunt discernere, quid bonum, quidvè malum. Et cum *discentem credere oporteat*: Si reperierint in libris aliquid, quod ipsis fuerat à magistro dictatum, vel contra quod fuit dictatum, ex hoc eam fidem in posterum sui Doctores dictis non habent, quam tenentur. Et sic nescientes fiunt, dum maximè scientes esse præsumunt, Vnde doctissimus Pythagoras suos discipulos docuit per septennium, quærentibus suorum dictorum rationem, nihil aliud respondere, quàm, *Magister dixit.* Et de Diuo Thom. refert Gerson. 1. *p. suorum operum, epistola*, in qua laudat D. Bonauenturæ doctrinam, *pag. mihi* 554. Quod dum inquireretur ab eo, quis esset optimus modus studendi Theologiæ. Respondit. *Exercere se in vno doctore.* Et notum est illud. *Liberet me Deus à doctore vnius libri.* Audiamus, quid ad hoc propositum dicat Seneca epist. 45. *Non refert quam multos, sed quam bonos habeas libros: Lectio certa prodest, varia delectat. Qui quò destinauit peruenire vult, vnam sequatur viam, non per multas vagetur; Non ire istud, sed errare est.* Et lib. de Tranquillitate, cap. 9. *Onerat discentem turba, non instruit, multoque satius est paucis te auctoribus tradere, quàm errare per multos.* Sed vberius, & ex professo hoc, quod intendimus docet ipse Seneca *Epist.* 2. *Certis*, ait, *ingenijs immorari, & innutriri oportet. Si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. Nusquam est, qui vbique est. In peregrinatione vitam agentibus hoc euenit, vt multa hospitia habeant, nullas amicitias. Idem accidat necesse est ijs, qui nullius se ingenio familiariter applicant, sed omnia cursim, & properantes transmittunt. Non prodest cibus, nec corpori accedit, qui statim sumptus emittitur. Nihil æquè sanitatem impedit, quam remediorum crebra mutatio. Non venit vulnus ad cicatricem, in quo crebrò medicamenta tentantur. Non conualescit planta, quæ sæpè transfertur. Nihil tam vtile est, quod in transitu prosit. Distrahit animum multitudo librorum. Fastidientis stomachi est multa degustare, quæ vbi varia sunt, & diuersa, inquinant, non alunt.* Tandem notent hic scholares vnam Hugonis sententiam *libro* 2. *didasc. c.* 3. vbi postquam retulit factum illud Pythagoræ discipulorum, subiungit. *Hinc profectò accidit, eo tempore tot fuisse sapientes, vt plura ipsi scriberent, quàm nos legere possimus. Scholastici autem nostri aut nesciunt, aut nolunt modum congruum in discendo seruare: & idcircò multos studentes, paucos sapientes inuenimus.*

Dico quartò prouectiores, & qui docendi alios habent curam, seu scriptores multos habere libros necesse est; Tum ad suas opiniones corroborandas, Tum ad alienas confutandas. In triplici autem differentia sunt libri, quos isti debent habere, vt Gersonius ait epistola, cui titulus est. *Quid, & qualiter studere debeat, &c. pag. mihi* 557. vbi ait, *Quosdam in transitu raptim videamus, quasi eos non penitùs ignorasse satis sit, vt eis fiat vale perpetuum. Alijs verò per vices vtamur, pro vt se necessitas dederit, vel delectationis congruitas. At verò quosdam familiares nobis aduocemus, & tanquam domesticos fidelissimos, intrà mentis nostra cubicula, inter secreta, quotidianaque colloquia iugiter collocemus.*

Dico quintò; Disputatio, quæ mentis aciem acuit, veritatem patefacit, intellectum illuminat, mentis tenebras pellit, vires adauget, animositatem tribuit, audacem reddit, non debet esse proterua, non cauillosa, non amara, non mordax, non superba, non clamorosa, non peruicaci animositate tumultuans, sed modesta, sed dulcis, sed lenis, sed affabilis, quàlem esse decet veritatis inquisitionem, quæ acuat, & excitet ingenium, quæ ad studium inflammet, quæ stabiliat quoque veritatis positionem, falsitatis oppositione patefacta. Canes latrantes communiter non mordent. Qui multum amplexatur, parum stringit. Argumentum verbosum, minus neruosum. Rationis defectus lingua supplet; Et vitium intolerabile

est,

est, quod nequit vi argumentationis obtineri, id contendere stridoribus. Et denique *verba virtutem non addunt*, vt aiebat Salustius *in Catilinam*.

Sed quibus libris studendum? Quando cogor, Audacter dicam, Philosophis Aristotelem propono cum commento D. Thomæ, cuius Philosophia licèt aliquibus difficilis videatur, est tamen D. Thomæ, qui clarus, & facilis est in omnibus, si attentè legatur. Theologis Scholasticis vnum D. Thomam, cuius doctrina verè Angelica, quæque mihi semper visus est sibi sufficere; Licèt aliqui dum declarare conantur, eum magis obscurent; Et meliorem doctrinam quærentes Angelica, panem quærunt meliorem triticeo. Prædicatoribus, & Scripturalibus propono versus Sixti Senensis in libro de arte interpretandi scripturas in fine.

Historiam Hebræis, & Græcis fontibus haustam,
Hieronymo discet duce.
Allegorias, Anagogenque recludent
Origenes, Ambrosius.
Exponent sensus formandis moribus aptos
Chrysostomus, Gregorius.
In dubijs, altaque locis caligine mersis.
Aurelius lucem feret.
At breuis, & facilis non ust spernenda Tyroni
Lyrensis expositio.

Confessarijs Syluestrum, Nauarrum, & Alphonsum de Vega. Talis est mea sententia, quæ spernenda ijs, qui alijs Doctoribus se magis proficere sentiunt; in hoc enim multum refert affectio, & naturalis inclinatio.

CAPUT XXXI.

Quomodò se gerat Subditus in Prælatorum electionibus.

PRo hoc cap. videatur D.Thom. 2. 2. *quæst.* 63. *art.* 2. *ad tertium*, & *quæst.* 185. *art.* 3. & *quodlib.* 5. *art.* 22. & *quodlib.* 6. *artic.* 9. & *quodlib.* 8. *artic.* 9. Panorm. Innoc. & alij Canonistæ *toto tit. de elect.* Hostiens. *lib.* 1. *summ toto tit. de elect.* Sylu. Armilla, Tabiena, Angelus, Rosella, Pisanella, & alij Summistæ, *verbo Electio* Caiet. *ad locum citatum ex sum.* D.Thom. Miranda, *Manual. Prul. tom.* 2. *quæst.* 23. Reginaldus *in praxi, lib.* 30. *tract.* 3. *à num.* 191. Azor. *tom.* 2. *institut. moral. lib.* 6. *cap.* 24. & 25. Rodrig. *tom.* 2. *qu. regul. q.* 51. 52. & *in sum. p.* 1. *a cap* 101. *vsque ad* 108. Vasq. *in opusc. de benefic. cap.* 2. §. 3. *à dub.* 1. *vsque ad* 10. Salon. 2. 2. *quæst.* 63. *art.* 2. *controu.* 3. Val. *tom.* 3. *disp.* 5 *qu.* 7. *p.* 2. *dub.* 2. & 3. Vega 1. *p. sum. cap.* 97. Sotus *lib.* 3. *de iust. qu* 6 *artic.* 2. Nauar. *lib.* 1. *consil. de elect per multa*, Ledesma 2. *p. sum. tract.* 7. *conclus.* 4 *per multa.* Casarub. *in compend. verbo electio*, vbi à Sorbo, Antoninus 3. *part. tit.* 19. *capit.* 2. Graff. *in append. ad suas decis. lib.* 4. *cap.* 2. & *tom.* 2. *consil. lib.* 1. *de elect. per multa*, Zerola *in praxi verbo electio*, Marcus Antonius Cucchus *instit. iur. Canon lib.* 1. *tit.* 7. Sà *in aphorismis, verbo electio.* Angles *in floribus, p.* 2 *q. de Clericis restitutioni obnoxijs, difficult.* 4. *pagina mihi* 191. Passarellus *in Scholys ex Auenion. num.* 2. *per multa* Aragon. 2. 2. *q.* 63. *art.* 2. Molfesius *tom.* 1. *sum. tract.* 6. *cap.* 6. 7. & *præsertim, cap.* 16.

Noto primò, quod electio est alienius personæ ad dignitatem vocatio; & est triplex, scrutinij compromissi, & communis inspirationis, Forma electionis faciendæ per scrutinium (nam de alijs cum non sint apud Regulares, præsertim apud nos Minimos ferè in vsu, non ago) habetur *in iure cap. quia propter de elect.* (in quo etiam habentur aliæ aliarum electionum) his verbis, *Statuimus, vt cum electio fuerit celebranda præsentibus omnibus, qui debent, & volunt, & possunt. Commodè interesse, assumantur tres de Collegio fide digni, qui secretè, & sigillatim vota cunctorum diligenter exquirant, & in scriptis redacta mox publicent in communi, nullo prorsus appellationis obstaculo interiecto, vt eis collatione habita, eligatur, in quem omnes, vel maior, & sanior, pars Capituli consensit.* Quæ forma habet locum in omnibus electionibus, tam Episcoporum, quam Generalium, Prouincialium, &c. vt dicit Sylu. *verbo Electio* 2. *q.* 1. & Mir. *to.* 2. *manualis, q.* 23. *art.* 3.

Noto secundò, ex Panorm. *in d. cap. Quia propter, à num.* 12. Sylu. *electio* 2. *q.* 10. *num.* 12. Tab. *eodem primo, num.* 19. Angelo *num.* 26. Rosella *num.* 23. Quod multa sunt de substantia Canonicæ electionis, quorum vel omnium, vel aliquorum, vel singulorum omissio electionem omninò irritat, & colliguntur ex prædicto c. *Quia propter.* Primum, quòd omnes, qui debent, possunt, & volunt interesse, congregentur simul in locum vnum ad hoc destinatum: Non enim sufficit consensus eligentium simpliciter præstitus: vt si quilibet consentiret in sua camera; sed oportet, quod collegialiter consentiant. Secundum, quòd ab his sic congregatis assumantur tres scrutatores, qui omnium vota habeant perscrutari; quique debent esse de collegio; si verò in Collegio essent pauci electores, tunc sufficerent duo. Tertium, quòd isti tres scrutatores exquirant vota singulorum in secreto, vt quisque possit liberiùs votum suum dicere. Quartum, quòd ista inquisitio fiat singillatim; non enim bini, vel trini sunt vocandi. Quintum, quòd vota omnium exquitantur; quia si vnus, qui Collegio adesset, propter contemptum omitteretur, ita vt suum votum non proferret, electio non valeret; secus autem si esset absens; nam, vt dicam, vocatio absentium non est de substantia electionis, sed de iustitia, & ideò electionem ipso facto non irritat; Potest tamen irritam reddere, si non vocatus suam prosequatur iniuriam. Sextum, quòd scribant, vel per se ipsos, vel per tabellionem vota omnium. Septimum, quòd mox postquam fuerint omnium vota in scriptis redacta, publicentur in communi, scilicet capitulo (*mox*) idest in continenti, nullo actu contrario interiecto. Octauum, quòd facta publicatione votorum, fiat collatio numeri ad numerum, meriti ad meritum, zeli ad zelum; quæ tamen collatio omittitur, quando omnes vnum eligunt, vt notat Sylu. secus autem si non omnes vnum, sed plures. Nonum, quòd facta collatione fiat communis electio per vnum de Collegio ab ipso ad id destinatum, nomine Capituli, & per verba singularis numeri, hoc pacto. *Ego Frater N. nomine meo; vel vice mea, & omnium electorum præsentium, qui mecum consenserunt, eligo in Generali P.F.N. In Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Si verò ille, qui format communem electionem, io ea non consensit, dicat, *Nomine omnium vestrum, qui in illum consensistis.* Quam communem electionem esse omninò de substantia electionis, probat optimis rationibus Panorm. *cap. in Genesi, numer.* 3. 10. quòd electio fiat de eo, in quem maior, & sanior pars Capituli consensit. Sanior autem communiter dicitur, quæ maior, vt notat Tab. 11. *quod d. electio solemniter, & publicè denuntietur*, idest *in Capitulo* 12. quod seruetur omnium prædictorum ordo successiuè, sicut numerata sunt, aliter si præposteretur, nihil valet.

Noto tertiò, quod præter dicta, ad substantiam electionis pertinet etiam libertas, qua sublata, tollitur omnino electio; vt habetur *1. Periculum*, §. *Cæterum, de elect. in* 6. vbi dicitur, quod *cessat electio, vbi adimitur libertas eligendi*, estque tanti ponderis libertas in electionibus, vt nulla consuetudine introduci possit contrarium, vt habet Sylu. *verbo Electio* 1. *n* 26. *q.* 23. Ratio est, quia eligere est vnum ex pluribus voluntariè capere, atque ita sentiunt communiter omnes Panorm. *in cap. Licet deuitanda, de elect. num.* 13. Tab. *verbo Electio* 1. *num.* 23. Hoc tamen intellige, quando electores compellerentur eligere certam personam; secùs si compellerentur

tenentur eligere aliquem de certo genere personarum, vt Panorm. & Tab. *loco cit.* quia hoc pacto non adimitur libertas, sed restringitur. Vndè non esset contra libertatem electionis, si Generalis v. gr. mandaret, vt nuntio aliquo Prælato, priusquam electores ad electionem venirent, ipsum certiorem facerent, quo dictos electores ad virum probum eligendum posset hortari. Colligitur ex Panorm. *in cap. Cum Monasterium, de elect. n. 3.*

Noto quartò, quod præter ea, quæ diximus esse de substantia electionis, sunt etiam aliqua de solemnitate illius. Primum, *Tractatus de elect.* Panorm. *in cap. cum in veteri, de elect. num. 11.* Secundum, Præfixio diei non est de substantia, sed de iustitia, Panorm. *in cap. Quia propter, de elect. num. 16.* Tertium, quod scrutatores sint fide digni, Panorm. *ibi*, quartum, locus non est de substantia, sed de honestate, & iustitia: nisi aliter habeat consuetudo Panorm. *ibi, & cap. cum Monasterium, eodem tit. num. 4.* Si fieret tamen in Camera, & per occulta conuenticula, censeretur Clandestina, & ideò esset cassanda. Sylu. *elect. primo, quæst. 8. num. 9.* Angelus *num. 11.* Azor. *tom. 2. instit. moral. lib. 6. cap. 14. qu. 17.* Quintum, quod in casu mortis Prælati non fiat electio antè sepulturam defuncti, Panormit. *in cap. quia propter* cit. Sextum, quod vocentur absentes, Glossa *in c. nulli, de elect. in 6.* Tabiena *verbo Electio, n. 19.* Septimum, decretum, seù scriptum in quo contineatur, quid sit actum in Electione à principio vsque ad finem, non est de substantia: fit enim solùm ad faciendam fidem, formam seruandam, fuisse seruatam: & vt electores negare non possint. Panorm. *in cap. Innotuit, de elect. num. 16.* Antonin. *3. par. tit. 19. cap. 2. §. 10.* Sylu. *verbo Electio 1. q. 18. num. 21.* Vnde quando superior, ad quem pertinet confirmare, est præsens; sufficit quod verbo per vnum eligentium recitentur ei gesta in electione. Octauum, Inuocatio Spiritus Sancti, & Missa de Spiritu Sancto non de substantia, vt eidem Panorm. *in c. Transmissam, eod. tit. num. 3.* Aduerte itaque differentiam inter ea, quæ sunt de substantia electionis, & ea, quæ sunt de solemnitate, quod illa irritant ipso facto, & nullam reddunt electionem, vt ait Sylu. *verbo Elect. 2. q. 10. n. 13.* Hæc autem non annullant ipso facto, sed reddunt annullandam, si fiat oppositio; vt notat Passarellus *in Scholys ex Auenionensi, n. 2.*

Noto quintò, ex dictis patere difficultatem huius electionis per scrutinium, vt notat Panorm. *in cap. quia propter*, & Sylu. *loco cit.* & etiam Periculum, quod imminet Religiosis illis, qui simul viuunt: quando enim scrutatores vident, aliquem non dare votum, vt ipsi prætendebant, concipiunt erga eum malam voluntatem, & sæpissimè odia, ex quibus tumores, rixæ, contentiones, & vt plurimum eligentes his ductis respectibus, non eligunt secundùm iudicium conscientiæ suæ. Quod aduertentes Patres Capitulares Ord. Min. In Capitulo *Val. 4. num. 25 Consulentes electionum libertati, & aliquorum pusillanimitati: attendentes etiam ad cap. 6. Concilij Trid. Sess. 25. de regul. Quod omninò requirit Secretum ad electionem, statuerunt vt singuli electores accipiant tres, vel ad minus duas schedulas de manu scriba, cum inscriptione nominum trium, vel duorum diuersorum Patrum, quos eligens voluerit tantùm absque nomine eligentis. Hoc pacto videlicet. Frater N. eligatur ad tale officium, vnamque ex schedulis illis inscriptam nomine illius, quem eligens voluerit eligere, inuolutam, seu clausam reponat cum aliorum eligentium votis in vrnam, aut Capsulam, quæ coram omnibus stabit, alijs schedulis palam fractis, nihil aliud, tàm ipse Scriba, quàm quivis respicientes, nisi quod vna tantum ab vno dimittatur. Quibus omnibus à singulis electoribus sigillatim dimissis, scriba cum duobus scrutatoribus, ad id designatis à Capitulo, palam accepta vrna, seu Capsula, singulas schedulas à singulis electoribus inuolutas ibidem dimissas, in communitate effundat: & antequàm ipsas reperiat, numeret, & ad numerum vocalium conferat, & si æquales numero non sint, statim eas comburat, seu palam totaliter laceret, & iterum alias schedulas modo prædicto singuli faciant, verùm cum eas cum vocalium numero conuenire inuenerit, aperiat, & nomina publicet eorum, qui fuerunt electi, exprimens numerum votorum, quem vnusquisque habuit, vbi si quis aliquem, vel aliquos ex electoribus vnica super eminenti voce supra medietatem omnium Capitulantium ibi existentium superauerit, eius electio rata, & legitima habeatur.* Quæ forma in ordine nostro est omninò seruanda, irritantur enim ibi omnes electiones præter ipsam factæ.

Noto sextò, quod prædicta forma, quæ obseruatur inuiolabiliter in nostro ordine, est valdè conformis formæ scrutinij positæ *cap quia propter*, Nam primo electio fit ab omnibus in vnum collectis. Secundò eliguntur tres scrutatores de corpore Capituli, quorum vnus fungitur officio scribæ. Circa tertium verum quidem est, quod dicti scrutatores non scrutantur vota singulorum, sed id fecerunt Patres. Tum ad consulendum aliquorum pusillanimitati: Tum ad seruandum illud secretum, quod omninò requirit Trid. per quod videtur sublata illa exquisitio per tres scrutatores, vt notat Mir. *to. 2. Man. q. 23. art. 29. vers. 7.* Addo, quod Glossa *d. cap. quia propter, verbo Senior.* ait, Hunc numerum scrutatorum non esse de substantia: dummodò tales sint Inquisitores, quod fraus fieri non possit; & Patres nostri ordinis *in capitulo Parisiensi, n. 5.* confisi de fidelitate scribæ, qui statim electus, eam capitulo promittit, deliberauerunt, ipsum solum ad audiendum eligentium vota sufficere. Quartò ista inquisitio fit sigillatim; vnusque, n. solus accedit ad scribam, & facit sibi scribere duo, vel tria nomina, quorum vnum proijcit in vrnam, alterum dilaniat. Vbi est aduertendum, quod quando aliqui ex electoribus vnam schedulam tantùm recipiunt, seù plures vnico nomine scriptas, vnam quamm, reponunt in capsulam; ità vt nomen electi sit notum scribæ, electio illa est omninò nulla; tùm quia est contra formam Conc. Trid. cum non fit secreta; tùm quia in ordine nostro est contra formam, quæ debet omninò seruari. Vnde puto, scribam peccare omninò mortaliter; tum contra fidelitatem promissam capitulo, tùm contra decretum Conc. in re graui; & sic electum non esse in conscientia securum (si illi de huiusmodi nullitate constet) sed debere, vel renuntiare, vel confirmationem petere à sanctissimo. Puto etiam, quod mortaliter peccent sic eligentes; quia contrafaciunt decretis Concilij, & sui ordinis in re tam graui. Quod idem etiam dicendum est, quando electores accipiunt duas schedulas quidem, sed eo modo vnam scindunt, & alteram reponunt in capsulam; vt tamen, data opera, scribæ innotescat, quamnam reposuerint ad eligendum, & quamnam lacerauerint ad reprobandum. Quod diligenter deberent aduertere tùm scribæ, tùm electores. Quod etiam dicitur fuisse determinatum à congregatione Concilij. Quintò, omnes, qui intersunt capitulo dant suum votum. Sextò, Omnium vota scribuntur per scribam communiter electum. Septimò, Scrutinio facto, publicantur vota in capitulo, intellige in electione Prouincialium, & Generalium; nam in electione correctoris localis vota nunquàm publicantur, sed inuoluta, & clausa mittuntur ad Capitulum Definitorium, in quo deinde aperiuntur. Octauò fit collatio numeri ad numerum tantummodò propter quietem electionis. Quod etiam habent Fratres Prædicatores, vt notat Tab. *verbo Electio 1. num. 19.* per priuilegium cuiusdam Pontificis, quem non nominat; eo tamen certum est gaudere omnes participantes. Vbi aduerte, quod si omnes in vnum conueniant, adhuc est facienda collatio, non de numero, sed de electoribus. Vtrum scilicet quis sit contemptus, vel aliquis adfuerit, cuius votum non sit computatum, quod benè notat Pisanella *in verbo Electio primo, §. Collatio.* Quæ collatio in ordine nostro nunquam omittitur, vt videri potest in forma præfata.

præfata. Itaque duplex potest constitui collatio, vna quò ad electus, alia quò ad eligentes. Prima, si Electores in vnum conueniant, non est necessaria. Secunda semper. Nonò facta collatione fit per scribam communis electio, quod obseruatum vidi in capitulis Generalibus, & deberet omninò seruari etiam in Prouincialibus, tùm propter obseruantiam Canonis, quia propter; tùm quia singulares consensus ad electionem non valent: etiamsi vnanimes sint, vt dicitur *cap. in Genesi de elect.* vbi assignatur etiam Ratio. *Quia*, inquit Papa, *Ex propositionibus singularibus licet veris, non appares propositio vniuersalis, nisi exprimatur per signum vniuersale.* Hostiensis *lib. 1. sum. tit. de elect. n. 4. pag. mihi* 99. reddit aliam rationem dicens. *Quod cum Spiritus Sanctus descenderit super congregatos in vnum, & Communitas pariat vnitatem, singularitas verò diuisionem, debet esse electio potiùs communis quam singularis; cum debeat fieri inuocata Spiritus Santi gratia.* Si autem ipse scriba, ad quem de consuetudine in ordine nostro pertinet facere communem istam electionem, eligeretur in Prælatum, tunc alteri de capitulo, id esset committendum, quod obseruant Fratres Prædicatores, vt docet Festus *in sum. const. part. 3. cap. 24. versus finem.* Nam nemo se ipsum potest eligere, vt dicitur *cap. per nostras, de iur. patron.* & habeor Rosella *verbo elect. 5. num. 31.* & Miranda *tom. 5. man. quæst. 23. art. 39.* Decimò, electio fit de eo, in quem maior, & sanior pars consentit: semper autem dicitur sanior, quando est maior. Vndecimò, his omnibus peractis, electio publicatur, & denuntiatur, & tandem omnium istorum ordo, sicut numerata sunt, seruatur. Vnde apparet, quod optima est ista nostra forma, vt pote in omnibus, & per omnia conformis sacris Canonibus.

Noto septimò ex Tab. *verb. electio, 1. num. 16.* Pisanella *ibi, §. quis non potest*, Sylu *num. 16. quæst. 14.* Angelo *num. 23.* Antonino *3. part. tit. 19. cap. 2. §. 6.* Azor. *tom. 2. lib. 6. cap. 14. quæst. 9.* Mir. *tom. 2. Manual. quæst. 23. art. 11. conclus. 5.* Quòd multa sunt impedimenta Canonica, quibus ligatus incapax est electionis, seù vt eligatur, & ad octo capita reducuntur. Primum, si sit notoriè malus, & malæ vitæ. Vndè D. Thom. *quodlib. 8. art. 6.* ait, quod per quodlibet peccatum mortale, aliquis redditur indignus ad quodlibet spirituale exequendum. Hoc tamen caput non irritat ipso facto electionem, sed facit irritandam vt habet Sylu. *loco cit.* Immò si sit paratus corrigi, potest confirmari, vt Tab. *loco citato num. 17.* Secundum si sit excommunicatus excommunicatione maiori, habetur expressè *cap. constitutis, el primo de appell.* Tertium si sit excommunicatus excommunicatione minori, habetur *in cap. Si celebret, de Clerico excommunicato ministrante*; hoc tamen casu electio non est ipso iure nulla, sed annullandam, vt ibi dicitur. Quartum, si sit suspensus, vel interdictus, aut violator interdicti, aut irregularis *cap. 1. de postul. præl. cap. Cum dilectus, de consuet.* Quintum, si non est legitimè natus, ætatis debitæ, sufficientis literaturæ, vel simile habet impedimentum circa Ordinationem, *cap. Innotuit; cap. Cum in cunctis, de elect.* Sextum, si semel propter vitium personæ fuit reprobatus; secus autem si non fuit reprobatus propter vitium personæ, sed propter defectum electionis, *cap. Super eo, de elect.* Septimum si est Episcopus, qui non potest eligi ad aliam dignitatem, sed debet postulari *cap. finali, de postul. præl.* Octauum, in Prælatum Religiosorum non potest eligi, qui non est expressè professus, *cap. nullus Religiosus, de elect. in 6.* & debet esse professus in eadem Religione, in qua eligitur; professus. n. alterius Religionis eligi non potest. Ita habetur *in Clementina prima, de elect.*

Noto Octauò ex Antonino *3 parte, tit. 19. cap. 2 in principio*, Tab. *electio 1. num. 5.* Rosella *num. 5.* Pisanella *§. quis non potest eligere*, Angelo *num.* 8. Azor. *tom. 2. lib. 6. cap. 14. quæst. 8.* Quod multi sunt in iure priuati potestate eligendi. Primò, excommunicati excommunicatione maiori, *cap. Constitutis, el primo de appell. secus si minori, cap. si celebrat; de Clerico excommunicato ministrante*: Secundo suspensi, *cap. cum dilectus, de consuetud. §. quia nobis.* Tertiò interdictus, *cap. cum inter R. sensitrem in fine, de elect.* Quartò cui est interdictum eligere sine superioris licentia, *cap. finali, de elect.* Quintò, qui celebrauit scienter in loco interdicto, *cap. is qui de sententia excommunic. in 6.* nisi super hoc fuerit priuilegiatus. Sextò, qui in ea vacatione elegit scienter indignum, pro ea vice est priuatus potestate eligendi, *cap. cum in cunctis, de elect. in fine.* Item qui postulauit indignum, *cap. scriptum, de elect. fine*: modò secuta sit electio, vel postulatio; nam si non sit secuta, non sunt priuati; *cap. Perpetuò, de elect. in 6.* Septimò, qui peccauit in forma electionis, debet priuari potestate eligendi, *cap. quia propter, de electione.* Octauò, Pupillus masculus ante 14. Fœmina ante 12. annum. Nec malitia supplet ætatem, *cap. ex eo, de elect. in 6.* Nonò Laïcus, siue Conuersus non debet admitti ad eligendum simul cum Clericis in Monasteriis Regularium; nec qui non est tacitè, vel expressè professus *d. cap. ex eo*; nisi antiqua consuetudo quò ad Laïcos id haberet, Innoc. *cap. in Ecclesia, de instit. num. 5.* Roman. *sing.* 659. Decimò illi, qui per Laïcalem abusum elegerunt, *cap. quisquis, de elect.* idest, qui elegerunt mediante potestate Laïcali, nempè de consilio, & voluntate Laïcorum. Vndecimò non eligentes in tempore debito, *c. ne pro defectu, de elect.* quia electio tunc deuoluitur ad superiorem, vt dicam. Duodecimò qui per eorum constitutiones prohibentur, Tab. *verbo Electio primo, n. 5.* Decimotertiò. Qui non sunt Subdiaconi in Cathedralibus, vel Regularibus Ecclesiis, non habent vocem in Capitulo: etiamsi ab aliis liberè sibi concedatur, *Clem. vt ij, de ætate, & qualitate ordinandorum.* Quod in ordine nostro Minim. est in obseruantia; & fuit determinatum *in Capitulo Genuensi 6. num.* 19. Plura possunt videri apud Hostiensem *lib. 1. sum. numero 57. §. & qualiter*, vbi multos casus ponit redactos in versus, in quibus electio est ipso iure nulla; qui omnes reducuntur ad tria capita; vel. n. est ex parte formæ, vel ex parte electi, vel ex parte eligentis, & de his omnibus satis dictum est, vt puto.

Noto nonò ex Hostien. *lib. 1. sum. de elec. §. quo tempore, num. 19.* Tab. *electio 1. num. 7.* Rosella *num. 6.* Angelo *num. 9.* Pisanella, *§. infra quod tempus*, Sylu. *quæst. 6. num. 7.* Antonino *3. parte, tit. 59. cap. 2. §. 1.* quod electiones Ecclesiæ Cathedralis, vel regularis debent fieri intra tres menses, computandos à die vacationis, aliter deuoluuntur ad superiorem proximum: qui si intra præfatum terminum non elegerit, deuoluuntur ad alium, & sic vsque ad Papam, Habetur *in cap. ne pro defectu, de elec.* Vndè mortuo Prælato habent electores tempus trium mensium ad nouum eligendum. Electione autem facta, tenentur electores eam præsentare electo, & petere consensum eius intra octo dies, computandos à die electionis, postquam commodè poterunt: alioquin sunt suspensi per tres annos ab omnibus beneficiis ipsius Ecclesiæ, *cap. Cupientes, §. Cæterùm, de elect. in 6.* in aliis verò Ecclesiis debet prouideri intra sex menses, *in cap. nulla, de concess. preb.* Vndè patet, quod minus tempus conceditur ad prouidendum Cathedrali, quàm Parochiali; & sic etiam minus conceditur ad prouidendum de Prælato Religioni vniuersæ, seù alicui Prouinciæ, quàm vni Conuentui; Largius enim tempus conceditur, vbi minus periculum in vacatione versatur, vt notat Cucchus *lib. 1. instit. iur. Canon. tit. 7. de elec. pag. mihi 55.* Electus verò tenetur consentire intra mensem computandum à die Præsentationis, aliter est priuatus iure electionis: nisi fortè talis sit, qui consentire non possit absque licentia sui superioris; Quo casu tenentur

nentur electus, vel electores petere licentiam cum ea celeritate, quam superioris absentia, vel præsentia patitur, & si non habeatur, ex tunc ad electionem aliam procedant, *cap. quam sit, & cap. si Religiosus de election. in 6.* Denique post consensum præstitum intra tres menses à die præstiti consensus, tenetur electus petere confirmationem, aliter irrita est electio, *d. cap. Quam sit*, nisi confirmatio sit petenda à Papa, quia tunc tenetur intra mensem post consensum, electioni præstitum: vel si non fuerit ei electio præsentata intra mensem à notitia, arripere iter versus curiam, & confirmationem petere, *cap. Cupientes, de elect. in 6.* in Ordine nostro Minim. omnes electiones, siue Generalis, siue Prouincialis siue Correctoris, siue causa mortis, vel priuationis, vel renuntiationis, vel assumptionis ad altiorem gradum, debent fieri intra tres menses à die vacationis, alioquin electio deuoluitur ad superiorem. Ita statutum est *in Capitulo Generali Romæ 6. num. 14. dub. 2.* in quo statuto condendo videntur Patres attendisse ad id, quod dicitur *cap. inter vniuersas, de elect. & cap. Quam sit, & c. Cupientes, eodem tit. in 6.* vbi habetur, quod mora longior est in electionibus valdè suspecta: immò sæpè damnosa, & periculosa. Nam alioquin non arctantur Regulares his regulis iuris, nec tempus in electionibus à iure præfixum illis currit, per priuilegium Clem. IV. relatum à Mirandarom *2. Manual. quæst. 13. art. 10.* & habetur *in nostro Marimagno in princip.* Cui priuilegio an, seu qua ratione potuerit dictum capitulum generale renuntiare, dicam alibi.

§. I.

Quisnam sit in Prælatum Religiosorum Eligendus.

Dicendum est, eligendum ad aliquam dignitatem, seu Prælaturam Ecclesiasticam, debere esse aliis sanctiorem, & doctiorem. Ita communiter omnes doctores D. Thom. *2. 2. q. 185. art. 3. corpore*, Hostiensis, *lib. 1. summ. §. Quis eligendus, num.* 10. Rosella *electio 1. num. 34.* Tab. *num. 13.* Sylu. *quæst. 16. num. 18.* Pisanella *§. quis potest eligi*, Angelus *num. 20.* Antoninus *3. parte, tit. 19. cap. 2 §. 5.* Graff. *in append. ad suas decisiones, lib. 4. cap. 2. num. 19.*

Probatur primò, *ex cap. Vilissimus 1. q. 1. & c. licèt ergo, 8. q. 1.* & Glossa *cap. finali de ætate, & qualitate præficiend.* vbi expressè habetur nostra conclusio, & *ex cap. Vnum distinct. 25.* vbi dicitur. *Quòd eligendus ad Ecclesiasticam dignitatem, talis debet esse, vt illius comparatione cæteri grex dicantur.*

Secundò. Probatur ratione. Quia cum à capite pendeant omnes resolutiones, & deliberationes, is debet necessario caput constitui, qui possit resoluere, & deliberare iuridicè, & rationabiliter.

Tertiò, Quia id etiam dictat natura ipsa; Apes enim, Grues, & cætera animalia, quæ sibi constituendi regem, seu Coriphæum habent instinctum, semper eligunt, qui cæteris præstat magnitudine corporis, pulchritudine formæ, & virium fortitudine.

Ad sciendum autem, quisnam sit iudicandus Doctior, & Sanctior, noto tria. Primo, quod omnia, quæ requirit Paulus *prima ad Timoth. 3. in episcopo*, dicens: *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, ornatum, prudentem, pudicum, hospitalem, Doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum, non litigiosum, non cupidum, sed suæ Domui bene præpositum*, requiruntur etiam in quolibet eligendo ad Ecclesiastica beneficia. Ita Io. Andreas *cap. cum in cunctis, de elect. num. 7.* Nauarrus *Miscellaneo 33. de oratione*, Gratianus *cap. vnum, d. 25. 6. Nunc autem* vbi *d. loco Pauli*, probat qualem oporteat esse eligendum ad Ecclesiasticam dignitatem, & patet *ex cap. cum in cunctis, de elect.* vbi dicitur. *In cunctis sacris ordinibus, & Ecclesiasticis ministeriis sunt ætatis maturitas, grauitas morum, & literarum scientia inquirenda.* Idque habetur etiam in Trident. *sess. 24. de reform. cap. 1.* Vnde elector illum iudicabit dignum, qui habebit ætatem legitimam, qui vir erit æstimatus probus, qui nullo vitio ex iis, quæ numerat Paulus, erit notatus, qui omnibus virtutibus, quas in Episcopo requirit, erit præditus, qui scientia fulgebit. Illum autem iudicabit digniorem, qui omnes scientia, & sanctitate præcellet. Prudentet tamen semper est procedendum. Nam licet eligendus in Correctorem, seu Priorem alicuius Conuentus, verbi gratia non habeat sanctitatem, & scientiam, quam habet Prouincialis, & Prouincialis non habeat eam, quam habeat Generalis in eu eminenti gradu, sed in inferiori; intra tamen eandem speciem, non per hoc erit iudicandus indignus, cum in minoribus officiis, minor sanctitas, & literatura requiratur; quaru in maioribus; vt colligitur ex Nauarro *loco cit.* & dicam *§. seq. quæstio 6.*

Noto Secundò, quod ad hoc vt elector indicare debeat, aliquem esse dignum, & eligibilem ad dignitatem Ecclesiasticam, satis est, quod habeat certitudinem moralem, & humanam, qua iudicet, talem esse virum probum. Ita Caiet. *2. 2. q. 63. art. 2.* vbi Aragon. *col. 4. pag. 221.* Ledesma *parte secunda summ. tract. 7. cap. 2. conclus. 4. dub. 3. pag. mihi 233.* Et ratio est, quia maiorem certitudinem habere non potest. Vnde sequitur, quod elector, dum non cognoscit aliquem indignum, debet eum, adhibitis debitis diligentiis, dignum reputare, vt dicitur *cap. Ex parte tua, de scrutinio.*

Noto tertiò ex D. Thom. *2. 2. q. 63. art. 2. & q. 185. art. 3.* vbi Caiet. *& quodlib. 8. art. 6. & quodlib. 6. art. 9.* Vasquez *opusc. de benef. cap. 2. §. 3. dub. 1. num. 49.* Ledesma *parte secunda summ tract. 7 cap. 2. conclus. 8. dub. 9. pag. mihi 160.* Reginaldus *lib. 30. tract. 3. num. 399.* Rodriquez *in sum. tom. 1. cap. 106. num. 2.* Azor. *tom. 2. lib. 6. c. 15. quæst. 1. versu verum quis dignior, & q. 3. & 4.* Mir. *tom. 2. Manual. quæst. 23. art. 33. conclus. 3.* Sotus *lib. 3. de iustit. quæst. 6. art. 2. conclus. 9. Limitat. 2.* Quod ille, qui debet aliquem eligere, non tenetur assumere, vt loquitur D. Thom. meliorem simpliciter, quod est secundum charitatem, sed meliorem quò ad regimen Ecclesiæ, qui scilicet possit Ecclesiam, & instruere, & defendere, & pacificè gubernare. Itaque sanctior, & doctior est ille, qui est aptior ad talem regimen, licèt comparatione alterius non tamen apti, sit minus sanctus, & minus doctus. Vnde ait Sotus, *quòd licèt occurrat vir litteris clarissimus, & prudentia conspicuus; vecors tamen, vel aliis implicitus negotiis, de quo non est tanta spes, quòd prædicabit, aut gubernabit secundum suas dotes; vel fortè non publicis negotiis aptus, huiusmodi est ille præferendus, qui licèt huiusmodi dotibus non sit tam potens, speratur tamen eum sollicitius diligentiam adhibiturum ad suum exequendum munus.*

Sed heù heù, tanta est dominandi cupiditas, & tanta fames, vt ait Suetonius his versibus.

O stultas hominum mentes, o pectora vana,
Regum infausta fames, quæ non mortalia cogis
Pectora?

Quod non sanctiores, neque doctiores, neque aptiores eliguntur, Sed ea est horum temporum ratio, vt qui plus apibus valent, plus excellant gratia, & quod virtute efficii debet, id solet tentari pecunia, fauore, & aliis illicitis viis, contra quem deprauatum morem optimè Hieronymus super illud *epistola ad Titum, cap. 1. Et constituas per Ciuitates presbyteros*, ait *Quidam non quærunt eos in Ecclesia columnas erigere, quos plus cognoscunt Ecclesiæ prodesse, sed quos plus ipsi amant, vel quorum sunt obsequiis deliniti, vel dediti, vel pro quibus maiorum quispiam rogauerit. Et, vt deteriora taceam, qui ve Clerici fierent, muneribus impetrauerunt.* Hæc Hieronymus, Ad quæ pauca hæc addo. Non ad merita, non ad virtutes, non ad ea, quæ deberent, electores respiciunt, sed ad suas passiones, vnusquisqua trahitur à concupiscentia

scientia sua, & ad illud, quod sibi, non Ecclesiæ fore optimum, & vtile putat, respicit; Ad amicitiam, ad consanguinitatem. Idque præcipuè intendunt huius temporis electores, vt eligendus ab ipsis eligatur, ex illorum manibus egrediatur, ipsis electionem debeat: parum attendentes, sit ne aptior, vel etiam idoneus, ne ne; vt subditi, & superiores sint, vt omnia suo nutu regantur, & gubernentur, vt electus nomen, ipsi facta Prælationis habeant: vt ad illorum votum sublimentur alij, alij deprimantur: vt ipsi tanquàm Domini semper habeantur. Quibus tamen, sic permittente Deo, solet sæpè accidere, quod Israëlitis, *Exodi* 32. Qui maxima diligentia, & sumptu fabricatum aureum vitulum tanquam Ducem sibi præfecerunt, tanquam Deum adorauerunt, quem deinde, sic ductore exercitus Moyse imperitante, in puluerem redactum potauerunt; sed cum maxima fabricatorum iactura; pulueres, o. illorum labiis adhæserunt, & omnes aurata labia habentes occisi sunt. Sic contingit quandoque plurimis, qui maxima diligentia, & cura curant eligi aliquem in Prælatum, spe, quod illis multum fauebit, quod bene tractabit, quod erunt Domini, & Prælati ipsi; Contingit, inquam, quod iste sic electus suos electores acrè persequitur, & vexat, nec dimittit, donec in puluerem eos redegerit, annichilauerit, funditus destruxerit. Quod in Religionibus sæpè videmus, permittente Deo, in peccatorum nostrorum vindictam, vt ab illis torqueamur, quos immeritò promoueri satagimus, quod etiam dixit Sapiens Prou. 26. *Sicut qui mittit lapidem in aceruum Mercurij: Ita qui dat insipienti honorem*, vbi legunt 70. *Sicut mittit lapidem in fundam*, mittit ineautus pusio lapidem in fundam, eamque in gyrum tet, aut quater ductam in altum deiicit, dumque magni aliquid se fecisse autumat, dilabitur lapis super caput eius, illudque rumpit, & frangit; Sic euenit istis. Nec habent quod conquerantur; Id tantùm possunt dicere, quod Ouidius.

Heu patior telis vulnera facta meis.

Vnde optimum est consilium Pythagoræ *A fabis abstineto*, idest ad meum propositum. Caue ne tuo suffragio (quod fabis ferri solitum apud Athenienses testatur Lucianus *apud Claudium Minos ad emblemata Alciati de Simbolis*) aliquis, qui non est dignus exaltetur, & ad aliquam dignitatem assumatur; nam planges ea, quæ tibi flores fabarum plangenda, prænuntiant; Aiunt enim Characteres illos, qui in floribus fabarum apparent, planctus, & doloris esse significatiuos.

§. II.

An possit aliquando eligi Indignus.

Dicendum est, semper peccare mortaliter qui eligit indignum D. Thom. *quodlib. 6. art. 9.* Sotus *lib. 3. de iust. quæst 6. art. 2. conclus.* 7. Salon. *2. 2. quæst. 63. art. 2. contron* 2. Ledesma *secunda part. summ. tract. 7. cap. 2. conclus. 5. pag. mihi* 236. Rodriq. *in sum. tom. 1. cap. 106. conclus. 10. n.* 12. Reginaldus *in praxi, lib. 30. tract. 3. num.* 195.

Probatur primò, Tum quia elector peccat contra iustitiam distributiuam, qua tenetur bene meritis distribuere gradus, & honores; Tum quia peccat contra Commutatiuam, cum non prouideat bono communi, sicut tenetur ex officio.

Secundò probatur *ex cap. Graue nimis, de præbendis*, vbi dicitur. *Graue nimis est, & absurdum, quod quidam Ecclesiarum Prelati, cum possint viros idoneos ad Ecclesiastica beneficia promouere, assumere non verentur indignos, quibus nec morum honestas, nec literarum scientia suffragatur, carnalitatem sequentes affectum, non iudicium rationis; Vnde quanta Ecclesiis damna proueniant, nemo sanæ mentis ignorat.*

Tertiò, ex Trid. *sess. 24. de form. cap.* 1. Probatur *Vbi monet sancta Synodus, & hortatur omnes, quibus ius eligendi quocumque modo competit, vt in primis meminerint, nihil se ad Dei Gloriam, & populorum Salutem vtilius posse facere, quàm si bono Pastores, & Ecclesiæ gubernandæ idoneos promoueri studeant; eosque alienis peccatis communicantes, mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis vtiles ipsi iudicauerint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curauerint.*

Ex quo loco colligitur, vt bene aduertit à Sorbo *in compend. priuileg. verbo Electio, versu, Sed debent*, & Rodriq. *tom. 2. quæst. regul. quæst. 52. art. 5. versu aduertant etiam electores.* Quod licèt qui indignum eligit, ex quo multæ malæ gubernationes oriuntur, & multa peccata, vnum tantùm committat mortale peccatum, eligendo, vt aduertit in specie Nauarr. *in sum. cap. 11. n. 4. fine*, Naldus *in sum. verbo eligere, num.* 14. Graff. *in append. ad suas decis. lib. 4. cap. 2. num.* 21. Participatiuum tamen se sciat pœnam peccatorum, ab eo sic indigno electo in prælatura, & dignitate illa commissorum, à qua participatione, liberet me Dominus, clamat Rodriq. *loc. cit.*

Quæres Primò, An possit quis iustè suum suffragium negare alicui, quem per solam sacramentalem confessionem nouit indignum, cui aliàs deberet suffragari.

Respondeo, quod sic: Ita Nauarrus *in cap. Humanæ aures, quæst. 1. num. 5. & dist. 6. de pœnit. cap. penult. Sacerdos, num.* 147. Reginaldus *in praxi, lib. 3. de sigillo sacramenti pœnitentiæ, num.* 33. Sanchez *lib. 3. de matrim. disp.* 16. *num.* 6 qui multos alios citat Suarez *tom. 4. in tertiam partem, disp 33. sect. 7. num* 12. qui ait, id non procedere, quando electio fuerit publica, & persona talis, quæ communiter existimatur digna, cui elector suum suffragium deferre debeat; quia tum potest generari suspicio alicuius criminis cogniti per confessionem, quod propter reuerentiam Sacramenti planè vitandum est. Ratio est quia, saluo secreto sacramentali, potest indemnitati animæ fratris velle consulere.

Quæres secundò, An teneatur tale suffragium indigno per solam confessionem Sacramentalem cognito denegare. Respondeo, non teneri. Ita D. Thom. *in 4. dist. 21. quæst. 3. art. 1. quæstiuncula 1. ad 3.* Sanchez *lib. 3. de matrimonio, disp. 16. num.* 6. quis alios citat. Rodriquez *tom. 2. quæst. regul. quæst. 53. art. 4.* Suarez. *loco cit.* Ratio est, quia non tenetur quis mederi saluti, & animæ proximi (vt habet D. Thom. *loco cit.*) Nisi eo modo, quo scit, eam periclitari; ergo qui scit in foro conscientiæ, aliquem esse dignum, in eodem foro tantummodo debet remedium illi adhibere, admonendo, vt à tali electione abstineat: ergo non tenetur ad illi denegandum suffragium extra illud forum, in quo sciuit eum esse indignum. Multis id probat Rodriquez, & Sanchez, *loc. cit.*

Quæres tertiò, An sic indignum eligens, quem talem per solam confessionem nouit, vel publicè, vel secretò eligat, incurrat pœnas statutas, *c. cum in cunctis, §. fin de elect.*

Respondeo cum Suar. Reginal. Sanch. *loc. cit.* non incurrere, quicquid dicat Nauarr. *dist. 6. de pœnit. cap. Sacerdos, num.* 148. Quia leges, quæ similes pœnas imponunt, semper intelliguntur secundum scientiam communem, & cognitionem humanam. Deinde cum nullam committat culpam, vt dixi, quia propter Reuerentiam sacramenti potest nolle vti illa scientia, & ita se gerere, ac si nihil nouisset, non est cur eum subiectum alicui pœnæ dicamus.

Quæres quartò, Decem sunt in vno Capitulo, nouem concurrunt de facto ad eligendum indignum, possum-ne ego, qui sum vltimus & certè scio, nihil posse proficere per denegationem suffragij, me cum aliis conformare

Respondeo,

Respondeo, nullo modo posse, Sotus *lib. 3. de iust. quæst. 6. art. 2. sub conclus. 9. dub. altero*, Vasquez *opusc. de benefic. cap. 2. §. 3. dub. 3.* Vega *prima parte summ. capite 97. casu decimo*, Bannes 2. 2. *quæst.* 63. *art.* 2. *dub.* 3. §. *Sed contra, ad primum.* Ratio est; tum quia ille ab aliis est inique intrusus, cui iniquitati nullo colore fauendum est. Tum quia eligere indignum est intrinsecè malum, quod nulla ratione fieri potest licitum.

Sed contra hanc responsionem multa possunt obiici, Primò. Quia ego certè scio, si non concurro cum cæteris ad talem eligendum, quod ipse deinde electus me persequetur, & malè tractabit; ergo à tali me malo redimendo; potero ad illius electionem concurrere: cum præsertim meo voto nihil sim profecturus.

Confirmatur, quia simonia est intrinsecè mala; tamen D. Thom. 2. 2. *quæst.* 100. *artic.* 2. *ad quintum*, dicit *quòd antequàm alicui acquiratur ius in Episcopatu, vel quacumque alia dignitate, simoniacum esset aduersarij obstacula pecunia redimere, sic enim per pecuniam pararet sibi viam ad rem spiritualem obtinendam, sed postquam alicui ius acquisitum est, licet per pecuniam iniusta impedimenta remouere*; ergo similiter licet non liceat concurrere ad electionem indigni, antequàm ipse ius ad electionem acquisierit, postquam tamen illi ius tale acquisitum est, licebit concurrere, & meo suffragio iniustam persecutionem redimere.

Secundò. Video multos timoratos Dei concurrere cum illo, quem ego existimo omnino indignum; quare non possum meam existimationem deponere, & illorum votis me conformare?

Tertiò, multi iudicantur mali, qui tamen in Prælaturis deinde se bene gerunt; Cum honores (vt dicitur) mutent mores, & quos putamus esse desperatos, ac perditos, inuenimus aliquando meliores iis, quos iudicabamus inculpatos, & innocentes, *Vi dominationis impulsos*, Vt aiebat Tacitus; & vno verbo, *Non semper de primis ferunt vltimo iudicium*; Ergo possum electioni indigni, iam ab aliis electi me conformare.

Ad primum Respondeo, multos pusillanimes his, & similibus friuolis rationibus allucinari, hisque se blandimentis demulcere, sibi persuadentes licere concurrere ad electionem indigni propter timorem alicuius iniustæ persecutionis; certum malum perpetrantes pro incerto labore. Trepidantes à timore, vbi timor non est. Et quis quæso, timor potest esse in electionibus, quæ fiunt in Religionibus, vbi ad hunc timorem expellendum, tot remedia adinuenta sunt; Secretudo enim illa, quam requirit Concilium, ad nihil aliud fuit inducta, nisi ad pusillanimitatem fouendam. Deinde quis timor potest esse in Religionibus; vbi tot superiores reperiuntur, quorum si vnus aggrauat, alter subleuat, si vnus percutit, sanat alter: vbi tot recursus; vbi Superiores aliorum superiorum visitationi subiacent, & censuræ, æstimant quidam Religiosi quamplurimis commoditatibus assueti, illarum vna priuari, maximam persecutionem; & ideò cuicumque proposito ad Prælaturam suffragantur, ne talibus commoditatibus priuentur; parum, seù potiùs nihil considerantes, sit ne dignus, nec ne; sit aiunt, vt vt sit, sit amicus meus, mea non curet, me meis sinat commoditatibus perfrui, & currant res quomodo currunt; se ipsos decipientes; suam Religionem defraudantes; & bonum commune, ad quod omninò respicere tenentur, euertentes, & destruentes. Deinde dico, quod quamvis aliquid iniustè passuri essent; non deberent tamen indigno suffragari; nam bonum particulare communi est postponendum. Neque valet, quod bono communi prospicere non possunt, vt supponimus in casu proposito. Nam tenentur prospicere quantum in ipsis est, vnusquisque pro parte sua. Et si alij non prospiciant, ipsi viderint. Dicant mihi quæso, isti, si destruant aliquid Religionem, vel Monasterium de facto, absque eo quod ego possim id reparare, licebit-ne mihi illos ad destruendum adiuuare? vel si aliqui occidant alium, à qua occasione ego illum defendere non possum, licebit ne mihi, ex huc eum pugiona ferire? Nequaquam certè, prout ex his, quæ docet Nauarrus *in summ. cap.* 17. *num.* 20. clarè constat. Dicamus ergo, *Quòd malè se res habent; cum in Republica non est, qui pro bono communi mortem subire paratus sit.* Vt dicit Pius II. *in quadam epistola.*

Ad confirmationem respondeo, disparem esse casum, nam donatio illa pecuniæ in eo casu mala non est; non, n. est ad acquirendum aliquid spirituale, sed ad redimendam, seù propulsandam aliquam iniuriam iniustè passam, quod est omninò extrinsecum ad dignitatem: sed in casu nostro suffragari indigno est concurrere ad actionem intrinsecè malam, suffragium enim huius, sicut cætera concurrit ad indignum eligendum, & est ad propulsandam iniuriam, quæ timetur, non quam de facto patiatur, neque quidquam valet, quod suo suffragio nihil se profecturum sciat, nam quæ sunt intrinsecè mala, nullo casu fieri permittuntur.

Ad secundum respondeo. Si elector est dubius de indignitate personæ eligendæ, potest secum timoratis Dei conformare, at si est omninò certus de indignitate, nequaquàm, debet enim iudicare, illos non habere eam certitudinem de indignitate eligendi, quam ipse, sed potiùs in contrariam.

Ad tertium, Respondeo, hoc esse valdè peregrinum: *Nam qui non est hodie, cras minùs aptus erit, Et Rumor de veteri facit ventura timeri; Cras poterunt fieri turpia sicut herè*: Vnde Hier. ad Rusticum Monachum, *Non est facilè de prouecta ætate suspicandum, quin & vita præterita defendit, & honorat vocabulum dignitatis*, ergo quorum vita præterita fuit flagitiosa, nihil boni potest sperari: præsertim assecuta dignitate, cum dignitates reddant homines communiter audaces, & insolentes. Ad quod faciunt *caput Scribam, cap. cum in iuuentute, & cap. Mandata, de præsumptionibus*: vbi dicitur. *Quòd ex transacta vita discitur, quid de subsequenti conuersatione sit præsumendum* Facit hic etiam illud Taciti. *Nemo vnquàm Imperium flagitio* (vt quærunt ordinariè indigni) *quæsitum bonis artibus exercuit.* Addo, quòd etiamsi speratur, quod indignus futurus esset frugi, si ad dignitatem assumeretur, adhuc mortaliter peccaret, qui illi suffragaretur, vt habet Couarrun. *in regula Peccatum, parte secunda de restit.* §. 7. & Graff. *lib.* 4. *append cap.* 2. *n* 21. quia bona communitatis exponeret maximo periculo, & faceret contra legem naturalem, diuinam, & humanam.

Itaque tenetur quis facere quantum potest in publico, & in secreto, ne indignus eligatur quod expressè mandauit S. Benedictus *in sua Regula. cap.* 64. & refertur, *cap. in Ordinatione, dist.* 61. His verbis. *Quòd si etiam omnis congregatio vitiis suis (quod absit) consentientem personam, pari consilio elegerit, & vitia ipsa aliquatenus in notitia Episcopi, ad cuius Diœcesim pertinet ipse locus, vel Abbatibus, aut vicinis Christianis claruerint. Prohibeant prauorum preualere consensum, & domus Dei dignum constituant dispensatorem: Scientes per hec se recepturos mercedem bonam, si illud castè, & Zelo Dei faciant; sicut è conuerso peccatum si negligant; & taceant*, licèt non consentiant, vt Panor. *capite* 1. *de his, quæ fiunt à maiori parte Capituli*, notat. *Error enim, cui non resistitur, approbatur*, vt dicitur *cap. Error, dist.* 83. *Et consentire videtur erranti, qui ad resecanda, quæ corrigi debent, non occurrit*, vt dicitur *cap. Consentire, dist eadem.*

Sed quid si nouem electores sunt determinati eligere dignum, digniori relicto, possum-ne ego pro bono pacis cum iis me conformare? Caiet. *in sum. verbo Electio fine?* Vege 1. *par sum cap.* 97. *casu* 1. Ban. 2. 2. *quæst.* 63. *art.* 2. *dub.* 3. *conclus.* 3. affirmant. Negat autem Ledesma

secunda

secunda part. sum. tract.7.c.2.dub.2. pag. mihi 243. quia semper ratione distributiuæ Iustitiæ, tenemur eligere meliorem. Sed verè tamē faciendum est bonum pacis, & tranquillitatis præsertim iis, qui communiter viuunt, vt pro illo assequendo, & fruendo possit minus dignus, dignus tamen eligi.

Quæres quintò. An si indignus promoueatur ad regimen animarum, peccet mortaliter, si sciens se indignum, dignitatem acceperit.

Respondeo mortaliter peccat. Ita Graffius *lib. 4. append. c.2.n.24.* & habet instam causam renunciandi, *cap. Nisi cum pridem*, §. *Pro defectu, de renunt.* Immò & renunciare tenetur. Ledesma *parte secunda, tract.7.cap.2. conclus.5. dub.2. dico lo 2. pag.mihi* 238. Quia non potest perficere ea, ad quæ ex iustitia tenetur: vel debet sibi prouidere de idoneo coadiutore. Quod si non renuntiat, nec prouidet sibi de idoneo coadiutore, potest inuitus amoueri. Habetur *c.fin. de ætate, & qualitate præficiendorum.* Hæc intellige de indignitate ratione scientiæ; nam de aliis indignitatibus, vel natiuitatis, vel ætatis, vel morum, potest, vel dispensationem petere, qua obtenta, poterit securè in officio permanere, vel mores corrigere, vt Fclin. *in cap dilecte, de except. n.4. vers.6. inducto*, quod si corrigere non potest propter inueteratam consuetudinem, vel non vult propter malitiam, renuntiare tenetur: ne petra sit scandali sibi subdito gregi.

Quæres sextò. Quænam illiteratura sit sufficiens ad reddendum quempiam indignum Prælatura.

Respondeo. Ille est indignus vt assumatur ad dignitatem Ecclesiasticam, qui non habet literaturam sufficientem illi dignitati, ad quam est assumendus, pro locorum, temporum, & personarum, quibus debet præesse, varietate. Quæ literatura debet esse maior, vel minor, prout dignitas, ad quam petit promoueri, est maior, vel minor. Vnde Generalis debet habere maiorem literaturam, quàm Prouincialis, hic quàm Correctot, seu Prior. Quia Generalis cum sit totius Religionis Caput, debet posse alios docere, instruere, dubia resoluere, &c. Prouincialis debet etiam posse docere suos subditos, instruere, & scire debet ea, quæ ad illius spectant officium. Corrector, cum vnius domus solùm curam gerat, non est necesse, vt sit tàm literatus, prudens sit, sit discretus, sit charitatiuus, sit hospitalis, & aliqualem literarum cognitionem calleat, & sufficit. Quare Generalis debet esse Theologus in eminenti gradu. Prouincialis in inferiori; intra tamen eandem specialem. Corrector sufficit, quod Grammaticam, & casuum conscientiæ aliqualem doctrinam calleat. Ita colligitur ex Innoc. *cap. Cum in cunctis, de elect. n.2.* Abbate *ibi.num.* 4 qui expressè declarat, quæ scientia requiratur in quolibet officio, Nauarro *miscellaneo* 40. *de orat. num.* 8. Bannes 2.2. *q.63.art. 2. dub.1. conditione secunda, versu aduerto tamen.* Si quis autem iam sit assumptus in Generalem, vel Prouincialem, qui grammaticam saltem nesciat, est deponendus, *per caput finale, de ætate, & qualitate præficiendorum.* Si autem Correctot sit planè illiteratus, ita vt legere nesciat, est etiam deponendus, *per caput Illiteratus, dist.36.*

Itaque concludendo dico, quod ille est indignus, vt ad dignitatem Ecclesiasticam assumatur, qui non habet conditiones requisitas, *cap. Cum in cunctis, de elect.* quæ sunt ætatis maturitas grauitas morum, literarum scientia, & natiuitas legitima. Et electio facta in persona alicuius patientis aliquem istorum defectuum, est ipso iure nulla, vt dicitur *eodem cap. cum in cunctis, §. finali, &* declarant Panorm. & Nauar. *loc. cit.*

Circa defectum scientiæ notat, quod licèt literarum defectus reddat collationem iniustam; non reddit tamen ipso iure nulla, nisi sit planè illiteratus. Ita vt si Generalis, vel Prouincialis, grammaticam nesciat; & si Correctot nesciat legere. Per defectum grauitatis morum, quisnam reddatur inhabilis, & quis deponendus, dicam, §. *sequenti.* Circa ætatem, & legitimam natiuitatem, hic nihil occurrit, dicam *tom.2.* vbi latè de istis, & aliis conditionibus Prælatorum. Hic sufficit scire Subdito, per quænam quis reddatur indignus, ad hoc, vt eligi non possit.

Quæres septimò. An peccet, qui bona fide eligit indignum, vel minus dignum, digniorem putans.

Respondeo. Si adhibitis debitis diligentiis bona fide elegit, non peccat, quia *qui fecit quantum potuit, legem adimpleuit.* Peccat autem, & mortaliter, si eligit, non adhibitis debitis diligentiis, vt Panor. *In cap. Bona memoria, el 2. de postul. prel.num.*15. Si autem eligit dignum, putans eum esse indignum, peccat mortaliter, quia quantum in ipso est indignum eligit. Ita Tabiena *verbo Electio* 1. *numero* 17.

§. III.

Quisnam dicendus sit indignus Ecclesiastica dignitate propter defectum morum.

Dico primò, Eligens peccatorem occultum, alias cæteris digniorem in Prælatum Religiosorum, de quo non est certum, quod sit perseueraturus in peccato, sed potiùs creditur, quod sit quamprimum surrecturus, mortaliter non peccat; secus autem si sciat, eum habere animum in peccato perseuerandi. Necetiam peccat, qui in tali peccato existens suæ electioni consentit. Hanc conclusionem tenet expressè. Azot. *tom. 2. instit. moral. lib.6 c.14. q.10.* & Bannes 2.2 *q.63.art.2.dub.1. versu, Sed quares.* Et videntur tenere Nauarr. *Miscellaneo 34. de orat. n.4. versu Quartò contingit.* Arragon. 2. 2. *q.63.artic.2.colum. 3. vers. Sed vt quid.* Ledesma *secunda parte summ.tract.7. cap.2. conclus. 2. dub.4.pagina mihi* 234.

Probatur. Tum quia si credit, ipsum non esse permansurum in peccato, potest etiam credere, ipsum iam esse contritum, & in eo ampliùs non permanere. Vnde non debet omittere eum eligere, qui alias est frugi futurus illi Ecclesiæ, ad cuius gubernationem admittitur. Tùm quia nemo dicit requiri tantam puritatem ad acceptandam electionem de se factam, quanta requiritur ad recipiendam Eucharistiam, ad quam requiritur omnimoda puritas; ergo minor omnimoda requiretur secundum communem sensum, ad recipiendam dignitatem.

Si autē sit in peccato perseueraturus mortaliter omninò peccat, qui illum scienter eligit. Quia *qui sibi nequam est, quomodo aliis bonus erit?* Et quam curam habebit Ecclesiæ Dei perditus homo?

Quod autem peccet mortaliter peccator, qui non habet animum dimittendi peccata, suæ electioni consentiens, probatur, quia exponit se periculo peccandi millies mortaliter per administrationem Sacramentorum, quæ omnimodam puritatem requirunt.

Idem dicendum est de eo, qui eligit scienter illum, qui manifesta malitia, & inueterata consuetudine peccator est; quia eum probabiliter iudicetur diù in tali peccato perseueraturus quid frugi poterit aliis esse?

Dico secundò qui eligit peccatorem publicum, & famosum, peccat omninò mortaliter, & qui tali electioni consentit. Ita Nauatrus *loco cit. versu. Tertiò contingit.* Azor. etiam cit. est communis omnium eorum, qui simpliciter tenent, esse peccatum mortale eligere in mortali existentem, quos vide apud Nauarrum *loco cit. num. primo.*

Probatur, quia aliis præbet offensionis causam; cum videant, hunc eligi, alio prætermisso, qui bonus, & idoneus ab aliis censetur.

Vnde quando D.Thomas *quodlib.* 8. *art.6.* & alibi ait, *Quòd oportet eligere ad prælationem, vel Ecclesiasticum officium illum, qui est bonus simpliciter; quia per quodlibet peccatum mortale, aliquis redditur indignus ad quodlibet spirituale*

spirituale exequendum. Potest inteligi primò de existente in peccato mortali notorio, & publico. Vndè idem D. Thom. *lect.* 2. *in ep. ad Titum* explicans illud, *Oportet Episcopum sine crimine esse*, ait, *Non vult dicere Apostolus, quod qui mortaliter peccat post baptismum non possit eligi, sed quod non sit infamus.* Idest, quòd non possit eligi, qui est in peccato, si peccatum est notorium, & famosum, accusationeque dignum. Sic explicat hunc locum D. Thomæ Cornelius à lapide *in ep. ad Titum versu* 6. Vel secundo potest intelligi D. Thom. vt loquatur de eo, qui est in peccato graui, & enormi. Vel de eo, qui in peccato est diù perseueraturus. Sic explicat D. Thom. Bannes *loc. cit.* Quo pacto etiam potest intelligi Caiet. 2.2. *quæst.* 63. *art.* 2. & *quæst.* 185. *art.* 3.

Dico tertiò supposito quòd in aliquo loco non reperiatur qui possit, & sit idoneus ad sacramenta ministranda, nisi peccator notorius, possunt electores illum eligere. Ita Rodriquez *in summ. cap.* 106. *conclus. prima, num.* 3. Ledesma *secunda parte summ. tract.* 7. *cap.* 2. *conclus.* 4. *dub.* 2. *dicto* 2. *pag. mihi* 233. Aragon. 2.2. *quæstion.* 63. *art.* 2. *col.* 4. *versu, Et ad primum argumentum, pag.* 222.

Probatur, quia hoc casu non esset eligere Indignum, sed bono communi consulere. Ad quod electores tenentur, cui nec aliter, nec alio modo, vt suppono, consulere possunt, quam istum peccatorem eligendo. Neque dicendi sunt electores mortaliter peccasse, eò quia iste sic electus sacramenta ministrabit in mortali, & sic mortaliter peccabit; Tùm quia ipsi eum elegerunt, tanquam minus malum permittentes ad maius præcauendum; Tum quia ipsi dederunt ei administrationem, qui in ipse potest bene, & cum merito facere: sin autem aliter facit, sibi debet imputare, non aliis qui necessitate coacti id fecerunt; sicut qui petit mutuum ab vsurario: vel ministrari sacramenta à proprio Parocho; quem scit esse in mortali.

Sed quæres quid faciendum in aliquo Capitulo vel locali, vel definitorio, vbi agitur de aliquo eligendo in Prælatum, quem ego scio fore perniciosum communitati, quia malæ vitæ, malæ conscientiæ est; occultum est tamen, illum esse tam malum.

Respondeo si eligendus est futurus perniciosus communitati, nec possum alia via eius electionem impedire, & bono communitatis consulere, teneor eius delicta reuelare; nam bono communitatis consulere teneor strictiori iure naturali, quàm secretum seruare: Sin verò non est futurus perniciosus communitati, sed vni, vel aliquibus particularibus, tùm secretum seruare teneor; quia illius obseruatio est de iure naturali, quod propter bonum aliquod particulare non est omittendum. Hoc tamen casu, qui difficilis admodum est, vt cautè procedatur, debent deponi passiones, & solo bono communi prospecto. Ita sentit Rodriquez *tom.* 2. *quæst. regul. quæst.* 53. *art.* 3. Colligitur ex Nauarro *in Manual. in capite* 18. *numero* 56. Expressè Molina *tract.* 4. *de iust. tom.* 5. *disp.* 24. *num.* 6. & 7. Castelinus *cap.* 3. *de elect. num.* 84.

Dico quartò, si crimen irregularitatem inducit, vel aliam specialem inhabilitatem, siue occultum sit, siue publicum, mortaliter peccat, tàm qui eligit, quàm qui electioni consentit, & electio est ipso iure nulla. Ita Panorm. *in cap. Innotuit, de elect. n.* 6. Tab. *verbo Electio* 1. *num.* 17 Nauar. *miscellaneo* 34. *de orat. n.* 4. Felinus *cap. dilecte, de except. n.* 5. Capata *p.* 2. *de iust. c.* 4. *n.* 2. qui non est contrarius doctrinæ hic traditæ, vt patet *ex num.* 23. & 25.

Probatur *ex cap. cum in cunctis, de elect.* & *cap. Si celebrat, de Clerico excommunicato ministrante.*

§. IV.

Vtrum liceat eligere dignum, dimisso digniori.

Dicendum, est peccare omninò mortaliter qui omisso digniori eligit dignum ad Ecclesiasticas dignitates. Ità D. Thom. 2.2. *q.* 63. *art.* 2. *corpore*, & *ad tertium*, & *quodlib.* 6. *art.* 9. & *quodlib.* 8. *art.* 6. Sotus *lib.* 4. *de iust. q.* 6. *art.* 2. *concl.* 9. Vasquez *opusc. de benef. cap.* 2. §. 3. *dub.* 1. Aragon. 2.2. *q.* 63. *art.* 2. *col.* 6. *versu his constitutis*, vbi Salon. *controu.* 2. *conclus.* 1. Couarruuias *in regula peccatum, parte secunda de restit.* §. 7. Valent. *tom.* 3. *disp.* 5. *q.* 7. *puncto secundo, versu secundo quæritur.* Ledesma *parte secunda sum. tract.* 7. *cap.* 2. *conclus.* 7. *pag. mihi* 240 Vega *parte secunda sum. cap.* 97. *casu* 2. Nauar. *miscell.* 38. *de orat.* Bannes 2.2. *q.* 63. *art.* 2. *dub.* 3. Azor. *tom.* 2. *lib.* 6. *c.* 15. *q.* 1. Rodriquez *tom.* 1 *sum. c.* 106. *conclus.* 3. *n.* 5. & alij communiter, contra quosdam, quos referunt Couarruuias, Bannes, Azot, Salon, & alij. Capata 2. *p. de Iust. cap.* 6.

Probatur primò, quia qui eligit dignum, relicto digniori, facit contra vtramque iustitiam; commutatiuam quidem, quia elector ex officio tenetur consulere illi Collegio, vel Communitati, à qua ius eligendi accepit; quando enim talis potestas datur, in hunc finem datur, vt conseruationi, & augmento communitatis consulatur: & vt bonum illius omnibus licitis viis quæratur, & vt elector sit velut illius tutor; qui tamen tutor nulli dubium est, quin teneatur bonum pupillorum quærere; sed qui, digniori omisso, dignum tantùm eligit, non facit quod debet, non quærit bonum Communitatis, ergo mortaliter peccat. Secundò facit contra iustitiam distributiuam, quæ præcipit, vt gradus, & honores tribuantur; attenta ratione meritorum.

Secundò, Probatur ex Trid. *sess.* 24. *de reform. cap.* 1. & 18. Quibus capitibus præcipitur, quòd dignioribus, & magis idoneis dignitates conferantur sub pœna peccati mortalis.

Tertiò. Probatur *ex concilio Basiliensi, sess.* 12. *decreto de electione Episcoporum, & Prælatorum*, vbi ab electoribus, de eligendo meliori, iuramentum exigi debere mandatur. Quod nobis Minimis expressè fuit iussum in illis constit. quas Sanctissimus Pastor Clemens Papa VIII. iussit publicandas, & acceptandas *in Capitulo Genuensi* 6. de quibus supra sæpè. In quarum fine dicitur, *Iurent electores secundum veritatem conscientiæ propriæ meliores, ac magis idoneos eligere*: Aliis multis, tùm rationibus, tùm auctoritatibus scripturæ, & Patrum hanc conclusionem probat Bannes, Salon, Aragon.

Limitatur tamen primo prædicta conclusio, quòd intelligatur in foro conscientiæ; nàm in foro exteriori sufficit, quòd sit facta in persona digni, vt impugnari non possit. Ita D. Thom. 2.2. *q.* 63. *art.* 2. *ad* 3. quem sequuntur omnes. Nam aliter, vnaquæque electio calumniam pateretur.

Secundò. Quòd licet peccatum sit mortale non eligere meliorem, tamen ex leuitate materiæ potest fieri veniale. Ita Salon. 2.2. *quæst.* 63. *art.* 2. *controuersia* 3. *versu his positis.* Sotus *loco cit. limit. prima*, vt verbi gratia, si sit exiguus excessus inter personas eligendas; vel inter dignitates, ad quas sunt eligendi: vel quando munus, ad quod quis est eligendus est parui momenti. Et Ratio est, quia peccatum iniustitiæ mortale, ex leuitate materiæ fit veniale in omnium sententia: Et hoc etiamsi electores iurassent de eligendo meliori simpliciter, vt Ledesma *loco cit. dub.* 5. quia etiam iuramentum promissorum in materia leui non obligat sub mortali, vt tenent multi Doctores, quos refert, & sequitur Ledesm. *secunda parte summ. tract.* 11. *cap.* 3. *conclus.* 5. *dub.* 1. *pag. mihi* 875.

Tertiò. Limitatur conclusio; quòd quando dicitur

quòd

quòd in foro conſcientiæ oportet eligere meliorem intelligitur de poſſibilibus haberi, & qui in promptu ſunt, non enim tenetur elector requirere per orbem digniores; His enim, de quibus conſtat, quòd haberi non poſſunt, extra latitudinem eligibilium computandi ſunt. Ita Caiet. 2. 2. q. 63. art. 2. verſu Nota 4.

Quartò, quòd ſi neceſſitas id exigat, vt eligatur dignus, dimiſſo digniori, non modò id licet, ſed ita debet fieri, vt quando beneficium tenuius datur digniori, quia neceſſitas illius Eccleſiæ id expoſcit, & pinguius digno, quia ibi tanta neceſſitas non eſt. Ita Sotus loc. cit. arg. 2. contra nonam concluſionem. Aragon. loco cit. concl. 2. corol. 2.

Quinto limitatur. Quòd quando ſunt plures electores in vno Capitulo, & plures etiam, qui eligi prætendunt, quorum vnus eſt digniſſimus, alter dignior, tertius vero dignus, cùm eò res deuenta eſt, vt ſi ego ſuffragabor digniſſimo, vt teneor, certè ſcio alios ſuffragaturos digno ſolummodo, tunc poſſum, relicto digniſſimo, imò teneor ſuffragari digniori, ne is qui minùs dignus eſt eligatur, quia iſte dignior hoc caſu eſt digniſſimus, qui poſſit haberi, & hoc etiamſi iuraſſem de eligendo digniori, quia iuramentum intelligitur inter poſſibiles haberi. Ita Sotus loco cit. dub. altero. Aragon. loc. cit. corol 3. Ledeſm. ſecunda par. ſum. tract. 7. c. 2. concl. 7. dub. 2. pag. mihi 241. Rodriq. prima part. ſum. c. 106. concluſ. 5. n. 7.

Quæres primò. An etiam in electione ad dignitates curam animarum non habentes ſuffragari debeamus digniori, an vero ſufficiat ſuffragari digno.

Reſpondeo etiam hic digniorem eſſe eligendum. Ita Baunes 2. 2. q. 63. art. 2. dub. 5. Nauar. miſcell. 38. de orat. n. 4. licet alij apud Nauarrum, ſufficere eligere dignum contendant, quos ipſe optimè redarguit. Ratio eſt, quia ratione iuſtitiæ diſtributiuæ tenentur electores ſemper eligere digniores: & gradus, & dignitates conferre illis, qui magis merentur. Confirmatur ex Trident. ſeſſ. 24. de reform. c. 18. vbi loquens de patronis Eccleſiaſticis, reſpectu quorumcumque beneficiorum, dicit, illos teneri eligere digniorem.

Ex quo ſequitur, quod collegatus, & definitoriatus, & ſi qui ſint alij gradus honorarij in Religionibus debentur ſemper dignioribus.

Quæres ſecundo, an etiam Summus Pontifex teneatur ad dignitates Eccleſiaſticas digniores eligere.

Reſpondeo teneri. Ita D. Thom. 2. 2. q. 63. artic. 2. ad primum, vbi Caiet. verſu Nota 3. Ledeſma loco citat. dub. 12. pag. mihi 250. Nauarr. miſcell. 35. de orat. n. 1. Sotus lib. 3. de iuſt. q. 6. art. 2. ad quintum argumentum principale. Reginaldus lib. 30. tract. 3. n. 195. Salon. 2. 2. q. 63. art. 2. controu. 3. §. An liceat in aliquo caſu eligere dignum ad quartum. Probatur, quia Papa non eſt Dominus, ſed diſpenſator beneficiorum Eccleſiaſticorum, iuxta illud Pauli 1. ad Corinth. 4. Sic nos exiſtimet homo vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores miniſteriorum Dei. Verum quidem eſt, quod ſi indignum eligat, electio erit valida in foro exteriori; non quia Dominus, ſed quia ſic expedit, & eſt neceſſarium pro bono communi, vt ait Ledeſma loc. cit. & Salon loc. cit. in fine. Et eo magis erit valida electio, ſi indignitas proueniat ex illis Capitibus, ſuper quibus habet auctoritatem Pontifex diſpenſandi: vt ex defectu natalium, irregularitatis, &c. licèt diſpenſando ſine neceſſitate peccaret, vt Nauar. loco cit. in fine.

Quæres tertiò. An peccet minùs dignus concurrendo cum manifeſtè digniori, proſequendo concurſum vſque ad examinationis, vel ſuffragationis finem.

Reſpondeo, mortaliter peccat: etiamſi id faciat, non vt eſt proponatur, ſed vt ex concurſu cum eo reportet aliquem honorem, vel vtile: Nauar. miſcell. 40. de orat. à n. 10. quia petit id quod ſibi de iuſtitia non debetur, & offendit notabiliter digniorem. Si autem non eſt manifeſtè dignior: vel non proſequitur concurſum non peccat concurrendo, vt Nauarrus ibi, & Caiet. in ſum. verbo Benef. §. 2. Reginaldus lib. 30. tract. 3. n. 198.

§. V.

Vtrum poſſit eligi minùs dignus naturalis, Relicto digniori extraneo.

Dicendum eſt conuenientiſſimum eſſe naturæ, & rationi maximè conſonum, vt naturales aſſumantur ad regimen ſuarum Eccleſiarum, licereque electoribus poſtpoſito digniori extraneo, indigenam dignum eligere, eſt ſententia D. Thom. 2. 2. quaſt. 63. art. 2. ad quartum, vbi Salon controu. 3. in reſponſ. ad decimum, §. Sit ne optimum quod præcipitur, & Baones dub. 3. concluſ. 3. ad quartum argumentum principale, verſu Nihilominus ſententia oppoſita. Sotus lib. 3. de iuſt. quaſt. 6. art. 2. paulo ante decimam concluſionem, & in reſponſ. ad quartum. Val. tom. 3. diſput. 5. quaſt. 7. part. 2. §. Tertiò quæritur. Rodriq. tom. 2 quaſt. regul. q. 52. art. 6. & in ſum. tom. 1. cap. 106. concluſ. 6. n. 8. Reginaldus in praxi, lib. 30. tract. 3. n. 200. Azor. tom. 2. lib. 6. c. 15. q. 1. verſu. Item ex indigenis, Nauarrus miſcell. 38. de orat. n. 3.

Probatur primo, ex iis Scripturæ locis, quibus Deus volens aliquod ſingulare beneficium facere populo, promittit illi Paſtorem, & Prælatum ex eadem gente. Sic habetur Oſeæ 2. Et dabo ei vinitorem eius ex eodem loco. Ierem. 30. Conteram iugum eius de collo tuo, & vincula eius diſrumpam, & non dominabuntur ei amplius alieni, ſed ſeruient Domino Deo ſuo, & Dauid regi ſuo (ideſt de gente ſua, de carne ſua) quem ſuſcitabo eis, vbi notanda ſunt illa verba, Conteram iugum, & vincula diſrumpam; quia plus, quàm iugum ferreum portare, & ſtrictiſſimis vinculis ligari, eſt gubernari, & Regi ab alienigenis, & Deuteron. 17. Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non ſit frater tuus.

Secundò Probatur ex eiuſdem ſcripturæ locis, quibus Deus quaſi ſæuiſſimum ſupplicium populo minatur, quòd eum gubernandum tradet alienigenis; Sic Deuteron. 28. ait, Moyſes. Aduena qui tecum verſatur in terra, erit ſuper te, eritque ſublimior, tu autem deſcendes, & eris inferior; Ipſe erit in caput, & tu eris in caudam: Et Eſaiæ 1. Regionem veſtram alieni coram vobis deuorant. Et Gen. 42. obſeruat ſcriptura, quòd Ioſeph ad fratres ſuos, quaſi ad alienos durius loquebatur.

Tertiò Probatur ex ſacris Canonibus, cap. enim nullus inuitis, 61. ait Cœleſtinus Papa. Tunc autem alter de altera eligatur Eccleſia, ſi de ciuitatis ipſius Clero, cui eſt Epiſcopus ordinandus, nullus dignus (quod euenire non credimus) poterit reperiri: Primum enim illi reprobandi ſunt, vt aliqui de alienis Eccleſiis meritò præferantur. Habeat vnuſquiſque fructum ſua militiæ in Eccleſia in qua ſuam per omnia officia tranſegit ætatem. Quod idem habetur cap. Obitum victoris, d. ead. & cap. Metropolitano, diſt. 63. & cap. cum inter, el 3. de elect. & argumento, cap. Neminem, diſt. 70. & cap. Hortamur, diſt. 71. Ex quibus colligitur, vnumquemque teneri ſuffragari indigenæ potiùs, quàm extraneo. Idem habetur lege, In Eccleſiis, cod. de Epiſcopis, & Clericis.

Quartò probatur ratione D. Thom. loco cit. ad 4. quia vnuſquiſque, vt plurimum propenſiorem habet animum ad ſuam propriam Ciuitatem, & Eccleſiam, in qua nutritus eſt, quam ad quamlibet aliam; & hac ratione poterit eſſe vtilior.

Quintò, quia naturalis cum in ſua patria habeat viuere, & mori, vtilior neceſſariò debet eſſe quàm extraneus, qui functo ſuæ Prælationis officio, alio diuertit: & nihil aliud quærit in illa Prælatione, quam non oues ſibi creditas, ſed ſe ipſum paſcere. Cui loquitur Ezech. 34.

Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos, non greges, pascere, inquam, se ipsum, & benè ingurgitare, vt deinde in patriam profectus, in qua vnusquisque appetit videri magnus, diues appareat.

Sextò, quia extranei dominari solent, non gubernare: Dominos se exhibent, non ministros, obliti sententiæ sapientis Ecclesiastici 32. *Rectorem te posuerunt, noli, extolli, esto in illis quasi vnus ex ipsis.*

Itaque sanctissimæ sunt illæ leges, quibus cauetur, quòd non nisi naturales assumantur ad officia suæ patriæ; & vt Sotus *loco cit. paulè ante* 10. *conclus.* ait *Vtinam eas vbique sanciret Ecclesia, quemadmodum, & in Trid. Concilio, me præsente* inquit, *consultabatur.*

Ex quibus colligitur, quàm malè faciant illi Generales, qui cogunt fratres alicuius Prouinciæ ad eligendum extraneum; Quod tamen in ordine Minorum facere non possunt per quandam constitutionem, quam affert Rodriq. *tom. 2. q. regul. q.* 52. *art.* 6. vbi dicitur, quòd *Ministri Prouinciales in posterum non eligantur ex alienis prouinciis, nisi magna, in vrgente necessitate, & ex consensu totius Definitorij.* Quæ constitutio deberet fieri in omnibus ordinibus propter dictas rationes.

Limitatur tamen cōclusio, quandò reperiuntur naturales idonei; Nam si non reperiantur (quod tamen non creditur, vt dicitur *dicto cap. Nullus inuitis, d.* 61.) ad extraneos est recurrendum. Peccatum tamen maxime malignitatis est, impossibilitare naturales per subtractionem studiorum, & aliarum commoditatum ad studendum requisitarum, ne habiles fiant ad prælaturas. Et hoc modo se in possessione Prælaturæ conseruare. Et nihilo seciùs malum est, nolle ad habitum naturales recipere, & si quosdam non nisi amusos, ne eos inte dominij, eum in numerum & auctoritatem creuerint, priuate attenient; Nec scio quomodò Generales has res supportantes, possint excusari à mala administratione sui officij, & grauissima culpa. Nec eos potest ignoratia excusare: nam ad eorum officium pertinet hæc indagare, vt bene Panor. *in cap. Innotuit, de elect. num.* 21.

Ad vltimum noto duo. Primum, quòd ille dicitur naturalis, qui in regno natus est: vel saltem in eo domicilium contraxit; & insuper per decennium in eo vixit, & habitauit continuè, vt ait Rodriq. *loco cit. art.* 8. Ex quadam lege, quam citat. Et ad nostrum propositum ille dicitur naturalis alicuius Prouinciæ, qui in ea sumpsit habitum: seù qui per decennium continuum moratus est.

Secundò noto, quòd illa Prouincia, in quam mitteret Pater Generalis aliquem Prælatum ordinarium extraneum, haberet iustam causam appellandi, reclamandi, & contradicendi. Habetur *cap. Nullus inuitus, dist.* 61. Si verò per negligentiam, vel discordiam, illa Prouincia neminem elegisset, tunc illi posset dari Prælatus extraneus, vt Glossa *d. cap. Nullus inuitis, in principio*, quæ ad hoc probandum adducit, *cap. Volumus, dist.* 89.

§. VI.

Soluuntur quædam difficultates in Materia electionis.

Dico primò, valet electio facta non vocatis iis, qui sunt priuati, vel inhabiles ad eligendum, licèt primo discussum non sit, an sint priuati; satis enim est, quòd postea possint conuinci. Ita Abbas *cap.* 2. *de postul. præl. num.* 15. Angelus *verbo Electio, num* 3. *Tab. electio* 1. *num* 4. quia in veritate, si non habebant potestatem eligendi, non erat opus eos vocare. Secùs autem esset, si essent priuandi; quia priuandus antequàm priuetur, iustè possidet: & habet etiam Syluest. *electio* 1. *quæst.* 2. *num.* 3. Armilla *num.* 10. Vega *prima part. sum. c.* 97. *casu* 4.

Dico secundò, Si in capitulo essent aliqui excommunicati, vel suspensi, & aliqui non. Si illi ignorabant, eos esse excommunicatos: vel dubitatiuè scientes, ipsos esse excommunicatos vel suspensos, nec potentes sine scandalo eos à Capitulo eiicere, admiserunt cum protestatione, quòd eos non admittebant ad eligendum, tanquàm ius habentes ad electionem: sed quia dubium erat de illorum excommunicatione, vel suspensione, valet electio facta. Ita Innocent. *in cap. Illa quotidiana, de elect. num.* 2. Abbas *in cap. Cumana, eod. tit. num. vltimo, & cap. cum. Vintoniensi, num.* 14. Rosella *verbo Electio* 1. *num.* 37. Sylu. *eodem, q.* 15. *num.* 17. Mirand. *tom.* 2. *Manual. q.* 23. *art.* 11. *fine.* Dixi, si ignorabant, nam defectus vnius, vel aliquorum non debet nocere capitulo id ignoranti. Et habet Nauarr. *lib.* 1. *consil. de Elect. consil.* 9. *num.* 1. & Abbas *cap. cum Vintoniensis, eodem tit. num.* 2. Dixi, vel dubitatiuè scientes; Nam si certo sciebant, eos esse notoriè excommunicatos, & denuntiatos, à qua denuntiatione non appellauerant, electiò est nulla. Abbas *in cap. Illa quotidiana, de elect. num.* 7. Nauarr. *loco cit. consil.* 1. & habetur *cap. finali de procurat.* Dixi nec potentes sine scandalo, Nam si possunt eiicere sine scandalo, eiicere debent etiam violenter. Abbas *in cap. cum Vintoniensis, de elect num.* 14. Et nota, quod hoc casu valet electio; etiamsi omnes essent excommunicati, & vnus solùm habilis, si faceret suas protestationes, vt dictum est; vt habet Innoc. *loco cit.* quia tum totum ius capituli in illo solo residet vt dicit Innoc. Et quòd ius capituli in vno solo possit residere, docet Glossa *in cap.* 1. *de postul.* vbi Panorm. *numero* 9. Hostiensis *lib.* 2. *sum. de elect.* §. *Qualiter facienda, n.* 11. *pag. mihi* 113. Petrus de Basilio *in direct. elect. p.* 1 *c.* 2. *num.* 6.

[1]Vnde colligitur, quòd si omnes iam congregati in Capitulo, verbi gratia decem, aliqui egrediantur, verbi gratia quatuor, vel sex, possunt de iure, qui remanent electionem facere: etiamsi vnus solus remaneat, & electio erit canonica. Quia qui exierunt non computantur ampliùs in numero electorum, vt habetur *cap. cum nobis, de elect.* vbi Glossa *verbo reuocare* Rodriq. *tom.* 2. *q. regul. q.* 53. *art.* 11. Nauarr. *lib.* 1. *cons de elect. cons.* 7. Panorm. *in c. cum nobis n.* 10. Glossa etiam *in Clem. Quòd circa, de elect. verbo. Qua in facto* Petrus de Baisio cit. *n.* 8. qui addit *n.* 9. quod ille solus tamen se ipsum eligere non potest, quamvis meritissimus, *cap. per nostras de iure patr. cap. Cumana de electione.* Quod intellige, quando tempus electionis est determinatum, & est in vltimo termino, quo transacto, deuoluitur ius eligendi ad Superiorem; nam si tempus non est vltimo termino, debent expectari vsque ad illum.

Dico Tertiò, si aliquis sit in Ciuitate, vel Monasterio infirmus, scrutatores debent ire ad eum, & inquirere votum eius. Ita Angelus *verbo Electio, num.* 17. Pisanella *eod.* 1. §. *Omnes electores, in fine*, Tab. *n.* 6. Sylu. *q.* 5. *n.* 6. *dicto* 1. Armilla *n.* 23. Miranda *tom.* 2. *q.* 23. *art.* 6. *concl.* 1. Azor. *tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 14. *q.* 7. *versu verum*, Mandagotus *de elect. cap.* 25. *part.* 1. Quia isti censentur præsentes, vt dicunt præfati doctores, vnde contemni non debent.

In ordine autem nostro, si quis sit infirmus in Camera, qui non possit ire ad Capitulum, debet ad eum accedere scriba cum scrutatoribus, & afferre capsulam, in qua ponatur suffragium infirmi, quæ debent ab vno scrutatorum ita deferri, vt ab aliis videri possit, ne fraus possit intercedere. Si autem infirmus esset in Ciuitate, & non posset ad Capitulum venire, consultius esset vt renunciaret; Potest enim quilibet renuntiare iuri suo, vt dicitur *leg. Si quis in conscribendo, Cod. de pactis.* Quòd si nollet, debent scrutatores cum scriba ad illum accedere, & factis duabus, vel tribus schedulis à scriba cum duobus, vel tribus nominibus diuersis, vt dictum est, ipse infirmus debet vnam ex his schedulis, continentem nomen illius, cui suffragari intendit, includere in littera suo Chirographo subscripta, & sigillata, quæ testetur, illud esse votum suum; quam schedulam sic sigillatam

gillatam afferent scrutatores cum scriba in capitulum, & reponent in capsulam cum alijs schedulis, aperiendam deinde in collatione votorum. Hoc tamen vsu non est, quo ad eos, qui sunt in Ciuitate. Et consuetudo, quòd non vocentur absentes valet, vt Panorm. *in cap. Cumana de elect. n.* 1. Rosella *electio* 1. *n.* 10. Sylu. *eodem*, §. 3. *n.* 4. *d.* 3.

Sed quid faciendum, si moriatur vnus Collega Generalis, vel Generalis ipse, & alter collegarum, sit absens, debet-ne expectari, & vocari?

Respondeo, si commodè potest vocari, debet vocari, & expectari per spatium trium mensium, vt dictum est, *cap. Quia propter, de elect.* §. *Illud autem*; & *cap. Quod sicut, eodem titulo*; nisi fortè iuri suo renuntiare vellet; vel vices suas alteri committere, *dicto cap. Quia propter*. Sed quid si non vocaretur? Electio esset-ne ipso iure nula? Non esset; Si ipse vellet habere ratam, vt Glossa *Incap. Quia propter, verbo Sanior*; esset tamen annullanda, si ipse nollet eam ratam habere. Vt probat Passerellus *in scholijs ex Auenionensi, num.* 2. *ad tertium*, & Vega *loco cit. casu* 7. Armilla *verbo electio, numero* 10. Sylu. *electio* 1. *quæst.* 2. *dist.* 5. & habetur expressè *cap. Bonæ memoria, el* 2. §. *Electionem, & cap. Quòd sicut, de elect.* ibi Panorm. *numer.* 3. Quis autem dicatur posse commodè vocari, docet Hostiensis *in sum. lib.* 1. *de elect.* §. *Qualiter facienda, num.* 11. *pag. mihi* 111. dicens, id relinqui arbitrio Iudicis considerantis pericula imminentia, discrimina viarum, periculum schismatis, abusum laicæ potestatis, vel imminentia bella, &c. Quod ipsum notat Rosella *electio* 1. *nu.* 9. Si autem nullum horum interuenit, est citandus quantumuis absens. Quia iodicabitur, tùm commodè posse citari; quando nullum adest impedimentum. Quis autem sit iste Iudex, qui hoc potest arbitrari. Dic quod est Iudex, qui habet electionem confirmare, argumento *c. fin. de electi n. p.* 3. *cap.* 8. *n.* 3.

Si quæras, an possit statui terminus minor trium mensium, si duæ partes sint præsentes, & possit assignari alteri parti terminus, intrà quem si non venerit, non erit amplius expectanda. Dico, quod sic, modò assignetur aliqua vrgens causa; quare debeat electio fieri intra illud tempus minus trium mensium. Ita Hostiensis *loco cit.* Tab. *electio* 1. *n.* 10. Sylu. *eod. q.* 7. *n.* 8. secus autem si duæ partes non sint præsentes: vel nulla sufficiens assignetur causa coarctationis; nam tum debet expectari vsque circa finem trium mensium.

Si quæras vlterius an assignato termino ad eligendum, verbi gratia die Pentecostes, si aliqui non compareant, possint reliqui ad electionem procedere. Dico, quod sic. Armilla *electio* 1. *num.* 19. Vega *loco cit. casu* 6. Panorm. *c. cum inter vniuersas, de elect. num.* 10. & *cap. cum nobis, eod tit. numero* 9. Mir. *tom.* 2. *Manual. quæst.* 23. *art.* 6. *concl.* 3. Etiamsi vnus solus reperiretur in Capitulo, vt notat Panorm. *d. c. cum nobis, num.* 9. Quia iste non tenetur dimittere ius suum propter absentiam aliorum. Et Ratio est, quia ex quo terminus est præfixus à iure, omnes videntur esse moniti in termino, vt dicitur, *c. potuit, de loc. & conduc.* Et nota, quod debent venire ea hora diei qua solet fieri elect. Panorm. *in c. cum nobis, de elect. n.* 11.

Dico quarto in electionibus vota incerta, & conditionata, seu alternatiua non valent. Ita Rosella *electio* 1. *num.* 17. Pisanella *eod.* §. *In electionib.* Tab. *nu.* 24. Armilla *numer.* 29. Antoninus *tertia part. tit.* 19. *cap.* 2. §. 3. *versu Item nota.*

Probatur *ex cap. In electionibus, de elect. in* 6. Vota autem incerta dicuntur. Eligo illum, quem Petrus voluerit, vel eligo eligendum. Conditionata. Eligo Petrum, si electus fuerit à maiori parte Capituli. Alternatiua. Eligo Petrum, vel Paulum; vnde si reperiantur in capsula, seù in scrutinio aliquod ex dictis votis, non computatur in numero, sed electio fit ex alijs votis, vt habetur *d. cap. in electionibus.* Idem est dicendum, si in scrutinio reperiatur aliqua schedula alba; Quia censetur; qui eam posuit, iuri suo renuntiasse. Vt Nauat. *lib.* 1. *consil. de elect. consil.* 7. Vega 1. *p. sum cap.* 97. *casu* 5. Rodrig. *tom.* 2. *q. regul. q.* 51. *art.* 13.

Dico quintò, si electio tenet de iure naturali; puta quia adfuit consensus eligentium, tamen est nulla propter solemnitates iuris non seruatas, non tenetur electus in foro conscientiæ renuntiare. Rosella *electio primo, n.* 29. Sylu. *eod. q.* 10. *n.* 11. & *verbo Alienatio, q.* 13. *numer.* 13. Nauat. *lib.* 1. *consil. de elect. consil.* 8. *n.* 2. qui desumpserunt ex Innoc. *cap. Quòd sicut, de elect. n.* 7.

Dico sextò, cassanda est electio illius, qui requisitus antequam esset electus, consensit electioni de se faciendæ, quia præsumitur ambitiosus. Rosella *electio primo n.* 31. Pisanella *eod.* §. *Quandò potestas.* Tab. *num.* 16. Antoninus *tertia parte, tit.* 19. *cap.* 2. §. 4. Vega *loco cit. casu* 4. qui notat, quòd ad annullandam electionem, non sufficit petere, an velit, sed debet consentire, & velle eligi. Habet etiam Panorm. *cap. cum post, de elect. num.* 1. & Glossa *dicto c. cum post, verbo requisitum*, nostra conclusio habetur, *cap. cum post, & cap. Officij de elect.* similiter sollicitans electores pro sua electione, reddit se indignum ad illam dignitatem, quia præsumitur ambitiosus. Habetur *in cap. per inquisitionem, de elect.* vbi Panorm. *num.* 5. & habet Glossa *in cap. suam, verbo nullum prorsus, de ætate, & quali. ord.*

Sed quomodò, inquis, se debet habere electus vt electioni de se factæ consentiat; si consensus requiratur ante electionem.

Respondeo, quòd nullo modo debet consensum præstare, quia cassabitur electio, vt dixi propter ambitionem, & debet respondere nolo, quòd me eligaris, & ita rogo. Potest etiam respondere. Non intendo Dei vocationi resistere. Et sic potest indirectè declarare voluntatem suam. Si autem requiratur consensus post electionem factam, potest electus respondere, nolens volo, & nolo volens, & est honestum non statim consentire, sed aliquantulùm resistere, ne notetur ambitione; Non tamen damnatur, si incontinenti consentiat: præsertim si dubitat, ne aliquis perniciosus se ingerat. Vndè tunc potest dicere, Charitas cogit me ad consentiendum. Ita Panorm. *in c. cum post, de elect. n.* 5.

Dico septimò, electio facta de nocte non valet: si est per scrutinium, quia cum per Tridentinum debeat fieri secretò, forma illa *cap. quia propter* de nocte sine lumine seruari non potest. Ita Armilla *verbo Electio.* 15. Vega *loco cit. casu* 5. Rodriguez *tom* 2. *quæst. regul. quæst.* 61. *art.* 15 qui limitat sine necessitate, nam quando electores per totum diem electionem facere non potuerunt, putat, quòd possint eam facere de nocte, id est, vsque ad mediam noctem, Adhibitis tribus luminaribus, quod etiam tit Miranda *tom.* 2. *Manual. q.* 23. *art.* 12. quod est intelligendum, quandò statuta est electionis dies, qua transacta, electio deuoluitur ad Superiorem. De nocte autem intelligitur non statim post occasum solis, nec post pulsatam Ave Maria, quia tunc etiam homines se secernunt, sed intelligitur quando iam tenebræ sunt super terram, vt docent Nau. *lib.* 1. *consil. de elect. consil.* 8. qui addit, quod electio facta post tenebras valet, quoad forum conscientiæ, si seruata sunt omnia, quæ de iure reseruari debent, quoad formam, & quoad substantiam.

Dico octauò, Instante termino electionis, si dubitatur de aliquo, an habeat vocem, nec id possit cómodè probari, debet admitti cum protestatione, quòd illius votú non valeat, nisi in quantum postmodùm appareat, eum debuisse interesse, & sic non nocet. Panorm. *in c. Cumana de elect. n.* 2. Armilla *verbo electio, num* 8. Vega *loc. cit. casu* 3. Graff. *lib.* 1. *consil. de elect. consil.* 1. *difficul.* 6. In ordine nostro statutú est *capitulo Val.* 3. *n.* 8. quòd quádo constat de alicuius priuatione, & non constat de habilitatione, non possit hic habere vocem in electionibus, quousque

quoufque fuam rehabilitationem non probet. Quod eft valdè conforme *cap.conſtitutus,de elect.* & habet Gloſſa *in cap.cum ana,verbo præſentes,eod.tit.* colligitur ex Panorm.*cap.cum inter Canonicos, de elect.n.7.*

Dico nonò, In electione Correctorum noſtri Ordinis Minimorum,vocem habent omnes Sacerdotes profeſſi, qui ſaltem per triennium laudabiliter vixerunt in Religione, occurrit, quòd moritur correctoṙ; interim, antequàm fiat noui correctoris electio,ordinatur quia in Sacerdotem qui dictas habet conditiones, vltra quas eſt etiam admiſſus à Prouinciali ad vtramque vocem', ad quem Prouincialem pertinet declarare, an vixerit laudabiliter, nec ne: Dico, quòd iſte poterit votare in electione Correctoris defuncti licèt tempore mortis non eſſet Sacerdos. Ita Graff. expreſsè *lib.1.conſil. de elect. conſil.5.difficul.3.tom.2.* Gloſſa *Clem.1. verbo Conſtitutus,de ætate, & qualitate præfic.* Rodrig. *tom.2.q.regul. q.51.art.5.verſu & aduertendum.* Suarez *tom.4.de Relig. lib.2.cap.4.n.6.* Probatur ex *cap cum inter R. de elect.in fine; & cap. Apoſtolica, de except.* Quod idem dicendum eſt de eo, qui non erat habilis tempore mortis, vel non erat Sacerdos tempore ſtatuto pro electione, quod tamen tempus aliqua occaſione fuit tranſlatum,quo deinde factus eſt habilis,ſeù Sacerdos; verbi gratia,electio Correctoris fit ſingulis annis *die 15.Septembris*,occurrit caſus,quo transfertur vſque ad diem 25.interim quis ordinatur Sacerdos,ſeù ab habente poteſtatem rehabilitatur,dico, quòd iſte poterit votare in electione correctoris.Et in vniuerſum ad hoc vt quis habeat vocem in quacumque electione,ſatis eſt,quòd ſit habilis tempore,quo ſit ipſa electio; etiamſi tempore vacationis ſeù pro illa determinatio non erat habilis. Quod ex profeſſo probat dicta Gloſſa, & Graffius.

Dico decimò, electio antè publicationem mutati poteſt,poſt publicationem nequaquàm, Hoſtienſis *in ſum. lib.1.de elect. §. vtrum mutari poſſit,n.22.* Gloſſa *in cap. quanto Apoſtolica,d.63.* Sylu.*electio 2.q.7.n.9.* & habetur *capite publicato,de elect. à contrario ſenſu.*

Sed quid ſi appelletur, & opponatur, ne fiat publicatio. Reſpondeo, ſi pars appellans ſit minor,& nihil rationabile opponat, tùm non obſtante tali appellatione, debet fieri publicatio iuxta *caput quia propter. de elect.* ſi autem omnes, vel maior pars opponant, & petant variari tum antè publicationem variari debet, Hoſtienſis *loco cit.*

Sed quid ſi vnus electorum tantùm velit votum mutare iam datum; quia de nouo audiuit vitium vel defectum latentem, quem adhuc non audierat, Hoſtienſis arbitrio boni Iudicis relinquendum putat, conſiderata qualitate perſonæ, & cauſæ, attenta etiam conditione perſonæ electæ, & perſonæ, à qua eligens intellexit vitium latens; poteſt enim eſſe,vt fraudulenter imputauerit eligendo vitium de nouo auditum ſit verum, putat quòd poteſt variare.

Dico tamen abſolutè, quòd poſtquam conuenerunt omnes electores in capitulum,& quis dedit ſuum ſuffragium, ponens ſchedulam in vrnam,non poteſt ampliùs eam reaſſumere,& votum mutare. Dico 1.Quia ſic poſſet quilibet ex malitia in longum electionem pertrahere, & inquietare,quod eſt damnoſum *cap.cum inter vniuerſas,de elect.2.* quia nemo poteſt mutare conſilium in alterius præiudicium *lege nemo, ff.de re indicata.* Tertiò quia quod ſemel placuit,amplius diſplicere non poteſt, *per regulam. Quod ſemel a 1.de regul. iur.in 6.* Quartò quia multum negligens eſt, qui ante ingreſſum capituli non format conſcientiam ſuam,& non cogitat de eligendo,& illius conditiones non conſiderat; Diximus enim ſupra,quod qui non adhibuit omnem diligentiam,ad cognoſcendas conditiones perſonæ eligendæ, non ſaluat conſcientiam ſuam. Vndè ſi vitium latens audit, poſtquam ſuffragium dedit, poteſt imaginari, illud non eſſe verum: quòd ſi non poſſit,quia verum eſt; Doleat,non de peccato, quod non commiſit, cum fecerit quantùm potuit; ſed de malo,quod communitati imminet,& diſſuadeat quantum poteſt,qui adhuc non vouerunt. Quintò quia proiecta ſchedula in vrnam, Ità miſcetur cum alijs,vt impoſſibile ſit eam cognoſcere; Vndè poſſet quis in fraudem electionis, ſeu in odium electi fingere, velle ſumere,ſuam ſchedulam ad mutandum votum,& ſumere aliam. Tandem ſi hoc admitteretur, nunquàm ceſſarent lites, & campus apertus aperiretur malignis & litigioſis contrà id,quod dicitur *cap.dixit 32.q.1.* Fauet dictis hic Rodrig.*tom.2.q.regul.q 51.art.7.* Mir.*to.2.q.23. art.24. concluſ.1.*

Dico vndecimò, electo per electorem ad eam dignitatem ius acquiritur Prælaturæ,ſed non exercitium antè confirmationem. Ità Hoſtienſis *in ſum.lib.1.de elect §. Quid operatur,numer.26.* Abbas *in cap.poſtulationem,de poſtul præl.n 4. & c.cum dilectus,de conſuetud.n.2.* Nau. *com.2.de regul.n.65.* Graff.*lib.1.conſ.de elec.conſ.2.n.1. tom.1.*

Probatur ex *c.legimus, diſt 93.* vbi dicitur, quòd electio facit Imperatorem, & *cap. cum inter Canonicos, de elect.in fine, & cap. cum dilecta, de reſcriptis.* Gloſſ. *in cap. Quanto Apoſtolica. diſt.63. verbo relatio*, Vnde ſequitur,quod electus petendo confirmationem, nullam petit gratiam, cum pleno iure innitatur. Et ſic ſi confidit de idoneitate perſonæ ſuæ, poteſt accedere ad Iudicem cum capitio, vel bireto non elato, & conminari, quòd niſi ipſe confirmet, habebit recurſum ad ſuperiorem, ſi confirmans ſuperiorem recognoſcit. Ità Panorm. *loc. cit.*

§. VII.

Vtrum per electionem in Regula Minimorum Ius correctori Electo acquiratur, ità vt poſsit illam repetere in Iudicio.

NOtandum eſt, quòd electio noſtrorum correctorum ſit ſingulari modo per determinationem noſtræ regulæ *in Correct.num.103.* fiunt electiones in ſingulis Conuentibus *die 15. Septembris*, pro vt determinatum fuit *in Capitulo Romano 6. num. 14.* & factæ electiones ſecreto conſeruantur, vt habetur *Capitulo Valentino 4. num. 26.* mittendæ pro confirmatione ad Capitulum definitorium, cum litera teſtimoniali, illam eſſe electionem illius Conuentus, ſcrilla tantummodo notificante Capitulo electionem adeſſe. In Capitulo definitorio deinde aperiuntur dictæ literæ continentes electiones; quæ quidem electiones etiam aperiuntur, & facta collatione numeri ſchedularum ad numerum fratrum ſubſcriptorum, examinantur à definitoribus, quæ,ſi inuentæ fuerint Canonicæ,confirmantur, ſin aliter, prouidetur Conuentibus de alijs Correctoribus per definitorium.

Modo quæritur, an Definitores habeant plenariam poteſtatem ſuper huiuſmodi electionibus,Ità vt eas abſque vlla ratione caſſare,& annullare poſſint,& abſque eo quòd poſſit electus agere pro ſua electione,& in iudicio eam repetere. Certum eſt,vt dixi,*de iure,communi*,quod per electionem ius acquiritur electo. Quod ius ſi illi à confirmatore,vel alio tollatur, poteſt agere pro eo conſeruando, & illud in iudicio repetere.

Tota itaque dubitatio eſt de iure particulari noſtrarum conſtitutionum,& de Correctoribus,tàm de Generali,vel Prouincialibus non eſt dubium,quin per electionē eis ius acquiratur. In qua dubitatione Reuerendus P. P.Gaſpar Paſſarellus, noſtri Ordinis decus, & Doctiſſimus Canoniſta,& in noſtris conſtitutionibus expertiſſimus,*in ſcholijs ex Aueniorenſi, n.15.* dicit quod Correctior hoc pacto electus nullum ius acquirit per electionem antè confirmationem; Vnde ſi non confirmetur, non poteſt pro illa electione agere in Iudicio.

Probat

Probat primò tribus Rationibus,quas in hoc casu pro se habent fratres Prædicatores; Quia quantumcumque ab omnibus eligatur, nullam tamen habet administrationem, sicut habent superiores Prælati.

Secundò, quia Religiosus non habet velle, neque nolle.

Tertiò, quia Religiosus electioni de se factæ, extra suum Monasterium sine licentia sui Superioris, non potest consentire.

Quartò specialiter. Quia quantumcumque ab omnibus eligatur; tamen in potestate Prouincialis, & Definitorum est confirmare, vel reprobare. Quia Correctorium, *nu.* 103. dicit,quod in Capitulis Prouincialibus fiat definitio Correctorum, in Conuentibus prius electorum.Definitio autem in definiente præsupponit liberam potestatem.

Quintò. Quia secreto fiunt huiusmodi electiones,& secretè seruantur,quovsque in prædictis Capitulis maturè definiantur.

Sextò. Quia fuit conclusum *in Capitulo Val.* 3,*nu.*8. quòd super iure electionis non confirmatæ, non posset agere electus in Correctorem, si per aliquam missam obedientiam remoueretur. Secus super confirmatæ,quia non posset amoueri sine causa, secundum determinationem dicti capituli Valentiæ.

His tamen non obstantibus puto,quòd electi in Correctores ius habeant ad electionem, & quòd illam possint in iudicio repetere.

Probo primo *ex Capitulo Tholosano,num.*48.dicitur, quòd *in Capitulo Prouinciali,si Prouincialis,& Definitores reperirent alicuius Conuentus Correctoris electionem iniustam,poterunt super huiusmodi prouidere*; ergò à contrario sensu, si iustam inuenerint, prouidere non poterunt, sed confirmare tenebuntur. Quod argumentum à contrario sensu in iure fortissimum est, vt habet Hostiensis *in sum.lib.*1.*de elect.§.Vrùm mutari possit,num.*22.& Panorm. *in cap. Publicato, de elect. n.*6.

Secundò. Probo *ex capitulo Val.* 1.*num.*21. vbi dicitur. *Et quia est abusus in aliqua parte, praeceptum Correctorij de Correctorum electione non obseruari, Sed ad Prouincialis voluntatem nouos non electos in quolibet Conuentu, electos autem non confirmare. Ideò decernerunt, quod deinceps Correctorij praeceptum obseruetur. Ita quòd qui fuerint per localia Capitula electi, si fuerint idonei, & sufficientes postmodum per Prouinciale Capitulum assignentur.* Non potest dici clarius meo videri.

Tertiò. *In capitulo* 2. *Val.nu.*16.dubitatum est à quibusdam, an teneatur Prouinciale Capitulum assignare Correctorem alterum illorum, qui fuerunt in vocibus pares,& ambo idonei. Cui dubio responsum est,*liberum esse Capitulum Prouinciale,ad quod talis electio deuoluta est, alterum, vel neutrum eligere,cum nullius sit electio*; Quæ determinatio est conformis iuri Canonico *cap. Quoniam, de iur. patron. Et cap.si fortè, dist.*63. *iuncta Glossa, verbo Tantum vt nullus*; ergo si quis est à maiori parte electus,& est idoneus,non est in potestate Capituli eam mutare. Ergo electo ius ad Prælaturam; & confirmationem acquiritur.

Quartò. Probo *ex Capitulo Romano* 4. *n.* 13. *in fine*, vbi dicitur quod *possunt Correctores per oblatos, aut alios fideliter electiones suas in Capitulum Prouinciale mittere,confirmandas ibi per Prouincialem,& Definitores*;ergo si Definitorium solum habet confirmare,electus ad eam ius habet; Nam confirmatio est iuris prius habiti corroboratio, vt ait Hostiensis *in summa,lib.*2.*tit.de confirm. vtil.vel inutil.§. Quid sit.* Et nota,quod dicit *confirmandas*, non assignandas, neque mutandas.

Quintò. Probo *ex Capitulo Paulo*, *n* 13. quod fuit confirmatum à Pontifice,vt dixi, vbi sic habetur. *Tandem exactè ponderantes electionem fratris Ioannis Saracini in Correctorem localem Conuentus Ambasiæ, & eiusdem confirmationem à Capitulo Prouinciali datam. Definierunt, quod non obstantibus quibuscumque Præfata electio Canonicè facta, & confirmatio suum sortiantur effectum. Et Fr. Franciscus Gaudion cedat alteri,tanquam suo benemerito Correctori.* In qua determinatione attendendum est,quòd,vt ex ea colligitur,apparet, quòd dicti Fratres Ioannes, & Franciscus fuerunt ambo electi in Correctores Conuentus Ambasiæ. Et quòd frater Ioannes fuit confirmatus à Capitulo Prouinciali, quàm confirmationem ægre ferens Fr. Franciscus, appellauit ad Capitulum Generale, quod tamen approbauit electionem, & confirmationem præfati Fratris Ioannis, & determinauit, ipsum Fratrem Franciscum debere cedere dicto Fratri Ioanni. Verbum autem cedere significat renunriare iuri acquisito, seù illud in alium transferre, vt colligitur *ex Clem. Vnica, de renunt. & cap. Quàm periculosum,* 7. *quæst.*1. Ergo si Capitulum determinauit, vt cederet, supposuit, ipsum iam acquisiuisse aliquod ius, cui pro litigijs vitandis iussus fuit cedere, hoc non poterat esse aliud, quàm ius ad electionem Correctoris, ergò.

Dices ex isto decreto solùm colligitur, quòd Frater Franciscus se opposuerit electioni dicti Fratris Ioannis, & quòd pro ea infirmanda recurrerit ad Capitulum Generale.

Respondeo, hæc non bene sonant cum verbis dicti decreti. Tum quia per hoc non fuisset necessariò recurrendum ad Capitulum Generale;has enim lites Definitorium dirimit. Tùm quia non damnaretur, vt cederet, sed iuberetur desistere, & tanquam litigiosus, & contra Capitulum Prouinciale pugnans puniretur. Dicendum ergò est,quòd prætendebat ius suum per electionem acquisitum. Et quòd posset illud prætendere,insinuat Capitulum in illis verbis, *Exactè ponderantes*. Nam si certum esset in nostra Religione Minimorum, quòd Correctores electi nullum ius acquirerent, non opus erat tàm exacta ponderatione, sed sufficiebat, competitiorem à Capitulo Prouinciali confirmationem obtinuisse.

Sextò, si liberum esset definitoribus Correctorem electum assignare, vel reprobare; ad quid illa constitutio,quæ tanti fit in nostra Religione Clementis Octaui. *Quod Superiores non possunt amouere Fratres è Conuentu, in quo sunt locales, per tres menses ante electionem, qua habebit fieri in tali Conuentu. Nec in dicta electione vocem habeant illi Fratres, qui per tres menses ante electionem non fuerint locales in illo Conuentu.* Ad quid,inquam,tantæ diligentiæ,si per electionem, quæ fit in singulis Conuentibus,nullum ius acquiritur electo; si non suam potest prosequi iniuriam,si non confirmetur. Ergò dicendum est de mente Pontificis esse electum à fratribus Conuentualibus in Correctorem, ius ad tale officium habere; & Definitorij solùm esse examinare, an electio fuerit Canonica, & sic eam confirmare, vel reprobare, si secùs.

Septimò,quia hoc esset priuare Fratres,saltem indirectè iure eligendi,quod est contra Regulam; Quid enim prodest illa electio,si liberum est Definitoribus illa mutare,vel annullare. Itaque censeo, non posse Capitulum Definitorium electiones Correctorum annullare, neque etiam Correctores electos mutare de vno ad alium locum. Nam in hoc irrogatur iniuria, non solùm electo, qui per electionem non acquisiuit tantùm ius ad Correctoriarum in communi, sed ad talem in particulari. Fit etiam iniuria electoribus, & quia priuantur sua auctoritate,& quia electus est illis magis gratus, quàm quilibet alius,& magis amatus.Poruerunt tamen aliquandò tales circunstantiæ concurrere,vt expediat pro bono communi mutare; Annullare autem absque aliquo defectu Canonico,vel in eligentibus,vel in electo, vel in electione, nunquàm licebit.

Ad primum in contrarium Respondeo. Si Fratres Prædicatores habent illud statutum,quòd electi in Prio-

res nullum ius acquirant, vt ipse Passarellus testatur, & habet etiam Ledesma *p.2.sum.tract.7.c.2.conclus.7.dub.50.pag.248*.Est quid speciale,& erit confirmatum à Papa,vt sunt ferè omnia statuta dicti ordinis.In nostra Religione adhuc non est inductum. Prima autem illa ratio nequidquam valet;nam de iure electionis est,vt electus nondùm confirmatus nullum habeat exercitium, immò se in administratione ingerens,priuatur iure electionis,vt habetur expressè *cap. Auaritie, de elect. in 6.* & dicam infra; & tamen ius babet ad electionem, vt dixi,secundum opinionem communem,quam ipsemet probat Passarellus *hoc loco*;Quòd autem Prælati Generales,& Prouinciales statim ac electi habeant administrationem, est Priuilegium quò ad Generales ; quod habetur *in mari-magno in principio.* Quò ad Prouinciales verò,habemus expressum statutum *in Capitulo Val.3.n.9.*

Ad secundum,respondeo primò.Illud etiam posse dici de Prouincialibus, qui Religiosi etiam ipsi sunt & tamen negatur ab ipso Passarello. Secundò Respondeo, illud quod dicitur *cap.Religiosus,de elect.in 6.* Religiosos non habere nec velle neque nolle, non intelligitur, quod non possint liberè velle, ac nolle; sicut alij non Religiosi,sed quod non debent,nec sine peccato possunt velle, vel nolle quidquam contrarium Regulæ, quam sunt professi:vel voluntati Superioris iubentia eis secundum eandem regulam, Ita Glossa *in extrauaganti, Quorundam, de verbo significa.* Ioann.22. §. *In primis,verbo Voluerint.* Nauarr.*comm.2.de regul.num.59*.qui addit ex D.Thoma 2.2 *q.104.art.5.Posse etiam,Religiosum multa licitè velle,& nolle praeter voluntatem Superioris: immò, & contra illam, si iuberet contraria : vel extraria regula,* Vt etiam patet ex supradictis. Hoc autem quod Correctos electus non acquirat ius ad electionem, est contra præceptum Correctorij, explicatum *in Capitulo Val.num.21*.Quod adduai in secunda probatione. Addo etiam, quod in ijs quæ sunt iuris naturalia, comedere sobriè, bibere parcè, vestire pauperrimè, habent Religiosi liberum velle, & nolle, vt habet *Glossa in dicta extrauaganti quorundam,* Immò ipsamet extrauagans.

Ad tertium Respondeo, concedendo, quòd si Religiosus eligatur ad aliquam Prælaturam extrà ordinem, non potest illi consentire sine licentia sui superioris, vt dicitur *in cap. Si Religiosus, de elect. in 6.* Non autem si eligatur ad Prælaturam in suo ordine; quia eo ipso quod eligitur à Capitulo,eligitur à suo superiore. Vnde in acceptatione nullus Prælati consensus exigitur, vt notat Panorm.*in cap. Cum dilectus,de consuetud.num.2.* Nec potest dici electus ab extraneis, qui eligitur à Conuentu eiusdem Prouinciæ, licèt electus in eo non resideat, quia per nostras constitutiones Correctores possunt eligi de corpore totius Prouinciæ, nec possunt dici extranei, qui sunt greges eiusdem Pastoria.

Ad quartum Nego, quòd in potestate Prouincialis, & Definitorum sit confirmare; Nam cum hoc sibi assumpsissent Prouinciales, & Definitores, sublatus est hic abusus *in Capitulo Val.2 num.21.* Ad illud de Correctorio, dico, id esse declaratum *in Capitulo Tholosano, n.48.& Genuensi 5.num.19.* In quibus liberum relinquitur Prouinciali cum Definitoribus, quando aliquis electus fuerit in Correctorem à pluribus Conuentibus,vtri eorum assignare; seò illum assignare propter aliquam rationabilem causam assignandam, & ventilandam in Correctorem alicuius Conuentus, in quo electus non fuerit: seu prouidere,& assignare Correctores illis Conuentibus, in quibus non fuit facta electio, vt dicitur *in Capitulo Genuensi 5. citato.* Et hæc est libertas, quam habent Prouincialis, & Definitores. Addo, quòd definire non supponit liberam voluntatem, saltem hoc casu,sed significat negotium finire,seu determinare.

Ad quintum Respondeo, quod ideo huiusmodi electiones conseruantur, vt de illis in Capitulo Definitorio definiatur : an iustæ fuerint,nec-ne : an defectus aliquis intercesserit in forma electionis,in persona electorum, in persona electi; Hoc tamen non arguit, quod electo ius ad eam electionem non acquiratur.

At inquis,si nescit,an sit electus, quomodo potest ius acquirere.

Respondeo, semper plus, minusvè scitur, quisnam sit electus ; quia licet non sciatur in communi, sciunt tamen electores omnes in particulari, cui suffragati sint: & quis vetat post electionam cos sibi inuicem reuelare? Deinde illi electo ius iam est acquisitum, etiam si nihil sciret,vt puta si eligeretor absens: Tertiò scitur post publicationem electionis in definitorio: Quartò ius non acquiritur per scientiam : sed per liberam voluntatem suffragantium.

Ad sextum Respondeo primo quod tum debet obedire electus, quia cum iam fuisset amotus per Patrem Generalem, & translatus in alienam Prouinciam,iam in ea, in qua fuit electus, eligi amplius non poterat ; Quia Correctores eliguntur de corpore Prouinciæ: Secundò Respondeo, posse Patrem Generalem propter bonum commune totius Religionis: electum in Correctorem amouere, & aliò, vbi magis talis electus est necessarius, transmittere. Tandem nota quod hic dictis non obstat statutum *in c. Rom.7.sess.8.* requiritur enim ibi insta, & rationabilis causa designanda in actibus ipsius diffinitorij: nota vlterius quæ dico *supra c.12. versu probatur 1. & versu, neque credendum est* ad hoc, vt mutari possint electiones; Quòd intelligo iusta *d.probatione 7.* Nostra autem conclus. est maximè conformis *c.Monachi de statu Monach. §. Prieres.*

§. VIII.

Soluuntur alia difficultates circa eandem materiam de electione.

Dico primo, si quis ante tempus ordines sacros susceperit, Presbyteratum verbi gratia, adhuc tamen posset, si aliud non obstaret, electioni interesse, & suffragium ferre. Ita Rodriguez, *tom. 2. q. regul. quast. 51. art. 5.* vide pro hac q. Suarez *tom. 4. de relig. lib. 2. cap. 4. num. 7.* Ratio est, quia ad eligendum requirunt Canones sacros ordines, non ætatem, & Concilium Trid. *sess. 22. de reform. c. 4.* non decernit, quòd qui 21. annum attigerit, vocem habeat in electionibus, sed statuit, quòd sit sacris ordinibus ordinatus. Diai, nisi aliud obstaret, Tùm quia in ordine nostro non solum requiritur, vt qui debet in electionibus votum habere, sit Presbyteratus ordine insignitus, sed etiam, vt vigesimum quintum annum ad minus attingat, vt patet *ex capite nono regula, num. 39.* Nisi fortè velimus dicere, quod regula non loquatur de his, qui debent eligere, sed solùm de his, qui debent eligi, nimirum vt nullus eligatur in Correctorem, qui 25. annum ad minus non attigerit. Quo pacto locum illum regulæ videtur intellexisse Passarell. qui ad marginem citauit. *Clem. Ne in agro, de statu Monachorum §. Caterum,* quæ loquitur non de electoribus, sed de electis. Tùm quia, qui ante ætatem legitimam ordines suscipit, remanet suspensus: & si in ordine suscepto ministrat,fit irregularis,*per extrauag. Pij II.* quæ incipit *Cum ex sacrorum,* quam refert Cherub. *in suo bull. tom. 1. in Pio I I. constit. eius 7. pag. mihi 379. & per extrauag. Sixti V.* quæ incipit *Sanctum, & salutare,* quam refert idem Cherub. *tom 2. Bulla in Sixto V. constitut. eius 91. pag. 651.* Quam tamen constitutionem Siati ad terminos iuris communis, & præfatæ bullæ Pij II. reduxit Clemens Octauus per bullam, quæ incipit, *Romanum Pontificem,* quam refert idem Cherubinus, *tom.3. bull. in Clement. constit. eius 40. pag. mihi 54.* De quibus constitutionibus mentionem facit Rodriguez

driguez *tom.3. quæst. Regul. quæst.* 23. *art.*8. Suspensus autem est priuatus iure eligendi, vt dixi *supra notab.* 8. Sublata autem suspensione, non est cur ab electione repellatur.

Subnecto hic, aliud non spernendum dubium. Quidam Regularis ante legitimam ætatem ordinem Presbyteratus suscepit, quo suscepto, pœnitentia ductus accesserit ad suum Prælatum pro remedio (alij enim confratres, & eius parentes sæculares illum stimulant, & sollicitant, vt Missam nouam cantet) illi Prælatus non credit, sed putat, ipsum velle frui priuilegiis Sacerdotum, sed nolle illorum onera ferre, & hortatur, vt breui Missam cantet, recurrit iste ad Summum Pœnitentiarium Romanum, qui rescribit, quòd expectet tempus legitimum, se iterum iste ad pedes Prælati pro remedio, qui tamen nullum affert. Quid faciet iste, poterit ne celebrare.

Respondeo, quòd poterit iste tuta conscientia celebrare. Ratio est, quia Lex, quæ prohibet ordinem Presbyteratus suscipi ante 25. annum, saltem inceptum, lex humana est, sicut illa, quod recipicos suspensus remaneat, cui legi præponderat lex diuina naturalis de scandalo cauendo, & famæ propriæ consulendo. Habere tamen debet animum impetrandi dispensationem omnibus viis possibilibus. Colligitur ex Sanchez *lib. 7. de matrim. disp.* 37. *q.* 5. *num.*38. *&* 43. Bald. *in sum. verbo irregularis num.* 23. Henriq. *de Pœnit. lib.* 3. *cap.* 15. *in fine*, Lopez *tom.* 2. *cap.* 93. *quæst.* 5. Gutierez *lib.* 1. *Canonic. quæst. cap.* 13. *à num.* 21. & multos ad id citat *num.* 22. *& sequent.*

Dico secundò, Si electio Prouincialis, aut Generalis, vel etiam Correctoris coarctatur ad tres, vel quatuor personas particulares, non est valida, neque Canonica, sed ipso iure nulla. Rodrig. *tom.* 2. *quæst. Regul. quæst.* 52. *art.* 11. *& sum. tom.* 1. *cap.* 103. *num.* 1. Miranda *tom.* 2. *Manualis, quæst.* 23. *art.* 22.

Probatur, nam per istam coarctationem tollitur libertas, quæ est ita de substantia electionis, vt consuetudine introduci non possit, quo minus libera sit, vt dicit Abb. *cap. Cum terra, de elect. num.* 4. & habetur *eod. c Cum terra.* Papa tamen potest talem coarctationem facere, quia est supra sacros Canones. Secus autem est dicendum de coarctatione ad certum genus hominum, puta Magistrorum: vel certum Collegium, puta de Prouincia, vt Rodrig. Miranda, Abb. *loco cit.* & Couaruu. *de spons.* 2 *part. cap.* 3. § 6. *num.* 8. *&* 9. Syluest. *verb. Electio* 1. *quæst.* 23. *num.* 26.

Ex quibus colligitur, quòd si Generalis proponeret in Prouincialem alicuius Prouinciæ tres, vel quatuor, mandans expresè, vt vnum ex illis electores eligerent, adiecto etiam decreto irritante electionem aliter factam, si electores, aliquem ex illis propositis moti metu Generalis, eligerent, electio esset nulla.

Et nota, quod non obstante tali præcepto, & decreto, possunt electores alium eligere, & Generalis tenetur illum confirmare, si habeat requisita. Si autem Generalis proponeret quatuor: addens vel alium quemcumque idoneum; tùm non diceretur electio coarctata, cum in potestate electorum sit eligere, quem voluerint.

In Ordine Minorum Generalis, seù Præsidens Capituli coarctans electores ad eligendum vnum ex tribus, vel quatuor propositis, statim ac fuerit conuictus, est priuatus officio, quod possidet, per Bullam Pij V. quæ incipit. *Pastoralis officij*, & refert Cherub. *tom.* 2. *Bull. in Pio V. constit. eius* 128. *pag. mihi* 340. Miranda *loc. cit. art.* 21.

Dico tertiò, si vnus electorum publicè manifestat suum votum, permittente Capitulo, electionem irritat. Rodrig. *in summ. cap.* 102. *num.* 4. Miranda *loco citat. articul.* 19.

Probatur, quia non potest dici electio secreta. Quod tamen requirit omninò Tridentinum, vt dixi. Si autem manifestat secretè alicui, non irritat electionem. Quia sic in potestate cuiuslibet esset electionem infirmare, est tamen arbitrio iudicis puniendus.

Dico quartò, Accusatus de aliquo delicto non est incapax electionis. Nauarr. *lib.* 5. *consil. de accus. cons.*6. Rodrig. *in sum. cap.* 105. *num.* 2.

Probatur, quia in potestate vnius maleuoli, inuidi, & inimici esset meritissimos viros à promotione ad dignitates, maximè, quæ per concursum dantur, ablegare. Id tamen debet intelligi, modo accusatus non sit grauatus apud bonos viros de tali peccato, nam hoc casu propter malam famam intelligibilis esset, vt habetur *cap. Omnipotens Deus, de accusatio.* & docet Naldus *in sum. verbo Infamia, num.* 2. & Molfesius *tom.*1. *sum. tract.*6. *num.* 29. 30.

Dico quintò, Quando electus non vult consentire electioni de se factæ, vel postquam consensit, renunciat iuri suo, vel moritur: aut propter eius occultum vitium electio irritatur, electio deuoluitur ad electores. Ita Sylu. *verb. Electio*, 1. *quæst.* 12. Azor. *tom.* 2. *lib.*6. *cap.* 14. *q.* 11. Miranda *tom.* 2. *manual. quæst.* 23. *art.* 33. Habetur expresè *cap. Si electio, de elect. in* 6. Intellige tamen, si electoribus non currit tempus eligendi; nam si tempus est in vlt. termino, eo elapso, electio deuoluitur ad Superiorem, vt dixi, & habetur expressè *in Clem. Exiui de paradiso, de verborum signific.* § *Cæterum si Capitulum.*

Dico sextò, Quando duo fuerunt electi in eadem dignitate in discordia, & vtraque electio ex aliquo defectu cassatur, non debet in ea dignitate tunc temporis al quis illorum assumi, propter discordiam euitandam. Panorm. *in cap. Considerauimus, de electione, num.* 3. & habetur expresè *d. cap. Consid.* Addit tamen Panor. quòd si omnes, qui fuerunt diuisi, in vnum duorum illorum concordarent, valeret electio, quia iam cessaret causa prohibitionis, quæ est discordia.

Dico septimò, semel reprobatus propter vitium personæ ab aliqua dignitate, non potest iterum eligi ad illam, vel aliam, secus autem si non vitio personæ, sed vitio, vel defectu electionis. Est casus expressus *in cap. Super eo, de elect.* vbi notat Panorm. *num.* 3. *&* 4. quod vel vitium, propter quod cassata fuit prima electio, fuit probatum: & sic cassabitur 2. electio per regulam, *Semel malus*, quæ est 8. *de regul. iur. in* 6. Nisi probetur emendatus, vt idem Abb. *cap. Cum inter Canonicos, de elect. num.* 7. Vel vitium fuit solùm præsumptum, & sic non impeditur 2. electio, si potest se purgare de illo crimine præsumpto. Quia contra crimen præsumptum admittitur purgatio, vt *in cap. Officij, prope finem, de elect.* Vel fuit cassata prima electio propter infirmitatem, & non impeditur 2. electio, si potest probare, quòd ab illa infirmitate conualuerit, vt Abb. *cap. Cum inter Canonicos. de elect. num.* 7. Imò opponenti contrà aliquem, quòd laboret aliqua infirmitate, propter quam redditur inhabilis ad illud officium, incumbit probare, quòd tali adhuc infirmitate laboret. Quia semel infirmus, non semper præsumitur infirmus nisi sit incurabilis, vt podagrosus continuus.

Dico octauò, Electio metu facta est ipso iure nulla. Glossa *in cap. Bona Memoria el primo, de elect. verb. Metuebant*, vbi Panorm. *n.*11. Passatellus *in scholiis ex Barchinonens. num.* 14. Neque valet hic Regula, quòd *voluntas coacta voluntas est.* De qua *in cap. Merito*, 15. *quæst.* 1. Quia in electione non solùm requiritur consensus, sed etiam liber consensus; Metus autem licèt non tollat consensum, tollit tamen libertatem consensus, quia vbi intercedit Metus, ibi consensus non est liber. Facit caput *Quisquis, de elect.* vbi Panorm. *num.* 5.

Dico nonò, Omnes vnanimiter de capitolo, nemine discrepante, possunt admittere extraneum ad eligendum vnà cum eis. Panorm. *in cap. Scriptum, de electione, num.* 3. *Et in cap. cum Vintoniensis, eodem numero, & titulo.*

Nauarr.

Nauarr. *lib.* 5. *consil. de Simonia consil.* 9. Passarellus *in scholiis ex Auenionensi, de elect. dub.* 6. vbi adducit multa capitula generalia nostri Ordinis, in quibus id fuit vsu receptum, habetur *in dicto cap. Scriptum.* §. *Et si partes.* Et ratio est, quia si possunt totam potestatem eligendi in compromissarios transferre. Vt *in cap. Causam*, multò fortiùs debent posse communicare aliquibus, vt cum eis coëligant. Vno autem discrepante, non possunt reliqui extraneum admittere dicti Panorm. & Passatellus *argumento cap. in re Communi, de Regular. iur. in* 6. *reg* 56. vbi dicitur, in te communi potior est conditio prohibentis, & ratio est, quia ius eligendi spectat ad singulos de Collegio pro parte sua; Vnde singulorum interest, ne admittantur extranei. Quia pluribus admissis, minus valet votum cuiuslibet. Idem dic de priuatis à iure potestate eligendi. Vt Panorm. *in c. Cum Vintoniensis, de elect. num.* 3. & Passatellus *loc. cit.* & habetur *d. cap. Cum Vinton.* vbi Glossa *verbo Admittendos.* Sed nunc in nostra Religione limitata est hæc conclusio, quod solum intelligatur in casibus dubiis ita fuit determinatum *in cap. Romano* 6. *num.* 14. *dub.* 1.

Dico decimò. Reputatus dignus ad minorem dignitatem, non reputatur dignus ad maiorem. Glossa *in cap. Scriptum, de elect. verb. Præsumptione*, & Panor. *ibi. num.* 15. Ratio est, quia vbi maior imminet cura, ibi maior requiritur idoneitas, *argum. cap. Cum in cunctis, de elect. in princ.*

Dico vndecimò. Notarius seù tabellio, seù scriba de iure communi non est necesse, quòd sit de corpore capituli, sed potest esse extraneus, & etiam laicus. Panot. *in cap. Quia propter, de elect. num.* 10. Quia solùm habet nudum ministerium. De iure autem Regulæ nostræ debet esse de corpore Capituli. Habetur *Capitulo Val.* 4. *num.* 16. Qui non esse Correctot in capitulo locali, neque Prouincialis in Prouinciali; nec Generalis in Generali, vt habetur *cap. Auenionensi* 2. *num.* 10.

Dico duodecimò. De Iure communi, Si priuetur aliquis Prouincialis, electio Vicarij pertinet ad illum, qui cum priuauit. Habetur *cap. Inferior, d.* 21. vbi latè Glossa *verbo Inferior.* Quia illius est ligare, cuius est soluere. Cui iuri conformat nostrum Correctorium *num.* 9. Conformant etiam statuta capituli Tholosani, *num.* 13. & fori Iulij, *num.* 19. Habetur expresse in *Capitulo Genuensi* 4. *num.* 11. Ab iis, à quibus fit Prælati depositio, fit Vicarij substitutio vsque ab proximius futurum capitulum, vel Prouinciale, vel Generale, Quòd etiam conformat cum capite *Ea quæ, de statu Monach.* §. *Quòd si Abbas.*

§. IX.

De Simonia, quæ contingit in electionibus faciendis.

Dico primò Religiosus Simoniam committit, si dat temporale aliquod munus, vel à manu, vel à lingua, vel ab obsequio, pro quorum terminorum declaratione vide D. Thom. 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 5. Lessius *lib.* 2. *de iustitia, cap.* 35. *dub.* 20. Petrum Sotum *de Sacram. ord. lect.* 7. *versu. Quæ verò dari*, pro consequendis rebus Ecclesiasticis, v. g. licentia confessiones audiendi, prædicandi, ordines recipiendi: vel à Prælato, seù Episcopo à casibus reseruatis absoluendi, Pro consequenda Abbatia, Prioratu, Prouincialatu, Generalatu, Vicariatu, Collegatu, Definitoriatu. Ita Suarez *tom.* 1. *de Religione, lib.* 4. *cap.* 54. *num.* 3. & habetur *in cap. non satis, & in cap. Mandato, & in cap.* 2. §. *Prioratus, de statu Monachorum, & in cap. Quam pio, prima, quæst.* 2.

Item Simoniacus est, si det aliquid ex prædictis muneribus pro consequendo officio Sacristæ, vel Procuratoris Ordinis. Ita Suarez *ibi.* Et habetur expressè *in cap. Saluator, prima, quæst.* 3.

Dico secundò, Simoniaca est illa electio, in quo electores conueniunt, vt alter suffragetur vni in vna electione, & alter suffragabitur in alia, siue si dederis mihi tuum votum in hac electione, ego dabo tibi meum in illa. Ita Nauarr. *in sum. cap.* 25. *num.* 100. *versu Secundò quod duplex.* Angelus *verbo Simonia.* 3. *n.* 3. Syluest. *verbo Simonia, quæst.* 13. *num.* 13. *d.* 4. Rodr. *tom.* 3. *quæst. Regul, quæst.* 63. *art.* 4. Reginald. *in praxi, lib.* 23. *num.* 244. *versu Quintum est*, Syluest. *verbo Simonia, quæst.* 13. *d.* 4.

Probatur primò *ex cap. Quam pio, prima, q.* 2. & *cap. Cum pridem, & cap. Pactiones, de pactis, & cap. Præterea, el primo, de transactionibus, & cap. Tua nos, de Simonia.* Expressè *in cap. de hoc autem, de Simonia.*

Secundò Probatur, quia in istis conuentionibus datur ius spirituale, cum onere vt fiat aliquid, quasi pro pretio rei spiritualis; vel causa mediata eam habendi.

Tertiò Probatur *ex cap. Quæsitum, de rerum permutatione*, vbi definitur quòd *Semper continet Simoniæ labem datio rei spiritualis pro alia spirituali, interueniente pacto.* Verbi gratia Beneficium, votum pro voto, Atque ita etiam tenet Vega *secunda parte sum. cap.* 101. *casu* 12. Vnde colligitur, quòd scientes, se fuisse tali pacto electos, tenentur statim renuntiare, vt benè colligit Rodrig. *loc. cit.*

Dico tertiò, Simonia est dare pecuniam, vt aliquis mihi suffragetur, seù pro obtinenda voce alicuius. Ita Panorm. *in cap. Matthæus, num.* 3. Et patet, quia pecunia acquiritur quid spirituale.

Dico quartò si pro suffragio ferendo beneficium aliquod promittatur, v. g. si promittatur Priotatus vel collegatos, electio secuta est Simoniaca. Ita Azor. *tom.* 3. *inst. moral. lib.* 12. *cap.* 7. *quæst.* 1. *versu Est itidem.* Et habetur expressè *in cap. De hoc, de Simonia.*

Dico quintò Licitum est offerre pecuniam, non solùm vt non eligatur indignus, sed etiam vt eligatur dignus in communi, In casu, quo Electores essent determinati eligere indignum, prætermisso digno. Ita Sotus *lib.* 9. *de iustitia, quæst.* 6. *art.* 1. *ad* 2. Valent. *tom.* 3. *disp.* 6. *quæst.* 16. *puncto* 3. *col.* 13. *versu Quarto sequitur.* Lessius *lib.* 2. *de iustit. cap.* 35. *dub.* 19. *num.* 115. Suarez *tom.* 1. *de Religione, lib.* 4. *cap.* 50. *num.* 36. Aragon. 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 3. *circa secundum dub. vlt.*

Probatur, quia procurare bonum Ecclesiæ licitum est, etiamsi alter propter hoc sit peccaturus, Imò concedunt Suar. & Lessius, quòd si aliqui electores iniustè electionem impedirent, posset illis pecunia offerri pro redimenda vexatione Ecclesiæ, cuius plurimum interest pastorem habere.

Dico sextò, si aliquis sit excommunicatus, seù suspensus, vel priuatus iure eligendi, & vult quidam eum accusare, ne electioni intersit, si ille timens dat ei pecuniam, ne accuset, Simoniacus est. Ita Panorm. *in cap. Nemo, de Simonia, num.* 1. Graff. 1. *part. decis. lib.* 1. *cap.* 96. *num.* 52. Naldus *in sum. verb. Simonia, num.* 6. Et habetur *in cap. Nemo, de Simonia*, vbi Gloss. *verbo Celet.* patet, quia Simonia committitur, non solùm impendendo aliquid spirituale pro temporali, sed etiam omittendo spirituale, quod tenebatur impendere per aliquid temporale, vt Panot. *loco cit.* Secus autem esset, si iniustè fuisset excommunicatus, vel priuatus.

Dico septimò, si quis det pecuniam alteri, ne consentiat, in tali electione, seù ne suffragetur alicui digno, Simoniam committit. Ita Glossa *in cap. Nemo, de Simonia, verbo Celet.* Et patet, nam Simonia committitur, quandocumque spirituale committitur, vel omittitur pro commodo temporali, vt dixi ex Panorm.

Dico octauò, si postquam aliquis est electus plurium electorum suffragio, pecunia daretur alicui, qui electioni contradiceret, ne repugnando electum vexaret, vel electionem impediret, electio esset Simoniaca. Ita Panorm. *in cap. Matthæus, de Simonia, num.* 3. Azor. *tom.*

tom. 3. instit. moral. lib. 12. cap. 7. q. 1. versu Quares quid dicendum, & habetur *in cap. Matthaus, de Simonia*. Et ratio est, quia aliis liberum ius est contradicendi, excipiendi, & opponendi aliquid contra electionem: vel quia fortè sunt neglecti, *cap. Quod sicut, de electione*: vel quia fortè electus fuerit corruptè, scilicet quia, eo sciente, & non contradicente, pecunia data sit, vt Gloss. *dicto cap. Matthaus, verbo Pauca*.

Vnde colligitur, quòd si duo essent electi in Prouinciales, vel Correctores v.g. non possent eorum alter dare pecuniam, vt alter desisteret: seu ad hunc finem aliquod officium ei promittere, absque eo quod ambo Simoniæ labe inquinarentur: Quia tunc acquiritur mediante temporali aliquid spirituale. Atque ita docet Reginald. *in praxi, lib. 23. num. 124*.

Dico nonò, Si contradicentibus electoribus, non iure, sed facto, det electus pecuniam ne contradicant, Simoniam committit. Ita Panor. *de mente Innocentij,in cap. Matthaus, de Simonia, num. 4*. Azor. *tom. 3.inst. moral. lib. 12. cap. 7. quæst. 1. versu,Sed quid si contradicant cateri*. Ratio est, quia pro iure spirituali quærendo licitum non est dare pecuniam, iste autem licèt electus sit nondum tamen habet ius plenum ante confirmationem; secùs autem esset, si quis non elector electum vexaret, vt notat Azor. *loc. cit*.

Dico decimò. Si quis fuit electus ad aliquam dignitatem, & confirmatus, potest dare pecuniam iniustè vexantibus pro se in suo officio conseruando. Ita Panorm. *in cap. Matthaus, num. 4*. Lessius *lib. 2. de iustitia,cap. 35. dub. 18. num. 110*. Suarez *tom. 1. de Religione,lib.4. cap. 50. num. 2*. qui multos citat. Colligitur satis clarè *ex cap. Dilectus, el 1. de Simonia*. Et patet, quia iste non dat pecuniam pro aliquo iure acquirendo, sed solùm pro se in iure acquisito conseruando.

Dico vndecimò. Qui fuit iniustè priuatus, seu suspensus, potest dare pecuniam, vt suum sibi restituatur officium, vel à suspensione liberetur. Ita Gloss. *in cap. Dilectus, el 1. de Simonia, verbo Restituere*. Quia non dat pecuniam, vt vllum ius acquirat, sed vt acquisitum retineat. Secùs verò si iustè sit suspensus, vel priuatus, vt eadem Gloss. *ibi*, & Reginald. *in praxi, lib. 23. num. 125*. & habetur *in cap. Nemo, de Simonia*, Patet, quia tunc pecunia quid spirituale acquiritur, gratia nimirum reconciliationis, & ad officium reintegrationis, quæ spiritualia sunt.

Dico duodecimò. Non est Simonia redimere vexationem, ab illo, qui iniustè vexat, & impedit, etiam ante ius acquisitum si talis conferre non potest dignitatem, seu suffragium non habet in tali electione, vt verbi gratia. Si quis iniustè me infamaret, vel in carcerem truderet, ne ad capitulum accederem, vel detineret aliquem electorum, ne mihi suffragaretur. Ita Sotus *lib. 9. de iustit. quæst. 6. art. 1. ad quintum*. Lessius *lib. 2. de iustit. cap. 35. dub. 18. num. 108*. Suar. *tom. 1. de Religione, lib. 4. cap. 50. num. 23*. qui addit, esse communem Theologorum. Ledesma *2. part. sum. tract. 12. concl. 29. pag. mihi 953*. Aragon. *2. 2. quæst. 106. art. 3. in solut. ad quintum, dicto secundo*.

Probatur, quia redimere se hoc pacto à tali vexatione in intrinsecè malum non est, licitum enim vnicuique est suum ius, & famam defensare, & iniustas vexationes à se procul propulsare. Et hoc est valdè remotum ab acquisitione rei spiritualis, cum solum pertineat ad habilitatem personæ.

Dico decimo-tertiò. Licitum est pecunia redimere vexationem, quam quis non elector, precibus, vel muneribus electores conatur corrumpere, seu licitum est redimere vexationem à subornatoribus electorum. Ita Suar. *loc. cit. num. 25*. Lessius *loc. cit. num. 109*. Aragon. *loco cit. d. 3*.

Probatur, quia hic nulla res spiritualis emitur, si solum intendatur propulsatio illius iniuriæ. Secùs autem si non solum daretur pecunia, vt subornator desisteret à tali subornatione, sed vt faceret officium in contrarium inclinando nimirum electorem in fauorem dantis pecuniam, vt notat Suarez *loco cit. num. 26*.

Ad discernendum autem, quomodo, & quando, & cui possit dari pecunia pro vexatione redimenda, noto duo. Primòm, quòd multum interest considerare, an persona, cui datur pecunia, possit obesse tantum electioni, & non prodesse, an verò possit non solum obesse, sed etiam prodesse, seu clarius. An persona, cui datur pecunia, non habeat votum in electione, vel habeat. Quæ distinctio sumitur ex Cajet. *2. 2. quæst. 100. art. 2. §. Ad hoc dicit*. Et communiter approbatur ab omnibus, Less. *lib. 2. de instit. cap. 35. dub. 18. num. 108. & 109*. Suar. *tom. 1. de Religione, lib. 4. cap. 50. n. 22*. Ab illis enim licitum est vexationem redimere, ab istis verò nequaquam, quamuis sit iniusta. Ita Aragon. *loc. cit. d. primo*. Et ratio est, quia obtinere ab eo, qui potest prodesse electioni, vt desistat ab iniuria inferenda, est ex consequenti ab ipso pretio obtinere beneficium. At vero obtinere ab eo, qui tantum potest obesse, vt desistat, non est obtinere ab eo quidquam Spirituale, sed solum vexationem redimere.

Noto secundò, quòd multum etiam interest ad discernendum, quando licitum sit dare pecuniam pro vexatione redimenda, an vexatus habeat ius in re; idest, An sit electus, & confirmatus, an verò solùm habeat ius ad rem, idest solùm sit electus, nondum verò confirmatus. Qui enim habet ius in re, potest suam vexationem redimere à quocumque vexante, etiam ab eo, cuius esset possessionem dare, vt Lessius *loco cit. num. 110*. multos alios citans. Qui verò solum habet ius ad rem, licèt pro sibi conseruando illo iure ad rem, possit manifestè iniustam vexationem à quocumque redimere, vt Suar. *loc. cit. num. 8*. non potest tamen vexationem redimere vexantibus etiam iniustè in prosecutione illius electionis, idest à vexantibus, ne confirmationem obtineat; Et ratio vtriusque est, quia in prima redemptione nullum de nouo ius acquirit, sed solum acquisitum tuetur, in secunda autem nouum ius acquirit spirituale, nimirum confirmationem.

Dico decimo-quartò, Si alius dedit pecuniam, sciente illo, cui electio procurabatur, & non contradicente; electio est ipso facto nulla, & sic electus renuntiare tenetur. Ita Suarez *tom. 1. de Religione, lib. 4. cap. 57. numero 28*. Gloss. *in cap. Sicut tuis, verbo prabere, de Simonia*.

Probatur, quia sciens Simoniacam intentionem resistere debebat, vnde non resistendo tacitè consensit.

Dico decimo-quintò. Si electus non sciuit Simoniam, quæ committebatur, sed quia suspicatus est, ne committeretur, contradixit, repugnauit, & nunquam consensit, electio est firma, & valida. Ita Suar. *loc. cit. num. 30*. & habetur expressè *in cap. Sicut tuis, de Simonia*, & hoc siue mediator ille, qui dedit pecuniam, sit amicus, vel inimicus. Nam motiuum aliorum inordinati amoris, vel odij, non debet innocenti, & contradicenti nocere.

Sed quid, si adepta dignitate, electus consensit pecuniam soluendo. Abb. *in dicto cap. Sicut tuis, num. 8*. & Gloss. *dicto cap. verbo Consenserit*, dicunt, quod iste soluens pecuniam, propriè non committit Simoniam, Quia ille soluens pecuniam, non emit beneficium, sed consentit venditioni iam factæ, quæ sunt valdè diuersa. Nec per consequens renuntiare tenetur, poterit quidem per Iudicis sententiam priuari, quia factum approbauit. Quomodo dicunt intelligi verba illa. *Nisi postea consenserit* posita *in d. cap. Sicut tuis*. Sed meliùs, & ad mentem D. Thom. *2. 2. quæst. 100. art. 6. ad tertium;* distinguuntur Suarez *loc. cit. num. 31*. & Lessius *lib. 2. de iustitia, cap. 35. dub. 25. num. 144*. quos sequitur Reginaldus *in praxi, lib. 23. num. 179*. nam, vel soluit pecuniam

pecuniam factum approbando, & sic innoluitur Simoniæ vitio, & tenetur dignitati renuntiare, si fuerit per sententiam Iudicis ad hoc adstrictus, vt notat Suarez *num.* 32. vel soluit pecuniam factum non approbando interiùs, neque exteriùs sed solùm ne amicus damnum patiatur, & non est Simoniacus, nec potest beneficio priuari: Et ad vtrumque adducit dictus Suarez *cap. cum quis, de sent. excomm. in 6.*

Dico decimo-sextò. Si committatur Simonia prorsùs ignorante illo, qui dignitatem consequitur, & non contradicente, quia nullam occasionem, vel suspicionem habuit ad contradicendum, si pecunia non sit data in odium illius ab inimico, sed in illius fauorem, & beneficentiam ab amico, tunc electio est ipso iure nulla, & tenetur sic electus, statim ac fuerit de Simonia, conscius, beneficium relinquere, & fructus receptos restituere, his exceptis, quos bona fide perceperit. Ita Diu. Thom. *loc. cit.* Suarez etiam citatus *num.* 35. Reginald. *in praxi, lib.* 13. *num.* 177. Probatur *ex cap. Nobis, & cap. Sicut tuis, de Simonia*, vbi dicitur: *Quamvis secundùm sacrorum Canonum instituta etiam paruuli qui cupiditate parentum Ecclesias sunt adepti, eas dimittere teneantur.* Et etiam habetur *in cap. Ex insinuatione, eodem tit.* vbi Glossa, *verbo Resignasti*, notat, quòd in odium Simoniæ punitur aliquando quis sine culpa. Quia, nisi ius taliter puniret, nimis frequentatum esset hoc crimen. Quod etiam notauit Felinus *eodem capite, num.* 4. Excipitur autem casus, quo pecunia data esset in odium eligendi. *Nam odium Inimici parantis insidias nemini debet obesse*, vt dicitur *d. cap. nobis, & Sicut tuis*, vbi dictus casus excipitur.

Dico decimo-septimò. Si electio sit Simoniaca, ignorante electore, & electo, puta quia data sit pecunia alicui consiliario, & intimo amico eligentis ab amico electi, est nihilominùs ipso facto nulla. Ita Suarez *loc. cit. num.* 40. Armilla *verbo Simonia num.* 7. & habetur *in cap. De Regularibus, de Simonia.* Intellige, dummodò electus suspicans de Simonia non contradixerit, vel in odium ipsius non sit data pecunia. Et ratio est, quia irritatio directè fertur in omnem electionem, quæ contingit per Simoniam fieri.

Et aduerte, quòd est Simonia illa electio, & consequenter nulla, in qua concurrit vnus electorum, cui facta fuit aliqua promissio temporalium, etiamsi iste existeret extra numerum maioris partis: ita vt maior pars sine isto nihilominus erat electura, imò etiamsi iste nihilominus erat electurus personam electam, (nisi promissio facta sit in fraudem electionis) imò etiamsi promissio facta non valeret. Atque ita probat Marta *in suis decision. voto* 40. *à num.* 1. *& num.* 4. addit, quòd ad probandum talem promissionem fuisse factam, sufficit literas huius promissionis transmissas, fuisse repertas in Cella prædicti electoris, nam tunc videtur illas acceptasse *ex Regula legis, si filiusfamilias patre absente ff. ad Macedonian. & num.* 5. ait, quod hæc præsumptio debet esse validum argumentum Superiori, ne dictam electionem confirmet; imò & ipso electo, & fortè ignoranti debet esse consilium, ne dictam electionem acceptet, iuxta *cap. Matthæus de Simonia.*

Dico decimo-octauò. Circa pœnas Simoniacorum, quòd omnis electio, prouisio, nominatio, & confirmatio simoniacè facta est ipso iure nulla ante omnem Iudicis sententiam, etiam declaratoriam, nullumque ius, vel effectum confert, & qui sic electus est, tenetur in conscientia Prælaturæ renuntiare, nec potest absolui, priusquam renuntiet. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst.* 100. *art. 6. ad tertium*, quem sequuntur omnes, Suar. *tom.* 1. *de Religione, lib.* 4. *cap.* 57. *num.* 10. *& n.* 25. Lessius *lib.* 2. *de iustitia, cap.* 35. *dub.* 25. *num.* 137.

Probatur *ex Extrauag. cum detestabile*, quæ est secunda *de Simonia*, vbi dicitur, *Per electiones verò, postulationes, confirmationes, prouisiones, seu quasuis alias dispositiones, quas Simoniaca contigerit labe fieri, & quæ viribus omninò careant in Ecclesiis, Monasteriis, Dignitatibus, Personatibus, Officiis Ecclesiasticis, & quibusuis beneficiis, aut aliquo eorum cuiquam, ius nullatenùs acquiratur, nec inde faciat aliquis fructus suos, sed ad illorum omnium, quæ percepit, restitutionem, sub animæ suæ periculo sit adstrictus.* Et hoc etiamsi Simonia sit occulta, vt probat Suarez *loc. cit. num.* 27. & habetur expressè *in cap. Matthæus, de Simonia*, quod de secreta loquitur, & expressiùs in dicta Extrauaganti ibi. *Et eorum quemlibet tam manifestum, quàm occultum.* Et hoc siue Simonia sit commissa ab eodem, qui dignitatem obtinuit, siue ab aliis, ipso etiam nesciente, iuxta dicta.

Dico decimo-nonò. Qui recipit simoniacè Ecclesiasticam dignitatem, non est priuatus ipso facto aliis dignitatibus, priùs ritè acquisitis, sed debet expectari Iudicis sententia condemnatoria. Ita Nauarr. *lib.* 5. *consil. de Simonia, consil.* 92. Azor. *tom.* 3. *instit. moral lib.* 12. *cap.* 21. *dub.* 12. Suarez *loco cit. cap.* 58. *à num.* 3. Reginald. *in praxi. lib.* 23. *num.* 188. Molfesius 1. *part. sum. tract.* 6. *cap.* 15. *num.* 97.

Probatur, quia nullo iure cauetur, vt bene Suarez discurrens per omnia. Et pœna, qua quis priuatur à iure re sua iustè possessa, non est sic accipienda, vt ille teneatur eam exequi in se ipso.

Excipit tamen ibi Suarez, *num.* 3. duos casus, in quibus dicit, quòd Simoniacus priuatur ipso facto dignitatibus priùs ritè acquisitis, nec potest absolui, nisi dignitatibus dimissis, & est inhabilis ad futura quæcumque. Primus est, quandò Simonia est confidentialis *per Extrauag. Pij V.* quæ incipit *intolerabilis*, quam refert Nauarr. *in sum. cap.* 23. *num.* 110. Secundus est, quando examinatores ad beneficia in examine committunt Simoniam, prout habetur in Trid. *sess.* 24. *cap.* 18. *de reformatione.* Vsu tamen videtur receptum, quòd neque etiam in his casibus quis teneatur beneficia dimittere ante sententiam, vt notat Lessius *lib.* 2. *de iustit. cap.* 35. *dub.* 26. *num.* 148. *& cap.* 34. *dub.* 16. *n.* 79 *vers.* 3. *nihil*, per quem vsum videntur limitata prædicta iura.

Ex conclusione ergò colligitur, quòd si quis fuerit ritè electus in Prouincialem verbi gratia, si deinde simoniacè confirmationem obtineat, non per hoc electio erit ipso iure nulla, licèt poterit per sententiam Iudicis in pœnam Simoniæ commissæ in confirmatione annullari. Ita Lessius *lib.* 2. *de iustit. cap.* 35. *dub* 25. *num.* 138. & Suarez *loco cit. num.* 7. qui ad id adducunt caput *si confirmationem, de electione in 6.* Et Ratio est, nam si posterior actus irritus est, non per hoc prior irritus censeri debet. Quia priùs à posteriori non pendet. Secùs verò est, si prior actus idest electio, irritus fuit, tunc enim confirmatio nulla erit, etiamsi absque Simonia fuit. Quia deest fundamentum, sine quò non potest esse validus subsequens actus.

Dico vigesimò. Qui simoniacè dignitatem obtinuit, inhabilis est ipso iure ad quascumque alias dignitates obtinendas ante sententiam Iudicis condemnatoriam. Ita Suarez *tom.* 1. *de Religione, lib.* 4. *cap.* 58. *n.* 10. Azor. *tom.* 3. *instit. moral. lib.* 12. *cap.* 21. *dub. vlt.*

Probatur ex Bulla Pij V. quæ incipit *cum primum*, quam refert Cherub. *to.* 1. *Bull. in Pio V. constitutione eius* 5. Vbi §. 8. sic habetur. *Qui dignitates Ecclesiasticas Simoniacè acquisierit, illis sit ipso iure priuatus, & futurus inhabilis ad eas, & quascumque alias obtinendas.*

Sed dubitat ibi Suarez, an hæc pœna incurratur etiam ante sententiam Iudicis declaratoriam. Et licèt de rigore iuris ita esse dicat. Tandem tamen cum Nauarr. *lib.* 5. *consil. de Simonia, consil.* 92. concludit, quoad hoc illam pœnam non esse vsu receptam, & sic debere expectari Iudicis sententiam declaratoriam.

Dico vigesimo-primò. Per Simoniam in beneficio incurritur excommunicatio maior ipso facto, cuius absolutio

lutio est Pontifici reseruata. Ita Suarez *loco cit. cap. 56. num.* 6. & communiter al.j.

Probatur ex Bulla Pauli II. quæ est secunda *de Simonia inter extrau. Communes*, in qua ita habetur. *Statuentes præterea, quod vniuersi, & singuli etiam præmissis dignitatibus præditi, qui quomodolibet dando, vel recipiendo Simoniam commiserint, aut quod illa fiat, mediatores extiterint, seu procurauerint, sententiam excommunicationis incurrant, à qua nisi à Romano Pontifice pro tempore existente non possint absolui, præterquam in mortis articulo constituti*, & fuit confirmata per Bullam Pij V. citatam, quæ incipit cum primum. Quam tamen excommunicationem non incurrit, qui acquirit beneficium per Simoniam verè realem, ignoranter tamen, vt notat Aragon. 2. 2. *quæst.* 100. *art.*6. *concl.*4 Qua iste nullum peccatum commisit, licèt teneatur resignare, statim ac sciuerit factum, vt dixi.

Solum hic posset quæri, quid nomine beneficij intelligendum sit. Cajet. *in summ. verbo Excommunicatio cap.* 72. Rodrig. *tom.* 1. *quæst. regul. quæst.* 20. *art.*13. Suar. *loc. cit. cap.* 57. *num.* 47. Armilla *verbo Excommunicatio*, *cap.* 59. Reginald. *in praxi, lib.* 23. *num.* 182. censent, quod nomine beneficij intelliguntur officia apud Mendicantes, v. g. Prioratus, Guardianatus, Correctoriatus, Prouincialatus, Generalatus. Quia, inquiunt, licèt non sint beneficia, sunt tamen officia Ecclesiastica, quæ beneficiis æquiparari videntur.

Nauarrus autem *in Manuali, cap.* 23. *num.* 111. *ad* 14 *versu* 7. *& lib.* 5. *cons. de Simonia . cons.* 98. Angel. *verb. Simonia* 6. *num.*9. Rosella *eodem num.* 13 *ad finem.* Tabiena *eodem num.* 72. *ad finem.* Sylu. *eod. quæst.* 19. *§. Tertia excommunicatio, fiae.* Salzedo *ad pract.* Diaz, *cap.* 92. *versu Tertio quòd nullus.* Azor. *tom.* 3 *institut. moral. lib.* 12. *c.*21. *quæst.*6. *versu Quæres.* Lessius *lib.*2. *de iustitia*, *cap.* 35. *dub.* 25. *num.* 137. censent, quod ista excommunicatio tantum incurratur propter Simoniam realem commissam in ordine, & beneficio, & quod non habet locum in officiis Ecclesiasticis, quæ non sunt beneficia; Atque ita quod ista officia non veniunt nomine beneficij, Et verè multum interest inter ista, officia regularia & beneficia. Tùm quia ille ferè omnia temporalia sint; Tùm quia nullam habet præbendam annexam, ex qua tale officium habenti aliquid emolumenti, & commodi prouenire possed verè mere nnera sunt (*si*, vt decet, exerceantur) vnde cum constitutio pœnalis sit strictè interpretanda, illa constitutio in istis officiis locum non est dicenda habere. Innuit etiam non obscurè summa corona Confessorum, *parte tertia*, *cap.* 10. *tract. de Simonia*, *num.* 28. *versu* 4. *quei*, *che commetterano Simonia.*

Si quæras, an per Simoniam, quæ committitur in ingressu Religionis, incurratur aliqua excommunicatio,

Respondeo, quòd secundum istos Doctores per solam Simoniam in ordine, & beneficio, incurritur excommunicatio, atque ita per Simoniam in ingressu Religionis secundum eos nulla excommunicatio incurritur.

Si dicas, quod in extrauag. 1. de Simonia, *præcipitur sub pœna excommunicationis ipso facto ne dentur, vel exigantur in Religionis ingressu pastum, prandia, pecunia, vel alia, aut aliæ res etiam ad piam vsum deputanda.*

Respondeo, dictos Doctores insinuare, hanc extrauagantem non esse receptam, vt censet, & credit Less. *lib.* 2. *de iustitia*, *cap.* 35. *dub.* 23. *num.* 131.

Dico vigesimo-secundò. Contra obtinentes dignitates per Simoniam est in iure posita pœna infamiæ. Ita Suarez *loc. cit. num.* 25. Azor. *tom.* 3. *instit. moral. lib.* 12. *cap.* 21. *q.* 7.

Probatur *ex cap. Sane* 15. *q.*3. *& c. Si quis præbendas* 1. *q.* 3. vbi dicitur; *Emptor, atque venditor, & interuentor nota infamia percellantur.* Sed hæc pœna non incurritur ipso facto, sed per solam Iudicis condemnationem.

Dico vigesimo-tertiò. Ad has pœnas incurrendas non

sufficit, quòd pecunia sit promissa, seu quòd sit accepta, & solùm promissa dignitas, sed debet esse realiter pecunia data, & dignitas realiter recepta. Ita Nauarr. *in sum. cap.* 23. *n.* 104. Azor. *tom.* 3. *instit. moral lib.* 12. *cap.* 21. *quæst.* 10. Suarez *tom.* 1. *de Religione, lib.*4. *c.*56. *n.* 33. Lessius. *lib.* 2. *de iust. c.* 35. *dub.* 27. *n.*149. Reginald. *in praxi, lib.*23. *n.*171. Armilla *verbo Simonia n.*4. Graff. *prima parte decis. lib.*2. *cap.*96. *n.*20. Petr. Nau. *lib.*2. *de rest. c.*2. *n.*428. Couarr. *in Regula Peccatum, parte secunda*, *§.*8. *n.*7. *in principio*, Vega 2. *p. sum. c.* 101. *casu* 13. *versu Emper nota*, vbi alios citat. Ratio, quam afferunt isti Doctores est, quòd ita seruat stylus Romanæ curiæ. Et confirmant *ex extrau.* 2. *de Simonia*, vbi hæ pœnæ non statuuntur, nisi in eos, *qui conuentione facta quomodolibet, dando, vel accipiendo Simoniam commiserunt.*

Quando autem ex parte promittentis temporale esset traditum conferenti spirituale instrumentum debiti, seu schedula cambiorum, qua fateretur beneficium desiderans, se debere collatori, vel alteri centum: seu qua posset collator tali tempore recipere in tali bancho mercatorio illa centum, tunc ambo incurrerent censuras. Ita Graffius *loc. cit. num.* 22. Quod idem est dicendum, Si mihi collator debeat centum ex alia causa, & feci ei chirographum, quo fateor ea recepisse hac ex causa, vt beneficium accipiam. Ita idem Graffius. Quod intellige, modo beneficium, vel aliud aliquid spirituale acquiratur.

Dico vigesimo-quartò. Mediatores simoniacæ electionis realis, & complices in beneficiis, & in ordine incurrunt in excommunicationem ipso facto. Azor. *tom.* 3. *inst. moral. lib.* 12. *c.* 24. *q.*1. Nau. *lib.*5. *cons. de Simonia, cons.* 98. qui docet, quòd ad hoc, *Vt quis dicatur mediator in Simonia non est necesse, quod ipse ob eam aliquid recipiat, sed satis est, vt mediator fuerit, vt illa fiat.* Habetur expressè conclusio in extrauag. 2. de Simonia

Ex quo colligitur, quod qui fuit mediator ad consequendam aliquam dignitatem in Religionibus mendicantibus, non incurrit dictam excommunicationem: Nec qui fuit mediator in Simonia conuentionali incompleta. Ita Nau. *loc. cit.* Quia nec ipsi principales incidunt.

Dico vigesimo-quintò. Possunt Prælati Regulares absoluere suos Subditos ab omni excommunicatione per Simoniam incursa, præterquam ab incursa per receptionem Simoniacam ordinum. Ita Rodrig. *tom.* 1. *q. regul. q.*20 *art.* 13. Suar. *tom.* 1. *de Religione, lib.*4. *cap. vltimo, num.*4. Scotria *in select. ball. theor.* 380. Graff. *de quinque car. lib.* 1. *cap.* 9. *num.*7. *& n.*28. Sigismund. *de elect. dub.* 98. *num.* 10. quòd autem possint eos absoluere docet Vecchius *de noair. disp.* 9. *dub.* 13. *num.* 3.

Probatur ex priuilegiis Eugenij IV. Cœlestini V. Clementis IV. quæ refert Rodrig. *loco cit.* Ab incursa autem per susceptionem Simoniacam ordinum non possunt absoluere, post constitutionem Sixti V. confirmatam à Clemente VIII. quas refert dictus Rodrig. & docet dictus Suarez *loc. cit. num.*6.

Dico vigesimo-sextò. Dispensare cum eo, qui scienter Ecclesiasticam dignitatem simoniacè obtinuit, vt eam de nouo possit obtinere, ad solum Papam pertinet. Ita Suar. *loc. cit. n.*10. Regin. *in praxi, lib.*23 *n.*186. Graf. *1.p. decis. c.*98. *n.*6. Colligitur *ex c. Si alicuius, de elect. ex cap. Si quis de Simonia*, & aliis capitibus apud Reginaldum.

Cum eo verò, quo ignorante Simonia commissa est in acquisitione sui beneficij, post huius liberam resignationem dispensat Episcopus, nisi ipse sit, cum quo commissa est Simonia, si beneficium sit simplex, habetur *in c. Si alicuius, de electione.* Si Beneficium sit curatum, tunc distinguendum est. Vel is, qui beneficium recepit, statim ac sciuit Simoniam fuisse commissam, illud renunciat, & tunc potest dispensare Episcopus, iuxta *caput finale, prima q.* 5. Si vero beneficium non resignat, statim ac cognouit Simoniam, sed expectat Iudicis sententiam, tunc solus Papa dispensat. Ita Reginaldus *loc. cit.* Et habetur *in c. Si alicuius, de electione.* Cuius prima

pars intelligitur, quod non possit cum eo Episcopus dispensare pro illa vice, quando scilicet non statim ae fuit de Simonia conscius resignauit, sed expectauit Iudicis sententiam, vt Glossa ibi, *verbo illa vice.*

Ex quibus colligitur, quid sit dicendum de recipientibus per Simoniam officia in ordinibus mendicantium. Qui enim scienter Prælatutam aliquam, verbi gratia Prouincialatum simoniacè recipit, illud retinere non potest absque dispensatione Papæ; Si autem, ipso ignorante, Simonia commissa sit, tunc si statim ac cognoscit; Simoniam, renuntiat Prouincialatum in manibus Generalis, potest ipse Generalis cum eo dispensare (nisi ipse sit, cum quo commissa est Simonia) si verò expectat Iudicis sententiam, tunc solus Papa dispensat. Quò vero ad alias inhabilitates vide Suarez *loco cit. num.* 11.

Dico vigesimo-septimò. Qui fictam, & deceptoriam Simoniam committit, dictis pœnis obnoxius non est, verbi gratia. Si quis fictè promittat temporale pro spirituali obtinendo, sine animo adimplendi promissum, Ita Sotus *lib. 9. de Iustitia, quæst.* 8. *art.* 1. Aragon. 2. 2. *quæst.* 100. *art. 6. dub.* 1. *concl.* 3. Graff. *prima parte decis. lib. 2. cap. 97. num.* 81. Reginald. *loc. cit. num.* 188. Probatur. Quia iste verè non emit spirituale, sed fingit emere. Vnde nec est excommunicatus, nec tenuntiare tenetur.

Dico vigesimo-octauò, Contra simoniacos in ordine nostro sunt positæ multæ pœnæ, & præsertim quod contra eos procedatur, tanquam contra proditores reipublicæ: admittendo nimirum testes singulares, &c. & pœnæ extenduntur etiam ad scientes, & non reuelantes. Ita statutum est *in Capitulo Barchinonensi* 1. *numero decimo-quarto.*

§. X.

De Præsidente Capituli.

Dico primò, Præsidens Capituli cum ampla potestate etiam à Papa missus, non potest priuare Religiosos Capitulari voce, actiua, vel passiua, sine eo quòd pri's citentur, ipsisque detur copia eorum, quæ contra ipsos sunt fulminata, vt se possint defendere. Ita Rodrig. *tom. 2. quæst. Regular. quæst.* 51. *art.* 11. *ad primum dub.* Miranda *tom. 2. Manualis, quæst.* 23. *art.* 22. *concl. 3. versu Hæc inquam.*

Probatur, Quia nemo potest condemnari inauditus; defensiones enim sunt de iure naturali. Quod adeò verum est, vt etiamsi dicatur in commissione, vt possit priuare dictos Religiosos voce actiua, & passiua, Id debet explicari, & intelligi iuris ordine seruato in eo, quod ad substantiam ipsius iuris spectat. Ad quam præcipuè spectat vt nemo inauditus condemnetur.

Dico secundò, Pattes capitulares præsato Præsidenti, mandanti, iuris ordine non seruato, obedire non tenentur, etiamsi præcipiat sub pœna excommunicationis ipso facto. Ita Rodrig. *loc. cit. ad secundum.*

Probatur, quia si mandata iniusta sunt, & nulla, vt supponc, nec etiam in foro exteriori ligabunt, quia sententia nulla, sententia non est, vt dicitur *cap.* 1. *de re iudic.* Imò sententia excommunicationis nulla, in foro exteriori minimè obligat, vt ait Sotus *in 4. dist.* 22. *q.* 1. *art.* 3. *circa concl.* 2. Cordoba *lib.* 1. *quæstionarij, quæst.* 41. *punct.* 1. Quod intelligitur dummodò euidenter de nullitate constet. Constat autem euidenter quinque modis de quibus Sotus, & Cordoba: vel quia scilicet Iudex potestatem non habeat: vel quia fuit legitimè recusatus, & ab eo appellatum est, vel quia sententia fuit lata contra tenorem priuilegij notorij, & iam ipsi Iudici notificati; vel quia continet errorem intolerabilem: vel quia est declarata nulla ipso iure, & ipso facto. Intelligitur etiam, vt sine scandalo possit præfatæ sententiæ non obediri. Si enim ex inobedientia scandalum aliquod sit otturum, obediendum est, saltem in foro exteriori, vt dicunt præfati Doctores. Vnde cessante scandalo, si præfatus Præsidens iniusta manifestè præcipiat sub excommunicationis pœna, possunt Fratres Capitulares, non solùm in foro conscientiæ, sed etiam in foro exteriori illi non obedire.

Dico tertiò, si priuentur aliqui vocales à dicto Præsidente, non seruato iuris ordine, electio à Iudice debet irritari, si ab exclusis petatur. Ita Rodrig. *loco cit. ad tertium.*

Probatur, quia non sunt admissi, qui erant admittendi. Vnde isti si suam velint prosequi iniuriam, debet Index electionem nullam declarare. Per ea, quæ dixi suprà, §. 6. *concl.* 3. *versu. Sed quid faciendum.*

Dico quartò, dato, quòd maior pars capituli nolit præfato Præsidenti obedire propter eius iniustitiam in procedendo, potest dicta maior pars ad electionem procedere sine ipso, & etiam sine maiori parte: Modò hæc minor pars non contemnatur, sed vocetur debitis viis, & modis, & electio ab illa maiori parte facta valida erit, Ita Rodrig. *loc. cit. ad quartum*, & habetur, *cap. Quòd sicut, de elect.* Et patet, quia cum illi iniustè procedenti obedire non teneantur, possunt suam electionem absque illo prosequi

Dico quintò, In ordine nostro non potest Capituli Præsidens dictos capitulares voce priuare propter delicta contra ipsos ab eo, vel aliis reperta in visitationibus, nec per quascumque quærelas à quibusvis ad capitulum contra ipsos missas, nisi in casibus, in quibus quis fuisset electus, non seruata forma Canonica: seu haberet aliquod, ex impedimentis Canonicis, de quibus supra *hoc cap. Notab.* 7. Ita statutum est *in capitulo Valent.* 4. *num.* 28. contra quod statutum facta omninò sunt cassa, nulla, & irrita. Quod statutum habent etiam Fratres Prædicatores, vt refert Festus *in suo summ. parte 3. cap. 6. versu Nullus autem, pag. mihi* 262.

§. XI.

De Confirmatore.

Dico primò, Electio confirmanda est à proximo Superiore, Hostiens. *in sum. lib. 1. de elect. num.* 27. §. *A qua confirmanda, pag.* 134. Antonin. 3. *part. tit.* 19. *cap.* 4. Habetur expresse *cap. nihil*, §. *Caterum, de elect.*

Dico secundò, Ad Confirmatorem pertinet examinare personas, tam eligentium, quam electi, & formam electionis, etiamsi nihil electo obiiciatur, Nauarr. *lib.* 1. *cons. til. de elect. consil.* 2. *num.* 2. Cucchus *lib.* 1. *inst. Can. tit. 9. de elect. num.* 1. Hostiens. *loc. citat.* Glossa *cap nihil, de elect. verb. Examinet*, habetur *cap. cum nobis, & cap. Venerabilem, de elect. & d. cap. nihil*, in quo capite punitur, qui confirmauit indignum. Et Confirmator si confirmauit per negligentiam indignum, vtpotè quia non examinauit diligenter vitam eius, &c. amittit potestatem confirmandi successorem istius indigni, & suspenditur ab officio, quousque fuerit restitutus; Si verò per malitiam confirmauit, grauiùs puniendus est, ad arbitrium scilicet Superioris. Nam quando lex non apponit pœnam, apponenda est ad arbitrium Iudicis, vt habetur *in cap. Nihil de elect. verbo Grauiori*; Et meritò, nam vt dicitur *eodem capite Nihil*; *Nihil sic nocet Ecclesiæ, quàm promotio eorum, qui indigni sunt, & minus habiles ad regimen animarum.* Et nota, quòd confirmatio facta sine causæ cognitione est ipso iure nulla, vt habet Panor. *dicto capite nihil, numero primo*, & expresse habetur *cap. finali de elect. in* 6.

Rodriguez tamen *tom* 2. *quæst. regular. quæst.* 52. *art.* 5. *versu, sed cum videamus*, putat, quòd praxis, quæ seruatur à Generalibus in confirmatione electionis Prouincialium, factæ in concordia, in qua prætermittitur dictum examen, sit tuta propter multa, quæ affert. In

Ordine

Ordine noſtro non confirmant Generales, niſi habitis literis teſtimonialibus, ſubſcriptis à toto capitulo iiſdem faciente, electionem omninò eſſe Canonicam. Vbi nota, quòd illæ literæ teſtimoniales debent ab omnibus ſubſcribi, etiam ab iis, qui in electum non conſenſerunt ſuumque ei ſuffragium denegauerunt. Quod probat Miranda *tom. 2. Manual. quæſt. 17. art. 6.* & eſt ſtatutum in noſtris conſtitutionibus *cap. Valent. 4. numero* 41. Quando autem in electione aliqui ſunt oppoſitores, vocandi ſunt, antequam electus confirmetur. Habetur *cap. finali, de electien. in 6.*

Quæres, an liceat aliquo caſu confirmare indignum. Reſpondeo cum Ledeſma *part. 2. ſumm. tract. 7. cap. 2. concl. 7. dub.* 10. quòd non. Tum quia cum idoneus non ſit tali beneficio, confirmatio redundaret in graue damnum Eccleſiæ; Tùm quia confirmatio eſt inuenta, vt Superior examinet, & videat ſi ſeruata ſint, quæ ſunt ſeruanda circa electionem; Quorum primum eſt, vt fiat in perſona digni; Tùm quia ſi Superior confirmaret electionem indigni, videretur concurrere, & confirmare peccatum electorum.

Dico tertiò, ſi electores elegerunt dignum, digniori prætermiſſo, electum tenetur confirmator confirmare. Ita Ledeſma *loco cit.* Salon. *2.2. quæſt. 63. art. 2. controu. 3. verſu Obſeruemus tertiò*, vbi Bannes *dub. 3. ad ſeptimum.* Cajet. *in ſum. verbo Electio, & verbo Beneficium.* Couarruu. *in Regula Peccatum, part. 2. §. 7. num. 4.* Rodrig. *in ſum. tom. 1. cap. 106. concluſ. 11. num. 13.* Colligitur ex Trid. *ſeſſ. 24. de reform. cap. 18. & cap. Paſt. de iur. patron.*

Probatur primò. Quia confirmatio eſt actus exterior; ſed electio digni in foro exteriori eſt valida; ergò ad illam confirmandam tenetur, alioquin electus ius habet appellandi ad Superiorem.

Secundò, quia eo ipſo quod eſt electus, eſt gratus electoribus: & ſic diiudicandus dignior, & fructuoſior tali Eccleſiæ.

Dico quartò. Si confirmatori proponantur duo, vel tres, tenetur digniorem confirmare. Ita Ledeſma, Salon, Rodrig. *loc. cit.* Armilla *verb. Electio, n. 2.* Arag. *2.2. q. 63, art. 2. col. 13. concl. 5. pag. mihi* 226. Et hoc ſub mortali; quia tunc electoris, & confirmatoris vicem gerit.

Dico quintò. Electus ad aliquam dignitatem, ſiue in temporalibus, ſiue in ſpiritualibus, ſi ante confirmationem adminiſtret, ſeù aliquem actum exerceat ad talem dignitatem ſpectantem, eſt ipſo facto priuatus iure acquiſito per illam electionem. Ita Tabiena *verbo Electio, 1. num. 27.* Armilla *num. 32.* Cucchus *de inſtitut. Iur. Canon. tit. 9. de elect.* Graff. *tom. 2. conſil. lib. 1. de elect. conſil. 2. num. 3.* Habetur expreſsè *in cap. Auaritia, de elect. in 6. & cap. qualiter, eod. tit.* fallit tamen in multis, de quibus Graffius *loco citat.* & Syluest. *verbo Confirmatio humana, quæſt. prima*, Miranda *tom. 2. Manualis quæſt. 23. art. 32.*

Fallit etiam in Ordine noſtro quoad Prælatos, qui ſtatim electi conſequuntur ius Prælaturæ, & ſimul adminiſtrationis. Generalis quidem per Maremagnum, vt videre eſt in priuilegiis noſtris, *pag.* 68. Et *cap. Paula, num. 23.* in quo idem etiam determinatur de Generali, ſicut de Prouinciali. Idem conceditur *in Marimagno, §. 4.* Prouinciales vero per *Capitulum Generale Valent. 3. num. 9.*

Dico ſextò, Confirmatio facta poſt appellationem ad Sedem Apoſtolicam ex legitima cauſa interpoſitam, niſi priùs fuerit ab appellatione Canonicè receſſum, eſt nullius roboris, & momenti. Ita Cucchus *loco cit.* & habetur *cap. Si poſtquam, de elect. in 6.*

Dico ſeptimò, Confirmatio declarata irrita: vel propter non ſeruatam debitam iuris ſolemnitatem: vel propter inhabilitatem Iudicis confirmantis; quia ſcilicet confirmandi poteſtatem non habebat, non propterea irritat, aut annullat præcedentem electionem, alioquin Canonicam. Ita Cucchus *loco citato*, & habetur *capite Si confirmationem, de elect. in 6.*

Dico octauò. Si electio eſt ipſo iure nulla, talis etiam erit illius confirmatio. Graff. *loc. cit. num. 1.* Probatur primò. Quia confirmatio eſt iuris priùs habiti corroboratio, vt habet Hoſtienſis *lib. 2. ſum. tit. de confirm. vtil. vel inutil. §. Quid ſit.* Qui enim confirmat, nihil de nouo dat, ſed datum, vel aliter acquiſitum corroborat.

Secundò, Quia vbi electio non tenuit, ipſo iure confirmari non potuit. Nam ſi non valet principale, nec acceſſorium valebit, vt dicitur *cap. Inter dilectos, de fide inſtrum. §. Cum igitur.*

Dico nonò, Confirmator ſciens per ſcientiam habitam in confeſſione, aliquem eſſe indignum, ſi nihil aliud obſtet, debet illum confirmare. Hoſtienſ. *in ſum. lib. 1. de elect. §. à quo, & qualiter confirmanda, num. 27.*

Probatur, quia cum confirmatio, vt dixi, ſit actus exterior, & Iudex procedere debeat ſecundum allegata, & approbata, non eſt cur eum confirmare nolit.

Dico decimò. Repertus dignus ad vnam dignitatem, ſi poſtea eligatur ad aliam, debet dignus reputari, & per conſequens ab habente auctoritatem confirmari. Sylu. *elect. primo, quæſt. 3.* Miranda *tom. 2. Manual. quæſt. 23. art. 11.* Probant *ex cap. Geſta, diſt. 74.*

Intelligenda tamen eſt conclusio de dignitate pari. Nam qui eſt dignus officio minori, non eſt dignus maiori, vt ſupra dixi.

Intelligenda eſt ſecundò, modo in prima dignitate bene ſe geſſerit, & eam bene adminiſtrauerit. Nam ſi ſecus, indignum ſe reddidit quacumque alia etiam ſimili, etiam pari. Ad quæ debet attendere confirmator, ne laqueum ſibi iniiciat peccati.

Dico vndecimò. Electus debet neceſſario, & ex debito officij confirmari ab habente auctoritatem, ſi nihil obſtet. Vnde bene notat Panorm. *in cap. Poſtquam, de elect. num. 1.* quod confirmatio eſt neceſſitatis, licèt electio à principio fuerit voluntatis, Quod ſi recuſet, poteſt electus ſuper electione litigare, & electionem ſuam proſequi, vt Panorm. *in cap. Cum inter R. de elect. num. 1.* Vide quæ dixi *ſupra c. 6. concluſ.* 11.

Dico duodecimò. Non ſolùm electus poteſt proſequi electionem ſuam in Iudicio, ſed etiam electores coram confirmatore eam defendere. Ita Panorm. *in cap. Dudum, de elect. num. 4.* & habetur *cap. Bonæ Memoriæ, el 2. de elect.* vbi Panorm. *num.* 4.

Dico decimo-tertiò, Non poteſt electus confirmatorem iniuſtè confirmare renuentem, pecunia emollire. Ita Sotus *lib. 9. de inſtit. q. 6. art. 1.* Azor. *tom. 3. inſtit. moral. lib. 12. cap. 7. verſu. Si roges*, Suarez *tom. 1. de Religione, lib. 4. cap. 50. n.* 29. licèt dubitare videatur. Maior. *in 4. d. 25. q. 5. ad ſecundum*, dicens, *fortè non eſſe improbabile, quod in foro animæ pecunia dari poſſit pro vexatione tollenda circa confirmationem.* Quod ſtando in iure naturali poſſe procedere, affirmat ipſe Suarez, licèt ſimpliciter, ſtante iure Canonico, nullo modo admittendum eſſe dicat. Ratio concluſionis eſt, quia Confirmatio eſt, quid ſpirituale, quod nullo modo emere licitum eſt.

§. XII.

De eo, qui vult electioni ſe opponere.

DIco primò. Eligentes aliquem ad aliquam dignitatem vnanimi conſenſu, non poſſunt deinde ſe illi electioni opponere, niſi ex cauſis poſtea emergentibus: vel niſi eis improbitas morum electi de nouo ſit manifeſtata, quæ tempore, quo elegerunt erat illis ſecreta. Cucchus *libro primo, inſtit. iur. Canon. titulo ſeptimo, de elect. pag. mihi* 16. & habetur expreſsè *in cap. Nulli, de elect. in 6.*

Dico ſecundò, opponens, ſeù appellans contra aliquem electum, vel eligendum, ſeù contra formam electionis: vel etiam contra electores; Debet in literis appellatio-

nem, seu oppositionem continentibus (quæ literæ debent esse manu propria appellantis, & eius sigillo subscriptæ) exprimere singula, quæ intendit obiicere, contra vel formam electionis, vel personas electi, seu eligendi, vel electorum, & iurare per sacra Dei Euangelia, quod credit esse vera, quæ opponit. Quod iuramentum debet esse appositum in literis oppositionem continentibus: & etiam quod credit, se ea, quæ opponit posse probare. Habentur hæc omnia expressè *in cap. Vt circa, de elect. in 6.* Quas omnes clausulas apposuit Pontifex ad præcludendas vias malitiis.

Noto tamen, quod dicta intelliguntur, quando appellatio, seu oppositio fit contra personam certam nominatim expressam; secus autem quando fit oppositio contra personam incertam, vt quod non eligatur excommunicatus: vel quod non fiat electio, nisi Canonica: vel ne fiat contra tenorem priuilegiorum: nam tunc non tenetur opponens exprimere vitia, nec seruare formam dictam capitis. Vt circa, sed sufficit, quod secuta electione, ea exprimat, & probet ad electionem inualidandam, & infirmandam. Habentur hæc *in cap. Quo contra, de elect. in 6. iuncta Glossa.*

Dico tertiò. Appellare ne fiat electio, non valet, bene autem, ne fiat nisi Canonica. Habetur *cap. Cum nobis, de elect.* & notat Glossa *in cap. Considerauimus, verbo, Post appellationem, eod. tit.* Quæ addit, quod licèt electio cassetur propter modum electionis, nihil obstat quin electus possit iterum eligi, & habetur *dict. cap. Considerauimus.* Hi, qui voluerint se electioni opponere, videant *Clem. Constitutionem de elect. cap. Constitut. & cap. Statuimus, eod. tit. in 6.*

CAPVT XXXII.

Quàm deceat Religiosum esse Obedientiæ amatorem.

EXpeditis iis, quæ boni Subditi possunt de iustitia facere, vel non facere, in quibus obedire, vel non obedire tenentur. Reliquum est, vt eos ad obedientiam perfectiorem instruamus, & accendamus, quod eos obedire doceamus etiam in iis, ad quæ alioquin ex iustitia non tenerentur, quod hoc capite præstabimus: & cum hoc fieri meliùs non possit, quàm in medium proferre loca Patrum, & exempla Sanctorum, hæc afferemus. Pauca tamen, nam omnia, quæ possent adduci afferre, non est nostri intenti: & tot, tantaque sunt, vt sua propria volumina, eaque permagna requirant. Qui plura desiderabis, adeat Gregorium *lib. 35. moral. cap. 12.* Bernard. *serm. de hac re, & ad milites templi, cap. 13.* Anselmum *cap. 12. Epist. ad Hebr.* Greg. Naz. *orat. ad eiues timore perculsos.* Hieronym. *ad Demetr. Epist. 8. cap. 10. & ad Rustic. mon. Epist. 4. cap. 4. cap. 6.* B. Laurent. Iustin. *in ligno vitæ, de obed. & toto lib. de obed.* Cassianum *lib. 4. instit. cap. 10. & cap. 23. & seq.* Climacum *gradu 4. de obed.* Thomam à Kempis *opusc. de exerc. Spir. cap. 12. & de discipl. Claustr. cap. 4.* S. Doroth. *serm. 2.* Platum *de bono statu Religiosi, lib. 2. cap. 5.* Bernardinum Rossignolium *de discipl. Christiana perfect. lib. 4. cap. 2. & de actionibus virtutum, lib. 2. cap. 9.* Aluarez *de vita spiritual. tom. 2. lib. 5. par. 3. diffusè,* Franciscum Labatam *in sua appar. concionat. tom. 1. & 2. vtrobique verbo Obedientia.* Alphonsum Rodrig. *par. 3. exercit. perfect. Relig. tract. 5. per totum.* Bosæum *in suo virid. verbo Obedientia, & in Panario, verbo Inobedientia.* Gulielmum Peraldum *tom. 1. sum. par. 10. de obed. per multa.* Thomam Cantipratanum *lib. 1. apum, c. 22.* Lud. Blosium *lib. 1. Enchiridij paruul. docum. 5. & cap. 2. spec. spir.* Antonium de Gueuara *in orat. Relig. à cap. 42. per multa.* Ioannem Carthagenam *tom. 3. lib. 5. hom. 7. 8. 9. & 10.* Laurentium de Portel. *exhort. 5.*

Hic tria tantum videbimus. Primum motiua, seu incitamenta ad obediendum; secundum obedientiæ effectus: tertium perfecti obedientis signa.

Quàm placens sit Deo obedientiæ virtus, ostendit Paulus *ad Philipp. 2.* dicens. *Christus factus est pro nobis obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis.* Ad quem locum alludens Bern. *ad milites templi, cap. 13. Ne obedientiam,* inquit, *perderet, perdidit vitam,* & Prouerb. 21. de vero obediente dicitur. *Vir obediens loquetur victoriam:* quia inquit, Greg. *15. moral. cap. 10. Dum alienæ voci humiliter subdimur, nosmetipsos in corde superamus.*

Et idem Greg. *lib. 6. in primum Regum, cap. 2. Longè,* ait, *altioris est apud Deum meriti, propriam voluntatem alienæ semper voluntati subiicere, quàm magnis ieiuniis corpus atterere; aut per compunctionem se in secretiori sacrificio mactare.* Et lib. 35. moral. cap. 12. *Obedientia sola virtus est, quæ virtutes cæteras menti inserit, insertasque custodit.* Et lib. 2. in primum Regum cap. 3. *Nec magna lucra ieiunij, nec aspera vitæ studia deuotis Christi militibus in maiorum præcepto valdè perpensanda sunt. Maioris enim est meriti Charitatis iniuncta refectio, ieiunio propria deliberatione suscepto.*

Hieronymus *in Regula Monach. cap. 6. Inobedientiu,* ait, *summa virtutum clausa est. Nam simplici gressu hominem ducit ad Christum.*

Basilius *in Regulis fusius disputatis, quæst. 41. Et prompta,* ait, *vbique in omnibus rebus obedientiæ laude semper tribuitur.*

Augustinus *ad fratres in Eremo, serm. 34. In montem,* ait, *obedientiæ ascendamus, & quod Deo promisimus, attendamus. Nihil enim est maius obedientia, & nihil peius inobedientia.*

D. Thom. 2. 2. *quæst. 186. art. 5. ad 5.* ait, *Nihil maius potest homo Deo dare, quàm quòd propriam voluntatem propter ipsum voluntati alterius subiiciat.*

Bonauentura *in speculo discipl. part. 1. partic. 1. c. 4.* *Nemo,* ait, *ad perfectionis semitam currendam est magis expeditus, quam verus obediens.*

Cassianus *lib. 4. Instit. cap. 10.* ait, *Quòd tanta obseruantia illi antiqui cœnobitæ obedientiæ Regulam custodiebant, vt iuniores absque præpositi scientia, vel permissu, non solum, non auderent cellam progredi, sed ne ipsi quidem communi, ac naturali necessitati satisfacere, sua auctoritate præsumerent.*

Thomas à Kempis *de discipl. claustr. cap. 4. Qui vult,* ait, *summæ perfectioni citò propinquare, studeat ante omnia obedientiam seruare.* Et infrà. *Hæc sancta, & simplex obedientia plus prodest, quam alta doctrina, vtilior est, quam potentia, & securior quàm dignitas, aut Prælatura.*

Ludouicus Blosius *in speculo spirituali, capite 2.* ait. *Minimum opus ex vera obedientia factum magis Deo placet, quàm grande opus ex propria voluntate peractum.*

De effectibus obedientiæ optimè B. Laurentius Iustinianus *in ligno vitæ, de obed. cap. 3.*

Primò. Facit hominem fratrem Christi; vt colligitur ex illo Marci 3. *Ecce mater mea, & fratres mei, quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est. Ipse meus frater, soror, & mater est.*

Secundò. Reddit hominem Deo gratum, & & ei acceptissimum præstat obsequium. Vnde dicitur Ecclesiastici 4. *Multo melior est obedientia, quam stultorum victimæ.*

Tertiò. Deum glorificat, hominemque excellentem reddit. Vnde dicitur *Esaiæ 58. Et Glorificaueris Dominum Deum tuum, dum non facis vias tuas, & non inuenitur voluntas tua, vt loquaris sermonem, tunc delectaberis super Domino, & sustollam te super altitudines terræ, & cibabo te hæreditate Iacob patris tui.*

Quartò. Impetrat, quicquid vult à Deo. Vnde 1. Ioannis 2. dicitur. *Si cor nostrum non reprehendit nos,*

fiduciam

fiduciam habemus apud Deum, quòd quicquid petimus accipiemus, quia mandata eius custodimus.

Quintò. Hominem reddit exoneratum, tùm cogitationibus, tùm operibus. Obediens enim cum se tegat ad alterius arbitrium, meritò dicitur exoneratus, & liber curis, & oneribus. *Hæc itaque*, ait Iustinianus, *Hominem ditat, latificat Ecclesiam, pacem tribuit, mentem ornat, animam castificat, cœlum aperit, vitam felicem hominis tribuit.*

Indicia veri obedientis hæc sunt. Primum Promptitudo exterior, de qua Sanctus Bernardus *serm. de virtut. obedient. Verus obediens ait nescit moram, fugit crastinum, ignorat tarditatem, præripit præcipientem, parat oculos visui, aures auditui, linguam voci, manus operi, itineri pedes, totum se colligit, vt imperantis colligat voluntatem.*

Secundum indicium est, simpliciter obedire. Vnde Gregor. *libro secundo in primum Regum cap.* 2. *Nescit*, inquit, *iudicare, quisquis perfectè didicerit obedire.*

Tertium. Est in omnibus rebus se tanquam exanimem ostendere, & sicut talem permittere moueri. Vnde de B.Francisco ait D.Bonau. in illius vita, *cap.* 6. *Tolle corpus exanime, & vbi placuerit pone, videbis non repugnare motum, non murmurare situm, non reclamare dimissum. Quòd si statuatur in cathedra, non alta sed ima respiciet, si collocetur in purpura, pallescet. Verus obediens est, qui cur moueatur, non diiudicat, vbi locetur non curat, vbi transmutetur non instat, cuctus ad officium solitam tenet humilitatem, plus honoratus, plus reputat se indignum.*

Quartum indicium est Patienter ferre superiorem, vel imprudenter iubentem: vel experimentum sumentem. Vnde Climacus *gradu* 4. *de obed. vltra medium*, de quodam Achatio discipulo cuiusdam imprudentis senioris ad hoc propositum multa dicit; præsertim, quòd non solùm iniurijs, contumelijs, & ignominijs eum quotidie afficiebat senior; sed etiam quotidianis verberibus, ijsque grauibus; quæ omnia patientissimus, & obedientissimus Achatius mira patientia tolerabat. De quo, ait idem Climacus, quòd cum mortuus esset, fuit ab alio seniori interrogatus hoc pacto. *Achati putas ne mortuus es? Qui respondit* (etiam obedientiam post mortem ostendens) *de sepulchro, Et fieri quomodo potest Pater, vt moriatur homo obedientiæ deditus?* Et de Abbate Nesterone legitur in Vitis Patrum; quod Religionem ingrediens, apod se sic statuit. *Ego, & asinus vnum sumus. Asinus autem quicquid ei imponatur, hoc portat, & sine mora.*

Tandem hoc Alphabetum ex patribus, & viris deuotis desumptum, in Obedientiæ laudem accipiat, & custodiat verus Obediens.

Alia est obedientia, qua in cœlum volamus. Climac. *grad.* 4.

Bonus cibus. Bet. *ser. De obed. & patient.*

Cœlum, in quo obedientis anima requiescit. Climac. *loc. cit.*

Ditat hominem. Iustin. *in ligna vita, de obed. cap.* 2. *fine.*

Ecclesiæ vnitatem tribuit. Alua. *tom.* 2. *de vit. spir. lib.* 5. *par.* 3. *cap.* 1.

Felix, & abundans gratia. Hieronym. *in regul. mon. capite* 6.

Geons nobilissimum martyrij. Bonau. *in dietis salutis, tit.* 4. *dieta* 4. *cap.* 1.

Humilitatis filia primogenita. Blosius *in Speculo spirit. cap.* 2.

Iugum suaue, & onus leue. Alu. *loc. cit. cap.* 15.

Libertatem æternam patit. Alu. *loc. cit. cap.* 4.

Mater, & custos omnium virtutum. August. *lib.* 14. *De ciuit. Dei, cap.* 12.

Nescit moras, & fugit crastinum Bern. *loc. cit.*

Origo Sapientiæ, Bern. *serm. de Epiph.*

Pacem tribuit. Iustin. *loc. cit.*

Quies mentis. Dorotheus *serm.* 1. *in fine.*

Regina virtutum. Alu. *loco cit cap.* 1.

Securissima via ad cœlum. Kempis *opusc. extrcit. spirit. cap.* 12.

Tranquillitas animi. Dorotheus *loco cit.*

Vita nunquam deficiens. Climacus *loco cit.*

Christo simillimum facit. Aluarez *loco cit. cap.* 4.

QVÆSTIO II.

DE VOTO RELIGIOSÆ PAVPERTATIS.

Aggredimur secundam quæstionem de voto paupertatis, quam breuiter expediemus, succinctè traditis ijs, quæ ad instruendum bonum Subditum necessaria iudicabimus.

CAPVT I.

Quid sit Religiosa Paupertas.

PRO hoc capite videri potest Climacus *gradu* 16. Aluarez *tom.* 2. *de vit. spirit. lib.* 5. *par.* 1. *cap.* 1. Bonauentura *in diet. sal. tit.* 4. *dieta* 4. *cap.* 3. B. Laur. Iustin. *in ligno vita de paupert. cap.* 4. Gullielmus Peraldus *tomo* 1. *summ. tract. de beatitud. parte* 5. Bartholomæus à S. Fausto *in spec. confess. tract. de vit. quæstion.* 1.

Nuditas, id est paupertas, (vt Climacus ait) *rerum omnium, curarum est depositio, securitas vita, viator omnibus impedimentis liber, mœroris alienatio, mandatorum fides* (idest fidelis obseruatio eorum, quæ mandantur.)

Paupertas Religiosa est (vt ait Aluarez) *abdicatio omnium rerum temporalium opere, & voluntate ob amorem Dei, & desiderium perfectionis.*

Paupertas est, (vt Bonauentura,) *Caleste pretium, cum quo pauperes Christi mercantur celeste prandium, ad quod pauperes inuitantur; & calestic solium, in quo pauperes locantur.*

Eleganter Iustinianus, *Hæc*, inquit, *virtus cuidam puella pulcherrima comparatur; etenim oculus eius est purus, & praclarus, nihil habens turbulentum sed mansuetus, tranquillus, delectabilis, ad omnes respiciens, nullum odio habens, minis, & humilis. Os illi, & lingua sana est, plena gratiarum actione, & vilibus, amabilibusque verbis abundans, longanimis est, & longè quam abundantia excelsior. Vis videre anima huius pulchritudi*

christudinem? Vis inopia diuitias addiscere? Non subiacet Demonibus, non assistit regibus, quia militat Deo, & cum Angelis ipsi cælorum Regi famulatur. Non habet horrea, vbi grana reponat, sed talem abundantiam, vt habere mundum vniuersum nihil existimet; Non habet quod thesaurizet in terra, quia cuncta, quæ possidet, recondit in cælo.

Hæc itaque paupertas est Religioni necessaria, vt probat D.Thom. 2.2.q.186.*art.*3. & habetur *in iure, c.Cum ad Monasterium, de statu Monach.*

CAPVT II.

Quid liceat, vel non liceat Religioso circa votum paupertatis.

PRo hoc cap. videatur D.Thom. 2.2.*quæst.*186. *art.*3. & 6. vbi Caiet. Val. *tom.*3. *disp.* 10. *quæst.* 4. *p.*3. Panormitan.*cap. Monachi, & cap. cum ad Monasterium, de statu Monac.* vbi Io. Andr. Innocent. & alij Canonistæ, Nauarr. *comm.* 2. *de regul. per multa*, & *comm.* 1. Antonin. 3.*par. tit.* 16. *lib. cap.* 1. §. 13. Sylu. *verbo Religio* 6. Rodriguez *tom.* 3. *qu. regul. quæst.* 29. Mir. *tom.* 1. *Manual. quæst.* 18. Lessius *lib.* 2. *de iust. cap.* 4 *dub.* 5. & *cap.* 41. *dub.* 9. Vasqu. *opusc. de redditibus Eccles. cap.* 3. *dub.* 2. Vega *p.* 2. *summ. cap.* 86. *à casu* 3. *vsque ad* 36. Molina *tom.* 1. *de iust. disp.* 140. & *tom.* 2. *disp.* 076. & *tom.* 3. *disp.* 687. Ludou. Beia 4. *p. casuum, casu* 17. Azor. *tom.* 1. *instit. mor. lib.* 12. *cap.* 9. & 18. Reginaldus *in praxi, lib.* 18. *à numer.* 397. Graff. 1. *p. decis. lib.* 3. *cap.* 5. *à numer.* 40. *vsque ad* 65. & *lib.* 3. *de casib. reseru. cap.* 4. & *tom.* 2. *cons. lib.* 3. *de regul. cons.* 8. Cord. *in summ. quæst.* 54. Ledesma *de statu relig. in communi, cap.* 4. *conclus.* 3. Lop. 2. *par. instruct. cap.* 4. 5. 6. Bartholomæus à S. Fausto *in speculo confess. tract. de vitio proprietatis*, Sayrus *in Clau. reg. lib* 9 *cap.* 16. *n.*° 20. Sanchez *lib.* 7. *in decal. per multa, præsertim cap.* 20. Cenedus *in suo lib. de paupert.*

Noto 1. quòd cum Religiosa paupertas sit diametraliter opposita dominio, de essentia illius erunt, quæ sunt opposito essentiæ Dominij. De essentia autem Dominij duo sunt. Primum, quod Domini habeant liberam facultatem vsurpandi rem arbitrato suo, absque alterius iniuria, quæ sit contra iustitiam commutatiuam: & per hanc facultatem propriè, & formaliter constituitur aliquis Dominus, quasi in actu primo. Secundum est, quod re, cuius aliquis est Dominus, liberè is vtitur independenter à voluntate alterius, quo ipso est rei Dominus, velut in actu secundo. Itaque de essentia paupertatis Religiosæ erit nullam habere facultatem arbitratu suo disponendi de re aliqua neque aliquam rem vsurpandi independenter à voluntate Prælati. Ita Val. *tom.* 3. *disput.* 10. *q.* 4. *p.* 3. *versu. Hæc cum ita sint.*

Noto secundò, quod peculium nihil aliud est, quam habere aliquam rem in particulari, deputatam, & sequestratam ab alijs, ad vtendum ea: vel iure dominij, & proprietatis possidendo, & defendendo eam, vt suam: vel iure solius administrationis, ad eam administrandam, vel distribuendam secundùm conditiones, & leges ad hoc præstitutas; non tamen ad eam alienandam, neque distrahendum de ea vltrà concessa: vel iure solius vsusfructus, qui est facultas vtendi re, & fructibus eius, in vtilitatem propriam, commodumque etiam aliorum, salua tamen substantia rei fructuariæ: vel iure solius vsus, qui est facultas vtendi re ad solos proprios vsus, sine alia facultate alienandi, neque administrandi, neque etiam possidendi. Ita Lopez *secunda parte instruct. cap.* [illegible] *in principio.* Ex quibus colligitur differentia inter dominium, vsumfructum, & vsum, possessionem, & administrationem. Quod Dominus disponit de re ipsa; quia potest eam destruere quò ad substantiam, alienare per donationem, vel venditionem; vsufructuarius disponit de solis fructibus prout vult; non solùm in suam, sed etiam in aliorum commoditatem, salua tamen rei substantia. Vsuarius verò disponit de solis fructibus in propriam tantum vtilitatem; nullo autem modo in vtilitatem alterius. Possessio est ius insistendi rei corporali, à qua possidenda non prohibemur. Administratio est ius gubernandi, & distribuendi iuxta conditiones certas, & limitatas, non tamen alienandi, nec in quoslibet vsus expendendi.

Noto tertiò, quod nomine peculij intelliguntur tam bona mobilia, quam immobilia, vt Azor. *lib.* 12 *cap.* 9. *q.* 2. *versu. Aduert. fine*; De peculio quatenus includit bona mobilia; verbi gratia certam quandam pecuniæ quantitatem moderatam iuxta qualitatem personæ, & dignitatem; seu etiam includit supellectilia, libros, &c. Nulli dubium est, quin possit regularis de licentia sui Prælati tale peculium habere, vt dicit Sanchez 7. *in decalog. cap.* 22 *numer.* 1. & Cenedus *de paup. dubio* 9. *num.* 10. Et habetur expresè *in Bulla Clementis VIII. de largitione numerum, § Id autem*, his verbis; *Eique vt ad libitum de eis disponat, per superiores concessa fuerint.* Vetat enim ne possint regulares quidquam donare de eleemosynis, ipsis à Prælatis concessis, ad suum libitum expendendis. Vnde supponit, posse Superiores tales pecunias, quas peculium dicimus, suis Subditis concedere; Immò, & id concedit Trid. *sess.* 25. *de regul. cap.* 2. De peculio autem quatenus immobilia includit, est maior difficultas, dicam in sequentibus.

Noto quartò, ex Corduba *in sum. q.* 54. *notab.* 2. Lop. 2. *parte instruct. c.* 4. *versu Triplex inueniri potest.* Quod triplex potest esse Religiosorum peculium. Primò quando est designatum à Superiori ad aliqua certa, & determinata comparando, vt libros, vestes, &c. Ita tamen, quod hoc peculium reuocabile est per superiorem. Secundò quando peculium est irreuocabile à superiore. Tertiò quando peculium est quidem reuocabile à Superiore, & eo animo habetur, sed non decernitur per Superiorem, ad quæ comparando sit illud peculium destinatum. Peculium primo modo, aiunt, quod potest Religiosus habere; Secundo nequaquam, quia dominium dicit: Tertio negant posse Religiosum habere. Corduba, & Rodriguez *tom.* 2. *summ. cap.* 32. *conclus.* 2. *versu, Lo tercero digo*: sed parùm refert, an sit determinatum ad certos aliquos particulares vsus, an verò indeterminatè ad vsus: semper enim intelligitur, quod sit concessum ad vsus licitos, vt bene Sanchez *loco cit. n.* 12. Lessius *lib.* 2. *de iust. cap.* 4. *dub.* 5. *n.* 33.

Noto quintò, quod sine controuersia est apud Doctores, non posse Religiosos regulares, sub voto paupertatis viuentes, habere aliquid proprium, prout proprium dicit dominium rei absolutum, ab alijs independens, Quia tali dominio per votum paupertatis renuntiauerunt. Habetur expresè in *cap. Monachi, de statu Monach.* & *cap. Cum ad Monasterium, eod. tit.* vbi dicitur, *Prohibemus quoque districtè in virtute obedientiæ sub obtestatione diuini iudicij, ne quis Monachorum proprium aliquo modo possideat.* Quod ita verum est, vt eodem cap. dicatur, *Nec posse Summum Pontificem cum Monacho* (remanente Monacho) *super votum paupertatis dispensare.* Hoc idem fuit definitum in Trid. *sess.* 25. *de Regul. cap.* 2. vbi dicitur, *Nemini regularium tam virorum, quam mulierum liceat bona mobilia, vel immobilia, cuiuscumque qualitatis fuerint, etiam quouis modo ab eis acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine conuentus possidere, vel tenere, sed ea statim Superiori tradantur, Conuentuique incorporentur.* Videatur Nauarr. *comm.* 2. *de regul. numer.* 14. 15.

Noto sextò, quod dominium, possessio, administratio, vsus, & vsusfructus, sumuntur dupliciter. Primò quatenus talia sunt iuris; quia scilicet qui dominium alicuius

rei,

rei, seu vsumfructum habet, eam pro suo arbitratu administrat. Iuxta modum eas habendi, & regulas eas administrandi traditas *notab.* 2. Secundò quatenus talia sunt facti, quia scilicet realiter, & de facto habentur, sed non possunt ad suum libitum administrari, sed ad voluntatem alterius, ad cuius etiam voluntatem amouibilia sunt. Proprium, seu dominium primi generis competit personis liberis: secundi generis potest competere Religiosis. Ita Nauarr. *comm.* 1. *de regul. num.* 15. & Bartholomæus à S. Fausto *tract. de vitio proprietatis, quæst.* 3. *num.* 5. & 6.

§. I.

Vtrùm liceat Regulari de licentia sui Superioris retinere sibi aliquos annuos census in suos vsus expendendos.

Dicendum est, posse Religiosum professum de licentia sui Prælati, ex iusta causa concessa, habere aliquod peculium, seu aliquos annuos redditus per se ipsum administrandos, quò ad vsus licitos, & honestos, etiam indeterminatos necessarios tamen, ad nutum tamen superioris amouibiles: & hoc non solum de iure antiquo, sed etiam post Concil. Tridentin. In hanc conclusionem conueniunt ex professo Nauarr. *comm.* 2. *de regul. num.* 5. & 18. & *comm.* 1. *numer.* 15. & *lib.* 3. *consil. de statu Monach. consil.* 14. *numer.* 6. Sà in *aphorismis, verbo Religio, num* 48. Latè Sanchez *lib.* 7. *in decalog. cap.* 22. *numer.* 11. Ledesma *de statu relig. in communi cap.* 4. *conclus.* 3. *dub.* 13. *pag.* 112. vbi citat Ioannem Gallum; quem, ait, fuisse præsentem Concilio Trid. nec tamen vnquam intellexisse, per hoc decretum, tales annuos redditus fuisse prohibitos, & laudat Ledesma Prælatos, concedentes tales redditus suis Subditis; quia, ait, eum Religiones vt plurimum non dent suis Religiosis necessaria, isti si non habent redditus ad sibi subueniendum, aliundè quærunt, & forsan non tam honestè; hanc eandem sententiam defendit, & probat multis Ludouicus Beia 4 *parte casuum casu* 17. *in principio*, & Miran. *tom.* 1. *Manual. qu.* 58 *art* 8. Citatur etiam Ioannes della Cruz; *de statu relig. lib.* 1. *cap.* 3. *dub.* 2. possunt etiam adduci Rodrig. & Vega supra, quatenus dicunt, Concil. Trident. nihil innouasse, sed explicasse ius antiquum.

Ex scriptoribus ante Concil. hanc etiam sententiam defendunt, Ioan. Andreas in regulam, *Non est obligatorium*, quæ est 58. *de regul. iur. in* 6. à *num.* 7. Abbas *in cap. Cum ad Monasterium, num.* 8. *de statu Monach.* Innoc. *in cap. Insinuante qui Clerici, vel voucates, num* 5. Sylu. *verbo Abbas, qu.* 3. *num.* 6. *d.* 7. & alij, quos citat Sanchez *loco cit. n.* 5.

Hanc eandem sententiam tenent alij, sed cum limitatione, Quando Monasterium est ita Pauper, vt ex communibus redditibus nequeat Religiosis satis prouidere. Ita Val. *tom.* 3. *disp.* 10. *q.* 4. *p.* 3. *col.* 2. *corol.* 4.

Tenent alij, quando istud Peculium, seu annui census concederentur Religiosis ad vsus determinatos, puta, Concedo tibi hæc decem scuta annua, vt ex illis emas tot libros & non aliud. Ita Corduba *in sum. q.* 54. *versu. Lo tercero digo.* Lopez *secunda parte instruct. cap.* 5. *col.* 3. *versu. Tertiò addimus.*

Tertiò tenent alij, quando administratio prædictorum annuorum censuum non permittitur ipsis Religiosis particularibus, sed officialibus Conuentus, ad id specialiter deputatis. Ita Bartholomæus à S. Fausto *tract. de vitio proprietatis, quæst.* 12. Cenedus, *tract. de Paupert. dub.* 10. *num.* 6.

Probatur primò nostra Conclusio, quia id habet vsus communis, etiam apud reformatos Religiosos, & Religiosas, vt testatur Beia *loco cit. versu. Confirmat hoc ipsum*, & Ledesma *similiter loc. cit.* propter quem vsum suspicatur Vasq. *opusc. de redd. cap.* 3. *dub.* 5. *n.* 15. quod decretum Conc. *sess.* 25. *cap.* 2. *de regul.* non fuerit receptum; sicut non fuit receptum, quoad illud; quod Religiosis omnia necessaria ministrarentur.

Secundò. Probatur, quia hos redditus habere amouibiles ad voluntatem Prælati, & non expendendos in quoscumque vsus, sed tantum licitos, & necessarios, non est contra votum paupertatis, vt probatur *ex notab.* 1.

Tertiò. Quia Papa solet concedere aliquos annuos redditus aliquibus Religiosis de Ecclesia benemeritis, vt dicit Ledesma *loco cit.* & Beia, quod non faceret, si esset contra votum paupertatis. Multis alijs rationibus hanc conclusionem probant Nauarrus, Ledesma, Beia, Sanchez, Cenedus, *loc. cit.*

At obijcies primò, Concil. Trid. *sess.* 25. *cap.* 2. *de reg.* vbi ait, *Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui regulari concedere, etiam ad vsumfructum, vel vsum administrationem, aut commendam*

Respondeo cum Nauarro *loco cit. ad quintum*, Beia etiam *cit. loc.* 4. *versu Respondemus* Sanchez *loco cit. num.* 13. Ledesma cit. *pag.* 113. *versu Ala razon de dudar.* Mirand. citat. Paulo ante ad primam confirmationem, Concilium non inducere ius aliquod nouum; sed tantummodo renouare, & ad memoriam reuocare ius illud antiquum positum, *cap. Non dicatis,* 12. *quæst.* 1. *cap. Monachi, & cap. Cum ad Monasterium, de statu Monach.* Quibus *cap. Cauetur*, ne possit Religiosus habere peculium tanquam proprium, & independenter ab Abbatis voluntate, vt innuunt illa verba, *Tanquàm propria*, citata supra *notab.* 5 *in fine.* Et quamuis addat, *Neque etiam nomine commendæ*, intelligendum est sine licentia Prælati. Quando autem dicit Concilium, *Non licere Prælatis concedere bona stabilia, etiam ad vsum, & administrationem*, intelligitur sine causa iusta, vt explicat Nauarr. *loco cit. ad quartum*, & Beia, seu etiam potest intelligi ad vsum, & vsumfructum, iuris, non facti.

Obijcies 2. multas declarationes congregationis Concilij, quas refert Quaranta *verbo casus*; Quibus cauetur, Nullo modo licere Religiosis tales redditus possidere, nec posse Prælatos facere talem facultatem possidendi suis Subditis.

Respondeo, Has declarationes non maiorem obligationem inducere, quam ipsum Concilium, & eodem modo esse interpretandas. Et nota, quod possunt Religiosi non solum retinere dictos annuos census, relictos sibi in renuntiatione, quam fecerunt ante professionem, seu quos aliqui parentes, amici, vel consanguinei eis reliquerunt; sed etiam quos ipsi professi instituerunt ex nummis eorum industria, prædicando, docendo, libros scribendo, quæsitis. Quia potest Conuentus religiosis benemeritis in præmium suorum laborum eis licentiam concedere talibus annuis censibus fruendi. Ità Cenedus *in tract. de paupert. dub.* 10 *num.* 9.

Ex dictis colligitur primò, non posse Prælatum concedere Religiosis hos annuos redditus, nisi in vsus licitos & necessarios. Et Religiosum in illicitos distrahens, verbi gratia, in turpia, in vestes sericas, vel etiam laneas, sed maximi pretij, & contra Religiosam paupertatem: vel in sumptuosa conuiuia, vanas picturas, canes venaticos, &c. mortaliter peccare contra votum paupertatis, & qui pecunias à Religioso sic accipit, teneri restituere. Ita Molina *disp.* 95. & *disp.* 140. Nauarr. *comm.* 2. *de reg. n.* 23. Rodriguez *in summ. p.* 2. *cap.* 35. *conclus.* 3. *versu Lo quarto digo.* Miranda *tom* 1. *Manualis, q.* 28 *art.* 9. Vega *secunda parte summ. cap* 86. *casu* 33. Sylu. *verbo Religio* 6. *q.* 7. *d.* 2. Sanchez 7. *in decal. cap.* 22. *num.* 19. Less. *lib.* 2. *de iust. cap.* 41. *dub.* 9. *num.* 79. *versu Nono non potest.* Ratio est, quia cum Prælatus non sit Dominus rerum Monasterij, cuius verè, & propriè sunt, quæ possidet Monachus, sed dispensator, non potest facultatem facere res

illas expendendi, nisi in vtilitatem, vel decorem Monasterij, Alioqnin non dispensator fidelis, sed perfrictæ frontis dissipator merito venerit appellandus; Cumque Monachus non possit à Prælato licitè obtinere facultatem, redditus illos in illicitos vsus expendendi, sequitur, quod expendens vtatur re illa tanquam Dominus, & per consequens contra votum paupertatis mortaliter peccabit. Recipiens autem pecuniam, vel aliam rem quantam à non habente potestatem dandi, clarum est, quod tenetur restituere vero Domino, quod est Monasterium, vt bene Sanchez *lib.7.in decal.cap.19 n.*30. Licet contrarium contendat *de ludo dub.*21.*num.*4. multos citans. Pro nostra autem sententia adest Sanctarel. *tract. de Apost cap.6. dub.2.num.*12. Adde, quòd putant aliqui apud Dianam *tom.3. tract.2. resol.*98. quod potest, qui habet pecuniam iniustè restituere illi, à quo habuit. Sed tu non recedas à dictis. Immò etiamsi haberet à Prælato expressam licentiam, quia Prælatus eam dare non potest, vt idem Sanchez *loco cit. numer.*31. Immò neque etiamsi ab ipso Prælato acciperet, vt idem Sanchez *n.*32. Hinc patet, quod qui lucratur aliquod à Religioso, tenetur restituere Conuentui: similiter meretrices, quæ à religiosis ob turpem actum aliquid recipiunt, restituere tenentur. Et nota vlterius, quod si Prælatus non potest concedere subdito, vt redditus illos expendat in vsus illicitos neque etiam potest id concedere sibi ipsi, vt Sanch. *7.in decal.c.19.n.*22. Vnde Religiosi tribuentes aliquid meretricibus ob impia; seù etiam ludentes, vltrà peccatum, quod ex natura sua importat actus illicitus, peccant etiam contra votum paupertatis. Si autem daretur alicui Religioso subdito, vel Prælato aliquod donum hoc pacto. Do tibi hoc, vt des tuæ concubinæ, non peccaret illud dando concubinæ contra proprietatis votum, quia non dat vt Dominus, sed vt Minister. Ita Vasquez *de redd.cap.3.dub.2.n.*16. tunc enim non censeretur datum Monacho, sed concubinæ.

Colligitur secundò, Quid dicendum sit in illa quæstione, An peccet Religiosus dicens hoc est meum. Si enim dicat, Hoc est meum, intendens, quò ad dominium, & dispositionem ad libitum, & formaliter volens id esse suum, mortaliter peccat; Si autem dicit hoc est meum, intendens quò ad vsum, & administrationem, vel simplicem detentionem, nullum peccatum committit: Si autem nihil cogitans de proprietate, vel vsu, instatus respondeat. Hoc est meum, peccat venialiter, quia mendacium, est surreptitium, & omne mendacium quantumcumque leue semper est peccatum veniale, vt docet D.Tho. 2.2. *q.*110. *art* 4. Ita Nauarrus *comm.2. de regul.num.*1. Bartholomæus à S. Fausto *de vitio propr. quæst.* 11. Grassius *de casibus reseruatis, lib.3. cap.4. num.*10. Cauere tamen debet verus Religiosus, hæc verba *Meum, & Tuum*. Nam sonant proprietatem, vt *in cap. Dilectissimis,* 12.*quæst* 1. Vnde Cassian.*lib.4.instit.cap.*13.*de illis antiquis cœnobitis* ait. *Ne verbo quidem audet quis dicere aliquid suum; Magnumque sit crimen, ex ore Monachi processisse, codicem meum, tabulas meas, graphium meum, tunicam meam, caligas meas. Proque hoc digna pœnitentia satisfacturus sit, si casu aliquo per surreptionem, vel ignorantiam huiusmodi verbum ex ore eius effluxerit.*

Colligitur tertiò, posse Prælatum concedere hos redditus suo Religioso, expendendos in vsus indeterminatos, licitos tamen, Posse etiam concedere, vt ipse Religiosus, cui concessum est peculium, redditus per seipsum administret. Ita Sanch. *loc. cit. num.* 12. Aduerto tamen Prælatos, vt inuigilent super sibi commissum gregem, & quotannis tempore visitationum curent sibi rationem reddi de redditibus, & expensis, & videant, an rectè sint expensi, quod si non, castigent delinquentes iuxta delicti grauitatem. Nam ex negligentia Prælatorum oritur Religionum dissipatio, & Religiosorum perditio.

Colligitur quartò, esse contra votum paupertatis, si Religiosus Superiori volenti concessum sibi peculium reuocare resistat: aut paratus non sit à se ad eius nutum abdicare. Ita Graff. *lib. 3. de casib. reseru. cap 4. num.* 51. *fine*, Bartholomæus à S. Fausto *loco cit. quæst.* 10. *num* 24. Rodrig. *tom.3.q.regul.quæst.*29.*art.*12. Lessius *lib.2.de iust.cap.4.dub.5 num.*31.*&* 32. Sanchez *loc cit. numer.*15. Limitat tamen Lessius, *modo loc.* aliundè satis illi Religioso prouideatur; Nec enim Superiore iubente tenetur dimittere, nisi constaret alia ratione ex communi penu illi prospectum fore. Nec superiori volenti certam rationem victus communis instituere, potest subditus non obtemperare. Vt Lessius, & Sanchez *loc.cit.* qui addit, subditum teneri obedire Superiori, quando Superior aufert superflua: non autem si necessaria. Tandem nota, quod non tenetur obedire, si auferat, vt sibi retineat, vel auferat nihi particulari, & non omnibus, vt dictum est suprà.

Colligitur quintò: Resolutio illius quæstionis, An Religiosus, cui externus quidam dedit centum aureos, ad suum libitum expendendos, possit ex Superioris licentia alicui sæculari eos tradere, vt censum sibi quotannis soluat, dum vixerit. Et eo Religioso defuncto, centum illos aureos sibi retineat. Sic distinguendum enim est. Si ita concessi sunt illi centum aurei, vt concedens noluerit, illorum dominium transferri in Monasterium, sed omninò cedere in Religiosi vsum, & eadem fuit mens Religiosi acceptantis, est licitum ex Superioris licentia, eos tradere prædicto modo. Sin autem ita dati sint, vt illorum dominium in Monasterium transierit. Tunc neque Generalis, aut Prouincialis absque consensu Conuentus, nec Conuentus absque consensu Generalis, aut Prouincialis potest Religioso præd. facultatem concedere, prædictum contractum celebrandi. Ita Corduba *in summ.quæst.*54. *dub. vlt.* Lopez *secunda parte instruct cap.5.col.penult. versu, Secundò aduertimus.* Vega *tom.2.summ.cap.*32. *casu* 19. Rodrig. *tom.1.summ. cap.*90.*numer.*8.*&* 9. *conclus.*3. *&* 4. *& com.2. q. regul. quæst.*47. *art.*15. Sanchez *loco cit. numer.* 16. Tunc autem dicetur, Dominium in Conuentum non fuisse translatum, quando sæcularis rem censu constituendam ipsi Religioso dedisset, vt ipse eam relinqueret cui vellet, & Religiosus sic eam acceptauisset. Ratio autem secundi dicti est, quia cum iam hæc summa sit in Conuentus proprietatem translata, non potest sine ipsius beneplacito alienari, si enim alienaretur, in graue ipsius detrimentum redundaret. Quæ ratio cessat in primo dicto, vbi Conuentus nihil acquisiuit. Ego tamen habeo difficultatem in eo, quod dicunt, istos aureos iam Religioni incorporatos, posse cum licentia Prælati, & Conuentus concedi præd. sæculari, præfato modo. Nam Prælatus, & Capitulum non habent potestatē disponendi de rebus Conuentus, nisi in eius directam, vel indirectam vtilitatem, & necessitatem, vt probat Nauarr. *comm.2. de regul. num.*23. *& comm.3. numero* 5. *versu. Tertiò quæritur.* Addita præsertim constitutione Clementis VIII. *de largitione munerum*, de qua infrà. At hic nulla vtilitas directa, neque indirecta, nec vlla adest necessitas; ergo videtur, quod Capitulum non possit hoc facere. Addo, quod licet pecunia non sit de rebus, quæ seruando seruari possunt, vt Sylu. *cum communi verbo Alienatio q.8.num.*7. Si tamen implicetur in census, vel bona stabilia, fructificat; Vnde ista, quæ potest fructificare in perpetuum in vtile Monasterij, non potest dari ad vitam istius particularis, absque eo quod bono communi præiudicetur.

Colligitur 6. quid dicendū in illa quæstione, An Nouitius professionem facturus, & omnia sua Religioni relicturus, possit Religionem obligare, ad sibi soluendum quotannis quadraginta scuta; supposito, quòd facultates relictæ multum excedant dictam pensionem. Et an Conuentus deindè teneatur soluere dicto professo di-

ctam

ctam pecuniam. Respondetur enim, quod potest, cum, n. sit Dominus rerum suarum, potest eas relinquere cuicumque vult absolutè, vel limitatè, nec hoc est contra votum paupertatis, nec contra Concilium; quia semper supponimus, quod hunc redditum retineat, & expendat cum voluntate Superioris. Conuentus autem tenetur dictam pensionem soluere ex debito iustitiæ; quia cum Nouitius fecit suum testamentum, seu renuntiationem, erat in sua libertate, & sic instituit suum hæredem vniuersalem Conuentum, cum ista obligatione soluendi sibi ipsi iam professo talem pensionem; & Conuentus acceptauit hæreditatem, sic grauatam; ergo tenetur ex iustitia soluere illam pensionem. Sicut si dictus Nouitius mandasset Conuentui, ab ipso instituto hæredi, dictam pensionem alicui alij personæ extra Religionem soluere, & Conuentus acceptasset, non teneretur ex debito iustitiæ soluere? sic tenetur soluere ipsi Nouitio iam professo. Ita Ledesma *de statu Religios. in communi*, *cap.* 4. *conclus.*3. *dub.*14. *pag. mihi* 116.

Colligitur septimò, Quid dicendum in eo casu, quo Nouitius ingrediens Religionem esset vsufructuarius aliquorum redditunm, durante eius vita; quia verbi gratia, Quando natus est, eius Pater instituit censum ad eius vitam: vel est alicuius familiæ, quæ habet multa bona in communi, quæ quotannis dispensantur in descendentes illius, An scilicet iste talis possit retinere sibi istum vsumfructum cum licentia Superioris. Dico, quod sic: Quia cum iste retineat hos redditus, de licentia Prælati deque eius licentia expendat, non potest dici proprietarius. Nec obstat, quod habeat illud ius exigendi illam annuam pensionem: vel petendi sibi dispensari de eleemosynis suæ familiæ, quod ius est ita illi proprium, vt non possit in alterum transferre, quia licet ius illud cohæreat personæ, vtilitas tamen ex illo iure proueniens est apud Monasterium: seu apud Monachum ipsum de licentia Prælati, quod etiam in vtilitatem Monasterij resultat; Si enim Monachus ille pensionem illam expendit in vsus licitos, & necessarios, id resultat in Monasterij vtilitatem, quod excusatur à prouidendo, vt tenebatur dicto Religioso de necessariis.

Ponit hunc casum expresè Bart. *in authent. ingressi de Sacrosanctis Ecclesiis n.*20. *& n.* 21. dicit, quod talis vsusfructus transit ad Monasterium ad vitam Monachi, quod quidem Monasterium, seu illius Prælatus concedit Monacho, vt illo vtatur.

Colligitur hæc doctrina ex Graffio *lib.* 3. *de casibus reseru. capite* 4. *numero* 51. Et Nauarro *comm.* 2. *regul. num.* 38.

Colligitur octauò, quod si relinquatur legatum Religioso professo eo pacto, & conditione, quod Prælatus illius consentiat, talem Religiosum eo frui, quod si non consenserit, cadat allegato, interpretandum est, quod vsus solummodo pertineat ad Religiosum, Dominium verò ad Conuentum. Vnde potest Prælatus tali Religioso talem vsum concedere: quod si noluerit, nullum erit legatum, & pene grauatum remanebit. Ita Abbas *in cap. Monachi, de statu Monachi*, *num.* 8. Sylu. *verbo Religio* 6. *quæst.* 7. *d.*3. Molina *disput.* 140. Miranda *tom.* 1. *Manualis*; *quæst.*28. *art.*6. Sanch. *lib.*7. *in decal.cap.* 17.

Colligitur nonò, Peculium concessum Religioso debere esse moderatum, ita vt religiosam paupertatem sapiat. Quia Trid. interdicit regularibus mobilia superflua concedi, *sess.* 25. *cap.* 2. *de regul.* ergo etiam peculium rei stabilis superfluum. Superfluum autem dicitur in præsenti, quod non est necessarium ad statum habentis peculium. Verùm quidem est, quod in hoc debet attendi ratio qualitatis personæ, condirionis, loci, varietatis temporum, & nonnullarum aliarum circumstantiarum, ad decentiam status conseruandam necessariarum. Vnde quòd vni est superfluum, alij potest esse necessarium; si consideretur Religio strictior, vel laxior, vel etiam Gradus, vt si est Magister, Prouincialis aut simplex subditus, ætas, vt si iuuenis, senex, infirmus, sanus. Ratio loci etiam in eadem Religione. Quia in vna Prouincia aliquid est necessarium, quod in alia erit superfluum, attenta qualitate religionis, & personarum sæcularium. Ita Sanchez *loco cit. num* 17. Vnde dicitur, definitum à sacra Congregatione, & refert Naldus *verbo Religiosus*, *num.* 3. & Quarantà *verbo casus. Regulares Superiorum arbitrio, & præfinitioni stare debere, quò ad nobilium superfluitatem, vel conuenientiam: Nisi de excessu arbitrij constiterit*, habita videlicet ratione personæ, officij, & regularis status, paupertatisque quam professi sunt, & cæterarum itidem qualitatum. Quòd idem habetur expresè *cap.exiit §. Insuper de verborum signific. in sexto.*

Colligitur decimò, Qualiter Religiosi habentes amplissimos redditus, possint hac superfluitatis culpa liberari. Primò enim possunt liberari, quòd ratione dignitatis personæ pluribus egeant iuxta dicta. Vel secundò, quando regula posset dici relaxata, & paupertas eo modo intellecta, præualuissetque iam consuetudo, vel tertiò, quia pars illorum redditunm expendunt in bonum Conuentus, vel in pias operas, vel tandem quia Religiosus ille multa sua industria comparauit, vnde æquum est, vt illi plura concedantur. Ita Sanchez *loco cit num.* 18.

Colligitur vndecimò. Quòd Religiosus expendens aliquid notabilis quantitatis, ex iis, quæ sibi sunt concessa ad vnum vsum, in alium deteriorem, vel suo statui minus conuenientem, intra, vel extra Monasterium, peccat mortaliter, & agit contra votum paupertatis. Ita Rodriq. *tom.* 3. *quæst. regul. quæst.*29. *art.* 10. *conclus.* 4. Ledesma *de statu Religios. in communi*, *cap.*4. *conclus.*3. *dub.*3. *pag.* 88. Sanchez *lib* 7. *in decal. cap.*19. *num.* 68. Barthol. à S. Fausto *tract. de vitio prop. quæst.* 10. *numero* 19. Quia tunc videtur re illa vti tanquam propria. Aduertit tamen Ledesma, quòd si Religiosus habens licentiam à suo Prælato expendendi viginti ducatos, V. G. in Imagines, illos expenderet in libros, non peccater contra votum paupertatis; quia præsumitur adesse licentia Prælati in vsus æquales, vel meliores. Esset autem peccatum proprietatis, si omninò constaret de mente Prælati, quòd nollet dare licentiam, nisi in illos vsus præcisè. Notat autem idem Ledesma, quòd illos viginti ducatos non potest Religiosus erogare in eleemosynam, licèt sit melior vsus, quàm emere libros. Quia illa regula, quòd potest expendere in vsus æquales, vel meliores intelligitur in ordine ad voluntatem Prælati, bonum commune respicientis, quæ voluntas hic non præsumitur, cum bonum commune non respiciat.

§. II.

Quæ sit iusta causa peculij concedendi.

DIcendum est primò, iustam causam peculij concedendi, esse necessitatem, aut vtilitatem grauem, priuatam, aut publicam. Priuata est, vt pro victu, vel vestitu Religiosi, quandò Monasterium necessaria illi non suppeditat; vel ad emendos libros spirituales: vel quibus discat aut animus recreetur honestè, Publicam autem, vt cum conceditur alicui officiali peculium ad expendendum in vsum communem, seù ad libros emendos, ad docendum, vel concionandum, &c. Ita Nauarrus *comm.* 2. *de regul. num.* 24. Antoninus *tertia parte, tit.* 16. *cap.* 1. §. 11. *notab.*5. Passarellus *in comp. priuil. Minim. post. cap.* 43. *tit. de propr. abdic. versu de causa dispens. nota, versus finem.* Sanchez 7. *in decalog. cap.*22. *num.* 20. & tandem bene concludit Nauarrus *loco cit. num.* 25. quæ sit iusta causa, relinqui arbitrio prudentis viri considerantis personam, locum, finem in quem conceditur, tempus, & quantitatem rei concessæ, & alia similia:

similia: Quod etiam docet Beia *quarta parte casuum, casu 32. versu dico ergo.* Addit Sanchez, iustam causam concedendi peculij esse quandò Religiosus bona Monasterij administrat, vt constat *ex cap. Monachi, de Statu Monac.* § . *qui verò.* Vnde colligitur, licere Religiosis, munera Religionis obeuntibus, aliquid per modum stenæ, non per modum salarij, præsertim in Religionibus, quæ adhuc viuunt in strictiori paupertate, vt per misericordiam Dei est nostra Minimorum, assignare, vt diligentius, & fidelius ea exequantur. Esset etiam causa iusta magna vtilitas Monasterij, vt si occurrant vir, aut fœmina ditissimi in aliquo Monasterio egenti, profiteri volentes non aliter, quam reseruato sibi peculio. Id quippè licebit vt suis diuitiis Monasterio subueniant quòd habetur *in cap. Insinuantè, ne Clerici, vel volentes.*

Quæres, an ad retinendum peculium sit semper à Superioribus successoribus petenda licentia. Optimè distinguit Rodriq. *tom. 1. quæst. regul. quæst. 125. art. 5. fine*, quem sequitur Sanchez *loco cit. num. 25.* Si legatum sit vnum, etiamsi in distinctis annis, debeat illo legatarius frui, verbi gratia si legetur vinea, aut annuus redditus, sufficit vnius Prouincialis licentia ad ipso lagato fruendum toto tempore vitæ suæ. Cum enim sit data nomine officij, semper valet quousque reuocetur. Quòd si fuerit reuocata, alia de nouo debet impetrari. At si legatum sit diuisum, seu sint plura legata, velut si singulis annis alicui Religioso legentur centum ducati, tùm à successoribus Superioribus petenda esset confirmatio prioris licentiæ. Sufficit tamen, si in principio anni, quo incipit legatum, obtineatur licentia ab eo, qui tunc est superior, licèt deindè desierit esse superior, vt aduertit Sanch. *loc. cit.*

Dico secundò, Prælatum Religionis, non ministrantem necessaria subditis, cum commodè possit, & sic præbentem causam peculiis, peccare mortaliter. Antoninus *3. part. tit. 16. cap. 1. §. 11. ad finem*, Sylu. *verbo Religio 6. quæst. 7. fine*, Sanchez *loco cit. num. 16.* Similiter peccant mortaliter subditi dantes peculiis causam, te sistendo vitæ communi, cùm illi necessaria ministrentur. Ita Antoninus, & Sylu. *loco cit.* Peccant etiam mortaliter grauiter murmurando, & magnas querelas fundendo, ne dicta vita communis introducatur, vt Sanchez *loco cit.* & est peccatum contra paupertatis votum.

In particulari autem quinque possunt assignari obstacula, quæ sanctæ paupertati & obstant, & aditum aperiunt peculiis; quorum quatuor assignauit Aluarez *tom. 2. de vita spirit. lib. 5. part. 1. cap. 14. col. 7.* Primum est Religiosorum multitudo, ad quorum sustentationem nec consuetæ eleemosynæ, nec redditus cœnobij sufficiunt. Vnde Hugo *lib. 2. de Claustro animæ, cap. 2.* ait, *Tenenda est primum circumspectio in numero fratrum, vt tot simul habitent, qui ordinate viuere possint, ne vel excusante paupertate irregulariter viuant, vel pro multitudine cohabitantium necessitati eorum illicita quærant. Qui enim multos congregant, necesse est, vt eorum victui multa quærant. Sed dum quærunt plura, crescit exteriorum cura, &c.* Huic malo visum est Concil. Trid. *sess. 25. cap. 3. de regul.* Remedium adhibere his verbis, *In Monasteriis, & domibus tam virorum, quàm mulierum, bona immobilia possidentibus, vel non possidentibus, is tantum numerus constituatur, & in posterum conseruetur, qui vel ex redditibus propriis Monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commodè possit sustentari.* Quod etiam innouauerunt Summi Pontifices, Clemens VIII. & Paulus V. *in decretis pro reform. regul.* quæ decreta obligant sine dubio ad mortale, quia præceptum est in graui materia, & ad conseruationem Religionum valde necessarium, vt ait Sanchez *7. in decalog. cap. 23. n. 3.* Qui tamen n. 6. ait, posse excusari Prælatos Religionum plures contra prædictum decretum admittentes, si iusta causa ducti eos admittant. Iusta autem causa est, ne Monasteria numero Religiosorum sufficienti destituta corruant, vel ministerij ex suo instituto debitis non possint satisfacere.

Secundum obstaculum est domos ædificandi desiderium, & ampliandi, Prælatos sollicitans, cui vt satisfaciant subditis necessaria denegant. Dolus Diaboli enitentis, vt minora maioribus præponantur, & leuia incommoda grauissimis malis curentur; Leue enim incommodum est, si domus non sit plenè ædificata; magnum verò malum, si paupertas non vigeat, & Charitas ac paterna prouidentia ædificiorum causa deficiat. Primo loco fratres sustententur. Et Secundo Domus extruantur. Extruantur autem domus pauperum, non Palatia Imperatorum; Religiosè enim Hugo *de claustr. lib. 2. cap. 4.* ait *Ædificia fratrum non superflua sint, sed humilia, non voluptuosa, sed honesta. Vtilis est lapis in structura, sed quid prodest in lapide celatura? &c.* Religiosorum ædificia sint fortia, sint capacia, sint officinis necessariis, & cellis instructa; Curiositates verò in ædificiis, & superfluos sumptus, non fundatores Religionum præceperunt; Immò abominati sunt; sed astus Diaboli, & vanitas, & sæcularitas importarunt.

Tertium obstaculum est nimia cura, quam aliqui Prælati collocant in sacris templi vasis, & ornamentis, ac aliis paramentis emendis? Non aduertentes, congruam sustentationem subditorum esse præceptam. Hæc autem pretiosissima ornamenta esse sub consilio relicta, nec licere pro operibus supererogationis præcepta relinquere, fulgeant quippe sacra templa auro, & diuitiis, ac ita fulgeant, vt pauperes Christi non algeant, vt serui Dei non esuriant, & sitiant. Cathedrales Ecclesiæ fulgeant, & splendeant, vt matres aliarum Ecclesiarum in quaque Prouincia. At Religiosorum Ecclesiæ fulgeant & splendeant vt filiæ; Non enim Deus, qui summè à nobis colendus est, eundem ornatum in omnibus locis exigit; Templa itaque Christi, viua scilicet Religiosorum corpora, prius reficiantur, & vestiantur, & postea templa, seruatis modestiæ limitibus exornentur. Vnde Clem. V. *in Clement. exiui, de verborum signific. §. rursus, versiculo quamuis*, ait, *Quamuis etiam paramenta, & vasa Ecclesiastica ad honorem diuini nominis ordinentur: propter quem fecit omnia ipse Deus, tamen quia absconditorum est cognitor, & ad animum sibi ministrantium respicit principaliter, non ad manum, nec per illa sibi vult seruiri, quæ suorum seruitorum conditioni, & statui dissonarent. Propter quod sufficere debent eis vasa, & paramenta Ecclesiastica decentia in numero, & in magnitudine sufficientia competenter, superfluitas autem, aut nimia pretiositas, vel quæcunque curiositas in his, seu aliis quibuscumque non potest ipsorum professioni, vel statui conuenire*, & Ludouicus Granatensis *tit. de oratione, secunda parte*, agens de octauo impedimento deuotionis, §. 8. *de vitio curiositatis* sic ait, translatus ex Thoma à IESV *parte quarta, cap. 7. Ideoque quia perspicit Dæmon, quam graue sit istud impedimentum, summopere conatur* (vt doctor quidem inquit) *quoscumque cuiusuis conditionis hoc vitio inuoluere, exstimulando eos ad exquirenda pretiosa, & elaborata ornamenta, quibus templa, & monasteria sua condecorent, idque sub prætextu pietatis, ac deuotionis, persuadendo eis, seruis Dei nihil non deberi. Quodque expediat ipsorum vsui superba construi ædificia, & cubilia, quæ ea lubenter inhabitent.* Et Hierony. *in regula Monachorum, cap. de paupertate* ait, *Neque aliquis mihi opponat diues in Iudæa templum, mensam, lucernam, thuribula, scyphos, & alia ex auro fabricata, tunc hæc probantur à Domino, quando Sacerdotes hostias immolabant, & sanguis pecorum erat redemptio peccatorum. Quanquam hæc omnia præcesserunt in figura. Nunc vero cum paupertatem domus suæ pauper Dominus dedicauerit, cogitemus crucem, & delicias lutum putabimus.*

Quartum obstaculum est quorundam Prælatorum ingenium

ingenium durum, & immisericors, qui cum ipsi robusti sint, omnes sua duritie metiuntur, nesciunt infirmis compati, nec delicatorum misereri. His nihil aliud est dicendum, nisi quod Prælati esse discant: & se patres aliorum cognoscant, & diuina Iudicia formident; Nàm solet Deus duris duros Prælatos mittere, qui eo tempore senectutis, & necessitatis immisericorditer tractentur, & in suis ægritudinibus tribulent. Audiant Bonauenturam de sex alis seraph. cap. 4. *Bonus Prælatus agnoscit se fratrum suorum patrem, non Dominum exhibet se eis Medicum, non Tyrannum, nec reputat eos vt iumenta sua, vel seruos emptionis, sed vt filios hæreditatis superna consortes. Facit eis sicut vellet sibi fieri, si simi iter indigeret, sed fortes, & sani non sentiunt, quæ sentit æger, ideo nesciunt ei compati, sicut autem postea, cum dolebunt.* Hæc Bonauentura.

Quintum obstaculum addimus, quod in multis Religionibus est frequentissimum, ardentissimum scilicet desiderium, & auidissima cupiditas noua Monasteria ædificandi. Acutissimus astus Diaboli. Aiunt enim Prælati, se hoc facere ad Religionem ampliandam, ad quod ex officio tenentur. Et vt transeuntibus fratribus hospitium sit in qualibet Ciuitate, & pago. Sed latet anguis in herba. Cum enim inquam plurimis pagulis, in quibus isti conuentus sumuntur, vigeat in octauo gradu paupertas, & ita, vt vix sibi ipsis coloni dic, noctuque laborantes sufficiant, nequaquam possunt commodè Religiosos ibi commorantes sustentare. Vnde coguntur ij ibi in tam paruo numero habitare, vt moraliter loquendo, sit impossibile, vt vitam, & disciplinam regularem obseruent: vel coguntur ita ostiatim mendicare, vt potius continui cursores, & eleemosynarum quæstores sint nuncupandi, quam Religiosi: & potius videantur ibi stare ad victum sibi quærendum, quam ad Deo seruiendum: Inde Religiosorum vilipendium. Vnde Bonauent. *tom. 1. opusc. epist. ad Prouinciales sui ord. pag. 487. Frequentia discursus, ait, & importunitas quæstus, viles nos efficiunt, & graues,* Et *in expositione regulæ S. Francisci, quæst 6.* ait, *Quando nimis vrgemus homines ad dandum, perdunt deuotionem prius ad nos habitam, quod nec de prædicatione, neque exēplo, nec aliis, qua facimus ædificantur Vnde cum vident nos accedere, terrentur, & timent, quod aliquid velimus ab eis expetere, quod graue sit eis dare, & erubescunt negare, & si dederint non libenter, minus merentur, & sic rebus, & deuotionibus priuantur* Indè sibi quisque quærit peculium, vt possit suis necessitatibus subuenire, si quando contigerit, cum ad talia loca inhabitanda mitti. Ad illud autem, quod dicunt, sic hos Conuentus sumere pro hospitiis. Dico, quòd incidit in Syllam cupiens vitare Charybdim. Et quod ex duobus malis, id quod est minus, semper est eligendum, & ego putò minus malum per vnam noctem pernoctare in caupona; seù etiam in alia deuotorum domo, quàm permittere, vt duo, vel tres, aut quatuor fratres habitent in istis tuguriis, absque disciplina, absque timore, absque obedientia. Vbi enim sunt tantum duo, vel tres, vnusquisque facit, quæ sibi placita sunt. Indè scandala, relaxationes paupertatis, & aliorum votorum; & taliter afflicti, si deinde reducantur ad Conuentus, in quibus vigeat regularis disciplina, iam fracto iugo, ruptis vinculis, eis subiici amplius non possunt: Quod malum si considerarent, & ponderarent Prælati, equidem tot tuguria, vel relinquerent, vel non susciperent. Inquiunt etiam, isti Conuentus erunt aliquando boni licet nunc non ita. Erunt boni quando Religio erit mala, & relaxata. Replicant, sumimus vt proximos adiuuemus. At nescio, quæ charitas, proximum adiuuare cum propriæ, salutis dispendio, *Redditio*, inquiet Dominus in die, illa *Rationem villicationis vestræ, vestra*, inquam, non proximi vestri. Adiuuare proximum tenemur post nos ipsos. Non ante nos. Quare sanctissimum fuit illud decretum sanctissimi Domini Papæ Clementis VIII. Pauli V. & Gregor. XV. quod non reciperentur Conuentus, in quibus commodè duodecim fratres sustentari non possent. Et vtinam fuisset additum, vt illa Monasteria iam recepta, in quibus dictus numerus non potest sustentari, vel non est saltem probabilissima spes, quòd de breui poterit, dimitterentur.

Tandem hic noto, quod prius notauit Guillelmus *in sum. vit. & vir. tom. 2. §. antepenult. contra nimietatem præceptorum, c. 38.* Tria sunt, quæ solent Religionem destruere. *Præceptorum nimietas, Particularium singularitas, Amor temporalium* Ecce singularitas, & amor temporalium, quæ ex peculiis; peculia autem ex his dictis.

§. III.

Qua licentia Prælati requiratur, Ad hoc vt Religiosus possit aliquid quoquomodo distrahere.

Noto primò. Quia Religiosus habens de licentia Prælati peculium, non potest sine Prælati licentia accipere aliquid, donare, aut commutare, vel distrahere, vt probat D. Thoma 2. 2. *quæstio 32. art. 8. ad primum.* Nauarro *comm. 2. de regul. numero 8. versu ad eius notabilis*, & alij communiter. Ideò videndum est, quæ licentia requiratur, & sit sufficiens, ad hoc vt Religiosus accipiat aliquid, donet, vel quoquo modo distrahat. Licentia autem est duplex. Expressa, & tacita. Expressa est illa, quæ expressè, verbo, seù voce, vel scripto conceditur. Tacita, quæ & præsumpta dicitur à D. Thom. 2. 2. *quæst. 32. art. 8. ad primum*, seù interpretatiua ab aliis, & illa, quæ non habetur quidem expressè, præsumitur tamen, quod si peteretur, concederetur. Quæ licentia adhuc est duplex primo Generalis, quæ tribuitur in Generali omnibus; secundò specialis, quæ conceditur alicui in particulari.

Noto Secundò, quòd ad hoc vt Religiosus possit præsumere, se habere Prælati licentiam tacitam, non est necesse, vt intelligat, quòd Prælatus non ægrè ferret, quod facit, sed satis est, vt intelligat, quòd si peteret licentiam, expressè illam sibi concessisset. Et ratio est, quia displicentia Prælati potest prouenire aliquando, non tantùm ex re accepta, expensa, vel retenta, quantùm ex modo illam accipiendi, expendendi aut retinendi clandestinè, & sic non accipit, expendit, aut retinet inuito Prælato, sed eo non vidente, & potiùs præ verecundia, vel alio respectu id facit, quàm contra Prælati voluntatem formalem. Et doctrina Caiet. *in sum. verbo furtum. & 2. 2. q. 66 art. 3.* quam sequitur, & confirmat Nauar. *com. 2. de regul. num. 20.* Graffius *1. part. decis. lib. 3. cap. 5. num. 54* Rodriquez *tom. 3. quæst. regul. quæst. 29. art. 11.* Mir. *tom. 1. Manualis, quæst. 28. art. 16.* Quòd autem hæc licentia tacita sit satis ad excusandum Religiosum, eum ea operantem, à mortali, docent Præfati Doctores cum D. Thom. *loc. cit. nota 6. praecd.* quibus adde Beiam *quarta parte casuum, casu 32. versu quòd si adhuc inquiras*, & probat, quia eadem est vis tacitì, & expressi, vt dicitur *cap. 2. de rescriptis.* Diffusè id probat etiam Sanchez *lib. 7. in decalog. cap. 19. num. 4.* Nota etiam; quòd si fuerit licentia Generalis, vt à Sorbo *in compend. verbo dare*, & Barthol. à S. Fausto *de voto propr. quæst. 32.* & Lessius *lib. 2. de iust. cap. 41. dub. 9. num 80.*

Noto tertiò, An sufficiat ad hanc licentiam præsumptam Superioris taciturnitas, videntis Religiosum aliquid suscipere, vel expendere, & non contradicentis. Aliqui negant apud Sanchez *loco cit. num. 10.* Alij tamen affirmant apud eundem, *n. 21.* qui conciliantur ab ipso *n. 12.* Nam si taciturnitas est solùm permissiua, non excusat Religiosum, & sic vera est prima sententia, Nam multa fieri permittuntur, quæ tamen peccata sunt. Si autem permissio sit approbatiua, excusat Religiosum à culpa, & sic vera est secunda sententia. Quòd priùs dixerat Nauarrus

Nauarrus *comm.* 2. *de regul. num.* 22. & Rodriquez *loco cit. quæst.* 29. *art.* 11. & Bela *quarta parte casuum*, *casu* 32. *versu quòd si adhuc*. Tunc autem est taciturnitas permissiua tantùm, quandò Superior videt Religiosorum rem accipere, vel distrahere, & tacet verecundia aut timore, seu alio respectu; quia vir pacificus est, & subditus rixosus, & colericus. Secùs autem, quando Superior videt, & tacet motus ex nullo dictorum impedimentorum, imò solitus in his similibus occasionibus clamare, & redarguere, & non reclamat, nec redarguit, tunc censetur taciturnitas approbatiua. Ita ferè Sanchez *loco cit. num.* 12.

Nota quartò, Licentia ad aliquid expendendum, donandum, seu accipiendum debet esse voluntariè, non precibus importunis à Superiore legitimo concessa ad hoc vt subditum excuset, nec vi, dolo, aut metu extorta; Nam tunc subditum non excusat à violatione voti paupertatis, vt pluribus probat Sanchez *loco cit. num.* 16. 17. 18. Debet autem esse concessa ex iusta causa, alioquin non excusat, vt Sanchez *loco* [illegible] *num.* 19. Quis autem sit legitimus Superior, qui hanc facultatem potest concedere, censet Sanchez, cum aliis, quos citat *loco cit. num.* 39. Quod potest etiam concedere Superior immediatus Conuentus, intellige modo Prælatus Prouincialis, vel Generalis non adsit, in nostro ordine præsertim. Nam tunc ab eo talis licentia esset obtinenda. Quod intelligitur etiam quod ad fratres hospites, saltem in iis Religionibus, in quibus fratres hospites subduntur illis Superioribus, in quorum Conuentibus sunt hospites, vt in nostro ordine Minimorum per decretum *Capituli Valent. quarti numero* 47.

§. IV

Quomodo Religiosus possit aliquid accipere.

Dico primò, Religiosus aliquid notabilis quantitatis à quouis accipiens, absque Superioris licentia tacita, vel expressa, animo illud occultandi Prælato, facit contra votum paupertatis. Rodriquez *tom.* 3. *quæst. regul. quæst.* 29. *art.* 10. *conclus.* 6. Miranda *tom.* 1. *Manual. quæst.* 28. *art.* 16. Ledesma *de statu Religios. in communi*, *cap* 4. *conclus.* 3. *dub.* 1. *pag. mihi* 84. Sanchez 7. *in decalog. cap.* 19. *num.* 45.

Probatur, quia se gerit hoc casu tanquàm Dominus, & habetur expressè *in cap. Cum ad Monasterium*, *de statu Monach.* vbi dicitur. *Si cuiquam aliquid fuerit specialiter destinatum, non præsumat illud accipere, sed Abbati, vel Priori illud assignetur.* Dixi notabilis quantitatis, quia si reciperatur aliquid paruum, mortale non erit. Dixi animo illud occultandi Prælato, quia si haberanimum illud in manus Prælati præsentandi statim, peccatum non erit; nisi forsan per peculiarem aliquam constitutionem in illa Religione cautum esset per obedientiæ præceptum, ne quidquam reciperetur absque Prælati licentia speciali, & expressa.

Possunt tamen Religiosi absque aliqua Prælati licentia aliqua comestibilia, seu medicinas, aut vestes accipere, vt suæ necessitati consulant, dato quòd Superior huic necessitati propositæ prospicere tenuerit. Ita Rodriquez *tom.* 3. *quæst. regul. quæst.* 29. *art.* 10 *col. antepenult. versu aduertere*, *& in summ. part.* 2. *cap.* 32. *versu Lo vndecimo digo.* Saytus *in claui reg. lib.* 9. *cap.* 16. *n.* 20. Val. *tom.* 3. *disp.* 10. *quæst.* 4. *p.* 3. *col.* 2. *corol.* 4. Bart hol. à S. Fausto *tract. de vitio propr. quæst.* 10. *num* 31. Sanchez *loco cit. num* 54. Ledesma *de statu Religios. in communi*, *cap.* 4. *conclus.* 3. *dub.* 5. *pag.* 94. *versu Toda via queda.* Ratio est, quia Superior date tenetur huiusmodi necessaria quò ad victum, & vestitum suis subditis. Quòd si denegauerit, iniustè denegat; Vnde Subditus potest sibi aliundè prouidere. Et nota, quòd subditus potest accipere hæc comestibilia, &c. Aut pecunias, quibus hæc emantur ad suis necessitatibus subueniendum, non solùm ab extraneis; sed etiam ex propriis Conuentus redditibus, quandò ad id ij se extendetent, malitiosè tamen denegaret Superior, vt sibi latiùs, & abundantiùs prouideret. Si autem bona Conuentus ad talibus necessitatibus subueniendum non se extendetent, non liceret tunc Religioso, ex communi penu sibi prouidere absque proprietatis vitio; quia tunc non militat dicta ratio, & Superior iustè denegat. Et communis penutia ab omnibus toleranda.

Neque facit contra votum paupertatis Religiosus, cui volens amicus donare aliquid, rogat eum, vt det tali consanguineo; non intendens tamen illud, quod donator, acceptare, quia si acceptat, deindè rogat, vt det, cum per talem acceptationem iam Monasterium ius ad illud acquisierit, non est ampliùs in potestate Religiosi illud alienare, quod si alienat, peccat peccato proprietatis, vt ait Sanchez *loco cit. num.* 74. Nec obstat *lex* 2. *ff. de calumniatoribus*, vbi dicitur. *Idem est siue tu ipse accipias, siue per alium dari iubeas.* Quia loquitur de iis, quæ iam acceptata sunt. Verùm quidem est, quòd peccabit forsan talis Religiosus venialiter contra charitatem, suam Religionem priuans dicto emolumento. Si non amore puro proximi indigentis, sed amore sanguinis tantummodò id suaserit, vt Sanchez *numero* 75.

Dico secundo, peccat Religiosus contra paupertatis votum, quando rem cum Superioris licentia acceptam occultat, ne Superior idem, vel alius in visitatione cellatum auferat. Antonin. 3. *part. tit.* 16. *cap.* 1. §. 11. *notab.* 1. Sylu. *verbo Religio*, 6. *q.* 7. *dicto p.* Armilla *verbo Religio*, *n.* 27. Passarellus *in notab. priuil. Minim. notab.* 43. *tit. de propr. abdic. in principio*, *versu Verum quando*, Rodriquez *secunda part. sum. cap.* 32. *num.* 3. *versu Lo quinto digo.* Ledesma *loco cit. concl.* 3. *dub.* 2. *pag.* 85. *versu digo lo primiero.* Sanchez *loc. cit. n.* 60. Qui quamplures citat. Probatur, quia se occultans, vult contra Superioris licentiam rem illam ablaturi, si conscius esset, possidere. Quod directè est contra proprietatem: *Proprium enim est quicquid celatur Abbati, vel tenetur contra voluntatem Prælati*, vt Antonin. ait, *loco cit*

Intelligitur tamen conclusio, quando Religiosus occultat timens, ne ea expolietur à Prælato; Nam si non timet ea spoliari sed occultat præ verecundia, vel ne reprehendatur à Prælato, quod ex sola licentia tacita eam receperit; paratus tamen eam Prælato tradere, & minimè retinere quando intelliget, eum minimè concessurum, non peccat mortaliter, vt Rodriq. *tom.* 3. *quæst. regul. quæst.* 29. *art.* 10. *concl.* 5. & Sanchez *loc. cit. numero* 61. Qui addit, neque etiam peccare mortaliter; quando occultat, ad occultandum peccatum proprietatis, quod commisit in receptione talis rei, cum proposito tamen illam dimittendi, vel ad retinendam licentiam obtinendi, cum primum ei data fuerit opportunitas.

Ex quibus colligitur, quod Religiosus non paratus ad dimittendam rem ex licentia Superioris concessam, volente superiore auferre est reus voti paupertatis. Ita Passarellus *loc. cit.* & Sanch. *num.* 62. Qui addit, idem esse dicendum, si sit quidem paratus dimittere, sed fundendo querelas, & murmurando, ita vt Superior non audeat; quia tunc ea licentia est metu extorta.

§. V.

Vtrum Religiosus possit commutare, mutuare, emere, expendere, & commutare.

Dico primo, si Religiosus, mutuo, vel commodato quidquam, etiam ex iis, quæ sibi sunt concessa dat absque licentia tacita vel expressa Prælati, peccat contra

tra votum paupertatis, ita Lessius *lib. 2. de iust. cap. 41. dub. 9. n. 79. versic. 5.* Sanchez *7. in decalog. cap. 19. n. 65.* Quia vsuarius non potest alteri vsum rei sibi permissæ concedere, vt habetur *instit. de vsu, & habit. §. 1. & 2.* In rebus tamen paruis, & crebrius occurrentibus censetur esse licentia tacita: sicut etiam censetur esse licentia tacita: quando res, quæ mutuo, vel commodato datur, datur personæ, de qua certum est, quòd eam restituet, vt notat Ledesm. *de statu Religios. in communi, cap. 4. concl. 3. dub. 6. pag. 97.* & Sanch. *loc. cit.* Ethoc siue sint res, quæ vsu non consumuntur, vt libri, imagines, & id genus alia; quia tunc non transfertur dominium. In pecunia autem videtur maior difficultas, sed idem Ledes. *loc. cit. dico lo 2.* putat hoc etiam licere, quando mutuans est certus de restitutione; quia licèt transferatur dominium, recipiens tamen remanet restitutioni obnoxius. Quæ sunt vera, siue commodentur, vel mutuentur res intra vel extra Monasterium. Dixi, si est certus de restitutione nam si non est certus, peccat contra votum paupertatis. Hic vnum aduerto, multum debere esse cautos Religiosos in mutuanda pecunia, præsertim sæcularibus. Nam frequenter, qui mutuat, perdit & pecuniam, & amicum; sunt enim homines tàm affecti pecuniæ, vt ea semel sibi incorporatam, vix adduci possint, vt restituant. Vnde sanctum consilium esset nunquam sæcularibus, saltem pecuniam mutuare, quòd maximè sapit Religiosam paupertatem.

Dico secundò, Religiosus non potest emere, neque vendere, nec commutare quidquam absque Superioris tacita, vel expressa licentia. Ita Barth. à S. Fausto *tract. de vitio propr. q. 42. n. 4.* Nau. *com. 1. de regul. n. 23.* Rodriq. *in sum part. 2. c. 32. concl. 3. d. 7* Lopez *secunda part. instruct. cap. 6. quæst. 2.* Sanchez *loc. cit. numero 67.* Probatur, quia exercet actum dominij. Limitatur tamen conclusio 1. Si quis emat, non eo animo vt sibi applicet, & acquirat empta, sed vt approprier, & acquirat Monasterio. Sibi autem simpliciter, & purum vsum; Et non contrarium, sed quousque Superiori placebit; Nam tunc non erit reus voti paupertatis, vt Nauar. *loc. cit.* Limitatur 2. quo ad commutationem, tàm quando commutatur aliquid, V. G. libri pro libris, etiam cum sæcularibus, & commutatio cedit in vtilitatem Conuentus, commutans non est reus voti paupertatis, Rodriquez & Lopez *loc. cit.* Nam tunc non censetur Superior notabiliter inuitus, & ea commutatio non habet propriam rationem distractionis, aut consumptionis. Si autem Superior intelligeretur notabiliter inuitus, vt verbi gratia, si Religiosus commutaret librum maximæ æstimationis, vel propter doctrinam, vel propter raritatem, etiamsi commutaret in alios libros, multo plus valentes; peccaret peccato proprietatis.

§. VI.

Vtrum Religiosus possit aliquid donare absque Prælati licentia.

Dicendum est, Religiosum non posse aliquid notabilis quantitatis donare, etiam ex iis, quæ sibi sunt ad vsum concessa, tàm intra, quam extra Monasterium absque Prælati licentia tacita, vel expressa, & contrafaciens mortaliter peccat contra votum paupertatis. Ita D. Antonin. *3. part. tit. 16. cap. 1. §. 31. notab. 2. & 4.* Sylu. *verb. Religio, 6. q. 7. d. 2.* Passatell. *in comp. priuil. Minim. post c. 43. tit. de propr. abdic. versu si vero Religiosus.* Rodriq. *tom. 3. quæst. regul. quæst. 29. art. 10. concl. 3.* Lessius *lib. 2. de iust. c. 41. dub. 9. n. 79. versu quintò,* Sanchez *7. in decal. c. 19. n. 64.* Barth. à S. Fausto *de vitio propr. q. 42.* Beia *4. part. casuum, casu 32. versu quod autem spectat.*

Probatur, quia vsurpat rem tanquam propriam, quando eam vsurpat independenter à voluntate Prælati, & sic se gerit tanquam Dominus. Adde, quod vsuarius potest frui re ad vsum sibi concessa, non tamen alteri dare, vt dictum est supra, & Religiosus est simplex vsuarius facti.

Notat autem Ledesm. *de statu Religios. in communi cap. 4. concl. 3. dub. 6. pag. 95. versu En esta dificultad.* Quod trium bonorum genera potest subditus de Prælati licentia possidere, primum est pecunia: secundum res ad ornatum cellæ, & propriæ personæ: tertium rerum aliquarum comestibilium, vt sunt Bellaria, conseruæ, & alia id genus. Pecuniam nec intra, nec extra Religionem potest distrahere in notabili quantitate absque Prælati licentia. Notabilem autem quantitatem quo ad sæculares, & Religiosos alterius Religionis, dicit esse eam, quæ sublata inuito Domino esset peccatum mortale in materia furti. Quò ad Religiosos verò eiusdem Religionis, ait non esse materiam notabilem duodecim regalia, quia hic non transfertur dominium, sed solum vsus, & superior potest optimè disponere de his in mano recipientis, sicut poterat in manu dantis. Circa secundum genus rerum, ait similiter, esse mortale contra paupertatem donare aliquid sæculari, vel Religioso alterius Religionis, quod ablatum inuito domino esset mortale in materia furti. Religioso autem eiusdem Religionis potest liberiori manu donare, verbi gr. tunicam, vel librum valentem duodecim regalia. Quò ad tertium vero genus bonorum habitum de licentia Prælati, potest liberiori mano cum sæculari, & regulari alterius Religionis dispensare, & largissimè cum Religiosis sui ordinis, etiamsi res illæ comestibiles sint magni pretij, quia in istis semper præsumitur licentia Prælati. Hæc in sum. habet Ledesm. *loc. cit. toto illo dub. 6.* quæ mihi videntur satis rationi conformia.

Quam doctrinam probat Lamas *3. p. method cap. 9. §. 12.* putans posse sibi inuicem donare, & recipere religiosos eiusdem Conuentus, & Prouinciæ libros, & res cuiuscunque pretij, quia quicquid acquiritur semper religioni acquiritur, & nulli fit iniuria, nisi Prælato, qui nisi per obedientiam prohibuerit, vel nisi non fuerit contemptus erit solum venialis. Ita etiam Facundez *in 2. precept Eccles. lib. 8. cap. 6. num. 5.*

Dico secundò, Religiosus habens peculium de licentia Prælati, ex illo, vel aliis quæ sua industria acquirit, potest dare aliquid suis consanguineis pauperibus, vsque ad summam decem ducatorum, vel etiam plurium iuxta eorum necessitatem, arbitrio prudentis pensandam, vna & pluribus vicibus in anno. Ita Beia *4. p. casuum, casu 32. col. 3.* Vega *2. p. sum. cap. 86. casu 30.* Rodriquez *tom. 2. sum cap. 32. conclus. 3. dub. 6.* Sanchez *loco cit. num. 42.*

Probatur, quia habens peculium iustè concessum, potest expendere illud in omnes eos vsos, qui rectè rationi non aduersantur; sed hic nihil rectè rationi aduersatur; ergo. Pluribus id probat Beia.

At huic conclusioni videtur obstare constitutio Clementis VIII. edita *anno 1594. die 2. Iulij* quæ incipit *Religiosæ Congregationes*, quam refert Quaranta *in summ. bull. verbo munerum largitio*: quam constitutionem ex professo explicant à Sorbo *in compend. priuil. mendic. verbo dare*, Io. Valerius *in diff. iur. verbo Munera*, Paulinus Lucensis *to. 4. q. regul. in fine.* Meminit etiam de eo Rodr. *tom. 2. q. regul. q. 47. art. 3.* Azot. *tom. 1. inst. moral. lib. 12. cap. 12. q. 4.* Bartholomæus à S. Fausto *loco cit. q. 23. n. 11.* Sosa *tract. 1. fuor. oper.* Io. Cruz *lib. 1. de statu relig. cap. 3. dub. 5. sub conclus. 3.* De hac constitutione dicit Sanchez *loco cit. num. 42. & n. 100. & 105.* Quòd in partibus Hispaniarum supplicatum est Pontifici, & non est recepta sed statut iuri communi. In Italiam etiam eam video in desuetudinem abire. Sed quomodocumque sit, non aduersatur nostræ conclusioni, vt tenet expressè Beia, Valerius à Sorbo; & videtur etiam innui *in dicta const. §. 10.* ibi *nisi pro verè Christi pauperum indigentiis habita necessitatis ratione, & seruato ordine charitatis.* Ordo autē charitatis

ritatis postular, vt primo nostris, deinde aliis subueniamus. Et sic hanc bullam explicat à Sorbo *loco cit. in 5. casu versu*, *& sic Religiosi p eg. mihi* 196. Et verè intentio Pontificis fuit solùm obuiare abusibus, qui inter religiosos vigebant. At subuenire parentibus pauperibus, non est abusus, sed opus maximè charitatis.

Rodriquez, & à S. Fausto *locis cit.* & latè Cenedus *de pauper. dub.* 27. dicunt per istam constitutionem non prohiberi donationes remuneratorias, quæ sunt de iure naturali. Vnde post eam possunt etiam Religiosi aliquid donare extra ordinem, in remunerationem beneficiorum acceptorum de licentia Prælati, quas donationes admittit etiam Paulinus *loco cit. q. vltima, casu* 7. & à Sorbo. Qui addit, quòd istis donationibus non obstat dicta bulla, cum dicit, *Vt nec ad beneficiorum receptorum memoriam, gratique animi testificationem quidquam donetur*, quia hoc fieri prohibetur solummodo suis Superioribus, Generalibus, Prouincialibus, Protectoribus, eo fine, quia procurauerunt, vel procurent officia in ordine. Quæ autem sit donatio remuneratoria, & quas conditiones requirat, docet Cenedus *loco cit. à num.* 6.

Neque prohibentur per istam conditionem donationes ad redimendam propriam vexationem, vt ait à S. Fausto *loco cit. fine*, vt cum quis dat aliquid aduocato, ad hoc vt lites habeant bonum finem. Quia id naturalis ratio dictat. Multos alios casus, in quibus licitum est donare, non obstante dicta bulla, possunt videri apud præfatos doctores, eam ex professo explicantes.

§. VII.

Vtrum Religiosus possit exponere aliquid iactura ludendo.

Dico primò. Certum est apud omnes, Religiosum ludentem absque Prælati tacita, vel expressa licentia peccare contra votum paupertatis. Ita Sanchez 7. *in decalog. cap.* 19. *num.* 76.

Probatur, quia ludo pecuniam exponere est actus dominij.

Dico secundò, ex tacita, aut expressa Superioris licentia, potest religiosus aliquid modicæ quantitatis ludere, gratia honestæ recreationis. Ita Ledesma *de statu Religios. in communi, cap. 4. concl. 3. dub. 9. versu Siguese lo 2. pag.* 107. Nauarrus *in sum. cap. 20. num.* 12. Valentia *tom. 3. disp. 5. quæst. 6. part. 5. dub. 8. de acquisit. per ludum, versu Tertiò obseruandum.* Sanch. *loco cit. n.* 78.

Probatur, quia hic nullus interuenit actus dominij, & sicut filiusfamilias habet auctoritatem ludendi in modica quantitate iuxta facultates patris. Ita Religiosum iuxta suam qualitatem, & paupertatem. Vnde sequitur, quòd quando Religiosus vadit parentes inuisum in suam patriam, potest recreationis causa aliquid ludere; & similiter quando degit extra Monasterium ex Prælati licentia, & ibi alitur ex bonis monasterij: quia ad hæc habet Prælati præsumptam licentiam: atque ita docent omnes citati.

Dico tertiò, Religiosum habentem generalem licentiam à Prælato expendendi in quoscumque vsus peculium sibi commissum, non potest immoderatam quantitatem pecuniæ ludere absque peccato mortali. Ita Saynus *in clavi reg. lib. 11. cap.* 12. *numero* 16. Rodriquez *in sum. cap. 189. tom. 1. conclus. 4. & tom. 2. quæst. regul. q.* 37. *art.* 3. Lopez *secunda parte instruct. cap.* 33. *q.* 5. *fine*, Angles *in floribus 2. parte, q. de ludo, dub. 1. propos. 4. pag.* 268. Sanch. *loc. cit. num.* 81.

Probatur, quia *In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus*. vt dicitur in regula *In Generali*, quæ est 81. *de regul. iur. in* 6. Non est autem verisimile, Prælatum in generali, illa concessione, voluisse dare subdito licentiam in ludos immoderatam pecuniæ quantitatem expendendi.

Dico quartò, Prælatum non posse facultatem concedere suo Religioso, vt immoderatam pecuniæ quantitatem ludat, ita Ledesma *secunda parte sum. tract.* 31. *cap. 2. conclus.* 10. *versu, Lo que toca, pag.* 1048. *& de statu Religios. in communi, cap. 4. conclus. 3. dub. 9. versu Siguese lo 2. pag.* 106. Sanchez *loco cit. num.* 80.

Probatur, quia Prælatus non potest dare licentiam expendendi pecuniam, nisi in vsus vtiles, honestos, & necessarios; eum non sit Dominus, sed tantum administrator.

Ex quo sequitur primò, quòd lucrans immoderatam quantitatem à Religioso, etiam habente ad id licentiam à suo Prælato, tenetur eam restituere Monasterio. Docent doctores cit. 3. *& 4. conclus.* Quia qui lucratur aliquid à non habente dominium rei lucratæ, tenetur restituere vero Domino, vt docet Rodriquez cum communi sententia, *tom. 2. quæst. regul. q.* 38. *art.* 3.

Secundò sequitur, non posse Religiosum lucrari à collusore immoderatam pecuniæ quantitatem, quòd si lucretur, eam tenetur restituere illi, à quo lucratus est. Ita docent Saytus, & Angles *locis cit. conclus.* 3. Quia ludus est colludentium contractus, qui debet esse omnibus æqualis. Vnde si vnus non potest perdere, neque etiam debet posse lucrari. Videatur tamen circa hoc Sanchez *loco cit. à num.* 83.

Sequitur tertiò, posse etiam Prælatum modicam aliquam quantitatem honestæ recreationis causâ ludo exponere. Ita Sanchez *loco cit. num.* 78. Quia si hoc potest concedere aliis, debet & posse concedere sibi ipsi.

Quæres primò, quæ sit modica quantitas, quam Religiosus potest distrahere in ludos honestos recreationis causa. Nauarrus, & alij cit. *in secunda conclus.* docent esse quatuor, aut quinque ducatos quotannis. Sed melius relinquitur arbitrio prudentis, considerantis Religionem ludentis, quantitatem peculij concessi, personam, & dignitatem.

Quæres secundò, qui sint ludi prohibiti. Respondeo, quod sint ludus alearum, & taxillorum, vt patet *ex cap. Episcopus, d.* 35. & alibi. Per ludum alearum intelliguntur omnes ludi fortuiti idest in quibus res permittitur casui, & fortunæ vt habet Nauarr. *in sum. cap. 20. n. 6.* Val. *to. 3. disp. 5. q. 6. part. 5. dub. 8. versu, Ratione autem prohibitionis.* Vbi notandum, quòd huiusmodi ludi non intelliguntur prohibiti, si instituantur principaliter propter recreationem, vt notat. Valent. *loco cit. versu vbi duo.* Vnde possunt etiam Religiosi chartis lusoriis sine vlla culpa etiam veniali ob honestam causam ludere: puta ad excitandum, vel recreandum socium, vel se ipsos, modò non adsit scandalum, nec præceptum Religionis in contrarium. Ita Rodriquez *tom. 2. q. regul. q. 28. art. 1. fine.*

§. VIII.

Vtrum Religiosus possit ex peculio sibi concesso aliquid in eleemosynam erogare.

Dico primò, Prælati Religionum possunt, & debent facere eleemosynas de superfluis Conuentus bonis: immò etiam si superflua non sint possunt arbitrio prudentis competentes, & moderatas. Ita Vasquez *opusc. de eleemosynis, cap. 4. numero* 1. Molina *tom. 2. de iustitia, disput. 276. statim in principio* Rodriquez *secunda part. sum. cap. 32. concl. 2. dub.* 8. Graff. 1. *part. decis. lib. 3. cap. 5. num.* 63. Sanchez *lib. 7. in decal. cap. 19. numero* 9. Probatur, quia cum habeant legitimam administrationem bonorum Conuentus, possunt ea in eos vsus licitos distrahere, quos legitima eorum administratio postulat. Diuersimodè tamen; vt notat Vasquez, nam si habeant generalem administrationem, liberè possunt eleemosynas facere. Si verò non habeant generalem administrationem, sed sint inferiores, tum debent eleemosynas eas facere, quæ sibi à supremo Superiore fuerint permissæ. Vnde colligitur, quòd Prouin-

cialis

cialis potest liberius eleemosyoas facere, quam Correctot Conuentus.

Dico secundo, Procuratores Conuentus non possunt facere nisi eas eleemosynas, & eas donariones, quæ sibi fuerint à Superioribus commissæ. Ita D. Thom. 2.2.q.32. *art.* 8. *ad primum*, Tabien. *verbo eleemosyna*, *num.* 9. Rodriq. *tom.* 2. *q. regul. q.* 57. *art.* 2. Sancb. *loc. cit. n.* 92. Miranda *tom.* 1. *Manual. q.* 28. *art.* 12. *concl.* 2. Probatur, quia (vt ait D. Thom.) *Monachus nihil habet proprium, & nemo potest dare quod non habet.* Vnde sequitur, eos peccare mortaliter contra paupertatis votum, si in alios vsus præter deputatos à Superiore quamvis liciti sint, & commuoitati deseruiant, bona Conuentus expendant, absque expressa, vel præsumpta Superioris voluntate; quia exercent actum dominij, excedduntque metas sibi commissæ administrationis. Ita Rodriq. *tom.* 3. *q. regul. q.* 29. *art.* 10. *conclus.* 1. Non putarem autem, Procuratorem peccare mortaliter, qui aliquid necessarium, verbi gr. patcaligarum, aut femoralium largiretur alicui Religioso, iis indigenti, Cui Prælatus Conuentus, necessitate audita, iniustè denegauit. Quia eo casu suppleret Prælati defectum, & censeretur sibi à supremo Prælato dari talis rationabilis licentia: possunt tamen Procuratores eas eleemosynas, & donariones facere, quas facere, consueuerunt alij eiusdem ordinis Procuratores; quia Superior committens officium, censetur eo ipso committere, consueta exerceri per procuratores, vt aduertit Sanchez *loco cit. num.* 94.

Dico tertio, Religiosus subditus nullam potest eleemosynam facere, nisi de licentia, tacita vel expressa Superioris. Ita D. Thom. *loc. cit.* Antonin. 3. *parte*, *tit.* 16. *c.* 1. *notab.* 4. Graff. Vasquez *loc. cit.* & alij communiter. Prohatur, quia nec dominium, nec vllam bonorum administrationem habet. Quod si faciat, reus est voti paupertatis, & mortaliter peccat, quia se gerit tanquam dominus.

Multi tamen casus excipiuntur à Doctoribus, quibus licitum est religiosis eleemosynam facere absque expressa licentia Prælati, quia præsupponitur tacita. Primus est, cum pauper extrema necessitate laborat; etiamsi superior licentiam deneget. Quia in necessitate omnia sunt communia. Ita D. Thom. 2.2.*q.*32. *art.* 8. *ad primum*, Nauarr. *in sum. c.* 17. *n.* 105. Rodriq. *tom.* 2. *q. regul. q.* 57. *art.* 2. Tab. *verbo eleemosyna*, *num.* 8.

Secundus casus est, quando necessitas est magna, & ad Superiorem non potest haberi recursus. Ita Rodriq. Nauarr. Tab. *locis citat.* Sylu. *verbo eleemosyna*, *q.* 5. *n.* 7. *d. primo*, Saneh. *loc. cit. n.* 97. quia tunc adest tamen Superioris consensus.

Tertius. Quando Religiosus ex legitima Superioris licentia extra Monasterium versatur, causa vacandi literis, aut peregrinationis vel alterius negotij peragendi. Ita Armilla *verbo eleemosyna n.* 5. Angelus *n.* 9. Syluest. *loco citat.* Sanchez *n.* 98. infinitos alios citans; quia tunc censetur tacitus Superioris consensus, vt ex his, quæ sibi ad victum dantur à Monasterio, vel aliunde eleemosynas aliquas moderatas elargiatur. Moderatæ autem eleemosynæ censentur, quas alij scholares, aut peregrini honesti eiusdem conditionis solent erogare, vt Sylu. *verbo Donatio* 1. *q.* 1. *n.* 3. *d.* 5. Tabiena *verbo Donatio* 1. *n.* 7. Angelus *eodem*, *num.* 9.

Quartus. Quando res, quæ in eleemosynam erogantur, sunt parui momenti, & quæ communiter solent dari pauperibus ostiatim mendicantibus. Rodriquez *tom.* 2. *summ. cap.* 32. *concl.* 2. *d.* 8. Graff. *prima parte decis. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 62. quia præsumitur, tacitus Superioris consensus: secus autem si non præsumatur, quia Ianitor talem curam habet accedentibus eleemosynam faciendi: Vnde non licet fratribus in particulari dare pauperibus frustum panis; & quia non præsumitur consensus Prælati, cum hæc cura Ianitori sit demandata, & quia hoc in damnum graue communitatis redundaret, si singuli fratres darent frustum panis, vel quotidie, vel bis, aut ter in hebdomada.

Quintus Casus est, quando Religiosus habet peculium de licentia sui Prælati, potest ex eo aliquas moderatas, & suo statui conuenientes eleemosynas facere. Ita Molina *tom.* 2. *de iust. disp.* 276. *col. antepenul. versu Religiosus in Conuentu.*

§. IX.

Soluuntur aliæ Difficultates in eadem materia.

Quæres primo. Ad quid teneatur qui accepit à Religioso aliquid absque legitima superioris licentia explicita, aut tacita.

Respondeo si mala fide accepit, tenetur restituere id, quod accepit, Monasterio illius, à quo accepit. Si autem bona fide, & res extat, eam tenetur restituere; si vero non extat, tenetur restituere; id in quo factus est ditior. Ita Corduba *in sum. q.* 109. Rodriq. *tom.* 2. *sum. c.* 32. *concl.* 2. *d.* 13. Sayrus *in Clau. reg. l.* 9. *c.* 16. *n.* 21. Ledes. *de statu religios. in communi*, *cap.* 4. *concl.* 3. *dub.* 9. *pag.* 103. Vega *parte secunda summ. cap.* 86. *casu* 35. *notab.* 3. à S. Fausto *de vitio propr. q.* 42. Sanch. 7. *in decal. cap.* 19. *num.* 108.

Sed quid facere debet Religiosus, quando, qui rem dono ab ipso accepit, nollet eam restituere.

Respondeo, si ea donatio fuit facta ex bonis Monasterij, tenetur Religiosus ille inducere eum, cui dedit, vt restituat ipsi Monasterio, quòd si nolit, & habeat Religiosus ille redditus aliquos ex debita licentia, tenebitur ex his Monasterio restituere, subtrahendo sibi de iis, quæ in honestos vsus impendere poterat, & ea restituendo. Ita Nauarr. *de redditibus Eccl. q.* 2. *monitu* 20. *& q.* 3. *monitu* 34. Rodriq. Sayrus, Vega, & à S. Fausto *loc. citat.* Sanch. etiam citatus, *num.* 112. qui addit, quòd quando dicitur, teneri Religiosum inducere eum, cui dedit, vt restituat Monasterio, debere intelligi, si est spes proficiendi, atque id potest Religiosus absque suæ famæ nota, seù alio graui detrimento. Quod vltimum adnotarunt etiam Corduba, & Ledesma. Si autem id, quod donauit Religiosus est ex peculio sibi legitimè concesso, & est in magna quantitate, dico quod adhuc peccauit contra votum paupertatis, vtendo illo peculio in vsus non sibi concessos tanquam Dominus, & tenentur, tam qui accepit, quam qui dedit restituere modo prædicto. Et Ratio est, quia licèt illud peculium esset ei concessum, habebat tamen semper Prælatus ius licentiam reuocandi, & vsum illius in vtilitatem Monasterij conuertendi, & si fuisset mortuus ille Religiosus, habebat ius Religio ad omnia bona ab eo relicta, quibus iuribus priuata est per illam donationem; ergo, com notabiliter sit læsa iustitia, debet per restitutionem resarciri; atque ita tenet Ledes. *loc. cit. pag.* 104. *verso Digo lo tercero.*

Quæres secundò, An Religiosos recipiens, retinens, aut expendens aliquam non notabilem, seù paruam quantitatem mortaliter peccet.

Respondeo, quod non. Ita Rodriq. *tom.* 3. *q. regul. q.* 29 *art.* 10. *conclus.* 8. Vega *secunda part. summ. cap.* 86. *casu* 35. *notab.* 6. Graff. 1. *p. decis. lib.* 3. *c.* 5. *n.* 49. Nauarr. *lib.* 3. *consil. de statu Monach. consil.* 3. *num.* 14 Molina *disp.* 687. Miranda *tom.* 1. *Manual. q.* 28 *art.* 17 *concl.* 2. Rebellius *de oblig. iust. p.* 1. *lib.* 3. *q.* 15. *sect.* 3. *num.* 22. Ledesm. *de statu Religios. in communi*, *cap.* 4 *conclus.* 3. *dub.* 8. *pag.* 100. Sanch. 7. *in decal. c.* 20. *n.* 2. à S. Fausto *de vitio propr. quæst.* 43. Probatur, quia lex religiosorum non debet esse fortior, quam lex Dei, sed huius transgressionem mortalem excusat exiguitas materiæ, vt D. Thom. ait, 2.2. *q.* 59. *art.* 4. *ad secundum*, *& quæst.* 66. *art.* 6. *ad.* 3.

Si quætas, quæ sit illa quantitas, quæ sublata, recepta, aut retenta absque licentia Prælati facit Religiosum mortaliter peccare.

Respondeo, eam esse, quæ est necessaria, & sufficit

ad constituendam materiam mortalem furti in hominibus sæcularibus. Quia hoc peccatum se habet instar furti; Sicut enim in furto res vsurpatur inuito Domino, Ita & hic. Ita docent omnes doctores citati. Nauarrus *n.18.* Sanchez *num.3.*

Quæ autem sit quantitas, quæ sublata constituit furtum mortale, disputant inter se Doctores in materia furti. Hic non discutio. Videatur Quaranta *in sum. bull. verbo casus, circa votum paupertatis, n.9.* Vega *loc. cit.* Molina *d.sp.685.* Sanch. *loc. cit. n.3.* In Religionibus tria, aut quatuor regalia recipere, aut retinere, nec esse paratum reddere Superiori poscenti, putarem, non esse culpam mortalem, atque ita docent Ledes. Sanch. Vega.

Quæres 3. An peccatum proprietatis in Religioso habeat duplicem malitiam, alteram furti, alteram sacrilegij contra votum.

Respondeo, habere duplicem. Ita Ledesm. *loco cit. versu Digo lo primiero,* Sanch. *loco cit. num.7.* Corduba *in sum. q.109.* Saytus *in claui reg. lib.9. cap.16. num.21.* Vasquez *p.2. disp.99. c.4. n.20.* Furti quidem, quia contra Domini voluntatem, qui est Monasterium, rem vsurpat; Proprietarius vero, quia operatur vt verus Dominus independenter à quocumque.

Addit vero Vasquez *loc. cit. & disp.98. c.3. num.7.* secutus Caiet. 2.2. *q.88. art.5. § sciendum* 2. Idem esse dicendum de peccato contra votum obedientiæ, ait enim eum, qui vouit obedientiam in Religione, dupliciter peccare; Cum transgreditur mandatum Superioris, tum ratione præcepti, tum ratione voti. Sed meritò inpugnatur à Soto *lib.7. de iust. q.2. art.3. in solut. ad primum fine,* & Ledesm. *parte secunda sum. tract.* 10. *c.5.* quia nullo alio modo debeo obedientiam Prælato, nisi ratione voti. Non enim vouco obedientiam Prælato sed vouco Deo, quod ero obediens Prælato.

Quæres 4. An peccet mortaliter Religiosus consanguineorum, vel aliorum sæcularium diuitias dispensans, resque eorum negotians, & tractans absque Prælati licentia.

Respondeo, mihi videri peccare mortaliter, & Probatur rum ex D. Paulo 2. *ad Timoth.* 2. vbi ait, *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, vt ei placeat, cui se probauit* seù *Qui ipsum eligit,* vt legitur ex Syriaco. Tum quia pluribus intentus, minor est ad singula sensus. Tùm quia hoc faciens assimilatur Vlyssi, qui cum difficillimè è manibus illius Gigantis fuisset egressus, tetro tamen tediit ad pileum in spelunca relictum reassumendum. Tum quia indecens omninò est, quod Religiosus res diuinas, & cælestes quotidie tractans, hisce se caducis, & terrenis immisceat. Tùm quia exponit se multis periculis, præsertim applicandi animum diuitiis, cum pecunias tractet, & tangat contra votum paupertatis. *Qui enim tetigerit picem, inquinabitur ab ea.* Tum quia hæc tractatio non est nisi in contemptum, & particularis Religiosi, & Religionis ipsius. Suspiciunt enim, & venerantur sæculares Religiosos tanquam res supra humanas, & quasi diuinas: & merito, nam & tanquam tales respexit Apostolos Religiosorum capita, & Religionum primos institutores Christus Dominus, cum post illam interrogationem Matth. 16. *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Subiunxit, *Vos autem,* qui supra humanos & quasi cælestiales estis, *Quem me esse dicitis?* At cum vident, illos hisce se immiscere rebus mundanis, hi, inquiunt, similes nobis facti sunt. Hinc Religiosorum contemptos, hinc vilipendia, hinc parui æstimationes, hinc murmurationes de illis, hinc scandala, hinc Religionum relaxationes, hinc illarum euersiones. Tum quia id prohibetur expressè *in iure, c. Multa cap. Sacerdotibus ne Clerici, vel Monachi, & c. Credo, & c. Cyprianus* 21. *q.3.* Tùm denique quia omnes ferè institutores in suis regulis id suis Religiosis vetuerunt. Strictissimè noster S. Pater Franciscus *in Correctorio, n.46.* etiam pro negotiis ad Conuentum ipsum pertinentibus, quanto magis pro extraneorum. Hæc contemplentur suarum Religionum amatores, & recordentur se illius esse debitos famulatui, qui socium in amore, & famulatu respuit; quique maximè zelotipia laborat, quique de hoc protestatur, dicens. *Non potestis Deo seruire, & mammona,* & al b *Coangustatum est stratum, & pallium breue vtrumque operire non potest.* Et verecundentur veri, & æterni Dei, posthabitis negotiis, temporanei Domini negotia peragere, Proh pudor! seruiens Regi non erubescet, eo relicto, Sutoti illius inseruite? Eia fratres, eia *Sinite mortuos sepelire mortuos suos.* Hæc dixisse volui pro aliquibus Religiosis, qui *Obsequium se arbitrantur præstare Deo,* Sed præstant Diabolo, cum alicui personæ nobili, seu in dignitate constitutæ obsequuntur. Non aduertentes miselli in hoc se ostendere, & animi, & corporis sui vilitatem. Non nego tamen, quin possint Religiosi consiliis amicos, & deuotos, fauoribus. Neque quòd si illis à deuotis Conuentus dentur dispensandæ aliquæ eleemosynæ, illas dispensare non possint absque culpa mortali (nisi speciale obstet Religionis præceptum) etiam sine licentia Prælati, sed damno officium institoris, & Procuratoris facere pro hominibus, sæcularibus, & ire quotidie per Ciuitates, per domos, collectum pecunias pauperibus erogandas, Gignuntur enim suspiciones, fiunt iudicia. Faciant hoc genus charitatis Parochi, & alij, ad quos incumbit. Vacent Religiosi Choro, & Cellæ, & soli Deo cui se dedicauerunt, inseruiant. Videatur pro hoc quæsito Ledesma *de statu religios. in communi, cap. 4. concl. 3. dub.* 12. qui licet non determinet, Religiosum his se immiscentem peccare mortaliter contra paupertatem, non videtur tamen omnino negare, peccare mortaliter contra alias virtutes, vt videri potest *pag.111. versu Digo lo quarto.*

Quæres 5. An Religiosus habens multa, de quibus constat, quod sint superflua, de Superioris licentia; paratus tamen omnia in manus Superioris resignare, cum fuerit requisitus, nec de illis disponere absque Prælati licentia, sit in statu peccati mortalis contra votum paupertatis.

Respondeo. Conuenit inter omnes, quod tam Superior concedens, quam subditus retinens, peccant mortaliter, Prælatus quidem, quia potestate abutitur, peccat peccato infidelitatis, qua obligatur ad curandum pro posse, vt seruetur in Religione æqualitas; subditus autem peccat peccato auaritiæ plura retinens, quam sibi, & vsui suo necessaria sint. Ita Antoninus *tertia parte,* tit.16. c.1. §.11. *notab.7.* Sylu. *verbo Religio 6. q.7. ad 4.* Lessius *lib. 2. de iust. cap.41. dub.9. n.79. versu Vndecimo.* Graff. 1. p. *decis. lib.3. cap.5. n.61.* Ledesm. *loc. cit. dub.11. pag.109.* Miranda *cit. art.15.* Et vtrumque peccare mortaliter declarauit sacra congregatio Cardinalium, vt refert Quaranta *in sum. bull. verbo Casus declar. 2. pag. mihi 195.* Quod autem hoc peccatum non sit proprietatis, probatur, quia proprium solum est, vt sæpius diximus, quod celatur Abbati, & quod retinetur contra voluntatem illius.

Vnde sequitur primo, quod Religiosus, qui retinet in suo cubiculo arma, scopletas, lanceas, enses, monilia, inaures aureas, vestes sericas, &c. quæ nec necessaria sunt, nec statui Religioso conuenientia, peccat mortaliter, etiamsi retineat de licentia Superioris, quia nec hic talem licentiam dare potest: immò & ipse mortaliter peccat. Ita Bartol. à S. Fausto *loco cit. quæst.19. num.2.* Licet affirmet, hoc peccatum esse contra votum paupertatis. Non puta... ramen, eum Religiosum peccare mortaliter, qui talia retinet in depositum ad bonum finem per aliquod breue tempus de licentia Prælati, ad instantiam alicuius deuoti ordinis. Nec similiter putarem, peccare mortaliter Religiosum, qui habet multa superflua, non quoad statum Religiosum, sed quò ad personam propriam de licentia Prælati; paratum ad illius nutum omnia relinquere, verbi gratia, si habetet tres

tres babitus, cum duo ſint ſatis; Decem camiſias, cum quatuor, aut quinque eſſent illi ſufficientes, & ſimilia. Præſertim ſi, conſumptis neceſſarijs, non haberet vndè de alijs ſibi prouideret. Quod tamen etiam eſt limitandum, niſi alij, aut aliquis aliorum Religioſorum neceſſariò aliqua iſtarum rerum indigeret: nam tunc teneretur confratri ſuo de his, quæ ſibi ſuperflua ſunt, prouidere. Attendenda tamen in his ſemper eſt qualitas perſonæ, & Religionis vſus, vt dixi ſupra §. *primo*, *coroll*. 9.

Sequitur ſecundo. Quòd Religioſus de licentia Prælati vtens rebus Monaſterij ità abundanter, vt alij ea de cauſa egeant grauiter peccat, quia fit alijs iniuria, cum bona communitatis pro indigentibus communia ſint, & tantus poteſt eſſe exceſſus, & luxus, vt culpa ſit mortalis, tam in diſpenſato, quàm in diſpenſatore; Congruum enim non eſt, *vt alius eſuriat, alius ebrius ſit*, vt ait Apoſtolus, ſed tenetur Prælatus fideliter, & rationabiliter diſpenſare, vt ait D. Thom. 2. 2. *qu*. 88. *art*. 12. *ad ſecundam*, ex D. Paulo 1. *ad Corinth*. 10. Alioquin non diſpenſator fidelis ſed diſpenſator crudelis efficietur. Ità Rodrig. *tom*. 2. *ſum*. *cap*. 32. *concluſione ſecunda*, *diſt*. 10.

Quæres 6. Quam curam, & diligentiam debeat adhibere Religioſus in conſeruandis rebus ſibi ad vſum conceſſis.

Reſpondeo, debere adhibere eam curam, quam tenetur adhibere vſuarius, qui precario vtitur, vnde tenetur vitare culpam latam; hanc enim tenetur vitare omnis; qui aliquid precario accepit. Quare ſicut ſi rem dolo deſtrueret, aut deteriorem redderet peccaret contra votum. Ità ſi res eius culpa perit, aut fit deterior, reus eſt voti paupertatis. Addo, quòd ſi res ſit in eius commodum, tenetur etiam ex culpa leui, ſicut in commodato, quod in vtilitatem commodantis, & commodatarij præbetur. Licet hoc non ità ſeuere in Religionibus ſit interpretandum. Ità Leſſius *lib*. 2. *de iuſt*. *cap*. 41. *dub*. 9. *n*. 79. *verſu Decimo* quem ſequuntur Sanchez 7. *in decal*. *cap*. 19. *n*. *vlt*. à S. Fauſto *de vitio propr*. *q*. 10. *n*. 28.

Quæres 7. Qua pœna puniantur proprietarij.

Reſpondeo, quòd habens proprium ſtricto modo, pro vt dicit verum dominium, & proprietatem, vltrà peccatum mortale, niſi illi antè mortem renuntiet, non debet ſepeliri in ſacro, ſed in ſterquilinio, ſimul cum pecunia illi inuenta. Ità habetur *cap*. *Monachi*, *de ſtatu Monach*. Et ſi iam fuerit ſepultus in ſacro, exhumari debet (ſi ſine magno ſcandalo id fieri poteſt) & ſepeliri in ſterquilinio. Habetur *cap*. *ſuper quodam*, *eodem tit*. vbi noto duo, primùm quod ſatis eſt, vt aliqua pars pecuniæ ſepeliatur cum illo, vt notat Ioan. Andreas *cap*. *Cum ad Monaſterium*, *de ſtatu Monach*. *num*. 4. vt quid enim perditio hæc.

Secundum quòd debet eſſe certum, eum mortuum fuiſſe proprietarium, eo ſcilicet modo, quo ſciri debet: nimirum quod interrogatus à Superiore tempore mortis, an haberet aliquod peculium, reſponderit, non habere, vt notatur *in cap*. *Super quodam*; Nam ſi decederet aliquis ex ſubitanea, & improuiſa morte, qui relinqueret aliquod peculium, quod non potuiſſet reuelare, non per hoc iudicandus eſſet proprietarius; etiamſi nullus ex Superioribus illius temporis haberet notitiam de tali peculio. Quia iudicari poterit eum habuiſſe licentiam retinendi tale peculium à Generali, vel ab alio aliquo Superiori temporibus præteritis; Nàm diximus ſuprà, Quandò legatum eſt vnum, etiamſi ſoluendum ſit in differentibus temporibus, ſufficere primam licentiam Superioris, Vnde quando relinquitur aditus conijciendi de mortuo, quòd non deceſſerit in proprietate, non eſt illi talis rigoroſa, & terribilis pœna infligenda. Quòd innuit Gloſſa *in cap*. *Monachi*, *verbo Sepulturam*, dicens, id eſſe intelligendum, quandò conſtat deceſſiſſe in peccato mortali; ſed cum dubitatur, non conſtat, & dubitatur cum non eſt ità clarum, eum deceſſiſſe. Attenta ſemper vita antè acta defuncti; Nam qui bene viuit, communiter bene moritur; & è contra qui malè viuit, malè moritur. Vnde meritò irridetur à ſcriptura ſceleſtus Balaam, qui cum ſceleſtam vitam duxiſſet, petebat mori morte iuſtorum.

Secunda pœna eſt priuatio vocis actiuæ & paſſiuæ per biennium. Ità habetur in Trid. *ſeſſ*. 25. *cap*. 2. *fine*, *de reg*. Quæ pœna non incurritur ipſo facto, ſed expectatur Iudicis ſententia, vt probatur ex ijs verbis Concilij, *Deprehenſus*, *aut conuictus fuerit*. Et nota, quod iſtas pœnas non incurrent dantes aliquid ſine, aut contra Superioris licentiam. Quamvis hi peccent in votum paupertatis. Quia solùm ſunt inflictæ contra retinentes. Vt bene aduertit Sanchez 7. *in decal*. *cap*. 20. *n*. 11. & 13.

§. X.

Vtrùm ſcribere, vel recipere literas abſque Superioris licentia ſit contrà paupertatis votum.

Dico primo: Dare, aut recipere literas abſque Superioris licentia eſt peccatum contra votum paupertatis. Ità Nauarr. *comm*. 2. *de regal*. *numer*. 13. & *lib*. 3. *conſil*. *de ſtatu Monach*. *conſil*. 3. *a n*. 43. Graſſius 1. *par*. *deciſ*. *lib*. 3. *cap*. 5. *num* 64. Bartholomæus à S. Fauſto *de vitio propr*. *q*. 35. Sentit etiam Ioannes Andreas *cap*. *Cum ad Monaſterium*, *de ſtatu Monach*. *n*. 4.

Probatur primò *ex c*. *Non dicatis*, 12. *q*. 1. vbi dicitur, *Quicumque in tantum progreſſus fuerit malum*, *vt occultè literas ab aliquo*: *vel quodlibet munus accipiat*: Vbi vt patet, æquiparatur literarum receptio Munerũ receptioni;

Secundò Probatur, Quia ſcribens literas vtitur illa papyro tanquam propria, & ſi characteres ſint aurati, vel miniati, ità vt litera ſit valoris ſufficientis ad conſtituendum mortale in materia furti, erit mortale; Sin autem parui ſit valoris, erit veniale. Quia parua furans, licet excuſetur à mortali, non excuſatur tamen à veniali, vt D. Thom. 2. 2. *quæſt*. 66. *art*. 6. *ad tertium*, vbi Caietanus Similiter dic de recipiente. Si enim literæ receptæ ſint auratæ, miniatæ, & valoris conſtituentis mortale in materia furti, erit mortale, eas recipere abſque Prælati, tacita vel expreſſa licentia, quia ſibi appropriat aliquid magni valoris ſi parui valoris, erit veniale. Si autem literæ iàm receptæ, quam datæ ſint nullius æſtimationis, nullum erit peccatum proprietatis cum non ſit diſpenſatio, vel appropriatio rei pecunia æſtimabilis, vt Nauarr. *conſil*. 3. *tit*. *de ſtatu Monach*. *n*. 45. à S. Fauſto, *n*. 2. *loco cit*. Videri poteſt circà hanc concluſionem Sanchez *lib*. 7. *in decal*. *cap*. 19. *n*. 47.

Intelligenda eſt tamen concluſ. vt ait Nauar. *comm*. 2. *cit*. *verſu Aduertendum item*. Graſſius & à S. Fauſto *loco cit*. de literis, quæ dantur, vel accipiuntur contra vtilitatem, vel honeſtatem Monaſterij, vel contra ſalutem ſpiritualem, vel corporalem ſingulorum regularium, & de alijs literis quæ continent inutilia, & impertinentia prædictis. Non autem de literis neceſſarijs, vel vtilibus, quas iuſtè ſecundùm iura poſſunt ipſi dare, vel accipere, vt notauit etiam Archidiaconus *cap*. *Non dicatis*, 12. *q*. 1. *n*. 3. Literæ autem, quas ſecundum iura poſſunt ſcribere, ſunt illæ, quibus Regularis conſtituit Procuratorem contra Prælatum: vel denuntiat eius delicta: vel ſi acciperet literas impetratas à Papa, vel ab alio Superiore ſuper huiuſmodi rebus. Quo etiam pacto intelligendum noſtrum Correctorium *n*. 100. & ſtatutum *capituli Val*. 5. *n*. 21. *verſu Sextum*. Vbi cauetur. *Ne quis det*, *vel accipiat literas*, *quin prius*, *correctori locali oſtendantur*.

Vnde colligitur. Quod ſub quacumque forma verborum præcipiat Prouincialis, ne ſui Religioſi ad aliquem dent literas, neque recipiant. Poſſunt tamen ſcribere ad Patrem Generalem, illiuſque literas recipere. *Inferior enim ſuprà Superiorem nullam habet auctoritatem*, vt dicitur *cap*. *Inferior*, *d*. 21. *Clem*. *Ne Romani*, *de elect*. *Et cap*. *Cum inferior*, *de maioritate*, & *obedientia*.

Dico secundò, si Prælatus præcipiat, ne quis scribat, aut recipiat literas sub præcepto obligante ad mortale, qui illi contrafacit, peccat omninò mortaliter contra obedientiam. Est certa apud omnes, & habet Nauarr. *lib. 3 conf. de statu Monach. conf. 3. n. 45.* Probatur quia subditus tenetur obedire suo Prælato iusta præcipienti, vt suprà diximus: atque ita vna actio scribendi poterit esse contra duo vota, Paupertatem, quatenus vtitur papyro tanquam propria, & contra Obedientiam propter Superioris præceptum.

Dico tertiò, Si Prælatus præcipiat sub merito Sanctæ Obedientiæ, & pœna excommunicationis ipso facto, ne quis scribat ad moniales verbi gratia, Si aliquis scribat, sed literæ non perueniant ad dictas Moniales, non incurret dictam excommunicationem. Ità in terminis Nauarr. *lib. 5. conf. de sent. excomm conf. 19 n. 2.* Rodrig. *tom. 2 q. reg. q. 56 art. 2. versu. Circa prædictas.* Coninch. *de cens. disp. 13. dub. 8. n. 76.*

Probat Nauar. quia verba sunt intelligenda cum effectu etiam extrinseco, quem intendit legislator, vel alius disponens, de cuius mente expressè, vel tacitè constat, constat autem, saltem tacitè, seu potius præsumitur, Prælatum, propter fines à se intentos, noluisse finaliter, & principaliter prohibere, scribere literas ad Moniales, sed voluisse prohibere cum peruentione formali, & actuali. Quia missio literarum, nisi perueniant, nihil potest nocere: & ad præcauendum nocumentum intendisse censendus est principaliter Prælatus.

Quod idem dicendum est de eo Religioso, qui literas fauorabiles Principum ad obtinendas dignitates in ordine, impetrasset, (Si contra tales impetrantes lata esset excommunicatio, vt in ordine Prædicatorum, Minorum, & aliorum, vt referunt Nauarr. *loco cit. conf.* 20. & Rodrig.) Deinde pœnitentia ductus, vel alio motiuo, nollet eas reddendas mittere: vel si mitteret, essent interceptæ vel perderentur propter eandem rationem. Ad quod facit etiam cap. Hæc autem verba, *de pænit. d. 1.* Neque obstat, quod ipse fecit quantum potuit. (Si literas præsertim misit.) Nam licet intentio efficax non excuset apud Deum, vt certè non excusat his duobus casibus, quin impetrantes, vel scribentes peccauerint; apud Ecclesiam tamen voluntas sine effectu non punitur, vt habet Marginalis, *eod cap. Hac autem verba.* Et patet etiam in attentāte percutere Clericum, & faciente quantum in se est, vt percutiat; Si enim non sequatur effectus non incurrit excommunicationem *cap. Si quis suadente.* Quando autem sola attentatio delicti puniatur, docet Glossa *in cap. Si quis tam fœminam, de pænit. d. 1.*

§. XI.

An in Religione Minimorum vetitum sit fratribus literas fauorabiles ad obtinendas dignitates in Ordine, procurare, & impetrare.

MVltis Capitulis Generalibus cautū erat, ne fratres fauores extrà ordinem impetrarent, qui perfectæ obedientiæ, quam sunt professi, repugnare viderentur; Nouissimè sanctissimus in Christo Pater Paulus V. per suum motum proprium emanatum *anno 1619. die 6. Septembr.* huic iam grassanti ambitionis morbo reparauit hoc pacto.

Admonemur pastoralis officij nostri debito diligentius prospicere, ne Religiosi, qui regularem vitam professi, sæculo renuntiarunt, ad dignitates, & officia per emendicata suffragia ambitiosus pateat accessus. Quo circa motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine dilectis filijs Correctori Generali, ac Prouincialibus, & reliquis ordinis Fratrum Sancti Francisci de Paula Minimorum nuncupatorum Prælatis nunc, & pro tempore existentibus, In virtute Sanctæ Obedientiæ, ac sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda præcipimus, & mandamus, ne ad instantiam, & requisitionem quarumcumque personarum, tam laicarum, quam Ecclesiasticarum extra dictum ordinem constitutarum, etiam Cardinalatus honore, & quacumque sæculari dignitate, & excellentia, etiam Ducali, Regali, & Imperiali fulgentium, cuivis dicti ordinis Religioso vllam gratiam concedere, vel pœnas aliquas remittere, seu gradus, honores, dignitates, officia, administrationes, functiones, & Prælaturas eiusdem Ordinis concedere audeant: quinimmò dicti Ordinis Fratres, ac Religiosos, qui contra decretum hac via, & hic medijs per conquisitos fauores, & suffragia aliquid sibi procurauerint, ad talia, & similia, ac etiam maiora in eodem ordine consequenda perpetuò inhabiles declaramus. Insuper dictis Religiosis, & fratribus eiusdem ordinis quibuscumque sub eisdem pœnis præcipimus, & expressè interdicimus, vt non solum in præmissis omnibus, fauores huiusmodi minimè procurare, sed nec etiam spontè oblatos, aut ab eis minimè procuratos recipere. Et similiter ne ad hunc effectum, munera aliqua prædictis personis exhibere audeant, seu præsumant. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, dictique ordinis statutis, & consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, cæterisque contrarijs quibuscumque, aut si ordini, & fratribus prædictis, communiter, aut diuisim ab Apostolica sit sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem, quòd præsentium literarum transumptis etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, ex sigillo alicuius personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides vbique adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo piscatoris, die 6. Septembris, Anno 1619. Pontificatus nostri Anno XV. S. Cardinalis Sanctæ Susannæ.

Circa hunc motum proprium. Noto primò, quod Pontifex fecit hoc decretum motu proprio, & ex certa scientiæ, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, ad denotandum perpetuitatem huius constitutionis, & ne quid vnquam posset contra eam reclamari. Tria autem hæc vocabula idem valent, vt ait Abbas *cap. Ad hæc sumus, de rescriptis, num 8. & cap. Ea, quæ, de sentent. & re iudic. num. 2. 3. 7.* & Graff. *tom. 2 consil. lib. 1. de offic. deleg. cons. 2. num. 1.* & nihil aliud sibi volunt illæ clausulæ, nisi quod tunc Papa operatur, non secundum potestatem ordinariam, sed secundùm absolutam, & tanquàm absolutus Dominus, dispositioni legum communium non se subijciens, vt habetur *cap. Si motu proprio, & cap. Si pluribus, de præb. & dignit. in 6.* Tres autem operatur effectus motus proprius supra communem, & ordinarium modum concedendi, vel statuendi aliquid. Primò facit rem factam, vel confirmatam maioris auctoritatis. Secundò. Si res est minus valida reddit eam validam. Tertiò. Nullus inferior potest de validitate illius rei amplius cognoscere, vt habet Gloss. *in c. Quia diuersitatem, de concess. præb.* & Abbas *in cap. Ea, quæ, de sentent. & re iudic.*

Noto secundò circa illa verba, *Vllam gratiā concedere*, Quod illa particula, *Vlla*, non est ita vniuersalis, vt excludat omnem, & quamcumque gratiam; Ita vt Religionum Prælati nullam omninò gratiam possint suis Religiosis concedere ad instantiam deuotorum ordinis, sed quod nullam possint concedere pertinentem, vel ad remissionem alicuius pœnæ, vel ad gradus, & dignitates obtinendas; cæteras autem gratias, verbi gratia transferre fratres de vno in alium Conuentum; præbere eos in socios alicuius deuoti ordinis ad aliquam peregrinationem, &c. Possunt vtique Religionum Prælati ad præfatorum instantiam, & requisitionem concedere. Vniuersalis enim illa per particulares subsequentes coarctatur, Nam *generi per speciem derogatur*, vt dicitur *cap. Pastoralis,*

ralis, de rescriptis, & habetur in regula generi, quæ est 24 *de regul. iur. in 6.* Quod etiam notauit in simili Rodrig. *tom. 1. q. regul. q. 26. art. 4. ad primum argumentum contrar. in fine.* Et Panorm. *in cap. Venerabilis de iudic. num. 6.* & habetur *in leg. cum Pater §. Dulcissimus ff. de legat. 2.*

Noto tertiò, quod appellatione dignitatum veniunt Generalatus, Prouincialatus, Correctoriatus, Vicariatus ordinarius alicuius Conuentus, qui Correctorem sustinere non potest, Visitator alicuius Prouinciæ seu Regni, & aliæ, si quæ id genus dignitates sint, quæ cum honore, & superioritate sint coniunctæ. Ita declarauit Sixtus V. *in sua constit. declaratoria Bull. contra illegitimos, §. Quoniam verò*, quæ incipit. *Ad Romanum*, quam refert Quaranta *in sum. Bull. verbo Monasteria, & Conuentus Regularium.* Nomine honorum, veniunt Definitores, Collegæ, Prouincialis, & Generalis, Discreti ad Capitulum Prouinciale, Commissi ad Capitulum Generale (quos tamen Commissos, ait Rodriguez *tom. 1. qu. regul. q. 13. art. 19.* comprehendi sub nomine dignitatis in ordine Minorum, quia habent aliqualem iurisdictionem; cum debeant esse Patres Prouinciæ. Quod tamen fallit in ordine nostro,) & si qui sint alij honores personarum decores, absque actuali, & ordinaria iurisdictione. Ita colligitur ex Rodrig. *loco cit. art. 18. 19* Et *ex lege 14 ff. de mun. & honest.* Nomine gradus veniunt Lectores, Confessores, Prædicatores. Regentes studiorum. Ita idem Sixtus V. *in eadem constit §. Ab officijs autem.* Nomine officij veniunt Sacrista, Procurator Conuentus, Subprior in ijs Religionibus, in quibus est in vsu, Vicarius Conuentus in absentia Patris Correctoris. Ita Paul. *to. 4. q. reg. in explicatione Bulla de largit. mun. par. 4. q. 1.*

Noto quartò, Circa illa verba, *Extra ordinem existentium*, quod Prælati concedentes aliquas gratias etiam pertinentes ad remissionem alicuius pœnæ, vel ad obtinendas aliquas dignitates ad instantiam aliquorum patrum dicti ordinis, non incurrunt pœnas positas in hac extrauaganti; Nec fratres procurantes aliquas literas fauorabiles à Patribus dicti ordinis apud Generalem, vel Prouincialem dictas easdem pœnas incurrunt; Quia solùm loquitur extrauagans de impertantibus fauorem à personis extra dictum ordinem.

An autem eiusdem ordinis fratres Procurantes officia pro alijs fratribus, incurrant pœnas positas *in constitut. Clem. VIII. confirmatas à Paulo V. in decretis generalibus num. 35.* publicatas, & acceptatas *in Capitulo Generali Genua 6.* sequentis tenoris.

Vt omnis officiorum ambitus occasio præcidatur, caueant omnes à directa, seu indirecta vocum, seu suffragiorum procuratione, tàm pro se ipsis, quàm pro alijs, tum in Capitulis locorum, tum in cæteris præsertim Generalibus Capitulis, aut Congregationibus, seu alibi. Quicumque secus fecerint, præter alias pœnas, & censuras hactenus contra huiusmodi ambientes, & practicantes inflictas (quas in suo robore permanere volumus) in pœnam priuationis officiorum, quæ obtinent, eo ipso incidant, & ad futura quæcumque pariter inhabiles habeantur, super quo dispensari à nemine valeant, nisi à nobis, vel successoribus nostris; & pro qualitate etiam culparum grauius plecti possint. Porrò supradictas omnes pœnas, & ad complices, ac simpliciter scientes, & non reuelantes extendimus. Has pœnas vide apud Rodrig. & Nau. *loc. hic infrà citandis.*

Dico primò, quod incurrunt procurantes cum effectu, & electione secuta. Per ea, quæ habentur *in iure cap. Perpetuo, de elect. in 6.* vbi Glossa *verbo Perpetuo*, Ioannes Andreas *n. 2.* ponit hanc regulam. *Pœnam, quæ ipso iure delinquenti infligitur, non incurrit is, qui cogitauit, & aliquid egit, sed non perfectè, etiamsi per ipsum non steterit.* Quod etiam declarauit dictus Ioann. Andreas *in reg. In pœnis, de regul. iur. in 6.* Habet etiam Nau. *lib. 5. consil. de sentent. excomm. cons. 20. n. 3.*

Dico secundò, quod procurare, vt dentur alicui dignitates, qui eas merentur in bonum finem, & per bonas artes, vt bono communi consulatur, & indigni excludantur, non est prohibitum hac constitutione, vt satis per se patet; sed est prohibitum procurare, vt dentur dignitates indignis, seù ad malum finem, vel per malas artes, per ea quæ habent Nau. *loco cit. num. 6.* & Rodrig. *tom. 1. q. regul. q. 56. art. 1.*

Dico tertiò, quod priuatio vocis actiuæ, & passiuæ nō obligat in conscientia, nec incurritur, nisi post sententiam Iudicis declaratoriam, etiamsi dicatur in statuto; quod incurratur eo ipso, vel ipso facto: Nam illud, ipso facto, seù eo ipso, vt in nostro statuto, intelligitur eo ipso, quod Iudex sententiam protulerit. Ita tenet Sotus *lib. 1. de iust. quæst. 6 art. 6. in responsione ad quartum fine*, Rodrig. *loc. cit fine. Et idem est, etiamsi dicatur eo ipso, ac sine alia declaratione.* Nam isti termini, eo ipso, ac sine alia declaratione sint idem, vt ait Corduba *in qu. Theolog. quæst. 36. ad sextum argumentum contra 3. opin. pag. mihi 292. versu Respondeo ad sextum.* Nam declaratio non cadit super pœnam, quæ incurritur ipso facto, & absque alia declaratione, sed super delictum: debet enim probari coram Iudice, tale delictum à tali fuisse commissum, quo probato statim eo ipso incurrit pœnam priuationis. Atque ita videmus in praxi obseruari, & practicari; non enim qui incidunt in tales pœnas priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, & officiorum, statim renuntiant officia, & abstinent à dandis suffragijs. Et *Consuetudo est optima legum interpres*, vt habetur *c. Cum dilectus, de consuetud.* Quæ si est legitimè præscripta, derogat legi humanæ, & valet pro lege, vt doctores *d. cap. & cap. Cum consuetudinis, & cap. Finali, eodem tit.* Adde, quod si quis relinqueret officia, vel desisteret à dandis suffragijs, se ipsum infamaret manifestando, se aliquod delictum commisisse, propter quod existat talibus priuatus. Et præceptum de tuenda fama est naturale. Vide à Sorbo *in compend. verbo. Ingredi monasteria, pagella 7. fol. mihi 365.* & Sanch. *lib. 2. in decal. c. 22. num. 19. 20. & cap. 39. num. vlt. & lib. 6. cap. 15. num. 65. & cap. 17. n. 39.*

§. XII.

De Scribentibus literas in occulto contra aliquem ad suum Superiorem.

Dico primò scribere literas ad Prælatum sine nomine, continentes delicta occultà contra, vel Superiorem, vel particularem fratrem, est ex suo genere mortale peccatum; quia reuelare crimen occultum fratris mortale est. Nisi forsan hoc quisquam faceret ex charitate; non ex odio, aut maleuolentia, vltionem, & punitionem non quærens, sed solummodo correctionem, & emendationem, quam per fraternam correctionem obtenturum non sperat: nec nomen explicans, quia si fortè perueniat ad aures illius, contra quem scripsit, redderet illum sibi perpetuum inimicum. Facilè enim omnes in errores labimur, sed difficilè patimur, non solùm castigationes, correctiones, & reprehensiones, sed neque etiam pati possumus cognosci nostros errores. Hoc inquam, modo non peccabit scribens, etiam sine nomine, quia solum correctionem intendit; Si autem ex odio scribat, & imputet falsa, clarum est, quod mortaliter peccabit.

Dico secundò, non possunt Prælati ex huiusmodi literis ad inquisitionem delictorum, quæ continent, procedere. Cum non sit illi Scripturæ adhibenda fides Ita Rodriguez *tom. 1. qu. regul. qu. 6. art. 39.* Panorm. *in cap. Inquisitionis, de accus. § tertia dubitationis.* Vide Bonac. *disp. 2. de restit. quæst. 4. puncto nono propos. 1. numer. 3. numer. 4.* Probatur *ex d. cap. Inquisitionis*, vbi dicitur. *Nec ad petitionem eorum, qui libellum infamationis porrigunt in occulto, procedendum est ad inquisitionem super*

Dico secundò, si Prælatus præcipiat, ne quis scribat, aut recipiat literas sub præcepto obligante ad mortale, qui illi contrafacit, peccat omninò mortaliter contra obedientiam. Est certa apud omnes, & habet Nauarr. *lib. 9 cons. de statu Monach. cons. 3. n. 45.* Probatur quia subditus tenetur obedire suo Prælato iusta præcipienti, vt suprà diximus: atque ita vna actio scribendi poterit esse contra duo vota, Paupertatem, quatenus vtitur papyro tanquam propria, & contra Obedientiam propter Superioris præceptum.

Dico tertiò, Si Prælatus præcipiat sub merito Sanctæ Obedientiæ, & pœna excommunicationis ipso facto, ne quis scribat ad moniales verbi gratia, Si aliquis scribat, sed literæ non perueniant ad dictas Moniales, non incurret dictam excommunicationem, Ità in terminis Nauarr. *lib. 5. cons. de sent. excomm cons. 19 n. 2.* Rodrig. *tom. 1 q. reg. q. 56 art. 2. versu. Circa prædictas.* Coninch. *de cens. disp. 13. dub. 8. n. 76.*

Probat Nauar. quia verba sunt intelligenda cum effectu etiam extrinseco, quem intendit legislator, vel alius disponens, de cuius mente expressè, vel tacitè constat, constat autem, saltem tacitè, seu potius præsumitur, Prælatum, propter fines à se intentos, noluisse finaliter, & principaliter prohibere, scribere literas ad Moniales, sed voluisse prohibere cum peruentione formali, & actuali. Quia missio literarum, nisi perueniant, nihil potest nocere: & ad præcauendum nocumentum intendisse censendus est principaliter Prælatus.

Quod idem dicendum est de eo Religioso, qui literas fauorabiles Principum ad obtinendas dignitates in ordine, impetrasset, (Si contra tales impetrantes lata esset excommunicatio, vt in ordine Prædicatorum, Minorum, & aliorum, vt referunt Nauarr. *loco cit. cons. 20.* & Rodrig.) Deinde pœnitentia ductus, vel alio motiuo, nollet eas reddendas mittere: vel si mitteret, essent interceptæ vel perderentur propter eandem rationem. Ad quod facit etiam cap. Hæc autem verba, *de pœnit. d. 1.* Neque obstat, quod ipse fecit quantum potuit. (Si literas præsertim misit.) Nam licet intentio efficax non excuset apud Deum, vt certè non excusat his duobus casibus, quin impetrantes, vel scribentes peccauerint; apud Ecclesiam tamen volontas sine effectu non punitur, vt habet Marginalis, *eod cap. Hæc autem verba.* Et patet etiam in attentante percutere Clericum, & faciente quantum in se est, vt percutiat; Si enim non sequatur effectus non incurrit excommunicationem *cap. Si quis suadente.* Quando autem sola attentatio delicti punitur, docet Glossa *in cap. Si quis tam fœminam, de pœnit. d. 1.*

§. XI.

An in Religione Minimorum vetitum sit fratribus literas fauorabiles ad obtinendas dignitates in Ordine, procurare, & impetrare.

MVltis Capitulis Generalibus cautú erat, ne fratres fauores extrà ordinem impetrarent, qui perfectæ obedientiæ, quam sunt professi, repugnare viderentur; Nouissimè sanctissimus in Christo Pater Paulus V. per suum motum proprium emanatum *anno 1619. die 6. Septembr.* huic iam grassanti ambitionis morbo reparauit hoc pacto.

Admonemur pastoralis officij nostri debito diligentius prospicere, ne Religiosi, qui regularem vitam professi, sæculo renuntiarunt, ad dignitates, & officia per emendicata suffragia ambitiosus pateat accessus. Quo circa motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac de Apostolica potestatis plenitudine dilectis filijs Correctori Generali, ac Prouincialibus, & reliquis ordinis Fratrum Sancti Francisci de Paula Minimorum nuncupatorum Prælatis nunc, & pro tempore existentibus, In virtute Sanctæ Obedientiæ, ac sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda præcipimus, & mandamus, ne ad instantiam, & requisitionem quarumcumque personarum, tam laicarum, quam Ecclesiasticarum extra dictum ordinem constitutarum, etiam Cardinalatus honore, & quacumque sæculari dignitate, & excellentia, etiam Ducali, Regali, & Imperiali fulgentium, cuivis dicti ordinis Religioso ullam gratiam concedere, vel pœnas aliquas remittere, seu gradus, honores, dignitates, officia, administrationes, functiones, & Prælaturas eiusdem Ordinis concedere audeant: quinimmò dictis Ordinis Fratres, ac Religiosos, qui contra decreta, hac via, & hic medijs per conquisitos fauores, & suffragia aliquid sibi procurauerint, ad talia, & similia, ac etiam maiora in eodem ordine consequenda perpetuò inhabiles declaramus. Insuper dictis Religiosis, & fratribus eiusdem ordinis quibuscumque sub eisdem pœnis præcipimus, & expressè interdicimus, vt non solum in præmissis omnibus, fauores huiusmodi minimè procurare, sed nec etiam spontè oblatos, aut ab eis minimè procuratos recipere. Et similiter ne ad hunc effectum, munera aliqua prædictis personis exhibere audeant, seu præsumant. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, dictique ordinis statutis, & consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, cæterisque contrarijs quibuscumque, aut si ordini, & fratribus prædictis, communiter, aut diuisim ab Apostolica sit sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem, quòd præsentium literarum transumptis etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, ex sigillo alicuius personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides vbique adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibita, vel ostensa. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo piscatoris, die 6. Septembris, Anno 1619. Pontificatus nostri Anno XV. S. Cardinalis Sanctæ Susannæ.

Circa hunc motum proprium. Noto primò, quod Pontifex fecit hoc decretum motu proprio, & ex certa scientiæ, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, ad denotandum perpetuitatem huius constitutionis, & nè quid vnquam posset contra eam reclamari. Tria autem hæc vocabula idem valent, vt ait Abbas *cap. Ad hæc sumus, de rescriptis, num 8. & cap. Ea, quæ, de sent. & re iudic. num. 2. 3. 7.* & Graff. *tom. 2 consil. lib. 1. de offic. deleg. cons. 2. num. 1.* & nihil aliud sibi volunt illæ clausulæ, nisi quod tunc Papa operatur, non secundum potestatem ordinariam, sed secundùm absolutam, & tanquàm absolutus Dominus, dispositioni legum communium non se subijciens, vt habetur *cap. Si motu proprio, & cap. Si pluribus, de præb. & dignit. in 6.* Tres autem operatur effectus motus proprius supra communem, & ordinarium modum concedendi, vel statuendi aliquid. Primò facit rem factam, vel confirmatam maioris auctoritatis. Secondò, Si res est minus valida reddit eam validam. Tertiò. Nullus inferior potest de validitate illius rei amplius cognoscere, vt habet Gloss. *in c. Quia diuersitatem, de concess. præb.* & Abbas *in cap. Ea, quæ, de sentent. & re iudic.*

Noto secundò circa illa verba, *Vllam gratiā concedere,* Quod illa particula, *Vlla,* non est ita vniuersalis, vt excludat omnem, & quamcumque gratiam; Ita vt Religionum Prælati nullam omninò gratiam possint suis Religiosis concedere ad instantiam deuotorum ordinis, sed quod nullam possint concedere pertinentem, vel ad remissionem alicuius pœnæ, vel ad gradus, & dignitates obtinendas; cæteras autem gratias, verbi gratia transferre fratres de vno in alium Conuentum; præbere eos in socios alicuius deuoti ordinis ad aliquam peregrinationem, &c. Possunt vtique Religionum Prælati ad præfatorum instantiam, & requisitionem concedere. Vniuersalis enim illa per particulares subsequentes coarctatur. Nam *generi per speciem derogatur,* vt dicitur *cap. Pastoralis,*

ralis, de rescriptis, & habetur in regula generi, quæ est 24 de regul. iur. in 6. Quod etiam notauit in simili Rodrig. tom. 1. q. regul. q. 26. art. 4. ad primum argumentum contrar. in fine. Et Panorm. in cap. Venerabilis de iudic. num. 6. & habetur in leg. cum Pater §. Dulcissimus ff. de legat. 2.

Noto tertiò, quod appellatione dignitatum veniunt Generalatus, Prouincialatus, Correctoriatus, Vicariatus ordinarius alicuius Conuentus, qui Correctorem sustinere non potest, Visitator alicuius Prouinciæ seu Regni, & aliæ, si quæ id genus dignitates sint, quæ cum honore, & superioritate sint coniunctæ. Ita declarauit Sixtus V. in sua constit. declaratoria Bull. contra illegitimos, §. Quantum verò, quæ incipit. Ad Romanum, quam refert Quaranta in sum. Bull. verbo Monasteria, & Conuentus Regularium. Nomine honorum, veniunt Definitores, Collegæ, Prouincialis, & Generalis, Discreti ad Capitulum Prouinciale, Commissi ad Capitulum Generale (quos tamen Commissos, ait Rodriguez tom. 1. qu. regul. q. 13. art. 19. comprehendi sub nomine dignitatis in ordine Minorum, quia habent aliqualem iurisdictionem; cum debeant esse Patres Prouinciæ. Quod tamen fallit in ordine nostro,) & si qui sint alij honores personarum dicentes, absque actuali, & ordinaria iurisdictione. Ita colligitur ex Rodrig. loco cit. art. 18 19 Et ex lege 54 ff. de mun. & honor. Numine gradus veniunt Lectores, Confessores, Prædicatores, Regentes studiorum. Ita idem Sixtus V. in eadem constit §. Ab officijs autem. Nomine officij veniunt Sacrista, Procurator Conuentus, Subprior in ijs Religionibus, in quibus est in vsu, Vicarius Conuentus in absentia Patris Correctoris. Ita Paul. to. 4. q. reg. in explicatione Bullæ de largit. man. par. 4. q. 1.

Noto quartò, Circa illa verba, Extra ordinem existentium, quod Prælati concedentes aliquas gratias etiam pertinentes ad remissionem alicuius pœnæ, vel ad obtinendas aliquas dignitates ad instantiam aliquorum patrum dicti ordinis, non incurrunt pœnas positas in hac extrauaganti; Nec fratres procurantes aliquas literas fauorabiles à Patribus dicti ordinis apud Generalem, vel Prouincialem dictas easdem pœnas incurrunt; Quia solùm loquitur extrauagans de impetrantibus fauorem à personis extra dictum ordinem.

An autem eiusdem ordinis fratres Procurantes officia pro alijs fratribus, incurrant pœnas positas in constitut. Clem. VIII. confirmatas à Paulo V. in decretis generalibus num. 55. publicatas, & acceptatas in Capitulo Generali Genuæ 6. sequentis tenoris.

Vt omnis officiorum ambitus occasio præcidatur, caueant omnes à directa, seu indirecta vocum, seu suffragiorum procuratione, tàm pro se ipsis, quàm pro alijs, tum in Capitulis locorum, tum in cæteris præsertim Generalibus Capitulis aut Congregationibus, seu alibi. Quicumque secus fecerint, præter alias pœnas, & censuras hactenus contra huiusmodi ambientes, & practicantes inflictas (quas in suo robore permanere volumus) in pœnam priuationis officiorum, quæ obtinent, eo ipso incidant, & ad futura quæcumque pariter inhabiles habeantur, super quo dispensari à nomine valeant, nisi à nobis, vel successoribus nostris; & pro qualitate etiam culparum grauius plecti possint. Porrò supradictas omnes pœnas, & ad complices, ac simpliciter scientes, & non reuelantes extendimus. Has pœnas vide apud Rodrig. & Nau. loc. hic infrà citandis.

Dico primò, quod incurrunt procurantes cum effectu, & electione secuta. Per ea, quæ habentur in iure cap. Perpetuo, de elect. in 6. vbi Glossa verbo Perpetuo, Ioannes Andreas n. 2. ponit hanc regulam. Pœnam, quæ ipso iure delinquenti infligitur, non incurrit is, qui cogitauit, & aliquid egit, sed non perfectè, etiamsi per ipsum non fleterit. Quod etiam declarauit dictus Ioann. Andreas in reg. In pœnis, de regul. iur. in 6. Habet etiam Nau. lib. 5. consil. de sentent. excomm. cons. 20. n. 3.

Dico secundò, quod procurare, vt dentur alicui dignitates, qui eas meretur in bonum finem, & per bonas artes, vt bono communi consulatur, & indigni excludantur, non est prohibitum hac constitutione, vt satis per se patet; sed est prohibitum procurare, vt dentur dignitates indignis, seu ad malum finem, vel per malas artes, per ea quæ habent Nau. loco cit. num. 6. & Rodrig. tom. 1. q. regul. q. 56. art. 1.

Dico tertiò, quod priuatio vocis actiuæ, & passiuæ nō obligat in conscientia, nec incurritur, nisi post sententiam Iudicis declaratoriam, etiamsi dicatur in statuto, quod incurratur eo ipso, vel ipso facto: Nam illud, ipso facto, seu eo ipso, vt in nostro statuto, intelligitur eo ipso, quo Iudex sententiam protulerit. Ita tenet Sotus lib. 1. de iust. quæst. 6 art. 6. in responsione ad quartum fine, Rodrig. loc. cit. fine. Et idem est, etiamsi dicatur eo ipso, ac fine alia declaratione. Nam isti termini, eo ipso, ac fine alia declaratione sunt idem, vt ait Corduba in qu. Theolog. quæst. 36. ad sextum argumentum contra 3. opin. pag. mihi 292. versu Respondeo ad sextum. Nam declaratio non cadit super pœnam, quæ incurritur ipso facto, & absque alia declaratione, sed super delictum: debet enim probari coram Iudice, tale delictum à tali fuisse commissum, quo probato statim eo ipso incurrit pœnam priuationis. Atque ita videmus in praxi obseruari, & practicari; non enim qui incidunt in tales pœnas priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, & officiorum, statim renuntiant officia, & abstinent à dandis suffragijs. Et Consuetudo est optima legum interpres, vt habetur c. Cum dilectus, de consuetud. Quæ si est legitimè præscripta, derogat legi humanæ, & valet pro lege, vt doctores d. cap. & cap. Cum consuetudinis, & cap. Finali, eodem tit. Adde, quod si quis relinqueret officia, vel desisteret à dandis suffragijs, se ipsum infamaret manifestando, se aliquod delictum commisisse, propter quod existat talibus priuatus. Et præceptum de tuenda fama est naturale. Vide à Sorbo in compend. verbo. Ingredi monasteria, pagella 7. fol. mihi 565. & Sanch. lib. 2. in decal. c. 12. num. 19. 20. & cap. 39. num. vlt. & lib. 6. cap. 15. num. 65. & cap. 17. n. 39.

§. XII.

De Scribentibus literas in occulto contra aliquem ad suum Superiorem.

Dico primò scribere literas ad Prælatum sine nomine, continentes delicta occulta contra, vel Superiorem, vel particularem fratrem, est ex suo genere mortale peccatum; quia reuelare crimen occultum fratris mortale est. Nisi forsan hoc quisquam faceret ex charitate; non ex odio, aut maleuolentia, vltionem, & punitionem non quærens, sed solummodo correctionem, & emendationem, quam per fraternam correctionem obtenturum non spectat: nec nomen explicans, quia fit fortè perueniat ad aures illius, contra quem scripsit, redderet illum sibi perpetuum inimicum. Facilè enim omnes in errores labimur, sed difficilè patimur, non solùm castigationes, correctiones, & reprehensiones, sed neque etiam pati possumus cognosci nostros errores. Huc inquam, modo non peccabit scribens, etiam sine nomine, quia solum correctionem intendit; Si autem ex odio scribat, & imputet falsa, clarum est, quod mortaliter peccabit.

Dico secundò, non possunt Prælati ex huiusmodi literis ad inquisitionem delictorum, quæ continent, procedere. Cum non sit illi Scripturæ adhibenda fides Ita Rodriguez tom. 1. qu. regul. qu. 6. art. 39. Panorm. in cap. Inquisitionis, de accus. § tertia dubitationis. Vide Bonac. disp. 2. de restit. quæst. 4. puncto nono propos. 1. numer. 5. numer. 4. Probatur ex d. cap. Inquisitionis, vbi dicitur, Nec ad petitionem eorum, qui libellum infamationis porrigunt in occulto, procedendum est ad inquisitionem super contentis

contentis ibidem criminibus faciendam. Et Ratio est, quia huiusmodi literæ minimè afferunt infamiam, vt ait Panorm. *loc. cit.* & Rodrig. Quod probant *ex cap. finali, de accusat.* Immò addit Glossa *dicto cap. Inquisitionis*, §. 1. *verbo in occulto*, tales scribentes esse à Prælato castigandos, post diligentem inquisitionem repertos, vt habet etiam Rodrig. *loco cit.*

Dico tertiò, scribens literas ad suum Prælatum subscriptas, & sigillatas, continentes delicta alicuius confratris, seù etiam Prælati inferioris. Si non faciat animo iniuriandi, & infamandi, sed solùm animo informandi Prælatum de vita illius, contra quem scribit, & ad hoc vt pastor cognoscat oues suas, & emendet, corrigat, & castiget, si facta illi confratri, vel etiam Prælato fraterna correctione, non profuit, vel non profuturum sperauit, non peccat mortaliter. Quia iste procedit, ordine charitatis seruato. Si autem animo iniuriandi, & infamandi, Iam patet, quod mortaliter peccat odio proximi. Vnde colligitur; quod ij, qui conueniunt in vnum scribere ad suum Prælatum contra aliquem inferiorem Prælatum, vel aliquos alios fratres, mixtim falsa, & vera crimina congerentes, vel vera notabiliter augentes animo directo nocendi, etiam factis suis subscriptionibus, mortaliter peccant, & famam restituere tenentur, quò ad falsa crimina imputata: & etiam quò ad vera, si erant fortè secreta, eo modo, quo dicunt Summistæ, famam, esse restituendam.

Et nota, quod per literas huiusmodi secreto subscriptas non possunt Superiores quidquam iudicare, nec de veritate huiusmodi literarum debent inquirere à conspiratoribus maximè subscriptis: etiam quod verum dixissent, vt habet Glossa *cap. exhibita, de iudicijs, verbo conspirationem*, quia quasi inimici, & ex odio hoc fecisse præsumuntur, Vnde sunt repellendi à testificando. Nec sufficit, quod sit facta reconciliatio, si sit recens, quia *Inimico de recenti reconciliato non est credendum*, vt habetur *cap. accusatores* 3. *quæst.* 5. & dicit Panormit *cap. cum oporteat, de accus. numer.* 5. Notat etiam Passatellus *in Scholijs ex Barchinonensi, num.* 10. *de scribentibus literas falsas.*

§. XIII.

De aperientibus Literas alienas.

Dico primò aperiens literas obseratas, vel alienas scripturas animo nocendi, vel cum graui detrimento aliorum, quæ in secreto asseruabantur, peccat mortaliter. Ita Rodriguez *tom.* 1. *qq. regul. quæst.* 36. *art.* 2. Graffius 1. *par. decis. lib.* 2. *cap.* 135. *numer.* 31. Azor. *tom* 3. *institut. moral. lib.* 13. *cap* 31, *dub. vlt.* Nauarrus *in Manuali, cap.* 18. *numer.* 53. Sylu. *verbo Falsarius, quæstion.* 5. Vega, *part.* 2. *sum. cap.* 96. *casu* 3. Reginaldus *in praxi, libro* 24. *num.* 119. Probatur, quia animus nocendi proximo in re graui mortale est. Vide Menoch. *lib.* 2. *de arbitrar. casu* 538.

Dico secundò, qui aperit literas alienas, vt eas ostendat aduersario mittentis, incidit in pœnam falsi, & peccat mortaliter. Ita Sylu. Rodrig. Diaz *in sua pract. cap.* 106. Abbas *in cap. Cum olim, el* 2. *de off. & pot. iud. deleg. n.* 5. ex Bartolo, quem citant.

Ex quo sequitur, quod Procuratores, & Aduocati, qui iuxta partis ostendunt aduersario, possunt puniri pœna falsi, vt benè Panorm. *loco cit.* Et à similidico, quod eadem pœna falsi possunt puniri secretarij, vel scriptores, vel collegæ Prælatorum, qui in visitationibus generalibus, & Prouincialibus ostendunt depositiones fratrum illis, contra quos sunt factæ, & deponentium nomina notificant, quod est valdè notandum. Pœna autem falsi in Clerico est Iudicis arbitraria, pensata delicti grauitate, vt habet Diaz *loco cit.*

Incidit item in pœnam falsi, secundùm eundem Bartolum relatum à Rodriguez *loco cit.* Qui non restituit literas ei, cui reddere mandatum suscepit, sed alteri pandit, licèt non aduersario mittentis, & mortaliter peccat contra fidem promissam.

Item qui literas alicuius aperiret, & diuulgaret ad alterius iniuriam, mortaliter peccaret, & teneretur ratione iniuriarum, vt tenuit Gonsaluus de Villadiego relatus à Rodrig. *loco cit.* subdens, quod non dicitur literas aperire, qui clausuram earum detrahit, si aliter eas non aperiat, nec legat, quod etiam docet additionator Panorm. *loco cit. litera B.*

Item qui literas alteri destinatas lacerat, & comburit, quasi crimine falsi potest puniri. Abbas relatus à Rodrig. *loco cit.* Additionator Abbatis *loco cit.*

Dico tertiò, non peccat mortaliter, qui aperit literas, ex quibus sibi, vel alteri timet periculum alicuius damni notabilis in vita temporali, vel spirituali. Ita Nauarr. *in sum. cap.* 18 *n.* 53. *versu adde his illud.* Azot. *tom.* 3. *lib ca. dub. vltimo.* Rodrig. *tom* 1 *qq. reg. q.* 36. *art.* 4. Regiuald. *in praxi, lib.* 24. *num.* 120. *versu. Primas etiam.*

Probatur, quia concurrentibus duobus præceptis naturalibus in aliquo casu contraria dictantibus, standum est illi, quod fortius est; fortius autem est illud de eruendo se, vel alio à spiritnali, vel temporali morte, quam præceptum de seruando secreto, vt constat. Quia sicut bona famæ, bonis fortunæ præstant; ita bona famæ à corporis excelluntur bonis, Ita Nau. *de pœnit. d.* 6. *cap. pen.* §. *Sac. n.* 25. & expresè habetur *cap. duo mala, d.* 13. vbi dicitur, *quòd de duobus malis, minus semper est eligendum, quando vtraque precaueri non possunt, sed necessitas compellit ex his vnum perpetrare.*

Dico tertiò, qui aperit literas inadoertenter, putans esse suas, vel ob solam curiositatem sine vlla intentione nocẽdi notabiliter; sed tantom sciendi noua, vel quod videat phrasim barbatam, vel eleganti delectetur compositura, venialiter tantùm peccat, nullatenus aperturus, si præuideret, inde damnum aliquod notabile alicui obuenturum. Ita Nau. *loco proxime citato num.* 10. Reginald. *loco cit num.* 119. Graffius 1. *p. decis. lib.* 2. *cap.* 136. *n.* 33. Azot. *loco cit.* Probatur, quia hic non sit grauis iniutia, nec graue damnum proximo.

Dico quartò, Neque etiam venialiter peccare, qui aperit literas ex consensu tacito, vel expresso mittentis, vel eius, cui mittuntur. Nec qui literas amicorum aperit, ne negotia patiantur iacturam, neque etiam peccant Prælatus, Patet, aut maritus aperientes literas Subditorum, vxoris, vel filiorum sub illius potestate degentium. Ita Nauarr. *loco cit. n.* 16. 17. 19. Graffius *n.* 34. Regin. *num.* 120. & Azor. etiam cit.

Probatur, quia in his casibus adest consensus rationabiliter præsumptus Domini literarum.

CAPVT III.

Quàm Deceat Religiosum esse Paupertatis Amatorem.

Visis, quæ, salua paupertate, licent, vel non licent Religiosis, restant videnda ea, quæ ad perfectioris paupertatis amorem Subditorum nostrum possunt accendere, & inflammare, quorum pauca de more solùm afferam: qui enim plura desiderabit, poterit adire Cyprianum *serm.* 6. *de orat. dominica*, Basil. *serm.* 2. *in Psalm.* 14. Chrysost. *hom in Psal.* 40. exponentem illa verba, *Beatus, qui intelligit super egenum, & pauperem*, & *orat. de diuitijs, & paup. & orat. de auar.* Ambros. *in exameron, lib.* 6. *cap.* 8. August. *de verbis Apostoli, ser.* 29. & *ser.* 7. *de tempore*, Leonem *ser.* 4. *de quadr.* Climacum *gradu* 16. Cassianum *lib.* 7. *de spir. phylargiria,*

ria, à *cap.* 6. Iustinianum *in Ligno vita, de virtut. paupert. per multa cap.* Alphons. Tostatū *in epist. D. Hieronym ad Paulinum*, *cap.* 8. quæ habetur *tom.* 1. *oper. Tostati. & cap.* 5. *in Matth.* super illa verba, *Beati pauperes spiritu*; Franciscum Labatam *tom.* 1. *&* 2. *appar. concion. & in locis communibus semper, verbo Paupertas* Aluarez *tom.* 2. *de vit. spirit. lib.* 5. *par.* 1. Alphonsum Rodrig. *par.* 3. *tract.* 3. Thomam à Kempis *opusc. de tribus tabernaculis*, *cap.* 1. Platum *de bono status Religiosi*, *lib.* 2. *cap.* 3. Bonau. *tom.* 1. *opusc. tract. de paupert. Christi.* Ioannem Carthagenam *tom.* 1. *lib.* 5. *homil.* 11. Blosium *in Speculo Monach. pag.* 851. *&* 855. Antonium de Gueuara *in orat. Relig. cap.* 47. Guillelmum Petaldum *tom.* 1. *sum. virt. & vlt. tract. de Beatitud. part.* 5. *de paupert.* Thomam Cantipratanum *lib.* 2. *apum, cap.* 10. *num.* 12. Bernard. Rossignolium *de discipl. Christiana perfect. lib.* 5. *cap.* 2. Busæum *in panario. verbo Impatientia in paupertate.* Laurentium *de Portel. exhortat.* 7. Ioannem Maubunum *in suo Rosetto subdiuisione tituli secundi*, *capite secundo per multa membra.*

Hic tantùm tria videbimus. Motiua, seù incitamenta ad paupertatem amplectendam, effectus, & signa.

Motiua. Vrgentissimum incitamentum ad paupertatem sectandam est Dominus noster IESVS CHRISTVS, qui nihil visus est, in terris degens, magis diligere, quàm paupertatem; Atque ita dilexit, vt ab incunabilis, & cum lacte materno illam suxisse videatur. Illum enim nascentem non purpureis ornamentis, sed pannis inuoluit Mater MARIA, *Et pannis eum inuoluit*, dicitur Lucæ 2. Cuius cunabula fuerunt Præsepium, *Et posuit eum in præsepio*, vbi frigore dolens, & nuditate, ac præsepij duritie afflictus in fœno recumbere dignatus est, vt cantat Ecclesiæ hymnus. *Fœno iacere pertulit, præsepè non abhorruit, & qui diues erat, factus est pro nobis egenus*, 2. Corinth. 8. & ita egenus; *vt non haberet vbi reclinaret caput*, Matth. 8. quam paupertatem docuit suos Apostolos dicens Lucæ 9. *Neque possidere aurum, neque argentum, neque duas tunicas*: eamque ita obseruauerunt, vt vnus illorū dicat 2. Corinth. 4. *Vsque in hanc horam, & esurimus, & sitimus, & nudi sumus*, & cap. 11. *In fame, & siti, in frigore, & nuditate*, & Petrus Act. 3. *Aurum, & argentum non est mihi.* O sancta paupertas, quæ tam chara meo Christo fuisti, vt non statim natus solum te fuerit toto corde amplexus, sed nec ad horam toto vitæ suæ spatio de principali sui pectoris te passus sit auelli; Imò, & in ipso mortis tempore charissima illi fuisti, nam moriens Sindonem, qua tegeretur, non habuit, nisi quam vir quidam nobilis misericordia motus obtulit ad ipsum sepeliendum.

Audiamus Patres. Chrysost. *homil. de auar. Paupertas*, ait *est tutum Asylum, portus tranquillus, perpetua securitas, delicia periculorum expertes, voluptas sincera, vita turbationum nescia, vita fluctuum ignara, copia inexpugnabilis, philosophia parens, frenum intemperanti, supplicij sublatio, radix modestia.* Et hom. vlt. in Matt. Paupertas, ait. *regia est, non subiecta furibus, sed bene munita, portus tranquillus, palestra, & gymnasium sapientia.* Et serm. 18. Epist. ad Hebræos. *Nihil opulentius eo, qui paupertatem spontè diligit, & eam alacriter suscipit.*

Ambros. *in Exaëmeron. lib.* 6. *cap.* 8. *Beata est*, ait, *Si bona sua nouerit cum veritate paupertas, & omnibus praferenda thesauris, quia melius est exiguum cum Dei timore, quàm thesauri magni sine timore eius.* Et explicans illud 1. *ad Timoth.* 6. *Radix omnium malorum est cupiditas*, ait, *vt rerum facultates instrumenta sunt omnium vitiorum, sic harum ablegatio generatrix est, nutrixque omnium virtutum.*

August. *serm.* 29. *de verbis Apostoli* relatus à Busæo *loc. cit. Felicitas*, inquit, *Magna Christianorum, quibus datum est, vt paupertate faciant pretium regni Cælorum. Non tibi displiceat paupertas tua, nihil ea potest ditius inueniri. Vis nosse, quam locuples sit? Cælum emit.*

Sanctus Leo serm. 4. de quadrag. *Semper diues est Christiana paupertas, quia plus est, quod habet, quàm quod non habet. Nec pauet in isto mundo indigentia laborare, cui donatum est, in omnium rerum Domino omnia possidere.*

Naz. in Apologia. *Sed paupertatem*, inquit, *& inopiam exprobabunt. At isto sunt diuitia meo, hac me non solum gloriantem, sed & arrogantem facit.*

Bonau. *tom.* 2. *opusc. in diet. salut. tit.* 4. *diet.* 4. *c.* 3. *Paupertas*, ait, *est summè Christo copulata, bonis summè cumulata, & Cælis summè coaquata.*

Bernard. *serm.* 14. *de aduentu. Paupertas*, inquit, *est penna magna, qua in cælum volatur.*

Climachus gradu 16. *Nudus Monachus, mundi totius est Dominus*; alludit ad illud 2. Corinth. 5. *Nihil habentes, & omnia possidentes.*

Kempis de tribus tabernaculis, cap. 1. num. 5. *Beatissima paupertas, qua specialem apud Deum obtinet sanctitatis locum*, & num. 14. *O sancta, & laudabilis paupertas, quibus te laudibus efferam? Quomodo te appellabo? Quibus modis te amicis meis recommendabo?*

Sed, & Gentilem Senecam auscultemus, Epist. 18. *Nemo*, ait, *alius est Deo dignus, quam qui opes contempsit*, & Epist. 2. *Cui cum paupertate bene conuenit diues est*, & Epist. 20. *Magnus est ille, qui in diuitijs pauper est, sed securior, qui caret diuitiis*, & Epist. 17. *Si vis vacare animo, vt pauper sis oportet, aut pauperi similis.* Et lib 2. controuers. controu. 1. *O paupertatis quàm ignotum bonum*

Effectus describuntur à B. Laurentio Iustiniano *in ligno vita, tract. de paupertate, cap.* 2. quos latè prosequitur. Aluarez *per multa capita.*

Primò. Hominem reddit expeditum; quod proprium peregrinorum est, sicut nos sumus in hac vita; Vnde qui citò cupit in hac vita ad perfectionem pertingere, & post hanc ad gloriam, diuitiarum onera deponat.

Secundò, facit sectatorem, Iudicem duodecim tribuum Israël. In præmium enim bonæ erga eum voluntatis, hac prærogatiua donauit suos pauperes IESVS *Matth.* 20.

Tertiò, trahit sectatorem ad Deum per diuinæ maiestatis laudes, iuxta illud Psalmi 73. *Pauper, & inops laudabunt nomen tuum.*

Quartò, animum quietum reddit, magna quippè tranquillitas cordis est habere nihil concupiscentiæ temporalis.

Quintò. Adulantes expellit à se; Nam adulatorum mos est, aures adulati mulcere, & quovsque facultates supperunt, applaudere.

Sextò, verum demonstrat amicum, qui in necessitate cognoscitur, discedunt in ea, qui non te, sed tua sequebantur, iuxta illud Prou. 19. *Fratres hominis pauperis oderunt eum. Insuper, & amici procul recesserunt ab eo.*

Septimò, Cupiditates edomat, & vincit, non enim potest, nisi voluntaria paupertate restringi cupiditas.

Octauò, donis spiritualibus amplectentem se ditem facit. Qui enim dimisit terrena propter Deum, spiritualia recipit.

Nonò, facit sequentem Imitatorem Christi, qui eam docuit verbo, & exemplo,

Decimò, Tribuit sectator regnum Cœlorū, Matt. 5. *Beati pauperes quoniā vestrum est regnum Cælorū.* Aliæ beatitudines acquirendum proponunt; consolabuntur; Filij Dei vocabuntur, misericordiam consequentur: possidebunt terram, sed paupertas statim acquirit Cœlorum regnum. Ac si diceret Saluator, Lætamini pauperes mei, quia iam regnum Dei possidetis. Iam illius per voluntariam paupertatem Domini facti estis. O Gloriosa paupertas, ô paupertas diues, ô paupertas omni

autò

auro pretiosior, & quænam gemma tibi potest comparari? Quis valor? Quæ pecunia? Tu sola potes regnum Dei inæstimabile emere; Quod pretium non habet, te sola comparatur? Quia te non amabit? Te non desiderabit? Te non amplectetur? Te non stringet, nec dimittet, donec Dominus per æternam gloriam benedixerit ei.

Miseri Religiosi illi, qui tantum bonum spernunt propter nihil? ad quid lætantur in nihilo. Pauper est, qui nihil habet, nec desiderat. Qui desiderat dives est, *Paupertas quippè in inopia mentis est, non in quantitate possessionis*, vt ait Greg. *lib. 2. in Ezechielem, homil. 18.* & Cassianus *lib. 7. instit. cap. 21. fine. Non solùm pecuniarum est cauenda possessio, verùm etiam voluntas ipsa ab animo penitus extirpanda. Non enim tam effectus phylargiriæ vitandus est, quam affectus ipsius radicitus amputandus. Nihil enim proderit pecunias non habere, si voluntas in nobis fuerit possidendi.*

Indicia veræ paupertatis hæc ferè sunt. Primò necessariis tantummodo esse contentum. Quæ autem sint necessaria, docet D. Paulus 1. ad Timoth. 6. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.* Vnde Aug. *serm. 205. de tempore, huius loci occasione* pauperes solatur hoc pacto. *Communem, inquiens, habetis cum diuitibus domum, sed commune habetis Cœlum, communem lucem. Quid sufficit quærite, plus nolite, cætera grauant, non subleuant, onerant, non honorant, habentes igitur alimenta, &c.* Egregiè etiam Bern. Epist. 2. ad Fulconem circa finem. *Conceditur tibi vt si benè deseruis, de altario viuas, non vt de altario viuas, non vt de altario luxurieris, & de altario superbias, vt inde compares tibi frana aurea, sellas depictas, calcaria deargentata, varia, griseaque pellitia à collo, & manibus ornatu purpureo diuersificata. Denique quicquid præter necessarium victum, ac simplicem vestitum de altario retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.*

Sed quæ alimenta, inquies, & quæ vestimenta necessaria sunt, & sufficientia? Habetur id Eccles. 29. *Initium vitæ hominis aqua, & panis, & vestimentum, & domus protegens turpitudinem.* Itaque quatuor hic indicantur esse necessaria naturæ. Panis, & aqua quoad victum, vestitum vnum scilicet, non plura, & domus vna, vna sella.

Quoad victum, Panem, & aquam esse necessaria, & sufficientia naturæ, docuit etiam Seneca Epist. 78. *Aqua, & panis naturæ satisfaciunt.* Et S. Patriarcha Iacob *Gen. 28. Si dederit*, aiebat; *Mihi Dominus panem ad vescendum*; Sed ad hoc non te adstringo, nam iam humana imbecillitas ordinariè non sustinet, vt solo pane, & aqua viuas; sed bene, vt communibus vtaris ferculis.

At opus est mihi, inquit aliquis, lautioribus, & abundantioribus ferculis vesci; quia nobilis, quia infirmus sum, & ea volo comedere, quia viros multos spirituales, & perfectos ea comedisse lego.

Lepida excusatio, qua se tegit gula, & laxitas in viuendo defendit. Nobilis es, fateor, sed familiam nobilem, & diuitias sæculi contempsisti, non vt more nobilium, sed vt more Religiosorum viueres, & non pœnas peccatorum, sed præmia sanctorum comparares; Quare ergo tesunis, quæ propter Deum defecuisti? Eadem profectò ratione, qua nobilis es posses ex serico habitum Religiosum gestare, & te, vt antea, auro, & gemmis ornare, purpurea, & bysso operire. Quod si hæc à statu Religioso discrepant, quare illi cibi delicati conueniunt.

Infirmus es, in communi loco Infirmorum mane, in lecto decumbe: At non est, inquis, tam grauis infirmitas, quæ me aliorum conuictu repellat. Quare igitur tuas imaginationes non reiicis? aut si imaginationes non sunt, quare modicam inualetudinem non dissimulas? Quare Religiosam obseruantiam tuæ commoditati non præfers? Sed ait, imbecillitas crescet, & ex parua magna fiet, si non ei ciborum lautitia mederetis. Sensus oblectamenta hæc sunt. Astus Diaboli, blandimenta carnis. Communitatis fercula ordinaria his leuioribus, & momentaneis morbiculis non nocent, vt quotidiana probat experientia.

Viros perfectos comedisse scio. Sed occultas infirmitates ignoras, quod intrinsecus latet, te fugit: *Nolite*, inquit scriptura, *secundum faciem iudicare*, & quare credis? quia facies non est infallibile signum sanitatis, vel infirmitatis: Nam alios videbis semper squallidos, & macilentos, quales requirebat Abbas Elias, vt dicitur in vitis patrum, quando dicebat. *Pallor, & macies cum humilitate ornamentum Monachi.* Sanos tamen, & robustos, alios è contra rubicundos, & russos, debiles, tamen, infirmos, diuersitatis causam à medicis quære. Si aliqua vrgeris occulta infirmitate, de medici consilio, & Superioris iussione comede, & tibi proficiat, omnia, quæ tali infirmitati contraria non sunt: quæque ad eam abigendam faciant. Videatur pro his Aluarez *tom. 2. de vita spir. lib. 1. par. 2. cap. 3.*

Quoad vestimentum, vestimentum inquit sapiens in singulati, non vestimenta. Plura superflua. Et nota, quod D. Paulus dicit. *Et quibus tegamur*, ad innuendum, quod vestimenta Religiosorum potiùs tegumenta debent esse, quàm vestimenta; simplicia. f. Religiosa, sanctitatem, & Religionem spirantia. Ad tegendum corpus, non ad illud ornandum, ad humilitatem, non ad venustatem, ad deuotionem, non ad superbiam, ad commoditatem, non ad curiositatem, ad repatandum frigus, & nuditatem, non ad captandum ambitionis ventum. Ad quod facit id, quod deuotissimus Blosius habet *in speculo Monach. pag. 851.* Quem locum non grauabor hic adducere, nam dignus est, vt ab omnibus legatur, & relegatur. *In vestitu*, ait, *& in victu sobrius esto; Quicquid Monasticæ simplicitati contrarium est, id prorsus reiice, conspue, & detestare: Neque vanissimos quosdam, infelicissimosque fratres imitatus fueris, quos sui status pudet, & suæ iniquitatis non pudet. Si quando egredi, vel ad conspectum sæcularium venire debuerint, videas eos ad inepta, curiosaque prouehere, tales, & tales vestes, sic & sic aptatas tunicas induere velle. Amictum cum Regulari mandato, & patrum ordinationibus, conuenientem gestare erubescunt. Denique non vt humiles Monachi, sed vt delicati, venustique aulici prodeunt prodigioso spectaculo, prudentes quidem homines ad mœrorem, & indignationem, Diabolum verò ad risum, & cachinnos prouocant, euidenter hac absurditate declarantes quales intus sint, nempè superbi, molles, & vana gloria pleni. O Monachos, à vera Religione nimis alienos. O Monachos non Monachos, O Monachos Dæmoniacos! Hoccine est, quod Deo promiserunt, quando per sacratissimum paupertatis votum, mundo, omnibusque eius pompis, & vanitatibus solemniter renuntiauerunt? Hoccine est, quod Rex Regum verbo docuit? Hoccine est, quod exemplo monstrauit, quando panniculis vilibus præsepe habuit pro cunabilis? Quando item veste alba, & clamyde purpurea in opprobrium vestitus fuit? Hoccine est sequi IESVM? Hoccine est inhærere vestigiis IESV? O confusionem intolerabilem, ô insaniam extremam*, Hæc diuinè Blosius.

Quibus hæc pauca addo. Videbis quandoque Religiosos, ad Minimos loquor, gestantes habitus nitidos, tinctos, sub prælo plicatos, ex panno magni pretij, se ipsos aspicientes à planta pedis ad verticem capitis, oculos semper gyrantes, & regyrantes, gaudentes ab aliis videri, passu graui incedentes, inde se graues, & magnum quid esse existimantes. O vanitas vanitatum, ô vanitas intolerabilis, ô Religionis dedecus, ô Religiosorum improperium, ô detestabilis insania. Hoccine est minimè, quod te docuit Sanctus Pater Franciscus? Hoccine est, quod tibi mandatur in Regula, vt *Ex panno vili, & abiecto absque tinctura contexto*, vestiaris? Hæc

fides,

fides, quam dedisti in professione, te Regulam seruaturum? O infidelis homo, hoc pacto seruas promissa? An nescis, fidem esse dictorum, factorumque constantiam, & veritatem? Sed scito, quod frangeni fidem, fides non seruabitur. O Prælati, ô Pastores, quid facitis, & cur tam oscitanter Religionis curam geritis? Quare conniuens? Quare non aspicitis has Religionum destructiones, Fratrum ruinas? Forsan patuas istas res existimatis, & ideò non curatis? O quam allucinamini, ô quam fallimini. A paruis, ab istis incipiunt Religionum relaxationes. An nescitis, quod qui minima spernit, paulatim defluit? An nescitis animas istorum Religiosorum de manu vestra esse requirendas. Verè verum est illud, *Non est malum in Religione, quod non faciat Prælatus*, Nam, vt dicitur Ecclesiastici 10. *Secundum Iudicem populi, sic & ministri eius, & qualis rector est Ciuitatis, tales & habitantes in ea.* Heù, heù, minimè considera nomen tuum, vide fundatorem tuum, aspice habitum tuum, & cognosces, omnia tibi humilitatem protestari. Quid minus minimo? Et tu in minimo videri vis maximus? Quid humilius humillimo fundatore tuo? Et tu per viam superbiæ eum vis insequi? Quid terra, ex cuius colore habitum gestas, infimius? Et tu sublimior omnibus vis apparere? Similis mihi videris quibusdam dementibus, quos quandoque vidi in dementium Xenodochiis. Nudos ibi aspiciebam aliquos frigore, & fame penè mortuos, carentis vt bestias vinctos. Ex alia autem parte audiebam aliquos eorum reges se profiteri, paràtes exercitus, vicegerentes instituentes, memorialia signantes; Marchionatus, Ducatusque dispensantes. Alios se Papas, Bullas expedientes, supplicationes signantes, Cardinalatus, & Episcopatus conferentes. Et alios aliis huiusmodi insaniis esse continuè implicatos. O Deus bone, vis appellari minimus, minimum profiteris, minimum te esse gloriatis, quadragesimalem vitam, & hanc arduam obscurus, sub iugo continuæ obedientiæ viuis, & his nugatoriis vanitatibus vinci te permittis? Certè Alexander Magnus ille Macedo, si te vt Abdolominum contemplaretur, illa eadem, quæ ipsi, negatione sublata, tibi loqueretur; *Corporis habitus fama generis repugnat*, vt est apud Curtium *lib. 4. in principio*. Heù, heu, frater mi considera statum tuum, vide Religionem tuam, aspice institutorem tuum, sciasque, *Non esse ornamentum virile concinnitatem*, vt aiebat Seneca *Epist.* 115. Et nota illud Ecclesiast. 19. *Amictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis enuntiant de illo.* Et Bonauentura in *speculo disciplinæ, 1. parte principali, particula 3. cap. 8. Mollia*, ait, *vestimenta, animi mollitionem indicant, Nam molles mollia quærunt.* Denique considera vnam Clementis Alexandr. sententiam *lib. 2. Pædagogi, cap. 10. circa finem. Reijcienda sunt vestimenti tinctura, ipsa enim ab vsu, & à veritate longè sunt remota, præter id, quod ex eis morum reperitur reprehensio. Neque enim est earum vsus vtilis, nam nec ad frigus propulsandum est aptus, nec ad tegumentum habet aliquid amplius, quàm alia vestis, nisi solum vituperium. Coloris autem delectant suauitas, malè habet auidos, eos ad stultam impellens lippitudinem.*

Quoad cellam: Vnam, non duas, non tres, dicit esse necessariam Sapiens, sakem fratribus Subditis, nam fortè Prælatis duæ erunt necessariæ, vna ad orandum, & dormiendum, altera ad negotia Religionis tractanda. Vna itaque cella sit, eaque simplicitatem oleat Religiosam. Qui plures cellas habet, pluribus eget ad eas ornandas, imaginibus, capsis, sedilibus, scriniis, &c. quæ potius ornamenta sunt domorum principum, & potentatuum mundanorum, quàm pauperum Religiosorum, & Deo seruientium. Tepidorum hæc sunt, imò frigidorum Religiosorum, Deum suum non amantium, neque colentium; Nam conuincitur Deum non amare, qui amat ea, quæ ipsum scit velle odisse. Linque, linque frater mi hæc idola tua, linque superflua esto necessariis contentus, necessariis, inquam, quibus deuoti, & obseruantes Religiosi tui ordinis vtuntur, non simpliciter.

Secundum Indicium verè paupertatis est de denegatis necessariis non conqueri, imò propter illorum denegationem gaudere, exemplo Saluatoris nostri Dei, de quo dicitur Matth. 8. *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.* Certè non potest vlterius indigentia progredi. Cuinam in terra constituto, licèt pauperrimo, licèt ab omnibus derelicto defuit aliquando lapis, in quo caput ad quietem apponeret? Hanc veri pauperes Christi necessariorum etiam indigentiam cum suo Christo lætanter, & alacriter amplectuntur, & semper suo Christo sibi ditiores videntur, cum reclinandi caput locus illis nequaquam desit. Sed proh pudor! multi de solo paupertatis nomine gloriantur. De quibus ait Bern. serm. 4. de Adu. *Multi pauperes esse volunt, eo tamen pacto, vt nihil eis desit; & sic diligunt paupertatem, vt nullam inopiam patiantur.* Practicè itaque, non tantùm speculatiuè paupertatem amemus, qui paupertatis votum præstitimus, & dum pauperes volumus hominibus videri, tales Deo apparere studeamus.

Tandem hoc accipe in laudem paupertatis alphabetum.

Angelis, & hominibus venerabilis. Kempis *de tribus taber, cap. 1. num. 14.*

Basis Euangelicæ perfectionis, *Matth. 19.*

Castitatis fomentum. Aluarez *tom. 2. de vit. spir. lib. 5. in præmio.*

Decor vestimentorum. Bonauentura *in dietis salutis, tit. 4. dieta 4. cap. 3.*

Ædificij spiritualis primarium fundamentum. Bonau. *in Reg. Nou. cap. 14.*

Foramen acus, per quod gibbosus Camelus non transit. *Matth. 19.*

Gymnasium Sapientiæ Chrysost. *hom vlt. in Matth.*

Humilitatis Custodia. Gregorius relatus à Kempis *de tribus tabern. cap. 1. num. 14.*

Iudiciariæ potestatis magnificum præmiū. *Matt. 19.*

Lilium redolens. Iustin. *in ligno vita, cap. 4.*

Margarita nitens. Iustinianus *ibid.*

Nutrix virtutum. Ambrosius explicans illud ad Rom. *6. Radix omnium malorum est cupiditas.*

Orationis incitamentum.

Portus tranquillus, Chrysostom. *homil. vltim. in Matth.*

Quies mentis. Bonauent. *in diet. sal. titul. 4. diet. 4. cap. 3.*

Religionis Murus. Sic eam vocabat Sanctissimus ille Pater Ignatius Soc. IESV Illustriss. Fundator, vt refert Alphons. Rodrig. *part. 3. tract. 3, cap. 1.*

Seminarium omnium virtutum. Theophylactus ad illud Lucæ 18. *Vade, & vende omnia, quæ habet, & da pauperibus.*

Tutum Asylum. Chrysost. *hom. de auaritia.*

Via ad perfectionem. Diu. Thom. *opusc. 18. capite septimo.*

Christ imitatrix. *Luca 2.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO III.

DE VOTO RELIGIOSÆ CASTITATIS.



E Voto Religiosæ castitatis sciendum est, quod non solum contra ipsum peccat Religiosus per obscœnos congressus, sed per tactus, conspectus, affectus, & desideria, de quibus omnibus videnda sunt ea, quæ dicuntur in materia luxuriæ. In specie de his, quæ circa hoc votum disputantur, hic nihil ago. Videri possunt Antonin. 3. *parte titul.* 16. *cap.* 1. §. 10. Ledesma *de statu Religios. in communi cap.* 4 *conclus.* 4. *&* 5. *per multa.* Miranda *tom.* 1. *Manual. quæst.* 27. Valent. *tom.* 3. *disp.* 10. *quæst.* 4. *parte* 4. *versu Quòd autem attinet.* Azor. *lib.* 12. *instit. moral. cap.* 12. *quæst.* 9.

CAPVT I.

Quid sit Religiosa Castitas.

PRo hoc capite videri potest D. Thom. 2. 2. *quæst.* 151. *art.* 1. *ad* 1. Climacus *gradu* 15. B. Laurent. Iustin. *in ligno vitæ, tract. de continent. cap.* 1. Aluarez *tom.* 2. *de vit. spir. lib.* 5. *part.* 2. *cap.* 1.

Castitas, vt ait Climacus loco citato, *Est incorporea naturæ familiaritas, Castitas est Christi iucundum diuersorium, terrestrisque Clypeus cordis; Castitas est excessiua naturæ abnegatio, mortalisque, atque corruptibilis re vera ad incorpoream, spiritualemque substantiam contentio, Castus ille est, qui amorem amore exclusit, ignemque igne corporis extinxit.*

Castitas est virtus, vt D. Thom. loc. cit. *Qua homo secundum iudicium rationis, & electionem voluntatis moderatè vtitur corporis membris.*

Castitas, vt B. Laurent. loc. cit. *Est amor Deo se sô integrum, incorruptumque seruans, sôn est per edomitas vitiorum furias munda, & honesta corporis habitudo.*

Sanctus Ephrem Syrus, vt refert Aluarez *loco cit.* loquens de castitate, ait. *O castitas, cui abominationis sunt deliciæ, venustas corporis, & ornatus vestium. O castitas dapibus, atque epulis ebrietatique inimica. O castitas oculorum frænum, quæ è tenebris ad lucem totum corpus transfers. O castitas, quæ carnem castigas, & in seruitutem redigis, ac cælestia velocissimè penetras. O castitas mater dilectionis, & Angelicæ vitæ ratio. O castitas, quæ mundo es corde, ac dulci gustuue hilarique aspectu. O castitas, quæ homines Angelis similes reddis. O castitas, quæ Dei amicum ita exaltasti in patria externa, vt eos, qui amerant ipsum redimeret. O castitas donum Dei, benignitatis, disciplinæ, cognitionis, atque scientiæ plena. O castitas portus tranquillus in summa pace ac securitate constitutus. O castitas cælestis prudentia, & sancta prædicatio. O castitas, quæ cor possidentis te lætificas, & animas ad Cælestes alias adiungis*, &c. quæ ibi refert Aluarez.

Quod hæc castitas sit necessaria ad statum Religionis, docet D. Thom. 2. 2. *quæst.* 186. *art.* 4. quem sequuntur omnes. Et habetur *cap. Cum ad Monasterium, de statu monach.* Quod verò debeat cadere sub voto, docet idem D. Thom. *loc. cit. art.* 6.

CAPVT II.

De mediis ad acquirendam, & conseruandam Castitatem.

PRo hoc cap. vide B. Laurent. Iustin. *in ligno vitæ, tract. de continentia, cap.* 5. Aluar. *de vita spirit. tom.* 2. *lib.* 5. *part.* 2. *cap.* 14. Busæum *in panario, verbo Luxuria.* Rossignolium *de discip. Christ. perfect. lib.* 2. *cap.* 15. Peraldum *in summa virtutum, & vit. tom.* 2. *tract. de Luxur. part.* 4. *cap.* 1. Viuald. *de mente regale, de veritate contrit. tract. de Luxur. fol.* 83. Thom. à Kempis *serm.* 5. *ad Fratres*, Antonium de Gueuara *in orat. Religios. cap.* 51. Blosium *in Canone vitæ spirit. cap.* 30. Cassianum *lib.* 6. *instit. per multa, præsertim cap.* 13. *&* 23. Climacum *gradu* 15. *in medio.* Alphonsum Rodrig. *part.* 3. *tract.* 4. *à cap.* 6. Caussinum *lib.* 3. *cap.* 4. *de perfecta prudentia.*

Tanta est huius morbi sanandi difficultas, vt efficacissimis antidotis etiam adhibitis, vix possit obtineri victoria. Vnde Hieron. *Epist. ad Eustochiam de custodia virgin.* de seipso loquens, ait. *O quoties ego ipse in Eremo constitutus, & in illa vasta solitudine, quæ exusta solis ardoribus horridum Monachis præstat habitaculum. Putabam me Romanis interesse deliciis, sedebam solus, quia amaritudine repletus eram. Horrebant sacca membra deformia, & squallida cutis situm Æthiopicæ carnis obduxerat, quotidie lachrymæ, quotidie gemitus; & si quando repugnantem somnus imminens oppressisset, nuda humo vix ossa hærentia collidebam. Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum tali me carcere ipse damnaueram, scorpionum tantùm socius, & ferarum, sæpissimè choris intereram puellarum. Pallebant ora ieiuniis, & mens desideriis æstuabat. In frigido corpore, & ante hominem suum iam carne præmortua, sola libidinum incendia bulliebant*; Et Sanctus August. *in lib. de honestate mulierum, cap.* 2. ait. *Inter omnia certamina Christianorum, sola dura sunt prælia castitatis, vbi quotidiana est pugna, & rara victoria. Grauem namque sortita est castitas inimicum, cui quotidie resistitur, & semper timetur.* Et Salomon 3. *Regum* 7. Duas statuit in porticu templi columnas, super quibus duo constituit lilia. Quo loco dubitat Origenes, dicens, Quare pro tam leui pondere tam graue sustentaculum? Et respondet, quod lilium significat puritatem, ad quam conseruandam, sustentaculum columnæ requiritur. Et istarum columnarum nomina sunt Iachin, & Booz. Quæ duo verba, ait Origenes, significant fortiter macerans; ad innuendum, quod ad acquirendam, & conseruandam castitatem requiritur fortis carnis maceratio.

Aliqua itaque hic afferemus remedia, quibus possit tam Pancraticus hostis nisi planè vinci, saltem grauiter retundi. Climacus *loc. cit.* de istis remediis tractans, ait. *Quæ in tempore summum nobis præstabit adiutorium cilicium, & cinis, totisque noctibus statio immobilis, panis desiderium, ardens lingua, modicéque irrorata: sepulchrorum habitatio; atque ante omnia humilitas cordis: & si fieri potest, pater spiritualis, aut frater sollicitus, cautusque sensu ad auxilium adhibeatur.* Vbi si bene aduerto, Quinque proponit media ad castitatem conseruandam.

Primum

Primum Remedium est afflictio corporis, quæ fit per gestationem cilicij, aspersionem cineris, immobilem stationem, & panis subtractionem. Vnde Apostolus 1. *Corinth.* 9. aiebat, *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne fortè cum aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Et Amb. lib. 1. de pœn. c. 14. *Libido grauis ignis est, & ideò non demus illi alimenta luxuriæ. Pascitur libido conuiuiis, nutritur deliciis, vino accenditur, ebrietate flammatur.* Et Hieron. ad Furiam ep. 10. de viduit. seru. *Ardentes Diaboli sagittæ ieiuniorum, & vigiliarum rigore restinguenda sunt.* Et lib. 2. contra Iouinian. *Esus carnium, ventrisque saturitas seminarium libidinis est.* Et Bern. *serm. 66. in Cant.* de seipso ait. *Abstinebo à vino quia in vino Luxuria est, aut si infirmus sum, modico vtar: Abstinebo à carnibus, nedum nimis nutrio carnem, simul & carnis nutriam vitia: Panem ipsum cum mensura studebo sumere, ne, onerato ventre, stare ad orandum tædeat. Sed ne simplici quidem aqua ingurgitare me assuescam, ne distentio ventris vsque ad titillationem pertingat libidinis.* Et Kempis loc. cit. n. 4. *Valet maximè ad castimoniæ decus promerendum sobrietatis virtus, quæ delicatiores respuit cibos, & potum effluentem resecat. Vigiliis sacris, atque ieiuniis comprimere carnis lasciuiam suadet.*

Potissimum autem à vino abstinendum; Nam *Luxuriosa res vinum*, dicitur Prou. 20. & Apost. ad Ephes. 5. *Nolite inebriari vino in quo est Luxuria.* Et Hieron. ad Furiam. *Non Æthnei ignes, non vulcania tellus, non Vesuuius, aut Olympus tantis ardoribus æstuant, vt iuueniles medullæ vino plenæ, & dapibus inflammatæ*, & paulò infra. *Aiunt medici, qui humanorum corporum scripsere naturas, præcipuéque Galenus, Puerorum, & Iuuenum, ac perfectæ ætatis virorum, mulierumque corpora insito calore feruere; & noxios esse his ætatibus cibos, qui calorem augeant. Sanitatique conducere frigida quæque in esu, & potu sumere*, & Ambros. lib. 1. de viduitate. *Esto casta primum à vino, vt possis esse casta ab adulterio.* Hoc remedio vsi sunt Patres. Benedictus se nudum in vrticas, & vepres abiiciens, teste Greg. *lib. 2. dialog. cap. 2.* Bernardus desiliens in lacum præ frigida hyeme, teste Surio *in eius vita lib. 1. cap. 3. & 4.* Franciscus in foueam glacie plenam se plerumque mergens, teste Bonauent. *in eius vita, cap. 5.* Et Franciscus à Paula concupiscentiæ fomitem sola comestione panis, & aquæ vsque ad extremum vitæ terminum domuit. Et *in vitis Patrum lib. 5. libello de fornic. n. 31.* dixit quidam senior. *Nunquam sollicitatus sum à fornicatione; quia ex quo factus sum Monachus non sum satiatus pane, neque aqua, neque somno. Et appetitus horum, quibus pascimur, crucians me, non permittebat sentire fornicationis stimulos.*

Secundum Remedium, Ex Climaco est. *Ardens lingua, modicéque irrorata.* Per quod intelligo ardens, & constans desiderium, seù voluntatem non consentiendi tentationi, seù desiderium castitatem adipiscendi. Quod enim per linguam intelligatur affectus, seù voluntas, habet Riccard. *in 4. d. vlt. circa textum*, & sic explicat illud Lucæ 16. *Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeat linguam meam.* Diues enim ille non affligebatur in lingua corporali, qua carebat, sed in anima. De quo desiderio loquitur Aug. *lib. 10. confes. cap.* 30. *Nunquid*, inquiens, *Non potens est manus tua Deus omnipotens sanare omnes languores animæ meæ? Atque abundantiore gratia tua lasciuos motus etiam mei corporis extinguere? Augebis Domine magis, magisque munera tua in me, vt anima mea sequatur me ad te, concupiscentiæ viscò expedita, vt non sit rebellis sibi.*

Quod desiderium operatur, vt titillatæ incipientibus cogitationibus libidinis, illicò resistamus. De qua subita resistentia ait Cyprian. in serm. de ieiunio. *Diabolo primis tentationibus obuiandum, nec coluber foueri debet, donec in serpentem formetur.* Et Hieron. *in cap. 9. Eccles. Diabolus*, ait, *Serpens lubricus est, cuius capiti, hoc est primæ suggestioni, si non resistatur, non est dubitandũ, quin in penetrale cordis furtim illabatur.* Et in Ep. ad Eustoc. *Nolo, sinas cogitationẽ libidinis crescere, nihil in Babylonium, nihil confusionis adolescat. Dum paruus est hostis, interfice: Nequitia, ne zizania serpat, elidatur in semine.*

Operatur etiam hoc desiderium, vt non solum prauis cogitationibus statim resistamus, sed etiam vt in bonis, & sanctis cogitationibus occupemus. Nam cum humana mẽs semper habeat aliquid cogitare, nec queat quiescere vnquam; Cum desiderio extitit imbuta castitatem seruandi, semper in cœlestibus meditandis commoratur; Fitque ex hoc, vt locum occupatum reperientes lasciuæ cogitationes, vel non accedant, vel accedentes, illicò, opere infecto, recedant. Quod notauit Cassian. *collat.* 12. *cap.* 5. dicens. *Nullatenus valet viuacitas mentis, absque alicuius desiderij, vel timoris, gaudij, vel mœroris affectione subsistere, nisi hæc eadem in bonam partem fuerint immutata, & idcircò si carnales concupiscentias de cordibus nostris desideramus extrudere, spiritales in earum locis plantemus protinus voluntates, vt his noster animus semper innexus, & habeat quibus iugiter immoretur, & illecebras præsentium, ac temporalium respuat gaudiorum.* Et Greg. *lib. 5. in 1. Reg. cap. 14. Vitare*, inquit, *Turpes cogitationes non praualet, qui honestas in se non habet; Quia enim semper cogitamus exquirenda sunt nobis bona, ne mala cogitemus.*

Tertium Remedium, ex Climaco est. *Sepulchrorum habitatio* Per quod intelligo frequentem mortis, & aliorum nouissimorũ consideratione. Vnde Greg. 16. *moral. c. 31. Nihil*, ait, *Sic ad edomandum desideriorum carnaliũ appetitum iuuat, quam vt vnusquisque hoc, quod viuum diligit, quale sit mortuũ penset.* Quod etiam repetit Iustinian. *in ligno vitæ, de continentia, c. 2.* & Isidor *de summo bono. Quando*, inquit, *Impulsu Dæmonum mens ad delectationem fornicationis impellitur, diuini Iudicij metus, & æterni tormenta incendij ante oculos proponantur. Quia nimirum omnis pœna grauioris supplicij formidine superatur, Sicut enim clauus clauum expellit: Ita sæpè recordatio ardoris gehennæ, ardorem excludit luxuriæ.*

Quæ fuit expressa sententia Sancti Regis Iosiæ, de quo dicitur 4. Reg. 23. *Quod contriuit statuas, & succidit lucos: repleuitque loca eorum ossibus mortuorum.* Ac si diceret Sanctus Rex Qui idolum lasciuiæ ex suo corde vult succidere, repleat illud omninò frequenti mortis consideratione. Et *in Deuteron. cap. vlt.* dicitur, *Quod mortuus est Moyses seruus Domini in terra Moab, iubente Domino, & sepeliuit eum in Valle Moab contra Phogor sed quare Deus*, ait Procopius illo loco, *Tanta diligentia circumscripsit locum vbi sepultus est seruus suus Moyses, vt in posterum idola frænaret, atque cohiberet*, Respondet, Quia ibi adorabatur Idolum lasciuiæ, & *Ecclesiast. 7.* dicitur. *Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.*

Descendant itaque in Infernũ viuentes, ibique infinitos his vitiis immersos, intensissimo illo igne adustos contemplentur, & sine dubio æstuatio luxuriæ procul recedet à memoria eorum. Considerent talibus afflicti tentationibus quantũ sint amissuri boni, patriam nimirũ cœlestem, & quantum mali, æternã nimirum ignis infernalis pœnam incursuri, si assentiantur; & sine dubio suggerentem Diabolũ in fugam conuertent. Considerent fœtorẽ, & putredinem, quæ ex corporibus tam in extremũ amatis, expirata anima, scatutient, & sine dubio seipsos, talia meditantes, abominabuntur. Narrat Thom. Cantipratan. lib. 2. apum, cap. 30. n. 31. *Vidisse se virum Magistrum Guidonem Presbyterum beguinarium in Niuella, De quo certissimè ferebatur, quia cum in Sonegio oppido Hannoniæ scholas regeret adolescens, incautè semel fœminam contemplatus, per annos tres, etiam ipsa mortua, in tantum tentatus est, vt, excepto eo, quod vigilans sustinebat, omni nocte in somnis crederet eam esse præsentem, Sentiens ergo circa se Diabolum non cessare, de nocte clam tumulum mulieris mortuæ aperit, naresque & faciem-*

faciem in cauo putrefacti corporis tandiù tenuit, vt penè fœtore nimio suffocatus, quasi mortuus caderet resupinus. Quæ res in tantum valuit sancto viro, vt nullum postea stimulum in carne sentiret.

Quartum Remed. est *humilitas cordis*. Qua à Deo omnium bonorum largitore petatur auxilium, & gratia ad resistendum motibus carnis, & in accepta castitatis gratia perseuerandi. Vnde Cassian. lib 6. instit. cap. 1. *Nec solum sufficit*, ait, *Corporale ieiunium ad conquirendam, vel possidendã perfectæ castimoniæ puritatem, nisi præcesserit contritio Spiritus, & oratio contra hunc immundissimum spiritum perseuerans: Deinde continuata meditatio scripturarum, huicque fuerit scientia spiritualis adiuncta: labor etiam, opusque manuum, instabiles cordis peruagationes coercens ac reuocans, & ante omnia fundata fuerit humilitas vera sine qua nullius penitus vitij poterit triumphus acquiri.* Et Greg. *lib. 5. in 1. Reg. c. 14. Si mens*, inquit, *Deo subdi humiliter despicit, carnis suæ desideria dominando, ac præeminendo non premit.* Et Th. à Kemp. *serm. 5. ad fratres, n. 5. Hic*, ait, *Non pugnatur armis, aut ferro, sed patientia, oratione, & humilitate; Nam ita subiugatur facilius omnis motus libidinis, donum enim Dei est, & misericordia in electis illius, posse corruptibilis carnis concupiscentiam compescere: Ignem quoque in sinu proprio ferre, nec tamen praualere aduersus mentem.*

Quintum Remedium, ex Climaco est *cautus, & sollicitus Pater spiritualis*, Qui solet multum prodesse; tum ad astus Dæmonis aperiendos, tùm ad remedia adhibenda, tùm ad animum alio transferendum; Fixæ enim cogitationes tandiù aliquando insistunt quo vincant, & frangant, & frangunt ordinario, si medio spirituali non aperiantur. Quod docuisset Cassianus coll. 2. cap. 10. *Non solùm, quæ agenda sunt, sed etiam quæ cogitantur, seniorum reseruentur examini, vt nihil quis suo iudicio credens, illorum per omnia definitionibus acquiescat, & quid bonum, vel malum debeat iudicare, eorum traditione cognoscat; Quæ institutio non solùm per veram discretionis viam iuuenem recto tramite docebit incedere, verum etiam à cunctis fraudibus, & insidijs inimici seruabit illæsum. Nullatenus enim decipi poterit quisquae, si non suo iudicio, sed maiorum viuat exemplo; Nec valebit ignorationi eius callidus hostis illudere, qui vniuersas cogitationis in corde nascentes, perniciosa verecundia nescit obtegere, sed eas maturo examine seniorum, vel reprobat, vel admittit. Illicò namque, vt patefacta fuerit cogitatio maligna marcescit. Et antequam discretionis iudicium proferatur, serpens teterrimus, velut è tenebroso, ac subterraneo specu confessionis virtute protractus ad lucem, & traductus quodammodo, ac dehonestatus abscedit.*

Sextum Remedium, est custodia sensuum, maximè visus, tactus, & auditus,

Quoad visum. Isidorus *lib. 2. de sum. bono, c. 39.* ait, Quòd. *Oculus est principium fornicationis.* Et rectè quidem. Ex scriptura. Namque patet euidenter. Genesis 6. *Videntes filij Dei filias hominũ quod essent pulchra, &c.* Et c. 34. *Cum vidisset Sichem Dinam filiam Liæ adamauit eam, & rapuit, & dormiuit cum illa.* Et c. 38. *Cum vidisset Iudas Thamar, suspicatus est, quod esset meretrix, ingrediensque ad eam, ait, Dimitte me, vt coeam tecum.* Et c. 39. *Iniecit vxor Putiphar oculos in Ioseph, & ait dormi mecum.* 2. Reg. 11 *Vidit Dauid mulierem se lauantem, & dormiuit cum ea.* Et Iudith. 10. *Captus est in oculis Iudith Holofernes.* Et Dan. 13. *Videbant Susannam senes quotidie ingredientem, & deambulantem, & exarserunt in concupiscentiam eius.* Quare sapiens Prou. 23 *Oculi tui videbunt extraneas, & cor tuum loquetur peruersa.* Et Eccl. 9. *Auerte faciem tuam à muliere compta, & ne circumspicias speciem alienam. Propter speciẽ mulieris multi perierunt: Et ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.* Et c. 25. *Ne respicias mulieris speciem, & non concupiscas mulierem in specie.* Et Oseæ 2. *Auferat fornicationes suas a facie sua.* Et Christus Matth. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te.* Et 2. Petri 2. dicitur de quibusdam, *Quod habebant oculos plenos adulterijs.* Vnde August. *in libello de honestate mulierum*, ait, *Quomodo si aliquis carbones apprehenderit, si citò eos projecerit, nihil ei nocebunt; Si verò diutius eos tenere voluerit, sine vulnere abire non poterit. Ita ille, qui ad concupiscendum oculorum defixerit intuitum, & libidinis malum in corde suscipiens, moras in corde suo habere, moras in corde suo liberè permiserit, excutere a se sine animæ plaga non poterit. Ideo iugiter clamemus ad Dominum cum Propheta. Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos.* Et Hieron. ad rusticum Monach. *Matrem tuã*, inquit, *ita, vide ne per illam alias videre cogaris, quarum vultus cordi tuo hæreant, & tacitum viuat sub pectore vulnus, Ancillas, quæ tibi obsequio sunt, scias esse in insidijs: Quia quantum vilior earum conditio est, tanto facilior ruina est.* Et in lege. Si quis in seruitutem, ad adulterum determinatur a Saluio, *Vt adultero eruatur oculus*, tanquam adulterij fons, & origo.

Quoad tactum, Ait Christ. Matth 5. *Si manus tua scandalizat te, abscinde eam.* Et Climacus gradu 15. *Fit*, inquit, *Nonnunquam vt ex solo tactu corpus inquinetur; Nihil quippè sensu isto grauius, nihil periculosius. Admoneat te, is, qui matris manus pallium circumdedit, ab ijsque, quæ vel naturalia, vel præter naturam sunt a proprio, atque alieno corpore comprime manum.* Et D. Th. 2. 2. q. 154. art. 4. docet, *Quòd tactus est actui venereo coniunctus, & finitimus, & quod modico interuallo separantur ab inuicem.* Et Th. Cantiprat *lib. 2. apum, cap. 30. n. 54. Testor*, ait, *Deum, spem communem, omnium bonorum, quamplures me in confessionibus audiuisse, quæ magis contrectationum occasione contra pudiciam peccauerunt, quàm si decem pueros de proprijs fratribus genuissent.*

Quoad auditum, Hic sensus maximè custodiẽdus est, non solum ab auditione rerum turpium, & obscœnarũ, sed etiam ab earundem lectione; Nam cum hic sensus ianua sit intellectus, vt Tostatus ait *in epist. D. Hieron. ad Paulinum, cap. 2.* Quæ habetur *tom. 1. operum Tostati*, quando res turpes per auditum transeunt, inde ad intellectum transmittuntur, qui species conseruans, & meditans, easque voluntati præsentans, hæc continuo labore lassata, & victa quandoque succidit. Vnde à Kemp. *serm. 5. ad fratres, num. 2.* ait. *Grandis quædam custodia ad conseruationem, perseuerantiamque castitatis est vtique instituenda deuotis, ne videlicet loqui, audire, legere, aut talia intueri velit affectio carnis; Vnde posteà generari queat aliqua occasio tentationis.* Et Paulò infrà. *Foris per sensus hauritur, Vnde mens casta deturpari, & delectationum sordidarum veneno ad mortem nonnunquam solet infici.* Et D. Paulus 1. *Corinth.* 15. ad id adducit versum illum Menandri. *Corrumpunt bonos mores colloquia praua.* Et Tertullianus lib. 2. ad vxorem, cap. 3. *Bonos corrumpunt mores confabulationes pessimæ.* Et Hieronymus ad Eustochium. *Eas autem*, inquit, *virgines, & viduas, quæ otiosæ, & curiosæ domos circumeant matronarum, quæ, rubore frontis abstracto, parasitos vincunt mimorum, quasi quasdam pestes obijce. Corrumpunt enim bonos mores confabulationes pessimæ.* Isidorus relatus à Viualdo de monte regali loco citato remed. 2. *Vanus sermo citò polluit mentem, & facilè agitur, quod libenter auditur.* Vnde de iusto Loth dicitur 2. Petr. 2. *Et iustus Loth oppressum à nefandorum iniuria, ac luxuriosa conuersatione eripuit: aspectu enim, & auditu iustus erat;* Quia nimirum nec audire, nec videre poterat res turpes, & Ecclesi. 28. dicitur, *Sepi aures tuas spinis, linguam nequam noli audire.* Quis autem inter linguas nequam non reponat impudicas? Ab huiusmodi itaque turpibus confabulationibus cohibendus auditus, ne mentem deinde inquietet, & inquinet.

Cohibenda etiam lingua à verbis turpibus, & immundis

dis iuxta eandem Apostoli sententiam, *Corrumpunt bonos mores*, &c. Quæ licèt adducatur ab Apostolo illo loco ad hortandos Corinthios, ne stultorum verbis, & blandiloquentia à recto tramite abduci patiantur; Intelligitur tamen etiam de colloquentibus inter se. Atque ita tangit non solùm audientes turpia, sed etiam loquentes. Et verè inter audire, & loqui quoad culpam nullam facio differentiam. Nam, vt dixi suprà, Malæ aures faciunt malas linguas; Vnde Bern. de ord. vitæ. *Quem delectat audire: alterum loqui prouocat.* In quo decipiuntur multi putantes, cum solùm auditores sint, & non locutores, innocentes se esse. Cohibenda itaque lingua ab impuris, Vnde & ipse Apostol. ad Ephes. 5. *Fornicatio, & omnis immunditia non nominetur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpiloquium.* Et Hugo relatus à Monte regali loc. cit. ait in lib. de anima. *Vanus sermo vanæ conscientiæ est Index, mores hominis lingua pandit; Qualis sermo ostenditur, talis animus approbatur; Quoniam ex abundantia cordis os loquitur*, vt dicitur *Matth.* 12. & D. Hieron. ad filiam Mauritij ait. *Lapis emissus sermo prolatus. Qui a propter diù antequam proferatur, cogitandus est. Cum enim verbum sit nuntius cordis: sicut bonus homo de bono thesauro cordis sui profert ea, quæ bona sunt: Ita malus de malo thesauro cordis profert mala.* Et Aug. serm. 215. de tempore. *Videte fratres si iustum est, vt ex ore Christianorum, vbi corpus Christi ingreditur, luxuriosum canticum, quasi venenum Diaboli proferatur.* Et D. Th. 2. 2. q. 153. *art.* 5. *ad.* 4. ait *Quia ex abundantia cordis os loquitur. Luxuriosi, quorum cor est turpibus concupiscentijs plenum, de facili ad turpia verba prorumpunt. Et quia luxuria inconsiderationem, & præcipitationem causat, consequens est, quod faciat prerumpere in verba leuiter, & inconsideratè dicta, quæ dicuntur scurrilia. Et quia luxuriosus delectationem quærit, verba sua ad delectationem ordinat, & sic prorumpit in verba lubrica. Et quia luxuria cæcitatem mentis causat, ideo luxuriosus prorumpit in stultiloquia, præferendo suis verbis delectationes, quas appetit, quibusque alijs rebus.* Hæc D. Th. & Aristot. 7. *polit. cap. vlt. Omnis*, inquit, *Obscœnitas verborũ exterminanda est de ciuitate, ex turpiter enim loquendi licentia sequitur, & turpiter facere.* Ad quem locũ ait D. Th. *Sæpè enim dicendo aliquid turpe agibile: sæpius meditatur de eodem, & frequenti meditatione de ipso sequitur inclinatio maior ad ipsũ faciendũ.* Et est notũ dictum Solonis. *Qualis oratio, talis vita.*

Custodiendi itaq; sensus. De qua custodia in generali ait Aug. lib 50 homiliarum, hom. 35. *Si virginitatem animæ integram seruare desideras, quantum potes obserua blandimenta draconis, ne forè si incautus fueris, quinque sensus, qui in te sunt, quasi quinque virgines permittas à serpente corrumpi. Quicquid enim pulchrescit visu, quicquid dulcescit gustu, quicquid blanditur auditu, quicquid lenocinatur odoratu, quicquid mollescit attactu,* [illegible] *omnibus si incauti fuerimus, subrepentibus concupiscentijs malis, animæ virginitatem corrumpi permittimus. Et impletur illud, quod per Prophetam dictum est. Ierem. 9. Intrauit mors per fenestras vestras.* Et Ambr. lib. 2. de Abraham, c. 11. *Visus, & auditus, & odoratus, & gustus, & tactus, & vocis ipsius quæritur quædam castimonia: Quia & visus procacior habet crimen, & ideo scriptum est, Noli intendere fallaci mulieri* Prou. 5. *Neque capiaris oculis eius, neque arripiaris palpebris. Et in ipso auditu crimen est: Si seducat meretrix, & multo blandimento sermonis, & laqueis labiorũ suorum te alliget. Et in ipso tactu crimen est, Ideoque tibi dicitur. Ne multus fueris ad alienam, neque continueris amplexibus non tuam. Et in voce culpa est; Laqueus enim fortissimus est homini sua labia, & abducitur a labijs oris sui. Et metipsum noli multum edere, ne vomas. Oportet ergò, vt omnium sensuum aequa sit moderatio, ne aut impetus in vitium trahat, aut nimietas lædat, aut mora offensionis sit.* Hæc Ambr. Et Hieron. lib. 2. contra Iouinian. cap. 7. *Per quinque sensus, quasi per quasdam fenestras vitiorum ad animam introitus est, non potest ante metropolis, & arx mentis capi, nisi per portas eius irruerit hostilis exercitus.* Et Senec. relatus à Th. Cantiprat. lib. 2. apum, cap 30. n. 34. *Si continens es, & animi, & corporis tui per singulos motus obserua, ne indecori sint. Nec ideò contemnas, quia latent, nam nihil differt, si nemo videat, cum illos ipse videas. Si oculus concupiscit, auerte: si aures hæserint, fuge: si arserit lingua, restringe: si tactum manus allexerit, retrahe: si curiosus odor irrepserit, nares contorque.*

Septimum Remedium est fuga. Quamvis omne Peccatum sit fugiendum, iuxta illud Ecclesiast. 10. *Quasi à facie colubri fuge peccatum.* Nihilominus, ait. D. Thom. 2. 2. q. 35. art. 1. *ad quartum.* Quod impugnatio peccati quandoque est vincenda fugiendo, quandoque resistendo. Si enim cogitatio perseuerans tollit incentiuum peccati, tunc debemus vincere peccatum resistendo, sicut accidit in omnibus ferè peccatis præter luxuriam. Si autem continua cogitatio auget incentiuum peccati, tunc debemus illud vincere fugiendo, sicut est de peccato luxuriæ: Et ideo Paulus 1. *ad Corinth.* 6. signanter dicit. *Fugite fornicationem.* Super quem locum ait D. Thom. 1. Corinth. 6. lect. 3. *Notandum, quod cætera vitia vincuntur resistendo; quia quanto magis homo particularia considerat, & tractat, tanto minus in eis inuenit vnde delectetur, sed magis anxiatur, sed vitium fornicationis non vincitur resistendo: quia quando magis ibi homo cogitat particulare, magis incenditur, sed vincitur fugiendo, idest totaliter vitando cogitationes immundas, & quaslibet occasiones.* Et August. lib. de honest. mulier. cap. 2. *Quod libidinem fugiendam esse suggerimus, Apostolus Paulus euidenter ostendit, qui cum omnibus vitijs prædicauerit resistendum, dum contra libidinem loqueretur, non dixit: Resistite, sed fugite fornicationem:* Et paucis interpositis, ait. *Nec tibi verecundum sit fugere, si castitatis palmam desideras obtinere.* Et Ambros. lib. 1. de pœnit. c. 14 *Transeamus*, ait. *Nos ignem libidinis, quem timens Paulus, sed nobis timens, qui castigando corpus suum fecerat, vt iam non timeret sibi, sed dicit nobis. Fugite fornicationem. Fugiamus ergo tanquam sequentem, quæ non post nos, sed in nobis sequitur. Nos metipsos ergo videamus diligenter, ne dum illam fugimus nobiscum eam portemus; volumus enim plerumque fugere, sed si non penitus excutimus animo, tollimus eam magis, quam relinquimus.* Et Chrysost. isto loc. Pauli, *Fugite*, inquit, *Fornicationem, non dixit*, ait Chrysost. *Abstinete à fornicatione, sed fugite, hoc est studium ponite, vt à malo liberemini.* Et Theodor. non dixit Apostol. *Odio habete, & auersamini, sed fugite, sciens, quam sit acre, & vehemens hoc peccatum: ei enim fugiendo repugnandum est.* Et Theophylact. *Fugite fornicationem*, ait, *Haud secus quam insectatricem aliquam, quæ semper nos vrgeat. fugiendam hortatur libidinem, suadétque vt ab ea enixè abstineamus. Nihil enim nos adeò insectatur, quam carnis concupiscentia.* Dionys. Carthus. *Fugite fornicationem, idest omnem illicitum concubitum. Quædam peccata in se quandam pœnam, & amaritudinem habent, vt Ira, Inuidia, & ista melius superantur luctando, & resistendo; Nam quanto diligentius, & particularius considerantur, tantò plus displicent, sicque facilius repelluntur. Alia autem peccata quandam delectationem includunt, vt Gula, Luxuria; quæ melius vincuntur fugiendo, quam colluctando. Quò enim particularius, diligentiusque pensantur, & reuoluuntur, eò appetitus magis prouocatur. Vitanda ergo sunt fomenta, occasiones, & causæ luxuriæ.* Cajet. *Significanter*, ait, *dixit Fugite fornicationem, tanquam insequentem, & serpentem, in non fugientes. Cum reliquis enim vitiis congressus haberi potest rationibus pugnando, cum vitiis autem carnalibus non est pugnandum, quoniam serpunt in cogitantes etiam contra illa, sed victoria per fugam habetur: fugiendo scilicet etiam cogitationes omnes talis generis.* Thom. à Kempis ser. 5. ad fratres n. 6. *Vt certior sit* inquit, *Hæc victoria, fuga est assumenda.* Fugiendo ita-

qne vincitur libidinis tentatio, fugiendo scilicet fœminas, obiecta, occasiones libidinis, otia, crapulas, diuertendo oculos,& mentem, vt alia videat, & cogitet.

Octauum Remedium est fuga conuersationis mulierum. Quid sit mulier egregie S.Ephrem, vt refert Alu. tem 2.*de vit.spirit.lib.3.part.2.c.14.n.6. Quid*,inquit, *Est mulier? Laqueus comptus, & homines in voluptates illiciens,quæ splendida quidem facie,& excelso collo,oculis annuit,& genis arrides: Lingua vero dulciter canens,voce alios decipit, & sermone pellicit,vellet trahens, & pedibus ludens, forma placens, & corpore fornicationem exercens factisque occidens. Multos enim vulneratos*, ait Præmiastes, *deiecit, & innumerabilet occidit. Quo circa, & propter speciem*, inquit, *mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiscentia, quasi ignis exardescit. Quid est mulier? Naufragium super terram, fons nequitiæ, thesaurus immunditiæ, & malitiæ, mortifera conuersatio, atque confabulatio, oculorum pernicies, animarum exitium, cordis spiculum, iuuenum perditio, sceptrum inferni, concupiscentia praceps. Quid est mulier? Causa Diaboli, requies serpentis, Diaboli consolatio, dolor inconsolabilis, caminus succensus, eorum, qui saluantur offensio, malitia incurabilis, diurna confabulatio, hospitium lasciuorum, & officina Dæmonum. Quid est mulier? Amor flagitiosus, bestia impudens, incontinentissimus impetus, effrænatum os rerum arcanarum, triumphus tenebrarum, Dux delictorũ, oblectamentorũ magistra, insatiabilis concupiscẽtia nequitia, & æterni supplicij cõciliatrix. Quid est mulier? Prudẽtia terrena, viri secordia, concubans incontinẽtia, excitata cura, vipera vestita, pugna voluntaria, quotidiana calamitas, procella domus, viri naufragium, immanis bellua adulterorum diuersorum, arma diaboli, expetita rabies, exornata mors, vt non immeritò dictum sit à sapiente, Breuis omnis malitia super malitiam mulieris; Quod si tu ab huiusmodi cupis affectione, belluaque refugere, audi quid Præmiastes dicat. Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedant gressus tuos, & non concupiscas pulchritudinem mulieris cor tuum, ne capiaris nutibus illius: mulier enim viri pretiosam animam capit*: Hæc Sanctus Ephrem. Paulo aliter depingit mulieris propria S. Anastasius Nicenus, vt refert Cornel. à Lapide *in epist. 1. ad Timoth. cap. 3. num.* 112.

D. Hieron. *in epist. ad Oceanum de vita cleric.* vt refert Viualdus à monte regali *loc. cit. remed. 7. Mulier*, ait. *Ianua Diaboli, via iniquitatis, scorpionis percussio, nociuumque genus est fœmina. Cum proximat stipula, incendit ignem. flammigero igne percutit conscientiam fœmina pariter habitans, exuritque fundamenta montium. Ego id dico, si cum viris fœmina habitent, viscata non deerunt Diabolo, ex eis aucupatum est ab initio peccatum. Ferreas mentes libido domat, si alligauerit quis ignem in sinu suo, nonnè vestimenta eius comburentur? Aut si quis ambulauerit super carbones ignis, nonnè comburet pedes suos? Mihi crede non potest toto corde cum Domino habitare, qui fœminarum accessibus copulatur.*

D. Antoninus 3. *part. tit. 1. cap. 25.* Per integrum alphabetum fœminarum vitia describit, & declarat, alphabetum est huiusmodi. *Est mulier auidum animal. Bestiale barathrum. Concupiscentia carnis. Damnosum duellum. Æstuans æstus. Falsa fides. Garrulum guttur. Erynnis armata. Inuidiosus ignis. Calumniarum chaos. Lepida lues. Monstruosum mendaciũ. Naufragij nutrix. Opifex odij. Prima peccatrix. Quietis quassatio. Ruina Regnorum. Sylua Superbiæ. Truculenta Tyrannis. Vanitas vanitatum. Xantia Xerxis. Imago idolorum. Zelus zelotipus.* Declarationem Vide apud ipsum.

Petr. Chrysol. *serm. 47. de resurrect.* postquam multa dixerit de Mulieribus, ait, *Quod mulier est origo lamenti.* Et Nazianz *orat. in vita Athanasij. Mulier est*, inquit, *Calamitatis enmulus.* Et Prouerb. 5. Introducitur Iuuenis mulieribus deditus, qui calamitates suas deplorans ait, *Penè fui in omni malo.* Vnde rectè Menander, *Vbi est mulier, ibi necessariò sunt omnia mala.* In prato spirituali, cap. 217. dixit quidam senior. *Filioli sal ex aqua est, & si appropinquauerit aqua, continuo soluitur, & deficit. Et Monachus similiter ex muliere est. Itaque si appropinquas mulieri, soluitur & ipse, atque in id desinit, vt iam Monachus non sit.* Et in vitis patrum legitur de Abbate Arsenio; quòd rogatus à quadam muliere, vt eius memoriã faceret in suis orationibus: Respondit ei. *Quinimò Deum rogo, vt tui memoriam auferat à corde meo.*

Cyprian. in lib. de singularitate, siue de solitaria, & à fœminis semota vita. *Lubrica*, inquit, *Spes est, qua inter fomenta peccati saluari se sperat: Incerta victoria est, inter hostilia arma pugnare: Impossibilis liberatio est, flammis circumdari, nec ardere.* Et infra. *Ipsi nos fallimus, quoties credimus, inter masculos, & fœminas castitatem immobilem custodiri. Difficilè quis venenum bibet, & viuat: verendum est dormienti in ripa, ne cadat, cum dicat Apostolus 1. Corinth. 10. Qui se putat stare, videat ne cadat.* Et infra. *De carbonibus scintillæ dissiliunt, de ferro rubigo nutritur, morbos aspides sibilant, & mulier fundit concupiscentiæ pestilentiam. Quam Salomon sic comparat dicens. De vestimentis procedit tinea, & à muliere iniquitas viri.*

August. *in libello de honestate mulierum*, ait. *Sine vlla dubitatione qui familiaritatem mulierum non vult fugere citò labitur in ruinam.* Et iterum in eodem libello. *Qui cum mulieribus habitantes putant se castitatis obtinere triumphum, ignorant se apud Deum dupliciter reos existere: Dum seipsos in periculum mittunt, & alijs exemplum peruersæ familiaritatis ostendunt.* Cuius dicti fuit tam executor eximius teste Possidonio *in eius vita*, c. 26 vt fœminarum nullam domum suam ingredi passus sit, ne germanam quidem sororem, nec patrui, aut fratris filiam. Quia dicebat, Licet de sorore, & neptibus secum commorantibus nulla posset nasci mala suspicio, tamen quoniam illæ personæ sine aliis necessariis, secumque manentibus fœminis esse non possent, & quod ad eas etiam aliæ à foris intrarent, de iis posse offendiculum, aut scandalum infirmioribus nasci. *Ob hoc ergo dicebat*, ait Possidonius, *Nunquam debere fœminas cum seruis Dei etiam castissimis in vna manere domo*: Et si fortè ab aliquibus fœminis vt videretur, & salutaretur, rogabatur nunquam sine clericis testibus ad eas intrabat, vel solus cum solis vnquam est locutus, nisi secretorum aliquid interesset. Et de S. Patre nostro Francisco de Paula dicitur in eius vita, quod si quando colloquendum ei esset cum aliqua muliere, nunquam oculos è terra eleuabat, vt illam aspiceret.

Ex his puto satis patere, quam periculosum sit castitatis amatori mulierum colloquia, & consortia sectari, quantumuis sanctæ mulieres sint, quantumuis deuotæ, quant[illegible]is virginitatis amatrices. Vnde D. Bonauent. *de inte[illegible]ri homine, part. 1. cap. 39. Si meum*, inquit, *Consilium non spernis, consulo, quod nunquam cum aliqua muliere contrahas singularem familiaritatem, etiamsi Religiosa sit, & sancta, Quia, excepto periculo carnalis tentationis, quæ ex tali familiaritate semper incurritur, dum non timetur malum, quod sub specie boni latet: excepta etiam macula infamiæ, & suspicionis, quam alij ob hoc sæpè concipiunt, magnam generat inquietem cordis talis priuata affectio, dum semper illi cupis ostendere dilectionem, quam habes ad eam, & hoc sibi notum fieri desideras, & cum aliquando non fit dolus, & times quod indignetur illa, & quod affectus eius tepescat, & quod minus oret pro te.* Imò addo quòd quo magis mulieres continentes, & deuotæ sunt, eo magis est vitanda earum conuersatio: Quia cum acrius tententur à Dæmone, faciliùs consentiunt obiecto præsenti. At quandoque inquis non possumus colloquia mulierum vitare, vel consolationis gratia, vel deuotionis, &c. Sed tunc remedium dedit Augustinus. Id ne facias sine testibus, sine arbitris videntibus saltem, si non audientibus. Quod

rostet

noster Sanctus Pater expressè iussit *in Correctoria*, n.8. Tandem pro hoc remedio videtur Carthagena *lib.* 15. *homil.* 3. *tom.* 4. vbi per 23. patagraphos explicat luculenter malam fœminarum naturam: Et quam sit periculosa, & nociua earum conuersatio, §.22.

Nonum Remedium est fuga otij. Otium enim, desidia, torpor, & quies nimia occasiones sunt malarum cogitationum, tentationum, ac omnium peccatorum. Vnde Hieronymus ad Eustochium ait. *Omnium vitiorum mater est otiositas.* Et Ecclesiastici 33.dicitur. *Otiositas multam docuit malitiam.* Quare Christus sedere (quod ociositatem dicit) cupientes Apostolos Iacobum, & Ioannem,illis verbis *Matth.*20. grauiter reprehendit, *Nescitis quid petatis.* Et Matth.23. *Qui talentum receptum ad negatiandum foderat in terra, seruus malus, & piger vocatus est.* Sanctus Benedictus *in sua regula,cap.* 48. *Otiositatem*, ait, *Esse animæ inimicam.* Quod caput explicans Turrecremata, decem mala numerat, quæ nascuntur ex otio. Apud Rabissum legitur epist. *verbo Otium.* Solitos Athenienses otiosos absque alia informatione morte mulctare. Cum rogaretur Cleomenes apud Plutarchum, cur Lacedemonij cum Argiuos sæpè vincerent, eos non delerent? Respondit. *Nolumus, vt habeamus, qui iuuenes nostros exerceant, sunt enim ipsi eorum cos, quæ ipsorum virtutem acuant, ne otio euernentur, & in vitia, ac mollitiem diffluant.*

Quo circa Ezechiel 16 exponens causas peccati Sodomorum ait. *Hac fuit iniquitas Sodoma sororis tuæ superbia,saturitas panis,& abundantia,& otium ipsius.* Et Prouerb.1.dicitur, *Prosperitas imptorum perdet eos,* Vbi alij vertunt, *Pax,siue quies insanorum perdet eos.*

Et Ouidius.

Otia si tollas, periere Cupidinis arcus.
Contemptaque iacent, & sine luce faces.

Et Rursum.

Quæritur, Aegysius quare sit factus adulter.
In promptu causa est, desidiosus erat.

Et Sanctus Gregori s lib 6.in primum Reg.c.1. *Inter opera, & labores spirituales contra stimulus carnis fortes sumus: sed si quasi fessi à solita conuersationis vigore torpescimus, vel remittimus, dum paulatim negligimus,aculei carnis insurgunt, qui quasi depositu Moysi manibus, Israëlem vincunt.* Augustin.lib.22. de Ciuit. Dei, c.36. *Per desidiam*, inquit, *Accendimur frequenter ad luxuriam, per hanc animamur ad superbiam, per hanc ducimur ad mundi gloriam, per hanc tentamur delicate pasci, per hanc suffocamur pretiosè vestiri, per hanc ad superfluam dormitionem trahimur, per hanc ad verba sæcularia ducimur. Nunquam quis Ciuis Cælorum erit, si otiositatem amauerit.* Et Cassian.lib.10. inst. c.23. *Hac,inquit, Apud Aegyptum ab antiquis patribus sancita est sententia, operantem Monachum dæmone vno pulsari: otiosum vero innumeris spiritibus deuastari.* Et Bernard. lib.2.de consid. ad Eogenium fine. *Si rectè sapiens hortatur, sapientiam scribi in otio, cauendum & in otio otium est; Fugienda proinde otiositas mater nugarum, nouerca virtutum. Inter sæculares nugæ,nugæ sunt: in ore Sacerdotis blasphemia; Inter dum tamen si incidant, ferenda fortassis, referenda nunquam.*

Tandem de claustralium otio quamplura Cassianus *loco cit.cap.*2. Inter quæ hæc ait. *Cum otium miserabilem obsederit claustralium mentem, horrorem loci, fastidium cella, fratrum quoque, qui cum eo,vel eminus commorantur, tanquam negligentium, ac minus spiritualium aspernationem gignit, atque contemptum. Ad omne quoque opus, quod intra septa sui cubilis est, facit desidem, & inertem. Non eum in cella residere, nec operam suis impendere lectioni, nihilque se proficere, tanto tempore in eadem commorante crebrius ingemiscit.* Et Iustinianus de discipl. Monasticæ conuers.c.14. *O ingrate piger, ait, An ignoras, quod agrorum cultores, artifices, mechanici terra negotiatores populorum Iudices, Prouinciarum duces, gentium reges, omneque genus humanum vtriusque sexus, & cuiuscumque conditionis,si prudenter attendit, ad tuum sunt quoquamodo deputati obsequium,quare hac considerare negligis? Cur illis laborantibus, & tibi ministrantibus, tu dies tuos inutiliter transfis? vt quid manum sub axilla teneus, maximam tua vita partem otiose consumis. Proh pudor quotidie sedes per monasterij claustra, per angulos domus vaniloquia tractando, scurrilia sectando, & inutilia,atque perniciosa cogitando. Discurris huc illuc nunc clamitando, nunc ridendo, nunc curiosa, nunc otiosa peragendo: Non aduertis ô miser, quod inertia tua, & infructuosa conuersatio, scandalum generat fratribus tuis prætè laborantibus, &c.* Quæ ibi habet Iustinianus. Et de B.P.Nostro Francisco canit Ecclesia. *Nunquam à laboribus cessabat, nisi cum orationi, diuinisque rebus intendebat.*

Decimum Remedium est custodia cellæ, non ad quietem, sed ad laborem, non ad otium, sed ad occupationem, non ad somnum, sed ad vigilias, ad legendum, scribendum, iam scripta corrigendum, orandum, psallendum, meditandum cœlestia contemplandum, peccata propria, & populi plangendum. O quam benè fugit occasiones libidinis, qui moratur in cella, quàm est securus à Diabolis astibus, qui in cella semper aliquid operatur, quam bene custodit sensus cunctos cellæ custos. Vnde Bernardus,in epist. ad frartes de monte Dei. *Monachus moriens, aut vix, aut nunquam à cella in Infernum descendit, quia vix vnquam aliquis, nisi cœlo prædestinatus, in ea vsque ad mortem perstitit.* Et serm. 40.in Cantic. *Sede solitarius vt turtur, nihil tibi,& turbis,nihil cum multitudine cæterorum,etiam ipsum obliuiscere populum, & domum patris tui & concupiscet rex decorem tuum.*

Mira de cella Basilius de laudibus eremi. *O cella spirituale prorsus habitaculum. Namque de superbis facis humiles, de gulosis sobrios, de crudelibus pias, de iracundis mites, de odiosis reddis in diuina Charitate ferventes: Tu odiosæ lingua frænum, tu luxuriosis renibus castitatis adhibes cingulum: Tu facis vt leues quique ad grauitatem redeant, vt iocosi scurrilitatibus taceant, vt vaniloqui, & procaces se sub districta silentij censura castigent. Tu ieiuniorum,ac vigiliarum nutrix: Tu patientia, & pacis perfectissima custos: Tu purissima simplicitatis magistra, ac omninò fraudulenta duplicitatis ignara. Tu facis vt vagos quosque Christi catena coërceat, vt indisciplinatis moribus à sua se prauitate compescant. Tu nostri homines ad perfectionis culmen euehere, atque ad consummata sanctitatis fastigium sublimare: Tu facis vt homo sit integer, atque rotundus,ac nulla à semetipso morum inaqualitate diuersus. Tu etiam facis lapidem quadrum, construenda videlicet cœlestis Hierusalem mœnibus aptum, qui nimirum,nunc ex morum leuitate se versatilem prabeat, sed fixus semper in sancta Religionis grauitate consistat. Tu homines à semetipsis extraneos reddis, & prius vasa vitiorum restorere virtutibus facis. Tu nigra sed formosa sicut tabernaculum Cedar,sicut pelles Salomonis. Tu lauacrum tonsura. Tu Piscina in Hesebon. Oculi tui sicut columba super riuos aquarum, qua lacte sunt lota, & resident iuxta fluenta plenissima. Tu namque es speculum animarum, cuius contemplatione se mens humana perspicaciter intuens,quod minus est, impleat:quod superfluum, reprimat,quod obliquum est,dirigat,quod deforme,componat. Tu nuptialis es thalamus, in quo Sancti Spiritus annulus tribuitur, & cœlesti sponsa felix anima fœderatur. Recti diligunt te: Et qui fugiunt te,ve in tis luce priuati, quo gressus ponere debeant, non agnoscunt.* Hucusque Basilius. Thomas Kempis opusc.10 exercit.spirit.cap 4. *Custodi diligenter cellam tuam,& custodiet te. Tutior locus non est seruo Dei in hoc Mundo quam latere in secreto,vbi patrem oret libera mente,ostia cubiculi clausa Periculosus semper exitus cella, mansio eius quies, dulcissima vita. Qui assuescit cellam suam incolere,ibi pacem cordis hauriet,*

hauriet,& tutabitur à periculis maximis,& multis. Solitudo deuotionis est mater,turba verò conturbat. Et Paulò infra. *Ad cauendum ergò laqueos apertos,vel occultos,libentius sis intus,quàm foris. Rediens atque ad cellam,velut ad tranquillitatis portum,fige in ea stabilitatis anchoram,per orationem feruentem,& lectionem deuotam.Non patitur cella,tepidum,& otiosum in se diù morari. Flecte statim genua,vel caput inclina antè crucifixum, & saluta præcipuè IESV Matrem MARIAM Dominam nostrã. Dicito,attentè,& replica sæpè hunc versum: Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam. Domine bonum est nos hic esse, super omnia desiderabilia terræ, locus enim iste Sanctus est. Quandiù ergo spiritus tuos rexerit artus,sit cella requietionis tuæ domus,ac tumulus,donec tibi aperiatur Paradisus cœlestis. Est enim via breuis de cella ad cœlum, si in ea cælicam duxeris vitam.*

Beatus Laurentius Iustinianus de vita solit. cap.12.tit. Quid sit spiritualis solitudo. *Nemo*, ait,*ad plenum narrare sufficit cellæ præconia, quanta veniant bona, quantaque per illam amoueantur incommoda. Est namque cella sponsi reclinatorium, virtutum custos, tranquillitatis portus, additamentum pacis, medela vitiorum,contemplationis locus,tabernaculum fœderis,nuptialis thalamus,portus irriguus,Paradisus deliciarum,cœli ianua,schola scientiæ, conscientiæ cathedra,magistra silentij,spiritualis scala vsque ad polorum alta pertingens. In ea si quis absque corpore persistit,fugit lites,nescit odia,detractioni non vacat, temeraria iudicia minimè facit, abhorret otium,nec veretur mortem.*

Eia,nunc sequitur Iustinianus,*Christi milites,qui vosmet Deo vouistis,& pro amore cœlestium eremi vastam solitudinem,atque deserti antra*(vel certè secreta cœnobiorum,aut domorum Religiosarum) *incolitis, vt solitaria vita perfectionem apprehendere valeatis. Cellulæ habitationem diligite;illam tenete,illam amplectimini, de ea,nisi vrgente necessitate rationabili,seù corporis impellente infirmitate,vel fraterna suadente charitate, exire nolite. In ea fiat vestra spirituales deliciæ,atque interna solatia. Ad ipsam,si contingat vos egredi,reuertimini quam citius,ne detrimentum aliquod patiamini,moram protelando ad publicum* Hæc,& alia multa B.Laurentius in laudem cellæ.

Sanctus Dorotheus *serm.*16. ad quosdam Monachos celliotas, seu cellam frequentantes, in quo docet, quid facere debeat Monachus in cella, & ad quid debeat illa egredi. Inter alia habet. *Cella attollit, ac sursum eleuat.* Quod autem detrimentum incurrat discedens ex cella, docet Cassianus collat.6.cap.15.*perdit scilicèt omnia bona, quæ acquirit in cella morando.*

Et Seneca hanc recollectionem à sæcularium negotiorum strepitu multum etiam commendat *Bonam spem de te concipio, quòd non discurras.* Epist. 2. *Vt animum possis continere, corporis tibi fugam siste.* Epist.71. *Nihil æque prodest, quàm quiescere, & minimè cum alijs loqui, secum plurimum,* Epist.107. Tandem deuotus cellæ cultor hos versiculos in cella sua reponat, assiduéque contempletur, & impleat.

Cella tibi quasi cœlum sit, qua cœlica cernas.
Hic legas, hic oras,meditoris, crimina plangis.
Pax est in cella, foris autem plurima bella.

XI. Remedium.Si aditum fortè turpibus cogitationibus incuria dederis, & periculum sit consensus, clama magno affectu ad Dominum: more eorum,qui orta tempestate,in discrimine sunt naufragij, ac breuia,efficaciaque sacræ scripturæ eloquia vsurpa.*Vt : Deus in adiutorium meum intende : Domine ad adiuuandum me festina: IESV Fili Dauid miserere mei. Per signum crucis de inimicis nostris libera nos Deus noster. Eripe me Domine à spiritu malo : à stimulo iniquo eripe me. Domine saluum fac seruum tuum : Deus meus sperantem in te. Sanctus Deus,Sanctus fortis. Sanctus & immortalis miserere mei : Domine salua me:quia perire periclitor. Fiat Domine cor meum,& corpus meum immaculatum coram te.* Quo remedio vsus est D.Hieron.ad Eustochium. *Non soluatur,* inquiens,*fascia pectoralis, sed statim vt libido titillauerit sensum:aut blandum voluptatis incendium dulci nos calore perfuderit, erumpamus in vocem. Dominus auxiliator meus:non timebo quid faciat mihi caro.Cum paulatĩ interior homo inter vitia,atque virtutes cœperit fluctuare,dicito. Quare tristis es anima mea,quare conturbas me? Spera in Domino,quia confitebor illi,salutare vultus mei,& Deus meus.* Sic clamabat August.10. confess. cap.2. *O amor, qui semper ardes, & nunquam extingueris, charitas Deus meus accende me; Continentiam iubes, da quod iubes,& iube quod vis.*

XII. Remedium. Tandem recurre ad passionem Domini Nostri IESV CHRISTI. Ingredere in foramina illa Petræ in cauernam maceriæ, in illam apertuam lateris. Strictè amplectere Christum tuum,& dicito ei. Tenebo, tenebo te Domine, nec dimittam, nisi benedixeris mihi,& fornicationis spiritum à me repuleris. Et securus sine dubio eris ab omnibus carnis tentationibus. Quo remedio vtebatur August. in Manuali, cap.22. *Cum me,* ait,*pulsat aliqua turpis cogitatio,recurro ad vulnera Christi. Cum me premit caro mea,recordatione vulnerum Domini mei resurgo.Cũ Diabolus mihi parat insidias,fugio ad viscera misericordiæ Domini mei,& recedit à me.Si ardor libidinis moueat membra mea,recordatione vulnerum Domini nostri Filij Dei extinguitur. In omnibus aduersitatibus non inueni tàm efficax remedium,quàm vulnera Christi,in illis dormio securus,& requiesco intrepidus.* Et Origenes,vt refertur,in Epist.ad Rom. *Certum,& exploratum est*,ait, *Quòd cum anima continuò Passionem Christi meditatur,in ea peccatum conregnare. Non potest,est enim tanta vis crucis,& Passionis Christi,vt si ante oculos ponatur,& in mente fideliter retineatur: Ità vt in ipsam mortem Christi intentis oculis mentis respiciatur,nulla concupiscẽtia,nulla libido,nullus furor,nulla superare nos possit inuidia,sed cõtinuo ad eius præsentiã totus ille,quẽ supra enumerauimus,peccati,& carnis fugatur exercitus.* Et Bern.in formula honest.vit. *Deus meus*,inquit,*Pendes in patibulo: Et ego voluptati operam dabo?* Imò hoc remedium nobis relinquit Petrus in sua 1.Epist.cap.4. dicens. *Christo igitur in carne passo, vos eadem cogitatione armamini.*

Maximo etiam nobis erit adiutorio recurrere ad B. Virginem in istis necessitatibus, & dicere. *Post partum virgo inuiolata permansisti, Dei genitrix intercede pro nobis. Virgo singularis,inter omnes mitis, nos culpis solutos, mites fac,& castos.* Et ad Sanctos, quos particulari deuotione ueneramur. Nos Minimi ad Sanctum Patrem nostrum Franciscum de Paula illis verbis. *O bone Pastor Francisce,Virginitatis alumne. Tu puritatis amator,castitatis es prædicator. Tu consolamen es miserorum,recordare pupillorum, nec oblitus sis tuorum salatis deuotorum.*

§. III.

Quàm decet Religiosum esse Castitatis amatorem.

Hic tria tantum videbimus. Motiua,seù incitamenta ad castitatem,effectus, & signa. Et breuiter. Qui plura desiderabit, poterit adire D. Prosperum *lib.*1.*c* 9. *de vocat.gent.* Ambros.*lib.* 2.*de virginit.* Cassianum *lib.* 6.*inst. & coll* 12. Cyprianum *de bono pudic.* Tertull.*lib. de pudic.* Sanctum Ephrem *serm.de cast.* Nazianzenum *de pauperum amore.* Lactantium Firmianum *lib.*6. *c.*23. *de vero cultu*, Agentẽ *de castitate virginali.* Bernardum *epist.*42. Chrysostomum *de virginit cap.* 79. Basilium *in lib de virginit.* Gregorium, *lib* 6. *in* 1. *Regum,cap.*1. Kempis *serm* 4.*ad fratres.* Climacum *gradu* 15. Pratum *de bono status Religiosi, lib.*1. *cap.*4. Busæum *in viridario, verbo Castitas*, Rossignolium *de discipl. Christiana perfect.lib.*2.*c.*14.15.*& lib.*4.*c.*& 35.B.Laurentium Iustinianum *in ligno vita, tract. de virt. continent* Bonauenturam *tom.*2.*opusc. in dietis salutis tit.*4. *dieta* 4 *c.*4.

Aluarez

Aluarez *de vit. spirit. tom. 2. lib. 5. part. 2. per totam.* Labatam *in appar. concion. tom. 1. & 2. & in locis communibus, semper verbo Castitas, & verbo Virginitas;* Alphonsum Rodriguez *part. 3. tract. 4.* Peraldom *in sum. virt. & vit. tom. 1. tract. de temperantia, præsertim. cap. 15.* Antonium de Gueuara *in orat. ia rel c. 50 & 51.* Cantipratanum *lib. 2. apum, cap. 30.* Blosium *in Canone vitæ spirit. cap. 30.* Carthagenam, *lib 15. homil. 2. §. 7. tom. 4.* Librum *5. de vitis patrum, libello de fornicatione.* Laurentium de Portel *exhortat. 8.*

Incitamenta. Ecclesiastici 26. *Omnis ponderatio non est digna continentis animæ.* Sapientiæ 4. *O quam pulchra est casta generatio cum claritate, immortalis est enim gloria illius.* Et de casta Iudith dicitur suo lib. cap. 15. *Quia fecisti viriliter, & confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaueris, & post virum tuum alterum nescieris, ideò manus Domini confortauit te, & ideo eris benedicta in æternum.* Et 1. Petri 1. *Succincti lumbos mentis vestræ, sobrij, & perfectè sperate in eam, quæ vobis offertur gratiam in reuelatione IESV CHRISTI.* Ambros. lib 2. de virginit. *Quis,* inquit, *Humano eam posset ingenio comprehendere, quam nec natura suis inclusit legibus? Aut quis naturali voce complecti, quod supra vsum naturæ sit? è Cœlo accersiuit, quod imitaretur in terris, nec immeritò viuendi sibi vsum quæsiuit è Cœlo, quæ sponsum sibi inuenit in Cœlo: Hæc nubes, aerea, Angelos, syderaque transgrediens, verbum Dei in ipso sinu patris inuenit, & toto hausit pectore.*

Cyprianus de hab. vit. *Virgines alloquens,* ait. *Quod futuri sumus; vos iam esse cœpistis, vos resurrectionis gloriam in hoc seculo iam tenetis, per sæculum sine sæculi contagione transitis: cum castè perseueratis, ac virgines Angelis Dei estis æquales:* Et de bono pudic. *Pudicitia,* ait, *Est honor corporum, ornamentum morum, sanctitas sexuum, vinculum pudoris, fons Castitatis; pax domus, concordiæ caput. Pudicitia sollicita non est, cui placeat, nisi sibi. Pudicitia semper verecunda, dum innocentiæ mater est. Pudicitia semper ornatur solo pudore, bene sibi tunc conscia de pulchritudine, si improbis displicet. Pudicitia nihil ornamentorum quærit, decus suum ipsa est. Hæc nos commendat Domino, connectit Christo, beata ipsa, & beatos efficiens, apud quoscumque habitare dignatur.*

Nazianzenus de amore pauperum. *Præclara est castimonia, & virginitas, fidem arroga Paulo de his leges instituenti* (1. Corint 7.) *Ac de matrimonij, & virginitatis causa iustè, incorrupteque disceptanti. Ipsique etiam IESV ex virgine nascenti, vt & procreationem honore afficias, & virginitatem honori præferas.*

Basilius de Virginit. inquit, *Hi profectò, qui continentiam seruant. Angeli sunt, qui viuentes in carne corruptibili, mortalium vitam illustrando tuentur.* Et ibi, *Magnum,* ait, *Quiddam re vera, ac præclarum est virginitas, quæ vt omnia vno verbo complectar, hominem incorruptibili Deo simillimum facit.*

Lactantius Firmianus *lib. 6. c. 23. de vero cultu,* agens de castitate virginali, ait *Quod continentia genus, quasi fastigium est, omniumque consummatio virtutum.*

Augustinus lib. 2. de Ciuit. Dei c. 26. *Tanta vis est probitatis, & castitatis, vt omnis, vel penè omnis eius laude moueatur humana natura.*

Bernardus epist. 42. *Quid Castitate decorius, quæ mundum de immundo conceptum semine: de hoste domesticum, Angelum denique de homine facit. Differunt quidem inter se homo pudicus, & Angelus, sed felicitate, non virtute; sed etsi illius castitas felicior, huius tamen fortior esse cognoscitur. Sola est Castitas, quæ in hoc mortalitatis, & loco, & tempore, statum quendam immortalis gloriæ repræsentat.*

Cassian. lib. 6. inst. c. 6. *Quodammodo exire de carne est, in corpore commorantem, & vltra naturam est, fragili carne circumdatum, carnis aculeos non sentire; & ideo impossibile est, hominem suis (vt ita dixerim) pennis ad tam præcelsum, cœlesteque præmium subuolare, nisi cum gratia Domini, de terra cœno munera castitatis eduxerit: nulla etenim virtute tã propriè carnales homines spiritualibus Angelis imitatione & conuersatione æquantur, quã merito, & gratia Castitatis, per quam adhuc in terra degentes, habent secundum Apostolum* (ad Philip. 2.) *Municipatum in Cœlis: quod deposita corruptela carnali habituros promittitur in futurum* (Matth. 22.) *Hic iam in carne fragili possidentes.*

Climacus *gradu 15. Castitas hominem Deo maximè familiarem, & quantum possibile est homini similem facit. Mater quidem dulcedinis terra perfusa rore, castitatis autem mater est quies obedientiæ coniuncta.*

B. Laurentius Iustinianus in ligno vitæ, tract. de continentia, c. 2. fine. *Continentia est ornamentum nobilium, exaltatio humilium, nobilitas ignobilium, pulchritudo vilium, solamen mærentium, augmentum omnis pulchritudinis, decus omnis religionis, Minoratio criminũ, multiplicatio meritorum. Creatoris omnium Dei amica. Soror Angelorum victoria libidinum, schola virtutum, & possessio omnium bonorum, quam qui possidebit, habebit pacem in conscientia, lumen in mente, hilaritatem in facie, gaudium in anima, securitatem in morte, & pacem in æternitate.*

Kempis serm. 4. ad fratres. *Quam splendida & speciosa facta es ô beata Castitas, vt digna videaris ad agni introitum nuptias; Hæc est formosa columba, ac singularis amica Creatoris omnium, quæ contemnit consortia mortalium, detestatur omnem carnis saniem, & ad cœlestem properat amatorem.* Et paucis interpositis. *Nihil sic homines super propriam fragilitatem eleuat, sicut virtus Castitatis, quæ Cœlis etiam vim infert. Dum enim quis seruat per gratiam in terris, quòd per naturam Angelici spiritus in Cœlis, non ne vim infert Cœlestibus?*

Effectus Castitatis. Primo reddit hominem similem Angelis, vt diximus, & docuit Christus *Matth. 22.* cum dixit. *In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei,* Innuens, quod qui castè viuunt, Angelis assimilantur.

Secundo, Homini suum honorem custodit; Honor enim hominis est libertas voluntatis, quæ libertas non reperitur in brutis, neque in ijs, qui secundum desideria carnis viuunt. Vnde Dauid Psal. 48. *Homo cum in honore esset,* Idest quando in sua erat potestate, & sui iuris, vt suis dominaretur passionibus, *Non intellexit.* Idest nesciuit se in eo statu conseruare, sed factus est præda passionibus, & ab ijs in seruitutem redactus, per quod factus est similis alijs irrationabilibus brutis, libertate carentibus. Vnde meritò, qui hac pollet castitatis virtute, ingenitum dicitur sibi conseruare honorem.

Tertiò reddit hominem Deo familiarem, Continens enim, & castus nihil præter Deum amat, nec cor suum diuidit sicut impurus, & incontinens, Neque enim possibile est seruire Deo, & Mammonæ. Et cor in duas partes diuisum, nullum respicit perfectè; *Coangustatum enim est stratum, & pallium breue vtramque operire non potest.* Esaiæ 28. Verè enim ait Augustinus, *Minùs te amat, qui tecum aliquid amat, quòd non propter te amat.*

Quartò, ad contemplationem Dei præparat; Carnalis namque homo, quæ carnis sunt semper considerat; A carne autem abstractus, quæ Dei sunt contemplatur, ijs carnalibus reiectis, quæ incontinentiæ, & impuritatis sunt maximum fomentum.

Quintò, à deceptione hostis familiaris custodit, scilicet carnis nostræ de peccato natæ, in peccato nutritæ, nimis ipsa origine corruptæ, sed ampliùs ipsa consuetudine vitiatæ, de qua tunc triumphamus, cùm per continentiam eam sub abstinentiæ disciplina coarctamus. Hæc ferè ex B. Laurentio Iust. *in ligno vitæ, tract. de continentia, cap. 2.*

Iodicia castitatis sunt. Primum, Cum homo gratia Dei, & abnegationis virtute eò peruenit, vt si experitur carnis stimulos, eos sine sua culpa patiatur.

Secundum est præuentio prauæ cogitationis, aut subita, & facilis eiusdem victoria, cum se ingerit in animo.

Tertium, diminutio concupiscentiæ. Quamuis enim hæc non omninò tollatur, virtute tamen, & frequenti abnegationis vsu frangitur. Plura videri possunt circà indicia apud Cassianum *coll. 12. cap. 7. & lib. 6. instit. c. 10. 20. 21. 22.* Cautè tamen legendus. Nam videtur docere, concupiscentiam posse omnino consumi, & motus carnis omninò tolli, contrà Doctrinam Sanctorum Patrum, Gregorij *lib. 5. in 1. Regum, cap. 11.* vbi ait. *Non quidem potest tolli carni, quòd lex carnis membra non moueat; sed tamen potest tolli carni violentia motionis, vt relinquatur ei motus; sed eidem motui omnis delectationis obscœnitas auferatur, & simplex ille motus sit, in quo aliqua libidinis turpitudo non sit.* August. lib. contra Iulian. cap 5. & 8. lib. 2. circa fin. *Concupiscentiam*, ait, *Quis ambigat posse minui, non posse consumi!* Ad quòd facit etiam quod ait Apostolus ad Rom. 6. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis*: Captiuantem me, non voluntatis consensione, vt aliqui volunt, sed commotione, vt Augustinus 8. *confess. cap. 11.* idest vt captiuus reddar, & subjciar legi peccati, idest concupiscentiæ, quæ lex peccati dicitur; quia est fomes ad peccatum sollicitans. Ità vt etiam inuitus, & reluctans vitiosas eius Inclinationes, dictamina, & impulsus sentire cogar, & eius laqueos, & motus euadere non possim. De quo Paulj *loco* Hieronymus *ad Eustochium de custod. virginit.* hoc pacto scribit. *Si Apostolus vas electionis, & separatus in Euangelium Christi carnis aculeos, & incentiua vitiorum reprimit, & castigat corpus suum, & seruituti subijcit, ne alijs prædicans. ipse reprobus inueniatur, & tamen videt aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, & captiuum se in legem duci peccati: Si post nuditatem, ieiunia, fames, carcerem flagella, supplicia in semetipsum reuersus exclamat. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Tu te putas securum esse debere?* Tandem accipiat verus castitatis amator in eius laudem hoc Alphabetum.

Angelis est simillima. *Matth. 22.*

Beatificatio hominum. Climacus *gradu 13. Paulò post principium.*

Columba formosa. Kempis *serm. 4. ad fratres, num. 4.*

Dei similitudinem præferens. Climacus *ibidem.*

Epulis, & ebrietatibus inimica. S. Ephrem Syrius apud Aluarez, *loc. cit. cap. 1.*

Filia cœlestis Hierosalem. Kempis *ibidem.*

Gloria sequacium. Aluarez *de vit. spirit. tom. 2. lib. 5. par 2. cap. 3. excell. 4.*

Habitaculum Spiritus Sancti, S. Ephrem, *ibidem.*

Iustorum illuminatrix. S. Ephrem *ibidem.*

Longæuitas vitæ. Chris. *hom. 23. in primum ad Corinth.*

Monile pretiosissimum de cœlo delatum. Platus *lib. 2. de bono statu religios. cap. 5.*

Noë securissimum refugium. Colligitur *ex Gen. cap. 7.*

Odor nimium fragans. Kempis cit.

Palma victoriosa. Kempis *ibidem n. 1.*

Quies, & tranquillitas mentis. Hugo *lib. de nupt. car. cap. 1.*

Rosa suauissima. S. Ephrem cit.

Stupor Naturæ. Kempis cit. *n. 6.*

Tribulationum expers Aluarez cit. *excell. 6.*

Virtus pulcherrima. Aluarez *excell. 7.*

Christo dilecta. Sic canit Ecclesia de Ioanne.

Diligebat enim eum IESVS, quoniam speciali prærogatiua castitatis fulgebat.

QVÆSTIO IV.

DE VOTO VITÆ QVADRAGESIMALIS.

VITAM Quadragesimalem, quam vouemus nos Minimi esse omninò vitam Apostolicam, eamque Christum, & Apostolos ita seruasse, vt neque ipse, neque Apostoli ad tale munus assumpti, carnes, neque lacticinia vnquàm comederint, docet doctè pariter, & luculenter P. Frater Vincentius à Cosentia nostri Ordinis Minimorum doctissimus Theologus, in libro, quem scripsit de abstinentia carnium. Nos hic solùm aliquas quæstiones enucleare studebimus circà ipsum votum, pro vt à nobis emittitur. De quo, neminem hucusque tractantem vidi: Vnde veniam merebor, Si quid fortè minùs congruum, minusque rectè dictum irrepserit.

CAPVT I.

Vtrùm votum vitæ Quadragesimalis sit essentiale Religioni Minimorum.

NOto primò, quòd in ordine nostro Minimorum fit solemne votum vitæ Quadragesimalis tempore professionis, vt patet ex ipsa professionis forma, de qua *supra quæst. 1. cap. 5. notab. 1.* Quod quidem votum emittunt omnes, & obligat ad abstinendum ab omnibus ijs, à quibus abstinetur communiter in Quadragesima; Nimirum carnibus, & lacticinijs, ouis, caseo, butyro, ex ijsque congestis. Et obligat tùm intra tùm extrà Conuentum, tùm in Refectorio, tùm extrà illud; Tùm in itinere, tùm extra illud tandem est velut præceptum negatiuum, quòd obligat semper, & ad semper, casu tantummodò infirmitatis excluso. Et habet omnes conditiones requisitas ad votum solemne. Quia scilicet publicè emittitur coram testibus, sub certa forma præscripta in ipsa regula approbata, & est perpetuum tàm ex parte vouentis, quàm ex parte admittentis. Quæ docet Vasquez requiri ad voti solemnitatem 1. 2. *disp. 165. cap. 8. num. 87.* Et specialiter nostrum quartum votum esse solemne docet Azor. *tom. 1. instit. moralium lib. 12. cap. 6. quæst. 9.* Et citat Palatium *in 4. d. 38. disp. 2.*

Notandum secundò, in aliquibus alijs Religionibus emitti etiam quartum solemne votum ipsis peculiare, vt in Religione B. MARIÆ de Mercede emittitur quartum votum vacandi redemptioni captiuorum. Et in societate IESV fit expressè votum Summo Pontifici proficiendi

sine

fine excusatione ; ; non petito viatico , quocumque gentium eius sanctitas dixerit , inter fideles , & infideles , ad res , quæ ad diuinum cultum , & Religionis Christianæ bonum spectant. D: quo voto , & quomodo, in eo includatur specialis obligatio præ cæteris fidelibus , & Religiosis erga summum Pontificem , latè disserit Sanch. *lib. 6. in decal. cap.* 18. *à num.* 1. *vsque ad* 7.

Notandum tertiò, Quod inter hæc vota solemnia specialia aliarum Religionum, & nostrum est maxima differentia , vt doctè docet Doctus P. F. Lucas de Montoya nostri Ordinis Minimorum , *lib.* 1. *Chron cap.* 13. §. 8. *versu Los Padres de la Compagnia.* Nam licet ista vota redimendi captiuos , & infideles conuertendi , si consiDerentur respectu sui sint maximæ pietatis , & perfectionis , si tamen considerentur respectu Religionis , cuius finis , est perfectionem consequi , vel saltem ad eam velociori, & securiori passu currere, nemo non videt, quam melius conducat nostrum votum ad talem perfectionem, quam illa. Primo namque essentia Religionis in communi consistit in trib. votis , paupertatis , castitatis, & obedientiæ , per quæ contendunt omnes Religiosi ad perfectionem , ergo illud quartum votum, quod magis conducet ad obseruantiam istorum trium , erit in ordine ad perfectionem Religionis magis excellens , quàm alia , quæ licet dicant maximum supererogationis opus ; nihil tamen , vel parum conducunt ad obseruantiam votorum essem alium prouedocet D. Thom. 2. 2. *quæst.* 188. *art.* 6. *ad* 3. Et Val. *tom.* 3. *disput. vlt. quæst. vlt. part. vlt. versu Ex parte vero.* Cum ergo votum Quadragesimalis vitæ sit medium magis proportionatum ad obseruanda prædicta tria vota , vt per se patet , & habet D. Thom. *loc. cit.* & patebit ex dicendis *hac quæst.* Clatum est, quòd ex hac parte erit medium magis proportionatum ad perfectionem Religionis consequendam. Secundo , quia quartum votum aliarum Religionum est conditionatum, non enim obligat , nisi ad habendam illam animi præparationem , executioni mandandam , semper & quando aderit Superioris præceptum; Vnde quamplurimi decedunt è viuis , qui numquam quartum votum implenere. At votum vitæ Quadragesimalis est votum absolutum ; Quia statim perfectè obligat ad obseruantiam sui , per ea quæ tradit Sanchez *lib.* 5. *in decal. capite* 1. *num.* 30.

Notandum quarto. Quod dupliciter potest dici , aliquid esse essentiale Religioni. Primo Religioni in communi, vt sunt tria vota, quæ dicuntur esse essentialia omnibus Religionibus , & sine quibus Religio consistere non potest. Secundo dicitur aliquid essentiale alicui Religioni in particulari , vt v. gr. votum vitæ Quadragesimalis Religioni Minimorum , clausura perpetua Monialibus Sanctæ Claræ , &c. De quo duplici essentiali loquitur Trid. *sess.* 25. *cap.* 1. *de regul.* hoc pacto. *Precipit Sancta Synodus, vt omnes Regulares, tam viri, quàm mulieres, ad regula, quam professi sunt , præscriptum vitam instituant , & componant ; atque in primis, quæ ad sue professionis perfectionem , vt obedientia , paupertatis, & castitatis, ac si quæ alia sunt alicuius Regulæ peculiaria vota, & precepta ad eorum respectiuè essentiam; nec non ad communem vitam , victum, & vestitum conseruanda pertinentia, fideliter obseruent.* De quo duplici essentiali videri potest Rodriq. *tom.* 1. *q. regul. q.* 26. *art.* 1. *versu sed pro maiori.* Miranda *tom.* 2. *Manualis* , *q.* 6. *art.* 6. *versu Prima dicitur essentialis,*

Dicendum est , votum vitæ Quadragesimalis esse essentiale Religioni Minorum , ita vt , eo sublato , Religio Minimorum desineret esse Minimorum Religio , prout instituta est à Beatissimo Patre nostro Francisco de Paula. Est sententia Passarelli *in notab. prin. notab.* 25. *versu in secundo genere* , Montoya *in chronicis Minimorum* , *lib.* 1. *cap.* 11. §. 7. *pag.* 271. Vigl gæ *in vita S. Francisci de Paula*, Bonac. *tom.* 1. *de clausq.* 2. *p.* 12. §. 3. *num.* 4. Suar. *tom.* 4. *de relig. tract.* 1. *lib.* 3. *c.* 17. *n.* 8. Quam etiam tenetur defendere Rodriq. quatenus ait *tom.* 1. *q. regul. q.* 16 *art.* 4. Paulo ante respons. ad argum. contr. *Quod si Romanus Pontifex monialis Sanctæ Claræ clausuram remitteret, quam Moniales huius instituti solemniter profitemur , esset procul dubio Monialis, non tamen instituti Sanctæ Claræ, quia esset sublatum aliquid illi Religioni essentiale.*

Probatur primò , Quia illud est essentiale Religioni , sine quo Religio consistere non potest, sed sine voto vitæ Quadragesimalis non consistit Minimorum Religio , instituta à Sancto Francisco de Paula : ergo votum vitæ Quadragesimalis est ordini nostro in particulari essentiale : sicut alia vota omnibus Religionibus in communi. Maior est certa ; Minor patet , quia S. P. Franciscus suam Religionem instituit sub hoc voto, vt habetur in lectionibus , quæ leguntur in Breuiario reformato in Festo huius Sancti , *lect.* 2. *fine* , his verbis. *Quam consuetudinem, vt Fratres sui toto anni tempore retinerent quarto eos voto adstrinxit,* Et Leo X. in bulla eius canonizationis dicit, *Quod mandauit, vt sub obedientia, castitatis, & paupertatis, quadragesimalisque vitæ sacris votis perseueranter viuere profiterentur,* Et patet ex ipsa regula , Ergo , eo remoto , necessario etiam remouetur ipsa Religio, ab ipso instituta. Et eam docet Rodriq. *loc. cit. à simili de Religione S. Claræ*, & Montoya *de Religione nostra in chronicis , lib.* 1. *cap.* 13. §. 7. *in fine.*

Secundò probatur , quia decipiens aliquem ad finem cum pertrahendi ad Religionem circa Religiosi non essentialia , licet proximè illis accedentia , peccat quidem, sed deceptio ista non reddit votum professionis nullum , vt docet Ledes *de statu Religiosorum in communi, cap.* 5. *concl.* 8. *versu digo lo quarto, pag.* 219. & dixi supr. *q.* 1. *c.* 29. *concl.* 4. *notab.* 3. Secus autem si deceptio esset circa essentialia, vt docent Sayr. *in claui reg. lib.* 6. *cap.* 9. *num.* 4. & Ledesm. *loc. cit.* & dixi etiam supra *loc. cit.* Sed neminem dictum puto , deceptum circa vitam Quadragesimalem, ita vt credat, in Ordine Minimorum eam non obseruari , teneri ad illud votum obseruandum? Et Ratio est , quia deceptio ista causat inuoluntarium, quòd omnino requiritur ad votum , vt docet Sotus *lib.* 6. *de iustit. q.* 1. *art.* 2. *circa medium.* Ergo signum est , votum vitæ Quadragesimalis esse Religioni nostræ essentiale ; quia deceptio circa ipsum reddit professionem omninò nullam.

Tertiò Probatur , quia illud est essentiale Religioni , quod ad obseruantiam trium votorum valde conducit , & moraliter dicitur ad illorum obseruationem necessarium, vt habet Reginald. *in praxi* , *lib.* 18. *num.* 396. Sed ad obseruantiam illorum trium votorum maximè conducit, immò moraliter loquendo , est necessaria carnis maceratio , quæ maximè fit per ciborum subtractionem, vt ait D. Thom. 2. 2. *quæst.* 188. *art.* 6. *ad tertium & opusc.* 18. *cap.* 9. Et patet , quia caro macerata huiusmodi abstinentia facilius domatur per obedientiam , non insolescit per libidinem, & nihil ducit sæculi diuitias per paupertatem. Et talis est sensus communis Ecclesiæ in obseruantia Quadragesimali. Ad quod respicientes sancti Patres Religionum institutores , Omnes prohibuerunt in suis Regulis licet non sub voto (hanc lauteam reseruantes Patri nostro Francisco) carnis comestionem , vt probant Pater Vincemius *in cit. libello de abstinentia carnium* , & Montoya *lib.* 1. *suorum Chronicorum*, *c.* 23. §. 3. & 4. discurrendo per omnes Religiones in sua primæua institutione.

Quartò probatur ex Trid. *sess.* 25. *de regul. c.* 1. vbi, vt diximus , ait , quòd præter essentialia Religioni in communi , potest etiam esse aliud essentiale Religioni in particulari , quod in Religione nostra est votum vitæ Quadragesimalis,

Quintò Probatur. Nam est, quæ non sunt alicui Religioni essentialia , possunt consuetudine abrogati , vt probant Nauarrus *in sum. cap.* 12. *num.* 50. Lopez 1. *part. instruct.*

instruct. cap. 45. *col.* 2. *versu non excusatur*, Rodriq. *tom.* 2. *summ. cap.* 95. *num. vlt.* Sanchez *lib.* 6. *in decalog. cap.* 2. *num.* 16. Azor. *tom.* 1. *instit. moral. lib.* 13. *cap.* 11. *quæst.* 15. Sed contra vota nulla potest consuetudo introduci, vt docent præfati Doctores, præsertim Azor; ergo signum est, quòd votum vitæ Quadragesimalis est nostræ Religioni essentiale, quia contra illud non valet consuetudo introduci.

Sextò probatur specialiter ex regula nostra, in qua semper votum vitæ Quadragesimalis æquiparatur aliis tribus votis, tùm quò ad culpam, tùm quò ad pœnam, tùm quò ad meritum, vt videre est *in regula, a. 1. correct. num.* 18. *& num.* 86. *& num* 107. *& num.* 111.

Tandem hoc quartum Religionis nostræ votum est quartus clauus, quo cruci affixus est Christus Dominus, vt ait Montoya *loc. cit.* §. 4. Pro quo nota, quòd licet aliqui tradant, tres tantum fuisse clauos, quibus Christus Dominus in crucem affixus est; Communior tamen opinio est, fuisse quatuor, quam tenet Bellarminus præfat. *in opusc. de septem verbis Domini*, pro qua citat etiam Iustinum, Irenæum, & Gregorium Turonensem. In hanc partem inclinat Greiserius *tom.* 1. *de cruce, lib.* 1. *cap.* 20. Qui rem ex professo tractat, & multos pro hac opinione adducit. Videtur etiam inclinare Lipsius, licet non discutiat *lib.* 2. *de cruce, cap.* 9.

Religio itaque crux est, in qua se crucifigunt Religiosi. Quatuor claui sunt quatuor vota. Primus clauus est abnegatio propriæ voluntatis, per obedientiam. Secundus abiectio rerum temporalium per paupertatem. Tertius priuatio dulcedinum carnalium, per castitatem. Quartus mortificatio omnium membrorum, & appetituum, per Quadragesimalem abstinentiam. Dicuntur autem claui, quia carnem crucifigunt, quæ in malum inclinata, nisi hoc pacto esset crucifixa, in vitia omnia profluerет. Quare Paulus ad Galatas 5. *Qui sunt*, inquit, *Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis*, Idest non tantum vitia, & concupiscentias, sed & ipsam carnem corruptam, quasi fomitem concupiscentiarum castigant, & crucifigunt per ieiunia, cilicia, mortificationes propriæ voluntatis, abiectiones terrenarum rerum, &c. Vndè Kempis *parte* 3. *serm. ad nouit. sermon.* 2. *num.* 1. *Horret*, inquit, *Humana fragilitas pati paupertatem, abiectionem, vilitatem, esuriem, laborem, dolorem, angustiam; derisionem, quæ sæpè contingunt, & hominem grauant, & conturbant, Sed hæc omnia simul iuncta, à Deo nobis dispensatiuè transmissa salutarem fabricant crucem, per multiplicem pœnam, & veris cruciferis, crucem suam tollentibus, aperiunt cælestis regni portam, certantibus præparant vitæ palmam, & vincentibus dant æternæ gloriæ coronam.* Et numero 8. *O Religiose Monache, & sectator arctioris vitæ noli ab assumpta cruce in ordinem recedere. Sed sustine, & porta crucem vsque ad mortem, & inuenies æternam requiem, cælestem gloriam, & honorem.*

CAPVT II.

Vtrum ex Religione Minimorum ad Episcopatum assumptum teneatur ad obseruantiam vitæ Quadragesimalis.

PRo hoc capite videri potest Montoya *in chronicis Minim. cap.* 13. §. 9. *versu Otraduda se offresce*, Ledes. *part.* 2. *sum. cap.* 3 *de statu Episcop. conclus.* 25. *d.* 2. *fine, pag. mihi* 75. Vasquez 1. 2. *disp.* 165. *cap.* 8. *num.* 89. *fine.* Sanchez *lib.* 6. *in decal. cap.* 6. *num.* 15. Qui dicit, se neminem de hoc disputantem inuenisse, præter Vasq. *loco cit.*

Dicendum est, ex Religione Minimorum assumptum ad Episcopatum, teneri ad obseruantiam vitæ Quadragesimalis. Ita omnes doctores citati, præter Sanchez; Et eum sequutus Fagundez *in* 4. *præcept. Eccles. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 6. *versu Dubium.* Et præterea Caiet. 2. 2. *q.* 185 *art.* 8. *dub.* 2. *tom.* 1. *opusc. tract.* 25. *de oblig. & obser. præcept. quæst.* 2. Sotus *lib. vlt. de iust. q. vlt. art. vlt. col.* 7. *versu Sed contra.* Vasquez *in opusc. de redditibus, cap.* 3. *dub.* 1. *num.* 2. *&* 3. Valent. *tom.* 3. *disp.* 10. *q.* 3. *part.* 8. *fine*, quatenus dicunt, Episcopum non teneri ad regulares obseruantias ex præcepto, & vi coactiua; secùs autem esse de votis; Quia hæc expressè vouit. Hanc sententiam, dicit Montoya, tenuisse doctissimum Ludouicum Montesinum Cathedraticum primæ in vniuersitate Complutensi.

Probatur primo, Quia tenetur obseruare Religionis essentialia, vt docet D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 11. *ad* 4. *& q.* 185. *art.* 8. & dixi supra *q.* 1. *cap.* 10. *&c. va.* Sed probatum est, quòd votum vitæ Quadragesimalis est essentiale Ordini nostro. Ergo ad illud obseruandum tenetur Minimus factus Episcopus.

Secundo Probatur, Quia tenetur obseruare omnes illas obseruantias suæ regulæ, quæ statum Episcopalem non impediunt, vt docet D. Thom 2. 2. *quæst.* 185 *art.* 8. Non enim oportet, Episcopos ad eam dignitatem euectos, delicatiorem vitam degere, quàm in Religione, nisi quatenus opus fuerit ad onera muneris sui subeunda. Sed obseruatio vitæ Quadragesimalis statum Episcopalem non impedit. Primo quidem, quia experientia comprobatum est, multos ex nostris Episcopis munus Episcopale diligenter, & assiduè exercuisse cum obseruantia vitæ Quadragesimalis. De qua experientia testatur Montoya *loco citat.* Et Generalis ordinis, qui est in continuo motu Religionem visitando, vitam Quadragesimalem obseruat. Secundo, quia possunt Episcopi commodius obseruare vitam Quadragesimalem; Cum enim habeant redditus ad sufficientiam, & quandoque ad superabundantiam sui status, possunt abundantius, & lautius cibis Quadragesimalibus vesci. Tertio non video quare non debeant hoc votum Episcopi obseruare, Cum nullo modo statum Episcopalem valeat impedire. Si enim contigerit aliquando infirmari, poterunt cum consilio medici cibis paschalibus vesci, supplendo per se ipso auctoritatem Superioris.

Tertiò Probatur, quia Status Episcopalis est maioris perfectionis, quam sit status Religionis; Ergo maiorem requirit custodiam, vt docet D. Thom. *loco cit.* Ergo si in Religione obseruabat vitam Quadragesimalem ad custodiam aliarum virtutum; multò magis debet eam obseruare, cum est in statu perfectiori, nam ab eo, qui plus accepit plus erit exigendum.

Quarto si Episcopus dum erat in Religione vouisset recitare quotidie verbi gratia rosarium B. Mariæ Virginis, factus Episcopus ad illud recitandum tenetur; quia id nihil obstat statui Episcopali; Ergo multo magis tenetur ad obseruandum votum solemne vitæ Quadragesimalis, quod maiorem quandam obligationem inducit: etiam quò ad Deum ratione perpetuitatis, & maioris solemnitatis, quàm votum simplex, vt colligitur ex Tostato *cap.* 30. *num. q.* 59. & patet in voto simplici, & solemni castitatis.

Si dicatur, quòd qui ab inferiori ad superiorem gradum ascendit, non videtur teneri ad ea, quæ sunt inferioris gradus; sicut Religiosus non tenetur ad obseruantiam eorum votorum, quæ in sæculo fecit, vt docet D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. *ad primum*, sed Religiosus, qui assumitur ad Episcopatum, ascendit ad aliquid maius; Ergo videtur, quòd non teneatur factus Episcopus obseruare ea, quæ fecit, dum erat Religiosus.

Respondeo, Hoc argumentum proponitur à D. Tho. 2. 2 *quæst.* 185. *art.* 8. Cui & ipse respondet ad secundum. Quòd vota sæcularia se habent ad vota Religionis, sicut particulare ad vniuersale, quia illa sunt quorundam particularium operum, & homo per votum Religionis to-

tum

tum se Deo deputat, vt ipse D. Thom. dixerat *quæst.* 88. *art.* 12. *ad primum*. Vnde cum particulare in vniuersali includatur, non est mirum, quòd per votum Religionis cessent omnia alia vota in sæculo facta. At vota Religionis, seù in Religione facta, se babent ad Pontificalem dignitatem sicut dispositio ad perfectionem. Vnde non cessant, Pontificali adueniente dignitate. Quia dispositio adhuc est necessaria perfectione obtenta.

Quintò. Probatur, quia est votum solemne, de cuius ratione diximus esse perpetuitatem.

Sextò, Quia frater Minimus factus Episcopus non desinit esse frater Minimus; Vnde non debet desinere obseruare ea, quæ sunt de essentia talis status.

Septimò. Probatur. *ex cap. Carnem, de consec. d.* 5. vbi Glossa *verbo Violauerit*, ait Monachum factum Episcopum teneri ad abstinentiam carnium, quod multo magis diceret de fratre Minimo.

Sed contra hanc nostram doctrinam obiicit Sanch. t: Huiusmodi votum vitæ Quadragesimalis cessare in Episcopis, & suspendi: quia emittitur vt annexum, & accessorium professioni Monasticæ, à qua liber manet Episcopus per *caput Statutum* 18. *q.* 1.

Secundò, Ordinatur hoc votum ad faciliorem communitatis Religiosæ perfectionem, & ordinem; Ergo tandiù censetur obligare, quandiù professus est de eius corpore.

Tertiò, quia votum tunc desinit obligare, quando est facta ita notabilis mutatio materiæ, vt reddatur notabiliter difficilior, & quæ à principio præuisa retraheret à voti emissione. Propter quas rationes eximit etiam eiectum ab ordine ab hoc opere vitam Quadragesimalem seruandi.

Ad primum respondeo, Monachum factum Episcopum dici exemptum à Regula professionis Monasticæ, idest ab obedientia Abbatis. A ieiuniis, vigiliis, silentio, modo cantandi, &c. vt habet Glossa *dicto cap. Statutum, verbo Absolutus*; Non tamen absoluitur à voto professionis Monasticæ; Vnde cautè puto dictum in illo *cap. Statutum* (Regula) non voto. Nam si dixisset, Voto, intelligendum esset, Monachum factum Episcopum esse etiam absolutum ab obseruatione votorum, quod tamen nemo dicit. Nec est omnino absolutus à regula professionis Monasticæ; Nam tenetur deferre habitum suæ Religionis, vt est communis opinio: Nec potest carnes comedere, si erat Monachus secundùm aliquos, inter quos Archidiaconus *dicto cap. Statutum, num.* 2. Qui multo magis dicerent, si esset Minimus. Deinde dico, quod votum vitæ Quadragesimalis non est accessorium nostræ regulæ, sed est principaliter intentum, & assentiale, vt dictum est. Tertiò dico, dato quod esset accessorium; est tamen accessorium ad conseruandum, & custodiendum principale. Sicut dos est quid accessorium matrimonio, pro illius oneribus sufferendis; Vnde tunc valet illa regula, quæ est 42. de reg. iur. in 6. *Accessorium sequitur naturam principalis*. Et sic cum remaneat obligatus ad principale nimirum tria vota, remanebit etiam obligatus ad accessorium, nimirum quartum vitæ Quadragesimalis.

Ad secundum dico, quod hoc votum ordinatur ad conseruationem, & custodiam aliorum votorum; Vnde cum ad alia obligatus remaneat, remanebit etiam obligatus ad hoc.

Ad tertium respondeo. Quo ad Episcopum, materiam non esse redditam, neque impossibilem, vt constat, neque difficilem: Immò faciliorem, cum possit lautius, & abundantius cibis quadragesimalibus vesci. Quo ad eiectum, Licet videatur aliquantulum immutata, non tamen ita, vt votum irritum reddat, Cum commodè etiam in sæculo, Licet minus commodè, quam in Religione, possit hoc votum seruari, quam incommoditatem debet patienter ferre eiectus propter peccata sua, considerando, quod in pœnam, non in præmium est à Religione eiectus. Et Præterea non debet eiectus ex sua culpa reportare commodum, quod maximum esset, Si illum absolueremus ab obseruantia voti Quadragesimalis vitæ. Et in specie de eiecto id tenet Bonac. *tom.* 1. *claus. q.* 2. *part.* 12. §. 3. *numero quarto pagina* 640.

CAPVT III.

Vtrum Frater Minimus ad infirmitates præcauendas, possit aliquando anni tempore se purgare, & durante purgatione cibis paschalibus vesci.

Videtur, quod non possint fratres Minimi tali purgatione vti.

Primò quia per illorum regulam *cap.* 6. *num.* 26. tenentur abstinere à carnibus, &c. Toto tempore vitæ suæ excepto tempore Infirmitatis; Ergo pro hoc solum statu illis conceditur comestio carnium; Non autem pro illo statu infirmitatis præcauendo.

Secundò, quia in nostris statutis *capitulo Barchinonensi* t. *n.* 19. habetur statutum sequentis tenoris; *Ad conseruationem vitæ nostræ Quadragesimalis, per quam à cæteris Religionibus distinguimur, declarant patres, non licere fratribus nostri Ordinis ad præcauendam futuram Infirmitatem se purgare, cum iure nostro caueatur, non nisi tempore infirmitatis cibis paschalibus vesci.*

Tertiò, quia per istas purgationes de consilio medicorum factas videntur magis confidere Medicis, quàm Deo; Quod tamen in Aza Rege Iuda reprehenditur 2. *Paralip.* 16.

Quartò, Quia Medicus, & medicamenta non adhibentur nisi tempore infirmitatis; vt colligitur *ex cap.* 38. *Ecclesiastici*, vbi dicitur, Quod *Medicus honorandus est propter necessitates*, quia scilicet. *Mitigabit dolores*, &c: Ergo ante hoc tempus, præsertim à fratribus Minimis adhibendus non est. Ad hoc vt votum vitæ Quadragesimalis, regulæ ipsorum splendorem frangant. His tamen non obstantibus.

Dicendum est posse fratres Minimos ad infirmitates præcauendas se purgare. Quod vt probem, Noto primò ex Galeno *lib. de arte parua*. Quod corpus humanum potest tripliciter considerari, vel vt simpliciter sanum, vel vt simpliciter ægrum, vel vt neutrum. Simpliciter sanum illud dicitur ab eodem Galeno *in lib. Methodi medendi*; quod proprias, ac naturales operationes rectas agit. Simpliciter ægrum, quod eas imperfectas; contrariorum enim eadem debet esse disciplinam. Neutrum dicitur, quod participat naturam vtriusque extremi: Nimirum quod neque omninò perfectas neque omninò imperfectas agit operationes.

Noto secundò, Nos hic non loqui de corpore simpliciter sano; quia clarum est, quod non potest paschalibus vesci per regulam nostram Minimorum. Neque de simpliciter ægro; quia etiam patet, quod vesci iis potest per eamdemmet regulam. Tota ergo difficultas remanet de corpore neutro.

Et dico, quod hoc corpus neutrum debet appellari potius infirmum, quam sanum; Immò addo, esse omninò infirmum. Et probo primò, Quia à statu salutis recedit, & facili negotio potest in simpliciter ægrum labi, ad quod præcauendum coguntur Medici aliquando medicamenta adhibere: Secundò, *cum bonum sit ex integra causa*, vt dicunt Theologi; hoc corpus non potest dici sanum, cum non sit omnino tale, *Et malum sit ex singulis defectibus*, vt dicunt iidem: Cum hoc corpus defectum aliquem patiatur, necessario dicendum est, illud esse potiùs infirmum, quam sanum; Immò infirmum, licet non simpliciter tale. Tertiò, quia, vt dicitur etiam apud Philosophos, *Quod parum abest, adesse videtur*. Sed hoc corpus parum abest à corpore simpliciter ægro, quia facilè potest

potest in illud transire; Ergo debet dici ægrum potius, quam sanum. Quartò, quia licet si luscus,& strabo non sint de facto orbi, vel cæci; tamen nemo dicet, eos potiùs esse dicendos videntes, quam orbos, vel cæcos, sed potius è contra quia faciliùs in orbitatem, vel cæcitatem lapsuri sunt, quam clarā visionē recuperaturi. His positis.

Probatur primò conclusio. Corpus hoc neutrum infirmum est, vt probaui: Sed infirmi in regula Minimorum sunt consilio Medici curandi, & cibis paschalibus alendi: Ergo corpora hæc purgari possunt, & paschalibus nutriri.

Secundò Prudentis est obstare principiis, ne in deterius eatur; Ergo principiis infirmitatis obstandum, per præcepta medica, ne morbus insolescat, & serpat, Sed hoc non fit ordinariè, nisi per medicamina purganna; Ergo hæc necesse est aliquando applicare. Ex quo vlterius sequitur, quod cum per hæc vires maximè labefactentur, vt communiter tradit medicorum schola; debent hæc per eam victus rationem reparari, quæ ad hoc valeat, & conducat. Sed hæc est, quæ concedit carnibus,& lacticiniis vesci; Ergo hæc adhibenda est.

Tertiò probatur ex illo Ecclesiast. 18. *Ante languorem adhibe medicinam*, Idest præcaue quantum potest infirmitatem. Et verè quis neget, posse faciliùs curari, & reparari, quod marcescere incipit, quam quòd iam marcidum est? Quis prudens potens præcauere ruinam, non præcaueat?

Si quæras, vtrùm Medicus absque eo medicamina adhibeat, possit cum Fratre Minimo dispensare, vt carnes comedat.

Respondeo, optimè posse. Ratio est, quia aliquando infirmi curantur faciliùs rectâ victus ratione, quàm præsidiis ex herbarum succis petitis, vel aliis simplicibus, seu mixtis. Vnde est tritum apud medicos illud Hippocratis. *Aliquando nihil agere in infirmis, est optima medela.* Et par illud (nihil agere) intelligunt communiter medici (vt mihi retulerunt) nullum exhibere præsidium. Adde, quod nobis carnes conceduntur pro medicina, ad vires fractas restaurandas, & malos humores pellendos. Quod potest confirmari ex nostra regula *in correct. n. 56.* vbi præcipitur, Quod *Qui sunt diuino languore vexati permittantur per aliquot menses carnes, & lacticinia comedere.* Ex quo etiam potest confirmari nostra conclusio. Nam si per regulam nostram languidi eum Medici consilio debent permitti per aliquot menses carnes comedere; Ergo multo magis permitti debet purgatio, quæ durante earum comestio illis, qui indigent ad infirmitates præcauendas.

Ad primum ergo in contrarium patet ex dictis. Qui enim egent purgatione ad infirmitatem præcauendam, infirmi sunt, & ideò licitè possunt per regulam carnes comedere.

Ad secundum Respondeo primò, meo videri illud statutum esse contra benignitatem regulæ, quæ neminem ad peccatum obligat pro quacumque transgressione, exceptis transgressionibus votorum, vt dicitur *in fine correct. num. 116.* contra benignitatem regulæ, quæ *Præcipit charitatiuè, & benignè in cunctis oneribus ordinis supportari continuo languore calitus visitatos.* Regula *num. 32.* contra benignitatem regulæ. *Quæ mitis, & sancta dicitur.* Regula *num. vlt* & vt talis fuit à sanctis Pontificibus approbata: contra benignitatem regulæ, quæ *infirmis per obedientiam præcipit sollicitè, & diligenter subueniri.* Regula *num. 26.* Quæ n. esset hæc sanctitas,& mansuetudo si ad infirmitatem præcauendam, quam per consilium medici, & per experimentum alias non semel probatam, certo incurram, purgationem adhibere non potero?

Si vrgeas, esse quidem languidos in cunctis oneribus ordinis supportandos, & illis esse subueniendum, sed de cibis Quadragesimalibus in infirmaria claustrali, non autem de cibis paschalibus.

Respondeo, Infirmos in Principio infirmitatis esse deducendos ad infirmariam claustralem, & abundantius, quam cæteros de cibis Quadragesimalibus resocillandos? Non enim pro quolibet dolore capitis, vel ventris, pedum, aut stomachi, est quis statim dispensandus super Quadragesimali vita. *Sed si alia infirmitas sic examinata*, vt dicitur *in regula num. 26.* (idest si resocillatus ægrotus per aliquot dies cibis Quadragesimalibus (*inualuerit*,) idest melius non se habuerit, sed ibit in deterius) tunc. *Debet ad infirmariam exteriorem deduci.* Et ibi paschalibus vesci. Quæ omnia vera sunt secundùm regulam. At hic sumus in dispari casu. Qui enim eget ita purgatione; vt alioquin secundùm artem medicam sit aliquam grauem infirmitatem incursurus, iam est infirmus vt diximus; Et moraliter certus, quod nisi purgationem adhibeat, periclitabitur salute. Regula autem loquitur de iis ægritudinibus, in quas quis ex improuiso incurrit, & ex sano fit repente ægrotus per aliquam febris, &c. Quæ febris cum possit esse ephimera, & accidentalis, sicut etiam alij dolores capitis, ventris, &c. Expectate, ait Bonus Pastor, & videte, an ista febris, & dolores continuent. Quod si continuauerint, ad infirmariam exteriorem deducatur infirmus: si cessauerint, iam infirmus sanatus est, & paschalibus non indiget. Quæ omnia diuinitus dictata sunt; Non enim est frangendum votum pro quolibet dolore. Et sic obseruatur in praxi à Dominis medicis nostræ Religionis, vt prius infirmitatem examinent, an sit grauis, an longa, an periculosa: an verò leuis, accidentalis, & sine periculo, & iuxta artem suam se gerant, prout meliùs indicant expedire.

Secundò Respondeo ad argumentum principale. Illud statutum nunquam fuisse à Religione acceptatum; Et si aliquando fuit, iam non est ampliùs in vsu; Vnde per consuetudinem in contrarium censetur abrogatum: Quæ consuetudo excusat non solùm ab obligatione statutorum, sed etiam ab obligatione ipsius regulæ (intellige quò ad accidentalia) vt probat Rodriquez *tom. 1. q. regul. q. 69. art. 2.*

Tertiò Respondeo, Patres illius capituli zelantes votum vitæ Quadragesimalis, ad abusus tollendos, illud statutum fecisse. Potest enim esse, quod haberent notitiam aliquorum, qui gula potiùs carnium, quam necessitate sanitatis subornarent medicos, vel graucdines fingerent, ad hoc vt purgarentur, vt hac occasione possent paschalibus vesci. Ad quos abusus tollendos, & saluti animarum gulosorum consulendum, tale decretum fecerunt. Et hoc pacto est sanctissimum, & in maxima obseruantia.

Ad tertium Respondeo cum Tostato 2. *Paralip. cap. 16. quæst. 37.* Quod ægritudines duobus modis infliguntur, vel à Deo, vel à causis naturalibus; Si infliguntur à Deo, tunc non est fidendum arti Medicorum, Si proueniant ex causis naturalibus, & sint iis, quæ per artem medicam curari possunt, tunc fidendum est arti Medicorum; non ita quidem infallibiliter, quin à Deo possit impediri effectus rerum naturalium. Aza reprehenditur, quia cum illius infirmitas esset à Deo in pœnam carcerationis illius Prophetæ, de quo ibi, Non quæsiuit Dominum, sed confisus est operi medicorum. In casu nostro, qui purgationem accipit, non fidit infallibiliter Medico; ita vt putet, Deum non posse impedire effectum illarum rerum naturalium, quas medicus exhibet ad purgationem. Sed obseruat præceptum Domini, Eccles. 38. *Honora medicum propter necessitatem, Et enim illum creauit Dominus; Et scit à Deo esse omnem medelam: Sed quid Altissimus creauit de terra medicamenta, quæ vir prudens abhorrere non debet*; Ideò illis vtitur ad conseruandam propriam vitam. Dico igitur breuiter, quod purgationem recipiens, confidit primatio sanitatem obtinere à Deo; Secundariò à virtute rerum naturalium per Medicum, tanquam sanitatis ministrum, & artificem applicatarum:

catatum: iuxta illud Hippocratis in aphorismis *Natura omnium operatrix: Medicus verò minister.*

Ad 4. Respondeo honorandum esse medicum tempore sanitatis, vt cum superuenerit ægritudo, promptus sit ad eam depellendam; Medicina enim est scientia, qua cognoscimus habitudines corporum humanorum, ægrotorum, & sanorum, & neutrorum, & virtutes rerum naturalium ad eas applicandas, vel remouendas. Sed in casu posito cognoscit Medicus, corpus illud neutrum esse purgandum, Ergo tunc illius est maxima necessitas.

CAPUT IV.

An abstinentia Quadragesimalis abbreuiet vitam.

Dicendum est absolutè, & simpliciter loquendo, cibaria Quadragesimalia vitam non abbreuiare.

Probatur primò ratione Medicorum. Ideò ingeruntur cibaria, vt colore naturali concocta in alitis naturam conuertantur, Vnde indigent cibariis pro restauratione deperditi. Sed hoe deperditum optimè potest restaurari per cibos. Quadragesimales, vt corpora sint debilia, vel robusta. Nam calor naturalis restauratur per vinum temperatè sumptum. Et humidum radicale per ista cibaria Quadragesimalia, quod ita in facto esse probat experientia.

Quod dicunt Medici, debilibus corporibus per comestionem cibariorum Quadragesimalium vitam abbreuiari, quia ista cibaria difficulter concoquuntur, & parum nutriunt. Robustis verò, & validis per istorum cibariorum comestionem non abbreuiari. Non placet. Primò, quia non omnia cibaria Quadragesimalia difficulter concoquuntur: Non enim semper vescimur leguminibus, sed crebrius herbis, & oleribus, piscibus, & aliis, quæ sunt facillimæ digestionis, & concoctionis, Vnde debilioribus sunt aptiora. Nam debilis eorum calor naturalis facilius ea concoquit, & quasi intra sphæram suæ actiuitatis in ea agit. Secundò, Quod cibaria Quadragesimalia parum nutriant, maximè congruit illis, qui debilioris sunt complexionis; minoris, n. nutrimenti indigent, quam robustiores; Nec possunt tam parum nutrire, quin illorum naturæ plenè satisfaciant, cum præsertim natura sit paruo contenta.

Secundò. Probatur experientia, quæ est rerum magistra, & contra quam non valent Medicorum speculationes, & subtilitates. Qua experientia constat, millia millium hominum Religiosorum, qui in vita Quadragesimali vixerunt, ad vltimam vsque senectam protraxisse vitam. Quod probo dupliciter. Primo in communi deinde in particulari.

In communi. Constat tum ex illis antiquis Eremi cultoribus, qui ad summam senectutem perueniebant in abstinentia plus quam Quadragesimali. Pane, n. & aqua alij: alij panis adiectis herbis vitam ducebant. Testis sit Cassianus *collat. 8. cap. 19. Super hac re*, inquit (idest comestione.) *Inter maiores nostros frequenter nonimus, habitum fuisse tractatum; Nam discutientes continentias diuersorum, qui vel solis leguminibus, vel oleribus tantum, vel pomis vitam ingiter exigebant. Praeposuere cunctis illis refectionem solius sicci panis. Cuius æquissimum modum in duobus paxamaciis statuerunt. Quos paruulos panes vix vnius libra pondus habere certissimum est.* Tum ex nostra Religione Minimorum, in qua in austeta, eaque misertima Quadragesimali obseruantia quam plurimi ad vltimam perueniunt ætatem: Nam octogenarios, & nonagenarios multos scimus, septuagenarios quamplurimos. Tum etiam ex Religione Carthusiensium, in qua licet ouis vescantur, caseo, & lacte nullo vnquam tamen tempore carnibus vesci licitum est, & tamen multos vsque ad extremam senectam videmus peruenire.

Tù ex Religionibus Monachorum, & aliis, in quibus licet tam strictè non obseruetur. Quadragesimalis asperitas, obseruatur tamen abstinentia carnium, & nihilominos eas videmus quasi infinitos alere seniores: Et tot quot non reperiuntur sæculares in vna populata vrbe, Hoc tribuunt Medici abstinentiæ Veneris: Quod & ego confirmo. Et propterea dico non egere Religiosos cibis tam substantialibus. Constare etiam hoc potest ex eo quod videmus in familiis virorum illustrium paucissimos esse, qui ad senectutem perueniant, & patrimonia adiri à filiis iam inde à pueritia plerumque; ne dicam ab infantia; Quia parentes in ipso ætatis flore excedunt è vita, etiamsi incredibilem rationem habeant valetudinis, & conquisitis epulis vescantur, & corporis delicias persequantur. Constare etiam potest ex eo, quod multos rusticos videmus, quibus vix vnquam rugientem contingit pane, & aqua satiare ventrem; robustè, & incundè dies suos ad vltimam vsque senectam protelate.

In particulari. Id etiam patet. Nam primum eremi cultor Paulus cum quindecim esset annorum, relicta locupleti, & pingui hæreditate, desertum petiit: Cuius deliciæ fuerunt ab initio palmæ fructus, & fine panis, & aqua. Et tamen vixit centum, & tredecim annos. Ita testatur Hieron. *in eius vita.*

Diuus Antonius natus annorum decem, & octo, desertum petiit, vbi vixit centum, & viginti annos, & ieiunium ita coluit, vt saltem tantummodò panem adhiberet, & sitim extingueret aqua. Testis est Athanasius *in eius vita.*

Diuus Hilarion natus annorum quindecim, desertum petiit, vbi vixit vsque ad annum octogesimum, nihil aliud comedens, quam paucas ficus, & succos herbarum, Testatur Hieron. *in eius vita.*

Simeon Stylites octoginta annos perpetuò, noctu, diuque sub dio stetit in columna, vix cibum, vix somnum capiens. Testis est Theodoretus *in illius vita.*

Onophrius annos Septuaginta in deserto vixit, solo pane, dactilis, & aqua pastus, vt est *in eius vita, lib. 1. vit. patrum.*

Hieronymus, qui tanta abstinentia floruit, vt de se ipso dicat Epist. 22. ad Eustochium. *De cibis verò, & potu taceo, cum etiam languentes Monachi aqua frigida vtantur, & coctum aliquid accepisse luxuria sit*, Ad summam tamen peruenit senectutem, vt dicitur *in illius vita.*

Pachomius, qui puer seniori Palæmoni instruendum se præbuit, vitam in pane, & sale ad magistri exemplum ductam protraxit ad vltimam vsque senectutem. Quamplurimi alij, qui vitam aspertimam ad vltimam senectam produxerunt, possunt videri in vitis patrum: & in prato spirituali; Quod tanquam floridissimum pratum actionibus illorum antiquorum seniorum est refertum; quorum plurimos refert Lessius *opusc. de vera ratione valetud. conseru. num 35.*

Ex mea Religione adduco etiam aliquos. Et primus sit S.P. Franciscus, qui à pueritia in vita Quadragesimali, & continuo ieiunio, vt plurimum solo pane, & aqua sustentatus vixit annos 91.

P.F. Bernard. à Cropulato Confessor prædicti Sancti Francisci per easdem semitas gradiens, vixit annos 90.

P.F. Paulus à Paterno socius prædicti nostri Patris in transeundo pham Messanensi, per easdem semitas eum sequens, ad vltimam vsque peruenit senectutem.

P. F. Antonius Risoleus vixit septuaginta annos in Religione, absque iis quos ad Religionem portauit, nihil aliud vnquam comedens; quam panem, & aquam, herbas, & herbarum radices.

P.F. Hieronymus de Malnito quotidie ieiunans, vixit annos 70. in Religione, absque iis, quos ad Religionem portauit.

P P.F. Hernan

P.F. Hernandus Morenus vicit in Religione sub austeritate vitæ Quadragesimalis annos sepruaginta sex, vltra eos, quos ad Religionem tulit.

P.F. Ioannes de Sancta MARIA in continua pœnitentia, & austerissima vita Quadragesimali, ad summam peruenit senectutem.

P. F. Ioseph Thalier in austerissima vita Quadragesimali, vitam vsque ad ætatem decrepitam produxit.

Et in hoc nostro Genuensi Conuentu P. F. Antonius Stagnarius octogesimum peregit annum in Religione, & vsque ad centesimum nonum suæ ætatis vitam produxit. Et ita austerus vitæ Quadragesimalis obseruator, vt in vltimo suæ vitæ termino, quando ex obedientia carnes iubebatur comedere, iunioribus clericis, illi continuo adstantibus suaderet, eosque obnixè rogaret, vt sibi furtim pisciculos aliquos comedendos deportarent. Nam carnes, vt aiebat, nauseabat. Tantum potest assuefactio. Hæc pauca ad nostram experientiam comprobandam satis esse mihi visum est. Qui plura desiderabit adeat Montozam *in Chronicis Minim. lib.* 4. & nostros Conuentus, & videbit quantos nutriat seniores Quadragesimalis abstinentia.

Gentiles quoque similem abstinentiam, exitu tamen diuerso, sectantes audiamus Tradit Xenophon, antiquos Persas ad panem nihil nisi Nasturtium adhibere solitos; Chæredemus Stoicus tradit, priscos Ægypti Sacerdotes, carne, vino, ouis & lacte semper abstinuisse, Ita refert à Lapide *c.9. in Gen. versu* 21. *& cap.*1. *in Daniel. versu* 17. Vbi addit, apud Persas tria fuisse maiorum genera, quorum primum (qui maximè sapientes, & eloquentes existimabantur) præter farinam, & olera nihil esitabat. Et Gymnosophistas Indorum solis arborum pomis oriza, & farina viuere.

D. Hieron lib. 8. contra Iouin. ait. *Mirandum est, quod Epicurus voluptatis assertor, omnes libros suos repleuit olerib. & pomis: & vilibus cibis dicit esse viuendum. Quia carnes, & exquisito epulæ ingenti cura, & miseria præparantur, maioremque pœnam habeant in inquirendo, quam voluptatem in abutendo, corpora autem nostra cibo tantum, & potu indigere.*

Et Seneca epist. 108. Scribit, *Se animalibus, & esu carnium abstinere ob rationes, & exemplum Sextij.* Cuius rationes erant, prima. Quod *Satis alimentorum sit circa sanguinem. & crudelitatis consuetudo fiat, vbi in voluptatem adducitur laceratio.* Secunda, *quod contrahenda sit materia luxuria.* Tertia, *quod valetudini contraria sint alimenta varia, & nostris aliena corporibus.* Quarta, *quod carnes sint alimenta leonum, & vulturum.* Hæc & similia de illis antiquis gentilibus.

Neminem tamen puto arbitraturum, eos credidisse sibi tali abstinentia vitam abbreuiatum iri; neminemque inficiaturum existimo, multos eorum ad vltimam vsque senectam deuenisse. Saltem Seneca se ipsum *loc. cit.* Senem nominat, qui tamen violenta morte interiit.

Tandem noto pro conclusione. Ex scriptura Eccl. 37. *Qui abstinens est, adiiciet vitam.* Et Dan. 1. *Apparuerunt vultus eorum meliores, & corpulentiores præ omnibus pueris, qui vescebantur cibo regio*; Et tamen leguminibus solis vescebantur; & aqua. Ad quem locum ita scribit Cornelius à Lapide in suis comm. super Danielem. *Hæc sanitas, pinguedo, & decor, non tam naturalis, quam supernaturalis fuit: tum quia legumina, & aqua saniores quidem facere poterant, sed non pinguiores: Tum quia hoc fuit præmium abstinentiæ, cuius vti; & castitatis merito, diuinitus sapientiam tantam sunt adepti, vti eiusdem merito Iudith. cap.* 10. *Formositatem Et Samson fortitudinem est ad aptus, Iudic.* 13. *Naturaliter tamen hac quoque iuuit abstinentia. Vnde nota, sanitatem, & longæuitatem, non tam ciborum copia, quam temperantia procurari. Hæc enim fouet, & nutrit humidum radicale, æquè ac calorem naturalem, quem intemperantia obruit, & suffocat.* Hæc a Lapide. Quid dicent nunc deliciarum amatores, carnium deuoratores, exquisitorum ciborum sectatores? Putabunt fortè ideo se & largius, & sanius victuros? Ex dictis patet eorum insipientia. Non timeat ergo deuota iuuentus Vallum Religionis ingredi, armata clypeo vitæ Quadragesimalis, quo resistet fortiter, & alacriter tribus illis communibus humani generis hostibus, Mundo, Dæmoni, & Carni, parabitque sibi rectam, & facilem ad Paradisum viam.

CAPVT V.

Vtrum Frater Minimus possit aliquando absque licentia Superioris; & Medici, carnes, & lacticinia comedere.

ALiqui sunt casus, in quibus potest Frater Minimus carnes comedere absque peccato, & Superioris, vel Medici licentia.

Et primum est positus *in Capitulo Genuense 2. num.* 33. vbi dicitur, quòd *In Conuentibus à Ciuitatibus; & Vrbibus remotis, cum facilis ad Medicum non possit haberi accessus, onerata Correctoris, & Seniorum conscientia, infirmitatis qualitate considerata, de prædictorum omnium consensu, & consoris ordinarij Consilio, poterunt omnes prædicti, quò ad esum ciborum Paschalium, Medici absentiam supplere.*

Secundus casus est, quando quis esset in itinere, & infirmaretur, vbi non esset Conuentus Religionis nostræ. Tunc enim, si haberet Socium, de eius licentia, & Consilio Medici posset comedere; Et si Medicus non adesset, deberet adire Chirurgum loci. Quod si reperiretur in loco, vbi non esset neque Medicus, neque Chirurgus, neque haberet Socium, tunc petat Consilium, & licentiam à conscientia propria.

Tertius casus est, quando quis esset in itinere, & non inueniret quidquam Quadragesimale, quod posset comedere, posset carnes, & quodcumque aliud Paschale comedere absque vllo scrupulo peccati, vt Zanardus ait *1. part. sum. c.* 51. *pag.* 353. *versu* 3. *causa.* Pro hoc, & secundo casu faciunt. Primò id, quod dicitur *cap. Consilium, de obseruat. ieiunij*; Et in regula, quod non est licitum, *de regul. iur.* vbi dicitur. *Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum.*

Secundò pia legislatoris, & legis mens, quæ non præsumitur in talibus casibus obligare voluisse; nimis enim dura, & acerba esset, neque plena charitatis, neque mitis, & sancta, vt de ea legislator dicit *num. vlt. regulæ.*

Tertiò facit *cap. Carnem, de consecrat. dist.* 5. Quod licet à Gratiano non ponatur integrum, & sit omissum illud, ad quod illud adduco, per extensum tamen ponitur à Turrecremata *in regula Sancti Benedicti tract.* 104. *dub.* 3. Quod sic habet. *Carnem cuiquam Monacho nec gustandi, nec sumendi est concessa licentia, quod Creaturam Dei indicemus indignam, sed quod carnis abstinentia vtilis, & apta Monachis æstimetur; Seruato tamen moderamine pietatis erga ægrotorum necessitudines: aut longè proficiscentium, vt ex volatilibus sustententur: Et longinquo itineri destenati*, Et non habentes intellige, quòd aliter sustententur, vt videtur intelligere dictus Turrecremata. Et licet inter Monachos S. Benedicti, & nos Minimos sit maxima differentia, quia ipsi non obligantur ad hanc abstinentiam per votum, neque mortaliter peccent comedendo, vt docet D. Thom. *quodlib* 1. *art.* 20. tamen quando agitur de necessitate, quæ nulli legi subiicitur, vt dicitur *cap. Consilium, de obseru. ieiunij*, sumus omnes pares.

Quartò facit præcitatum statutum Genuense, in similibus enim pari modo est procedendum. Si enim per nostras constitutiones in Conuentibus valde distantibus à Ciuitatibus, datur licentia Correctori, & Senioribus dispensandi

ſpenſandi cum Conſilio tonſoris ſuper vita Quadrageſimali, multò magis etiam daretur in iſtis caſibus, vbi neque Medieus haberi poteſt, neque Superior : Et vbi alij cibi, quam Paſchales non inueniuntur.

Quintò facit quod habet Soſomenus *lib. 1. hiſtoriar. cap.11.* de Magno illo Spiridione Trimitutenſi in Cypro Epiſcopo, qui inſtante Quadrageſima, diebus, quibus ipſe cum ſuis ieiunia peragerer, ad aduentum hoſpitis, cum nec panem, nec aliud, quam carnes ſuillas domi haberet, eas coqui iuſſit, hoſpitique apponi, ac de his ipſe primò comedere cæpit.

Ex quibus colligitur, quod ſi tempore famis, vel belli non reperirent Fratres Minimi quod comederent, præter carnes, & alios Paſchales, quod poſſent eas licitè, & ſine ſcrupulo comedere; Immò ad tuendam vitam deberent, ſi nihil aliud penitus haberent. Faciunt vltra dicta Panorm. *in cap. Conſilium, n. 2.* Et Graſſius *lib. de caſibus reſeru. cap. 10. num 33.* Quo tamen caſu aduerterem, non debere eos Religioſos dictos cibos Paſchales comedere in Refectorio, ſed in Infirmaria. Dixi non debere; Nam ſi comederent abſque contemptu, non peccarent quidem mortaliter, ſed incurrerent pœnam *in Correctorio n. 53.* taxatam.

Quartus caſus eſt, quando quis Frater Minimus detineretur à graſſatoribus, vel ab aliis perditiſſimis hominibus, à quibus veſci Paſchalibus iuberetur ſub comminatione mortis, de facto, ſecuturæ, ſi renueret comedere, Quo caſu dico, quod non ſolum poſſet carnes comedere, ſed etiam deberet ad ſaluandam vitam : modo talis carnium eſus illi non iuberetur in contemptum Catholicæ fidei. Ita Panorm. *in cap. Quod non eſt, de reg. iur. n. 2.* Angleſ. *in floribus parte 2. q. de excomm art. 3. difficult. 7. pag. 41.* Antoninus *part. 2. tit. 10. c. 6. verſu Secundus caſus*, Ioannes Medina *C. de ieiunio, q. 13. ad tertium*, Graſſius *lib. 2. de caſibus reſeru. c. 10 n. 40.* Suar. *tom. 2. de Relig. lib. 4. cap. 20. à num. 1.*

Probatur prima pars ex *cap. conſ. de obſeru. ieiunij*, & Gloſſa *in Regula*, quod non eſt licitum, *verbo Ægrotur:* Et ſimpliciter verum eſt, non frangere votum, qui illud propter neceſſitatem non ſeruat, vt habet Panorm.

Secunda pars etiam probatur, quia alioquin eſſet quis ſui ipſius homicida contra præceptum diuinum naturale, nec voti obſeruatio eſſet tunc Deo accepta, qui vult vitam conſeruari.

Tertia pars etiam probatur, quia in contemptum fidei potius eſt moriendum, quam aliquid attrectandum, & communis habet ſenſus Eccleſiæ : & dicunt præfati Doctores, præſertim Angles: pro hoc caſu faciunt etiam, illi Doctores; qui dicunt, Carthuſianum nequeuntem vitam ſaluare abſque eo quod carnes comedat, comedere debere, etiamſi voto ad id eſſet adſtrictus, vt Ioan. Medina *Cod. de ieiunio, quæſt. 53. ad quartum*, & alij, quos citat Vaſquez *diſp. 162. cap. 1. num. 1. & 2.*

CAPVT VI.

Soluuntur aliqua difficultates in materia vita Quadrageſimalis.

QVæres primò. An cum ſenibus, eo ſolum quod ſenes ſint, poſſit diſpenſari ſuper Quadrageſimali vita, ita vt liberè, & ſine ſcrupulo, cum ad ætatem ſenilem peruenerint, quæ iuxta Pſalmographum Pſ. 89. eſt, cum peruentum eſt ad annos 70. *Dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni.* Vel ad ſummum in complexionibus potentioribus, ſeu validioribus, ſeu robuſtioribus ad annos octoginta, vt dicitur eodem Pſalmo. *Si autem in Potentatibus octoginta anni, amplius eorum labor, & dolor*, Videtur quod ſic; Nam tota vita ſenum eſt tantùm miſerabilis non ſolùm exterius, ſed etiam interius, vt digna ſit omni compaſſione; & indulgentia. Nam quantum ad corpus verum eſt illud Terentij: *Senectus ipſa morbus eſt.* Et aſſerum etiam Ioannes Andreas *in c. Magna, de voto, num. 6.* vbi Panorm. *numero 8.* & Auguſtinus *lib. de Cathechizandis rudibus* ait. *Quiſquis optat ſenectutem, quid ſibi optat, niſi infirmitatem?* Et Ariſtoteles *lib. 5. de generatione animalium, cap. 4. fine. Senectus naturalis*, inquit, *Morbus eſt.* Et ſect. 14. Problem. problem. 7. *Senectus*, inquit, *Quadam putredo eſt.*

Quantum autem ad animum, multa etiam reddunt ſenectutem miſerabilem, de quibus Incognitus *ad Pſal. 89. verſu. Si autem in potentatibus.* Et quinque numerat. Primò quod *Sunt increduli*; Sunt enim in multis experti, & ſic cognoſcunt homines in multis mentiri, & ideò difficulter credunt. Secundò. *Sunt ſuſpicioſi*; omnia enim, quæ vident, vt plurimum ſuſpicantur in malum, & interpretantur in partem deteriorem; aliena enim facta è ſe ipſis metiuntur, vnde Cicero *apud Martinum de Roa lib. 6. ſingul c. 14.* inquit, *Vt quiſque bonus eſt, ita difficillimè alios eſſe improbos ſuſpicatur, è contra.* Tertiò. *Sunt puſillanimes*, Et timidi; Sicut enim in eis deficiunt humores, & vita, ſic etiam deficit cor. Quartò. *Sunt auari, & illiberales*; Quia propter eorum infirmitates ſemper dubitant, ipſis aliquid de futurum, ſeu auaros dicamus, quia conſiderant, quanto labore bona illa, quæ poſſident, ſint parta : vel quia non ſperant, ſe aliquid vlterius acquiſituros, Vnde iam acquiſitum tenaciter cuſtodiunt. Vt vt ſit. Vitium commune omnium, eſt quod. *Nimium ad rem in ſenecta attenti ſumus*, vt dicebat. Terent. Quintò. *Sunt mala ſpei*, Nam omnia ſibi deficere credunt, & non ſperant niſi mala, niſi mortem : Vnde de futuris nunquam loquuntur in communi cætu, ſed ſemper de præteritis. Propter hæc, & ſimilia, quæ poſſunt dici de miſeria illius ætatis, videtur, quod poſſet cum eis diſpenſari in ordine noſtro ſuper Quadrageſimali abſtinentia.

Reſpondeo tamen, hanc quæſtionem mouere Panormit. *loco cit.* ſed nihil reſoluere. Vnde dico, in ordine noſtro ratione ſenectutis præciſè, non poſſe cum aliquo diſpenſari ad comedendum carnes. Et ratio eſt, quia, votum vitæ Quadrageſimalis, eſt ſolemne, vt dixi, & de ratione ſolemnitatis voti eſt perpetuitas, deinde votum non excludit, niſi caſum infirmitatis. Vnde qui illud vouet, intendit ſe obligare omni tempore, illo caſu ſolummodò excepto; Ergo intendit etiam ſe obligare ad illud obſeruandum cum aliqua difficultate in ſenectute. Ita Menoch. *de arbitr. lib. 2. caſu 60. num. 10.*

Quando autem dicitur, quod ſenectus ipſa morbus eſt, intelligitur, quod communiter, & ordinariè eſt morborum plena. Vnde tunc ratione morbi poteſt benè Minimus diſpenſari. Si autem eſſet ſenex nonagenarius, & vltra, ſanus tamen, quantum illa ætas pateretur, non poſſet cum eo diſpenſari, vt Paſchalibus veſceretur, quia eſſet contra votum.

Vnum hic addo, ſaniores facilius obſeruare vitam Quadrageſimalem, quàm iuniores propter aſſuefactionem. Quod experientia probamus, & tradit nobis Sanctorum patrum doctrina. Sic Sanctum Doſithæum dilectum diſcipulum docuit Sanctus Dorothæus, vt dicitur in eius vita. Et Climachus *gradu 14.* ait. *Laxi, & molliti vires capaciores fiunt, ſin autem negligantur, minus capient. Qui ventrem ingurgitat, dilatauit inteſtina. Qui verò aduerſus hunc pugnat, contraxit, ac reſtrinxit illa : His autem reſtrictis, nihil opus eſt pluribus cibis, Tuncque iam naturaliter ieiunantes efficimur.* Et de S. Carolo Borromæo dicitur, quod duo docebat principia ad hoc propoſitum. Primum, *vt à paruis incipiendo, eaque ſenſim augendo ſemper proficias, & creſcas.* Secundum, *vt in eo non langueſcas, ſed conſtanter retineas, quod ſemel obtinuiſti, & in eo pergas.* Quæ ita ipſe practicauit, vt primo carne, deinde ouis, poſtea lacte abſtinens, tandem ſolo pane, & aqua contentus fuerit.

Vnde patet, quod seniores propter assuefactionem ad Quadragesimales cibos, facilius eos concoquunt, & digerunt; Nam facti sunt quodammodo stomacho illorum naturales. Et si cupis scire, qua ætate quis dicendus sit senex, ad Menoc. recurre *lib. 2. de arbitr. casu 59.*

Quæres secundò, an Prælato, seu Correctore indiscretè, vel propter auaritiam, vel propter duritiam, & immisericordiam, vel aliam inordinatam passionem, nolente dispensare cum aliquo Religioso infirmo, vt carnes comedat, asserente Medico, eum talibus indigere, possit hic cum sola Medici licentia Paschalibus vesci.

Respondeo, Superiorem non posse rationabiliter talem licentiam denegare; quis regula ipsa concedit. Vnde si neget, potest subditus tuta conscientia Paschalibus vesci. Nam *licentia iure petita, si iniuste negetur, videtur ipso iure concessa.* Vt dictum est in Superioribus. Quam regulam probat Henriq. *lib. 6. de pœnit. c. 13. n. 4.* multos citans *in commento littera F.* Quare neque etiam possunt Correctores, neque Prælati infirmos ab Infirmaria expellere, vt habetur *in Capitulo Genuensi 4. num. 14.* vbi talis huius rei redditur ratio: *Sicut de Medici consilio, ac illius onerata conscientia dispensatur is firmis, carnes in Infirmaria comedere: ita de eiusdem Medici consilio, & ipsius pariter onerata conscientia, iidem infirmi ab Infirmaria exire debent.* Quæ ratio optima est. Et notent Correctores, quod tenentur infirmis etiam perpetuis dare omnia, quæ solent dari sanis, & multo plura, si illis indigeant V. G. annua vestimenta caligas, & femoralia, &c. *argum. cap. Primi, de Clerico ægrotante.*

Quæres tertiò, An peccet mortaliter Frater minimus comedens carnes, & pisces in eorum prandio, vel cœna, dum est dispensatus super Quadragesima.

Respondeo, peccare omninò mortaliter. Ita Nauar. *lib. 5. consil. de priuil. consil. 18.* Sayrus *lib. 3. decis. 5. de obseruat. ieiun.* Graffius *1. part. decis. lib. 2. c. 37 num. 59. & lib. 2. de casib. reseruat. cap. 10. num. 50* Ratio est, quia ea præcisa ratione dispensatur Minimus super Quadragesima: Quia scilicet non potest vesci Quadragesimalibus absque dispendio sanitatis, nec cum istorum comestione potest amissam sanitatem recuperare. Et si aliter quis dispensaretur, non valeret dispensatio, & tam dispensans, quam dispensatus mortaliter peccarent. Cuius veritatis est textus regulæ clarus *n. 26.* vbi dicitur. *Quod ingrauescente infirmitate deducatur Infirmus ad Infirmariam exteriorem; & ibi iuxta ordinationem Medici, & Correctoris iussione vigilanter, & charitatiuè illi succurratur de quibusvis cibariis, pro sanitate celerius restauranda.* Et quod hæc sit præcisa ratio dispensandi, patet ex eadem regula eodem loco. Vbi dicitur, *Quod quando quis inciderit in infirmitatem; deducatur ad Infirmariam claustralem, & ibidem primitus de cibis Quadragesimalibus illius Infirmitati congruentioribus illi succurratur.* Vnde patet, quod prius debet tentari, an talis infirmus possit, cibis Quadragesimalibus vescens sanari. Quod si non possit, immò in deterius ire dignoscatur, quia apparet, tales cibos ei nocere, debet tunc duci ad vescendum Paschalibus in Infirmaria. Manet ergo, quod præcisa ratio dispensandi super Quadragesimali abstinentia cum Fratre Minimo, est, quia non potest Quadragesimales cibos comedere absque sanitatis dispendio. Ergo si comedat tunc dictos Quadragesimales cibos, peccat mortaliter non solum contra ius naturale, quo prohibemur edere nobis læsura, vt docet Nau. *in Man. c. 15. n. 13.* sed etiam contra votum.

At inquis, scio Quadragesimales cibos, quos comedam mihi non læsuros; ergo comedere potero.

Respondeo, Tunc cessare rationem dispensationis; Quia si non sunt Quadragesimales cibi nociturі, non potes Paschalibus vesci, sed debes votum tuum obseruare, & Quadragesimales cibos comedere. Quod si comedis tunc (id est quando tibi non nocent Quadragesimales) Paschales, peccas contra votum, quo prohiberis non comedere, nisi quando necessitate vrgeris: Ita vt, naturaliter loquendo sanitatem recuperare non possis, nisi mediantibus illis. Si replices docebunt quidem, sed non notabiliter, tunc dico, quod paruum nocumentum à mortali excusabit. Nisi sæpius repliceтur, nam tunc ex paruo fiet magnum, vel nisi in longum protrahas sanitatis recuperationem, nam tunc non poterit amplius dici paruum.

Quæ ratio non solum militat in eodem prandio, vel cœna, vt docent præfati doctores, sed etiam in diuersis comestionibus. Atque ita credo, peccare omnino mortaliter fratrem Minimum comedentem non solum in eadem refectione carnes, & pisces, sed etiam in vna carnes & in alia pisces: seu vno die pisces, alio carnes. Et hoc specialiter propter solemne votum, quod emisit vitæ continuæ Quadragesimalis, excepto infirmitatis tempore. Quod nihil persuadet dicta ratio. Contrarium tamen sentit Fagund. *in 4. præcep. Eccles. lib. 1. cap. 2. num. 18.* & Trullench *in exposit. Bull. Cruc. lib. 1. §. 4. dub. 2. num. 3.* Azot. *tom. 1. lib. 7. cap. 10.* Sanch *lib. 4. in decalog. c. 11. num. 57.* Henriq. *lib 7. cap 30. num. 3.*

Excusarem tamen ab hac regula continuè languidos, sed infirmitate incurabili laborantes, qui constringuntur semper Paschalibus vesci, quique propter obseruationis regulæ amorem vellent aliquibus diebus in hebdomada communibus Quadragesimalibus vesci, etiam si scirent, eos potius sibi aliqualiter nocituros, quam profuturos, pro quo facit Regin. *in praxi, lib. 4. n. 175* Azor. *1. parte lib. 7. cap. 10. q. 5.*

Excusaretur etiam, qui comederet paruam quantitatem, vt docent præfati doctores; quia parua quantitas in omni materia excusat, saltem à mortali.

Quæres quartò, an frater Minimus dispensatus ad comedenda oua, possit comedere carnes, caseum, butyrum, lac, sanguinem.

Respondeo, Licentiatus ad comedenda oua, non potest comedere carnes. Tum quia à diuersis non fit illatio, carnes autem sunt specificè distinctæ ab ouis, vt patet, & habet Beia, *2. par casuum, casu 3. pag. mihi 242. versic vnde illud.* Tum quia cui concessum est minus, non censetur esse concessum maius. Tum quia id habetur expressè *in capite Presbyter, dist. 82.* Tum denique quia ita seruatur in praxi. Poterit quidem dispensatus ad oua, vesci caseo, lacte, butyro. Tum quia ex lacticiniis isti solent oua aptari. Tum quia hæc omnia sunt eiusdem rationis. Ita Bartholomæus Medina *in sua instruct. confess. c. 14. §. 10.* Azor. *tom. 1. instit. moral. lib. 7. cap. 10. q. 4.* Reginaldus *in praxi, lib. 4. num. 170.* Sanchez 8. *de matrim. disp. 1. num. 29.* Poterit etiam dispensatus ad oua, comedere sanguinem, *Argumento dicti cap. Presbyter, dist. 82.* Et habet Abulensis *in cap. 6. Mathei, quæst. 171. col. 2.* Dispensatus autem ad carnes, poterit comedere oua, &c. *Nam cui licet id, quod est maius, licet etiam id, quod est minus,* per regulam, *Cui licet;* quæ est *53. de regul. iuris in 6.*

Quæres quintò, An Frater Minimus comedens carnes in infirmaria teneatur ieiunare.

Respondeo, Caiet. *2. 2. quæst. 147. art. 8. versic ad hoc dicitur.* Azot. *loco cit. quæst. 3* Bartholomæus Medina *loco cit.* dicunt, quod dispensatus ad comedendas carnes, non tenetur ad ieiunium. Quia abstinentia carnium est pars essentialis ieiunij. Ioannes Medina *Cod. de ieiunio, quæst. 5. dub. 1. ad finem,* Reginaldus *in praxi, lib. 4. num. 168.* dicunt quod tenentur ieiunare, *Quia cum alicui fideli ob causam aliquam permittitur in die ieiunij ab Ecclesiastica regula in aliquo recedere, in tantum illi id permittitur, in quantum se extendit ipsius causa indigentia.* Pro qua regula facit textus *in c. Cum dilecti, de dolo, & contumacia.* Sed distinguendum puto. Vel qui licentiatur ad comedendas carnes, licentiatur propter languorem, ex incurabili infirmitate prouenientem, seu ad aliquam infirmitatem præcauendam, cui vsus ciborum

ciborum Quadragesimalium est valdè nociuus; vt sunt verbi gratia, Hernia, Podagræ Laborantes; Qui alioqui sunt stomacho sano, & robusto, & sic tenentur ieiunare: Vel licentiatur propter infirmitatem grauem, vel debilitatem stomachi impotentis eum cibum recipere, & digerere vnica comestione, qui esset necessarius ad vitæ sustentationem, & sic non tenetur. Quod tenet Angles *in floribus, pars. 2. quæstione de abstinentia a cibo art. 1. dist. 9. pag.* 488. Et vniuersaliter censeo, præceptum debere obseruari in quantum potest. Cum præsertim partes illæ ieiunij integrales tantummodò sint.

Quæres sextò, An Religio Minimorum sit perpetuò ieiunantium institutum.

Respondeo, ita esse; Quia cum pars principalior ieiunij sit abstinentia ciborum, licet nos aliquando, idest per quinque, aut ad plus sex menses in anno, bis in die comedamus, tam tenuis est tamen nostra cæna, vt sit multorum ientaculo minor; non enim comedimus nisi aliquas herbas cum paruis pisciculis. Sed esto; quod ex hac parte nostrum esset minus perfectum ieiunium. Ieiunium tamen est; quia adest ibi principalium pars ieiunij, qua deficiente, secundùm aliquos nullo modo ieiunium subsistere potest. Ita colligitur ex Azor. *tom. 1. instit. moral. lib. 7. c. 15 q. 2. versu ex his omnibus colligimus.* Ad quod citat *caput quia dies, de consecr. dist. 5.*

Quæres septimò, quot peccata committat Frater Minimus, determinans, & firmiter statuens comedere sibi vnum caponem v. gr. non tamen totum vnica comestione, sed pluribus, medium nimirum mane, & medium vesperi.

Respondeo, tot peccata distincta numero committit, quot sunt comestiones numero distinctæ. Itaque si illum comedat vnica comestione, vnum peccatum committit, si decem, decem. Et Ratio est. Tum quia licet alioqui vnus sit actus voluntatis, peccata tamen numero distinguuntur quando res voluntati obiecta numero differt; Siue vno simul voluntatis actu, siue pluribus approbetur, & placeat. Tum quia votum non comedendi carnes est negatiuum, quod obligat semper, & ad semper. Atque ita docent Antoninus *secunda parte, tit. 11 cap. 2.* §. 2. Et Beia *secunda parte casuum, casu 3. pag. 244. versu colliges tertio.* Quod idem dic de eo, qui in principio Quadragesimæ firmiter statuisset toto illo tempore, ieiunium soluere. Tot enim peccata committeret, quot sunt Quadragesimalia ieiunia. Idem dic de eo Religioso, qui determinasset per totum annum officium diuinum omittere. Et de eo, qui dormiens cum meretrice, determinasset à principio, se sæpè illo cibo pro posse satiare, eamque per tot, quot posset vices cognoscere. Ita in specie Azor. *tom. 1. instit. moral. lib. 7 cap. 20. q.* 8. Ioannes Med. *Cod. de Ieiunio, q. 5. dub. 2.*

Quæres octauò, An Frater Minimus licentiatus ad comedendas carnes, possit eas comedere in diebus Veneris, & Sabbathi; videtur enim quod sic, quia solutus à maiori, censetur solutus à minori, Obligatio autem voti est de iure diuino, Obligatio præcepti de iure positiuo.

Respondeo, Quando eadem est vtrobique omninò ratio, verum est, quod solutus à maiori, censetur solutus à minori. In casu autem nostro non est eadem omninò vtrobique ratio, Nam, vt fateamur, quod secundum doctrinam sit eadem omninò ratio, & quodammodo à priori, secundùm tamen communem existimationem, & à posteriori maior causa requiritur ad dispensandum super esu carnium in diebus Veneris, & Sabbathi, quam requiratur ad dispensandum super alijs diebus Quadragesimæ. Nam ad dispensandum super alijs dieb. sufficit Medicis qualis, qualis infirmitas, cui esus piscium sit nociuus. Ad dispensandum autem diebus Veneris, & Sabbati requiritur omninò grauis infirmitas. Vnde sæculares communiter, præsertim in istis nostris partibus, dispensati ad comedendas carnes in Quadragesima, eas non comedunt dictis diebus Veneris, & Sabbati, & admodum scandalosum esset, his diebus absque graui euidenter infirmitate carnibus vesci. Cum diebus Veneris, & Sabbati hic licitum sit comedere oua, caseum, butyrum, & lac. Quare optimè potest obseruari præceptum Veneris, & Sabbati, non obseruato præcepto Quadragesimæ propter aliqualem infirmitatem. Et ita habet hic consuetudo, quæ vim legis habet, & est omninò seruanda, vt docet Abu. *in cap. 6. Matthei, q. 171.* Et habetur *cap. Vtinam, dist. 76.* Vnde peccaret omninò mortaliter Frater Minimus, qui absque graui euidenter infirmitate, & absque speciali Medici licentia (quæ semper, quando est necessarium dictis diebus comedere carnes, specialiter adhibetur) carnes diebus Veneris, & Sabbati comederet. Tum propter consuetudinem. Tum propter scandalum. Vnde Paulus 1. Corinth. 8. *Quapropter si esca scandalizat fratrem meum non manducabo (carnem) in æternum.* Ad quem locum dicit Chrysost. *Hoc Magistri optimi est officium, suo exemplo docere, quæ præcipit. Et non dicit, siue iustè, siue iniustè, sed quomodocumque. Et non dico, inquit Idolothytum, quod & propter aliam causam prohibetur. Sed si quod licet, & permittitur, scandalizat etiam, illo abstineo; Neque vna, aut altera die sed toto vitæ tempore. Non enim manducabo inquit carnes in æternum. Et non inquit ne perdam fratrem, sed simpliciter vt non scandalizem. Etenim vltima amentia est, quæ Christo pretiosissima sunt, & talia, vt eorum gratia mortem obire non recusauerit, ita nos despicatissima arbitrari, vt escis propterea non abstineamus*

Quæres nonò, An Frater Minimus possit saltem his diebus Veneris, & Sabbati comedere cibos coctos in iure carnis, quando est licentiatus ad comedendas carnes.

Respondeo, non posse, nisi vrgente graui infirmitate, & de Medici consilio speciali, vt dictum est de esu carnium. Quia ius carnium substantiam in se imbibit, & prohibitus comedere carnes, prohibitus est etiam comedere ipsarum ius. Vide Sanch. 4. *in decal. c. 11. num* 48.

Quæres X. An Frater Minimus licentiatus ad comedendas carnes, possit eas comedere feria sexta, in qua caderet dies Natalis Domini.

Respondeo posse. Quia licet caput vltimum de obseruatione ieiunij solum eximat ab abstinentia carnium eo die. *Qui nec voto, nec regulari obseruantia sunt abstricti.* Qui tamen est dispensatus ad carnes, non est pro illo tunc vllo modo ligatus, ergo poterit comedere. Ita Sanch. *lib. 4. in decalogum, cap. 11. num. 63.* Armilla *verbo Ieiunium, n. 13.* Sà *ibidem, n. 6.* Beia *2 parte casuum, casu 3. pag mihi 240. versu. Respondetur.*

Quæres XI. An Frater Minimus in prædicatione verbi Dei occupatus, neque dictum munus exequi valens absque carnium comestione, debeat potius prædicationem omittere, quam votum Quadragesimalis vitæ frangere, an è contra teneatur votum vitæ Quadragesimalis frangere, & munus prædicationis continuare.

Respondeo distinguendo Primò. Vel prædicator voluntariè se ingerit, petens prædicandi licentiam, & locum sibi ad prædicandum procurans. Vel prædicare iubetur à Prælato. Secundò, vel antequam eat ad prædicandum, nouit se non posse tota Quadragesima prædicare absque comestione carnium, vel non nouit. Qui voluntariè se ingerit, noscens suam impotentiam ad prædicandum absque fractione voti, peccat omninò mortaliter; Quia cum id muneris ex officio non habeat, occasionem quærit non obseruandi voti. Et illud ad Roman. 10. *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur.* Intelligitur propriè, non de ijs, qui vadunt ad prædicandum cum licentia suorum Superiorum; Nam sine hac omninò mortale est tale munus exequi, vt dictum est; sed de ijs, qui per obedientiam tale munus exequi coguntur. Qui verò nouit talem impotentiam, & iussus à Prælato prædicare, ei eam manifestat, qua cognita, si Prælatus in sua iussione nihilominus

nihilominus perderet, ductus rationabili causa, nimirum propter bonum commune, quia scilicet talis Pater est prædicator famosus, qui prædicat cum magno Spiritu, & multum solet in suis prædicationibus proficere, vel ad conuertendos hæreticos, vel ad conuertendos peccatores, fortè prædicare tenebitur. Quia videtur illo casu, posse Prælatum declarare, votum non obligare, vt pote maioris boni impedimentum, si præsertim alij Prædicatores non reperiantur, qui possint æquè bene, & velint, saluo voto, tale munus exequi. Qui autem inter prædicandum factus est impotens, verbi gratia media Quadragesima, ad continuandum suas prædicationes, vel nouerit prius talem impotentiam, vel non nouerit, vel fuerit iussus, vel sponte se ingesserit, credo, quod licet peccauerit, si nouerit, & non fuerit iussus, tamen comedere poterit carnes cum Superioris licentia de consilio Medici; Ducor primo, Quia in isto casu iste est impotens ad exequendum munus assumptum, Vnde videtur quodammodo infirmus. Secundò, quia bonum commune id videtur suadere, præsertim si prædicet in loco, vbi non sit alius Prædicator, & multum profectum in animis audientium faciat. (Nam de quibusdam prædicatoribus, qui solùm prædicant, vt Prædicatores sint, & ad id se maximè voluntariè ingerunt, non dubito, quin mortaliter peccent, si votum non obseruent.) Tertiò. Id videtur licitum ad vitandum scandalum; quia videntes populi, suum prædicatorem non infirmum, suas prædicationes non continuare, scandalizabuntur. Et ad vitandum scandalum multa permittuntur, quæ alias non permitterentur, vt dicitur *Capite vt constitueretur, dist. 50. Et cap. Latores extra, de Clerico excommunicato ministrante*; Et docet Abulensis *in cap. 6. Matthæi, q. 149.*

Tandem fateor, propter difficultates tactas in isto casu, multos ex nostris abstinuisse à prædicatione, dicentes, votum se fecisse vitæ Quadragesimalis, non prædicationis. Nec mihi, vt verum dicam, planè omninò satisfeci, & maluissem auditorem esse, quam doctorem. Consului equidem peritos, iuxta *caput de quibus, dist. 20.* sed verè non videtur planè satisfactum dubio, attenta voti solemnis obligatione, & vnica sola causa remissionis. Satisfacient alij peritiores, cum præsertim facilè sit inuentis addere. Cum hæc scripsissem, venit ad manus Festus 2. *par. sui summary, c. 55.* qui refert constitutionem sui Ordinis ad hoc propositum, qui me valdè confirmauit in mea opinione. Et sic habet.

Valleoleti 1605. Ordinatur, vt prædicatores, qui tempore Quadragesimæ à carnibus abstinere non valent, eo tempore ad populum conciones non habeant, ne plus tanto scãdalo offendant, quam verbis ædificent. Et tamen Prædicatores non obseruant sub voto abstinentiam à carnibus.

Quæres XII. An Religiosus Minimus, qui à multis annis solet bis in anno infirmari, & per consequens licentiari ad comedendas carnes, possit emere suo tempore aliquod obsonium Paschale, retinendum apud aliquem amicum sæcularem, & comedendum tempore, quo Paschalibus licebit vesci, verbi gratia propter vtilitates, quas scit stomacho afferre caseum, ipsomet caseo restante his versibus.

Ignari Medici me dicunt esse nocivum,
Sed tamen ignorant, quæ nocumenta feram.
Expertus reor esse ratum, quia commoditate,
Languenti stomacho caseus addit opem.
Caseus ante cibum confert, si defluat aluus,
Si constipetur terminat ille dapes.
Ad fundum stomachi dum sumpta cibaria trudit.
Vim digestiuam non minus ille iuuat.
Si stomachus languet, vel si minus appetit, ille
Fit gratus stomacho, conciliatque cibum.

Præsertim si habeat conditiones positas sequenti disticho.

Non Argus, Cygnus, nec Magdalena, Mathusel,
Non Abacuc, Lazarus, Caseus ille bonus.

Ordinat eidem caseario tempore Maij, vt viginti, aut triginta libras casei omni diligentia, & cura peracti, det quidam, vt suo nomine apud se retineat, vsque dum venerit tempus illum comedendi.

Respondeo, hoc non posse tuta conscientia fieri, etiamsi animum habeat non comedendi, nisi tempore licito. Primò, Hoc maximam gulositatem dicit, contra abstinentiam, quam profitemur. Secundò, quia hoc est ponere se in periculo proximo peccandi, licet n. caseus apud Religiosum non sit, est tamen apud amicum nomine suo. Tertiò, quia hoc videtur sibi Religiosus ille augurari infirmitatem, eamque, fodicante gula, semper expectabit. Quartò, quia hoc vix potest carere scandalo.

Quæres XIII. An liceat Frat. Minimo cum occulta licentia Medici, & Superioris carnes extra Infirmariam comedere. Verbi gr. laborat aliquis occulta infirmitate, qua astringitur continuè, vel quasi continuè Paschalibus vesci, sed & quia vult aliquando egredi domo; & quia nollet videri à Fratribus iam sæpè Paschales comedere, & quia vellet etiam posse habere officia in Religione, impetrat à Medico, & Superiore licentiam occultè in sua cella, seu apud aliquem amicum suum comedendi carnes.

Respondeo, Hoc nullo modo licere, Nam non potest Frater Minimus comedere carnes extra Infirmariam, vt patet ex c. 6. *Regulæ n. 26. 27. & 28.* Nec Medico, nec Superiori licet dare licentiam comedendi extra eam. Est etiam contra Decr. Clem. VIII. de non egrediendo è Cõuentu tempore infirmitatis. Et nulla æqua ratio suadet, id posse fieri; Nam si verè indiget, non est cur his puerilibus rationibus, & vanis detineatur. Illud autem, quod id fiat ad hoc, vt possint recipi officia, notat ambitionem, & est simul peccatum velle recipere aliquod officium, quod nequit exequi, vt debet, pro quo specialiter.

Quæres XIV. An Frater Minimus continuè languidus, sit ineligibilis ad dignitates Ordinis.

Respondeo, Valetudinarios in nostro Ordine esse inhabiles ad dignitates. Ita statutum est in Capit. Barchinon. 1. n. 19. *Valetudinarij autem ibi dicuntur, qui ex consuetudine morbi, & imbecillitate naturæ coguntur singulis fermè annis plusquam sex menses in Infirmaria agere, vescentes carnibus, nec Choro interesse valentes horis matutinis, nec communitati se conformare.* Quod idem fuit statutum *in Capitulo Genuensi 1. n. 33. & Bonon. 1. n. 27.* Et est maximè conforme Correctorio, *n. 65.* Et videtur insinuari *in decr. generalibus pro reform. regul. n. 36.* Vbi dicitur, *Ad officia, gradus, & Prælaturas illi præcipuè eligantur, qui possint, & consueuerint regulas Ordinis, & constitutiones obseruare, præsertim quæ pertinent ad seruitium Chori, ac vestitum, & victum communem.* Congruit etiam Iuri Canonico, *cap. Cum inter Canonicos, de electione,* vbi Pan. n. 2. hæc habet. *Nota, quod patiens morbum impedientem morbosum administrare dignitatem est ineligibilis. Infirmitas n. impedit promouendum, si dubitatur de conualescentia. Non tamen repellit iam promotum, sed debet sibi dari coadiutor.*

Ex quibus colligo duo. Primum, quod si quis esset infirmus graui quantumuis infirmitate, non per hoc est ineligibilis, nisi omninò dubitetur de conualescentia, vel nisi dubitetur, quod pro eo tempore non conualuerit, quo durat officium, ad quod est assumendus, v. g. si laboret aliquis febri quartana, vel tertiana, quæ per annum, & plus quandoque durare solent, non potest hic in die S. Michaëlis eligi in Correctorem; poterit quidem eligi in Prouincialem, & collegam, quia non dubitatur, quin intra illud tempus debeat conualescere.

Colligo secundò, quod electus ad dignitatem, quantũuis infirmetur, & taliter, vt dubitetur de conualescentia, seu de facto videatur, quod sit insanabilis, vt potè quia attactus, seu mancus, vel tabidus factus sit, non per hoc tamen potest priuari, sed debet illi dari coadiutor. Iuxta *cap. De rectoribus, de Clerico ægrotante.*

Quæres

Quæres XV. Vtrum cibaria Quadragesimalia noceant illis Religiosis Minimis, qui studijs incumbunt.

Respondeo, Licet possit videri alicui, hæc cibaria aliquatenus nocere studiosis, tum ratione difficilis digestionis, vnde natura valido calore indiget ad ea concoquenda, qui calor si diuertatur à ventriculo studiorum ergo, & trahatur ad caput, vt fieri necessario debet, quia natura semper est intenta ad adiuuandas partes nobiliores, præsertim si indigeant, & inter has nobilissima sit potentia intellectiua, quæ in studendo maximè laborat, generatur imperfectus chilus, & cum secunda concoctio nequeat emendare vitia primæ concoctionis, imperfectus quoque sanguis gignetur, qui non valebit vires reficere, & quod, continuo in mortalium corpore deperditur, reparare. Tum ratione parui nutrimenti, vnde non poterunt gignere eos spiritus, qui pro labore studiorum requiruntur; Licet si, inquam, propter hæc possit alicui videri, ista cibaria studiosis nocere. Quia tamen non omnia cibaria, quibus vescimur, sunt difficilis concoctionis, herbæ enim & pisces citò transeunt, & quia licet essent difficilis digestionis, posset hoc incommodum, lato tempore intermedio, inter studendum, & comedendum reparari. Et quia Religiosi cum corporaliter non laborent, non indigeant valido nutrimento, ideò puto, quod dicta cibaria notabiliter dictis studiosis non noceant. Addo, quod Minimi sunt talibus cibarijs assueti, vnde natura illis ita reficitur, ac si alijs substantialioribus esset refecta. Quod Medicos negaturos non credo; Nam Galenus 8. *Math.* dicit, *Consuetudo similem victum postulat.* Et ibidem. *Consuetis gaudent natura.* Et Hippoc. 2. aphor. 50. *Consueta,* ait, *Ex multo tempore, etiamsi deteriora fuerint inconsuetis, minus molestare solent.* Vnde cibaria Quadragesimalia assuetis non solum non officient, sed quam maximè proderunt, & magis quam alia cibaria substantialiora, inconsueta tamen. Et quod ita sit, experientia ipsa docet; Religio enim nostra doctissimos viros omni tempore aluit.

CAPVT VII.

An vita Quadragesimalis iuuet ad domandas passiones libidinis.

Videtur quòd non. Primò, quia in Quadragesima vtimur cibis salacibus, qui Venerem excitant secundùm Medicorum doctrinam. Et est tritum illud Horatij. *Salaces cibi Venerem citantes.*

Secundò Vinum, ad quod in maiori quantitate bibendum incitant salacia. Res est luxuriosa, vt dicitur Prou. 20. & ad Ephes. 5. *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.*

Tertiò, In vita Quadragesimali vtimur leguminibus, quæ etiam rem Veneream excitant ob generationem flatuum, vel spirituum, vt docet Plutarch. *in quæst. Rom. q. 95.* Qui addit. *Propter hoc seruantes castimoniam, vsu leguminum fuisse interdictos.* Quibus tamen non obstantibus.

Dicendum est, vitam, & abstinentiam Quadragesimalem maximè iuuare ad passiones libidinis edomandas.

Probatur primò, ex communi sensu Ecclesiæ, quæ ad hoc Quadragesimalem abstinentiam colit, vt colligitur ex illa Gregorij Epistola ad Augustinum Anglorum Episcopum, & refertur cap. Denique d. 4. *Piscium esus ita Christiano relinquitur, vt hoc ei infirmitatis solatium, non luxuria pariat incendium.* Ac si dicat, Ideò Ecclesia prohibet tempore ieiuniorum maximè Quadragesimalium, carnem, & lacticinia; vt carnem, & carnis illecebras edomandas doceat: Esus autem Christiano viro conceditur piscium ad solatium infirmitatis humanæ. Super quod caput dicit Archidiac. *Carnes ieiunij tempore ideò prohibentur, quia propter adipem & pinguedinem suam incendunt, vt nos, & carnes appetitum incitant, non ita pisces.* Et D.Thom. 2. 2. *q. 147. art. 8. corpore,* ait, *Ieiunium ab Ecclesia est institutum ad reprimendas concupiscentias carnis quæ quidem sunt delectabilium secundum tactum, quæ consistunt in cibis, & Venereis, & ideò illos cibos Ecclesia ieiunantibus interdixit, qui in comedendo maximè habent delectationem, & iterum maximè hominum ad Venerea prouocant. Huiusmodi autem sunt carnes animalium in terra nascentium, & respirantium, & quæ ex eis procedunt, sicut lacticinia ex gressilibus, & oua ex auibus. Quia enim huiusmodi magis conformantur humano corpori, plus delectant, & magis conferunt ad humani corporis nutrimentum, & sic ex eorum comestione plus superfluit, vt vertatur in materiam seminis, cuius multiplicatio est maximum incitamentum luxuriæ, & ideò ab his cibis præcipuè ieiunantibus Ecclesia statuit esse abstinendum.* Et Abulensis in cap. 6. Matthæi, q. 171. col. 1. *Ecclesia instituit ieiunium principaliter ad carnis vitia comprimenda, quia nihil est, quod magis confortet ad Veneream, quam vsus Carnium.* Et ista fuit causa quare omnibus Monachis interdicuntur carnes *cap. carnem, de consecrat. dist. 6.* quia scilicet debent cauere ab omni libidine, cum vouerint continentiam perpetuam.

Secundò Probatur ex Apostolo ad Rom. 13. *Sicut in die honestè ambulemus, non in comessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitijs.* Ebrietates enim, & comessationes libidinis sunt certissima causa. Et 1. Corinth. 9. *Sic curro,* inquit, *Non quasi in incertum, sic pugno, non quasi aërem verberans, sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo,* Quasi dicat. Hanc mihi domandi carnem præscripsi viam, vt eam per abstinentiam castigarem, & domatis ieiunijs, & vigilijs, passionibus sensualibus, eam rationi subiectam redigo.

Tertiò Probatur ex Patribus, Gregorio 30. moral. cap. 26. *Muros Ierusalem coquorum princeps* (Nabuzardam) *Destruit, quia virtutes animæ, dum non restringitur venter, perdit. Hinc est quod Paulus contra Ierusalem mœnia decertanti, vires coquorum Principi;* (idest ventri.) *Subtrahebat, cum diceret, castigo corpus meum, & seruituti subijcio.* Aug. lib. 30. contra Faustum, cap. 5. ait. *Christiani, non Hæretici, sed Catholici edomandi corporis causa, propter animam in orationibus amplius humiliandam; non quod illa esse immunda credant, non solum à carnibus, verum de quibusdam etiam terræ fructibus abstinent: vel semper sicut pauci* (Minimi) *Vel certis diebus, atque temporibus, sicut per Quadragesimam ferè omnes.* D.Thom. 2. 2. q. 147. art. 1. *Assumitur ieiunium ad carnis concupiscentias reprimendas. Vnde Apostolus dicit 2. Corinth. 6. ieiunijs, in castitate, quia per ieiunia castitas conseruatur.*

Ad primum ergo Respondeo. Verum quidem esse; quod salacia Venerem concitant; sed nos primò non semper vtimur salacibus, sed frequentius piscibus, herbis, & oleribus, salacibus tantummodo hyemis tempore, & propter defectum piscium; Secundò quando ijs vtimur, non vtimur, nisi prius bene dulcibus redditis aqua; atque ita illa non comedimus, nisi priusquam, quantum potest fieri salem expuerint. Tertiò dico, quod dato, quod salacibus vt talibus vteremur, non per hoc incitant ad luxuriam plusquam carnes; tum quia non tantam materiam luxuriæ, idest semen producunt; Tum quia motus, quem causant, est repentinus, & furiosus, qui non habens radices, citò transit.

Ad secundum, & tertium respondeo, ex D.Thom. 2. 2. q. 147. art. 8. ad 1. *Quod ad actum generationis tria concurrunt, scilicet calor, spiritus, & humor. Ad calorem quidem maximè cooperatur vinum, & alia calefacientia corpus: ad spiritus autem videtur cooperari inflatiua, vt legumina. Sed ad humorem maximè cooperatur vsus carnium, ex quibus multum de alimento generatur, Alteratio autem caloris, & multiplicatio spirituum citò transit, & ex alijs partibus corporis exhalatur, sed substantia humoris*

diu manet, Nec potest aliter, quàm per actum emissionis, vel resolutionis ad longum tempus purgari. Hæc ferè habet etiam Abulensis *in cap. 6. Matth. quæst. 171. col. 2.* Itaque vinum, & legumina accendunt quidem ignem libidinis, sed tanquam ignem paleæ; carnes autem accendunt ignem carbonum quercuum; Ad secundum autem in particulari dico, quòd salacia sitim quidem excitant; sed sitis extinguitur aqua, non vino.

Sed cur vinum, quod calorem accendit, non sit prohibitum tempore Quadragesimæ, carnes autem sic. Respondeo: Abulensis *loco citato colunn. 3. Quia carnes magis nocent volenti continentiam seruare, quàm vinum, etiamsi vinum generet plus de calore. Quia calor genitus per vinum nihil agit ad Venerea, nisi in quantum inflammat vasa seminaria, & loca vicina, & tunc fit titillatio magna: Et apparet differentia manifestè. Quia interdum quis calefactus vino incitatur parum ad Venerea, & interdum vehementissime; Quod non prouenit nisi ex differentia multi, vel pauci seminis. Nam illi, qui per coitum se exinanierunt, etiamsi calefiant à vino, non incitantur vllo modo, vel valdè remisse: Qui autem sic diu continuerunt, etiamsi parum calefiant à vino, ferocissimè incitantur. Et est eis grauissimum abstinere. Non ergo prouenit nisi ex seminis multitudine, quod cum fuerit calefactum pulsat ad exitum. Multo ergo peius est abundare in semine, quam calore.*

Sed adhuc obijcies. In maxima abstinentia maximè aliquando viget luxuria, & quanto durius maceratur caro, tanto quandoque glicit acerbius. Testis sit Hieronymus *in Epist. 22. ad. Eustochium.* Qui de se ipso ait (vt etiam supra retulimus q. 3. cap. 2. in principio.) *Quod in corpore frigido, & ante hominem suum iam carne præmortua sola libidinum incendia bulliebant.* Ex quo sequi videtur, quod abstinentia per se potius faciat ad libidinis ardores extinguendos.

Respondeo primò, quandoque Deum permittere, vt in sordidis cogitationibus reluctamur, ne per superbiam extollamur, Ita solebat docere B. Anton. relatus à Ruffino *lib. 3. vit. patrum, n. 128.* & refertur etiam *lib 7. cap. 15. n. 1.*

Secundò Respondeo, ex Cassiano collat. 22. cap. 3. *Hoc quandoque prouenire arte Dæmonis, vt eo tempore, quo magis puritatem amamus, & per hoc magis abstinemus, eo magis sordidis sentiamus cogitationibus stimulari; quandoque etiam nocturnè pollui ad nos in desperationem inducendum, & ad retrahendum à cœpto perfectionis itinere.*

Tertiò potest id etiam euenire, præsertim in principio abstinentiæ. Non ex præsenti inedia, sed ex nimietate præteritæ saturitatis: vel etiam ex mente non rectè custodita, in sola corporis exterius castigatione posita fiducia.

Obijcies etiam aliqui pisces sunt tantum delectabiles sicut carnes, & plus, vt Syluri, Gladij, Sciadei, Oratæ, Carpi, Truttæ, Lampretæ, &c. & etiam tantum nutriunt sicut carnes, ergo tam concitabunt Venerem, sicut carnes.

Respondeo, Quòd dicti pisces sint delectabiles sicut carnes, & plus, verum est, & ideo cibi sunt magnatum, qui carnium satiati, carnes nauseant quandoque. Quod autem sint nutritiui sicut carnes, falsum est. Nam sunt naturaliter frigidi, vnde non gignitur ex eis tanta seminis abundantia, vt habet Archidiaconus *in cap. Denique dist. 4. n. 4.* & Abulens. *in cap. 6. Matth. q. 166. col. 1. ad 2. q. 171. ad 3.*

CAPVT VIII.

An possint Fratres Minimi vescentes cibis Paschalibus in Infirmaria, Conuentu Egredi.

IN nostra Religione est decretum sanctissimi in Christo Patris Papæ Clementis Octaui, editum *anno 1596.* cum multis alijs, quæ fuerunt missa ad Capitulum Generale, quod tunc Genuæ celebrabatur, quæ decreta coram Capitulo lecta, & publicata ab omnibus fuere acceptata, & mandatum, vt ab omnibus obseruarentur, vt patet ex *n. 2. dicti Capituli.* In quo decreto præcipitur omnibus Religiosis istius Ordinis sub pœnis in ipso, vt durante tempore, quo in Infirmaria cibis Paschalibus vescuntur, non possint Conuentu egredi. Decretum autem sic habet.

Et quia quartum votum vitæ Quadragesimalis splendor est instituti, & Religionis Minimorum ideò ad tollendos abusus, & fraudes Fratrum parum zelantium sanctam obseruantiam, hac renouanda est, & in integrum restituenda, quæ deinde exactius, & diligentius ordines regula, & Correctori obseruentur, hoc pacto videlicet. Quod omnis Frater, qui Iudicabitur à Medico debere comedere cibos Paschales, teneatur permanere in Infirmaria toto illo tempore, quo dictis cibis vescetur, absque eo quod vnquam è Conuentu egrediatur: & absque eo quod vnquam comedat extra dictam Infirmariam; & hoc sub pœna priuationis vocis actiua, & passiua per tres annos subsequentes, à qua pœna habilitari non possit, nisi per specialem gratiam huius sanctæ sedis. Vide Sosam *in explic. Bullæ de donat. fundam. 2. pag. 6.*

Priusquam profetam quid circa hoc decretum sentiam noto, quod duplex est legis, seu statuti, aut decreti interpretatio. Vna generalis necessaria, & obligans ad sui obseruantiam: Sic interpretari ius diuinum, & Canonicum pertinet ad Papam per *cap. Venerabilem, qui filij sint legitimi*; Ad quem etiam pertinet interpretari etiam ciuilem, in quantum concernit clericos, *cap. 1. de iur. calumn.* In quantum verò concernit laicos, pertinet ad Imperatorem *lege finali, Cod. de legibus.* Altera interpretatio est non necessaria, nec iuridica, aut publica, sed priuata non obligans, & hac interpretatione possunt doctores omnes leges interpretari. Etiamsi Princeps dicat, *Nemini liceat hanc nostram paginam aliter interpretari*; Nam tunc solum prohibet interpretationes friuolas, & quæ sunt planè contra mentem ipsius: seu ex proprio capite, neque iuri, neque rationi innixas, vt docent Sà *in aphorismis verbo Interpretatio, n. 5.* Barbosa *in Prologo suarum remiss. in Concilium* alios adducens, Salas *de legibus, disp. 21 sect. 2.* Reginald. *lib. 10. praxis num. 53. versu, aduerte verò,* Rodrig. *tom. 1 quæst. regul. q. 11. art. 5.* Panorm. *in cap. Inter alia de sent. excommun. num. 2.* Quo pacto licet prohibitum sit decreta Concil. Trident. interpretari, interpretantur tamen, & declarant quotidie Doctores; Vnde non erit temeratium hoc decretum Pontificis interpretari, seu declarare. Cum huic interpretationi standum non sit, nisi in quantum iuri, & rationi erit consentanea. Hoc posito.

Dico primò, quod meo iudicio videri possunt Superiores ordinis Minimorũ concedere facultatem ad tẽpus alicui Religioso infirmo de Medici consilio, vt propter sanitatem recuperandam possit extra Conuentum degere, & ibi Paschalibus vesci, rationabili causa id suadente: scilicet, vel quia morbus est contagiosus, & timetur, ne serpat inter fratres, si cum illis commoretur ægrotus: vel quia Conuentus est multum distans à Ciuitate, & non potest ita de facili haberi assistentia Medicorum, prout requirit infirmitas: vel quia Conuentus est pauperrimus,

pauperrimus, & non potest tali infirmitati necessaria subministrare.

Probatur primò quia hoc decretum solum est factum ad tollendos abusus eorum, qui ventri, & abdomini fa-cti, cum minimo dolore capitis grauabant infirmitatem, quouisque licentiam vescendi Paschalibus extorsissent, qua exorta, per Ciuitatem continuè cursitabant, & ad Conuentum deinde reuertentes, in infirmaria Paschalibus vescebantur:& aliquando etiam cum scandalo Religionis in sæcularium domibus carnes comedebant. Quibus abusibus mederi voluit Pontifex isto statuto. Et quod hæc fuerit mens illius, patet ex illis verbis procemij, *Ad tollendos abusus, & fraudes*; Ex verbis enim prooemij colligitur mens statuentis, vt habet Panorm. *in cap. Aduersus, num. 2. de immunit. Eccles.*& Rodriguez *tom. 1. quæst. regular. quæst. 11. art. 6. versu prima regula.* Ratioque ipsa dictat, talem fuisse mentem Pontificis; Nam credendum non est, clementissimum Clementem tam contra clementiam, & charitatem voluisse in casibus supradictis, in quibus nec abusus, nec scandala reperiuntur, ligare manus Superiorum, quin possent suis Religiosis talem facultatem concedere, & præcludere Religiosis infirmis (quibus omnis clementia, & charitas debetur) viam sanitatis recuperandæ. Quod dicendum esset, si statutum deberet intelligi, vt sonat, Ergo cum de mente Pontificis constet, etiamsi verba statuti sint contraria; curandum non est, vt dicitur *in Regula Finali, de Regulis iur. in 6.* vbi habetur, Quod *Is committit in legem, qui verba legis complectens, contra legis nititur voluntatem.* Quod etiam habetur *cap. Marcion, & Basilides, prima quæst. 1.* vbi dicitur. *Nec putemus in verbis scripturarum esse Euangelium, sed in sensu, non in superficie, sed in medulla, non in sermonum folijs, sed in radice rationis.*

Secundo Probatur, quia talem constitutionem fecit Pontifex, *Vt inde exactè, & ad vnguem obseruarentur ordines Regula, & Correctorij*, vt dicitur *eodem proemio. At in Regula, cap. 6. num. 25.* hæc habentur. *Carnes igitur, & pinguedo, oua, butyrum, caseus, & quauis lacticinia ex eisdem congesta, & producta quacumque intus, ac extra (saluis modificationibus infrascriptis) omnibus, ac singulis Fratribus ipsis, & oblatis, sint omninò, & irrefragabiliter interdicta.* Vbi notandum, quod illud (*Intus, ac extra.*) Non appellat infirmos, sed sanos, & est positum ad differentiam Monachorum, qui in Refectorio non possunt quippe carnes comedere, possunt tamen alibi, tum in Conuento, tum extra illum; Quod autem dicitur in eadem regula, numero 26. *Deducatur talis infirmus ad infirmariam exteriorem intra Conuentus clausuram situm. Et ibi, iuxta ordinationem dicti Medici, de Correctoris iussione vigilanter, & charitatinè illi succurratur.* Ex quo videtur sequi, quod tantùm possit infirmus in Infirmaria Conuentus cibis Paschalibus vesci, vt sonat illud (*Ibi.*) Solum significat quod, (*Ibi.*) Idest in Infirmaria ipsa, non in Refectorio, non in hospitio, non in aliqua alia Conuentus officina, ne profanetur Conuentus Paschalibus cibis; Non autem significat, quod extra Conuentum infirmi nequeant exire, & in sæcularium domibus vna ex dictis rationibus suadente, debitis obtentis licentiis, Paschalibus vesci. Neque etiam significat, quod infirmi vescentes Paschalibus in Infirmaria, nequeant eo tempore è Conuentu exire. *Consuetudo numque, qua est optima legum interpres.* Vt dicitur *cap. Cum dilectus, de consuetud.* Ita interpretata est locum istum regulæ. Ante enim hoc statutum Pontificis nullo scrupulo infirmi egrediebantur è Conuentu; non vescebantur tamen extra illum Paschalibus, nisi eo modo, quo præscriptum est *in cap. Pauia*, de quo modo.

Quare in Regula, neque in Correctorio, an infirmi possint è Conuentu exire, nihil statuitur. Quid ergo sibi vult Pontifex, quando ait in dicto decreto, se illud facere, *Vt obseruentur ordines Regula, & Correctorij?* Puto, quod velit dicere, vt obseruentur ordinationes circa regulam, & Correctorium factas in capitulis generalibus. In quibus *capitulo Genuensi primo, num. 33. & Paulitano, num. 45. Prohibetur ægrotis in infirmaria carnes manducantibus, eo durante tempore, quo carnibus vescuntur, absque Medici consilio, & consensu, ac causa euidentissima, extra conuentum ire, & carnes, & lacticinia ibi comedere.* Et sic dicendum est, quod nihil aliud voluit Pontifex in illa sua ordinatione nisi renouare statuta istorum capitulorum; Vnde etiam vtitur illo verbo (*Renouetur*) Seu, vt dicitur in vulgari Idiomate, in quo sunt impressa illa statuta. (*Si rinoui.*) Ne scilicet ab infirmis extra Conuentum, absque euidentissima causa à Medico approbanda, comedantur Paschalia.

Et addo, quod non potuit aliud voluisse. Quia cum prædicta acta Paulitana fuerint confirmata à Paulo III. *die 27. Martij 1536.* per Bullam, quæ habetur *in nostris statutis post caremonias, num. 11.* & in ijs detur licentia ægrotis, vt cum consensu Medici, & Superioris, vt supponimus, possint extra Conuentum ire, & carnes ibi comedere, per simplicem ordinationem Pontificis subsequentis absque vllis clausulis derogatoriis; non videtur sublata talis facultas. Et probatur, quia leges generales etiam posteriores limitantur per leges particulares etiam priores, vt habetur *in Auth. Offeratur. C. de lit. contest.* Si in neutra earum legum de altera fiat mentio, vt docet Nauarr. *lib. 3. consil. de regul. consil. 62. num. 3.* Sic in casu nostro habemus duas leges, seu duo statuta ambo prohibentia egressum infirmis, & comestionem Paschalium extra Conuentum. Vnum prius, quod est Paulitanum confirmatum à Papa: Alterum posterius, quod est Clementis, & in neutro de altero fit mentio, ergo posterius limitandum est per prius, & iuxta illud intelligendum. Aduertendo semper, quod hoc vltimum statutum factum est ad renouationem priorum, & priora nulla sunt, nisi citata *in capitulo Genuensi, & Paulitano*, vt probatum est, Adde quod lex noua quantumvis generalis non corrigit casus speciales legis antiquæ, vt docet Glossa *5. in leg. 3. C. de silentiarijs lib. 12.* Felin. *in cap. sicut Romana, num. 3. & 10. de rescript.* Cassador. *decis. 6. n. 11. super regul.* Anton. Gabr. *in tit. de legib. conclus. 1. num. 1. & per totum* Mandos. *in regul. 11. quæst. 13. n. 3.* Puteus *decis. 195. num. 1 & sequent. lib. 1.* Gutier. *de iur. confirm. part. 1. quæst. 40. num. 2. fine.* Gonzal. *ad regul. 8. cancell. §. 7. procemali num. 75.*

Dico secundò, tabe laborantes, melancholicos, oppilatos, & continuè languidos posse absque periculo incurrendi pœnam taxatam in dicto statuto, è Conuentu egredi ad honestam animi relaxationem, etiam quando in Infirmaria vescuntur Paschalibus posséque Superiores illis talem licentiam tribuere: imò tribuere debere.

Probatur primo, quia lex humana non obligat in casu necessitatis, vel maximæ difficultatis, vt patet ex *cap. Quod non est licitum, de regul. iuris*, & habet Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 4. cap. 20. num. 1.* estque communis opinio. Sed in istis omnibus casibus adductis necessarium est, illos infirmos quandoq; è Conuentu egredi ad animi relaxationem, & corporis exercitationem, vt patet sensu, & docet omnis Medicorum schola. Et vt deinde reuertentes ad Conuentum Paschalibus in Infirmaria vescantur. Ergo in istis casibus statutum illud non obligabit; Alioquin impium, & contra charitatem esset. Nec est credibile, voluisse Summum Pontificem cogere melancholicos, tabidos, oppilatos, & continuos languidos ad standum continuè in Conuentibus (qui quandoque domunculæ sunt angustissimæ) diuturnis illis infirmitatibus, quæ diurnæ, imò perpetuæ de ordinario esse solent, voluisséque, his infirmitatibus afflictis aliam afflictionem adijcere, vt stateut continuè

domi

domi sepulti, contra dictum illud Iuris. *Afflictus non est affligendus*; Voluissetque hia infirmis negare ea remedia, quæ illis natura concessit; nimirum corporis exercitium, & mentis exhilarationem, quæ per egressum Conuentus ad honestam deambulationem acquiruntur.

Secundò Probatur, quia vota non obligant tempore necessitatis, vt probatum est supra *cap. 5. præsertim casu* 4. Ergo nec hoc statutum potest illo tempore obligare; Ergo tales infirmi poterunt absque timore pœnæ illius statuti è Conuentu egredi: Superioresque illis licentiam impartiri: imò debere, quia tenentur Prælati omni via, & modo licito suorum Subditorum tum corporis, tum animæ salutem procurare.

Itaque assero, tum in casibus primæ, tum in casibus secundæ conclusionis posse Fratres Minimos Conuentu egredi, quando in Infirmaria vescuntur cibis Paschalibus, & deinde reuertentes ad Conuentum, iterum in dicta Infirmaria dictis cibis vesci, nec vnquam contrarium, nec sensisse potuisse sentire Pontificem, vt constat ex dictis. Vnum hic addo (*Conceptum namque sermonem tenere quis poterit.*) Benignam esse legem Dei, benignas leges institutorum Religionum, benignas etiam leges Summorum Pontificum, At hominum malignitas eas omnes reddit acerbas, & intolerabiles.

Dico tertiò, Correctores, Prouinciales, Generales vescentes Paschalibus in Infirmaria possunt è Conuentu egredi, etiamsi nulla subsit ex prædictis causis, modo tamen aliqua alia rationabilis, & euidens adsit, absque eo quod pœnam dicto statuto appositam incurrant, cum Medici tamen licentia.

Probatur Primò, quia statutum non loquitur de Superioribus: solùm enim dicit, quòd. *Nullus Frater, quo tempore vescitur Paschalibus in Infirmaria, possit è Conuentu egredi*. Nullam mentionem faciens de Superioribus. Sed in odiosis nomine Fratrum, seu Monachorum non venit Abbas, vt docet Glossa, *cap. Finali, de verbo Simonia, Abbates*, vbi Panorm. *num. 2. & in Clem. Religiosus, de procur. num. eodem.* Felin. *dicto cap. finali, de Simonia, num.* 2. Armilla *verbo Abbas, num.* 11. Rodrig. *tom. 3. quæst. regul. quæst.* 51. *art.* 11.

Secundò Probatur, quia in *cap. Vt periculosa, ne Clerici, vel Monachi in 6.* excommunicantur omnes Religiosi accedentes ad studia literarum absque licentia sui Prælati, data de Consilio sui Conuentus. In quo loco notant communiter Doctores, quod Prælati accedentes fine licentia sui Superioris, & Conuentus ad dicta studia, licèt si sint etiam ipsi Religiosi, & Fratres, non incurrunt tamen dictam excommunicationem: Quia constitutio pœnalis potius restingenda est, quam amplianda. Ita Nauarr. *in Manuali, cap.* 27. *num.* 133. Sayrus *lib. 3. de censuris, cap.* 34. *num.* 22. Angelus *verbo excommunicatio 7. casu* 17. *num.* 4. Antonin. 3. *part. tit.* 24. *cap.* 53. *versu. Item nunquid* Suarez *tom.* 5. *in tertiam partem, disp.* 23. *sect.* 4. *num.* 38. Ergo idem etiam puterit dici in casu nostro.

Et fortè potest etiam assignari aliqua ratio, quare hæc statuti pœna potius Subditos, quam Superiores afficiat; Nimirum quia cum Superioribus incumbat totum onus prouidendi Conuentus, & Religionis, necessitatibus, potest facilius accidere casus ita vrgens, vt cum fuerint in Infirmaria Valetudinarij, debeant è Conuentu egredi, quod non ita facilè accidere potest in Subdito, Nam si non potest vnus egredi, quia Infirmus, potest Superior alium mittere ad communes necessitates.

Sed contra hanc conclusionem obijcies. Quia ista constitutio non est odiosa, sed fauorabilis, est enim in fauorem Religionis, & ad obseruantiam Regulæ conseruandam.

Vt Respondeam noto primò, Difficile admodum esse discutere, quæ lex fauorabilis sit, & quæ odiosa, Nam nulla lex est, quæ simpliciter fauorabilis non sit; Quia ad hoc vt lex iusta sit, & vera lex, debet esse communi bono vtilis, & necessaria; Atque ita omnis lex fauorabilis est bono communi. E contra verò nulla lex humana est, quæ odiosa dici non possit: solum enim lex dici potest odiosa, quatenus aliquod onus imponit. Hoc autem modo omnis lex humana odiosa videri debet, quia addit nouum vinculum, vltra vinculum diuinæ legis. Itaque variant multum inter se Doctores ad discernendum, quænam lex fauorabilis, quæ verò odiosa dicenda sit. Vt videre est apud Rodrig. *tom.* 1. *quæst. regul. quæst.* 11. *art.* 6. *reg.* 7. Suar. *lib.* 5. *de legib. cap.* 2.

Noto Secundò, quod non implicat, vnam legem secundùm plures respectus esse fauorabilem, & odiosam, vt Suarez *loc. cit. n.* 9. Molfesius *tom.* 1. *summ. tract.* 9. *cap.* 9. *num.* 19. Nam potest esse fauorabilis secundùm vnum respectum, nimirum quatenus bonum commune respicit, & odiosa secundùm aliu m, nimirum quatenus aliquam pœnam inducit. Et sic secundùm vnam considerationem debebit ampliari, & secundùm aliam restringi: iuxta Regulam *Odia*, quæ est 15. *de reg. iur. in* 6. vbi dicitur, *Odia restringi, fauores conuenit ampliari.*

Noto tertiò, quod communiter istæ leges æstimantur odiosæ. Primò lex pœnalis. Secundò lex, quæ tributum, seu aliud onus imponit. Tertiò lex, quæ factum irritat, quod prohibet directè, vel indirectè. Quartò lex, quæ exorbitat à iure antiquo, vel communi, aut illi derogat, vel illud liminat, aut corrigit, Ita Suarez *loc. cit. num.* 15. Et Rodrig. *loc. etiam cit.*

Ad argumentum itaque. Respondeo, quod istud decretum pœnale est, & per consequens odiosum. Vnde debet restringi, & cum in odiosis diximus nomine Monachi non venire Abbatem; Ita in hoc decreto, quod solum imponit pœnam Fratribus, dicimus, quod nomine Fratrum non veniunt Superiores. Rodrig. *loc. cit.* affert aliud exemplum simile. Nimirum Canonem excommunicantem percussorem Clerici, qui licèt respectu Actoris, idest Ecclesiæ fauorabilis sit, quia tamen reum punit, odiosus est. Sic istud decretum licèt respectu totius Religionis in communi fauorabile sit, vtpotè inductum ad Regularem obseruantiam conseruandam; Quia tamen transgressores punit, odiosum est.

Dico Quartò, Possunt Generales, & Prouinciales in aliquo casu particulari propter bonum commune tamen declarare aliquem Religiosum vescentem carnibus in Infirmaria posse è Conuentu egredi, absque eo quod incurrat dictam pœnam. Verbi gratia est aliquis Princeps de Religione benemeritus, seu fundator alicuius Conuentus, qui cum sit Infirmus, vult confiteri alicui Religioso sui Confessario ordinario, accersit illum, fortè fortuna viuit hic in infirmaria, & per hoc decretum non potest egredi: seu est aliquis damnatus ad mortem, qui non vult confiteri, nisi suo Confessario; qui tamen tunc temporis viuit in Infirmaria, nec potest per hoc statutum egredi. Dico, quod in istis casibus, & aliis similibus potest Prælatus declarare, posse talem Religiosum ire ad confessiones istas audiendas, & reuerti ad vescendum Paschalibus in dicta Infirmaria, absque eo quod incurrat talem pœnam.

Probatur primò auctoritate Rodriguez *tom.* 1. *quæst. regul. quæst.* 11. *art.* 2. & 5. Et Salas *de legib. disp.* 21. *sect.* 2. qui hanc conclusionem non obscurè asserunt, cum statuunt, posse etiam Prælatum inferiorem in casu aliquo iuridicè declarare rescriptum Superioris; Quia si in his rebus facilibus, & minutioribus semper recurrendum esset ad Superiorem, difficilè esset introducere legum obseruantiam.

Secundò, Quia his casibus nulla intercedit fraus, aut dolus, quibus solum intendit obuiare Papa.

Tertiò, Quia illis casibus videtur præceptum charitatis obligare.

Quartò, Quia communitas alioquin detrimentum patietur,

patietur, si denegetur illi Principi suus Confessarius.

Dices. Poterit talis Religiosus ire, seque communitati declarare, & functus suo munere adire iterum Medicum, & de Superioris jussione iterum in Infirmaria Paschalibus vesci.

Sed hoc est aperire ianuam fraudibus, & deludere legem, contra id, quod dicitur *cap. Constitutus, de concess. preb.* vbi habetur, *Quod in fraudem legislator nihil est faciendum.* Vnde melius, & tolerabilius est, sic leges directè declarare, quam ita deludere. Et legislatores facilius primum, quam secundum patiuntur.

Dico Quintò, Infirmos vescentes Paschalibus cibis in Infirmaria, posse egredi Conuentu sub erunt cum aliis Fratribus ad Processiones communes: vel etiam sepeliendos mortuos.

Probatur. Quia vbi sunt Fratres, ibi est Conuentus, & vbi est maior pars, ibi est Capitulum, vt docet Glossa *in cap. cum inter Canonicos, de elect. verbo capituli.* Vbi Panorm. *num. 6. Et cap. Ex parte, de concess. preb. numero tertio.*

CAPUT IX.

De Laudibus Quadragesimalis abstinentiæ.

Reliquum est, vt vitæ Quadragesimalis sectatores ad eam non solum purè, & sincerè amandam adhortemur, sed in ea ad societatem, & abstinentiam inflammemur; Licèt enim cibaria nostra non sint multum confortantia, non ideò tamen oportet ea sumere ad saturitatem. Nam hoc esset in abstinentia crapulam sectari, in sobrietate luxuriam, in Quadragesima saturitatem. Quod reprehendit Hieron. *in Epist. ad Furiam,* dicens. *Nonnulli vitam pudicam appetentes in medio itinere corruunt, dum solam abstinentiam carnium putant, & legminibus onerant stomachum; Quæ moderatè, parcèque innoxia sunt: & vt, quod sentio, loquar nihil sic inflammat corpora, & titillat membra genitalia, sicut indigestus cibus, ructusque conuulsus.* Et Cassian. lib. 5. *instit.* cap. 5. *Non qualitas sola, sed etiam quantitas escarum aciem cordis obtundit, ac mente cum carne pariter impinguata, noxium vitiorum fomitem, ignemque succendit.* Itaque in abstinentia, Quadragesimali abstinentia seruanda est. Licèt non diffitear, posse plus aliquanto comedi istorum ciborum, piscium scilicet, & herbarum, qui minus nutriunt, & citò transeunt, quam Paschalium, qui maioris nutrimenti, & difficilioris concoctionis sunt saltem assueris: Leguminibus autem parcè vtendum, & quantum solùm sat est ad sustentationem, quia satis nutriunt, & difficilè concoquunt, & immoderatè sumpta libidinem accendunt.

Ad abstinentiam ergo in Quadragesimali vita, me, & reliquos commilitones meos adhortans, tria considerabo incitamenta effectus, & incidia, eaque breuiter, Qui enim plura desiderabit, poterit adire Hieroyn. *lib. 2. aduersus Iouinianum,* Basilium *homilia de ieiun.* Chrysost. *serm. de ieiunio,* Ambrosium *serm. 34.* B. Laurent. Iustiniani, *in Ligno vitæ, tract. de sobriet.* Climaeum *gradu 14.* Cassianum *lib. 5. instit.* Bonau. *tom. 1. opusc. de gradibus virtutum, cap. 18. & tom. 2. in regul. nouit. cap. 6.* Franciscum Labatam *in vtroque tom. appar. & in locis communibus semper, verbo Abstinentia.* Rossignolium *de discipl. Christ. perfect. lib. 4. cap. 34.* Ludouicum Blosium *lib. 2. Collirpharetic. cap. 17.* Lessium *in opusc. de vera ratione valetudinis conseruanda,* cui est annexum aliud opusc. de eadem re Ludouici Comari, Aluarez *tom. 2. de vita spir. lib. 1. parte secunda, cap. 3.* Buseum *in viridario, verbo Ieiunium, & in pauario, verbo Gula,* Caussinum *de perfecta prud. lib. 3. cap. 2.*

Abstinentia definit. D. Thom. 2. 2. quæst. 146. art. 1. *quod est virtus, qua homo à cibis abstinet, prout* *oportet pro congruentia hominum, cum quibus viuit, & personæ suæ, & pro valetudinis suæ necessitate.*

Et D. Basil. in reg. fusius disputatis, quæst. 6. *Abstinentiam,* ait, *appellamus, non si quis à cibo penitus abstineat, quando hoc violenta quadam vita dissolutio est, eam, quam tollenda contumacia corporis causa, pietatis ergo de industria sequimur. Quarum enim rerum voluptates ab ijs, qui ex libidine vitam degunt expeti solent, ab his nobis, qui ad veram pietatis culturam contendimus, est temperandum,* Quam abstinentiam ciborum Religioni esse necessariam, censuerunt omnes Religionum institutores, qui eam in suis regulis imperauerunt, vt dictum est supra.

Motiua, seu incitamenta ad abstinentiam erunt loca scripturæ, & Patrum. Ecclesiastes 10. *Beata terra, cuius principes vescuntur in tempore suo, ad reficiendum, & non ad luxuriam.* 2. Cor. 6. *Exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia, ieiuniis,* & Lucæ 6. *Beati, qui nunc esuritis, quia saturabimini,* vbi Paradisum promittit abstinentibus in præmium suæ abstinentiæ.

Theophilus Alexand. lib. 3. Paschali. *Qui ieiunant, conuersationem Angelicam imitantur in terris.* Ne mireris, quod hic adducam loca, quæ potius laudes continent ieiunij, quam abstinentiæ Quadragesimalis. Nam potior, & substantialior pars ieiunij est abstinentia ciborum paschalium, vnde non incongruè dixit quidam, vt dictum est supra, *Religio Minimorum est perpetuum ieiunantium institutum.*

Athanas. lib. de Virg. *Ieiunium Angelorum cibus est, qui eo vtitur, ordinis Angelici censendus est.*

Ambros. lib. de Helia, & ieiun. cap. 2. *Meritò,* inquit, *Heliam dignum Cælo diuina iudicauit sententia, vt cum ipso raperetur corpore, quoniam cælestem vitam viuebat in corpore, & superna conuersationis vsum exhibebat in terris.*

Bern. serm. 4. de Quadrag. *Primum quidem,* inquit, *fratres pro eo quod ab ipsis quoque licitis abstinemus, ea nobis, qua prius illicita commisimus, condonantur.*

Basil. hom. 2. de laud. ieiun. *Angeli,* inquit, *sunt, qui in singulis Ecclesiis recensent ieiunantes.*

Chrysostomus serm. 1. de Ieiunio, *Ieiunium,* inquit, *diuinæ iracundiam à nobis arcet, atque ira reprimit, vt cogat quodammodo Deum sententiam iam in innocentes latam, mutare, vt probatur exemplo Acab. 3. Reg. 21.*

Cyprian. de ieiunio, & tentat. Christi. *Ieiunio,* inquit, *vitiorum semina siccatur, petulantium arcet, concupiscentia languent, fugitiua abeunt voluptates.*

Hieron. relatus cap. Ne tales, de consecr. dist. 5. *Ne tales,* ait, *accipiamus cibos, quos aut difficulter digerere, aut comesos, magno partos, & perditos labore doleamus, olerum, pomorum, ac leguminum, facilior apparatus est, & arte, impendiisque coquorum non indiget, & sine cura sustentat humanum corpus, moderatéque sumptus (quia nec auidè deuoratur, quod irritamenta gula non habet) leuiori degestione concoquitur, nemo enim vno, vel duobus cibis hisque vilibus vsque ad inflationem ventris oneratur; Qua diuersitatem carnium, & saporis delectatione percipitur,* & Paulò infrà. *Legimus, ait, quosdam morbo articulari, & podagra humoribus laborantes, proscriptione bonorum ad simplicem mensam, & pauperes cibos redactos, conualuisse.*

Climacus gradu 14. *Ieiunium,* ait, *est naturæ violentia, circumcisio suauitatis faucium, incentiuorum omnium abscissio, malarum cogitationum amputatio, insomniorum liberatio, orationis munditia, insigne lumen animæ, mentis custodia, obcæcationis solutio, compunctionis ianua, suspirium humile, læta contritio, loquacitatis abdicatio, quietis occasio, obedientiæ custos, somni leuigatio, sanitas corporis, tranquillitatis auctor, peccatorum remissio, paradisi porta, & delicia.*

B. Laurent. Iustin. in ligno vitæ, tract. de sobrietat, cap. 3.

cap. 3. fine. *Preparat*, inquit, *abstinentia ad munditiam, canet Dei offensam, vigilantiam seruat, ministerio Dei idoneum efficit, aufert Diabolo ingressum in hominem, concupiscenti carni contra spiritum victualia aufert, hominem custodit, & honorabilem reddit, atque à laqueis tentationum protegit.*

Kempis opusc. de discipl. claustr. cap. 12. *Sobrius victus, & potus sanitas est anima, & corporis.*

Cass. lib. 1. instit. cap. 5. de illis antiquis cœnobitis, ait. *Quod agebant vitam tanto abstinentia rigore districtam, vt etiam his, qui erant Religionis externa, stupori esset tam ardua conuersationis eorum professio*, & lib. 4. cap. 11. ait. *Apud illos fuisse summas delicias reputatas, herbam sale conditam, aqua dilutam comedere.*

Effectus. De effectibus abstinentiæ multa citati Doctores, & Antonin. 4. *part. tit.* 4. *cap.* 4. §. 1. Nos cum Iustiniano *loc cit.* vt de effectibus aliarum virtutum fecimus, enumerabimus.

Primus. Valet hæc virtus abstinentiæ ad corporis incolomitatem, *nihil enim*, ait Chrys. relatus cap. Nihil, de consect. dist. 5. *Sic iucundum est, sicut cibus benè digestus, & decoctus, nihil sic sensuum acumen operatur, nihil sic ægritudinem fugat, sicut moderata refectio. Sufficientia quippè cum nutrimento, & sospitatem simul procreat, & voluptatem. Abundantia verò morbum facit, & molestias ingerit, & ægritudines generat*, & idem homil. de Iona Propheta. *Si diligenter*, ait, *scrutari volueris inuenies ieiunio corpora roborari validius, & si meum respuis sermonem, medicorum te doceat disciplina, qui parcitatem salutis nominant matrem. Nam pedum dolores, capitis vertiginem, subitaneas mortes, & cætera, quibus febris, atque languores corporis, comparantur ex luxuriis, atque voluptatibus, aiunt generari, & tanquam de fonte noxios riuos ad corporis læsionem, & ad animarum perturbationem commeare testantur.*

Secundus, Præparat ad iucunditatem spiritualem, nam si à carne hoc, quod cilibet abscindimus, mox in spiritu hoc, quod delectat, inuenimus. Vnde Chrysost. *homil.* 1. *in Gen. Ieiunium*, inquit, *anima nostra est alimentum, & sicut coporalis iste cibus impinguat corpus, ita & ieiunium animum valentiorem efficit, leues ei pennas producit, vt in sublime feratur, vt summa contemplari queat, voluptatibusque omnibus, qua in hoc mundo habentur, ipsa sit Superior.*

Tertius, Deum glorificat, si enim quod sumis ad refectionem corporis, & reparationem membrorum sumis, gratias agens ei, qui tibi de talibus prouidit, Deum glorificas.

Quartus, seruat homini rationis libertatem. Nam, vt Leo Papa ait serm. 2. de ieiun. *De abstinentia prodeunt casta cogitationes, rationabiles voluntates, salubriaque consilia, & per voluntarias afflictiones caro concupiscentiis moritur, virtutibus spiritus renouatur, vbi autem est crapula, ratio cespitat, intellectus obtunditur, concilia deuiant, iudicia subuertuntur.*

Quintus tegit & temperatos, abstinens, n. adagium seruat antiquum. *Bis ad limam, quam semel ad linguam.*

Sextus, contra spirituales hostes nos vtiliter fouet. Vnde S. Leo serm. 1. de Quadrag. ait, *Quod inter aduersitates multas, & prælia constituti, (est namque vita nostra continua militia) si inimicos vincere cupimus, illecebrarum gulam in nobis ipsis prius vincamus.* Et optimè quippè, Nam domita per abstinentiam carne, parum nobis nocere poterunt Dæmones; Media enim ea nos tentare solent, & Deus humiliter se, & discretè affligentibus propter ipsum libenter, fauet. Vnde abstinentes faclè Dæmonum astus superare consueuerunt. Propter quod dixit Christus Matth. 17. *Hoc genus*, Idest omne genus, *Dæmoniorum non eijcitur, nisi in oratione, & ieiunio.*

Septimus, Ab igne luxuriæ protegit, vt dictum est *supra cap.* 6. Nam potus, & cibus sunt alimenta libidinis, sicut ligna, & oleum sunt pabula ignis, si igni pabulum detrahas, tepescit, vel extinguitur. Sic si concupiscentiæ potum, & cibum detrahas, tepescit: *Et velle obsequio ventris spiritum fornicationis vincere, est velle oleo incendium extinguere.* Vt ait Climacus *gradu.* 14.

Octauus, Præterita delet, & facienda præcauet delicta. Vnde Augustinus serm. 230. de tempore. *Ieiunium*, inquit, *Purgat animam, mentem subleuat, propriam carnem spiritui subijcit, cor facit contritum, & humiliatum, concupiscentia nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit, castitatis verò lumen accendit.*

Nonus, cum oratione iuncta abstinentia obtinet à Deo quicquid petit. Vnde Iudith. 4. legitur. *Scitote quoniam exaudiet Dominus vestras, si manentes permanseritis in ieiuniis, & orationibus in conspectu Domini.*

Indicia, Primum est stabilis, & constans viuendi regula, quæ nunquam violetur, nisi charitas vrgeat, vel obedientia cogat. Quæ Regula consistit in quatuor. Primò, quod quis horam comedendi, vel indigentiæ non præueniat. Vnde Bonauent. *in spec. disc. discip.* 2. *par. principali, cap.* 2. ait. *Qua rogo, Religio, qua paupertas, si mox, vt esuris, mox vt sitis, volitq pares, satias appetitum, nec eum vsque ad statutam horam scias compescere.* Et Cassian. lib. institut. cap. 20. *Monachus hanc in primis sibi cautionem indicat, vt non potus, quidquam, non esus vlla oblectatione deuictus ante stationem legitimam, communemque refectionis horam extra mensam percipere sibimet prorsus indulgeat.*

Secundum, Quod cibis communibus, & vsualibus vescatur, delicatos, & laxiuè præparatos non quærens. Vnde Bernard. *serm.* 30. *in Cantica* ad istos loquens ait. *Quid hic vos dicitis obseruatores ciborum, & morum neglectores? Hippocrates: & sequaces eius docent animas saluas facere in hoc Mundo Christum, & eius discipulos perdere. Quemnam vos ex duobus sequi Magistrum eligitis (At manifestum se facit qui sic disputat. Hoc oculis, hoc capiti, & illud pectori, vel stomacho nocet. Profectò vnusquisque quod à suo Magistro didicit, hoc in medium profert. Num in Euangelio legistis has differentias, aut in Prophetis, aut in literis Apostolorum? Caro, & Sanguis pro certo reuelauit tibi hanc sapientiam, non spiritus patris. Est enim carnis hac sapientia. Sed audi quid de ipsa nostri Medici sentiant. Sapientia, inquiunt, carnis mors est. Item sapientia carnis inimica est Deo.* Ad Roman. 8. Et Cassianus lib. 5. institut. cap. 23. *Quicquid*, ioquit, *Extra consuetudinem præsumitur, vsumque communem, vt vana gloria, atque ostentationis morbo pollutum antiquissima Patrum traditio notauit.*

Tertiò quod non comedat, nisi quantum exigitur ad sustentationem naturæ, & propriæ complexionis habita ratione; Vnde Chrysostomus homil. 55. ad populum ait. *Vis corpus alere, tolle superflua. Da quod satis est, & quantum concoqui potest: Ne aggraues ipsum; Vt non submergas.*

Quartò quod non comedat cum nimia voracitate, & anxietate, ac strepitu maxillarum, & dentium more porcorum, & canum. Vnde Maximus Monachus sermon. 27. ait. *In capiendo cibo omnis celeritas absit, hoc enim caninum est, bestiamque magis, quam hominem decet.*

Ad quam Regulam seruandam facit id, quod refert Cassian. *lib.* 5. *institut. cap. vlt. de Abbate Machario*, qui solitus erat docere. *Monachum ieiuniis ita operam dare, vt centum annis in corpore commoraturum; Et ita motus animi refrenare, & iniuriarum obliuisci, tristitiasque respuere, dolores quoque, ac detrimenta contemnere, tanquam quotidie moriturum.* Quorum dictorum reddens Cass. ait. *In illo namque vtilis est, prudensque*

discretio

discretio æquali Monachum districtione faciens semper incedere, nec permittens sub occasione debilitati corporis ad ardua vel perniciosissima prompta devolui; In hoc verò magnanimitas salutaris, qua valeat non solum, quæ videntur prospera Mundi præsentis despicere, verumetiam adversis, tristibusque, non frangi, & ea velut parva, nullaque contemnere, illic habens iugiter defixum suo mentis intuitum: quo quotidie, singulisque momentis accersendum esse se credit.

Dixi, nisi charitas vigeat. *Quia advenientibus Fratribus*, vt idem Cassian. eit loco citato cap. 25. *Magis humanitatis, ac dilectionis offerri debere virtutem, quam continentiæ districtionem, & quotidiani propositi rigorem manifestari probabilius censuerunt. Nec quid voluntas, vtilitasque nostra, seu desiderij ardor exposcat attendere, sed quod advenientis requies, vel infirmitas exigit præponere, & gratanter implere.* Et cap. 24. ait de illis antiquis Palestinæ Monachis, *Quod advenientibus hospitibus, indifferenter solvebant quotidiana ieiunia.* Super quo interrogatus quidam seniorum, respondit, *Ieiunium semper est mecum, vos autem continuo dimissurus; mecum iugiter tenere non possum. Et ieiunium quidem licet vtilissit, ac iugiter necessarium, tamen voluntary muneris est oblatio; Opus autem charitatis implere exigit præcepti necessitas*, Matth. 10. Et adiunxit senior, Quia *Suscipiens in vobis Christum, reficere eum debeo. Deducens autem vos, humanitatem eius prabitam districtiori ieiunio, in memetipso potero compensare. Non enim possunt filij sponsi ieiunare, donec cum illis est sponsus.* Matth. 9. *Cum autem discesserit, tunc illi ieiunabunt.* Et cap. 25. Narrat idem Cassianus de quodam seniore, *Qui vno die ad adventum Fratrum septies comederat, & adhuc esuriebat.*

Secundum Indicium est: Nunquam ad mensam fine fame accedere, nisi obedientia cogat, nec fame planè depulsa ab ea recedere. Vnde Aug. de conflictu virt. & vit. ait. *Sicut æger ad medicinam, sic ad sumendas dapes debet quis accedere.* Certum est autem, ægrum nonnisi coactum naturæ reparandæ necessitate ad medicinam accedere: Sic abstinens nonnisi vt naturæ satisfaciat debet accedere ad mensam. Quæ natura tali satisfactione non indiget, nisi quando esurit. Et Bernard. in formula honest. vit. *Sicut ad ereccem*, ait, *sic accedas ad cibum, idest nunquam voluptate, sed necessitate poscatus, & fames non super provocet appetitum.* Et Galen. Medicorum magister de seipso solitus erat dicere, vt refert Chanas. lib. 3. de perfecta prud. cap. 2. §. 2. *Nunquam satur à mensa discessi, nunquam sic me fudi in cibum, potumque quin aliquod semper superfuerit edendi, bibendique desiderium, Ita factum, vt nullis exuberanterm superfluis humoribus, & præterea omni tempore fuerim ad omni functione expeditissimus, nulla retardatus stomachi eruditate, nulla graviore somnolentia*, Et vixit, vt ferunt, *annos* 140.

Dixi, nisi obedientia cogat. Nam si Superior iubeat, etiam non esurientes, ad mensam debet accedere, quod in cœnobiis Religiosorum omni districtione servatur. Ad sonitum etiam campanulæ æquanimiter omnes Refectorium contendunt: nisi Superioris discreta dispensatio in casu particulari aliter iudicauerit esse faciendum. Et maximè decet Regularem disciplinam, Tum ad mutuam charitatem servandam, tum ad particulares Religionum cuinas extirpandas: Tum etiam ad sanitatem conservandam, Fateor namque vnum, quod experientia didici, & ab aliis etiam senioribus auditi, *Nunquam sanitati obesse, quod in Refectorio communiter comeditur*; Nam ibi solum necessarium tribuitur, nec cogitur quis totum, quod illi apponitur, manducare, Duplex namque est cibus, alter necessitatis, quo s. necessitati naturæ satisfacimus, de quo Seneca Epist. 17. *Facilè est*, inquit, *pascere ventres bene institutes, parvo fames constat.* Alter concupiscentiæ, quo s. vtuntur comedones ad satiandam concupiscentiam, quæ vix vnquam satiari potest. De quo dicitur Psal. 77. *Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super illos*; Propter cibos enim necessitatis non erant puniendi à Deo: sed quia cibos amauerunt concupiscentiæ, ideo castigati sunt, ideoque etiam sepulchra illorum, qui castigati fuerunt, sepulchra concupiscentiæ nuncupata sunt, *Num.* 11. De quo vtroque cibo Aug. lib. 10. confess. cap. 31. *Quod saluti, & necessitati satis est, delectationi, & concupiscentiæ parum est.* In Refect. necessitatis, non concupiscentiæ cibi comeduntur.

Tertium Indicium. Non alia condimenta curare, magis quam famem ipsam. *Fames enim est cibi condimentum maximum.* Vt refertente Tullio *lib. 5. Tusc. quæst.* dicebat Socrates. Et de Antiphane refert Stobæus *serm.* 93 quod erat solitus dicere: *Famem omnia dulcia reddere, prater seipsam.* Et Seneca Epist. 120. *Nihil contemnit esuriens.* Et D. Bern. teste Bonau. *in Reg. novit. c. 6. tom. 2. opusc.* aiebat, *Omne condimentum sal cumponas, & fame.* Vnde Prouerbium, *Fami crudo faba succarum sapiunt*; Quod comprobatur ex illo Iob cap. 6. *Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc præ angustia spiritus cibi mei sunt*, Id est, vt exponit Lyranus, ea fercula, quæ tempore prosperitatis, non solum comedere, sed nec tangere volebam in mensa mea, tempore necessitatis, & famis sapidissimi, & acceptissimi cibi sunt. Et sapiens Prouerb. 27. *Anima saturata calcabit fauum. Et anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet.*

Quartum indicium est non sollicitari cogitationibus cibi, & potus, & multo minus de iis miscere sermonem: Nam comedonum, *Quorum Deus venter est.* Vt dicitur *ad Philipp.* 3. est nihil aliud cogitare, quam de escis, & ventre, & de his semper sermones edere, cum tractent fabulia fabri. Abstinens autem nihil minus cogitat, quam de escis. His autem tentationibus pulsatus innoget Deum suum, & per contemplationem diuinorum mysteriorum iis resistere seu potius ab eis fugere conatur; Vnde Cassianus lib. 5. instit. cap. 14. *Nequaquam*, ait, *poterimus escarum præsentium spernere voluptates, nisi mens contemplationi diuina defixa, amore virtutum potius, & pulchritudine cælestium delectetur.*

Tandem accipiat abstinentiæ cultor in eius laudem hoc alphabetum,

Angelorum est vita, Ambros. *lib. de Helia, & ieiun. cap.* 3.

Basis, & fundamentum spiritualis certaminis, Cassianus *lib. 5. instit. cap.* 19.

Cibus mentis. Ambrof. *ibid.*

Decor senum. Chrysost. *hom. 2. in Genes.*

Excidium delictorum. Ambrof. *ibid.*

Frænum oris. Chrysost. *serm. 1. de ieiunio.*

Gratiæ diuinæ dispositio. Colligitur *ex cap. 10. Actuum Apostol. de Cornelio ieiunante.*

Humilitas mentis. Ambrof. *de ieiunio 4. capite octavo.*

Imago cœlestis. Ambrof. *cap.* 3.

Lenitatis institutio. Ambrof. *ibid. cap.* 8.

Magistra continentium. Chrysostom. *homil. secunda in Gen.*

Norma virtutis. Ambrof. *loc. cit. cap.* 8.

Orationis ala. Basilius *homilia primo de laudibus ieiun.*

Pudicitiæ disciplina. Ambrof. *loco cit.*

Quies, & tranquillitas animarum. Chrysost. *loco cit.*

Refectio animæ. Ambrof. *loco citata.*

Salutis Remedium. Ambrof. *ibidem.*

Tuta via ad Paradisum ducens.

Voluptatum mitigatio. Chrysost. *serm. 1. de ieiun.*

Christo charissima. *Matth.* 4.

CAPVT X.

Quomodo noster Subditus possit quiete, & tranquille viuere in Religione.

INter alia bona, quibus boni Religiosi fruuntur in Religione, non infimo loco est numeranda quies, & tranquillitas mentis. Ideo eum Subditum Religiosum hucusque pro nostro posse docuerimus ea, quæ potest, vel non potest, debet, vel non debet facere circa vota Religioni essentialia, operæ pretium duximus hic aggerere caput hoc, quo eum doceamus, quomodo possit quiete, & pacificè in Religione viuere, cum ex quiete, & tranquillitate mentis putemus omnia bona, quæ peraguntur procedere, quam materiam eum non dedignaturum confidimus.

Tanti faciendum est bonum pacis, & tranquillitatis mentis, vt non fint veriti aliqui antiquorum philosophorum in eo beatitudinem collocare; De que hoc aequireodo scripserint libellos Plutarchus Chæroneus, & Seneca, apud quem *lib. de hac re, cap.* 2. etiam Democritus: imò & de eadem re scripserint etiam Panetius Stoicus, & Hyppàrcus Pythagoricus, vt est apud Lipsium *ad librum Senecæ de tranquillitate, num.* 75. Et quippè meritò, nam quiete, & tràquillitate nihil dulcius, nihil amabilius, nihil desiderabilius potest, vt reor, in hac vita inueniri. Ratioque à priori ea esse videtur, quia cum infinitæ capacitatis sit humana mens, vndè non nisi in Deo inuenit satietatem, vt dicebat Psalmista Psal. 16. *Satiabor cum apparuerit gloria tua*, quandò tranquillitate, & quiete fruitur, videtur quodammodò satiata, & per consequens beata, ac quasi finem intentum nacta, illo statu contenta, semper æqualis, & constans, nullo metu superstitionis, vel alterius affectus perturbata, sed secundò cursu iens, sibique propitia, & sua hilaris aspiciens, nec hoc gaudium interrumpens, sed placido statu manens, nec attollens sè vnquam, nec deprimens, lætabunda graditur, & gaudens. A posteriori etiam alia ratio potest assignari, quia vbi est pax, & tranquillitas mentis, ibi omne bonum solet esse, & abundantia virtutum omnium. Hinc Psalmista Psal. 121. *Rogate, quæ ad pacem sunt Ierusalem, & abundantia diligentibus te. Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis*, & D. Paulus 1. *ad Timoth.* 2. Ex tranquillitate vitæ colligit obseruantiam pietatis, & castitatis, *Perturbatio enim, & inquietudo, nec pietatem seruat, nec castitatem*, vt ait Ambrosius ad istum locum Pauli, & Chrysostomus. *Enim verò pietate, ac castitate perfrui, nisi pax illa quæsita fuerit, fas omninò non est.* Quod graphicè descripsit Alciatus *Emblem.* 178.

Ad hanc autem mentis tranquillitatam assequendam plurima tradit Seneca *loc cit.* Ego tria puto necessaria. Primo habere conformitatem cum Deo. Secundò cum Proximo. Tertiò nobiscum. Quandò pars Superior animæ est conformis, & obediens legi, & voluntati Dei, tunc dicimur habere pacem cum Deo, quando nostram voluntatem cum voluntate proximi tenemus vnitam, & si quid ab eo nobis iniuriæ infertur, & damni, mansuetudine vincimus, atque orationibus afflictiones compensamus, tunc dicimus habere pacem cum proximo, & quando nostram sensualitatem Subditam redditmus rationi, huicque dominari volumus, tunc pacem habemus nobiscum.

Ad has autem conformitates acquirendas hoc opus, hic labor est. Acquiritur autem per arma iustitiæ, vt D. Paulus docet 2. *ad Corinth.* 6. Arma autem iustitiæ actus sunt virtutum, vt idem D. Paulus ibi. Per exercitium itaque virtutum acquiritur hæc tranquillitas mentis; & præcipuè per humilitatem non quæ in sermone, & habitu ostendatur, sed quæ in corde, & mente resideat. Vnde Christus aiebat in Euangelio. *Discite à me*, qui quietem, & pacem optatis, *quia mitis sum, & humilis corde*, Sanctus Dorotheus serm. 1. *Qui veram, ait, cupis animæ suæ possidere quietem, humilitatem addiscat*, idest animi lenitatem, *considerétque, omnem in ea positam esse animi lætitiam, omnem gloriam, omnemque quietem, vt in elatione, & superbia posita sint omnia contraria.*

Iuuant etiam ad has conformitates adipiscendas mortificatio propriæ voluntatis, qua non optes res euenire, vt cupis, sed ita optes, & cupias, vt eueniant. Vnde Dorotheus serm. 17. *Neque optare velis, vt res ad tuum votum fiant, & vt ipse, vis, sed ita ipse velis, vt res fiunt, & eueniunt*, & serm. 19. refert idem Dorotheus sententiam cuiusdam Abbatis dicentis. *Qui propriam non habet voluntatem, suam ipsius semper agit voluntatem*, ex quo enim propriæ abrenuntiauit voluntati, quicquid denique fiet, requiescere eum facit, & procul dubio reficit, ac refocillat eum, & sic semper propriam agere voluntatem comperitur; quoniam non vult, res fieri secundum propriam voluntatem, sed rebus ipsis, vt fiunt atque eueniunt suam ipsius accommodat voluntatem.

Prodest etiam ad has conformitates acquirendas custodia cellæ, sic enim vitantur lites, & contentiones, & multa alia, quæ mentem deinde inquietant, ac stimulant.

Adiuuat etiam multum amicus vnus fidelis, & verus, qui eum omnia communicentur, quæ nobis accidunt, & cuius discamus consiliis adhærere, hoc enim pacto multum exhilaratur mens, & desinit perturbari. Vndè Ecclesiastici 6. dicitur. *Multi pacifici sint tibi, & consiliarius sit tibi vnus de mille*, & Paulò infrà. *Amicus fidelis medicamentum vitæ, & immortalitatis*, & Dorotheus serm. 19. ait. *Ego cum mihi res aliqua contingit, libenter quidem cum proximo consulto, maloque eam iuxta proximi sententiam fieri, quàm iuxta meam propriam. Atque ita Fratris mei sententia, & opinioni concordo, etiamsi contraria fuerit, viuere enim iuxta propriam sententiam, & sibi ipsi soli concordare, idem est, quod omnibus discordare.* Et Seneca epist. 62. ait, *Nullius boni sine socio iucunda possessio est.*

Hæc quippè iuuant ad has conformitates, & mentis tranquillitatem acquirendam. At illa frui nequaquam commodè, poteris, nisi pacem cum tuo Superiore habueris. Quod videtur colligi ex illo 1. ad Timoth. 2. *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes: orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus* (in communi) *pro Regibus* (in speciali) *& omnibus, qui in sublimitate sunt* (idest pro Prælatis) *vt quietam, & tranquillam vitam agamus.* Itaque orandum pro Prælatis.

At quid orandum? vt fint nobis pacifici, atque propitij, non nos inquietent, non nos turbent, atque persequantur, vt videtur exponere Claudius Guilliandus illo loco Pauli. Sed ad quid orandum? *vt quietam, & tranquillam vitam agamus*, & quomodò hæc vita agenda est? In omni pietate, & castitate? Non est quærenda pax, seù amicitia Prælati, vt nobis ad luxum, & iniuriam alis inferendam sit occasio (quod multis plerumque accidit,) sed vt in omni pietate, idest in omni genere pietatis, & officij erga proximos, & castitate, idest, in omni genere sanctitatis, erga nos ipsos exerceamus, vt Theophylactus.

§. Vnicus,

Quomodo possit Religiosus gratiam, & amicitiam sui Prælati, ad quietè viuendum necessariam, aucupari.

DAbo hic quasdam Regulas generales, quæ maximè prodetunt Subdito ad acquirendam sui Prælati

lati gratiam, qua mediante, poterit optata quiete, & tranquillitate perfrui.

I. REGVLA.

Honora, reuerere, cole Prælatum.

Ad hanc Regulam possent esse satis quæ diximus *supra, quæst. 1. cap. 18.* sed illis hæc addo. Exodi 20. *Honora Patrem tuum:* Patris autem appellatio extenditur ad vniuersos præsidentes, vt docent ibi expositores. Hinc etiam Senatores à Romulo creati pro consilio, & gubernatione. Reipub. honoris gratia dicti sunt ab eo Patres, & filij eorum patricij, vt est apud Liuium *lib.* 10. Bonauent. de interiori homine, parte 1. cap. 3. *Honora Prælatos in corde tuo, non spernas, ne forte Deum spernas, cuius, vicem gerunt. Ordinationes eorum, & constitutiones ne fastidias, quia non sine causa faciunt licèt tu nescias omnes causas.* Et Hugo apud eundem Bonauent. *in speculo discipl. 2. p. princip. partic. 1. cap. 3. Superioribus*, inquit, *Obedientiam, timorem, obsequium, & venerationem exhibere debemus.*

II. REGVLA.

Pare illis alacriter, & hilariter, & noli ad præcepta dedignari neque irasci.

Kempis opusc. exercit. spirit. cap. 11. *Cito eris in pace, qui citò se subijcit, & obedit.* Et in fine ait. *Nemo tam quiete viuit, Nemo tam securè moritur, sicut verus obediens.* Et Senec. lib. 3. de ira, c. 15. *Omnu indignatio in tormentum sui proficit, & imperia grauiora sentit, quo contumacius patitur. Sic laqueos fera, dum iactat, adstringit. Sic aues viscum, dum trepidantes excutiunt, plumis omnibus illiniunt. Nullum est tam arctum iugum, quod non minus lædat ducentem, quàm repugnantem.* Et Tacitus 1. Annalium. *Quanto quis erit* (apud Prælatum) *Obsequio promptior, tantò honoribus extelletur.*

III. REGVLA.

Caue, ne illis detrahas; neque cum quauis persona, quantumvis intima murmures; & noli illorum actionum censor fieri.

Exodi 22. *Dijs non detrahes, & principem populi tui non maledices.* Et Ecclef. 10. *In cogitatione tua Regi ne detrahas, & in secreto cubiculi tui ne maledixeris diuiti: quia & aues Cæli: portabunt vocem tuam, & qui habet pennas annuntiabit sententiam* Doroth. serm. 17. *Noli fieri actionum Superioris censor, & indagator, ac nimium sapiens expensor, & Iudex.* Et Climacus gradu 4. *Institutorem tuum penitus iudicare licet, etiamsi in illo modica aliqua delicta animaduerteris. Homo enim est, & suggerenti Dæmoni, vt Prælatum iudices, aut de illo murmures respondendum est, ô malignissime seductor, non ego ducem meum iudicandum suscepi, sed ille me. Non ego illius, sed ille mei Iudex est.* Kempis de discipl. claustr. cap. 4. *Caueas omnu bonus Subditus, ne Prælatum suum temerè iudicet, nec vias eius curiosè scrutetur, sed potius eius dicta & facta in melius interpretetur.* Bonauent. de interiori homine, part. 1. cap. 3. *Habe*, ait, *Semper pacem cum Prælatis, non eis detrahas, nec libenter audias eis detrahentes, non ponderes excessus eorum, sed ignosce eis, quasi hominibus.* Et quippe sicut magnum amorem gignit in Prælato reuerentia, & obedientia Subditi, ita magnum odium murmuratio, & actionum indagatio. Vnde bene Seneca apud Lipsium in notis ad lib. 3. politic. capite 11. *Ante omnia*, ait, *Custodiam ori ponendam, nec sinendam linguam temerè euagari dentium septum, & labiorum propugnaculum, quibus à natura velut duplici vallo est circumdata.*

IV. REGVLA.

Ad eorum præsentiam ne loquaris absque ipsorum licentia.

Ecclesiast. 32. *Loqui in medio magnatorum non præsumas: Et vbi sunt senes, non multum loquaris. Ante grandinem præibit corruscatio; & ante verecundiam præibit gratia: & pro reuerentia accedet tibi bona gratia.* Bonau. in speculo discipl. p. 1. principali, partic. 1. cap. 4. *Coram Superiore, sine eius assensu prababito, non loquantur.* Iubente autem Prælato loqui, nihil dicas; Vnde multum eruditus, multumque Religiosus possis putari, nec eloquentiæ studeas; sed sermo tuus sit simplex, & potius rusticanus (Rem tamen attingens,) quàm Vrbanus. Quod monet Bernard. *In speculo Monach.*

V. REGVLA.

In Capitulis semper illorum opinioni te conforma. Quòd si quid sit tibi contra illorum opinionem propter Monasterij vtilitatem dicendum, modesta, & humili dubitatione condito.

Sanctus Benedictus *in sua Regula cap.* 3. Hoc præcipit suis Monachis dicens. *Si autem dent Fratres consilium, cum omni humilitatis subiectione, vt non præsumant procaciter defendere, quod eis visum fuerit, sed magis in Abbatis pendeat arbitrio, vt quod salubrius iudicauerit esse, ei cuncti obediant.* Kempis, de discipl. claustr. cap 4. *Subditorum est humiliter acquiescere consilijs maiorum, & sine recalcitratione obedire Prælatis. Qui hoc facis, Deo placet, & Prælato suo charus erit, qui pro eo rationem reddet.* Bern. in formula honestæ vitæ, tit. Eiusdem materiæ notabile documentum. *Nunquam pertinaciter aliquid affirmes, & neges, sed sint tua affirmationes, & negationes dubitationis sale conditæ.* Et Blosius in speculo Monach. *Fac semper adsit pudor, & pura intentio, & ita, & taliter dicas, qua tibi occurrunt, vt delectent, quæ suadendo sunt,* Vt docet Seneca *suasoria* 1.

VI. REGVLA.

De quacumque re tibi ab illis facta, etiam iniustè, siue reprehensio sit, siue castigatio, caue ne conqueraris, sed patienter ferre memento.

Seneca 2. de ira, cap. 33. *Superiorum iniuria hilari vultu, non patienter tantum ferenda sunt. Facient iterum, si se fecisse crediderint*, & Tacitus in Agticola. *Proprium humani ingenij est odisse, quem læseris.*

VII. REGVLA.

In casu discordia Prælati cum aliis Fratribus, ta Prælato semper adhare.

Nam, & Frater, & Prælatus est. Bonau. in specul. discipl. part. 1 principali, partic. 1. cap. 6. *Cum ipso Prælato contendere nefas est, & execranda in Subdito irreuerentia turpitudo.* Seneca 2. de ira, cap. 34. *Cum pari contendere anceps est, cum Superiore furiosum, cum inferiore fordidum.* Nec hoc casu tibi erit vtile neutralitatem sequi; Nam illico in te Prælati odium concitabis. *Quis enim color, aut ratio cum tranquillis rebus ad clanum federis* (vt loquitur Lipsius lib. 6. politic. cap. 6.) *Vt deseras, abijciasque cum turbatis?* Vide Salon apud eundem Lipsium ibid. *Legem statuit, vt in casu ciuilis discordiæ, qui non alterutri parti se se adiunxerit, sed solitarius, separatusque à communi malo Ciuitatis secesserit, is domo, patria, fortunisque omnibus careat, exulque extorrisque sit.* Sin autem magnates aliqui inter se dissideret, tunc vtile putarem (vbi magna beneficia recepta aliter non suadetent)

neutralitatem sequi; Nam neutralis neminem offendit, & per consequens neminem habet inimicum, saltem apertum. Vnde Cicero lib. 10. Ad Atticum, epist. 7. *Nihil*, ait, *viro bono, & quieto magis conuenit quam abesse à ciuilibus controuersijs*; Quæ autem mala apportet neutralitas, docet Io. Botherus *in suo principio, discursu de neutral.* Et Lipsius *loc. cit.*

VIII. REGVLA.

Si habet aduersum te aliquid Prælatus tuus, fac vt cito eum placatum reddas, nec sinas morbum ingrauescere, Nam eò periculosior, quo diuturnior. Antequam autem sit placatus, caue tibi in omnibus, & per omnia, quomodo, & cum quibus loquaris.

Tacitus 3. Ann. *Nec corporis quidem morbos veteres ac diu auctos, nisi per dura, & aspera coerceas, sic & animos corruptos.* Et Seneca 3. de ira, cap. 7. *Vt vlcera ad lenem tactum, deinde etiam ad suspicionem tactus condolescunt: ita affectus animus minimis offenditur, adeò vt quesdam salutatio, epistola, oratio, & interrogatio ad litem euocent: & nunquam sine querela agri tanguntur.*

IX. REGVLA.

Fuge tanquam pestem disputationem cum Prælatis: Et abhorre velle te illis doctiorem videri.

Nàm semper sunt, & volunt esse Superiores Ecclesiastic. 7. *Penes regem noli videri sapiens.* Et Doroth. ser. 20. *Caue dogmatizare cum Prælatis.* Et præsertim in publico.

X. REGVLA.

Nimiam Prælatorum familiaritatem deuita.

Nàm hæc sine discordia aliqua vix vnquam consistit. Dorotheus ser. 20. *Nimiam superiorum consuetudinem deuita: est enim laqueus quidam, qui desides, & vecordes in perditionem, & interitum adducit.* Et Kempis de fideli dispensatore, cap. 1. §. 25. *Sapienter facit, qui magnorum hominum notitiam, & Prælatorum familiaritatem deuitat.*

XI. REGVLA.

Hoc ad gratiam tui Prælati aucupandam tibi maximè proderit, si quandò contigerit tibi facere aliquid laude dignum: vel vltimam manum non apposueris, sed illud terminandum Prælato reliqueris; vel si non poteris non terminare, terminasse visus fueris ope, & auxilio Prælati. Atque ita totum id, quod laudem meretur, illi attribuas.

Sic fecit Ioab. 2. Regum 12. vbi dicitur, *Misitque Ioab Nuntios ad Dauid dicens; Dimicaui aduersum Rabbat, & capienda est vrbs aquarum: nunc igitur congrega reliquã partem populi, & obside Ciuitatem, & cape eam, ne cũ à me vastata fuerit vrbs, nomini meo adscribatur victoria.* Et Tacitus in Agricola. *Nec ad famam tuam gestis exultes, sed ad auctorem, & ducem, vt minister fortunam referas*: Et Æmilius Probus apud Lipsium lib. 3. polit. cap. 11. *Hæc est conditio Regum* (Et omnium dominantium) *vt casus tantùm aduersos hominibus tribuant, secundos fortunæ suæ.* Itaque Subditus quasi Luna omnis gloriæ suæ lumen Soli retundat. Et tandem optimum est Consilium viuere cum viuentibus, iuxta adagium Hispanicum *Viuir non quien viue, que lo de mas es moris, y podrir las entrañas.* Et tene menti sequens Disticon.

Viue tibi, quantumque potes consortia vita
Quicquid agant alij, sis memor ipse tui.

XII. REGVLA.

Caue tamen, ne contra Regulam tuam, vel contra Deum, vt Prælato tuo morem geras, quicquam præstes.

Nam charior tibi debet esse gratia Dei, Quam Prælati. *Et obedire oportet magis Deo, quam hominibus.* Actorum 5. Et Ecclesiastici 4. *Pro iustitia agonizare pro anima tua, & vsque ad mortem certa pro iustitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos.* Pro hac Regula possunt videri, quæ dixi *supra, quæst. 1. cap. 6. conclus. 1.*

APPENDIX AD SVPRADICTA.

Postremò noto aliqua. Primum multa me hoc opere dixisse, non quia ita sint, præsertim in Religione mea. In qua per Dei gratiam & misericordiam nondum adhuc relicta omninò est (licet, vt verum fatear, aliquanto refriguerit) prima illa Charitas, in qua à suo fundatore, charitatis vexillifero instituta est. Sed quia ita possint longo annorum decursu, spiritu veterascente, esse.

Secundò. Noto ex Bonauent. *de sex alis Seraphin. cap. 3. versus finem.* Quod in hoc differunt laudabiles Religiones, & iam dilapsæ, non quòd nullus peccans in laudabilibus reperiatur, sed quod nullus impune peccare sinatur, & peccandi aditus studiosè præcludantur, & incorrigibiles, & alios inficientes elimineutur, & boni adiuuentur, & diligantur, vt perseuerent, & in melius semper proficiant.

Nam cum in Conuentu Angelorum ante confirmationem, & in ordine Apostolorum sub magisterio Christi reperta sit prauitas. Quis ordo bonorum in terra audeat sibi arrogare hanc prærogatiuam, quod peccatum in eo non sit? Quia etsi plurimi per Dei gratiam immunes ibi fuerint, sed non omnes, *vos mundi estis; sed non omnes* ait Dominus (*Ioan.* 13.) Bonis enim quandiu sunt hic in statu merendi, expedit aliquos malos secum habere, qui eis sint maioris occasio meriti, quibus compatiantur in malis suis, contra quos zelus eorum inardescat, quos corrigere laborent, quibus similes fieri pertimescant, qui eis sint tentationis materia, à quibus etiam persecutiones sustineant, & ex quorum consideratione

consideratione confusi humilientur quia tales non sunt, admoneantur gratiarum actionis ei, qui custodit eos, ne tales efficiantur. Hæc & alia Bonauent. *loc. cit.* ex quibus patet, quam ignorantes, & Margites sint, qui putant, in Religionibus omnibus nullum improbum reperiri, quem si videant, se signo crucis signant, quasi Religiosi expertes corporis, & materiæ essent, non tentationibus, non fragilitatibus subiecti. *Vnius itaque delictum, seu indiscretio non debet ad omnes, nec ad singulos retorqueri.* Vt ait Bonauentura in epistola ad magistrum innominatum, *Et qui aliter sapit, ipse suam insipientiam manifestat quod nihil omninò sapit*, vt Bonauentura ibidem.

Noto tertiò circa illa verba posita supra, *cap. 21. §. 2. pag. 246. versu Respondet Corradus: Per modum eleemosynæ data intuitu incommoditatis, & laboris, quem patitur confessarius dicto ministerio assistens.* Quod maxima controuersia est inter Doctores, an propter laborem necessario coniunctum cum administratione Sacramentorum possit accipi pretium. Multi enim dicunt, quòd sic. Adrianus *quodlib. 9. art. 1. in resolut. litera* O. Angelus *verbo Simonia 2. n. 6.* qui citat pro hac sententia Panorm. Ricardum. Innocentium. Hostiensem. Tenet etiam alij quos citat Suarez *tom. 1. de Religione, lib. 4. cap. 21. n. 2.* Contrarium sentiunt alij, quos citat Suarez *loc. cit. n. 5.* alij distinguunt de labore antecedente Sacramenta, & de labore concomitante. Pro primo dicunt, quòd licet pretium accipere, quia est accidentarium. Pro secundo negant, quia est substantiale Sacramentis, hæc enim sine labore ministrari non possunt. Ità Sotus *lib. 9. de iust. q. 6. art. 1. versu. An verò in mercedem.* Vega *secunda parte summæ cap. 101 casu* 41. Reginaldus *in praxi, lib. 23. n. 130.* Vide Suarez *loco cit.* quæ est probabilior opinio. Quandò ergò ego dico, quòd potest Confessarius accipere à pœnitente quicquid per modum eleemosynæ, datæ intuitu incommoditatis, & laboris, quem patitur Confessarius dicto ministerio assistens, oblatum fuerit, ne suspiceris, me intendere probare primam opinionem, licet etiam ipsa probabilis sit propter tot Doctorum auctoritatem. Nam illa concedit, quòd potest etiam accipi pretium laboris coniuncti intrinsecè cum administratione Sacramenti, licet non pro ipso Sacramento; Ego autem non dico, quod possit accipi pro pretio, sed tantummodo per modum eleemosynæ, & gratitudinis. Cum enim videant pœnitentes suos confessarios (præsertim Regulares, qui non tenentur ex officio hoc Sacramentum ministrare) semper esse promptos, & paratos, ad illis aures præbendas, videant, eos relinquere sua studia, orationes, & alia exercitia spiritualia, vt eis hoc Sacramentum ministrent, non possunt non gratum habere id obsequium, atque ita illis præbent quandoque aliqua xenia, seu eulogia in grati animi significationem. Quo pacto nullus potest esse scrupulus simoniæ, non enim ea xenia dantur, nec accipiuntur pro absolutione, quod esset simoniacum *cap. Ad aures, de simonia*, sed solùm dantur ratione eleemosynæ, & gratitudinis, quod nec simoniam olet; Atque id in specie tenent Graffius *lib. 2. de casibus reseru. cap. 11 præsertim, n. 27. & 36. Et summa corona Confessorum parte tertia, cap. 10. tract. de simonia, n. 15.* Quæ addit, quod potest Confessarius qui ad id non tenetur ex officio, potius velle in vno, quàm in alio loco Confessiones audire, vbi abundantius dantur eleemosynæ. Seu potiùs audire hunc, quàm illum quia ab illo plus speret eleemosynæ. Cauendum tamen ab auaritia, quæ facillimè se ingerit. Et etiam cauendum, ne quid requirat pro absolutione aliquorum casuum grauiorum, & reseruatorum. Facit etiam Panor. *in cap. Suam de Simonia, n. 4. in cap. Ad Apostolicam, eod. tit. num. 3.* facit etiam idem *cap. ad Apostolicam*, vbi Glossa *verbo Nituntur*, quatenus dicitur, *quod laudabilis consuetudo pia deuotione introducta circa Sacramentorum ministrationem seruanda est.* Quod etiam docet Aragon. 2. 2. q. 100. *art. 3. in solut. ad tertium argumentum D. Thomæ*, Vide Graffium, *part. 1. decis. lib. 2. cap. 96. à n. 43. vsque ad 47.* Habetur id etiam *in cap. Cum voluntate §. Prædicatores de sent. excom.* vbi qui audit alicuius confessionem licite recipit aliquid à pœnitente, etiamsi illud subiaceat restitutioni, vt notat etiam Panorm. *ibi n. 5.*

Noto 4. *circa* §. 1. *cap.* 21. positum supra *pag.* 331. quòd Mendicantes habebant olim priuilegium absoluendi à casibus reseruatis Papæ, exceptis contentis in bulla Cœnæ. Nobis Minimis quidem concessum à Leone X. in bulla, quæ incipit. *Etsi cuncta*, data Romæ apud Sanctum Petrum, *Anno* 1518. *Calend. Iulij.* Et refertum *in nostris priuilegijs pag.* 124. Vbi, concessis magnis, & plenarijs Indulgentijs nostris Ecclesijs, in certis diebus anni ait, *Et vt Christi fideles ipsi Indulgentiarum huiusmodi participes commodius esse possint, Correctori domus pro tempore existenti, Confessores Religiosos dicti Ordinis, qui eosdem Christi fideles, ad eandem Ecclesiam pro huiusmodi Indulgentijs consequendis, dictis singulis diebus Dominicis Quadragesimæ cuiuslibet anni, & à media Quadragesima vsque ad octauam Paschæ inclusiuè, etiam cuiuslibet anni diebus singulis accedentes, in eorum confessionibus audire: eorúq; confessionibus diligenter auditis, eosdem à quibuscumque casibus, etiam Apostolicæ Sedi reseruatis (exceptis contentis in bulla Cœnæ Domini) absoluere possint, & valeant, deputandi auctoritate Apostolica tenore præsentium de vberiori gratia licentiam & facultatem etiam concedimus, pariterque indulgemus.* Quod priuilegium fuit confirmatum specialiter à Clemente VII. in bulla, quæ incipit *Deuotionis augmentum*, data Romæ apud Sanctum

ctum Petrum sub annulo piscatoris, *anno* 1532. *die* 22. *Septembris*, & habetur *in nostris Priuilegiis pag.* 177. Et etiam in specie fuit confirmatum à Paulo III. in bulla, quæ incipit *Suprà Gregem Dominicum*, data Romæ apud Sanctum Petrum *anno* 1539. *Quarto Nonas Iunij*, & habetur *in nostris Priuilegijs pag.* 187. Et successiuè deinde ab omnibus Pontificibus subsequentibus omnia nostra priuilegia confirmata sunt, vsque ad Vrbanum VIII. feliciter regnantem, quem diù nobis Deus pro Christiani populi consolatione, & suæ Ecclesiæ vtilitate dignetur per suam pijssimam misericordiam conseruare, ex cuius benignitate etiam priuilegiorum eorundem confirmationem obtenturi speramus.

Paulus Tertius deinde *anno Domini* 1545. *die tertia Iulij* concessit amplius priuilegium Patribus Societatis Iesu, quo gaudemus, & nos, & alij Mendicantes, communicationem habentes, relatum à Rodriguez *tom.* 1. *q. regul. q.* 61. *art.* 5. Et Miranda *tom.* 1. *Manualis qu.* 46. *art.* 5 his verbis. *Concessit cuilibet Sacerdoti societatis Iesu, qui ad onus confessionum sæcularium repertus idoneus, & per societatis præpositum pro tempore existentem deputatus fuerit, vt audire possit quorumcumque vtriusque sexus fidelium confessiones, ijsque diligenter auditis, ipsos, & eorum singulos ab omnibus, & singulis suis peccatis, criminibus, excessibus, & delictis, quantumcunque grauibus, & enormibus, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, absoluere, & à quibusvis ex eisdem causibus resultantibus sententijs, censuris, & pœnis, Ecclesiasticis, exceptis contentis in bulla Cœna Domini.*

Deinde *anno Domini* 1601. *die* 9. *Ianuarij* sacra congregatio Cardinalium de mente felicis recordationis Clementis Papæ Octaui omnia dicta priuilegia reuocauit. Sed cum dubia quædam circa prædictam reuocationē emersissent, eadē sacra congregatio de mente eiusdem Pontificis, declarando primum decretum, declarauit, quòd solum habeat locum in septem casibus, & dicta priuilegia solum in his septem casibus per dictum decretum derogatorium intelligantur reuocata. Atque ita quod ab his septem vigore dictorum priuilegiorum non possint confessarij priuilegium habentes absoluere.

Primus casus est. Vt non possint absoluere à casibus contentis in bulla Cœna Domini. Secundus. Vbi Immunitas Ecclesiæ est violata in terminis bullæ Gregorij XIV. Tertius in violatione clausuræ Monialium ad malum finem. Quartus prouocantes, & pugnantes in duello iuxta decretum Concilij Trid. & Constitut. Greg. XIII. Quintus. Inijcientes manus violentas in clericos, ad terminos c. Si quis suadente Diabolo 17. *q.* 4. *Sextus Simoniam realem committentes, ac Simoniam confidentialem in beneficiis. Septimus, vt nec à casibus, quos locorum ordinarij sibi reseruarunt, aut in posterum reseruabunt. De quibus casibus tractat specialiter Graffius* in tract. in casibus reseruatis lib. 1.

Positis in 2. decreto dictis septem casibus, subiungit dicta sacra congregatio. *Ac præterea declarat, eos quidem Sacerdotes tam sæculares, quam regulares, qui aliquo ex priuilegiis, indultis, & facultatibus in supradicto decreto expressis suffulti fuerint, posse iuxtà eorum priuilegia, indulta, & facultates, vsu ante idem decretum receptas, & quæ sub alijs reuocationibus non comprehenduntur, tantum, & non alias absoluere à casibus in præsenti declaratione non comprehensis.* Dicta decreta congregationis referunt Naldus *in verbo Casus in fine*, & alij, quos citaui *suprà pag.* 174.

Restat modo videre an prædicta nostra priuilegia fuerint reuocata ante prædictum decretum congregationis. Videtur enim, quòd sic.

Primò, quia sacra congregatio Cardinalium de mente Greg. XIII. *anno Domini* 1577. *die* 10. *Septembr.* reuocauit omnia priuilegia, concessa Mendicantibus circa absolutionem casuum Episcopalium, de qua reuocatione meminit Chapeauille *parte* 1. *de casibus reseruatis, cap.* 4. *difficult.* 16. & eam ad verbum refert Confectius *in suo summ. tit.* 17. *cap.* 6 *fine his verbis.*

RESPONSIO SACRÆ CONGREGATIONIS CONC. TRID. *quo ad facultatem Regularium absoluendi à casibus Episcopo reseruatis, olim Illustrissim. Cardinal. Borromeo tunc Archiepiscopo Mediolanen. facta.*

Illustriss. & Reuerendissime Domine.



VM à Sacra Congregatione Cardinalium, qui præpositi sunt decretis Tridentinum Concilium interpretandis illustrissima amplitudo tua quæsierit, an Regulares ex priuilegio à Sede Apost. impetrato, præsertim autem ex eo, quod nominant Mare magnum, possint in casibus, quos sibi Episcopus reseruauerit, absoluere confitentes

ftentes. Hac de re vbi congregatio accuratè egisset, deinde ad Sanctissimum D. N. retulisset sanctitas sua, etiam de sententia Congregationis censuit, ex facultatibus per hoc Mare magnum, aliave priuilegia Regularibus concessis, factam eis non esse potestatem absoluendi in casibus, sibi ab Episcopo reseruatis. Deus Illustrissimam amplitudini tua perpetuam vitæ tranquillitatem, & incolumitatem largiatur. Romæ die 10. Septembris 1577.

Secundo, contra nos Minimos obstat specialiter constitutio Pauli V. quæ incipit *Romanus Pontifex*, data Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris, *die* 23. *May, anno Domini* 1606. quam refert Quaranta *verbo Indulgentia*, in qua reuocat omnes Indulgentias Regularium, & nouas concedit: Ergo cum prædicta facultas nobis concessa absoluendi in prædictis diebus Indulgentiarum, nobis Minimis sit concessa occasione ipsarum. Indulgentiarum, vt patet ex citatis verbis, reuocatis Indulgentijs, censebitur etiam reuocata dicta facultas.

Ad primum respondeo, dictam declarationem solum loqui de casibus reseruatis Episcopis, vt patet, non autem de reseruatis Apostolicæ Sedi. Vnde sicut verum est, non posse Regulares absoluere à casibus reseruatis Episcopis, quod contendebant antea Doctores, vt videre est apud Syluestrum *verbo Confessor secundo*, *quæstion*. 5. Gabrielem 4. *in dist*. 17. *quæstion*. 2. *artic*. 3. ità verum est, quod possunt nunc absoluere ab omnibus casibus reseruatis Papæ, exceptis dictis septem, & exceptis etiam ijs, in quorum reseruatione reuocantur omnia priuilegia absolutionem concedentia. Quod etiam notauit Toletus, *lib*. 1. *capit*. 41. *numer*. 7. quando scilicet derogatio cadit supra absolutionem, nam si cadat supra rem prohibitam in constitutione, absoluere etiam poterunt. Quod est valde notandum, quia eorum priuilegia, & vsu recepta erant, & non reuocata per illam declarationem Gregorij, vt patet, neque per aliam, quod sciam ante dictum decretum Clementis.

Et Noto, quòd ad hoc vt priuilegium censeatur vsu receptum, non est necesse, quod sit in vsu apud omnes eo gaudentes. Sed satis est, quod sit in vsu apud aliquos doctiores, & peritiores. Vnde hoc priuilegium, licet ab aliquibus fratribus alicuius Conuentus, seu Prouinciæ, vel etiam Religionis non fuerit vsu receptum, quia illud ignorauerint. Non per hoc debet censeri non esse vsu receptum quo ad alios, neque etiam quo ad eosdem, quando sciuerint, & vti voluerint. Tum quia hoc priuilegium est positum formaliter in expressa, & libera voluntate priuilegiatorum, vt patet ex illis verbis, *Possint*, Tùm quia ad hoc vt priuilegium, per non vsum censeatur abrogatum, requiritur, vt non vtentes habeant scientiam illius, & voluntatem, non vtendi illo, vt Colligitur *ex cap. Si de terra*, *de priuilegiis*, & docet Beia 4. *parte casuum*, *casu* 3. *pag*. 165. Vide Panormitanum *in cap. Cum accessissent, de constitutionibus*, *numer*. 6. *Et* 1. *p. consil. consil*. 54. *num*. 3 & Portel *in addit. ad dub. regul. verbo*, *priuilegium*, *n*. 4. vbi affert priuilegium Eugenij IV. quo conceditur regularibus, vt eorum priuilegia per non vsum, neque per contrarium vsum, amittantur. Et Felinum *ibidem per multa*, *præsertim num*. 26.

Ad secundum respondeo, illam constitutionem solum loqui de Indulgentijs concessis Religiosis, non autem de concessis eorum Ecclesijs pro sæcularibus, atque ita declaratum est ad instantiam P. F. Hieronymi Durandi nostri Ordinis Zelosi (qui & fuit Religionis nostræ zelantissimus, & prudentissimus Generalis, omni memoria dignus, qui adhuc in sancta senectute viuit, viuatque diù sanus, & fœlix) à sacra Congregatione Cardinalium, vt patet ex literis dictæ Congregationis, directis ad singulos Vicarios Episcoporum, Archiepiscoporum, Patriarcharum, &c. Et subscriptis ab Illust. Cardinali Gallo, Capite tunc dictæ Congregationis quarum literarum mandauit fieri ad mei instantiam Reuerendissimus Vicarius Genuensis publicum, & autenticum transumptum tenoris sequentis.

IN Nomine Domini Amen: Nouerint vniuersi, & singuli, qualiter Reuerendissim. D. Fœlix Tamburellus I. V. D. Protonotarius Apostolicus, Canonicus Ecclesiæ Maioris Illustr. & Reuerendiss. Domini, D. Dominici de Marinis Archiepiscopi Genuensis Vicarius Generalis habens, & suis in manibus tenens literas Illustrissim. & Reuerendiss. D. D. Cardinalis Galli, datas Romæ die 21. *Augusti* 1615. *Reuerendissimo D. Vicario Archiepiscopali Genuæ Generali directas in folio papyri scriptas, vt moris est, sanas, & integras, non vitiatas, non cancellatas, nec in aliqua earum parte suspectas, sed omni prorsus vitio, & suspicione carentes, illas exhibuit, & tradidit mihi Notario, & Cancellario infrascripto ad præsentium infrascriptorum testium, quarum quidem literarum tenor talis est, videlicet à tergo* Al Molto Reuer. Signore, Il Vicario Generale di Genoua. *Intus verò*; Molto Reuerend. Signore, Perche i Padri di S. Francesco di Paola dubitando, se per la constitutione della Santità di Nostro Signore sopra le Indulgenze concesse nouamẽte alle persone Religiose cõ reuocatione delle antiche, vẽgono ancora reuo-

care le Indulgenze, concesse alle loro Chiese regolari,& à quelli, che le visitano, & ancorche la constitutione comprenda chiaramente solo le persone regolari, senza estendersi alle Chiese loro, tutta via la Sacra Congregatione per lenar ogni dubio, dichiara che le Indulgenze concesse à quelli, che visitano le Chiese de Regolari di detti Padri, non vengono comprese in detta constitutione, ma restano nella loro forza, è vigore. Però V.S. porrà lasciarle publicare in cotesta sua Città, e Diocesi, quando altro non osti, è Dio la prosperi. Di Roma lì 21. d'Agosto 1615. Al piacer di V.S. Il Cardinale Gallo. *Qui quidem Reuerendissimus D. Fœlix Vicarius Archiepiscopalis Genuæ Generalis, visis prædictis literis, quæ fuerunt, & sunt subscripta manu propria, & litteratura sibi plenè nota prædicti Illustriss. Domini D. Cardinalis Galli mandauit illas transsumi, & exemplari, & in hanc publicam transsumpti formam redigi per me Notarium, & Cancell. infrascrip. & huiusmodi transsumpto dari, & adhiberi illam, & eandem fidem, qua & qualis adhiberetur eisdemmet originalibus literis, si in medio originaliter exhiberentur, & producerentur in Iudicio, & extra, præmissisque omnibus, & singulis suam, & Curiæ Archiepiscopalis Genuæ, qua fungitur, authoritatem interposuit, & interponit pariter, & decretum Laudans, &c. De quibus omnibus, &c. Per me Iacobum Cuneum Notarium, & Cancellarium. Actum Genuæ in Palatio Archiepiscopali, anno à Natiuitate Domini Millesimo sexcentesimo decimo nono, Indictione secunda, secundum Genuæ Cursum, die Mercurij 11. Decembris in Vesperis, præsentibus D. Ioann. Andrea Castellatio Causidico, & Marino Matrutio quon. Francisci familiari præfat. R. D. Vicarij testibus ad præmissa vocatis, & rogatis.*

Iacobus Cuneus Notarius, & Curiæ Archiepis. Genuæ Cancell.


Manet ergo, quod prædictum priuilegium absoluendi à casibus reseruatis Papæ, exceptis contentis in bulla Cœnæ, & contentis in secundo decreto Congregationis sub Clemente, non est reuocatum, & sic possunt eo vti dicti Fratres Minimi, & alij communicationem habentes, sicut poterant prius. Poterunt Itaque absoluere Religiosi ab excommunicatione incursa propter prouocationem ad duellum, si effectus secutus non fuerit. Quia duellum in secunda illa declaratione Congregationis sub Clemente est tantummodo reseruarum in terminis Concil. Trid. & Gregorij XIII. in quibus decretis excommunicantur solummodo duellantes, secuto effectu, vt dicunt omnes, præsertim Sanchez *lib. 2. in decalogum, cap. 39. num. 28.* Et hoc specialiter docet Graffius *lib. 1. de casibus reseruatis, cap. 7. num. 19.* Naldus *in sum. verbo Duellum, n. 6. fine.* Bonacin. *de censuris; disp. 2. q. 6. part. 2. n. 15. fine.*

Item poterunt absoluere mulieres inrroeuntes Monasteria, & claustra Monachorum sub prætextu cuiuscumque priuilegij (Seclusis Monasterijs Minimorum quo ad Reginas, & fundatrices) contra Bullam Pij V. quæ incipit, *Regularium personarum.* Quam refert Cherub. *tom. 2. Bullarij in Pio V. const. eius* 20. & etiam mulieres ingredientes Monasteria Monialium contra const. Gregorij XIII. quæ incipit, *Vbi gratia*, quam refert idem Cherub. *eod loc. in Gregorio XIII. Const. eius* 28.

Item poterunt absoluere eos, qui aliquid dederint, vel promiserint, seu acceperint pro obtinenda aliqua gratia, vel iustitia in Romana curia contra Constit. Bonifacij VIII. quam refert Cherub. *tom. 1 bullarij in Bonifacio, Const. eius 1 folio* 139. quam innouauit, & confirmauit Gregor. XIII. vt refert idem Cherubinus *tom. 2. bullarij in Gregorio XIII. Const. eius 14. folio* 391.

Item poterunt absoluere ab alijs censuris positis, & insertis in corpore iuris, vel in extrauagantibus, de quibus videri potest Tolet. *lib. 1. c. 35. & c. 36. & additione ad c. 41.* Sayrus *lib. 3. de censuris, c.* 29. 30. 31. Hæc sunt, Commilitones mei, quæ ad me ipsum prius vsque instruendos hoc primo tomo occurrerunt. Quæ facit Deus, vt ad laudem, & gloriam suam, B. M. semper Virginis, & Sanctiss. P. N. Francisci de Paula, honorem, & laudem, vestramque aliquam vtilitatem cedant: quod per misericordiam Dei, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti spero. Amen.

PYRRHI



PYRRHI ARCHIEPISCOPI CONSENTINI

CONSTITVTIO VNICA:

Qua eximit Ordinem Minimorum à sua iurisdictione, & illum immediatè subÿcit Sedi Apostolicæ, illumque approbat, multa priuilegia concedendo.

PYRRHVS MISERATIONE DIVINA Archiepiscopus Consentinus, Dilecto nobis in Christo Filio F. Francisco de Paula, Eremitæ nostræ Consentinæ Diœcesis, tuæque Congregationis Fratribus Eremitis præsentibus, & futuris, ac vniuersis, & singulis salutem in Domino sempiternam.

Proœmium. DECET nos ex officio, quo Archiepiscopali Ecclesiæ Consentinæ, præsidemus, vigilanti cura, singularique sollicitudine circa ea, quæ in laudem, & gloriam omnipotentis Dei, cui soli cura est de nobis; & à quo bona cuncta procedunt, ac in augmentum sanctæ fidei Catholicæ, nostræque Christianæ Religionis, ac plurimorum animarum salutem cedunt, ac in multorum bonum exemplum, influndare; ac quantum cum Deo possumus, ea, quæ iusta, rationabilia, salutifera, & à iure diuino, ac Sanctorum Patrum institutionibus penitus, & omninò non discrepantia gratiosè concedere, & iis fauorabiliter annuere.

Supplicatio. §. 1. Dudùm si quidem ad tua supplicationis instantiam super finibus, & posse dictæ terræ Paulæ, quoddam Oratorium, seù Ecclesiam sub vocabulo S. Francisci per te erigi fecimus, in quo diuina officia audire, & Ecclesiastica sacramenta recipere, ac orare posses. Tu qui dictum Oratorium, seù Ecclesiam cum singulari diligentia vna cum quodam paruo dormitorio fabricasti, ac fabricari fecisti, ac in dies fabricas, & amplias, vitamque austeram eremiticam per 20. annos, vel circa, & sanctè, & iustè, & religiosè vixisti, ac de bono in melius semper perseuerasti, prout ducis, viuis, & perseueras de præsenti, ibidemque Deus solita elementia, diuersa, & crebra miracula per te operatus est, & operatur in dies, propter quæ multorum creuit deuotio populorum, & ad te confluxit populi multitudo, multique sub habitu eremitico, & tecum viuere decreuerunt, & Deo continuò præstare famulatum. Et vt tu, ipsique quietiùs, sanctiùs, & deuotiùs viuere, & Deo ferventiùs famulari valeatis, tu, & F. Balthasar Sacerdos, cæterique Clerici, & Laici sub habitu eremitico ibidem vitam ducentes, nobis humiliter supplicastis, vt dictum Oratorium, seù Ecclesiam S. Francisci de Paula ab omni iurisdictione, & superioritate matris Ecclesiæ terræ Paulæ, & ab omni alia iurisdictione, & superioritate, etiam nostra eximere, & liberare, sub protectione Sedis Apostolicæ totaliter relaxare, dictumque Oratorium, seù Ecclesiam vna cum omnibus iuribus, & pertinentiis suis, tibi, tuæque Congregationis Eremiticis fratribus præsentibus, & futuris conferre, & in perpetuum concedere, & prouidere de eodem; teque (pro vt ipsi supplicarunt) in eorum Patrem, Superiorem, & Priorem deputare, huiusmodique Fratribus Eremitis potestatem, bailiam, auctoritatem te F. Franciscum, & alios quoscumque in eorum superiores, & officiales canonicè eligendi dare, & concedere, tibique, & aliis per vos eligendis omnem iurisdictionem, & potestatem in spiritualibus, & temporalibus, inde & super omnibus locis, personis, & rebus huiusmodi, cum potestate missas, & alia diuina officia celebrandi, Confessiones audiendi, Eucharistiam, & alia Ecclesiastica Sacramenta ministrandi, & recipiendi; malefactores, rebelles, & inobedientes puniendi, incarcerandi, condemnandi, & absoluendi: & pro huiusmodi, vita obseruantia statuta, & ordinationes iuri diuino, & sanctorum Patrum institutionibus consona faciendi, & de bono in melius reformandi, ac alias opportune in omnibus concedere, dare, & prouidere dignaremur.

§. 2. Nos verò, qui ex vera scientia, & experientia iam longo, & continuo tempore te cognoscimus, operaque tua & nobis manifesta sunt, & te Motiua.

te religiosum, & sanctum hominem, oc Deo gratum, & acceptum fore, & esse demonstrant, considerantes quod bona opera, pia, charitatiua, an Deo grato, & multis salutifera, inibi, & vbique per te, tuamque Congregationem feruentiùs, ac quietiùs, & deuotiùs operari poterunt, si priuilegiis muniamini, ac fauoribus, & gratiis prosequamini opportunis, vestris iustis, & sanctis desideriis, & supplicationibus annuentes, & inclinati; huiusmodi Oratorium, siue Ecclesiam vna cum omnibus iuribus, & pertinentiis suis tibi, tuaque congregationi in perpetuum damus, tradimus, assignamus, cedimus, & conferimus, at tenore præsentium prouidemus de eadem.

Eligit P. N. in superiorem Religionis.

§. 3. *Teque in Superiorem huiusmodi tuæ Congregationis, Patrem, Rectorem, & Priorem, seu quouis alio nomine nuncupandum damus, & deputamus, cui præsis, ac vita, & exemplis prosis, tuisque monitis, mandatis, & præceptis salubris omnes huiusmodi Congregationis personæ obedire, & parere debeant, ipsique tuis eremitis fratribus te in suum Superiorem, & Priorem, ac vna tecum alios quoscumque Superiores, & Officiales canonice eligendi potestatem, & auctoritatem.*

Concedit facultatem statuta condendi.

§. 4. *Nec non statuta, & ordinationes pro huiusmodi vita obseruantia, à iure tamen diuino, & sanctorum Patrum institutionibus non deuiantia faciendi.*

Dat superioribus potestatem super fratres.

§. 5. *Tibique, & huiusmodi officialibus, & superioribus sic eligendis omnimodam iurisdictionem ordinariam in spiritualibus, & temporalibus Congregationis huiusmodi personarum, etiamsi Sacerdotali, seu quavis alia præfulgeant dignitate, & locorum, iurisdictionem, animalium, & rerum omnium ad te, tuamque Congregationem quomodolibet spectantium, & pertinentium.*

Concedit auctoritatē delinquentes castigandi.

§. 6. *Cum potestate quoscumque rebelles, & inobedientes, omnium huiusmodi Congregationis personarum delinquentium peccata, delicto, & cuiuscumque generis maleficia, & crimina (prout iuris fuerit) puniendi, huiusmodique delinquentes incarcerandi, condemnandi disciplinandi, liberandi, absoluendi, cæteraque faciendi, quæ in præmissis, & circa præmissa vobis videbuntur fore necessaria, & oportuna, & quæ nosmet facere possemus.*

Sacerdotes possunt missam ante diē cum altari portatili celebrare, & sacramenta ministrare.

§. 7. *Sacerdotibus verò huiusmodi Congregationis, seu sæcularibus, vel regularibus per vos eligendis, missas etiam ante diem, & in quocumque loco ad hoc congruo, & honesto cum altari portatili celebrandi, Eucharistia, alia quæcumque Sacramenta Ecclesiastico liberè, & licite tibi, huiusmodique tuæ Congregationis personis, quoties deuotio ingruerit, & necessitas postulauerit, absque quacumque Superioris licentia ministrandi, ad quæ suscipienda extra loca huiusmodi compelli non possitis.*

Confessiones audire, & à casibus absoluere.

§. 8. *Confessiones audiendi, & ab omnibus casibus, excommunicationibus, suspensionibus, & interdictis, ac super quacumque irregularitate, nobis tàm à iure, quàm à nobis reseruatis, & permissis, toties quoties absoluendi, & dispensandi, votaque quæcumque permutandi, & relaxandi, ac pœnitentiam salutarem iniungendi.*

Loca recipere.

§. 9. *Loca, Oratoria quæcumque, & Ecclesias licitè accipiendi, & retinendi.*

Quibuscumque venientibus habitum tradere.

§. 10. *Quascumque etiam personas Ecclesiasticas, & sæculares ad vos venientes, & vobiscum moram trahere, & habitum, quem geritis, profiteri, & recipere volentes acceptandi, & recipiendi ad habitum, & promissionem obseruantia castitatis, paupertatis, & obedientia, vestraque huiusmodi statuta, & ordinationes facere possint, & valeant, ac possitis, & valeatis, potestatem, baliam, & auctoritatem tenore præsentium damus, concedimus, & indulgemus, ac vobiscum super his opportunè dispensamus*

Communicat priuilegia S. Francisci.

§. 11. *Omnibusque priuilegiis, gratiis, immunitatibus, libertatibus, & exemptionibus, quibus fratres S. Francisci, cæterique Mendicantes fruuntur, & vtuntur, frui, & vti, auctoritate nostra in Ciuitate, & Diœcesi Consentinensi possitis, & valeatis.*

Eximit Religionem à sua iurisdictione.

§. 12. *Huiusmodi Oratorium, siue Ecclesiam, ac alia quæcumque loca, Oratoria, & Ecclesias per vos in posterum acquirenda, cum omnibus iuribus, & pertinentiis suis, eremitisque, & personis, rebusque omnibus, ad vos, vestraque loca quomodolibet spectantibus, & pertinentibus, personisque huiusmodi inibi degentibus ab omni iurisdictione, subiectione, & superioritate matrum Ecclesiarum, ac nostra, nostraque Consentinæ Ecclesia, cæterarumque personarum (salua tamen semper quarta omnium legatorum, quam omnino nobis, & successoribus nostris, prout iuris est, soluere teneamini) ex certa nostra scientia, motu proprio, & de plenitudine nostra dignitatis, quantùm cum Deo possumus, in perpetuum eximimus, & totaliter liberamus, ac sub protectione, submissione, iurisdictione, & superioritate Sedis Apostolicæ totaliter, specialiter, & singulariter, & expressè remittimus, & relaxamus, præsentibus, perpetuis, futurisque temporibus valituris.*

Subscriptione, & sigillo corroborat.

§. 13. *In quorum omnium, & singulorum roboris firmitate, & testimonium præmissorum per manus Philippi Figadij de Buxem Cancellary nostri præsentes fieri fecimus, nostrique maioris sigilli appensione muniri, & nostra propria manu subscriptione roboratas.*

Datum in nostro Archiepiscopali Castro S. Lucidi Anno 1471. die vltimo Nouembris, quarta Indictionis, sub Pontific. Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Pauli Papæ II. Anno septimo. Amen.

CIRCA CONSTITVTIONEM.

1. NOto 1. quòd Archiepiscopus Pyrrhus per concessionem horum priuilegiorum modum viuendi institutum à B. P. N. approbauit, & per consequens

quens confirmauit (hæc enim duo verba pro eodem sumuntur *in iure cap. vnico de Religiosis domibus in 6. §. fin.* vbi Glossa *in sum.* & habent Azor. *tom. 1. instit. moral. lib. 12. cap. 24. quæst. 5. &* Vasquez 1. 2. *disp.* 163. *c. 4. num.* 38. Rodriquez *tom. 1. quæst. regul. q. 17. art. 2.* Quod annotare libuit propter aliquos, qui sunt imaginati, hæc duo verba differre) non enim priuilegia concessisset, nisi modum viuendi quasi antecedenter prius approbasset, & confirmasset.

2. Noto 2. posse quempiam hic dubitare, & merito, qua auctoritate dictus Archiepiscopus potuerit nostram Religionem approbare, cum hoc ad Romanum spectet Pontificem?

Respondeo antiquitus ad Episcopos pertinuisse Religionum approbationem; cùm enim Episcopi, qui loco Apostolorum successerunt, vt dicitur *cap. In nouo, dist.* 21. & in Trid. *sess.* 23. *de Sacram. Ord. cap.* 4. iurisdictionem spiritualem à Christo Domino acceperint, vt dicitur Act. 20. *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit Sanguine suo*; subiectam tamen supremæ iurisdictioni Summi Pontificis. Religiones tandiù potuerunt approbare, quandiù non fuerunt impeditæ à supremo Pastore. Ità Azor. & Vasq. *loc. cit.* Sanchez 5. *in decal. c. 1. num.* 15. *&* 20. Vndè cum tempore Pyrrhi dicta iurisdictio nondùm fuisset, neque iure, neque vsu, vel consuetudine ablata, potuit doctissimus Archiepiscopus nascentem Minimam nostram Religionem confirmare.

3. Si dicas, quòd iam erat multo ante sublata hæc facultas Episcopis, vt videre licet *in Concil. Lateranensi sub Innocentio III. cap.* 13. & refertur *cap. vlt. de Religiosis domibus*, & habetur *in c. vn. eod. tit. in 6.* Vide Lessium *lib. 2. de iust cap. 41. num.* 12.

Respondeo Illa capita non loqui de Episcopis, sed de inuentoribus Religionum, neque tollere ab Episcopis auctoritatem Religiones confirmandi, sed solùm prohibere, ne quis de cætero nouam Religionem inueniat, sed quicumque voluerit Religiosus esse, vnam de approbatis ingrediatur. Ita Vasquez *loc. cit.* & patet clarissimè ex textu dictorum capitum. Adde, quòd constitutio *cap. vn. de Relig. dom. in 6.* propriè videtur loqui de iis Religionibus, quæ non possunt habere proprium, neque etiam in communi, nec extendi ad illas, quæ proprium possunt habere, vt Io. Andreas *dicto cap. statim in princ. paulo ante à num.* 1. Vndè licèt contendant aliqui, dicta constitutione prohiberi Episcopis Religionum approbationes, quod dicimus esse falsum; adhuc tamen potuit suo iure dictus Archiepiscopus nostram Religionem confirmare, quia nostra Religio proprium habet in communi.

4. Vbi autem prohibita existat Episcopis Religionum approbatio, discrepant inter se DD. Quidam putant *dictis cap. de Relig. dom.* vt Azor *loco cit.* & Sanchez etiam cit. *n.* 16. Melius Vasquez *loc. cit.* Qui ait, id longo vsu & consuetudine iamdiù obtentum fuisse, quæ consuetudo tempore Pyrrhi nondùm erat introducta. Et constat, quia Sixtus IV. deinde approbauit, & confirmauit dictam approbationem Pyrrhi, quod certè non fecisset, si Pyrrhus iurisdictionem Romano Pontifici soli debitam vsurpasset.

5. Dico igitur, quod sicut olim licitum fuit Episcopis in suis Diœcesibus Sanctos canonizare, vt latè probat Bellarminus *tom. 2. de beat. & canon Sanct. contron. 4. de Eccl. triump. lib.* 1. & diffusè Garcia *de canon. Sanct. part. 2. c. 1. per multa*, & nunc etiam liceret, nisi id illis prohibitum esset *in cap. 1. de reliq. & vener. Sanct.* Ita etiam licitum olim fuisse Episcopis Religiones approbare, quod modo licitum non est longo vsu, & inueterata consuetudine Et sicut Episcopi solum canonizabant pro sua Diœcesi, ita solùm pro eadem approbabant. Pro vniuersa verò Ecclesia, tàm canonizatio, quàm approbatio semper pertinuit ad Rom. Pontificem tanquàm ad vniuersalem Pastorem.

6 Quæras vlterius, quo iure potuit dictus Archiepiscopus nobis tot priuilegia concedere?

Respondeo. Quod ille solus potest priuilegium dare, qui potest legem ferre. Cum enim priuilegium lex quædam priuata sit, ab eo solo potest ferri, qui habet legislatiuam potestatem. Ita Antonin. *p. 1. tit. 19. cap. 1. statim in princ.* Sylu. *verbo Priuilegium, quæst.* 2. Angelus *quæst.* 3. Tab. *quæst.* 2. Rosel. *quæst.* 2. Armil. *n.* 3. & Suar. *lib. 8. de legib. cap.* 8. Vnde patet, quòd cum Episcopi possint leges ferre, possunt etiam proportionaliter ad eas, vel à se, vel à suis prædecessoribus latas, priuilegia concedere, quod in specie docent omnes cit. DD. & præsertim Suar. *num.* 9. Docent etiam Canonistæ *in cap. Olim, el 2. de priuil.* Quod cum ita sit, mirari non debemus, si dictus Archiepiscopus hæc nobis priuilegia concesserit. Et licèt verum sit, quòd nequit Episcopus concedere priuilegium contra ius commune, vel Pontificium, vel latum à suo superiore; vt docet idem Suar. (licèt, n. possit super illis aliquandò dispensare, id tamen non est per se, sed quatenus iure; vel consuetudine illi concessum est) verum etiam est, si bene omnia ttutineuur, hæc priuilegia nobis à Pyrrho concessa, esse vel iuri communi conformia, vel prætet illud.

7. Et aduerte, quòd non est necessarium, quod priuilegium semper sit contra ius commune, sed satis est; si sit præter, vel vltra illud, vt sunt multa priuilegia, quæ verè, & propriè dicuntur talia, concessa Regularibus absoluendi, & dispensandi, quæ non sunt contraria iuri communi, sed aliquid vltra illud addunt; vt Suar. *lib. 8. de leg. cap. 1. num.* 5. Sufficit etiam, si iuris communis ambiguitates tollat, certitudinem addat, vel admoneat; mentem Principis esse, vt tali ius commune seruetur, vt Suar. *loco cit. num.* 7.

8. Noto 3. quòd ista priuilegia Pyrrhi fuerunt confirmata à Sixto IV. Iulio II. & aliis Summis Pontificibus ex certa scientia, & extensa ad omnes Diœceses. Quare iam sunt facta propria Summi Pontificis; vnde non poterant post prædictam confirmationem amplius à prædicto Pyrrho, vel eius successoribus reuocari, vt bene Syluest. *verbo Priuilegium, quæst.* 10. & Suar. 8. *de leg. cap.* 37. *num.* 13. Ideo explicanda vt Summi Pontificis propria.

§. III.

9. NOto, quòd iure potuit Archiepiscopus Pyrrhus instituere Sanctiss. Archimandritam nostrum in Superiorem suorum subditorum, iisque tribuere facultatem eum, & alios eligendi; nam nulla Congregatio potest habere formam, nec vigorem Religionis; nisi sit ab habente auctoritatem approbata. Ex quo sequitur, quòd approbans sit Religionis caput; Vnde optimè dixit Henriq. *lib. 7. de indulg. cap. 24. num. 4. in commento, litera B. & num. 7. in comm. l. E.* quòd Papa; ad quem pertinet generalis Religionum omnium confirmatio, sit illarum proprius Generalis, cum liberum sit illi approbare, vel non approbare, facere Religionem, vel non facere. Quare Religio nullam habet iurisdictionem, nisi illi ab habente auctoritatem per confirmationem, & approbationem tribuatur, & in illius potestate est dare tantam, vel tantam; & Sicut potest approbans retinere apud se omnem iurisdictionem, & esse caput Religionis approbatæ, ita potest hanc iurisdictionē capitis tribuere cuicumque voluerit, Quod quamvis fiat ex consensu etiam subditorum, qui voluntariè se submittunt institutori, & regulæ institutæ per vota, id tamen efficaciam non habet nisi ab habente in Ecclesia potestatem acceperit. Quare optimè sequitur, potuisse dictum Archiepiscopum P. N. Generalem instituere & tribuere fratribus potestatem eum, & alios eligendi:

Hæc

Hæc ex Vasquez *prima 2. disp. 165. cap. 4. n. 41. & 42.* & Sanchez *lib. 5. in decal. cap. 1. num. 20.*

§. IV.

10. NOto, quòd nullus Superior, neque etiam Capitulum Generale potest facere statuta contra ius commune, vt dicam latiùs in recollectione Actuum, si recolligere Religio mandauerit. Ita Nauarr. *lib. 3. consil. de regul. cons. 26. num. 4.* Habetur expresse *in cap. Quod super his, de maiorit. & obed.* vbi Panor. & alij Canon. Habetur etiam *in cap. Institutionis 25. quæst. 2.* Idem docet Io. Andr. *cap. fin. de appell. in 6. à num. 9. & cap. fin. de off. Archipresb. num. 7.* Posset tamen dictum Capitulum Generale constitutiones iuris communis declarare, innouare, & vbi pœna deficit apponere, vel veterem pro aliqua rationabili causa augere, quia hoc non est ius commune subuertere, sed illud adiuuare, quod licitum esse dicitur *in cap. 1. de nou. oper. nuntiat.* Possunt etiam Capitula Generalia ad correctionem motum, ius commune supplendo, statuta facere præceptoria, prohibitoria, atque pœnalia, quod habetur *in cap. Prodest. 23. quæst. 5.* Docet idem Io. Andr. *dicto cap. fin. de off. Archipresb.* & eo ipso quòd sunt prædicto modo facta, sunt Apostolica auctoritate confirmata per priuilegium Clementis Septimi Congregationi Clericorum Regularium, & pauli III. Societati Iesu; vt refert Peregrinus *prima parte sui compendij, tit. Constitutiones:* Nec solum potest Capitulum adiuuando prædicto modo ius commune, pœnas apponere, sed etiam idem potest facere in iure diuino, & similiter in iure naturali. Ita Massobr. *in praxi, tract. de Synodo, dubio 48.* & colligitur ex *cap. A nobis, el 1. de sent. excom.* Nec solum id potest Capitulum, sed etiam solus Generalis, & solus Prouincialis & solus Corrector. Idem Massobr. & colligitur *ex eodem cap.*

§. V. & VI.

11. NOto, quòd Prælati nostri habent iurisdictionē ordinariam in suos subditos, tùm spiritualem, tum temporalem, quia iurisdictio manans ex concessione perpetua facta alicui ratione dignitatis ab habente potestatem, est ordinaria, vt Glossa *in cap. fin. de off. Ind. ord.* Vbi Baldus hæc habet præcisè. *Quæritur Vtrum commissio faciat quem ordinarium, seu delegatum. R. Si est commissio perpetua, facit ordinarium, si autem temporalis, facit delegatum.* Ita Passarel. *in not. priuil. notab. 15.* Sanchez *lib. 2. de matrim. disp. 40. n. 14.* Rodriq. *tom. 1. q. regul. q. 17. art 6.*

12. Nec solum habent dicti Prælati iurisdictionem ordinariam in professos, sed etiam in nouitios, quia multa priuilegia habent dicti Prælati circa nouitios, quæ sunt perpetua, vt constabit ex dicendis, & haber Rodriquez *loc. cit. art. 11.*

13. Nec solùm habent auctoritatem ordinariam ad causas regulares, sed etiam ad extraneas, quales sunt lites, quas habent sæculares aduersus Regulares, siue sint ciuiles, siuè criminales. Ita Nauar. *comm. 2. de reg. num. 63.* Archidiac. *in cap. Nullam 18. q. 2. n. 5.* Rodriq. *loc. cit. art. 6.*

14. Ex quo deducitur primò, quod priuilegia, quæ conceduntur aliquid Prælatis, possunt ab iis suis fratribus communicari. Quia iurisdictio est Principis priuilegio competens non personæ alicui determinatæ, nec circa personas determinatas, sed perpetuò dignitati, & in genere respectu subditorum ordinaria est, & delegabilis. Syln. *verbo Delegatus, q. 8. n. 10. & 11.* Sanchez *lib. 2. de matrim. disp. 40. num. 14.* Et habetur *in cap fin. de off. deleg.* Quæ communicatio per mortem ipsorum Prælatorum, vel priuationem ab officiis, vel ipsorum functionem non expirat, cum sit gratia, quæ morte concedentis non expirat, *cap. Si super gratia, de offic. deleg. in 6. & cap. Si cui, de preben. eodem libro.* Nec turberis ex eo, quod dicta Capitula loquantur de Papa, in quo est suprema auctoritas, Nam non fundantur in ipsa suprema Papæ auctoritate, sed in natura gratiæ, quam, vt ait Pontifex *d. cap. Si cui*, decet esse mansuram. Atque ita docent Cruz *lib. 2. de statu Relig. cap. 3. dub. 1. concl. 3. versu Si arguitur secundò.* Suar. *lib. 8. de legib. cap. 32. num. 9.* Quare si Prouincialis alicui fratri commiserit particulariter, & expresse dispensationem cum incestuosis, vel cum his, qui post simplex votum castitatis matrimonium inierunt, vel posse aperire literas Sacræ Pœnitentiariæ, non erit opus ab alio Prouinciali, vel Generali, postquam concedens officio functus fuerit, vel priuatus, vel mortuus, dictam auctoritatem petere. Ita in specie Rodriq. *tom. 1. quæst. regul. quæst. 17. art. 11.* Innoc. *in cap. Quod translationem, de off. leg. num. 2.* Panorm. *in cap. Cum ad hoc, de clerico non resid. num. 9.* Guttier. *lib. 2. can. quæst. c. 17. num. 6. 7. & 8.*

15. Secundò colliges, quòd, nisi aliqua particularis constitutio obstet, quando Prouinciales, & Generales concedunt, seù etiam Episcopi, vel eorum Vicarij alicui posse absoluere à casibus sibi reseruatis, quòd ista licentia semper durat, etiamsi Prouinciales, Generales, & Episcopi functi sint officiis, vel mortui, nec est opus eam ab alio Superiore petere. Ita expresse tenet Cruz *lib. 2. de statu relig. cap 3. dub. 1. conclus. 3. versu. Si arguitur 2.* Sà *verbo Gratia, num. 4.* Suarez *tom. 4. in 3. p. disp. 26. sect. 3. n. 9. & lib. 8. de leg. c. 32. n. 9.* Neque hoc est inferre præiudicium successori, nam illi satis est, quòd possit dictam gratiam reuocare. Nec priores Prælati posterioribus possunt præiudicium inferre, quia par in parem non habet imperium, *cap. Innotuit, §. Quamuis, de elect.*

16. Tertiò colliges, quòd gratiæ factæ à Prælatis tempore visitationis per modum statuti fratribus aliquibus particularibus, iustis suadentibus rationibus, v. g. quòd aliquis, vel causa infirmitatis, vel studij, sit exemptus à choro, &c. durant etiam postquàm dicti concedentes officio functi fuerint. Panor. *in cap. Nemini, de off. leg. num. 9.* Syluest. *verbo Deleg. quæst. 6. numero 7.* Glossa *in capit. A nobis, verbo, Nen nisi subditi, de sent. excom.* Immò etiamsi non sint factæ per modum statuti, sed simpliciter, cum causa tamen rationabili. Panorm. *in cap. Cum ad hoc, de cleric. non resid. num. 9.*

17. Aduerte etiam, quòd subsequens Prælatus non debet sine iusta causa priuare subditum priuilegiis illi concessis à suo antecessore, quòd si fecerit, tenet quidem factum, sed ipse peccat, argumento *Regula Decet*, quæ est 16. *de regul. iur in 6.* & significatur *in cap. Suggestum, de decim.* Quod peccatum de se non est quidem lethale, poterit tamen esse ratione scandali, vel odij. Ita Suar. *lib. 8. cap. 37. num. 10.* Immò addo, quòd neque ab eo, qui concessit, debet sine causa priuilegium reuocari, vt Panor. *loc. cit.* & Glossa *in cap. Cum ex eo verbo Septennium, de elect. in 6.* Quæ exemplificat in eo, qui obtinuit priuilegium studendi per septem annos, quo ante illud septennium sine causa priuari non potest, etiam ab eo, qui concessit. Nec inferior Prælatus potest dictas gratias reuocare, nisi sit eiusdem auctoritatis cum eo, qui concessit. *Clem. Ne Rom. de elect. cap. Inferior, dub. 21.*

18. Aliter autem dicendum est de gratiaminibus, Nàm si Prælatus imponat alicui, v. g. vt quotiescumque non interfuerit vesperis, dicat culpam in publico, vel quotiescumque repertus fuerit extra cellam hora silentij comedat panem, & aquam dumtaxat, tunc Prælato functo officio, vel per mortem, &c. non tenetur subditus amplius vigore dicti præcepti ea exequi, nàm hic sumus in odiosis, quæ strictè semper sunt interpretanda, iuxta *regul. Odia.* quæ est 15. *de regul. iur. in 6.* Nisi per sententiam definitiuam dictus Prælatus talia

dicto

dicto subdito imposuisset, nàm tunc, etiam Prælato officio functo, tenerentur ea exequi, vt Innoc. *loc. cit. n.* 3. & Panor. etiam cit. *num.* 9.

§. VII.

19. NOto 1. quòd ad id, quod conceditur, vt possimus Missas ante diem dicere, quòd in Concil. Trident. *Sess. 22. decr. de obseru. & vit. in celebrat. missæ*; præcipitur, quòd Missa debitis horis celebretur, cum derogatione priuilegiorum in contrarium. Horæ autem debitæ sunt illæ, quæ præcipiuntur à Missali Rom. in quo §. 15. *de hora celebr. mis.* habetur, *Missa priuata quacumque hora ab aurora vsque ad meridiem dici potest.* Quò decreto sine dubio derogatur huic, & aliis infra ponendis priuilegiis; Quicquid dicat Rodriquez *tom.* 1. *quæst. regul. quest.* 43. *art.* 5. contendens, Concilium non reuocare priuilegia; sed tantùm præcipere Ordinariis, vt, non obstantibus priuilegiis, compellant Regulares in foro exteriori censuris, & aliis remediis opportunis, ne facultatibus in ipsis priuilegiis concessis vtantur; vnde putat, quòd si Episcopi non impediant, possunt Regulares suis priuilegiis sine aliquo scrupulo vti. Verùm alij communiter tutiùs putant, per illa verba Concilij, *non obstantibus priuilegiis*, *&c.* satis fuisse priuilegiis concessis ante dictum Concilium derogatum. Ita A Sorbo *in compend. priuil. verbo Missa*, *in princ.* Azorius, *tomo* 1. *institut. moral. libro* 10. *capite* 25. *quæst.* 4. Nauarr. *in manu. cap.* 25. *num.* 86. Immo idem Rodriquez hoc etiam concedit *in explicatione bullæ Cruciatæ*, §. 13. *num.* 9. Addo, quòd Pius V. per vnam constitutionem datam *anno* 1570. quæ incipit, *Quò primùm*; & refertur à Cherub. *tom.* 2. *bull. in Pio V. constit. eius* 106. *pag.* 313. præcipit sub merito sanctæ obedientiæ omnibus Sacerdotibus tam regularibus, quàm sæcularibus, vt missas celebrent iuxtà ritum Missalis Rom. & idem Pontifex *anno* 1566. per suam constit. quæ incipit *Sanctissimus*, & refertur à Cherub. *loc. cit. constitut. eius* 4. *pag.* 178. præcipit omnibus Sacerdotibus sub merito sanctæ obedientiæ, ac pœna perpetuæ suspensionis à diuinis, ne missas quocumque prætextu vespertino tempore dicere præsumant. Et Azor. refert declarationem Illustriss. Cardinalium, quæ sic habet, *Ante diem, & horis indebitis celebrare nulli licet, etiam vigore priuilegiorum à Sede Apostolica ante Concilium Tridentinum concessorum.* Itaque vigore priuilegiorum ante Concilium Trident. concessorum nulli Regularium licet missas ante auroram, nec post meridiem celebrare.

20. Verum tamen est, quòd Gregor. XIII. Anno II. sui Pontificatus concessit sacerdotibus Congregationis Sanctæ Iustinæ, vt dùm in itinere fuerint, possint missam celebrare ante auroram, & post mediam noctem, & hoc viuæ vocis oraculo facto Illustriss. Alexandro Farnesio Cardinali, illius Ordinis Protectori, & refertur *in compend. fratrum Sancti Hieronymi in Hispania*, *fol.* 50. Ita referunt A Sorbo, & Azor. *loc. cit.* Eandem concessionem fecit, & pleniorem dictus Gregorius præsbyteris Soc. Iesu, per eius bullam, quæ incipit, *Quanta in vinea Domini*, apud Rodriquez *in bull. in Gregorio XIII. bulla eius* 22. addito nimirum, quòd possint celebrare per horam ante auroram, & infra horam post meridiem causa itineris, vel alterius legitimi impedimenti. Et Sixtus V. *anno Domini* 1586. per suam const. quæ incipit, *Decet Romanum Pontificem*, & refertur à Naldo *verbo Confessio*, *num.* 39. concessit Congregationi Oratorij, vt possint per dimidium horæ spatium ante auroram, & post meridiem, eueniente casu, missas celebrare. Multa alia similia refert Cruz *lib.* 2. *de statu Relig. cap.* 5. *dub.* 6. *concl.* 2. Quibus priuilegiis gaudent omnes participantes.

21. Noto 2. quòd citra priuilegium non potest missa celebrari ante auroram, vt dictum est. Sed dubium est quid nomine auroræ intelligatur non enim intelligitur per auroram ortus Solis, idest ascensus corporis solaris supra nostrum Orizontem; sed initium crepusculi diei, seu prima lucis irradiatio, vnde Gabriel *lect.* 14. *in Canon.* & Scotus *in* 4. *dist.* 13. *q.* 2. dicunt, licitum esse inchoare missam vna hora, & quarta parte alterius ante ortum Solis. Quæ tamen mathematica mensura ad res morales nimia est. Non erit itaque peccatum hora, & dimidia ante ortum Solis sacrificare. Ita Suarez *tom.* 3. *in* 3 *p. disp.* 80. *sect.* 4. *Paulò strictiùs* Vasq. *tom.* 3. *in* 3. *p. disp.* 232. *cap.* 3. *n.* 27. Atque ita Regulares, qui habent priuilegium, vt per horam ante diem celebrare possint, cum huiusmodi priuilegium intelligi debeat ante auroram, quòd est tempus determinatum, à quo sine priuilegio missa potest inchoari, poterunt inchoare missam per duas horas cum dimidia ante ortum Solis.

22. Missæ autem noctis Natiuitatis Domini possunt omnes tres celebrari ante auroram. Ita Vasq. *loc. cit. n.* 32. Suar. *dicta sect.* 4. *quæsito* 3.

23. Tempus verò legitimum, intra quod missa debet absolui, vel inchoari, est meridies. Ita communiter DD. Suar. *loc. cit. concl.* 2. Vasq. *c.* 4. Singularem opinionem in hoc tenuit Nauar. *in Sum. c.* 25. *n.* 83. *& de orat. miscell.* 76. putans, licitum esse cuilibet Sacerdoti missam celebrare vsque ad horam nonam diei, quæ est tertia post meridiem, cessante scandalo, & suadente aliqua honesta causa. Quam opinionem dicit non esse tutam in praxi Suarez *loco cit.* & nihil habere probabilitatis asserit Vasquez Itaque absque priuilegio consent cum multis, quos citant, per solam Ecclesiæ alicuius particularis consuetudinem non posse missas post meridiem inchoari, inchoatas autem finire est sine difficultate debitum.

24. Duos tamen casus excipit Suarez quibus etiam sine priuilegio licitum est post meridiem missas inchoare, nimirum in aliquo solemni festo, in quo missa publica, & concio non finiantur, nisi ad vnam, vel duas horas post meridiem, tunc enim durante solemni missa, & etiam paulo post, quia parum pro nihilo reputatur, poterunt inchoari missæ priuatæ, quia totum illud tempus in illo casu censetur legitimum, & debitum Ita Vasquez *num.* 37. & Suarez, qui alium addit casum, nimirum si ratione itineris occurrat necessitas celebrandi in die festo paulo post meridiem, dummodò vnius horæ tempus non excedatur. Quæ omnia probabilissima sunt, & in praxi tutissima, & obseruantur de facto.

25. Si roges, an liceat in triduo hebdomadæ sanctæ celebrare.

Respondeo Breuiter, in Feria V. licitum esse omnibus Sacerdotibus celebrare, absque populi tamen frequentia, & secluso scandalo, si quod esset, sed in secreto, vt celebrius sit sacrificium illius diei. Ita Suar. *tom. in* 3. *p. disp.* 80. *sect.* 2. Sotus *in* 4. *dist.* 13. *q.* 2. *ad* 2. Gutierrez *lib.* 1. *canon. q. cap.* 30. *n.* 36. Scortia *de Sacrif. mis. lib.* 2. *c.* 5. *n.* 9. & alij. Quia id nullo iure prohibetur, neque est vlla introducta consuetudo, quæ vim legis habeat. In die autem Parasceues peccatum mortale est, siue in publico, siuè in secreto celebrare. Ita omnes cit. & habetur *in cap. Sabatho, de consecr. distinct.* 3. *In die Sabbathi Sancti*, Nauarr. *in sum. c.* 25. *n.* 88. & alij putant, peccatum mortale esse celebrare plus quàm vnam missam publicam. Citati tamen DD. & alij apud ipsos censent, peccatum non esse priuatim, & in occulto celebrare ob rationabilem causam, præsertim ab ea hora, qua incipit, vel incipere potest solemne, & paschale officium, & sic *capite illud Sabbatho* quòd ad hoc esse consuetudine antiquatum.

26. Aduerte denique, quòd Regulares possunt dicere missas in diebus Dominicis, festis quacumque hora debita, etiam antequam Rector parochialis Ecclesiæ celebrauerit. Et ita declarauit Sacra Congregation. 5.

in declarationibus, quas pono infra in const. 7. Pij V. circa §. 10. n. 14. Immò id expressè concessit dictus Pius V. in dicta const. § 10.

27. Noto 3. quòd ad id, quod conceditur in hoc §. vt possimus celebrare missam in quocumque loco honesto cum altari portatili, seu viatico, quòd hoc idem nobis concessit Iulius II. constit. eius 2. §. 7. & concessum erat per ius commune Prædicatoribus, & Minoribus, cap. In his, de priuil. Sed hæc iam sunt antiquitata per Concilium Trid. sess. 22. decr. de obseru. & euit. in celebr. miss. illis verbis, Nevè patiantur in priuatis domibus, vel extra Ecclesiam, &c. Ita Nauar. in man cap. 25. n. 82. A Sotbo in comp. verbo Missa, in princ. Azor. tom. 1. instit. moral. lib. 10. cap. 26 quæst. 7. Suar. tom. 3. in 3. p. disput. 81. sect. 3. except. 4. Reginald. in praxi lib. 29. num. 178.

28. Sed Gregor. XIII. concessit presbyteris Soc. Iesu, quòd, non obstante decisione Concilij Triden. sess. 22. cit. possint presbyteri dictæ Societatis in missionibus, quæ à Superioribus fiunt, seruata alias forma concessionis Pauli III. (videlicet cum debita reuerentia, & bonore) sacrificium missæ cum altari viatico celebrare vbique gentium, etiam in castris militum, modò loca, & si communia, & profana, tuta, & honesta sint, & Præpositus generalis, aut per eum Prouinciales præpositi eo tunc viendum fore indicauerint. Poteruntque ibi ipsi presbyteri sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum ministrare fidelibus, ad illud sumendum debitè præparatis. Ita referunt tom 1. quæst. regul. quæst. 43. art. 4. Henriq. lib. 9. de Sacrif. missæ, capitulo 27. num. 2. in comm. lit. S. Azor, ferunt Cherub. tomo 2. bull. in Gregorio XIII. constit. eius 57. pag. 433. incipit Vsum altaris, Rodriquez Reginald. & Suar. loc. cit. Qui quidem Suar, ait, hoc priuilegium non participari ab aliis, quia conceditur personis, non locis. Sed verè non prohibetur communicatio, vt patet ex dicto priuilegio relato à Cherub. & quando Papa non vult priuilegium communicari, expressè dicit, vt constat ex priuilegio concesso ab eodem Gregorio eidem Societati, quòd possint ordinari extra tempora, & non seruatis interstitiis; Quod refert Cherub. loc. cit. in Gregorio constit. eius 77. incipit, Pium & vtile, pag. 460. Et priuilegium illud concessum ab eodem Gregorio presbyteris dictæ Societatis, quod sub hac forma refert Rodriquez tom. 1. quæst. regul. q. 59. art. 5. Gregorius XIII. concessit, quòd confessarij Societatis Iesu, ac Prædicatores ab aliquo Ordinario semel approbati, & à suis Superioribus ad eiusmodi munera deputati quandocumque, siue in mari siue in terra iter faciant, possint, non repugnantibus tamen Curatis parochialium Ecclesiarum, verbum Dei prædicare, & quorumcumque Christi fidelium confessiones audire, Priuilegium, inquam, hoc equidem locale non est, sed personale, tamen Rodriquez loco cit. ait, illud communicari confessariis ordinum Mendicantium; Idem docent Henriq. lib. 7. de Indulg. cap. 28. n. 2. A Sotbo in comp. verbo Absolutio quò ad fratres, & sæculares, conclus. 11. pag. 57. Miranda tom. 1. Man. quæst. 45. art. 8. Immò & ipse Suar. tom. 4. in 3. part. disp. 28. sect. 7. num. 13. Sed dicendum est, quòd Suar. non dicit, hoc priuilegium non communicari, aliis, aliàs communicationem habentibus, sed quòd alij Sacerdotes dictos presbyteros Societatis sociantes, qui regulares non sunt, seù communicationem non habent cum dicta Societate, non possunt in dicto altari viatico celebrare, eo quia non altare est priuilegiatum, sed persona celebrans. Sicut è contra quando est priuilegiatus locus, possunt omnes, & priuilegiati, & non priuilegiati ibi celebrare, vt de Oratorio deputato à Prouinciali dicam modò. Fruuntur ergo omnes Mendicantes dicto priuilegio, quia Mendicantes communicant in priuilegiis concessis dictæ Societati per concessiones Pontificum, non solùm ante, sed etiam post Concilium Trid. vt Rodriq. tom. 1. q. regul. q. 55. art. 17. Atque ita docet Vasq. tom. 3. in 3. p. disp. 233. cap. 1. n. 7. Fagund. in præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 3. cap. 13. num. 17.

29. Aliud verò priuilegium concessum ab eodem Gregorio eidem Soc. Iesu, vt in suis domibus in priuato Oratorio à Prouinciali approbato possint dici missæ sine alia Episcopi approbatione, non obstante Concilio Trid. quod referunt Rodriq. tom. 1. q. regul. quæst. 43. art. 4. Suar. tom. 3. in 3. part. disp. 81. sect. 3. excep. 4. Naldus in sum. verbo Missa, num. 32. Reginaldus in praxi, lib. 29. num. 178. Participatur ab omnibus Regularibus absque controuersia, vt docent omnes citati; & præterea Azor. tom. 1. instit. moral. lib. 10. capite 26. quæst. 9. Et similiter participatur ab aliis Regularibus priuilegium Nicolai Franci Legati de latere Sixti IV. concessum Ordini Sancti Benedicti Vallisoletani, vt in Monasteriis, tam in infirmariis, quàm in aliis quibuscumque locis honestis intra septa eorum possint Fratres habere altaria portatilia ad celebrandum. Ita refert Rodriquez in suo bull. in Sixto IV. const. eius 44. num. 2.

30. Sed posset hic quæri; an in grangiis Monasteriorum, seù in prædiis ipsorum, vtilitatis, & recreationis causa acquisitis, possint fieri Oratoria, in quibus diuina officia celebrentur sine licentia Ordinarij, Rodriquez hanc quæstionem proponit tom. 2. quæst. regul. quæst. 75. art. 1. & respondet, quòd sic, allegando priuilegium Alexandri VI. concessum Ordini Cistercienſi, vt Monachi illius Ordinis possint grangias constituere, inibique Ecclesias, Capellas, & Oratoria, in quibus officia diuina celebrari possint, sine loci Ordinarij, vel Diœcesani, seù alterius cuiuscumque licentia ædificare, vbi vassallorum, colonorum, incolarum ibidem commorantium confessiones audiri, & eisdem pœnitentia salutaris iniungi, Eucharistiaque, & alia Sacramenta sine Parochiæ præiudicio, per Monasteriorum Abbates, & suos Monachos ad id deputatos, ministrari liberè, & licitè valeant. Refert etiam ibid. Rodriquez viuæ vocis oraculum Pauli III. concessum Monasterio B. Mariæ de Guadalupe, & extensum deinde ad omnia Monasteria illius Ordinis per Pium IV. & Pium V. & consequenter ad omnes Mendicantes communicationem cum illis habentes, quod sic habet, Antonius Cardinalis, & Pœnitentiarius Pauli III. Pont. eiusdem anno I. XIII. Kal. Febr. de eiusdem Pontificis speciali mandato, viua vocis oraculo super hoc ei facto, auctoritate Pontificis indulsit, & concessit, quòd omnes fratres Presbyteri prædicti Monasterij B. Mariæ de Guadalupe, tàm intra, quam extra illud in Capellis, Oratoriis, grangiis, & locis aliis eiusdem Monasterij (non contradicente Priore, aut in eius absentia, aut Sede vacante, Vicario) possint administrare Sacramentum Eucharistiæ, etiam in die Paschatis subditis eiusdem Monasterij, vel ab eo dependentibus, & aliis illo confluentibus vtriusque sexus, Diœcesanorum locorum, Curatorum, aut Rectorum ad hoc licentia minimè requisita. & sic præcepto Ecclesiæ satisfaciant non obstantibus contrariis quibuscumque. Et art. 2. eiusdem q. 75. refert idem Rodriquez aliud priuilegium Eugenij IV. quod sic habet. Eugenius IV. concessit, quod grangio monasteriorum Cisterciensium, sicut Ecclesiarum atria, à prauorum hominum incursu, & violentia liberà, & quietè debent esse, ita vt nemo in eis hominem capere, spoliare, aut ruinam exercere præsumat in virtute Spiritus Sancti inhibendo statuit.

31. Quæ priuilegia per Concilium Trid. non esse derogata docet idem Rodriquez loc. cit. quia Concilium sess. illa 22. decr. de euit. &c. solùm vult tollere, vt in domibus priuatis non erigantur Oratoria sine licentia, & approbatione Ordinarij, in quibus possit sacrificium missæ celebrari, non autem videtur tollere, quin possit in dictis grangiis, quæ domus priuatæ non sunt (vt constat ex dicto priuilegio Eugenij illis immunitatem concedente)

concedente) dicta Oratoria fieri,& ibi cum altari portatili celebrare;Sicut neque etiam tollit,quin possint dicta Oratoria intra claustra Regularium in infirmariis V. G. fieri, & ibi celebrare, quia extra Ecclesiam omninò non sunt, cum nomine Ecclesiæ veniant etiam Religiosorum claustra, vt colligitur *ex cap. Abbate*, §. *Hac autem*, *dist*.54. *& cap. Alma mater.de sent. excom.in* 6. vbi Glossa *verb. Monasterij*. Sed de hoc iam nulla est difficultas post priuilegium Gregorij XIII. de quo dixi *num*.19. Constat etiam ex his,quòd non solum in grangiis,quæ sunt in prædiis,possunt constitui Oratoria pro celebratione Missarum, sed etiam in illis, quæ fiunt in Ciuitatibus, & seruiunt pro infirmitoriis, illorum præsertim Conuentuum, qui valde distant à Ciuitatibus, vel Oppidis. Quod supponens Clemens VIII.concessit viuæ vocis oraculo(de quo testatur Cardinalis de Auila apud Rodriq. *in bullar. in Clem*.8 *p*. 546.) vt Religiosi infirmi in dictis infirmitoriis existentes possint frui omnibus indulgentiis, quibus fruerentur, si essent in dictis Conuentibus, dummodò in dictorum infirmitoriorum Ecclesiis, Capellis, seu Oratoriis ea omnia exequantur, quæ pro prædictis indulgentiis consequendis teuerentur exequi, si in Conuentibus degerent. Concedit etiam, quòd morientes in dictis infirmitoriis potiantur iisdem priuilegiis, ac si in propriis Conuentibus obirent. Cautè tamen, & prudenter, ac sine strepitu, ne Parochi, & Ordinarij conquerantur, ijs priuilegiis vtendum,quò ad administrationem Sacramentorum sæcularibus extraneis & illo communionis in die Paschatis præsertim non vtendum sine maxima, & grauissima necessitate.

32. Aduerte etiam, quòd illa verba posita supra in const. Alexand. VI. *Sine parochia praeiudicio* fuerunt declarata, vt notant Rodriq. *loc.cit.art*.1. & Cruz *lib*.1. *de statu Relig.cap*.5.*dub*. 7.*concl*. 2. à Sixto IV. nimirum, quòd præiudicium,quod debent vitare fratres celebrando, prædicando, &c. est solùm circa decimas,& primitias Clericis à laïcis exhiberi solitas, quasi dicat Pontifex, Dummodò in Ecclesiis parochialibus non sequatur præiudicium quò ad exactionem decimarum, & primitiarum possunt prædicti fratres superiùs concessa facere.

33. Aduerte etiam quòd occupantes, infringentes, vel aliquam violentiam facientes prædictis grangiis, vel aliis locis fratrum, sunt ipso facto excommunicati, & absolutio est reseruata Papæ per priuilegium Leonis X. de quo Rodr. *loc cit*. Et Iulij II. de quo nos infra *in Iulio II.constit.eius* 1. §.17. Et Pauli de quo *in comp.Congreg S. Mariæ Fuliensis,tit. Bona Congregationis*, §. 6. Videatur Concilium Trid. *sess*. 22. *cap*. 11. *de reform*. Et aduerte, quòd ad istam excommunicationem incurrendam requiritur, quòd occupantes, &c. sint moniti huius priuilegij.

34. Aduerte etiam,quòd omnibus,& singulis Regularibus tàm viris,quàm fœminis, quibusvis infirmitatibus pro tempore detentis, quibus ob huiusmodi infirmitates, vel per medicum, aut Superiorem suum è cubiculis suis exire prohibitum fuerit, concessum est, vt durantibus infirmitatibus tantùm, missam in proprio cubiculo super altari portatili, in loco tamen decenti, & honesto, per aliquem Sacerdotem, per eos ad suum libitum eligendum celebrari facere, illique interesse, & eam etiam in ipsorum cubiculis iacentes audire, Sacramentumque Eucharistiæ confessi, & contriti, liberè, & licitè suscipere possint, Ordinariorum locorum, seù quorumvis aliorum licentia desuper minimè requisita, ipsique ac Sacerdos sic per eos eligendus missam huiusmodi respectiuè audiendi ac celebrandi plenam, & liberam licentiam, & facultatem habent. Ita concessit Pius IV. Canonicis regularibus S. Saluatoris Lateranensis *die* 18. *Maij* 1563. Pont. sui anno VI. vt habetur *in eorum priuilegiis*, *pag*. 536. & refertur *in comp. priuil Congr. S. Mariæ Fuliensis, tit. Infirmi*, §.5.cum clausula, *Non obstantibus quibusvis Apostolicis, necnon in Prouincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus constitutionibus, & etiam per nos quomodolibet factis, & concessis*. Per quam clausulam derogatur etiam, in quantum opus est, decreto Concilij Trid. *sess* 22. *de celeb. mis*. Refert etiam Peregrin. *in comp. priuil. Congreg. Cler.reg. tit. Infirmi*, §.2.

35. Aduerte tandem, quòd propter necessitatem iure communi permissum est celebrare absque Episcopi licentia sub dio & extra Ecclesiam, ac Oratorium designatum, vt si Rex, aut Dux sit in exercitu, vel classis Christianorum appellat ad terram, qui iamdiù missam non audierint, vel si in itinere Ecclesia desit, vel cum magna multitudo hominum in aliquo die festo ad paruam aliquam Ecclesiam concurrit, modò tamen semper adsit altare viaticum, seù portatile ab Episcopo consecratum,sine hoc, n. nunquàm permissum est vlla de causa celebrare. Altare autem hoc viaticum, seù portatile, vel ara, vt vocant, est tabella quædam lapidea consecrata ab Episcopo, quæ facilè pro itinere quovis loco defertur. Ita docent D.Th.3.*p.q*.83.*art*.3. Naoar. *in sum.cap*.25.*num*.82 Vasq.*tom*.3.*in* 3.*p.disp*.233.*c*.1. *n*.6. Henriq.*lib*.9.*c*.27.*num*.1.Suar *tom*.3.*in* 3.*p.disp*.81. *sect.& except*.3. Guttierrez *lib*.1.*canon. q.cap*. 30. *num*. 26. Et probatur *ex can*. 1. *& can. Concedimus*, *de consecr. dist* 1.

36. Nunquàm tamen licet propter quamcumque necessitatem celebrare supra mare, seù flumen in naui propter periculum effusionis sanguinis ex motu nauis. Ita Syluest. *verbo Missa*, *quæst*. 3. *dicto* 2. Angelus *eod. num*. 40. Vasquez *loc. cit. numero* 4.

§. VIII.

37. Noto 1. quòd in Ecclesia esse hanc potestatem casus reseruandi statuit Trid. *sess*. 14. *de sacr. pœnit.cap*.7.& id posse non solùm summum Pontificem, sed etiam Episcopos, docet idem Concilium; Posse autem & Prælatos regulares, innuit idem Concilium non obscurè illis verbis. *Sed à summis dumtaxat Sacerdotibus absoluerentur*. Et quia, vt probabimus, habent iurisdictionem quasi Episcopalem.Et quia id etiam expressè statuit Clem. VIII. *in decr. pro regul. reform*. quæ ponam infra *in Vrbano VIII. constit. eius* 10. Et aduerte, quòd priuilegium, de quo hoc §. loquitur *de absolutione in ordine ad fratres*, vt patet ex *litera* §. *anteced.* vnde est in suo vigore.

38. Noto 2. Qui sint casus iure Episcopis reseruati,& qui consuetudine. Iure, dicunt aliqui, quòd quinque sunt casus reseruati Episcopis *in extrauag. Inter cunctas, de priuil*.1.est, quando delictum habet ex iure annexam publicam pœnitentiam. 2. quando habet annexam excommunicationem maiorem. 3.quando habet annexam irregularitatem. 4. est peccatum incendiarij. 5. publica blasphemia. Nauar. *in sum.cap*.27.*n*. 262. dicit tantùm peccatum incendiarij esse reseruatum; Sequitur Chapeauille *de cas.reseru.p*. 1. *cap*. 5. *quæst*. 2. Sed in hoc mihi maximè probatur doctrina Suar.*tom*.4 *in* 3.*p.disp*. 29.*sect*.3. *num*.6. qui ait, ex solo iure communi, seclusa consuetudine, nullum esse reseruatum Episcopis,& probat discurrendo per omnes dictos casus, & in specie, quia *dicta extrauagans Inter cunctas* est reuocata per *Clem. Dudum,de sepulturis*, illis verbis. *Nos eam omninò cassantes*.

39. De generali autem consuetudine dicunt Nauarr. & Chapeauile *loc.cit* quòd reseruantur etiam Episcopis alij quinque. 1. est homicidium voluntarium, aut realis membri abscissio. 2.est crimen falsi, quando quis vitiat literas, vel scripturas. vel dat falsum testimonium, aut tacet veritatem coram Iudice, quando debet illam dicere, aut recipit pecuniam, ne testimonium dicat, aut

cùm Aduocatos, Procuratot, Notarius ostendit instrumenta vnius partis alteri. 3. est violatio Ecclesiasticæ libertatis, quæ iniustè personæ, & res Ecclesiasticæ grauantur, sed hodie iste casus est papalis, reseruatus in bulla cœnæ. 4. est violatio immunitatis Ecclesiasticæ, qua in Ecclesia, vel loco sacro, vel priuilegiato, proximus in persona, vel rebus offenditur. 5. Est sortilegium, & diuinatio. Addit 6. Nauarrus, nimirùm peccatum retinendi aliena incerta. De consuetudine speciali singuli Episcopi reseruant sibi eos casus, qui magis videntur necessarij pro sua Diœcesi.

40. Inhærendo itaque sententiæ Suarez dico, quòd nullus casus est iure communi Episcopis reseruatus, nisi consuetudine legitima sit approbatus, & cum omnes, & singuli Episcopi reseruent sibi aliquos speciales, & particulares casus, dico (loquendo de casibus Episcopalibus) omnes confessarios posse absoluere ab omnibus casibus, præterquam ab illis, quos in singulis Diœcesibus sibi Episcopi specialiter reseruant, concessum enim videtur, quòd prohibitum non est, vt habet Glossa *in cap. Nuper, de sent. excom.* & colligitur ex *dicto cap. Nuper, §. In secundo.* Atque ita consuetudinem hoc vsque id obtinuisse, & in praxi ita de facto obseruari, quòd solùm illi casus sint reseruati, qui ab Episcopo nominantur, ac deputantur, vt pro talibus habeantur, vel qui de consuetudine præscripta, notoria, & manifesta, de qua in indice dictorum casuum fiat mentio, docet Floronus *p. 1. c. 2. §. 1. num. 5. verbo Septimò*, & citat Possevinum *de off. curati, cap. 7.* & Homobonum *p. 1. cap. 3. versu Quo ad casus verò*

41. Noto 3. Quam auctoritatem habeant Episcopi absoluendi à casibus reseruatis Papæ, dicitur in Trident *sess. 24. de reform. cap. 6.* in hæc verba, *liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus ex delicto occulto prouenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare, & in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, delinquentes quoscunque sibi subditos in sua Diœcesi per se ipsos, aut Vicarium specialiter ad id deputandum, in foro conscientiæ gratis absoluere, &c.*

42. Vbi aduerte, quòd hic occultum non sumitur pro eo, quod à nemine scitur, sed prout contradistinguitur à publico, & famoso, etiamsi probabile sit; propterea enim additum est. *Exceptis aliis deductis ad forum contentiosum.* Dicitur autem delictum publicum, statim ac denuntiatum est, aut accusatum apud legitimum Iudicem. Ita Suar. *tom. 5. in 3. p. disp. 41. sect. 2. num 6.*

43. Aduerte etiam, quòd illa verba *In foro conscientiæ*, significant, quòd habens potestatem absoluendi aliquem in foro conscientiæ, vtitur illa potestate in salutem animarum, vt dicta absolutio valeat coram Deo, & non coram Ecclesia, & licèt si hæc absolutio detur coram aliquibus, non per hoc definit esse in foro conscientiæ, nàm fit sine strepitu iudicij, & sine præiudicio tertij, seu fisci. Operatur autem huiusmodi absolutio, vt ita absolutus possit licitè coram Deo celebrare absque eo quòd irregularitatem aliquam coram ipso Deo incurrat, & quòd omnes actus ab ipso exerciti validi sint quò ad naturam, & substantiam ipsorum, licèt in foro exteriori aliter iudicabimur. Ita Rodriquez *tom. 1. q. regul. q. 61. art. 10.*

44. Sed hic quæritur à DD. an vigore huius capitis possint Episcopi nunc absoluere à casibus in bulla cœnæ contentis. Tractant ex proposito hanc quæstionem Sanchez *lib. 2. in Decal. cap. 11. num. 26.* & Riccius *da iur. person. lib. 5. cap. 14.* & citant Doctores ex vtraque parte grauissimos. Hanc quæstionem tractat diffusè Garcia *de benef. part. 11. cap. 10. à num. 115.* Quòd non possint, tenent Toletus *in sum. in bulla cœna, excom. 14. in fine.* Suar. *tom. 4. in 3. p. disp. 30. sect. 2. n. 11. & tom. 5. disp. 21. sect. 3. n. 5.* Sanch. *loc. cit. num. 27. fine*, Bonac. *de censuris, disp. 1. q. 3. punct. 2. num. 1. vers. Primò hoc decretum*, Ricciul. *loc. cit. num. 13.* Azot. *tom. 1. instit. moral. lib. 8. cap. 10. q. 10.* Filiucius *tom. 1. tract. 16. c. 12. q. 3.* Nituntur, quia dicunt, id sæpius fuisse declaratum à sacra Congregatione Concilij, immò à summis Pontificibus Gregorio XIII. & Clemente VIII. Quòd verò possint, tenent Nauarrus *lib. 1. consil. de constit. cons. 1. q. vlt. & lib. 5. de priuil. consil. 11. q. 1. & in sum. cap. 27. n. 260.* Sà *in aphoris. verbo Episcopus, n. 27.* Vega *p. 1. sum. cap. 115. casu 11.* Henriq. *lib. 6. de Sacr. pœnit. c. 114. num. 7.* Modicus defendit D'Aluinus *de pot. Abb. &c. cap. 27 num. 4.* In tanta perplexitate illud puto certissimum, vigore publicationis bullæ cœnæ, quæ singulis annis fit, non fuisse derogatum huic capiti Concilij quò ad absolutionem à casibus in dicta bulla reseruatis, nàm cum bulla singulis annis publicetur, non est credendum, Patres Concilij dedisse illam auctoritatem Episcopis, cui statim derogandum erat, nec talem fuisse mentem Pontificum, qui decreta dicti Concilij approbauerunt. Potest quidem esse, quòd longo vsu, & praxi Curiæ Romanæ, atque etiam declarationibus dictorum Pontificum, sit derogatum quò ad casus in dicta bulla contentos. De praxi Romanæ Curiæ testatur Ricciul. vir doctissimus, & qui Romæ scripsit, & habitat, Declarationes illorum Pontificum, & Congregationis Concilij si essent veræ, res esset sine controuersia; Sed nihil authenticum videre potui.

45. Quòd confessores in vim priuilegiorum Cruciatæ Sanctæ eligendi, neminem ab incursu, & lapsis in hæresim absoluere possint, statuit Gregorius XIII. apud Cherub. *tom. 2. bull. in Greg constit. eius 37. pag. 405. incipit, Officij nostri.*

46. Aduerte etiam, quòd eandem facultatem, quam habent Episcopi erga suos subditos, tàm Ecclesiasticos, quàm sæculares in suis Diœcesibus, habent Prælati regulares, Generalis quidem in tota Religione, & Prouincialis in sua Prouincia erga suos. Sed dubitant Doctores, an vigore huius capitis liceat. Negat Suar. *tom. 5. in 3. p. disp. 41. sect. 2. num. 7. & tom. 4. disp. 30. sect. 2. n. 5.* Affirmant Sanch. *lib. 8. de matr. disp. 2. num. 12.* (licèt id deindè neget *2. in decalogum, cap. 11. num. 7.*) Beia *4. part casuum, casu 17.* Rodriq. *tom. 1. quæst. regul. q. 61. art 9.* D'Aluinus *cap. 27. num. 2.* & citat. P. Canati Doctorem Sorbonicum, ambo ex nostra Religione. Finelios *de cas. reseru. c. 7. num. 17.* Io. Valerius *verbo Regularis, differ. 6. num. 5.* qui ait, Gregorium XIII. expressè extendisse hanc facultatem ad Correctores, seu Priores conuentuales. Et videtur verior opinio, tum quia Prælati Regularium habent iurisdictionem quasi Episcopalem, vt docent Nauar. *lib. 1. consil. de temp. ordin. consil. 37. numero vnic. & in sum. capite 12. numero 75.* Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 3. num. 9.* Glossa *in Clem. 1. de reb. Eccl. non alien. verbo Proprij*; & habetur expressè *in cap. Abbates, de priuil. in 6.* Illud *Quasi Episcopalem* excludit tantummodò ea, quæ ordinis sunt Episcopalis, vt conficere chrisma, conferre ordines, &c. Glossa *in dicto cap. Abbates, verbo Quasi Episcopalem*; tùm quia non debent esse peioris conditionis subditi Prælatis regularibus, quàm sint subditi Episcopis; tùm quia hæc facultas competit Capitulo, Sede vacante, vt probat Sanchez *loc. cit. num. 10.* Et Beia, *verba Tum etiam, quia si non.* Sed quicquid sit de hoc, dico, quòd eandem prorsus auctoritatem habent Prælati regulares in suos subditos, quàm habent Episcopi in suos, per speciale priuilegium Pij V. quod pono infra *in Pio V. constit. eius* 10. §. 3. & ita docent Suar. *tom 4 in 3. p. disp 30. sect. 2. num. 7.* Rodriq. *tom. 1. quæst. regul. q. 61. artic. 9.* Sanchez. 8. *de matr. disp. 2. num. 13. & 2. in decal. cap. 11. num. 7.* Beia *4. p. casuum, casu 37.* Vega *2. p. sum. cap. 70. casu 2. & 1. p. c. 125. casu 12.*

§. IX.

§. IX.

47. Noto 1. quòd simile, & amplius priuilegium nobis concessum est à Iulio II. *in constit. eius* 1. §. 10. Et ab eodem Iulio Augustinensibus, *in constit. eius* 11. §. 1.

48. Noto 2. quòd Bonifacius VIII. vt habetur *cap. cum excess. Prel. in* 5 præcipit, vt Mendicantes non possent acquirere noua loca ad habitandum, vel antiqua alienare, vel mutare absque speciali licentia Papæ, de illa constitutione mentionem faciente. Et Trid. *sess.* 25. *de regul. cap.* 3. statuit ad meum propositum duo. Primum, *quòd in singulis Monasteriis is tantùm numerus Religiosorum constituatur, ac in posterum conseruetur, qui vel ex redditibus propriis Monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commodè possit sustentari.* Secundum, *quòd Monasteria non erigantur sine Episcopi, in cuius Diæcesi erigenda sunt, licentia prius obtenta.* Quò ad primum extat etiam constitutio Pauli V. quæ incipit *Sanctissimus*, & refert Cherub. *tom.* 3. *bull. in Paulo V. constit. eius* 9. *fol.* 187. qua præcipitur omnibus Superioribus Regularium, vt bene ventilatis, & perscrutatis, & eleemosynis omnium, & singulorum Conuentuum sibi subiectorum, is tantùm numerus in vnoquoque constituatur, qui ex dictis redditibus, & eleemosynis commodè sustentari possit. Qui quidem numerus non possit quacumque de causa à dictis Superioribus augeri, & hoc sub pœna priuationis officiorum, quæ tunc obtinebunt, & vocis actiuæ, & passiuæ in perpetuum ipso facto. Extat etiam pro Conuentibus, in quibus aluntur Nouitij, constitutio Clementis VIII. quæ incipit *Sanctissimus*, quam pono infra *in Vrbano VIII. constit eius* 10. §. 77. Nouissimè exiit decretum Congregationis sub Vrbano VIII. quod habes infra in eodem, *constit. eius* 9 §. 8. Vide circa hoc quæ dico *tom.* 1. *Religiosi, quæst.* 1. *cap.* 2. §. 2. *versu In particulari.* Quò ad 2. extat constitutio Clementis VIII. quæ incipit, *Quoniam ad institutum*, quam refert Cherub. *tom.* 3. *Bull. in Clemente VIII. constit. eius* 98. *fol.* 146. qua præcipitur, quòd Episcopi non possint dare licentiam Regularibus ad noua Monasteria erigenda, nisi vocatis Regularibus commorantibus in loco, in quo fundandum est Monasterium, & aliis interesse habentibus. Quam Regularium citationem sustulit Paulus V. per suam constit. quæ incipit, *Ad Ecclesiæ militantis*, apud Cherub. *tom.* 3. *bull. in Paulo V. constit. eius* 10. *pag.* 188. & per aliam, quæ incipit, *Ministerio* apud eundem Cherub. *ibid. pag.* 242. & per aliam, quæ incipit, *Ecclesiæ militantis*, apud eundem *ibid. pagin.* 254. Quibus constitutionibus ad solam ordinariorum licentiam, iuxta Trid. decreta, restituit nouorum Conuentuum fundationem. Sed postea exiit decretum sacræ Congregationis sub Gregorio XV. quod pono infra in eo, *constit. eius, vlt.* In quo statuitur, quòd de cætero nullum Monasterium in quocumque loco erigatur, nisi in eo possit sustentari numerus duodecim fratrum, cui additum est per decretum Congregationis cit. sub Vrbano VIII. Quòd si in posterum recipientur aliqui Conuentus, in quibus non possint dicti duodecim fratres competenter sustentari, dicti Conuentus subiaceant visitationi, correctioni, atque omnimodæ iurisdictioni Ordinarij loci. Dicitur etiam in prædicto decreto Gregorij XV. quòd Episcopi, priusquàm licentiam nouos Conuentus erigendi concedant, teneantur vocare omnes Regulares, & alios interesse habentes, non solum in prædictis locis, sed etiam in circumuicinis per quatuor millia passuum. Vbi verò alij Conuentus non reperiuntur, tenentur Ordinarij inquirere ab incolis, & illorum consensum requirere, an velint, & valeant dictum numerum duodecim fratrum manutenere, & alere.

49. Et aduerte, quòd dictio illa *Commodè*, quæ ponitur in Concilio Trid. & in constit. Pauli V. significat, quòd tot debent esse redditus, seu eleemosynæ ordinariæ, quæ victum, & vestitum, iuxta consuetudinem loci, & personarum in dicto Conuentu degentium qualitatem, fratribus ibi commorantibus tribuant, absque eo quod necesse sit eos importuna mendicitate dicta sibi quærere, habita etiam consideratione aliorum onerum, ad quæ tenetur Monasterium, vt instaurationis ipsius, reparationis Ecclesiæ, hospitalitatis, ratarum Superioribus debitarum, &c. Itaque Monasterium, quod non potest prædicta omnia facere, non potest commodè sustentare suos fratres. Dicta autem particula *in decreto Congregationis sub Gregorio XV.* non est apposita, ad significandum, quòd non intendebat dicta Congregatio obligare Regulares ad non erigenda Monasteria, nisi in iis locis, in quibus commodè possent duodecim fratres sustentari, sed illi sufficiebat, quòd possent ibi primo ingressu sustentari vtcumque idest sine penuria, seu quòd non necessitentur fratres ad victum, & vestitum sibi quærendum, iodecentia statum religiosum exercere, munia Religiosorum propria prætermittere, disciplinam regularem relaxare, domos sæcularium, Ciuitates, & Oppida continuo circumcursare. Colligitur ex *cap.* 1. *de instit.* & ex Glossa *in cap. Periculoso*, §. *Sanè, verbo Absque penuria, de statu regul. in* 6. & clarè etiam patet ex decreto Congregationis sub Vrbano VIII. Vbi dicitur, quòd non sumantur in cæterum Conuentus, in quibus competenter sustentari non valeant ad præscriptum decreti fel. record. Gregorij XV. duodecim fratres *particula. n. illa Competenter* significat vel mediocriter, vel vt par est, vel sufficienter, vt ex Ambrosio Calepino dicta dictione. Videatur Sanchez 7. *in decalogi cap.* 23 *num.* 2. qui *num.* 3. addit, peccare mortaliter Superiores ista decreta non obseruantes, quia sunt in materia graui.

§. X.

50. Noto quòd non possunt omnes indifferenter ad nostram Religionem admitti, non enim possumus Capuccinos recipere, per Breue Pij V. quod habes infra *in Pio V. constit. eius* 2. neque Minores, per constit. 16. Iulij II. neque ære alieno grauatos, nec reddendi rationibus obnoxios, neque criminosos per bullas Sixti V. quas refert Quaranta *verbo Monasteria Regularium.* Quæ bullæ licet reductæ sint ad terminos iuris communis quò ad validitatem professionis à Clemente VIII. per suam constit. quæ incipit, *In suprema*, apud Cherub. *tom.* 3. *bull. in Clem. constit. eius* 83. *pag.* 129. pœnæ tamen contra Superiores recipientes seruatæ sunt in suo robore, nimirum priuatio officiorum, & vocis actiuæ, & passiuæ. Vide omnino quæ dico *tomo* 1. *Religiosi, quæstione* 1. *capite* 25 §. 3. *versu ad* 3 *interrogationem*, vbi probo, an professio istorum sit valida, quando possint à Religione expelli. Vide etiam infra in constitutione secunda Sixti Quinti, & circa qualitatem recipiendorum, modum recipiendi, & in quibus locis, & à quibus, & quibus præuiis, extant decreta Clement. VIII, quæ pono infra *in Vrbano VIII. const. eius* 10. *à numero* 77.

§. XI.

51. Noto 1. quòd etiam Iulius II. *in const. eius* 1. §. 14. concessit nobis communicationem omnium priuilegiorum Mendicantium. & quòd possimus transumptare quæcumque priuilegia aliis Ordinibus concessa, quibus sic transumptatis eadem fides adhibeatur, ac si pro Ordine nostro principaliter emanassent, mutatis nominibus Pontificum, & Religionum, in nomina Iulij II. & Religionem Minimorum. Idem Iulius *ibid.* §. 35. & Pius V. *in const eius* in qua numerat

Ordinem nostrum inter Religiones mendicantes, id quoque indulsit.

52. Noto 2. quòd priuilegia iam aliis primò, & principaliter concessa, solent aliis deindè concedi, vel ad instar, vel per communicationem. Priuilegium ad instar nihil est aliud, quàm ad imitationem, & æqualitatem illius, ad cuius instar conceditur, ita vt mensuratum adæquetur mensuræ, & nec superet illam nec ab illa deficiat. Ita Suarez *lib. 8. leg. capite 13. numero 2.* qui addit *numero 3.* quòd hoc priuilegium ad instar, aucto exemplari, non augetur, nisi id expressè explicetur, quia cum sit ad imitationem, imitatur illud, quòd iàm existit, non illud, quòd futurum est. Nec similiter, aucto exemplato, augetur exemplar, quia sunt simpliciter diuersa, nec, abrogato, & destructo exemplari, censetur abrogatum, & destructum priuilegium ad instar illius concessum; quia priuilegium ad instar est reipsa distinctum à suo exemplari. Ita Suar. *num. 4. & 5.* & Panorm *in cap. vlt. Ne Clerici, vel Monachi, num. 6.* Nec similiter, reuocato priuilegio ad instar reuocatur aliud, ad cuius instar fuerat concessum, quia est omninò prius, & absolutum, & independens à posteriori. Ex quo infert Panorm. quòd quando conceditur priuilegium ad instar alicuius iuris, vel potestatis, licet postea restringatur exemplar, non propterea restringitur priuilegium ad instar. Et ponit exemplum *in Clem. Dudum, de sepult.* vbi declaratur, priuilegium absoluendi concessum Mendicantibus legitimè præsentatis, seù approbatis ab Episcopis, extendi ad omnes casus, præterquam ad eos, qui reseruantur à iure respectu Parochorum; ait enim quòd licèt postea Episcopi casus reseruent Parochis sibi subiectis, nihilominus priuilegium Religiosorum non restringetur, quia est concessum ad instar illius potestatis, quam habebant Curati eo tempore, quo priuilegium fuit concessum. Quam sententiam satis communem dicit Suar. *loco cit. num. 5.* & latè eam probat Rodriquez *tom. 1. q. regul. q. 61. art. 2.* Sed hæc opinio hodie omnino vacat in Italia, & extra Vrbem, per decretum Congr. sub Clem. VIII. Priuilegium verò per communicationem est illud, quod communicatur ita alteri in propria persona, vt fiat illius proprium non minus quàm si tali personæ, vel rei fuisset primario concessum. Atque ita hæc communicatio est veluti concessio noui priuilegij, quia illi, cui priuilegium communicatur, nouum priuilegium conceditur, quod antea non habebat, & hoc modo priuilegium communicatum nihil differt à priuilegio ad instar, & sic illi conueniunt omnes eius conditiones quò ad augmentum, vel diminutionem, seù corruptionem, nisi aliud addatur in communicatione, nimirùm, quòd extendatur communicatio ad concessa, & concedenda. Ita Suar. *lib. 8. de leg. cap. 16.* Addo denique circa communicationem priuilegiorum, quòd quando conceduntur aliqua priuilegia alicui Religioni cum hac limitatione, vt Religiosi illius non possint dictis priuilegiis vti, nisi mediante Prælato, vt sunt priuilegia concessa Societati Iesu, quia hic modus est accommodatus regimini dictæ Religionis, & ad illius obseruantiam valde conducens. Si alteri Religioni deindè communicentur dicta priuilegia, vel communicata per communem participationem intelligantur, non per hoc censetur communicata illa restrictio, quæ ad illius perfectam obseruantiam nihil facit. Ita Rodriquez *tom. 1. quæst. regul. quæst. 55. art. 17.* Suar. *loco cit. cap. 17. num. 3. & 6.* Tandem aduerte, quod si Pontifex priuilegium concedens prohibeat fieri communicationem, tunc per clausulas generales sequentis Pontificis non fiet talis communicatio, sed erit necessaria clausula specialis, vt docent Suarez *loc. cit. num. 8.* licèt sufficere clausulas generales dicat Rodriquez *loc. cit. versu, At circa hunc.*

§. XII.

53. Noto, quòd Episcopus non potest in totum eximere Ecclesiam à iurisdictione sua. Ita Innoc. *in cap. Constitutus, de relig. dom num. 2.* Io Andr. *ibid. num. 6.* Panor. *ibid. num. 20.* Glossa *dicto cap. Constitutus verbo, A quocumque* Vnde patet, quàm prudenter se gesserit doctissimus Archiepiscopus Pyrrhus in eximendo à sua iurisdictione, & subiectione Oratoria nostra, nam non exemit totaliter, sed reseruauit sibi, & successoribus suis ius quartæ legatorum, ne dictis successoribus Ecclesiæ Consentinensis præiudicium inferret.

54. Noto 2. circa quartam legatorum, quòd ista Quarta legatorum piis locis factorum à testatore pro ipsius anima, debetur Episcopis iure communi, *cap. Officij, cap. Requisisti, & cap. vlt. de testam. & clem. Dudum, § Verùm, de sepult.* Vide Molfes. *tom. 2. suo sum. tract. 13. cap. 9. num. 17.* Azor. *tom. 2. lib. 9 cap. 12. & 13.* Sed à solutione istius quartæ, & etiam aliarum quartarum Parochis debitarum liberati sumus per priuilegium Iulij II. vt infra *in const. eius 1. §. 33. & const. eius 2. §. 26.* & refert Rodriquez priuilegia alia summorum Pontificum concessa aliis Ordinibus *tom. 1. quæst. reg. quæst. 39. art. 2.* Multa etiam refert Molfesius *loc. cit. num. 28.* Habemus etiam ad id priuilegium Leonis X. vt infra *in Leone, const. eius 10.* Et Pij V. infra *const. eius 7. §. 14.* Sed quia Concilium Trid. *sess. 25. de refor. c. 13.* statuit, quòd *in locis, in quibus ante annos quadraginta soluta erat persolui quarta, quæ funeralium dicitur, Cathedrali, & parochiali Ecclesiæ, ac postea fuerit ex quocumque priuilegio Monasteriis concessa, posthac integro iure, & eadem portione persoluatur*, oriebantur in dies multæ controuersiæ inter Regulares, & Episcopos, vel Curatos, recurrendum fuit ad sacram Congregationem Concilij, quæ, instante Religione nostra, declarauit, vt infra. *Illustrissimi, & Reuerendiss. Domini. Fratrum Minimorum S. Francisci de Paula sacra Religio à suis primordiis gaudet quodam Apostolico priuilegio per fel. mem. Iulium II. Pontificem maximum, Anno Domini 1506. Sui vero Pontificatus III. Beato Francisco de Paula Patri, & Fundatori prædicti Ordinis tunc in humanis agenti, & suæ Religioni benignè concesso, in quo indultum extitit, Monasteria, Domus, & Conuentus dicti Ordinis, tàm constructa olim, quàm in futurum construenda, nedùm decimas ex noualibus prædiis, hortis, verùm etiam nullam Parochis Ecclesiarum quartam funeralium teneri debere persoluere, vt in dicto priuilegio latius est videre ad huius effectum huic sacræ Congregationi præsentatum. Et quia, licèt hoc non obstante, aliquibus in locis prædictis Ecclesiarum Parochi, & Rectores perperam forsan intelligentes sacri Concilij* Trid. sess. 25. cap. 13. *sensum seù illum in eorum fauorem retorquentes, nituntur à prædictis fratribus huiusmodi funeralium portionem, seù quartam extorquere, quoties cadauer aliquod apud ipsorum fratrum Monasteria sepeliri contingit, magnas pro ea fratribus molestias inferentes assiduè, Ideo F. Petrus à Manna Prouincialis minister dictæ Religionis Minimorum Sancti Francisci de Paula in Castella Prouincia Illustriss. & Reuerendiss. Dominationibus vestris humiliter supplicat, vt ad sedanda scandala, & euitandas lites, dignentur declarare, an per dictum sacrum* Concil. Trid. *huiusmodi priuilegio derogatum censeatur quò ad solutionem prædictam, vel, decreto ipsius Concilij non obstante, debeat obseruari, & fratres dicti Ordinis ab ea solutione immunes, & liberos censeri, quas Deus opt. max. & cæt. Congregatio Concilij censuit, huiusmodi priuilegio ante quadraginta annos ante Concilium, vt proponitur, concesso minimè derogatum esse eiusdem Concilij decretis.* Quæ declaratio habetur authentica in Conuentu Sancti Ludouici de Neapoli Ordinis nostri, vt refert Quarantia *verbo Priuilegia Regularium, pag. mihi 516.* & in Archiuio nostro Romano apud P. Zelosum, seù Procuratorem generalem

nostræ

noſtræ Religionis. Et licet dicta declaratio ſolùm loquatur de quarta Parochiali, intelligitur tamen etiam de quarta Epiſcopali, quia priuilegium Iulij II. concedit, quod quartam ſoluere teneamur, vt patet *ex eius conſtit. 3. §. 33.* Et docet ita Molfeſ. *part. 2. summ. tract. 13. cap. 9. num. 51.* Rodrig. *tom. 1. quaſt. regul. quaſt. 39. art. 2.* qui refert aliam declarationem dictæ Congregationis in forma authentica tenoris ſequentis. *Congregatio Concilij cenſuit, non comprehendi in decreto Concilij Monaſteria adificata quadraginta annis citrà, aut qua in dies adificantur, vel in futurum adificabuntur, praſuppoſito, quòd huiuſmodi Monaſteria ſint eius Religionis, cui à Sede Apoſtolica indultum ſit vt quartam funeralem non debeant ſoluere Epiſcopo.* Quam declarationem refert etiam Miranda *tomo 2. manual. quaſt. 48. art. 7.* & eam canonizauit Paulus V. in ſua conſtitut. quæ incipit, *Decet Romanum Pontificem*, apud Cherubin. *in Paulo V. conſtit. eius 4. pagin.* 179. his verbis. *Accepimus, quod Ordini B. & Glorioſa, ſemperque Virgini Maria de Monte Carmelo diuerſi Romani Pontifices conceſſerunt, illius Domos, ſeu Monaſteria ante annos quadraginta adificata non teneri ad ſolutionem quarta funeralium, idque etiam a Concilio Trident. de pradicto, & aliis ſacris Ordinibus decretum fuit. Cum autem quareretur, an eadem poſtea à quadraginta annis adificata deberent dictam quartam ſoluere; Venerabiles Fratres noſtri S. R. E. Cardinales, Decretorum dicti Concilij interpretes, cenſuerunt, Monaſteria adificata à quadraginta annis citra non teneri ad ſolutionem quarta funeralium huiuſmodi, ſi modò ſint eius Religionis, cui à dicta Sede ante quadraginta annos indultum ſit, vt eandem quartam non teneantur ſoluere Epiſcopo. Quare ne dicti Ordinis Carmelitani Monaſteria, ſeù Domus in diuerſis Mundi partibus à quadraginta annis edificata indebitè cogantur ſoluere dictam quartam funeralium, eorumque indemnitati proſpicere cupientes, ac tenores literarum conceſſionum huiuſmodi forſan confectarum praſentibus pro expreſſis habentes, dilecti filij Procuratoris generalis dicti Ordinis Carmelitarum illius nomine nobis porrectis ſupplicationibus adducti, volumus, mandamus, decernimus, & declaramus, omnia, & ſingula huius Ordinis B. M. de Monte Carmelo Monaſteria, ſeù Domos in quibuſcumque Mundi partibus à quadraginta annis adificata, illorumque Conuentus, & Fratres nullo modo, nullavè ratione teneri ad ſolutionem dicta quarta funeralium, & ob non ſolutionem huiuſmodi aliquas ſententias, cenſuras, & pœnas incurrere poſſe. Inhibentes in virtute ſancta obedientia omnibus, & ſingulis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Parochialium Eccleſiarum Rectoribus, ac aliis, quos id concernit, ne ab ipſis Fratribus Monaſteriorum, ſeu Domorum à quadraginta annis adificatorum dicti Ordinis Carmelitani quartam funeralium huiuſmodi quoquo modo exigere, aut eos deſuper moleſtare audeant, ſiu praſumant. Quòd ſi quis contradicere praſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum eius noueris ſe incurſurum.*

SIXTI IV.

ITALI GENVENSIS, EX CIVITATE SAVONÆ,

Franciſci antè dicti, Leonardi de Ruuere nati, Ordinis Fratrum Minorum Conuentualium Profeſſoris, anno 1471. die 9. Auguſti ad Papatum aſſumpti, qui dedit Ordini noſtro infraſcripta priuilegia,

CONSTITVTIO I.

Qua Mandat Epiſcopo S. Marci, vt ſumpta informatione de nobis conceſſis à Pyrrho, ea auctoritate Apoſtolica approbet, & confirmet. Communicat priuilegia conceſſa F. Petro de Piſis.

SIXTVS EPISCOPVS, SERVVS ſeruorum Dei. Venerabili Fratri Epiſcopo S. Marci ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Procemium. *IIs, qua piorum locorum, perſonarumque quarumlibet, praſertim ſub humilitatis ſpiritu Altiſſimo ſua vota exhibentium commodo, & vtilitati piè proceſſiſſe comperimus, vt illibata perſiſtant, libenter, cùm à nobis petitur, mandamus Apoſtolici muniminis adijci firmitatem.*

Supplicatio. *§. 1. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilecti filij Franciſci de Paula Eremita Conſentinenſis Diœceſis petitio continebat, quod dudùm poſtquam venerabilis Frater noſter Pyrrhus Archiepiſcopus Conſentinus ſibi, vt quoddam Oratorium, ſiue Eccleſiam ſub vocabulo S. Franciſci in tenimento de Paula pradicta Diœceſis adificare poſſet, licentiam conceſſerat, prafatus Franciſcus Oratorium huiuſmodi propriis manibus & expenſis cum dormitorio pro vſu, & habitatione ſua, & ſuorum pro magna parte adificauit, & nonnullos ſocios vitam Eremiticam ducentes recepit, ipſéque Archiepiſcopus pradictum Oratorium, ſiue Eccleſiam vna cum omnibus iuribus, & pertinentiis ſuis pradicto Franciſco, eiuſque Congregationi in perpetuum donauit, & nonnulla alia eorum deuotioni, & ſaluti conuenientia, ſalutifera, & opportuna conceſſit, fecit, & ordinauit, prout in literis dicti Archiepiſcopi deſuper confectis dicitur plenius contineri. Quare pro parte Franciſci, & Eremitarum pradictorum aſſe-*

rentium, quod Oratorium, seù Eremitorium prædictum adhuc pro sufficienti habitatione ipsorum perfectum omninò non est, illudque ex piis Christi fidelium eleemosynis cum dormitorio, & aliis necessariis officinis continuè ædificant, ampliant, & exornant, nobis fuit humiliter supplicatum, vt concessioni prædictæ, ac omnibus, & singulis in dictis literis contentis pro illorum subsistentia firmiori robur Apostolicæ confirmationis adijcere de benignitate Apostolica dignaremur.

Causæ commissio.

§. 2. Nos igitur, qui de præmissis certam notitiam non habemus, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenùs si, & postquàm vocatis, qui fuerint euocandi, tibi de præmissis legitimè constiterit, concessionem, & literas prædictas, ac omnia, & singula in dictis literis contenta, prout ea concernunt, auctoritate Apostolica approbes, & confirmes, suppleasque omnes, & singulos defectus, si qui forsan interuenerint in eisdem.

Concedit priuilegia Petri de Pisis.

§. 3. Nos enim si approbationem, & confirmationem huiusmodi per te vigore præsentium fieri contigerit, vt præfertur, eidem Francisco, & Eremitis, vt omnibus, & singulis priuilegiis, indulgentiis, & gratiis, quibus F. Petrus de Pisis nuncupatus, cæterique Eremitæ potiuntur, & gaudere pariformiter, & absque vlla differentia, liberè, & licitè possint, & valeant, concedimus per præsentes.

Derogat contrariis.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1473. tertiodecimo Kal. Iuly, Pontificatus nostri anno secundo.

CIRCA CONSTITVTIONEM.

1. NOto, quòd ista est propriè rescriptum Apostolicum, quod nihil aliud est, quam responsum Principis scripto relatum ad iuris obseruantiam, aut ad gratiam obtinendam. Vt Tabiena, & alij Summistæ *verbo Rescriptum*, Hostiensis *in summ. lib. 1. tit. de rescript. §. Quid dicatur.* Et est duplex secundum Suarez *lib. 8. de leg. cap. 2. num. 7. & sequent.* Vnum dicitur rescriptum iustitiæ, quod datur vel ad explicandum ius, vel ad lites, seù ad dicendum ius inter partes. Aliud est rescriptum gratiæ, quòd est ad conferendum beneficium, vel donum aliquod gratis collatum, quod dici potest potiùs rescriptum facti, quàm iuris. Datur etiam aliud rescriptum, quod vocatur mixtum, quia participat de iustitia, & gratia, de quo Molfes. *1. part. summ. tract. 9. cap.* 10. *num.* 21. Quæ rescripta distinguuntur à priuilegiis. Primò quidem, quia rescriptum iustitiæ datur secundùm ius commune, vel ad interpretationem eius, vel ad debitam executionem. Priuilegium autem datur potiùs contra, vel vltra ius. 2. Rescriptum gratiæ differt à priuilegio, quia non est lex priuata, nec dat propriè facultatem operandi aliquid contra, vel vltrà legem, sicut dat priuilegium.

§. I.

2. NOto circa illam clausulam, *dicitur plenius contineri*, quòd ista clausula differt ab ea, *dicis plenius contineri*, quia hoc secundo modo onus probandi incumbit impetranti, non primo. Vt Nauarr. *in cap. Si quando de rescript. except. 3. num. 2. tom. 4.*

§. II.

3. NOto 1. circa Commissarium huius rescripti, quòd est directum Episcopo S. Marci sub titulo dignitatis, non sub titulo personæ, vndè si fuisset mortuus Episcopus S. Marci, antequam mandata in rescripto fuisset exequutus, poterat re integra per eius successorem electum, & confirmatum, licet, non consecratum, exequi quia non est in hoc electa industria personæ, sed dignitas Episcopalis. Atque ita fuisse decisum à Rota Romana tradit thesaurus Panorm. *in verbo Rescriptum*, & ipsa Rota coram Seraphino *decis.* 1058. *n.* 3. Gofredus *in summ. lib. 1. de off. deleg. versu Sed quæritur*, quem vide etiam paulò inferiùs, *versu Item quid si committatur.* Abbas *part. 1. consil. consil.* 93. *num.* 1. Tuschus *verbo dignitas, conclus.* 434. *num.* 1. Habetur *in cap. Quoniam Abbas, de off. deleg.*

4. Noto 2. circa illam clausulam *vocati qui fuerint euocandi*, quòd ista clausula significat, iudicem cum illa datum, teneri obseruare formam iudicialem, & non esse merum executorem, sed mixtum. 1. partim executorem, & partim iudicem; vnde tenetur partes iudicis assumere. Et debent virtute huius clausulæ vocari, & citari omnes, quos negotium tangit, vel specificè, si certò sciantur, vel per edictum publicum, si ignorentur. Ita Panorm. *in cap. Exhibita, de Iudic. numero sexto.*

5. Noto 3. circa illam clausulam, *Si tibi de præmissis legitimè constiterit*, quòd ista clausula, & aliæ similes nimirum, *si ita est, si præmissa vera sunt, si ita reperers*, vel *ita inueneris*, vel *si preces veritate nitantur*, vel *cognita veritate*, vel *iustitia mediante*, vel *sicut de iure fuerit*, vel *quod Canonicum, & quod iustum*, semper intelliguntur in rescriptis datis ad instantiam partis, etiamsi non apponantur expresè, vt dicitur *in cap. 2. de rescript.* vbi Abbas *num.* 3. quæ clausulæ in idem recidunt, & significant, quòd iudex cum vna ex illis datus debet partes citare, & impetrator tenetur omnia supradicta probare, clausula enim illa ad omnia Superiora refertur, vt dicitur *in cap. Olim. §. vlt. de rescript.* & sensus illius est, quòd si constiterit, impetrantem verum dixisse, inuita parte, vel opponente, iudex nihilominus procedat, & mentem Sanctissimi exequatur. Atque ita docent Panorm. *num.* 1. 3. *&* 9. Felin. *à num. 6. ad* 15. Io. Andr. *num. 1. dicti cap. 2. de rescript.* Azor. *tom. 1. instit. moral. lib. 5. cap. 24. quæst.* 3.

6. Noto 4. quod illa dictio *legitimè* significat ordinem iuris, & formam rescripti seruatam, vt Io. Andr. *loc. cit. num.* 3.

7. Aduerte etiam, quòd rescriptum prohibens causæ cognitionem, est de falsitate suspectum, vnde Commissarius potest supersedere. Habetur *dicto cap. 2. de rescrips.* & docet Felin. *num.* 15. similiter si deuiat à communi stylo Curiæ, & ratione naturali. Abbas *numero* 4. Multas quæstiones de rescriptis dilucidat Azor *loc. cit.*

8. Noto 5. quoad illam clausulam *suppleasque omnes, & singulos defectus*, quòd iuris defectus alij sunt substantiales, alij accidentales, alij naturales. Defectus substantiales sunt, quòd rescriptum impetrans sit excommunicatus, *cap. 1. de rescript. in 6. quòd sit irregularis*, Anton. Gabr. *tit. Clausula, conclus. 2. num.* 44. Si sit impetratum per subreptionem .i. quando tacetur verum, & per obreptionem, idest quando exprimitur falsum, seù per subreptionem .i. quandò exprimitur falsum, siue tacetur verum, aut per obreptionem. i. quandò sub inuolucro verborum sic inuolutè supplicatur, quòd Papa non percipit veritatem, licèt hi duo termini aliquando confundantur. vt Graff. *par. 1. decis. lib. 4. cap.* 18. *num.* 88. Defectus accidentales sunt,

sunt, qui ad iuris pertinent solemnitatem, verbi gratia quòd in alienatione non sint seruata omnia, quæ ad eam requirunt iura, quòd sententia sedendo non sit, lata, quòd in die festo, &c. Defectus naturales sunt qui consequuntur ex natura rei, vt partis citatio in causis damnum tertij concernentibus.

9. Si quæras, quos ex istis defectibus suppleat ista clausula.

Resp. Quòd apponitur in rescriptis duobus modis. 1. simpliciter. 2. ex motu proprio, & de plenitudine potestatis. 1. modo supplet solùm defectus accidentales. 2. modo supplet etiam essentiales, si eos non ignoret Papa, vel ex contentu rescripti satis colligatur mens concedentis, quia tunc censetur dispensare. Defectus naturales nunquam supplet ista clausula, quia Princeps non potest tollere defensionem, quæ est de iure naturali. Colliguntur hæc ex his, quæ satis intricatè dicunt Tuschus *in verbo Clausula, concl.* 343. Felin. *in cap. Ad audientiam, el prim. de rescript.* Panorm. *in capite primo de confirmat. vtili, vel inutil.* Nauar. *in cap. Si quando, de rescript. except.* 10. *numero quarto*, Suar. *libro* 8. *de legat. capite* 20. *numero* 12. *& capite* 12. *numero* 8. *quæst.* 10. Riciul. *de iur. person. lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 6. 7. & 8. Lud. Gome. *in comp. vtriusque signat. pag. mihi* 166.

§. III.

10. NOto, quòd Eugenius IV. concessit nonnulla priuilegia Petro de Pisis Fundatori Eremitarum Sancti Hieronymi sub Regula Sancti Augustini, prout refert Cherubin. *tom.* 1. *Bull. in Eugenio, constit. eius* 11. *pag.* 279. quæ nobis concedit Sixtus IV. *in isto* §. & sunt. Quòd possimus eligere Confessores, & Sacerdotes, qui in locis nostris Missas celebrent, & Sacramenta nobis ministrent, ac nobiscum super quacumque irregularitate dispensent, maculamque infamiæ etiam abolere possint. Et quòd possimus conuersari cum excommunicatis, & interdictis, seù quauis censura ligatis pro eleemosynis dumtaxat acquirendis ad vitæ sustentationem. Et quòd possimus cum altari portatili in nostris Ecclesiis acquisitis, & acquirendis celebrare. Et quòd loca nostra pro Fratribus nostris sepeliendis possint benedici, & consecrari. Et quòd possimus recipere à quocumque Antistite ordines, requisita tamen priùs, & obtenta licentia proprij Episcopi, quod tamen quoad istam licentiam iam est antiquatum per multa iura, & priuilegia Pontificia, vt videbimus *in sequentibus*.

§ IV.

11. NOto, quòd declaratio istius clausulæ *Non obstantibus, &c.* difficillima est, & intricatissima, nec satis conueniunt Doctores in ea explicanda. De ea agunt Ioan. Andr. *in capite vnic. de excess. prel. in* 6. Panorm. *in cap. Nonnulli, de rescript. à numero decimo.* Felin. *ibi epuleutissimè à numero secundo.* Rodriguez *tom.* 1. *quæst. Regular. quæst.* 8. *artic.* 11. Latè Suarez 8. *de legat. cap.* 14. *per totum.* Hic solet quæri, an, & quando rescriptum, & priuilegium, seù constitutio debeat facere mentionem de iure, contra quod emanat. Sed quia res est valdè intricata, hic ponam clariùs quàm potero aliqua dicta Doctorum prædictorum ex quibus dictæ clausulæ intelligentia facilè colligetur.

12. Felinus *loc. citat. num. secund.* ponit hanc Regulam. Vbi lex canonica, vel ciuilis habet clausulam derogatoriam ad rescripta, non valet rescriptum, nisi faciat mentionem de illa specialiter, vel saltem per verba æquipollentia, verbi gratia, *in cap. Nonnulli, de rescrip.* dicitur, quòd illud caput non intelligatur reuocatum, nisi de eo fiat expressa mentio; vnde vt illi derogetur, non sufficit, quòd dicat Papa, Non obstante *cap. Nonnulli, de rescript.* vel Non obstante constitutione Innocent. III. quæ incipit *Nonnulli*, Seu per verba æquipollentia, puta, Non obstante constitutione Concilij generalis de duabus dietis; Idem etiam intelligendum est in priuilegiis habentibus clausulam derogatoriam ad alia priuilegia, quia ad hoc vt tollantur per priuilegium contrarium, non sufficit generalis clausula *Non obstantibus priuilegiis*, sed debet fieri specialis. Felin. *num.* 4.

13. Fallit tamen prædicta Regula, si in rescripto sit ista clausula, *Non obstante lege in contrarium faciente* etiamsi de ipsa oporteret facere specialem mentionem de verbo ad verbum, cuius tenorem hic pro expresso haberi volumus. Vel si sit ista *Non obstante quocumque priuilegio sub quacumque forma verborum concesso.* Nam ista verba sufficiunt in rescripto ad derogandum legi, vel priuilegio contrario habentibus clausulam derogatoriam ad rescripta, licèt non sint nominata in indiuiduo. Felin. *loc. cit. num.* 6. Nauarr. *in cap. Si quando de rescript. except.* 1. *num.* 1. Suar. *lib.* 8. *de leg. cap.* 38. *num.* 2. Panorm. *in cap. Cum instantia, de cens. num.* 5. Facit textus *in Extrau. Rem non nouam, de dolo, & contum.*

14. II. Regula à Felino posita est, quod rescriptum contra legem, etiam non habentem clausulam derogatoriam, non valet. Hanc ponit *num.* 9. nisi saltem in genere in rescripto fiat mentio de iure communi, per verba, *Non obstante quocumque iure in contrarium.* Ita etiam Abbas *in cap. Nonnulli, de rescript. num.* 10. Quia tunc præsumitur rescriptum extortum propter nimiam importunitatem petentis; Quæ Regula intelligenda etiam est de priuilegiis clausis in corpore iuris, nam de ipsis est facienda mentio, sicut de iure communi. Nec sufficeret in rescriptis dicere. *Non obstantibus priuilegiis*, nisi dicatur, *Etiam in iure communi insertis.* Felin. *num.* 9. *ampl.* 1. Quando enim solùm dicit, *Non obstantibus priuilegiis*, non intelligit de insertis in iure communi. Valet etiam hæc Regula in statutis inferiorum, nisi enim eis derogetur expressè in rescripto per verba. *Non obstantibus statutis talis Ecclesiæ, vel æquipollentia*, non intelligitur reuocatum, nam in dubio non præsumitur Princeps velle eis derogare, iuxta *cap.* 1. *de const. in* 6. Felin. *cap, Nonnulli de rescript. num.* 9. *ampl.* 2.

15. Fallit tamen ista 2. Regula, si in rescripto dicatur, *Non obstante quacumque lege*, etiamsi non addatur. *Quæ in contrarium loqueretur*, quia sub intelligitur. Felin, *loc. cit. num.* 10. *aduert.* 2. Fallit etiam quando Princeps procedit per viam priuilegij, quia hoc semper operatur aliquid contra, vel vltra ius commune. Felin. *num.* 11. *fall.* 3. Quod intellige, nisi ius commune habeat clausulam derogatoriam ad priuilegia, vt *cap. vnic. de excess. prel. in* 6. vel nisi sit in præiudicium tertij. Fallit etiam quando rescriptum emanat contra ius motu proprio, vel ex certa scientia, vel de plenitudine potestatis. Felin. *loc cit. fall* 4. & 5. Quia tunc Princeps operatur vt supremus Dominus legibus se non subiiciens. Et etiam quando rescriptum est geminatum. Felin. *n.* 14. quia tunc præsumitur habere scientiam.

**
*

CONSTITV

CONSTITVTIO II.

Quâ Confirmat ex certa scientia priuilegia Pyrrhi, & de nouo concedit.

SIXTVS EPISCOPVS SERVVS seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Dilectis filiis F. Francisco de Paula, cæterisque Fratribus Eremitis Eremitoriis, seu Oratorij S. Francisci de Paula Consentinensis Diœcesis præsentibus, & futuris salutem, & Apostolicam benedictionem.

Prooemium  *Edes Apostolica aqua in omnibus semper distributrix, ea, qua pro diuini cultus augmenta, ac piorum locorum, & personarum, prasertim sub humili, & Religioso habitu in eis degentium commodo, & vtilitate piè facta sunt, vt illibata persistant, libenter, cum ab ea petitur, Apostolici muniminis consueuit adjicere firmitatem, ac benigno fauore ea, qua sunt pro animarum salute concedere, illisque, vt eò deuotiùs, quò quietiùs Altissimo famulari possint, munimen impartiri.*

Expositio. §. 1. *Dudùm siquidem pro parte Francisci pradicti nobis exposito, quòd olim postquàm venerabilis F. noster Pyrrhus Archiepiscopus Consentinus tibi, vt quoddam Oratorium, siue Ecclesiam sub vocabulo S. Francisci in tenimento de Paula Consentina Diæcesis adificare posses, licentiam concesserat, tuque Oratorium huiusmodi propriis manibus, & expensis cum dormitorio pro tuis, & sociorum tuorum vsu, & habitatione pro magna parte adificaueras, & nonnullos socios vitam Eremiticam ducentes receperas. Ipseque Archiepiscopus pradictum Oratorium, siue Ecclesiam vnà cum omnibus iuribus, & pertinentiis suis tibi, tuaque Congregationi in perpetuum donauerat, & nonnulla alia tua, & sociorum tuorum deuotioni, & saluti conuenientia, salutifera, & opportuna concesserat, fecerat, & ordinauerat. Quodque Oratorium, siue Eremitoriom pradictum adhuc pro sufficienti habitatione tui, & Eremitarum pradictorum perfectum omninò non erat, illudque pijs Christi fidelium eleemosynis cum dormitorio, & aliis officinis tu, ac Eremita tui socij huiusmodi continuè adificabatis, ampliabatis, & exornabatis.*

Memorat literas ab ipso datas Episcopo S. Marci. §. 2. *Nos tunc tuis, & Eremitarum pradictorum in ea parte supplicationibus inclinati, venerabili Fratri nostro Episcopo Sancti Marci, eius proprio nomine non expresso, per alias nostras literas dedimus in mandatis, vt si, & postquàm vocatis, qui forent euocandi, de pramissis sibi legitimè constaret, concessionem, & literas dicti Archiepiscopi, ac omnia, & singula in ipsis literis contenta, pro vt ea concernebant, auctoritate Apostolica approbaret, & confirmaret, suppleretque omnes, & singulos defectus, si qui forsan interuenissent in eisdem, & in euentum approbationis, confirmationis, & suppletionis huiusmodi, vobis pradictis Eremitis, vt omnibus, & singulis priuilegiis, indulgentiis, & gratiis, quibus F. Petrus de Pisis nuncupatus, caterique Eremita potiebantur, & gaudebant, vti, & gaudere pariformiter, & absque vlla differentia liberè, & licitè possetis, & valeretis, concessimus, prout in eisdem nostris desuper confectis plenius continetur.*

§. 3. *Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, venerabilis Frater noster Goffredus Episcopus Sancti Marci pradictus ad executionem pradictarum nostrarum literarum, illarum forma seruata, procedens (quia sibi, vocatis vocandis, de à nobis expositis legitimè constiterat) licentiam, donationem, concessionem, ordinationem, & literas Archiepiscopi pradicti, omniaque, & singula in eis contenta, prout ea concernunt, auctoritate Apostolica approbauerit, & confirmauerit, suppleueritque omnes, & singulos defectus, qui interuenerunt in eisdem, prout in quodam publico instrumenta desuper confecto dicitur pleniùs contineri. Quodque Pyrrhus Archiepiscopus pradictus inter alia per eum vobis tunc concessa, pradictum Eremitorium, siue Ecclesiam Sancti Francisci, & alia quacumque loca, Ecclesias, & Oratoria per vos in posterum recipienda, cum omnibus iuribus, & pertinentiis, Eremitisque, & personis inibi pro tempore degentibus, ac rebus omnibus ad vos, locaque vestra quomodolibet pertinentibus, & spectantibus, ab omni iurisdictione, subiectione, & superioritate matrum Ecclesiarum, ac sua, suaque Ecclesia Consentinensis, caterarumque personarum in perpetuum exemit, & liberauit, ac sub protectione, submissione, & iurisdictione Sedis Apostolica specialiter, & expressè remiserit, & relaxauerit.* Supplicatio.

§. 4. *Et, sicut eadem petitio subiungebat, à nonnullis asseritur, nostras pralibatas literas, ac confirmationem, approbationem, & defectuum suppletionem, cateraque omnia alia, & singula per pradictum Goffredum Episcopum Sancti Marci illarum vigore facta, & inde sequuta quacumque viribus non subsistere, pro eo quod Archiepiscopus pradictus per suas pradictas literas te Fr. Franciscum in Superiorem huiusmodi tua Congregationis, Patrem, Rectorem, & Priorem, seù quouis alio nomine nuncupandum dederit, & deputauerit, cui Congregationi praesses, ac vita exemplis prodesses, tuisque monitis, mandatis, & praceptis salubribus omnes Congregationis huiusmodi persona obedire, & parere deberent. Ipsisque tuis Eremitis Fratribus facultatem concessit, te in suum Superiorem, & Priorem, ac vna tecum alios quoscumque Superiores, & Priores, & officiales canonicè eligendi. Nec non statuta, & ordinationes pro huiusmodi vita obseruantia, à iure tamen diuino, & Sanctorum Patrum institutionibus non deuiantia faciendi. Tibique, & huiusmodi Officialibus omnimodam iurisdictionem ordinariam* Numerat priuilegia concessa à Pyrrho.

ordinariam in spiritualibus, & temporalibus Congregationis huiusmodi personarum, etiamsi Sacerdotali, seu quauis alia præfulgerent dignitate, ac locorum iurisdictiones, animalium, & rerum omnium ad te, tuamque Congregationem quomodolibet spectantium, & pertinentium. Quoscumque quoque rebelles, & inobedientes, omniumque huiusmodi Congregationis personarum delinquentium peccata, & delicta, & cuiuscumque generis maleficia, & crimina, & prout iuris foret, puniendi, huiusmodique delinquentes incarcerandi, disciplinandi, condemnandi, liberandi, absoluendi, cæteraque faciendi, quæ in præmissis, & circa præmissa vobis viderentur fore necessaria, & opportuna, & quæ ipsemet Archiepiscopus facere posset. Sacerdotibus verò huiusmodi Congregationis, seu sæcularibus, vel Regularibus per vos eligendis, Missas etiam ante diem, & in quocumque loca ad hoc congruo, & honesto cum altari portatili celebrandi, Eucharistiæ, & alia quæcumque Ecclesiastica Sacramenta liberè, & licitè, tibi, huiusmodique tuæ Congregationis personis, quoties deuotio ingrueret, & necessitas postularet, absque cuiuscumque Superioris licentia ministrandi, ad quæ suscipienda extra loca huiusmodi compelli non possetis. Confessiones audiendi, & ab omnibus casibus, excommunicationibus, suspensionibus, & interdictis, ac super quacumque irregularitate eidem Archiepiscopo, tam à iure, quam ab eo reseruatis, & permissis, toties quoties opus foret, & esset absoluendi, & dispensandi, votaque quæcumque permutandi, & relaxandi, ac pœnitentiam salutarem iniungendi. Loca, Oratoria quæcumque, & Ecclesias licitè accipiendi, & retinendi. Quascumque etiam personas Ecclesiasticas, & sæculares ad vos venientes, & vobiscum moram trahere, & habitum, quem geritis profiteri, & recipere volentes, ad habitum, & professionem obseruantiæ castitatis, paupertatis, & obedientiæ acceptandi, & recipiendi. Nec non vt omnibus, & singulis priuilegiis, gratiis, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, quibus Fratres Sancti Francisci, cæterique Mendicantes fruuntur, & vtuntur, & frui, & vti possetis, & valeretis, ac possent, & valerent, indulsit, ac vobiscum super his opportunè dispensauit. Huiusmodi Oratorium, siue Ecclesiam Sancti Francisci de Paula, ac quæcumque loca, Oratoria, & Ecclesias per vos in posterum acquirenda, & acceptanda cum omnibus iuribus, & pertinentiis suis, Eremitisque & personis, ac rebus omnibus, & singulis ad vos, vestráque loca quomodolibet spectantibus, & pertinentibus, personisque huiusmodi inibi pro tempore degentibus, ab omni iurisdictione, subiectione, superioritate matrum Ecclesiarum, ac sua, suaque Ecclesiæ Consentinensis, cæterarumque personarum ex certa sua scientia, & motu proprio in perpetuum exemit, & totaliter liberauit, ac sub protectione, submissione, iurisdictione, & superioritate Sedis Apostolicæ prædictæ totaliter, specialiter, singulariter, & expressè remisit, & relaxauit, prout in literis dicti Archiepiscopi plenius continetur. Et de eisdem nihilominus concessionibus, gratiis, & indultis vobis sic, vt præmittitur, per prædictum Archiepiscopum concessis, in dictis aliis nostris literis specialiter, & singulariter mentio facta non fuerat, sed sub clausula generali dumtaxat, videlicet dicendo; Nonnulla alia vestræ deuotioni, & saluti conuenientia, salutifera, & opportuna. Et similiter sub eadem clausula, & non facta alia expressione, per dictum Goffredum Episcopum S. Marci prædicta omnia, & singula probata, & cum suppletione defectuum confirmata fuerunt, prout in nostris, ac dicti Archiepiscopi literis, ac instrumento publico desuper confecto plenius continetur.

§. 5. *Pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, vt omnia, & singula præmissa, concessiones, gratias, & indulta vobis per Archiepiscopum prædictum concessa, facta, & indulta. Necnon approbationem, confirmationem, defectuumque suppletionem, cæteráque omnia, & singula per prædictum Goffredum Episcopum vigore nostrarum literarum prædictarum desuper facta, & inde secuta quæcumque rata, & grata habentes, approbare, confirmare, ac omnes, & singulos defectus, qui interuenerunt in eisdem, supplere; ac alias in præmissis, & circa ea vobis de opportuno remedio prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.* Supplicatio pro approbatione literarum Pyrrhi, & Goffredi.

§. 6. *Nos igitur vestris in hac parte supplicationibus inclinati, donationem, concessionem, ordinationem, constitutionem, remissionem, relaxationem, indulta, gratias, & literas prædicti Archiepiscopi, omniaque & singula in eis contenta, nostras alias, ac dicti Archiepiscopi literas, ac approbationem, confirmationem, & defectuum suppletionem, per prædictum Goffredum Episcopum factas, ac processus desuper habitos, & inde secuta quæcumque, omniáque & singula, quæ in prædictis nostris, & prænominati Archiepiscopi literis, & processibus, & in instrumentis publicis desuper habitis contenta pro sufficienter expressis, ac si de verbo ad verbum præsentibus insererentur, rataque & grata habentes, auctoritate Apostolica, ac ex certa nostra scientia laudamus, approbamus, & confirmamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus, supplemusque omnes, & singulos defectus, qui interuenerunt in eisdem. Decernentes, nostras prædictas literas, ac processus desuper habitos, & inde secuta quæcumque valere, ac roboris firmitatem tenere, proinde ac si omnia, & singula vobis per prædictum Pyrrhum Archiepiscopum concessa, & ipsius Archiepiscopi literis contenta in sæpè nominatis nostris literis specialiter, singulariterque narrata, & expressa fuissent.* Annuit Papa supplicatis.

§. 7. *Et insuper vos, & vestrum quemlibet, ac Eremitarium, siue Ecclesiam Sancti Francisci de Paula prædictum, cæteraque omnia, & singula Eremitoria, Ecclesias, & loca per vos in quibuscumque Ciuitatibus, & Diœcesibus ac vbilibet hactenus recepta, & in posterum recipienda cum omnibus* Eximit Ordinem à iurisdictione Ordinariorum.

omnibus iuribus, & pertinentiis suis, Eremitasque & personas in illis pro tempore degentes, ac res, & bona quacumque mobilia, & immobilia, ad vos, & Eremitas, & personas, ac vestrum quemlibet, ac loca, Eremitoria, & Ecclesias huiusmodi quomodolibet, communiter, vel diuisim spectantia, & pertinentia, ab omni iurisdictione, dominio, potestate, visitatione, correctione, & superioritate praedicti, ac pro tempore existentis Archiepiscopi Consentini, & aliorum Archiepiscoporum, Episcoporum, Ordinariorum, Iudicum, & Superiorum quorumcumque, etiam illorum, in quorum iurisdictione, Ciuitatibus, & Dioecesibus, Eremitoria, loca, Ecclesia, vos & Eremita, ac persona, res, & bona huiusmodi consistunt, & consistere poterunt quomodolibet in futurum, auctoritate, & scientia praedictis, de speciali gratia tenore praesentium prorsùs eximimus, & totaliter etiam liberamus, ac sub B. Petri, & Sedis memorata, ac Romana Ecclesia, & nostra protectione suscipimus, ac exempta, & immunia esse volumus, nobisque & successoribus nostris Romanis Pontificibus canonicè intrantibus, ac dicta Sedi immediatè subiacere. Itaque Archiepiscopi, Episcopi, Ordinarij, Iudices supradicti ratione delicti, seu contractus, aut rei, de qua ageretur, vbicumque committatur delictum, vel ineatur contractus, aut res ipsa consistat, nullam in vobis, ac Eremitoriis, locis, & Ecclesiis, Eremitis, & personis huiusmodi, ac rebus, & bonis praedictis iurisdictionem, potestatem, & dominium possint quomodolibet exercere, sed duntaxat coram dicta Sede, vel eius Legatis vos, & Eremita, ac alia persona in locis, Ecclesiis, & Eremitoriis huiusmodi, pro tempore degentes teneamini de iustitia respondere.

Concedit quod possimus priuilegiis concessis vti absque cuiusque licentia.

§. 8. *Et insuper vobis omnibus, & Eremitis, ac personis, locis, Ecclesiis, ac Eremitoriis huiusmodi, vt omnibus, & singulis priuilegiis, indulgentiis, concessionibus, gratiis, indultis, caterisque omnibus, & singulis in praesentibus, & aliis nostris, & ipsius Consentinensis Archiepiscopi literis saepè dictis, ac per eas habitis processibus praedictis contentis, vobis, ac Eremitoriis, Ecclesiis, & huiusmodi concessis, & concedendis in quacumque Ciuitate, & Dioecesi, ac vbique, & in quocumque loco auctoritate Apostolica praedicta vti, & gaudere, eaque omnia, & singula in huiusmodi nostris, ac aliis, & praedicti Archiepiscopi praenominatis literis, & processibus desuper habitis contenta, cuiusuis Superioris super his, aut aliqua praemissorum licentia minimè requisita, ac quibuscumque etiam contradictionibus, exceptionibus, & impedimentis remotis, praedicta auctoritate Apostolica liberè, & licitè exercere possitis, & valeatis.*

Derogat contrariis.

§. 9. *Quae etiam omnia, & singula in praesentibus, & aliis nostris, ac dicti Archiepiscopi literis saepè dictis, & processibus desuper habitis contenta, auctoritate, & scientia praedicta de specialis dono gratia concedimus, & indulgemus per praesentes felic. rec. Innocentij Papa IV. praedecessoris nostri contrà exemptos, qua incipit, Volentes, & qualibet alia Constitutione Apostolica contrariâ non obstante.*

Cap. Volentes, de priui. in 6.

Declarat nullas sententias contra exemptionem datas.

§. 10. *Decernimus quoque ex nunc, omnes, & singulas excommunicationum, suspensionum, & interdicti, aliasque Ecclesiasticas sententias, censuras, & poenas, ac processus, quos, & quas contra vos, & Eremitas, ac personas, Ecclesias, Eremitoria, & loca huiusmodi, & vestrum quemlibet promulgari contigerit, vel haberi, irritas, & irritos, & inanes, ac nullius existere firmitatis, vel momenti.*

Apponit poenas contrafacientibus.

§. 11. *Nulli ergò omninò hominum liceat hanc nostram paginam nostrae laudis, approbationis, confirmationis, communitionis, suppletionis, decreti, exemptionis, liberationis, susceptionis, voluntatis, concessionis, & indulti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & BB. Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae MCCCCLXXIV. Sexto Kalend. Iunij, Pontif. nostri anno tertio.*

§. V.

1 Noto, quòd postquam S. P. N. obtinuit Bullam Pyrrhi & confirmationem auctoritate Apostolica à Goffredo Episcopo Sancti Marci factam, dixerunt aliqui, quòd dicta confirmatio Goffredi non subsistebat quoad omnia concessa à Pyrrho. Quia de priuilegiis ab eo concessis, in literis Papae, & Goffredi non erat facta specialis mentio, sed solùm sub clausula generali, videlicet dicendo. *Nonnulla alia vestra deuotioni conuenientia, &c.* Et poterant fundari in hoc, nam clausula generalis sequens ea, quae specialiter sunt praemissa, restringitur regulariter ad ea, quae sunt similia expressis, non ad diuersa, neque ad maiora. Quae Regula colligitur ex *cap. Sedes, de rescript.* vbi latè Felin. *num.* 2. Ideò cum in rescripto directo Goffredo solùm facta fuerit mentio, quòd Pyrrhus concesserat P. N. Oratorium in perpetuum, aliis eiusdem priuilegiis non expressis, sed inclusis sub generali clausula, confirmatio ab eodem Goffredo facta solùm ad hoc punctum, vel quid simile se extendebat. Quare cum instituere P. N. in Superiorem suorum Confratrum, & caetera priuilegia ibi concessa longè sint ab illo diuersa, meritò dubitatum est, an P. N. auctoritate Apostolica esset Superior suorum Fratrum, & an vigore confirmationis Goffredi posset priuilegiis Pyrrhi frui.

2. Aduerte etiam, quòd ista priuilegia nobis à Pyrrho concessa, postquam fuerunt à Papa confirmata, non potuerunt ampliùs à Pyrrho reuocari. Vt Syluest. *verbo Priuilegium, quaestione decima, dist. septima* Suarez *libro octauo, de legat. cap.* 37. *num.* 13. Ex quo forma generalem Regulam, quòd priuilegium ab inferiori concessum, & à Superiore confirmatum, ab inferiori ampliùs reuocari non potest, si confirmatio fuit ex certa scientia.

§. VI.

3 Noto, quòd priuilegia solent à Pontificibus duobus modis confirmari. 1. in forma communi, de qua in *cap. Quia diuersitatem, de concess. preb.* 2. ex certa scientia, de qua in *cap. Sicut graue, de transact.* ibi *vires plenissima notionis*, & notat Gloss. *in cap. Veniens, eodem tit. verbo Confirmatam.* Et aduerte obiter,

obiter, quòd ista scientia, quæ dicitur certa, de qua loquimur, intelligitur esse scientia facti, nam scientia iuris semper supponitur in confirmatione, cum Princeps dicatur habere ius in pectore, *cap. 1. de constit. in 6.* Quando confirmatur priuilegium cum perfecta notitia illius, & teooris eius, & omnium illius circumstantiarum, dicitur confirmatio ex certa scientia. Quando verò confirmatur cum sola cognitione confusa priuilegij, quod simpliciter proponitur vt antea concessum, sine alio examine, vel distinctiori noritia illius, dicitur confirmatio in forma communi. Vnde quando in ipsa confirmatione adduntur aliqua verba, quibus sufficienter significatur, præcessisse examen, seu cognitionem perfectam, erit ex certa scientia. Quando vero in confirmatione nihil speciale inuenitur fieri, erit in forma communi. Signa autem, quod fuerit confirmatio facta cum exacta cognitione sunt hæc. 1. Si instrumento confirmationis inseratur totus tenor Prioris priuilegij, nam tunc constat, Papam habere illius perfectam cognitionem, & patet ex *cap. Venerabiles, de confirm. vtil vel inutil.* vbi Glossa. 2. Si in confirmatione expresse dicatur. *Ex certa scientia*: seu *De plenitudine potestatis*: vel *Non obstante lege disponente in contrarium.* Nam tunc, licèt non inseratur tenor priuilegij, confirmatio erit ex certa scientia, quia cum per tale verbum affirmet Papa, se ita confirmare, illi credendum est. Omnis itaque confirmatio, in qua non erit vna ex prædictis particulis, vel illis similis, & æquiualens, erit in forma communi. Ita Suarez *lib. 8. de leg. cap. 18. à num. 4.*

4. Modo confirmatio in forma communi nullum ius nouum confert, nec dat valorem priuilegio, si erat inualidum, nec vllum præiudicium infert tertio, vt Panorm. *in cap. Dudùm, de decim num.* 8. Sed est solùm pura roboratio, sumitur ex *cap. Quia diuersitatem, de concess. preb. & ex cap. 1. de confirm. vtil. vel inutil.* Atque ita parùm valet ista confirmatio, vt dicit Glossa *illo cap. 1. de confirmat. &c.* Panorm. *part. 1. consil. consil.* 102. *num.* 3. Sed adiicit solùm robur authoritatis, quia Papa confirmando, v. g. Acta capitularia in forma communi, de non suis facit sua, vt dicitur *in lib. 1. Cod. de veter. iur. enucl.* vbi habetur, *Superiorem id facere suum, quod auctoritate sua confirmat.* Et habetur etiam in *cap. Si Apostolica, de preb. in 6.* & docet Suar. *loco citato. num.* 10. Confirmatio autem priuilegij ex certa scientia habet vim nouæ concessionis, vt colligitur ex *cap. 1. & cap. Veniens, de transact.* habet enim vim validandi actum inualidum. Ita Sua. *loc. cit. num.* 12. Si est absolutè, & simpliciter absque aliqua limitatione data; nam si limitata, tunc limitatio attendenda est. Cum itaque Papa hic ex certa scientia confirmet priuilegia Pyrrhi, & literas datas ad Goffredum, & confirmationem ipsam Goffredis nullum est dubium, quin dicta priuilegia Pyrrhi sint in eo robore, ac si à Papa ipso, vt ipsemet Sixtus declarat, fuissent specialiter, & nominaliter concessa.

§. VII.

5. Noto 1. quòd eximere Religiosos à iurisdictione Ordinariorum in vniuersali ad solum Papam pertinet tanquam ad supremum Pastorem, *cap. Frater noster. 16. quæst. 1. cap. Conquestus, 9. quæst. 3.* Henriq. *lib. 7. de indulg. cap. 24. num.* 3. Tabiena *verbo Exemptus, in princip.* Et sic multi Pontifices exemerunt Ordines mendicantes, & alios à iurisdictione Ordinariorum, vt videri potest *in comp. Cæsarub. verbo Exemptio.* Nouissimè Paulus V. per suam constit. *In supereminentis*, quàm Cherub. *tom. 3. in Paulo V. sub constitut. eius 23. pag.* 206. concedit Congregationi S. Mariæ Fuliensis, vt personæ eius, etiam Nouitij, à quopiam quavis auctoritate non possint excommunicari, suspendi, vel interdici, & eximi, dictos à quacumque superioritate Ordinariorum & excommunicat ipso facto, absolutionem sibi reseruando, quoscumque Prælatos Ecclesiasticos, dictos Fratres, & illorum familiares, ac illis inseruientes super dicta exemptione, & decimarum solutione molestantes.

6. Noto 2. quòd Pontifex eximens nostrum Ordinem à Iurisdictione Ordinariorum, & immediatè illum subiiciens Apostolicæ Sedi, constituit se, & successores suos immediatum Superiorem, iudicemque Ordinarium nostræ Religionis. Ac proinde sine licentia Papæ nobis non licet huic priuilegio renuntiare, vt habetur *in cap. Cum tempore, §. fin. de arbitr. & in cap. Cum venissent, §. Nos igitur, de in integrum restit.* Tuschus *verbo renuntiare, concl.* 171. *num.* 9. Barbosa *de potest. Episc. part. 3. allegat.* 123. *num.* 42. Cum enim ista exemptio ab Ordinariis reddat Monasteria immediatè subiecta Apostolicæ Sedi, si aliquod Monasterium, huic priuilegio renuntiando, Ordinariis se subiiceret, in damnum, & iniuriam id vergeret Sedis prædictæ. Et multò minùs potest huic priuilegio renunriare frater aliquis priuatus, & in causa aliqua particulari Ordinario se subiicere, vt colligitur ex *cap. Significasti, de foro compet.* & habet Felinus *in cap. P. & G. de off. deleg. num.* 13.

7. Noto 3. quòd potest Religiosus priuatus de licentia sui Prælati subiicere se Episcopo ad vnum, aut alterum effectum vilem, v. g. vt absoluatur à casu occulto, seu censura Sedi Apostolicæ reseruata: Vel vt dispensetur in occulta irregularitate: vel inhabilitate, in qua fortè eius Prælatus non potest, aut non audet se intromittere. Ita Henriq. *lib. 7. cap. 25. num. 2.* Nald. *verbo Exemptio, num.* 4. Sanchez *lib. 4. in Decalog. cap. 39. num.* 32. qui rem pro dignitate tractat *à num.* 27. & multos Doctores citat. Quapropter dixit Papa in fine huius §. quòd non teneamur de iustitia respondere, nisi coram Apostolica Sede, ac si diceret. Verùm in fauorabilibus ad vnum, aut alterum casum de vestrorum Prælatorum licentia non estis prohibiti Ordinariis locorum vos subiicere.

8. Noto 4. quòd exemptio est triplex. 1. est personalis, quæ. s. eximitur persona, vt à nullo, neque etiam Legato Sedis Apostolicæ, vel Iudice delegato excommunicari, suspendi, vel interdici possit. 2. est localis, quæ fit Loco, seu Monasterio, vel Ecclesiæ, ita vt non solùm Monasterium, seu Ecclesia sit exempta, sed etiam res Monasterio, & Ecclesiæ annexæ, & propriæ. 3. est exemptio vniuersalis, quæ personas, res, loca eximit ab Ordinariorum iurisdictione, & subiicit immediatè Papæ. Ita Hostiensis *in sum. lib. 5. tit. de priuil. §. Quot species* Sylu. *verbo Exemptio num.* 2. Henriq. *loc. cit. num.* 4. Et eum nomine Ordinariorum intelligatur Legatus etiam de latere, seu Nuntius Apostolicus, vt Henriq. *loc. citat. num. tertio* ab istorum etiam iurisdictione exempti sumus, vt Naldus *in summ. verbo Exemptio, numero quinto.* Sed verius puto, Regulares non esse exemptos à iurisdictione Legati à latere. Docet Molina *tract. quint. de instit. disput. nona, numero decimo.* Collige *ex cap. Si Abbatem, de elect. in 6.* & huiusmodi Legatum excepit Clem. VI. quando exemit Fratres Minores à iurisdictione Ordinariorum, vt refert Cæsarub. *in compet. verbo Exemptio num.* 9. & constat manifestè *ex isto §. 7. in fine*, & ex exemptione Pauli V, data Congregationi S. Mariæ Fuliensis, de qua dixi *num.* 5. & ita tenet Rodrig. *tom. 2. quæst. regul. q. 63. art.* 4. & Romanus *singul.* 513. Et dato etiam, quòd priuilegia exemptionis Legatos de Latere comprehenderent, per literas tamen legationis sufficienter derogantur. Et cum hæc exemptio sit vniuersalis, vt patet, sequitur, quòd Ordinarius nullam habet in nostrum Ordinem iurisdictionem, nec mediatam, nec immediatam, nec principalem, nec accessoriam per mandatum, statutum, aut punitionem; quia vt ea relinquetur,

tetur, deberet nominatim excipi ab vniuersali exemptione, *cap. Cum olim*, *el* 1. §. *Nos verò*, *de priuileg.* vbi Glossa *verbo Diœcesani*, & Panorm. *num.* 6. Nec potest circa debitam solutionem se intromittere, nec negligentiam Prælatorum Regularium supplere. Henriq. *lib.* 7. *de indulg. cap.* 15.

9. Si quæras, an delinquens in Monasteriis Regularium subiiciatur pœnis ab Episcopo impositis, verbi gratia, Archiepiscopus Genuensis sub excommunicationis ipso facto prohibuit suis Clericis, ne taxillis ludant, ludunt hi in Monasterio aliquorum Regularium. Quæritur, an pœnam ab Archiepiscopo impositam incurrant.

Respondeo, Quòd non. Naldus *in summ. verbo Exemptio*, *num.* 3, *& verbo Statutum*, *num.* 16. qui testatur de communi. Sylu. *verbo Excommunic.* 2. *n.* 12. Zerola 1. *p. praxis*, *verbo Excommunicationis causa materialis*, §. 4. *versu Secundò an Subditus*. Azor. *tom.* 1. *instit. moral. lib.* 5. *cap.* 15. *q.* 4. Et ratio fundatur in exemptione loci, nam Monasteria Regularium licèt sint in Diœcesi Episcopi, ac etiam de Diœcesi illius, sunt tamen extra illius iurisdictionem, ac proinde quoad hoc perinde se habent ac Parochiæ, & Monasteria extra Diœcesim existentia. Vnde sicut verum est, quòd Clericus Genuensis ludens in Diœcesi Sauonensi, in qua non sit ista excommunicatio, eam non incurrit, quia statuta territorialia, seù Diœcesana, & localia, extra territorium, Diœcesim, & locum non obligant, vt est communis sententia; Ita cum ludit in Monasteriis Regularium, quæ licèt materialiter non sint extra Diœcesim, sunt tamen extra eam formaliter, non incurrit dictam excommunicationem.

10. Noto 5. Circa illam clausulam *Prorsùs eximimus, ac totaliter liberamus*, quòd per istam derogatur priuilegiis concessis non solùm priuatæ personæ, sed etiam vniuersitati in genere, vel in specie, sub cuiuscumque tenoribus, etiam motu proprio, & ex certa scientia, vel de plenitudine potestatis, aut per viam generalis legis, & statuti perpetui. Henriq. *lib.* 7. *de indulg. cap.* 17. *num.* 4. Et ista clausula geminata excludit omnem interpretationem in contrarium. Henriq. *loc. cit. in comm. lit.* F. docent Doctores *in l. Balista*, *ff. ad trebel.* In specie Glossa *verbo Etiam fructus*.

11. Noto 6. circa illam clausulam, *Nobis, & successoribus nostris canonicè intrantibus*, *&c.* quòd licèt omnis, qui erit verus successor huius Pontificis, canonicè in Pontificatum introibit; additur tamen illa particula *canonicè intrantibus* ad innuendum, nos non debere obedire, nec subiici illi, qui non per ostium, sed aliundè introduxit in ouile Domini, nec sic imendere Papam nos subiicere, sed tantummodò ei, qui illi legitimè successerit per Cardinalium electionem, qui tunc dicetur canonicè intrare. Illa verba *Ac dictæ Sedi* innuunt, nos, Sede vacante, Apostolicæ Sedi, seù Collegio Cardinalium tunc immediatè etiam subiacere, nec per hoc, quòd Papa caremus, carere etiam Superiore, quia tunc loco Papæ stat Apostolica Sedes, seu Collegium Cardinalium.

§. X.

12. NOta 1. quòd Papa annullat, & irritat omnes, & singulas sententias excommunicationis, suspensionis, & interdicti contra nos latas, & omnes alias sententias, & processus, si quæ tentarent Ordinarij contra nos facere, aut pronuntiare. Quod idem concesserat Minoribus Clemens VI. vt est apud Casarub. *verbo Exemptio*, *num.* 9. Et Paulus V. Congregationi S. Mariæ Fuliensis, vt dixi *num.* 5. Et aduerte, quòd ista irritatio afficit iudicem etiam ignorantem. Henriq. *lib.* 7. *de indulg. cap.* 15. *num.* 5. qui *in commun. lit. K.* multos adducit. Aduerte etiam, quòd censura lata contra nos ab Episcopo, in neutro foro seruanda est, *cap. sanè*, *& cap. Cum ad quorundam*, *de excessib. Prælat.* Nauarr. *in summ. cap.* 27. *num.* 3. *&* 4. Sylu. *excomm.* 2. *num.* 1. *casu* 1. Henriq. *loc. cit. n.* 7. Et ratio est, quia exemptio Religionis est notoria populo, & Ordinariis, *cap. Ex parte* 1. *de priuil.*

13. Si quæras, an Episcopus possit declarare excommunicatos à iure, vel Apostolicis constitutionibus Regulares priuilegium exemptionis habentes.

Respondeo, Posse in illis casibus, in quibus id illis specialiter permittitur, vt v. g. si Extremæ Vnctionis, & Eucharistiæ Sacramenta ministrent, aut matrimonia solemnizent, vt habetur *in Clem.* 1. *de priuil.* §. 1. vbi Panorm. *num.* 22. Cardinalis *num.* 14 Et Henriq. 7. *de indulg. cap.* 15. *num.* 7. & in his casibus potest Episcopus citare Regularem ad videndum se declarari excommunicatum, Felin. *in cap. Non potest*, *num.* 3. *de re iudic.* Non potest tamen sic declaratos excommunicatos absoluere, quia non sunt eius Subditi, sed id pertinet ad Superiorem Regularem. Abbas *in cap. Significasti*, *de foro compet. num.* 11. Angelus, Armilla *verbo Exemptio*, *num.* 6. *&* 9. Piasecius *in praxi Episcop. part.* 2. *cap.* 3. *de visit. Regul. versu Ad extremum ponendum*, *pag. mihi* 193. Vide Portel. *in dub. verb. Episcopus num.* 5. *in addit. verbo Excommunicatio*, *num.* 1. *& verbo Episcopus num.* 5.

14. Sed quid, Si per edictum sub excommunicationis pœna prohibiti essent Regulares certum peccatum committere, quòd publicè perpetrassent, possetne Episcopus eos excommunicatos denuntiare? Nauarr. *lib.* 5. *consil. de sent. excomm. consil.* 2. *n.* 2. censet, quòd non, & benè, nam hic casus non est illi specialiter concessus, sicut sunt ij, qui habentur *in Clem.* 1. *de priuil. cit.* Ratio est, nam in vniuersaliter exemptos Ordinarius non habet iurisdictionem, nisi ei specialiter in aliquo casu tribuatur, vt constat. Et habetur *in Clement. vnica*, *de excess. Prælat.* Batiola *in aphor. verb. Episcop.* Videatur Vgolinus *de potest. Episc. cap.* 10. §. 10. *n.* 1.

15. Noto 2. quòd si Ordinarius citat Regularem, citatio est ipso iure nulla, cùm sit à iudice non competente, & contra priuilegium notorium. Nec censura ligatur, si non compareat: comparere tamen decet, & allegans priuilegium proponere declinatoriam fori, & sic recedere. Henriq. *loco cit. num.* 8. Secùs autem est, si in citatione exprimatur causa, quæ fundet iurisdictionem Ordinarij, vt v. g. si, vocatos Regulares ad publicas processiones, & ipsi venire neglexerint, citet ad comparendum, & in citatione citationis causa exprimatur. Quia tunc, cum Trid. *sess.* 25. *de Regul. cap.* 13. det facultatem Ordinariis, vt possint compellere Regulares ad interessendum publicis processionibus, tenebuntur hoc casu, & aliis similibus comparere. Si verò Ordinarius velit agere de iure, & viribus priuilegij productis, & eo reprobato, ferat sententiam, tunc sententia est ipso iure nulla. Quia in dubio contra Regulares, an iurisdictio pertineat ad Episcopum non potest Episcopus de causa cognoscere, ne sit iudex in causa propria. Henriq. *loco cit. num.* 6. Innoc. *in cap. Venerabili*, *de Censibus*, *num.* 2.

16. Noto 3. circa visitationem Regularium, quòd olim Episcopi habebant ius Regulares visitandi, & procurationes, seu expensas in visitatione factas recipiendi. *cap. Sopita*, *cap. Cum olim*, *de censibus*. Sed in Regulares exemptos iam nullam habent iurisdictionem. Et ideò eos non visitat nisi Prælatus Regularis, vt habetur in Trid. *sess.* 25. *de Regul. cap.* 8. *&* 20.

17. Nec solùm non possunt Episcopi Monasteria visitare, sed nec Ecclesias, pyxidem, aut tabernaculum, in quo asseruatur sanctum Eucharistiæ Sacramentum, Ita declarauit sacra Cardinalium Congregatio, vt refert Quaranta *in summ. Bull. verbo Priuilegia Regularium*, *pag. mihi* 514. & Rodrig. *in sue Bull. in Clem. VIII. in princip. & tom. prim. quæstion. Regular. quæst.* 36. *art.* 4

art. 4. fine, quæ sic habet. *Congregatio Concilij censuit, Episcopos, aut alios locorum Ordinarios vigore cuiusuis decreti eiusdem Concilij nullam habere facultatem quouis tempore in Monasterijs, Domibus, & Ecclesijs Regularium exemptorum, quibus non imminet cura animarum personarum sæcularium, visitandi sacristias, paramenta, vasa sacra, altaria; & cætera huiusmodi: aut etiam tabernaculum, seu pyxidem, in qua sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum asseruatur.*

18. Et cum Archiepiscopus Genuensis prætenderet, posse dictum tabernaculum visitare ratione possessionis, eo quia eius antecessor aliquas Ecclesias Regularium exemptorum visitauerat. Deductum est negotium ad Sacram Congregationem Concilij, quæ præfato Archiepiscopo in hæc verba rescripsit. *Perillustris, ac Reuerendiss. D. uti Frater. Cum actum fuerit in Sacra Congregatione Cardinalium Concilij Trident. interpretum, an liceat amplitudini tuæ pergere in quasi possessione Ecclesias Regularium visitandi. Illustrissimi Patres, perspectis scripturis huc ab Amplitudine tua non ita pridem delatis, censuerunt, debere eam abstinere ab huiusmodi visitatione Monasteriorum; atque Ecclesiarum Regularium exemptorum, quibus cura animarum sæcularium non imminet. Itémque Monialium iisdem Regularibus subiectarum in his, quæ ad ipsarum clausuram non pertinent. Reliquum est, vt Amplitudo tua sacræ Congregationis responso promptè, quòd suis literis pollicetur, adhæreat. Et diù valebis in Domino, quem illi propitium ex animo cupimus. Romæ die 26. Ianuarij 1619. Cardinalis Lancellottus. Et non viso hoc decreto, ita etiam consueuerant multi apud Dianam* tom. 3. tract. 2. resol. 134

§. XI.

19. NOto, quòd Episcopus, seù Parochus, qui ausus fuerit prædictis priuilegiis contraire, vel nos, ne iis fruamur, molestare, peccat mortaliter, per illa verba, *Indignationem omnipotentis Dei, &c.* per quæ non fertur excommunicatio, vt bene Saytus *lib. 1. de censuris, cap. 11. num. 16.* Et quas pœnas incurrat, vide *constit. sequent. num. 7. & 8.* Sed hic Pontifex contra Episcopos, & Curatos molestare, aut inquietare attentantes Regulares, multas, & graues inflixit pœnas, prout refertur *in comp. priuil.* Casarub. *verbo Exemptio, num. 22.* & in mari magno Prædicatorum apud Rodrig. *in suo Bull. in Sixto IV. Bulla eius* 33. quæ incipit, *Regimini*, §. 54. ita habetur. *Districtius inhibentes iisdem locorum Ordinariis sub interdicti ingressus Ecclesiæ, & suspensionis à regimine, & administratione suarum Ecclesiarum, & Parochialium Ecclesiarum Rectoribus, & aliis quibuscumque sub excommunicationis latæ sententia, & priuationis earundem Parochialium Ecclesiarum, ac omnium aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ obtinent, nec non inhabilitationis ad illa, & alia in posterum obtinenda pœnis eo ipso per eos, qui contrafecerint, incurrendis, ne Ordines prædictos Fratrum Prædicatorum, & Minorum, ac illorum domos, & professores contra priuilegiorum eis concessorum tenorem molestare, aut inquietare præsumpserint.* Et Paulus V. dictos molestatores, siue sint Episcopi, siue alij quicumque Prælati, excommunicatio ipso facto, & absolutionem sibi reseruat, vt dixi hic supra, *num. 5.* Pro Regularium exemptione videri potest Confectius *in suo summ. toto titul. quinto.*

20. Sed quoniam Regularium exemptio in multis est limitata à Concil. Trident. de quibus Tamburin. *tom. 1. de iur. Abbat. disp. 15. quæst. 7.* Campanil. *in diuers. iur. rub. 12. cap. 13.* Barbosa *de potest. Episc. p. 3. allegat. 105.* Azor. Passat. & nouissimè à Greg. XV. per suam constit. *Inscrutabili*, infra in eo, *constit. eius 2.* ideò aliqua loca Concil. Trid. hanc exemptionem concernentia, hic speciatim discutere operæ pretium duxi. Primo igitur *sess. 5. de reform. capitulo 2.* ita habetur. *Regulares verò cuiuscumque Ordinis, nisi à suis Superioribus de vita, moribus, & scientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum prædicare non possint. Cum qua licentia personaliter se coram Episcopis præsentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant. In Ecclesiis verò, quæ suorum Ordinum non sunt, vltra licentiam suorum Superiorum, etiam Episcopi licentiam habere teneantur, sine qua in ipsis Ecclesiis non suorum Ordinum nullo modo prædicare possint. Ipsam licentiam gratis Episcopi concedant.* Sess. verò 24. cap. 4. de reform. ita habetur. *Nullus autem Regularis, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum, contradicēte Episcopo, prædicare præsumat.* Greg. XV. in sua constit. *Inscrutabili eius.* §. 8. ita habet. *Ac demum habeat Episcopus tanquam Sedis Apostolicæ delegatus auctoritatem coërcendi, ac puniendi quoscumque exemptos, tam sæculares, quàm Regulares, qui in alienis Ecclesiis, aut quæ suorum Ordinum non sunt, absque Episcopi licentia, & in Ecclesiis suis, aut suorum Ordinum, non petita illius benedictione, aut ipso contradicente prædicare præsumpserint.* Vnde colligitur, quòd Regulares prædicantes in Ecclesiis, quæ sui Ordinis non sunt, tenentur obtinere licentiam ab Episcopo. In Ecclesiis verò sui Ordinis tenētur solùm benedictionem ab eodem Episcopo petere, quàm licèt non obtinuerint nihilominùs prædicare poterunt, non enim dicit Concilium, quòd teneantur obtinere, sed solùm petere. Atque ita dicitur declarasse Sacram Congregationem Concilij. Neque obstat, quòd Concilium dicat, contradicente Episcopo, Regulares prædicare non posse etiam in Ecclesiis sui Ordinis, nam intelligitur, quòd non possint prædicare, eadem hora, qua prædicat ipsemet Episcopus, qui ideò contradicit, quia ea hora ipse vult prædicare, vel coram se facere solemniter prædicari. Et quòd ita debeat intelligi Concilium, declarauit Pius V. *in sua constit. 7. § 3. infra.* Quæ declaratio per reductionem dictæ Bullæ ad terminos Concilij Trid. factam à Greg. XIII. quæ incipit, *In tanta*, apud Cherub. *tom. 2. Bull. in constit. 9. Greg. pag. 370.* non est reuocata; tantùm enim reuocauit Gregorius ea, quæ concesserat dictus Pius Regularibus mendicantibus contra Concilium, non declarationes dicti Concilij factas à Sanctiss. & doctiss. Pontifice Pio, vt dico in Bulla eiusdem Pij, *num. 3.* Ita Rodrig. *tom. 2. quæst. reg. quæst. 32. art. 1.* Miranda *tom. 1. manual. quæst. 50. art. 2.*

21. Licentia autem prædicandi in Ecclesiis, quæ sui Ordinis non sunt, debet obtineri, dicit enim Concilium, *Vltra licentiam suorum Superiorum, licentiam etiā Episcopi habere teneantur*; verbum autem *Habere*, dicit actū possessionis. Quo eodem pacto intelligenda est dicta Constit. Greg. XV. quæ solùm addit. Quòd si Regulares prædicauerint in alienis Ecclesiis sine licentia Episcopi, & in suis sine benedictione petita, possint Episcopi contra eos pœnis, & censuris Ecclesiasticis procedere, eosque toties quoties opus fuerit, punire, quòd antequam exiret dicta constitutio, facere non poterant per declarationem sacræ Congregationis, quam refert Quaranta *verbo Priuilegia Regularium, pag. mihi 513.* his verbis. *Congregatio Concilij censuit, Regulares, qui absque licentia Episcopi prædicauerint in Ecclesiis, quæ suorum Ordinum non sunt, tametsi decreta eiusdem Concilij, cap. 2. sess. 5. contrafecerint, non posse tamen puniri ab Episcopo, sed tantum à suis Superioribus.* Vide, & limita iuxta hic dicta, quæ dico *tom. 1. Relig. q. 1. cap. 22. præsertim circa 2. 3. & 7.*

22. Secundò *sess. 6. c. 3. de ref.* habetur hoc decretum. *Ecclesiarum Prælati ad corrigendum Subditorum excessus prudenter, ac diligenter intendant, & nemo sæcularis Clericus, cuiusuis personalis, vel Regularis extra*

Monasterium degens, etiam sui Ordinis priuilegij prætextu intus censeatur, quominus, si deliquerit, ab Ordinario loci tanquam super hoc à Sede Apostolica delegati secundùm Canonicas sanctiones visitari, puniri, & corrigi valeat. Ex quo colligitur, quòd Regularis extra Monasterium degens absque licentia sui Prælati, si delinquat, potest puniri ab Ordinario. Et quòd hoc decretum intelligatur solùm de Regularibus degentibus extra Monasterium, absque licentia Prælati, patet, quia in Monasterio dicitur esse Monachus, qui manet in quocumque loco de Superioris mandato. Vt docent Panorm. *in cap. Ex rescript. de iur. iur. num.* 5. Sylu. *verbo Religio* 3. *quæst.* 19. *versu Secundò inducitur.* Nauarr. *comm.* 4. *de Regul. num.* 74. *versu Aduertendum* 3. Passarel. *in Schol. ex Genuen. num.* 21. Henriq. *lib.* 6. *de Indulg. cap.* 24. *num.* 9. *in comm. lit. O.* Et potest confirmari, nam iustum non est, vt, qui à suo Superiore ordinario quotannis visitatur, & quoties opus est, punitur, alij extraordinario iudici subdatur. Ad summum ergò puto, habere locum istud decretum, quando Regularis degit in aliquo loco distanti admodum à suo Conuentu, & ad longum tempus, puta, si detur alicui licentia exeundi è Conuentu ad subueniendum parentibus inopia laborantibus, & hic degeret in loco, vbi non esset Conuentus suæ Religionis, tunc bene posset Ordinarius loci, si delinqueret, virtute huius decreti eum punire. Dicunt aliqui, quòd aliter fuit declaratum a Sacra Congregatione, nimirùm hoc decreto comprehendi etiam Regulares degentes extra claustra cum licentia suorum Superiorum, Sed ego has declarationes authenticas non vidi, & libri referentes suspensi sunt. Si tamen verum est, debet intelligi, quando ad longum tempus degunt extra Monasteria, & habent extra illa domicilium ex aliquo priuilegio speciali, & non subiiciuntur correctioni, & visitationi annuæ Prælatorum Regularium; debent enim tunc habere Superiorem qui eus, quoties opus fuerit, coërcere possit.

23. Tertiò sess. 25. cap. 11. de Regul. *Regulares curam animarum personarum sæcularium exercentes subduntur iurisdictioni, correctionis & visitationi Episcoporum in his, quæ huiusmodi curam concernunt, nisi in dictis Monasterijs curam animarum personarum sæcularium exercentibus ordinariò resideant Abbates, Generales, aut Capita Ordinum quorumcumque vel nisi Regulares habeant in dictis locis iurisdictionem temporalem, nam tunc sunt à dicta visitatione Episcoporum exempta.* Vide Rotam Romanam *coram Seraphino, decis.* 1067.

24. Et aduerte, quòd dùm Episcopus Parochiam Monasterio annexam visitat, debet id facere absque grauamine, & impensa Monasterij. Vt expressè declarauit Leo X. *in constit. eius* 26. §. 3. *infra*, & habet Henriq. *lib.* 7. *de Indulg. cap.* 25. *num.* 11.

25. Noto etiam, quòd si Regularis curam animarum exercens reperiatur deliquisse, non debet Episcopus eum punire, sed puniendum tradere suo Prælato iuxta proprias constitutiones. Vt idem Leo X. *loc. cit.* & docet Abbas *in cap. Cum contingat, de foro compet. num.* 21. Henriq. *loc. cit.* qui *in comm. lit. X.* multos citat, & ait, id fuisse declaratum à Sacra Congregatione. Facit *c. fin. de stat. monach.* §. 1. Nec obstat Concilium Trid. quando dicit, quòd personæ curam exercentes subsint visitationi, & correctioni Episcoporum, nam intelligitur, mediante Prælato Regulari. Linquo, quòd correctio vi nominis emendationem dicit, non punitionem, & præcauet malum futurum, non castigat præteritum. Et quòd Concilium non intendat, vt Episcopi possint Curatos Regulares per seipsos immediatè punire, patet, quia quandò id intendit, expressè ponit verbum punire, vt *sess.* 6. *de reform. cap.* 3.

26. Si quæras, an Episcopus possit visitare personas sæculares exercentes curam animarum in Monasterio, in quo residet Generalis alicuius Ordinis. Sacra Congregatio respondit (referente Zerola 2. *part. praxis, verbo Visitatio, quæst.* 13.) in hæc verba. *In Monasterio, in quo Generalis alicuius Religionis Regularium sedem ordinariam principalem habeat, licet personæ sæculares sint in eodem Monasterio curam animarum exercentes, quantum ad ipsam curam, & Sacramentorum administrationem spectat, nulli visitationi, seu iurisdictioni Episcopi ordinarij Diœcesis, in qua ipsum Monasterium situm est, subiecta sint.*

27. Supra Concilium addidit Bulla Gregorij XV. de qua dixi *num.* 21. §. 2. *quòd omnimodæ iurisdictioni, visitationi, & correctioni Diœcesani Episcopi tanquam Sedis Apostolicæ delegati plenè in omnibus subiiciantur.* Et §. 9. ait, quod *Episcopus possit toties, & quando opus fuerit, etiam extra visitationem, contra delinquentes in tali cura per censuras Ecclesiasticas aliasque pœnas procedere.* Per quæ verba *omnimodè*, & *plenè* dat Papa Episcopis suprà huiusmodi Regulares Rectores Ecclesiarum Parochialium, quoad ea, quæ dictam curam concernunt, omnem iurisdictionem temporalem, Ecclesiasticam, spiritualem, ciuilem, & criminalem, itavt delinquentes possint punire non solùm monendo, corrigendo, visitando, sed etiam incarcerando, & deponendo ab huiusmodi cura. Ita Glossa *in Clem. vnic. de foro compet. versu Omnimodam*, Panorm. *in c. Conquestus, de foro compet. num.* 4. Atque ita concedit Episcopis, supra tales Curatos omnem iurisdictionem, quam habent Prælati ordinarij supra eos. Quæ iurisdictio est meri, & mixti imperij. Et nota, quod per merum imperium significatur secundùm Canones iurisdictio quodammodò criminalis, vt depositio, perpetua suspensio, excommunicatio, per mixtum imperium significatur iurisdictio quodammodo ciuilis, vt admonitio, inquisitio, correctio, visitatio. Ita Spec. *de Iurisd. omn. iud. à num.* 28.

28. Quartò *sess.* 7. *cap.* 14. ita habetur. *In exemptorum causis constitutio Innocentij IV. quæ incipit, Volentes, in generali Concilio Lugdunensi edita seruetur, quam tandem Sacrosancta Synodus innouandam censuit, & innouat. Addendo insuper, quòd in ciuilibus causis mercedum, & miserabilium personarum, Clerici sæculares, aut Regulares extra Monasterium degentes quomodolibet exempti, etiamsi certum iudicem a Sede Apostolica delegatum in partibus habeant; in alijs verò, si ipsum iudicem non habuerint, coram locorum Ordinariis, tanquam ad hoc ab ipsa Sede Apostolica delegatis conueniri, & iure medio ad soluendum debitum cogi, & compelli possint, priuilegijs, exemptionibus, conseruatorum deputationibus, & eorum inhibitionibus aduersus præmissa nequaquam valituris.*

29. Pro huius decreti intelligentia aduertendum, quòd in isto *cap. Volentes, de priuil. in* 6. quod hic innouatur, statuitur, quod Ordinarius loci possit procedere contra exemptos ratione delicti, vel contractus extra loca exempta factorum, vel rei sitæ extra illa. Adoerte 2. quòd Regulares degentes extra claustra possunt conueniri coram Ordinariis in duobus casibus, nimirùm in ciuilibus causis mercedum, & miserabilium personarum. Non dicuntur autem extra Monasterium degere, qui causa prædicationis, vel confessionis, vel eleemosynæ, vel alicuius rei ad tempus, & non permanenter extra Monasterium morantur. Sed extra Monasterium degere dicuntur, qui habent domicilium extra Monasterium speciali licentia, vel priuilegio. Nam qui secundùm Regularia instituta inseruiunt beneficio, vel adijciuntur alicui Monasterio Monialium, tales non comprehenduntur in hoc decreto, quia non degunt extrà Monasterium propriè, cùm non sint extra illud ex speciali licentia, seu priuilegio, sed ex instituto. Ita in terminis Rodr. *tom.* 2. *quæst. regul. q.* 2. *art.* 8. Et sic quoad

vltimùm

vltimum dicitur fuisse declaratum à sacra Congregatione.

30. Noto 3. quòd Regulares intra claustra degentes per hoc decretum in nullo casu possunt conueniri coram Ordinarijs locorum. Ita Nauar. *com. 2. de regul. n. 63.* Rodrig. *tom. 2. q. regul. q. 2. art.* 8. Neque obstat dictum *cap. Volentes* innouatum in hoc decreto Concilij, nam derogatum est per nostra priuilegia, & alia aliorum Mendicantium; & licèt sit innouatum per Trid. non tamen derogantur à Concilio priuilegia, quæ contra dictum decretum concessa sunt, nisi in causis tantùm mercedum, & miserabilium personarum. Ita Rodriguez *loc. cit.* Et sic censuit sacra Congregatio *die* 19. *Iulij*, 1573. in hæc verba. *Dubitatum fuit an Regulares possint ciuiliter coram Episcopo à creditoribus suis conueniri. Et fuit responsum, quòd possint conueniri, si non sint sub regulari obseruantia; at si sint sub regulari obseruantia, non possunt conueniri coram Episcopo, quia habent proprium Superiorem, & nihil habent cum ijs commune Episcopi propter exemptionem.*

31. Noto 4. quæ sint miserabiles personæ, de quibus hoc capite; dicuntur enim tales primo viduæ, pupilli, orphani nisi diuites sint, 2. dicuntur miserabiles senes decrepiti, diuturno morbo fatigati, & omnes, quibus natura mouetur ad miserandum propter fortunæ iniuriam, etiamsi diuites sint. 3. dicitur persona miserabilis puella nobilis, quæ non potest inueni sibi nobilitate pari matrimonio iungi. 4. dicuntur personæ miserabiles peregrini, aduenæ, publicè pœnitentes, infantes expositi, cœci, & mutilati membris, atque leprosi, ac debilitati, in carceribus coniecti, etuce signati, atque hi, qui nunc recenter ad Christianam fidem se recepere. Ita Mascbardus *tom. 2 concl.* 1075. Rodrig. *tom. 1. q. Regul. q 65. art. 3.* Sed meo videri nulla persona censeri potest miserabilis, si diuitijs abundet, quod etiam docet Cornel. Benincas. *de paupert. q. 4. n. 12. tom. 18. tract. cum his enim potest commode per alios facere, quidquid per semetipsum*, tanti enim nunc æstimatur aurum, vt in prouerbio iam deductum sit, *Omnia obedire pecuniæ*, & dixerit quidam, *deficiente pecunia deficere omnia*; & apud Senecam *epist.* 115. dixit alius. *Sine me vocari pessimum, vt diues vocer, An diues omnes quærimus, nemo an bonus. Non quare, & vnde, quid habeas tantùm rogant. Aut diues opto viuere, aut pauper mori. Bene moritur, qui dum moritur, lucrum facit, pecunia ingens generis humani bonum.* Et Ouidius ad hoc propositum.

Ingenium quondam fuerat pretiosius auro;
Nunc est barbaries grandis habere nihil.
Auro pulsa fides, auro venialia iura,
Aurum lex sequitur.

Et tritum est oraculum illud Philippi Macedonum Regis.

Argenteis pugna telis, atque omnia vinces.

Quare puto, nullam personam diuitem, in hoc saltem casu Concilij, posse dici miserabilem. Eas omnes tamen enumeratas dici tales, si diuitijs non superabundent. Colligitur ex *c. Significantibus de offic. deleg.* vbi Barbos. *n. 3.* Vide Guid. Papæ *q.* 160. qui cum Innoc. id relinquit arbitrio iudicis. Videatur Menoch. *lib. 2. de arbit. casu* 66. vbi late, quæ sint miserabiles personæ.

32. Noto 5. quod circa hoc caput Concilij extat constitutio gloriosiss. mem. Pauli Papæ V. quam refert Cherub. *tom. 3. sui bull. in Paulo V. constit. num* 34. *pag.* 223. tenoris, sequentis. *Religiosorum*, & infra. *Cum itaque nomine dilecti filij Basilij Angussola Procuratoris generalis Ordinis fratrum Carmelitarum in Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Trid. Concilij interpretum expositum fuerit, in Hispaniarum regnis quosdam Ordinarios locorum contendere, Religiosos intra claustra degentes coram ipsis Ordinariis conueniri debere in causis ciuilibus, c. Volentes, de priu. in 6. comprehensis, propter illius innouationem, à Conc. Trid. factum sess. 7. c. 14. quo præfatos Religiosos, eorum priuilegiis abrogatis, defendunt comprehendi. Præterea eosdem locorum Ordinarios pariter contendere, eosdem Religiosos intra claustra degentes in prima instantia coram ipsis conuenire debere, ex decreto eiusdem Conc. Trid* sess. 24. cap. 20. de reform. *Cumque ab eodem Basilio Procuratore generali in eadem Congregatione supplicatum fuerit, vt super vtraque re responsa darent. Ab eadem vero Congregatione fuerit responsum, neque constitutione in generali Concilio Lugdunensi edita, quæ incipit, Volentes, neque decreto Conc. Trid.* sess. 14. c. 7. *comprehendi Regulares, ideoque eos iuxta eorum priuilegia coram suis Superioribus, vel Conseruatoribus esse conueniendos, nec non decretum eiusdem Concilij Trid.* cap. 20. sess. 24. *ad Regulares non pertinere, nec eorum Conseruatorias imminuere, nec quò ad primam illarum institutam aliquid noui inducere. Ipseque Basilius Procurator generalis nobis humiliter supplicari fecerit, vt pro sui Ordinis quiete supradictas declarationes ab eisdem locorum Ordinarijs seruari debere Apostolica auctoritate præcipere dignaremur. Nos illius huiusmodi supplicationibus inclinati, omnibus, & singulis locorum Ordinariis in virtute sanctæ obedientiæ per præsentes districtè præcipiendo mandamus, ne fratres, & Religiosos dicti Ordinis Carmelitarum contra dispositionem declarationum prædictarum perturbare, vel inquietare quoquo modo audeant, vel præsumant. Irritum nihilominus, & inane decernentes quicquid secùs super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Datum Romæ apud S. Marcum, sub annulo piscatoris, die 24. Augusti 1607. Pont. nostri anno 3.* Ita etiam docet Camp. *in diuer. iur. rubr. 12. cap. 13. n. 19.*

33. Quintò *sess. 23. de ref. c.* 8. decernitur, *quòd vnusquisque ordinetur à proprio Episcopo* & *c.* 12. dicitur, *Regulares quoque nec in minori ætate, nec sine diligenti Episcopi examine ordinentur.* Circa quæ adueito vnam declarationem sacræ Congregationis de mandato S. D. N. Clem. VIII. quam refert Quaranta *in summ. bull. verbo Ordo, pag. mihi* 501. & A Sorbo *in comp. priuil. Mendic. verbo Ordines sacri, versus finem, pag. mihi* 457. Naldus *in summ. verbo. Ordo, num.* 26. his verbis. *Congregatio Concilij censuit, Superiores regulares posse suo subdito itidem regulari, qui præditus qualitatibus requisitis ordines suscipere voluerit, literas dimissorias concedere, ad Episcopum tamen Diœcesanum nempe illius Monasterij, in cuius familia abit, ad quos pertinet, is Regularis positus fuerit. Et si Diœcesanus abfuerit, vel non esset habiturus ordinationes, vel Sedes episcopalis vacaret* (quod vltimum addidi ex declaratione huius decreti, ab ipsamet Congregatione facta apud Naldum *loc. cit.*) *ad quemcumque alium Episcopum, dum tamen ab eo Episcopo, qui ordines contulerit, examinetur quò ad doctrinam, & dum ipsi Regulares non distulerint de industria concessionem dimissoriarum in id tempus, quo Episcopus Diœcesanus, vel absuturus, vel nullas habiturus esset ordinationes. Verum cum à Superioribus Regularibus, Episcopo Diœcesano absente, vel ordinationes non habente literæ dimissoriæ dabuntur, in eis vtique huiusmodi causam absentiæ Diœcesani Episcopi; vel ordinationum ab eo non habendarum exprimendam esse. Quod qui non fecerint, officij, & dignitatis, seu administrationis, ac vocis actiuæ, & passiuæ priuationis, ac alias arbitrio eiusdem S. D. N. Papæ reseruatas pœnas incurrent. In quorum fidem, &c. Datum Romæ die 15. Mensis Martij 1596.*

34. Sed quid, si Diœcesanus absens concederet facultatem alicui Episcopo transeunti per suam Diœcesim, vt posset ordinationes celebrare, possent-ne hoc casu Regulares ad quemcumque Episcopum accedere pro ordinibus suscipiendis? Puto, quòd sic.

 S 3 Nam

Nam hoc decretum est contrà priuilegia Regularium, vnde strictè interpretandum est, nec vltra casus expressos ampliandum. Secùs autem esset, si præsens concederet licentiam Episcopo transeunti ordinationes celebrandi. Ita etiam tenuit Tambur, me citato *tom. 2. de pot. Abbat. disp. 2. q. 19. n. 4.*

35. Noto vlteriùs, quòd dispensare Regulares super temporum interstitijs pertinet ad Episcopum ordinantem, non ad Superiorem regularem. Ita declarauit sacra Congregatio, vt refert Quaranta *verbo Ordo, pag. mihi* 496. his verbis. *Congregatio Concilij censuit, Superiorem regulares non posse dispensara super interstitiis Regularium ordinandorum, sed id pertinere ad Episcopum ordinantem, qui tamen quò ad causam dispensationis iudicium suum formare debet ex attestatione Superiorum regularium.* Vide A Sorbo *in comp. verbo Ordo quò ad 2. dubium, versu. Et sic conclude, pag. mihi* 454. Et Suarez *tom. 4. de relig. tract. 1. lib. 2. cap. 12. à num. 22.*

36. Noto etiam, quòd si Regulares degant in Monasterijs sitia in locis nullius Diœcesis, debent ordinari ab Episcopo viciniore, & obseruare omnia, quæ dicta sunt in declaratione sacræ Congregationis supradictæ, *num.* 33. Ita declarauit sacra Congregatio *mense Decembri, anno* 1619. vt refert Naldus *loco cit.*

37. Noto etiam, quòd Regulares non professi, non possunt sacris ordinibus ordinari per constit. Pij V. quæ incipit, *Romanus Pontifex sacrorum*, quam refert Cherub. *tom. 2. bull. in Pio V. constit. eius 75. pag. mihi* 272. in qua constitutione extendit Pontifex decretum Concilij Trid. *sess. 21. cap. 2. de reform.* ad Religiosos non professos in communi viuentes. Et mandat Episcopis sub merito sanctæ obedientiæ, & indignationis suæ pœna, ne talibus personis sacros ordines impendant, & contrafacientes suspendit per annum ipso iure ab ordinum præstatione, & statuit, quòd huiusmodi Religiosi non professi, qui fuerint contra suam constit. & decretum Concilij ordinati, careant executione ordinum sic susceptorum, nec vllo modo possint in altaribus ministrare, & ministrantes priuilegijs exemptionibus, immunitatibus, & alijs gratijs Clericis concessis omninò priuat, & declarat incurrere irregularitatē, & alias pœnas in dicto Concilij decreto positas, à quibus non nisi à Romano Pontifice, vel in mortis articulo absolui posse decernit. Minoribus autem ordinibus poterunt Nouitij insigniti, nam exceptio firmat regulam in contrarium. Aduerte autem, quòd ista constitutio non comprehendit Religiosos Societatis Iesu, qui solùm vota simplicia emiserunt, vt declarauit Gregorius XIII. per suam constit. quæ incipit, *Ascendente*, apud Cherub. *tom. 2. bull. in Greg. XIII. const. eius* 89 *pag.* 472. & *Greg. XIV. in sua const. Ecclesiæ Catholicæ*, apud Cherub. *in eo, tom. 2. bull. const eius* 10. An autem Nouitij habentes conditiones requisitas à Concilio *loco cit.* possint ad ordines promoueri, est maxima difficultas. Sanch. 6. *in decal. cap.* 10. *num* 19 tenet, quòd sic; & ab Episcopo, in cuius Diœcesi est Nouitios *n.* 21. Contrarium putant alij apud eundem, *num.* 18. Ex ista const. Pij nihil potest statui circa hoc, cum solùm extendat dictum cap. Concilij ad Clericos non professos. Vnde censeo, posse cum dimissorijs proprij Episcopi, & cæteris conditionibus Concilij, cum nullibi declare vetitum reperiatur.

38. Noto denique, quòd Religiosi Societatis Iesu habeat priuilegium, vt possint ordinari extra tempora à iure statuta, in tribus Dominicis, vel alijs festis diebus, etiam continuis, ad sacros, etiam presbyteratus ordines. Ita concessit Gregorius XIII. vt refert Cherub. *tom. 2. bull. in Gregorio XIII. constit. eius 77. fol. 460. incipit, Pium, & vtile*: quo tamen priuilegio vetat expresse Papa participare alias Religiones communicationem cum ipsa Societate habentes.

39. Solùm posset esse dubium, an per nouas, & posteriores concessiones factas alijs Religiosis, vt possint gaudere priuilegijs dictæ Societatis, censendum sit, dictum priuilegium posse ab alijs participari. Rodriguez *tom. 1. quæst. regul. quæst. 55. art. 17. col. 2. versu. At circa hunc artic.* difficile dubium dicit; respondet tamen affirmatiue, quia, ait, à concessione generali non est recedendum, nisi vbi constat de voluntate concedentis: præcipuè cum hoc sit beneficium Principis, & consequenter late interpretandum. Quare cum successores Gregorij priuilegia Societatis sine aliqua limitatione alijs Religionibus, vt Cistercienssibus, & Cruciferis communicauerint, cum quibus communicant Mendicantes, clarum est, ipsos Mendicantes priuilegija Societatis Iesu sine aliqua limitatione vti posse. Hæc tamen doctrina Rodriguez non placet Suarez *lib.* 9 *de legibus cap.* 17. *numer.* 8. tùm quia sub clausula generali non venit id, quod Princeps non esset in specie verisimiliter concessurus; tùm quia generi per speciem derogatur, etiamsi species ipsa præcesserit; tum quia generalis concessio casuum non extenditur ad reseruatos.

40. Sexto sess. 23. c. 15. de reform. *Regulares non possunt confessiones sæcularium audire, nisi fuerint ab Episcopis approbati.* Vide quæ dico *tom. 1. Relig. q. 1. c. 21. §. 2. versu Circa autem, pag* 242.

41. Noto 1. quòd *Congregatio Concilij censuit, Regulares ad audiendas in Ciuitate, & Diœcesi sæcularium confessiones semel ab Episcopo præuio examine, approbatos, iterum ab eodem Episcopo non esse examinandos, cæterum à successore posse vtique examinari iuxtà constitutionem sanctæ memoriæ Pij V. datam octauo Idus Augusti, Pontificatus illius anno 6. Quæ à fel. record. Gregorio XIII. non est reuocata per reductionem priuilegiorum Regularium ad terminos Concilij Trid.* Refert ita Quaranta *in summ. bull. verbo Confessor, pag.* 235. Vide infra *in constit. 7. Pij V. §. 4. & n. 8.*

42. Aduerte etiam, quod circa eandem approbationem Regularium ab Episcopis faciendam, eadem sacra Congregatio *anno* 1587. *die* 2. *Iulij* aliam fecit declarationem in hæc verba. *Regulares, qui quò ad confessiones audiendas idonei generaliter ab Ordinarijs, eorumvè Examinatoribus reperti, & probati fuerint, generaliter quoque, & indistinctè, absque aliqua limitatione temporis, certorumvè locorum, aut generis personarum admittantur in Diœcesi propria. De cæteris verò, qui non adeò idonei reperientur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinquitur ipsos cum limitata facultate, pro vt eisdem Ordinarijs magis expedire videbitur, probare, & admittere. Qui autem in domibus laicorum confessiones ex causa audierint, statim Parochum admonere teneantur, & fidem audita confessione pro medico adueniente relinquere.* Pro confessariorum approbatione vide Henriq. *lib. 6. de pœnit. cap.* 6. Et quandò Episcopus censeatur ex odio nolle Regularem approbare, vide nostrum Religiosum *loc. cit.*

43. Attende etiam, quòd admissus ad beneplacitum ad confessiones audiendas absque aliqua limitatione, intelligitur simpliciter, & vndequaque admissus, quia beneplacitum durat vsque ad mortem concedentis, *cap. Si gratiosè, de rescriptis in* 6. Immò putat Antonius Gabriel *tom. 2. tit. de præbend. concl.* 1. § 33. quòd durat etiam post mortem, quia ibi ad beneplacitum intelligitur nomine dignitatis, quod etiam approbat Henriq. *lib. 2. de pœnit. cap. 6. num. 7. in comm. litera G.*

44. Si quæras, an sic admissus possit ad libitum, & beneplacitum Episcopi prohiberi confessiones audire. Respondeo, licet communiter, quod ad beneplacitum conceditur,

conceditur, possit ad libitum concedentis reuocari; in subiecta tamen materia puto, quòd non possit ad libitum Episcopi licentia confessionis audiendi ad beneplacitum data reuocari, sed quòd requiratur iusta aliqua causa, & ad sacramentum pœnitentiæ pertinens. Moueor, nam licentia, quæ datur ab Episcopis confessarijs Regularium ad audiendas sæcularium confessiones, non est propriè licentia, sed potiùs approbatio personæ, & quasi iusta sententia, seu declaratio, quòd talis persona est idonea ad confessiones audiendas, vt patet ex ipsis Concilij verbis *sess. 23. de refor. cap. 15.* ibi *& approbationem.* Vnde postquam Episcopi indicauerint, Regulares esse idoneos ministros sacramenti pœnitentiæ; statim Papa illis concedit facultatem dictum sacramentum ministrandi, vt patet *ex Clem. dudum, de sepulturis, §. Per huiusmodi*, ibi *nequaquam intendimus potestatem in hoc impendere ampliorem, &c.* Et tenet Molfesius 1. *p. summ. tract. 7. cap. 14. num. 64.* Rodrig. *tom. 1. q. reg. q. 58. art. 1.* Sed sententia lata secundùm regulas iustitiæ non potest reuocari: *Quod enim semel placuit, amplius displicere non potest* per regulam *Quod semel.* quæ est 21. *de regulis iuris in 6.* Ergo dicta approbatio facta, vt supponitur, modis debitis, licet sit ad beneplacitum, non potest ab Episcopo reuocari absque magna causa, & ad dictum sacramentum pertinente, vt Glossa *in d. Clem. Dudum, verbo Concesserint.* Et DD. ibi communiter. Et solùm id videtur velle illud beneplacitum, quod in similibus sibi reseruant aliqui Episcopi. Atque ita videtur docere Suarez *lib. 8. de legibus, cap. 32. num. 9.* posset etiam citari Gutierrez *lib. 1. can. quæst. cap. 27. num. 23.* quatenus distinguit inter licentiam audiendi confessiones, & approbationem ad audiendas confessiones, & ait, quòd vnum potest esse sine alio, & vnum concedi ab vno, & aliud ab alio. Adde, quòd approbatio Regularium ad confessiones sæcularium audiendas, ab Episcopis facienda, solùm est quantum ad literaturam, vt patet *ex constit. 2. Leonis X. §. 6. infra.* Vnde cum nemo communiter præsumendus sit dediscere, vix poterit dari causa, qua semel approbatus reprobetur. Facit pro hoc puncto Barth. *in leg. de pupillo, §. Si quis ipsi pistori, num. 13. ff. de nou. oper. nunc.* Facit etiam *cap. Si delegatus de offic. deleg. in 6.* ex quibus colligitur, quod iurisdictio data ad beneplacitum censetur perpetua.

45. Quòd optime confirmat solemne decretum sacræ Congregationis Regularium, quod sub hac forma refert Alphonsus Leo in fine 2. part. de Iubil. pag. 114. *Cum sacræ Congregationi Cardinalium negotiis Episcoporum, & Regularium Prepositorum innotuerit, confessarios regulares grauiter conqueri, quòd ab Archiepiscopis, Episcopis, & locorum Ordinariis ab audiendis confessionibus quavis de causa indiscriminatim suspendantur, & propterea sæpè contingere, vt ab iisdem Archiepiscopis, Episcopis, & locorum ordinariis, omnibus simul vnius Conuentus confessariis confessiones audiendi facultas adimatur, Illustrissimi eiusdem sacræ Congregationis Patres rati vix fieri posse, vt hæc sine scandalo, magnaque animarum pernicie contingant, re maturè perpensa, ad omnem scandali materiam submouendam, & quò magis spirituali piarum mentium consolationi consulatur, statuunt, ac decernunt, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, ad quos confessarios approbandi ius spectat, confessarios regulares alias ab ipsis liberè approbatos, ab audiendis confessionibus suspendere posthac minimè licere, nisi ex noua causa, eaque ad confessiones ipsas pertinente, aut ob non seruatum interdictum, ab ipsis Ordinariis positum. Statuunt insuper, eosdem Archiepiscopos, Episcopos, locorumque Ordinarios confessiones audiendi facultatem omnibus simul vnius Conuentus regularibus confessariis, eadem sacra Congregatione inconsulta, nullo pacto adimere posse. Quod quidem decretum, vt iidem Illustrissimi Patres opportunum, & necessarium duxerunt, ita inuiolabiliter iubent obseruari. Romæ 20. Nouemb. 1615. A. Mar. Episcop. Hostien. Card. Gallus. V. Theatin. Secr.* Quòd si, his non obstantibus aliqui Episcopi Regulares confessarios absque causa ad sacramentum pertinente, vel omnes simul suspendant. Puto, quòd non teneantur obedire, sed possunt sine scrupulo pergere in confessionibus audiendis iuxta facultatem sibi traditam in 1. approbatione, maiori enim semper parendum. Nec indigent noua approbatione Regulares semel expositi ad confessiones audiendas in aliqua Diœcesi, si inde exeant & iterum reuertantur, vt Cruz *lib. 2. de statu Relig. cap. 6. dub. 4. concl. 2.*

46. Si quæras, an licentia data ab Episcopis Regularibus indefinitè ad audiendas sæcularium confessiones, expiret per mortem concedentis.

Respondeo. Quòd non. Ita Suarez *lib. 8. d. l. c. 32. n. 9. & tomo 4. in 3. p. disp. 26. sect. 3. num. 9. & seq.* Nauar. *in cap. Placuit, de pœnit. dist. 6. numer. 161.* Probatur *ex capit. Si super gratia, de off. deleg. in 6. & cap. Is cui nulla, de præb. eodem libro.* Et ratio est, quia istæ licentiæ conceduntur nomine dignitatis, quæ nunquam moritur, vnde, si à successore non reuocentur, semper durant.

*47. Aduerte etiam, quòd per nouam constitutionem Gregorij XV. quæ incipit, *Inscrutabili inf. à, in constit. eius 2. §. 4.* Confessores Monialium, etiam Regularibus subiectarum, debent ab Episcopis approbari; circa quod factæ sunt à sacra Congregatione de mandato Vrbani VIII. diuersæ declarationes, quas habes post dictam constitutionem.

48. Septimo sess. 25. de regularibus, c. 4. *Nullus Regularis absque sui Superioris licentia potest se obsequio alicuius loci, vel personæ mancipare. Nec licet Regularibus à suis Conuentibus recedere, etiam prætextu ad Superiores suos accedendi, nisi ab iisdem missi, aut vocati fuerint.* De his duobus punctis dixi *tom. 1. Religiosi, q. 1.* De primo *c. 23. per totum.* De secundo, *c. 20. versu Ad primum, & c. 26. versu Neque esse Apostatam, vel fugitiuum.*

49. Octauo eadem sess. 25. c. 12. *Censuræ, & interdicta nedum à Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Episcopo, à Regularibus in eorum Ecclesiis publicentur, atque seruentur. Dies etiam festi, quos in Diœcesi sua seruandos idem Episcopus præceperit, ab exemptis omnibus, etiam Regularibus seruentur.*

50. Hic solùm dubitatur, an vigore huius capitis reuocata sint priuilegia Regularibus concessa ad celebrandum tempore interdicti, ianuis apertis. Affirmat Nauarrus *in Manuali, c. 27. num. 190. & lib. 5. consil. de priuil. consil. 6. per totum.* Garzia *de benef. p. 3. c. 2. numer. 260. & p. 5. c. 8. num. 87. vers. Ad octauum* affert declarationem Congregationis respondentis ad Episcopum Abulensem, qui dictam Congregationem super hoc dubium consuluerat, in hæc verba, *Priuilegia, si ante Concilium concessa fuerunt, vtrique reuocata existunt.* Et ratio est, quia Concilium *c. vlt. dicta sess.* reuocat omnia priuilegia, etiam maris magni, quæ sunt contrà statuta in *dicta sess.*

51. Negant tamen esse prædicta priuilegia reuocata in diebus festiuis suarum respectiuè Religionum, & eorum octauis, & in Missis nouis per dictum statutum Concilij Henriq. *lib. 13. cap. 48. §. 1.* Rodriguez *in bull. Cruciata, §. 5. n. 14. & in addit. num. 13. & 35. & tom. 2. quæst. regul. q. 112. art. 1.* Saytus *lib. 5. de censuris, c. 13. num. 24.* Bartholomæus Medina *lib. 1. instruct. c. 11. §. 13. dub. 2.* Miranda *tom. 2. Manualis, q. 37. art. 12.* A Sotboin *comp. verb. Interdictum tertiò, versu Quò ad primum pag. 287.* Peregrinus *in comp. priuil. cler. regul. tit.*

Interdictum, *in schol. versu Secundò sciendum est.* Crux *lib. 2. de statu Relig cap. 7. concl. 2. dub. 2.* Barbos. *de potest. Epis. p. 3. alleg.* 105. *num.* 44. Et extat declaratio ad hoc Pij V. infrà *in const. eius* 7. §. 7. quæ non est reuocata per reductionem illius ad terminos Concilij Tridentini, quia istud priuilegium non est contra Concilium, quod solum intendit reuocare illa priuilegia, quæ habebant milites Ierosolymitani, quibus ad nulla seruanda interdicta tenebantur: Et etiam priuilegia nobis à Leone X. concessa infrà *in eius constitut.* 11. quibus ad seruanda interdicta ordinaria auctoritate posita nullo modo tenebamur. Ita Medina Miranda, A Sorbo, Peregrinus *locis citatis*. Et reddit omnino hanc sententiam certam constitutio Clementis VIII. quam refert Rodriguez *loc. cit. art.* 2. vbi approbat priuilegia, quòd fratres Minores possint tempore interdicti, quacumque etiam Apostolica auctoritate appositi, celebrare festa sanctorum suæ Religionis, & de nouo concedit, vt possint dictis priuilegijs vti in festo S. Didaci, & Portiunculæ. Propter quam constitutionem in hanc etiam sententiam inclinat Garzia *p. 3. de benef. c. 2. num.* 280. Et quod dictum est, & dicetur de interdicto, intellige etiam de cessatione à diuinis, vt Rodriguez *dicto art. 2. & in bulla Cruciata*, §. 5. *& num.* 15. & Guttierrez *lib. 1. can. q. cap.* 10. cum multis, quos ibi citat, *num.* 4. & hoc propter identitatem rationis. Vide Henriq. *lib. 13. cap. 53. num. 3. & in comm.* vbi affert ad hoc priuilegium Leonis X. concessum Minoribus. Vide eundem *num. 6. & cap.* 48.

52. Possunt etiam Regulares tempore interdicti, & cessationis à diuinis quacumque auctoritate, etiam Apostolica positorum, solemniter celebrare diuina ianuis apertis, & pulsatis campanis (nominatim interdictis, & excommunicatis exclusis) in festis Conceptionis, Visitationis, & Natiuitatis B. Mariæ Virginis, & in Natiuitate S. Ioannis Baptistæ, & nos Minimi etiam in festo S. Michaëlis Archangeli, eo quia est festum nostræ Religionis, & in festis sanctorum, sub quorum inuocationibus sunt Ecclesiæ dedicatæ, seu quorum corpora in Ecclesijs respectiuè recondita sunt. Possunt etiam dicto tempore diuina celebrare in hebdomada sancta, & Resurrectionis Dominicæ festiuitatibus, & per octauas earundem omnium supradictarum festiuitatum, necnon quoties Religiosi, & Moniales professionem emiserint, aut primam missam celebrauerint, vel humana cadauera Ecclesiasticæ sepulturæ tradi contigerit, dummodo ipsi interdicto causam non dederint, nec eis specialiter interdici contigerit. Ità concessit Leo X. vt refert Casarub. *in comp. verbo Interdictum* 2. *n.* 10.

53. Possunt etiam Regulares tempore dicti interdicti generalis, siue specialis, aut quo cessatur à diuinis, eligere sex personas inter viros, & mulieres successiuè, quæ in dicto Monasterio possint missas, & diuina officia audire, & etiam ibidem sacramenta Ecclesiastica recipere, & si aliqua ipsarum sex personarum interim mori contigerit, valeat in Ecclesiastica sepoltura sepeliri, tamen sine solemnitate, dummodò fratres, vel aliqua ipsarum sex personarum interdicto, aut cessationi à diuinis causam non dederint, & ipsum interdictum non sit positum, vel confirmatum auctoritate Apostolica. Ità refert Casarubius *in comp. verb. Interdictum* 1. *n.* 23. concessisse Nicolaum V. Et per priuilegium Nicolai Franchi Legati de latere possunt admittere quindecim personas quæ interdicto causam non dederint, Ità idem Casarubius *verbo Interdictum*, 1. *numero* 23. *&* 24.

54. Noto etiam, quòd omnia, quæ nobis sunt concessa tempore interdicti generalis, ea omnia in speciali interdicto intelliguntur esse concessa per priuilegium Iulij II. concessum Augustiniensibus. Refert idem Casarubius *loc. cit. num.* 14. Et notant ibi Casarubius, & Sorbus *verbo Interdictum* 3. *versu Decimo Iulius*, quòd ista est magna concessio, & ideò valde notanda. Nam quando secundùm ius commune suspenditur interdictum in quibusdam diebus, non suspenditur pro Ecclesijs, vel personis particulariter interdictis, adeò, vt si in illis celebrarent, essent irregulares, & tamen secundùm istam concessionem in talibus locis specialiter interdictis poterit celebrari, & illa omnia agi, quæ poterant in interdicto generali, sed personæ specialiter interdictæ minimè hoc possent facere, neque alij coram illis.

55. Noto etiam, quòd ianuis clausis, & submissa voce tempore interdicti, etiam Apostolica auctoritate positi possumus; non pulsatis campanis, & exclusis excommunicatis ac interdictis, Missas, & diuina officia celebrare, non solùm in nostris Ecclesijs, sed etiam in alijs Ecclesijs, & deuotis locis, tàm in itinere, quàm alibi, admissis socijs, & fratribus nostris: Ità habetur *in cap. Alma mater*, §. *Adijcimus, de sent. excomm. in* 6. intellige tamen hoc ius commune, modò Ecclesiæ, in quibus dicta officia diuina celebranda sunt, non sint specialiter interdictæ, vt notat Glossa *d. cap. verbo Ecclesijs*, nam alioqui per priuilegium cit. *n.* 54. possunt etiam ibi. Et concessit Leo X. in bulla, quæ incipit, *Et si in priuilegijs*, quæ ponitur infrà *in Leone X. constit. eius* 32. Item idem concessit Iulius II. *in constit. eius* 2. §. 23. *infrà*. Et quòd possimus admittere famulos, procuratores, & operarios, concessit Alexander IV. *infrà in Alexand. IV. constit.* 4.

56. Tandem quo modo tempore interdicti gerere se debeant Regulares, quos possunt admittere ad diuina, quos debeant reijcere, vide A Sorbo *in comp. verbo Interdictum* 3. *versu Primò statim atque sciant, pag.* 387. *per multa*. Miranda *tomo* 2. *Manualis, q.* 38. *art.* 12. & Cruz *lib.* 1. *de stat. Rel. cap.* 7. *dub.* 2.

57. Noto eadem sess. 25. c. 13. *Exempti omnes tam Clerici sæculares, quam Regulares quicumque etiam Monachi, ad publicas processiones vocati accedere compellantur, ijs tantum exceptis, qui in strictiori clausura perpetuò viuunt.* Sed an debeant vocari personaliter per Clericos, an sufficiat per edictum, neminem hucusque vidi tractantem, puto tamen personaliter, etiam ad consuetas; tum quia quando Trid. vult, vt sufficiat vocatio per edictum, id dicit expressè, vt patet, *sess.* 24. *de reform. c.* 18. ibi *per edictum etiam publicum vocentur*, tum quia edicta, vt plurimum à Regularib. non leguntur; & cum determinare horam processionum ad Episcopum pertineat, si Regulares de ea informari non sint, non poterunt hora statuta comparere, sed cogentur sæpius cum maximo illorum incommodo, & processionis perturbatione anticipare, vel tardare, & ita seruatur *in praxi in isto Archiepiscopatu Genuensi*.

58. Noto primò, quòd circa compositionem præcedentiæ Pius V. *in constit. eius* 7. §. 11. *infra* ita declarauit. *Controuersias autem omnes de præcedentia, qua eadem sess. 25. capite verò 13. per Episcopum terminari mandantur, non nisi durantes per illum dirimi, finitas autem nullo modo innouari posse statuimus.* Vide quæ dico 1. *p. Ritualis, notab.* 4. Quomodo autem has controuersias tollat Episcopus, quando ex improuiso oriuntur, nimirum controuertentes expellendo, si de iore eorum non possit in continenti constare. Vide Rodrig. *tom.* 3. *q. reg. q.* 37. *art.* 3.

59. Noto 2. declarationem huius e. factam ab eodem met Pio V. *infrà in eius constitutione* 7. §. 19. vbi determinat, quæ sint processiones publicæ, ad quas vocati tenentur ire Regulares, & qui Conuentus ad eas compelli possint, quæ est in suo robore, vt dico ibi ex sententia Congregationis. Vide *constit.* 26. *Leonis X.* §. 5.

60. Noto 4. circa id, quod dicit Concilium, *Regulares posse compelli, &c.* quòd non possunt compelli censuris

censuris Ecclesiasticis, vt dixi 1. *part. Ritualis, not.* 3. etiamsi citati non compareant, & vocati non veniant, & Doctoribus ibi pro hac sententia adductis addo Henriquez *lib.* 7. *de indulg. cap.* 25. *num.* 7. Gambara *de officio legati lib.* 8 *cap. vlt. num.* 77. Rodriquez *tom.* 3. *quest. regul. quast.* 36 *art.* 1. Scottia in *Bullis selectis theoremata* 393. *versu Si autem.* Quòd si censuras contra eos ferant, hæ sunt nullius valoris defectu iurisdictionis, vt Sanchez *lib.* 7. *de matrimon. disput.* 33. *numero* 23. alios citans. Poterunt ergo aliis pœnis Episcopi eos compellere, iuxta *cap.* 1. *de priuil. in* 6. Nimirum deponendo Superiores, & contradictores incarcerando, à dicto Monasterio amouendo, priuando prædicatione verbi Dei, seu etiam pœnis pecuniariis. Vide Glossam *dicto capite* 1. *de priuil. versu Quantum ad ista.*

61. Decimo *eadem sess.* 25. *de regul. cap.* 14. ita habetur. *Regularis non subditus Episcopo, qui intra claustra Monasterij degit, & extra ea ita notorie deliquerit, vt populo scandalo sit, Episcopo instante, à suo superiore intra tempus ab Episcopo præfigendum seuerè puniatur, ac de punitione Episcopum certiorem faciat. Sin minus à suo Superiore officio priuetur, & delinquens ab Episcopo puniri possit.*

62. Noto 1. quòd Ordinarius non potest nec per se, nec per alios procedere ad capturam Religiosorum, *Clem. vnica*, §. 1. *de excessibus prel.* Neque etiam potest capere Nouitios, quia gaudent omnibus priuilegiis professorum, *cap. Religioso, de sent. excom. in* 6. Et nouissimè Paulus V. concessit Congregationi S Mariæ Fuliensis per suam constit. *In supereminentis*, apud Cherub. *tom.* 3. *bull. in Paulo* 5. *sub const. eius* 23. *pag.* 206. Nisi Nouitius ob delictum in sæculo factum præsumatur in fraudem intrasse Religionem. Henriq. *l.* 7. *indul. cap.* 25. *n.* 7. Quòd si capiat, incidit in excommunicationem, *c.* 1. *Si quis suadente diabolo* 17. *q.* 4. quia afficit indebitè iniuria captum; Henriquez *loco. cit.* A Sorbo *in comp. verbo Conuenire*, vbi pro hac sententia citat Paulum Fuscum, *l.* 2. *de visit. c.* 20. *n.* 20. Et quò ad capturam Nouitij Nauarrus *in sum. cap.* 27. *n.* 79. *versu Octaua declaratio.* Facit *caput Si Clericus, de sent. excomm. in* 6. à contrario sensu ibi *subiectos* Et aduerte, quòd non solùm Episcopus capi faciens Religiosum etiam nouitium, incurrit dictam excommunicationem sed etiam ipsi capientes. Habetur *dicto capite Si clericus.*

63. Noto 2. quòd quando Regulares ita notoriè delinquunt, vt populo scandalo sint, debet Episcopi locorum scribere suis Superioribus præfigendo illis terminum ad eos puniendos iuxta supra dicti Concilij Tridentini decretum. Quòd tamen non dat illis facultatem dictos Regulares etiam notoriè delinquentes faciendi capi. Vnde si capi faciant, excedunt potestatem sibi traditam, & maximam iniuriam irrogant delinquenti, ex illorum iurisdictione exempto, & per consequens incidunt in excommunicationem *cap. Si quis suadente*, vt dixi. Et verè maius quandoque scandalum oritur ex incarceratione delinquentis, quàm ex ipsa perpetratione delicti, occurrit enim aliquando, quòd Regularis ingreditur V. G. in domum alicuius meretricis incognitus, & à nemine visus, aut solùm ab vno, vel duobus; qui si in ea domo captus per Ciuitatem in carcerem ducatur, magnum generabit scandalum, & magnam maculam suæ Religioni inuret, quæ tamen vitata fuissent, si dictus ductus in carcerem non fuisset. Vndè nescio quomodo aliqui Episcopi indiscretè zelum animarum sibi non creditarum zelantes, seu zelare, videri volentes, saluent conscientias suas, certos ministros ad id deputatos tenentes quos speculatores vocant, eisque menstruum salarium soluentes, vt quò, & qua vadant, & transeant Religiosi, diligenter notent, illisque referant, & si in domum aliquam suspectam ingrediantur, statim capi faciant. Hoc certè non præcepit ille, qui peccantes admonendos statuit. Neque Tridentinum, quod solùm præcipit, quòd quando aliquis Regularis ita notoriè delinquit, vt populo, non duobus, vel tribus, sed populo, idest saltem decem, iuxta Glossam *in cap. Nullus, de electione*, scandalo sit, iostante Episcopo, non capi faciente, à superiori regulari, non ab ipso Episcopo, puniatur. Vbi aduerte, quòd ad hoc, vt Episcopos teneatur instare, vt delinquens puniatur, debet delictum esse notorium, & debet causare scandalum in populo; quibus conditionibus concurrentibus, tenetur Episcopus instare, vt delinquens puniatur, non concurrentibus, non tenetur, quod si facit, iurisdictionem sibi vsurpat. Potest quidem, si delictum sit secretum, vel non notorium, neque scandalosum populo, secretò admonere delinquentem, vt se corrigat, quòd si se non correxerit, bis, aut ter monitus, iuxta Euangelicum præceptum de correctione fraterna, Superiorem delinquentis admonere, vt tali delinquenti occasionem delinquendi auferat, & pro modo culpæ puniat, salua semper, quantum fieri potest, delinquentis secretò fama.

64. Si autem delictum esset ita enorme & notorium, ac scandalosum, & timeretur de fuga delinquentis, tunc puto, quòd posset Episcopus delinquentem capere, & intra 20. horas ad suum Superiorem remittere, etiamsi ipse Superior remittere non instaret. Panor. *in cap. fin. de foro compet. n.* 11. *& cap. Cum non ab homine, & ind n.* 2. Tambur. *de iur. Abbat. tom.* 1. *disp.* 15. *quest.* 7. *num.* 41. Felinus *ibidem, num.* 7. Nauarrus *in summ. cap.* 27. *num.* 85. Henriquez *lib.* 7. *de indul. cap.* 25. *num.* 7. *in comm. litera* Q. Colligitur ex Trid. *sess.* 25. *de reform. capite* 6, ibi *in criminibus tamen ex incontinentia prouenientibus, de qua in decreto de concubinariis, & in atrocioribus delictis, &c. vbi de fuga timetur, ne iudicium eludatur, & ideo opus sit personali detentione, &c.* Quòd autem debeat intra 20. horas ad proprium Superiorem remittere, Panorm *loco cit. numero* 9 & Glossa *in cap. Cum non ab homine, de Iudiciis, verbo Deprehensus*, Et ratio huius doctrinæ est, quia sicut potest capi Clericus à sæcularibus deprehensus in manifesto facinore, quando crimen est atrox, & timetur de fuga, & duci ad suum Superiorem, vt docet Panorm. *loc. cit. & cap. Vt fame, de sent. excom. num.* 6. & Guido Papæ *quest.* 71. Ita etiam potest capi ab Episcopo Religiosus deprehensus in atroci delicto notorio, & scandaloso, cum timetur de fuga. Cum autem non timetur de fuga, vel delinquens præstat sufficientem cautionem, de se Superiori suo præsentando, neque etiam in flagranti potest capi, *cap. si Clericus, de sent. excomm.* Neque potest capi, si non timetur de fuga, vt ducatur ad suum Superiorem, & hoc vt possit probari, eum deliquisse, nam si delictum est notorium, vt supponimus facilè probabitur, absque eo quòd capiatur, & cum maiore scandalo captus ducatur per Ciuitatem Adde, quòd ministrorum relatio magnam facit fidem.

65. Fauet valde hic dictis quædam declaratio sacræ Congregationis, in qua *dubitatum fuit, an quando Regularis extra claustra notoriè delinquit, detinendus sit in carceribus Episcopi, donec processus in Curia episcopali conficiatur, eoque compilato, instante Superiore, remittendus sit, vna cum processu puniendus; an potius, non expectata compilatione processus, statim remittendus sit ad Superiorem vnacum probationibus, quæ habentur. Congregatio respondit, statim remittendum esse, etiam posito, quòd Superior nullam instantiam faceret.* Vnde collige, quòd Regularis deprehensus in atroci delicto, eoque notorio, & scandaloso, si timetur, ne fugam arripiendo pœnas effugiat; potest ab Episcopo capi per suos ministros, & rectà duci ad suum Superiorem, cum instantia vt intra certum tempus eum puniat, vt definit

fuit Concilium. In aliis autem casibus minus grauibus, & minus scandalosis: vel vbi non timetur de fuga: vel quando delinquens de non fugiendo præstat sufficientem cautionem, non potest Episcopus Regularem etiam in flagranti repertum capere, quòd si capiat, incidit in excomm. capitis *Si quis suadente*, vt dixi *n.* 62. *&* 63.

66. Aduerte etiam, quòd in loco, vbi non esset iudex Ecclesiasticus, posset Iudex sæcularis, eo modo, & illis causis, quibus diximus, eum posse capere Iudicem Ecclesiasticum, capi facere Regularem in flagranti crimine, absque metu incurrendi aliquam excommunicationem, dummodo eum statim remitteret Iudici Ecclesiastico, vel Prælato delinquentis. Ita Guid. Papæ, *quæst.* 73. qui dicit, ita stylari in omnibus Curiis. Quod si non sumant in flagranti, sed post delictum; vel non statim remittant Iudici Ecclesiastico, incurrunt in excommunicationem *cap. Si quis suadente*. Quicquid aliqui dicant, putantes tales incurrere solùm excommunicationem *cap. Nuper, de sent. excomm.* quam dicunt non esse reseruatam. Sed meo videri falluntur, nam dicto capite nulla fertur excommunicatio, sed solùm declaratur, capientem Clericum, & carceribus eum detinentem, etiam sine alia corporali læsione, esse excommunicatum per solam iniuriam, quæ fit Statui Ecclesiastico, excommunicatione intellige *cap. Si quis suadente*.

67. Sed quid, si Clericus, seu Regularis ducatur captus per Officiales temporales, vel Ecclesiasticos extra casum permissum, poterit-ne iis impunè auferri? Respondeo, quòd sic, quia dicti Officiales illicitum quid tunc faciunt. Ita Guid. Papæ *q.* 73. *n.* 2. *qui pro hoc* allegat legem primam, §. *Hac verba, ff. Ne vis fiat ei, qui.* Et vim iniustè patienti auxilium ferre possumus semper, & aliquando tenemur.

68. Aduerte etiam, quòd pro obseruantia huius capitis Concilij, quod habemus præ manibus, extat constitutio Clementis VIII. quam refert Rodriquez *tomo* 2. *quæst. regul. quæst.* 2. *art.* 6. & Cherubinus *tom.* 3. *Bull. in Clem* 8. *constit. eius* 39 *pag.* 53. quæ sic habet. *Suscepti muneris*, & infra. *Motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac de Apostolica potestatis plenitudine hac nostra perpetuo valitura constitutione, omnibus, & singulis cuiuscunque Ordinis, & Instituti Regularium etiam Mendicantium Superioribus, in virtute sancta obedientia, & sub indignationis nostra, ac priuationis dignitatum, & officiorum per eos obtentorum, eo ipso incurrendis, pœnis, præcipimus, & mandamus, vt iuxta prædictum decretum Concilij Triden. quilibet ipsorum Regularem non subditum Episcopo intra claustra degentem, & extra ea ita notoriè delinquentem, vt populo scandalo sit, Episcopo instante, intra tempus ab Episcopo præfigendum, seuerè puniat, ac de punitione Episcopum certiorem faciat. & alias decretum ipsum in omnibus, & per omnia exequatur. Cæterum si Superior in Regularem delinquentem non animaduerterit: Quinimmo si illum impunitum ad alia suorum Ordinum loca extra Episcopi Diœcesim, vt præfertur, transmiserit, volumus, & simili motu, atque auctoritate decernimus, vt superior, instante Episcopo, intra terminum ab Episcopo præfigendum, & sub eisdem indignationis nostra, ac priuationis dignitatum, & officiorum obtentorum, necnon & sub inhabilitatis ad illa & alia in posterum obtinenda, ac vlterius priuationis actiua, & passiua vocis, ad quas a nemine, præterquam à nobis, & à Romano Pontifice pro tempore existente restitui possit, ipso facto similiter incurrendis pœnis, ipsum Regularem delinquentem à loco, ad quem transmissus fuit, reuocare, & in quo deliquit constituere, aut sistere teneatur. Quòd si hoc etiam facere prætermiserit, per præsentes, similiter statuimus, vt Ordinarius loci, ad quem Regularis delinquens transmissus fuerit, super præmissis ab ipso Ordinario loci, in quo deliquit, similiter requisitus, vel alias de illius delicto informatus, vt præfertur, tanquam Sedis Apostolica delegatus, prædictum Concilij decretum omnino exequi, & in Regularem delinquentem seuerè animaduertere possit, & debeat.*

69. Aduerte, quòd quando Superior fratris delinquentis notoriè, & cum scandalo, transmittit de industria illum in alium locum, vt impunitus remaneat, procedit ista constitutio. Non autem quando transmittit illum in pœnam delicti commissi quæ aliquando est grauissima, vel quia sic conuenit bono regimini, quia in loco delicti non potest sine maiori scandalo puniri, Ita Rodriquez *tom.* 2. *quæst. reg. quæst.* 2. *art.* 6.

70. Aduerte etiam, hanc, constitutionem, & decretum Concilij procedere, quando Episcopus instat Prælatum regulari, vt ad punitionem delinquentis procedat. Verbum autem, instare, plures flagitationes significat, vt liquet *ex lege* 32. 33. *ff. de vsur.* atque ita non sufficit si Episcopus petat vna vice à Prælato, vt delinquentem puniat, sed debet instare, idest petere saltem tribus vicibus, vt sic de negligentia eius constando, possit Episcopus ad executionem Concilij, & huius constitutionis procedere.

71. Vndecimò *eadem sess.* 25. *cap.* 16. *de Reg.* statuitur 1. *Quod nulla renuntiatio, aut obligatio facta à Nouitio valeat, nisi cum licentia Episcopi, vel eius Vicarij fiat intra duos menses proximos ante professionem. Quòd Nouitios finito tempore Nouitiatus, Superiores, quos habiles inuenerint, ad professionem admittant, aut ex Monasterio eiiciant.* 3. *Quòd ante professionem Nouitij, excepto victu, & vestitu illius temporis, quo in probatione fuerit, quocumque prætextu à parentibus, vel propinquis, aut curatoribus eius Monasterio aliquid ex bonis eiusdem non tribuatur.*

72. Circa hoc tertium notaui aliqua *tom.* 1. *Religiosi, quæst.* 5. *cap.* 29. *concl.* 3. *vsque ad concl.* 4. quæ ibi videri possunt.

73. Circa 1. noto 1. quòd renuntiatio facta à Nouitio ante ingressum Religionis, intuitu tamen ingressus, valet. Ita Vega 1. *p. sum. cap.* 91. *casu* 4. *&* *p.* 2. *cap.* 50. *casu* 3. Passarell. *in priu. Minim. notab.* 37. *ad finem*, vbi refert declarationem factæ Congregationis pro hac sententia, factam anno MDLXXIII. *die* 22. *Octobris*, quam etiam refert Quaranta *in sum. bull. verbo Monasteria, & conuentus, &c. pag. mihi* 437. in hæc verba, *Congregatio Concilij censuit, decretum Concilij Trident. sess.* 25. *de regul. capit.* 16. *non habere locum in renuntiatione facta ante susceptionem habitus.* Quam declarationem refert, ac profitetur editam fuisse super precibus Monasterij S. Agnetis Ciuitatis Mediolani, Menoch. *in addit. ad lib.* 2. *de arb. ind casu* 436. *sub. n.* 3. Gutierrez *can. q. l.* 2. *c.* 1. *n* 31. Hanc sententiam defendit etiam Sanch. *lib.* 7. *in decal. c.* 5. *n.* 4. & in praxi eam obseruari video, licet alij apud ipsum Sanchez *loc. cit. num.* 3. contrarium senserint.

74. Noto 2. nomine renuntiationis, atque obligationis non intelligi testamentum, neque donationem causa mortis, neque codicillum, atque, ita potest à Nouitio fieri testamentum, &c. quandocumque voluerint, non seruatis iis solemnitatibus à Concilio requisitis. Quia testamentum non est renuntiatio neque obligatio, nec finis huius decreti, nempè ne ea ratione Nouitius retardetur à libero egressu, vt egrediens non potiatus bonis omnibus antea possessis, quia supradicta nullam inducunt obligationem super illum Nouitium, cùm ante professionem possint ab illo, quandocumque voluerit, reuocari. Vega 2. *p. sum. cap.* 50. *casu* 3. *notab.* 2. Rodriq. *tom.* 2. *q. reg. q.* 47. *art.* 10. Sanch. *lib.* 7. *in decalog. c.* 5. *n.* 13. Molina *tom.* 5. *de iust. disp.* 149. *col. versu Quòd ad Ecclesiam attinet.* Secùs autem dicendum est de donatione inter viuos, quia est irreuocabilis. Sanch. *loc. cit. num.* 14. *&* *num.* 20.

75. Itaque comprehenduntur in hoc decreto omnes

contractus,

contractus, in quibus Nouitius spoliat se aliqua parte notabili hæreditatis suæ absque spe eam amplius recuperandi, vt donatio, renuntiatio, alienatio. Illi autem contractus, in quibus Nouitius nihil deperdit de suo, vt sunt emptio, venditio, permutatio, locatio, & similes, non comprehenduntur hoc decreto; atque ita possunt à Nouitio, quandocumque voluerit, fieri; Et ratio colligitur ex fine huius decreti, qui est, ne Nouitius patrimonio suo destitutus, hac occasione cogatur profiteri. Atque ita illi omnes contractus in damnum patrimonij Nouitij prohibentur fieri nisi sub hac forma. Sanch. *loc. cit. num* 32. An autem comprehendatur hoc decreto renuntiatio beneficij Ecclesiastici, & officiorum publicorum temporalium, & aliæ renuntiationes, videatur Sanchez *loc. cit. à num* 36. *ad* 47.

76. Noto 3. quòd si Nouitius, postquam fecit suam renuntiationem in fauorem Monasterij, vel alterius intra duos menses, & de licentia Episcopi, è viuis decedat, illa renuntiatio non valet, etiamsi expressè non reuocauerit, quia Tridentinum expressè dicit, quòd dicta renuntiatio non intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione, Ita Passatellus *in notab. priuil. notab.* 37. §. *Si autem*, vbi ait, ita sibi responsum fuisse à sacra Congregatione Cardinalium. Vega *p.* 1. *sum. cap.* 9. *in casu* 4. A Sorbo *in com. priuil. verbo Nouitius, in fine, versu Et hinc deinde, pag. mihi* 438. Sanch. 7. *in decal. c.* 5. *num* 49. Atque ita tunc, nisi priùs testamentum fecerit, in bonis Nouitij succedent, qui veniunt ab intestato, non obstante tali renuntiatione, quæ est irrita, vt diximus.

77. Sedquid, si per priuilegium aliquod vicinus morti, sed ante annum, faceret professionem, valida-ne esset renuntiatio cum debitis solemnitatibus facta? Puto, quod sic: per ea, quæ dico infra *in constit.* 8. *Pij V. num.* 11

78. Si quæras vlteriùs, an renuntiatio ad fauorem Monasterij, vel alterius facta, & professione secuta quidem, sed inualida, valeat? Putat non valere Sanch. *loc. cit. num.* 55. qui Trident. petit sequi professionem, & verba intelligenda sunt cum effectu, & peindè est actum non fieri, ac esse nullum. *l. Duo sunt Titij ff. de testam. tutel.*

79. Noto 4. quòd renuntiatio facta à Nouitio cum debitis solemnitatibus, si ipse Nouitius velit in Religione perseuerare, & suo tempore profiteri, non potest ab eo reuocari quia ideò requiruntur illæ solemnitates, vt iis adhibitis, reuocari non possit Sanch. *loc. cit. num.* 58; Potest tamen facere testamentum quod in casu mortis: dictorum duorum mensium sortiatur effectum, derogando dictæ renuntiationi, vt Sanchez *n.* 50.

80. Noto 6. quòd si facta renuntiatione cum debitis solemnitatibus, & aliquo casu deindè professio dilatetur, adhuc tamen renuntiatio valida erit, vt declarauit sacra Congregatio 17. *Octobris, anno* 1594. & habet Sanchez *loc. cit. num.* 82.

81. Circa 2. noto quòd potest superior Prælatus ex causa professionem differre. Nauar. *tom.* 1. *consil. lib.* 3. *de regul. consil.* 30. *num.* 1 Passarell. *in priuil. Minim in can. Concil. Trident. canon.* 52. *pag.* 464 vbi hæc habet. *Notandum, quòd relatione per Sanctiss. Congregationem Concilij S. D. Pio V. facta Sanctitas sua dixit, Concilium dicti cap.* 16 *procedere tantùm in illis Nouitiis, quos Superiores lapso tempore Nouitiatus, habiles inuenerint, non in his, quos inhabiles inuenerint, vt sunt illi, qui non bene adhuc didicerunt, & ideòquòd attinet ad istos, Sanctitas sua concessit, quod Superiores possint prolongare illorum professionem, dummodò habeant spem probabilem, quòd efficiantur habiles infra sex menses. Ita mihi consulenti è Neapoli die* 8 *Nouembris MDLXIX. responderunt Illustriss. Cardinales interpretes Sanctissimæ Congregationis Concilij.* Hæc Passarellus.

82. Noto vlteriùs, quòd si inhabilitas ex infirmitate proueniat, poterit prorogari tempus, donec duret probabilis spes recuperandæ sanitatis. Et vniuersaliter tempus ad emittendam professionem posse arbitrio Superioris prorogari, censuit Congr. Conc. 31. *Maij anno* 1597.

83. Cætera loca, quibus subduntur Regulares Episcopis, vel explicata sunt in superioribus, vel explicabuntur in sequentibus. Hic ea solùm, quæ nobis visa fuit principaliora, & frequentia. Qui omnia loca Trid. *de regul.* loquentia videre cupit in vnum congesta, adeat Azor. *tom.* 1. *instit. moral. lib.* 12. *cap.* 18. Henriquez *lib.* 7. *de indulg. cap.* 24. *num.* 2. *in comm. lit.* Passarellum *in priuil. Minimorum, pag.* 450. Vgolinum *de potest. Episc. cap.* 20. *cum* §. *sequent.* Hæc etiam collegit Canart. *cum annotatione priuilegiorum reuocatorum in comp. priu. Minim. pag.* 82. Et loca Trid. ad omnes exemptos pertinentia collegit Quaranta *in sum. bull. verbo Exemptio*, & Confectus *in comp. priuil. Mendic. in summar. tit.* 2. *cap.* 1.

CONSTITVTIO III.

Quâ concedit, vt quælibet vtriusque sexus personæ sepeliri possint cum habitu nostro, & excommunicat Curatos, & alios contradicentes, sibi absolutionem reseruando.

SIXTVS EPISCOPVS SERVVS seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.



Postolicæ mansuetudinis exempla nos admonent, vt fidelium personarum deuotionem, animarumque salutem procuremus. Et quæ pro sacræ Religionis B. Francisci honore processisse concernimus, vt illibata persistant, robur Apostolicæ confirmationis à nobis petitum fauorabiliter impendamus. Proœmium.

§. 1. *Sanè pro parte dilectorum filiorum Zanetti de Vtino generalis Ministri, & Capituli Ordinis fratrum Minorum in Ciuitate nostra Ferrariensi præterito festo Pentecostes celebrati, nobis exhibita petitio continebat, quòd licèt ab exordio dictæ Religionis deuota inualuerit consuetudo, videlicet quòd multi Reges; & Principes, nobiles, & populares in mortis articulo requisierint, & sæpe requirant in habitu dictæ Religionis mori, & sepeliri, & veluti fratres patienter vsque ad locum sepulturæ deferri, in cuius deuotionis fauorem multi Romani Pontifices eandem deuotionem approbantes, quasdam sic sepeliri eligentibus indulgentias concesserunt.* Expositio.

§. 11. *Nihilominus nonnulli Curati, & Ecclesiarum Rectores in vltramontanis, & aliis regionibus ipsam deuocionem irridentes, & penitus extinguere cupientes, suos Parochianos contumeliosè impediunt, ne sic in extremis voluntatibus sepeliri eligant, nolentes corpora de domibus defunctorum leuare, nec ad eorum Ecclesias funera sic composita cum habitu, nisi linteo, vel pallio cooperta deferri permittunt, nec etiam per vicos ad locum sepulturæ deportari in scandalum plurimorum, & præiudicium Religionis, & præfatæ deuotionis.* Impediebant aliqui Curati Christi fideles sepeliri cum habitu fratrum.

tionis. Quare pro parte Generalis, & Capituli prædictorum nobis fuit humiliter supplicatum, vt super hoc opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

Concedit & statuit prout in summario.

§. III. Nos igitur eorundem prædecessorum vestigiis inhærentes, omnibus, & singulis vtriusque sexus personis in habitu prædicto sepeliri volentibus, quòd id eis liceat, sine tamen alicuius præiudicio, Apostolica auctoritate perpetuò indulgemus, districtiùs inhibentes Prælatis, & Rectoribus Ecclesiarum sub excommunicationis pœna, quam, canonica monitione præmissa, contrafacientes incurrant, & à qua per alium, quàm per Romanum Pontificem, & in mortis articulo dumtaxat, absolui non possint, ne taliter sepeliri volentibus quouis modo impedimentum afferant, sed permittant, illos patenter ad Ecclesias, & locum sepulturæ in habitu huiusmodi deferri, iure Rectorum parochialium Ecclesiarum, & cuiuslibet alterius in omnibus semper saluo.

Derogat contrariis.

§. IV. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Apponit pœnas contrafacientibus.

§. V. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis, & inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & BB. Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXII. octauo idus Septembris, Pontificatus nostri anno secundo.

CIRCA CONSTITVTIONEM.

1. NOto 1. quòd cum nos Minimi participemus omnia priuilegia cæterorum Mendicantium, vt patet supra *ex const. 2. eiusdem Sixti*, § 4. possimusque omnibus, quæ aliis Ordinibus concessa sunt, mutato nomine illorum quibus sunt concessa, nostrum apponere, vt patet ex *constitut. 1. Iulij II.* §. 35. & §. 14. Et dixi supra *in constit. Pyrrhi, num.* 51. Non incongruè doctissimus P. Passatellus multa huiusmodi in compendium nostrorum priuilegiorum transtulit, hoc ordine seruato, vt prius ponat quæ nobis immediatè, & primariò sunt concessa, deinde quæ mediatè, & secundariò. Quem ordinem seruabimus & nos, & quia optimus est, & quia maior inde facilitas priuilegia inueniendi proueniet nostris Religiosis, qui iam sunt ita assueti.

2. Noto 2. quòd multæ indulgentiæ concessæ sunt morientibus cum habitu nostro, & qui cum eo sepeliri elegerint; Quarum aliquas hic enumerabo. Clemens IV. & Nicolaus IV. talibus concesserunt remissionem tertiæ partis omnium suorum delictorum. Leo X. concessit indulgentiam plenariam morientibus cum nostro habitu, ad quam lucrandam declarauit sufficere habitum petiisse, licet si ante mortem eum non induerit. Ita refert Cæsarub. *in comp. verbo Indulgentia, quò ad sæculares ratione habitus, num. 1. 2 &c.* Refert etiam Rodriquez *tom. 2. quæst. regul. quæst. 76. art.* 10. Quas indulgentias dictus Leo confirmauit per viuæ vocis oraculum apud Rodriquez *in suo bull. in Leone, pag.* 335. de quo testatur Christophorus de Forliuio Cardinalis de Ara cœli.

3. Noto 3. quòd ad hoc vt sæculares morientes cum habitu nostro, vel cum eo sepeliri eligentes, lucrentur prædictas indulgentias, debent dictum habitum recipere à Superioribus Ordinis, puta Generali, & Prouinciali, vel Correctore, qui Superiores recipientibus debent declarare, eos teneri apud dantium Ecclesias sepeliri. Ita determinauit Sixtus IV. *in bulla aurea* quæ est illius 4. §. 9. tradunt etiam Passarellus, *in notab. priuil. notab.* 20. & Rodriquez *tom. 2. q. regul. q. 76. art.* 9.

4. Noto 4. quòd eligentes sepeliri cum habitu nostro debent sepeliri in nostris Ecclesiis, etiamsi alibi sepulturam elegissent, vt patet *ex bulla aurea loc. cit.* possunt tamen cum eodem habitu sepeliri etiam alibi de consensu fratrum quorum cum habitu sepeliri elegerint. Passarellus *loc. cit.* Declarauit Sixtus IV. vt refert Cæsar. *in comp. verbo Sepultura*, §. 12. Immò etiam sine dicto consensu Fratrum Leo X. *in const. eius 26. infra* §. 11.

5. Noto 5. quòd Ioannes XXIII. omnibus Christi fidelibus osculantibus habitum Fratrum Mendicantium quinque annos, & totidem quadragenas de iniunctis pœnitentiis relaxauit, quæ numerata per dies, faciunt 2075. vt refert Cæsarub. *verbo Indulgentia quò ad sæculares 6. n. 9.* & Rodr. *tom. 2. q. reg. q. 76. art.* 10.

§. III.

6. NOto 1. circa illam clausulam *Canonica monitione præmissa*, quòd canonica monitio fit ter. Dicitur autem canonica monitio in singulari, cum sint tres, quia sola vltima dicitur canonica, aliæ autem sunt præambulæ ad illam. Vnde quando requiritur monitio canonica, vt hic, non sufficit vna pro tribus. Nec potest ista monitio fieri Procuratori, nec ad domum, cum sit ad morum correctionem, quæ non potest impleri per substitutum, potest tamen fieri in die festiua. Ita Baldus in *capite fin de vita, & honest. Clericor. numero* 8. & 9.

§. IV.

7. NOto 1. circa illam clausulam *Indignationem Dei, &c*, quòd contrafaciens peccat mortaliter, quia hoc est virtualiter obedientiæ præceptum in virtute Spiritus sancti.

8. Noto 2. quòd, qui contradixerit constitutionibus datis cum ista clausula, potest priuari beneficiis Ecclesiasticis, Felinus *in capite Veniens, de præscript. numero* 1. Tuschus *verbo Indignitionis pœna, conclus.* 91. Idem, est si dicat indignitionem Petri, & Pauli, seu Indignationis nostræ; quod verum est in rebus magni momenti, in parui, pœna erit arbitraria Tuschus *ibidem*.

CONSTITVTIO IV.

Ista est Bulla, quia communiter dicitur aurea, in qua sanctus Pontifex Sixtus confirmat omnia priuilegia iam concessa à se, & suis prædecessoribus Fratribus Minoribus, & Prædicatoribus, & de nouo multa concedit, eisque communicat omnia concessa cæteris Mendicantiũ Ordinibus.

SIXTVS EPISCOPVS SERVVS seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.



Acri Prædicatorum, & Minorum Fratrum Ordines, instar duorum primorum fluminum à cœlestium voluptatum, & amœnitatum paradiso egredientium, sacrosanctæ vniuersalis Ecclesiæ terram, ne mundanorum cupiditatum, & vitiorum calore arescat, Proœmium.

præclara

præclara doctrinæ virtuosorum operum, ac multiplicium meritorum imbribus irrigantes, magis, ac magis illam in dies fructuosam efficiunt. Hi sunt duo Seraphim, qui in sublime contemplationis, & seraphici amoris alis eleuati, à terrenisque rebus abstracti, assiduo diuinarum laudum clamore, & immensorum beneficiorum humano generi à summo opifice Deo exhibitorum declaratione, feruentissimis prædicationibus populos instruendo, & ad cæleste iter dirigendo insistentes, multiplicata talenta eis credita, Domino Deo munda segetis (animarum scilicet redemptoris nostri IESV CHRISTI pretiosi sanguinis effusione redemptarum) copiosos in horrea Sanctæ Ecclesiæ manipulos referunt. Hi sunt duæ tubæ, per quas Dominus præcipit ad pabulum sacri Euangelij vniuersum populum assiduis prædicationibus aduocari, vt in omnem terram exiret sonus eorum, & redderent sibi populum acceptabilem, & bonorum operum sectatorem. Ad prædictorum igitur Prædicatorum, & Minorum fratrum Ordines, quos pro eorum amplissimis meritis, & vberrimis fructibus, quos in Dei Ecclesia continuè afferunt, præ cæteris paterna charitate diligimus, nostræ considerationis intuitum dirigentes, illa eis libenter concedimus, quæ in eis optatæ quietis fructum inducant, & statum eorum faciant pacificum, & tranquillum.

Multa se dicit confirmasse, & concessisse Ordini Prædicatorum, & Minorum.

§. I. Dudùm siquidem, vt Ordinum eorundem professorum statui, & quieti consuleremus, motu proprio nonnullas literas diuersorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum dictis Ordinibus concessas, & in illis contenta approbauimus, & quò ad aliqua declarauimus, ampliauimus, & extendimus, ac nonnulla eis de nouo concessimus, prout in diuersis nostris literis desuper confectis pleniùs continetur.

Motiua huius constitutionis.

§. II. Cùm autem, sicut postmodùm accepimus, per huiusmodi ampliationes, declarationes, extensiones, & concessiones adhuc totali eorundem Ordinum, & illorum professorum quieti plenè, vt expedit, non consulatur, asseraturque à nonnullis, per easdem literas, omnes gratias spirituales, & temporales dictis Ordinibus, & eorum domibus, & fratribus à prædecessoribus nostris concessas, approbatas non fore.

Confirmat priuilegia alias dictis ordinibus concessa.

§. III. Nos attenta meditatione pensantes, quantum vtilitatis ad exaltationem Christianæ fidei, & Euangelicæ veritatis Ordinum prædictorum professores hactenus attulerunt, & afferre valeant, adiuuante Domino, in futurum, ac propterea volentes, vt tenemur, eorum tranquillitati vberius prouidere: motu simili, non ad ipsorum fratrum, & sororum, aut alterius pro eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, & ex certa nostra scientia quascumque literas, & gratias spirituales, & temporales, concessiones & indulgentias, ac peccatorum remissiones in genere, vel in specie fratribus, & sororibus Prædicatorum & Minorum Ordinum, ac domorum eorundem, nec non visitantibus illorum Ecclesias, Capellas, & Oratoria concessas, quarum tenorem, ac si de verbo ad verbum præsentibus insererentur, haberi volumus pro expresse, præsentium tenore approbamus, & robur firmitatis perpetuæ obtinere decernimus, proque potiori cautela Apostolica auctoritate de nouo, iuxta literarum desuper concessarum continentiam, & tenorem concedimus, & largimur.

Concedit indulgentias visitantibus Ecclesias dictorum Ordinum certis diebus.

§. IV. Et vt Ecclesiæ, domus, & Oratoria Prædicatorum, & Minorum Ordinum, prædictorum per vniuersum orbem constructa, & ædificatæ, & quæ construi, & ædificari contigerit in futurum, congua deuotione, & veneratione à Christifidelibus visitentur ac quæ imperfecta sunt perficiantur, & ad complementum deducantur, & completa conseruentur, & manutoneantur, nec non paramentis, & aliis ad diuinum cultum inibi necessariis debitè ornentur; ipsique Christi fideles ad dictas Ecclesias eo libentiùs confluant, & ad præmissa manus promptius porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem dono cœlestis gratiæ conspexerint se refectos. De omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, vniuersis, & singulis Christi fidelibus vtriusque sexus verè pœnitentibus, & confessis, qui Ecclesias, & Oratoria domorum fratrum prædictorum in singulis Sancti Dominici, & Sancti Francisci, centum annos, & totidem quadragenas, & in SS. Petri martyris, Thomæ de Aquino, Vincentij, & Sanctæ Catharinæ de Senis, ac SS. Antonij de Padua, & Ludouici Episcopi, Bernardini, & Sanctæ Claræ, & Beatæ Elisabeth festiuitatum diebus, à primis vesperis, & per totam diem ipsarum festiuitatum quinquaginta annos, & totidem quadragenas, deuotè visitauerint annuatim, & manus ad præmissa, aut eorum aliqua porrexerint adiutrices, de iniunctis eis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus, præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Quòd fratres possint semel in vita, & in articulo mortis confessarium sibi eligere, qui eos &c.

§. V. Et vt prædictorum Prædicatorum, & Minorum Ordinum fratres tantò feruentiùs diuinis beneplacitis insistant, quantò maioribus se viderint spiritualibus gratiis fore munitos, omnibus, & singulis Prædicatorum, & Minorum Ordinum professoribus, qui nunc sunt, & pro tempore perpetuo erunt, vt confessor idoneus eorundem Ordinum, quem quilibet pro se de sui Superioris licentia duxerit eligendum, eorundem confessione diligenter audita, pro commissis per eos excessibus, & peccatis semel in vita in forma confessionalis per nos edita, in mortis verò articulo plenariam absolutionem, & peccatotum huiusmodi remissionem impendere valeat, etiamsi ante factam eorundem Ordinum professionem eos decedere contingeret, similibus motu, scientia & auctoritate indulgemus.

Restringit facultatem absoluendi ad Genera-

§. VI. Facultatem verò à prædecessoribus nostris concessam Magistro Generali, & Prioribus prouincialibus, & conuentualibus, ac eorum Vicariis

ler, & ab eis deputator.

Vicariis Praedicatorum, ac Generali, & prouincialibus Ministris, & eorum Vicariis, nec non Custodibus Minorum Ordinum praedictorum super absolutione fratrum eorundem Ordinum suorum, & dispensatione cum eisdem in quibuscumque casibus, praeterquàm illis, pro quibus essent ad Sedem Apostolicam mittendi) & per nos approbatam, cum declaratione casuum, pro quibus mittendi sunt, perstringentes, volumus, quòd Magister, & Minister Generales praefati, & eorum Vicarij, & illi, quibus ipsi Magister, & Minister Generales pro tempore id duxerint committendum dumtaxat, & non alij, facultate praedicta de caetero uti possint, illam omnibus aliis penitus adimentes.

Concessa fratribus intelliguntur etiam concessa sororibus, & tertiariis.

§. VII. *Et ne propter Monasteria Monialium, seu sororum sub cura, & institutis Ordinis praedicti fratrum Praedicatorum, & Sanctae Clarae, seu Sancti Damiani Ordinum sub eiusdem fratrum Minorum Ordinis cura degentia, Sancti Dominici, & Sancti Francisci de poenitentia nuncupatorum Ordinum vtriusque sexus personas, contingat eorundem fratrum quietem turbari, motu, scientia, & auctoritate praedictis statuimus, quòd huiusmodi Monasteria, & loca, eorumque Abbatissa, & Priorissa, Procuratores, Syndici, Oblati, & vtriusque tertij Ordinis praedicti de poenitentia nuncupata persona praedicta eisdem priuilegiis, immunitatibus, gratiis, fauoribus, concessionibus, facultatibus, & indultis spiritualibus, & temporalibus, praedictis fratrum Praedicatorum, & Minorum Ordinibus, ac illorum professoribus, domibus, & locis, ac Procuratoribus, Syndicis, Oblatis, & Commissis seu aliàs quomodolibet per praedecessores nostros, aut nos hactenus concessis, & in posterum concedendis quavis auctoritate, quatenus earum sexui, & statui non contradicant, liberè, & licitè uti possint, & debeant in omnibus, & per omnia prorsus, & sine vlla differentia, ac si eisdem Monasteriis, locis, & personis, Abbatissis, Syndicis, Procuratoribus, Oblatis, & commissis sororum, & Monialium, earumdem, ac personis vtriusque sexus de poenitentia huiusmodi nominatim concessa forent, & concederentur expressè.*

Impedientes Mendicantes eleemosynas quaerere puniuntur.

§. VIII. *Praetereà quia, vt intelleximus, exortis nonnunquàm controuersiis inter locorum Ordinarios, eorumque Vicarios, seu Officiales, Curatos, & fratres praedictorum Ordinum, variis occasionibus locorum Ordinarij, eorumque Vicarij, seu Officiales, & Curati Praedicti, nè Christi fideles fratribus ipsis piai eleemosynas erogare praesumant; suadere, & etiam sub censuris inhibere, ac erogantes excommunicatos fore praedicare, seu praedicari facere, seu pronuntiare praesumunt. Locorum Ordinariis, eorumque Vicariis, seu officialibus, & Curatis praedictis, ac etiam aliis quibuscumque dicta auctoritate mandamus, vt ab huiusmodi persuasionibus, inhibitionibus, & mandatis de caetero prorsus omninò abstineant. Decernentes, inhibitiones ipsas, & mandata nullius existere firmitatis, & illis contrauenientes censuris huiusmodi minimè ligari, ac eosdem persuadentes, & inhibentes, mandatoque nostro huiusmodi obtemperare non curantes (nisi poenitnerint, & persuasiones, ac inhibitiones, & praedicta reuocauerint intra triduum, postquàm desuper requisiti fuerunt) eo ipso Ordinarios interdicti ingressus Ecclesiae, & suspensionis à regimine, & administratione suarum Ecclesiarum, alios verò inferiores ab eis excommunicationis sententiam incurrere.*

Sepeliri volentes cum habitu fratrum à Superioribus Ordinis ipsum recipere debent.

§. IX. *Cum autem nonnulli ad Ordines praedictos Praedicatorum, Et Minorum specialiter gerentes deuotionis affectum, eorum cadauera cum habitu Praedicatorum, vel Minorum, seu fratrum vel sororum de poenitentia vtriusque Ordinis praedictorum sepeliri mandent, & persaepè antequàm moriantur, habitum huiusmodi eis postulant exhiberi, decernimus, habitum huiusmodi per Priorem domus Ordinis Minorum loci, in quo tales decedere contingit, vel per Superiorem Praelatum ipsorum Ordinum, domorum, seu Prioratus, & Guardianie, vel illi cui duxerint committendum dumtaxat, & non per alium quavis auctoritate, vel praelatione fungentem exhiberi debere. Qui praedictum habitum recipientibus declarare teneantur, apud eorum Ordinem Ecclesias debere sepeliri in eorum habitu, quorum habitum suscipiunt, & illorum sic indutorum cadauera discooperta, nullo pallio, vel tegumento superimposito, cum habitu huiusmodi ad sepulturam deferri posse, Ordinariorum etiam sub censuris prohibitione locorum qualibet in contrarium edita non obstante, quas quò ad hoc modificamus.*

Vide const. 3. huius Pont. cum. 3. & 4 & const. 26. Leonis 10. §. 11.

Fratres habilitati ad obtinenda beneficia extra Ordinē non gaudent priuilegiis Ordinis, nisi de Praelatorum consensu.

§. X. *Et ne ex habilitatibus ad vnum, vel plura beneficia Ecclesiastica in titulum, vel commendam obtinenda, cum facultate interim, donec illa assequantur, pro Capellanis aliorum in beneficiis Ecclesiasticis deseruire, & quòd etiam postquàm beneficia huiusmodi assecuti fuerint, in domibus dicti Ordinis residere, cameras habere in illis, ac in generalibus, atque prouincialibus Capitulis fratrum eorundem Praedicatorum, & Minorum Ordinum vocem actiuam, & passiuam habere, ac priuilegiis, fauoribus, gratiis, & indultis concessis ipsorum Ordinum professoribus gaudere possint, praefatis Ordinibus, & illorum professoribus grauamen inferatur, eisdem motu, & auctoritate decernimus, huiusmodi concessas, & quas concedi contigerit habilitationis literas intelligi, & interpretari debere, vt fratres ipsi, quibus literae huiusmodi concessa sunt, & concedentur in posterum quandocumque per Sedem praedictam, postquàm aliquod beneficium adepti fuerint pacificè, aut pro Capellanis in aliquibus Ecclesiis coeperint deseruire, concessionibus praedictis (prout vocem actiuam, & passiuam, residentiam in domibus dictorum Ordinum, ac retentionem dictarum domorum, camerarum, & alia, quae Ordinum praefatorum sunt, concernunt). de dictorum Praelatorū consensu dumtaxat gaudere possint,*

possint, & non alias, nec alio modo. Idem statuentes de promotis ad cathedrales, etiam titulares appellatas Ecclesias, & alias Ecclesiasticas dignitates.

Inquisitores subiunt correctioni suorum Generalium.

§. XI. Cæterum vt dictorum Ordinum professores, qui Inquisitores hæreticæ prauitatis pro tempore in diuersis Mundi partibus deputantur, tantò diligentiùs eorum officia studeant exercere, ac ab illicitis, & eis prohibitis abstinere, quanto cognouerint posse eorum errores faciliùs corrigi, & puniri, quòd Magister Prædicatorum, & Minister Minorum Ordinum prædictorum generales præfati nunc, & pro tempore existentes, gesta pro tempore per ipsos Inquisitores eorum Ordinum respectiuè examinare, & querelas contra illos propositas audire, ac super illis (quantùm eis iustum, & æquum videbitur) statuere, & ordinare, & si in aliquo eos deliquisse inuenerint, illos iuxta excessuum exigentiam etiam per eorum ab officio amotionem, ac aliàs corrigere, & punire, dictosque Inquisitores, secundùm quod æquum, & iustum, aut necessarium videbitur (non tamen in vna, eademque Diœcesi) multiplicare liberè, & licite valeant.

Prædicatores ib Minorum, nec Minores in Prædicatorum se causis inquisitionis intromittant. Vide constit. 9. Pauli 5. infra. propter quã vacat hodie hoc priuilegium.

§. XII. Et Prædicatorum in Minorum, & è contra Minorum Ordinum prædictorum Inquisitores in Prædicatorum Ordinum huiusmodi professores quoscumque officio inquisitionis huiusmodi fungi, illudque exercere nullatenus possint absque Sedis Apostolicæ licentia speciali, de præsentibus litteris specificam, & expressam facientes mentionem.

Concedit Prædicatoribus, & Minoribus priuilegia cæterorum Mendicantium.

§. XIII. Postremò quia Prædicatorum, & Minorum fratrum prædictorum Ordinum professores pro fidei catholicæ dilatione, incremento, & defensione continuè indefessè laborant, & eorum exemplari vita, prædicationibus verbi Dei, audientia confessionum, sana doctrina, assidua sacrarum litterarum instructione, & deuota diuinorum officiorum celebratione, hæreticorum extirpatione, aliisq; innumeris piis operationibus præ cæteris Ordinum Mendicantium professoribus fructus in Ecclesia Dei salutares copiosiùs attulerunt hactenùs, & continuè afferre non cessant, atque allaturos in futurum Deo propitio, spe firma tenemus; & propterea conuenit, vt ipsi præ cæteris ampliores fauores, & gratiarum prærogatiuas à præfata Sede recipiant, & reportent, aliorumque Ordinum Mendicantium indultis, & priuilegiis apud Sedem præfatam gaudeant, ne illis inferiores esse videantur. Omnes, & singulas gratias, concessiones, indulgentias, & peccatorum remissiones, immunitates, exemptiones, facultates, priuilegia, & indulta spiritualia, & temporalia, qualiacumque sint, Eremitarum Sancti Augustini, & Carmelitarum, ac Seruorum Beatæ Mariæ Fratrum Ordinibus, & illorum Ecclesiis, Oratoriis, & domibus, Prioribus, Fratribus, & Sororibus, Conuersis, & Oblatis, ac vtriusque sexus personis de pœnitentia nuncupatis à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus prædictis, & à nobis, aut aliis auctoritatem habentibus, quæ omnia, ac si nominatim exprimerentur, haberi hic volumus pro sufficienter expressis, coniunctim, vel diuisim, in genere, vel in commune concessa, eisdem, & eorum cuilibet Prædicatorum, & Minorum fratrum Ordinibus, domibus, Ecclesiis, Oratoriis, generali Magistro, Ministro, Prioribus, & Ministris prouincialibus, Conuentualibus Prioribus, Guardianis Sororibus, Oblatis, Conuersis, & vtriusque sexus tertij Ordinis, seù de pœnitentia nuncupatis, & aliis eorundem Ordinum personis de nouo concedimus, & in eis locum habere volumus, ac si eisdem nominatim directè, & expressè concessa fuissent. Mandantes etiam motu, & scientia, & auctoritate prædictis, vt dùm priuilegiorum, indulgentiarum, prærogatiuarum, concessionum, exemptionum, immunitatum, facultatum, & indultorum, dictorum fratrum Eremitarum Sancti Augustini, Carmelitarum, & Seruorum Sanctæ Mariæ originales litteræ, seù transumpta authentica ex illis, pro & in fauorem Ecclesiarum, domorum, & fratrum prædictorum Prædicatorum, & Minorum Ordinum adducerentur, vel exhiberentur, eadem fides indubia adhibeatur, tàm in iudicio, quàm extra iudicium, & aliis locis, quibus opus fuerit, ac si pro & in fauorem dictorum Ordinum, Ecclesiarum, domorum, & fratrum Prædicatorum, & Minorum à Sede Apostolica emanassent, ac eis, & cuilibet ipsorum fuissent immediatè concessa.

Pœnæ contra prohibẽtes vti priuilegiis.

§. XIV. Inhibentes districtiùs ipsis locorum Ordinariis sub interdicti ingressus Ecclesiæ, & suspensionis à regimine, & administratione suarum Ecclesiarum, ac parochialium Ecclesiarum Rectoribus, & aliis quibuscumque sub excommunicationis latæ sententiæ, & priuationis earumdem Ecclesiarum parochialium, & omnium aliorum beneficiorum Ecclesiarum, quæ obtinent, necnon inhabitationis ad illa, & alia in posterum obtinenda pœnis, eo ipso, qui contrafecerint, incurrendis, ne personis quibuslibet Ecclesiasticis, vel sæcularibus in genere, vel in specie, directè, vel indirectè aliquid inhibeant, præcipiant, ordinent, vel statuant, quominùs Ordines prædicti, illorum domus, & professores prædictis gratiis eis concessis liberè vti possint.

Derogat contrariis.

§. XV. Non obstantibus quibuscumque Apostolicis suspensionibus, reuocationibus, & restrictionibus, ac prouincialibus, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, necnon Parisiensi, & aliorum locorum generalium studiorum Vniuersitatibus, & Curiæ vicegerentiæ Auenionensis, & quibusvis ordinariis Prælatis, ac personis concessis, & concedendis literis, priuilegiis, ac per illos deputatis in eis conseruatoribus, priuilegiorum huiusmodi facultatibus, & iurisdictione cum quibusvis clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, ac fortioribus, & insolitis, quibus omnibus illa, etiamsi de eis, eorumque totis tenoribus, & datis, nõ per huiusmodi generales clausulas,

les, & ab eis deputator.

Vicariis Prædicatorum, ac Generali, & prouincialibus Ministris, & eorum Vicariis, nec non Custodibus Minorum Ordinum prædictorum super absolutione fratrum eorundem Ordinum suorum, & dispensatione cum eisdem in quibuscumque casibus, præterquàm illis, pro quibus essent ad Sedem Apostolicam mittendi) & per nos approbatam, cum declaratione casuum, pro quibus mittendi sunt, perstringentes, volumus, quòd Magister, & Minister Generales præfati, & eorum Vicarij. & illi, quibus ipsi Magister, & Minister Generales pro tempore id duxerint committendum duntaxat, & non alij, facultate prædicta de cætero vti possint, illam omnibus aliis penitus adimentes.

Concessa fratribus intelligantur etiam concessa sororibus, & tertiariis.

§. VII. Et ne propter Monasteria Monialium, seu sororum sub cura, & institutis Ordinis prædicti fratrum Prædicatorum, & Sanctæ Claræ, seu Sancti Damiani Ordinum sub eiusdem fratrum Minorum Ordinis cura degentia, Sancti Dominici, & Sancti Francisci de pœnitentia nuncupatorum Ordinum vtriusque sexus personas, contingat eorundem fratrum quietem turbari, motu, scientia, & auctoritate prædictis statuimus, quòd huiusmodi Monasteria, & loca, eorumque Abbatissæ, & Priorissæ, Procuratores, Syndici, Oblati, & vtriusque tertij Ordinis prædicti de pœnitentia nuncupata persona prædicta eisdem priuilegiis, immunitatibus, gratiis, fauoribus, concessionibus, facultatibus, & indultis spiritualibus, & temporalibus, prædictis fratrum Prædicatorum, & Minorum Ordinibus, ac illorum professoribus, domibus, & locis, ac Procuratoribus, Syndicis, Oblatis, & Commissis seu aliàs quomodolibet per prædecessores nostros, aut nos hactenus concessis, & in posterum concedendis quatenus conuersatione, quatenus earum sexui, & statui non contradicant, liberè, & licitè vti possint, & debeant in omnibus, & per omnia prorsus, & sine vlla differentia, ac si eisdem Monasteriis, locis, & personis, Abbatissis, Syndicis, Procuratoribus, Oblatis, & commissis sororum, & Monialium, earumdem, ac personis vtriusque sexus de pœnitentia huiusmodi nominatim concessa forent, & concederentur expressè.

Impedientes Mendicantes eleemosynas quærere puniantur.

§. VIII. Præterea quia, vt intelleximus, exortis nonnunquàm controuersiis inter locorum Ordinarios, eorumque Vicarios, seu Officiales, Curatos, & fratres prædictorum Ordinum, variis occasionibus locorum Ordinarij, eorumque Vicarij, seu Officiales, & Curati Prædicti, nè Christi fideles fratribus ipsis piai eleemosynas erogare præsumant; suadere, & etiam sub censuris inhibere, ac erogantes excommunicatos fore prædicare, seu prædicari facere, seu pronuntiare præsumunt, Locorum Ordinariis, eorumque Vicariis, seu officialibus, & Curatis prædictis, ac etiam aliis quibuscumque dicta auctoritate mandamus, vt ab huiusmodi persuasionibus, inhibitionibus, & mandatis de cætero prorsus omninò abstineant. Decernentes, inhibitiones ipsas, & mandata nullius existere firmitatis, & illis contrauenientes censuris huiusmodi minimè ligari, ac eosdem persuadentes, & inhibentes, mandatoque nostro huiusmodi obtemperare non curantes (nisi pœnituerint, & persuasiones, ac inhibitiones, & prædicta reuocauerint intra triduum, postquàm desuper requisiti fuerunt) eo ipso Ordinarios interdicti ingressus Ecclesiæ, & suspensionis à regimine, & administratione suarum Ecclesiarum, alios verò inferiores ab eis excommunicationis sententiam incurrere.

Sepeliri volentes cum habitu fratrum à Superioribus Ordinis ipsum recipere debent.

§. IX. Cum autem nonnulli ad Ordines prædictos Prædicatorum, Et Minorum specialiter gerentes deuotionis affectum, eorum cadauera cum habitu Prædicatorum, vel Minorum, seu fratrum vel sororum de pœnitentia vtriusque Ordinis prædictorum sepeliri mandent, & persæpè antequàm moriantur, habitum huiusmodi eis postulant exhiberi, decernimus, habitum huiusmodi per Priorem domus Ordinis Minorum loci, in quo tales decedere contingit, vel per Superiorem Prælatum ipsarum Ordinum, domorum, seu Prioratus, & Guardianiæ, vel illi cui duxerint committendum duntaxat, & non per alium quavis auctoritate, vel prælatione fungentem exhiberi debere. Qui prædictum habitum recipientibus declarate teneantur, apud eorum Ordinum Ecclesias debere sepeliri in eorum habitu, quorum habitum susceperunt, & illarum sic indutorum cadauera discooperta, nullo pallio, vel tegumento superimposito, cum habitu huiusmodi ad sepulturam deferri posse, Ordinariorum etiam sub censuris prohibitione locorum qualibet in contrarium edita non obstante, quas quò ad hoc modificamus.

Vide const. 3. huius Pont. sub num. 3. & 4 & const. 16. Leonis 10. §. 11.

Fratres habilitati ad obtinenda beneficia extra Ordinem, non gaudent priuilegiis Ordinis, nisi de Prælatorum consensu.

§. X. Et ne ex habilitatibus ad vnum, vel plura beneficia Ecclesiastica in titulum, vel commendam obtinendo, cum facultate interim, donec illa assequantur, pro Capellanis aliorum in beneficiis Ecclesiasticis deseruire, & quòd etiam postquàm beneficia huiusmodi assecuti fuerint, in dominibus dicti Ordinis residere, cameras habere in illis, ac in generalibus, atque prouincialibus Capitulis fratrum eorundem Prædicatorum, & Minorum Ordinum vocem actiuam, & passiuam habere, ac priuilegiis, fauoribus, gratiis, & indultis concessis ipsorum Ordinum professoribus gaudere possint, præfatis Ordinibus, & illorum professoribus grauamen inferatur, eisdem motu, & auctoritate decernimus, huiusmodi concessas, & quas concedi contigerit habilitationis literas intelligi, & interpretari debere, vt fratres ipsi, quibus literæ huiusmodi concessæ sunt, & concedentur in posterum quandocumque per Sedem prædictam, postquàm aliquod beneficium adepti fuerint pacificè, aut pro Capellanis in aliquibus Ecclesiis cœperint deseruire, concessionibus prædictis (prout vocem actiuam, & passiuam, residentiam in domibus dictorum Ordinum, ac retentionem dictarum domorum, camerarum, & alia, quæ Ordinum præfatorum sunt, concernunt) de dictorum Prælatorũ consensu duntaxat gaudere possint,

possint, & non alias, nec alio modo. Idem statuentes de promotis ad cathedrales, etiam titulares appellatas Ecclesias, & alias Ecclesiasticas dignitates.

Inquisitores subsunt correctioni suorum Generalium.

§. XI. Cæterum vt dictorum Ordinum professores, qui Inquisitores hæreticæ prauitatis pro tempore in diuersis Mundi partibus deputantur, tantò diligentiùs eorum officia studeant exercere, ac ob illicitis, & eis prohibitis abstinere, quanto cognouerint posse eorum errores faciliùs corrigi, & puniri, quòd Magister Prædicatorum, & Minister Minorum Ordinum prædictorum generales præfati nunc, & pro tempore existentes, gesta pro tempore per ipsos Inquisitores eorum Ordinum respectiuè examinare, & querelas contra illos propositas audire, ac super illis (quantùm eis iustum, & æquum videbitur) statuere, & ordinare, & si in aliquo eos deliquisse inuenerint, illos iuxta excessuum exigentiam etiam per eorum ab officio amotionem, ac aliàs corrigere, & punire, dictosque Inquisitores, secundùm quod æquum, & iustum, aut necessarium videbitur (non tamen in vna, eademque Diœcesi) multiplicare liberè, & licite valeant.

Prædicatores in Minorum, nec Minores in Prędicatorum se causis inquisitionis intromittant. Vide constit. 9. Pauli 5. infra. propter quã vacat hodie hoc priuilegium.

§. XII. Et Prædicatorum in Minorum, & è contra Minorum Ordinum prædictorum Inquisitores in Prædicatorum Ordinum huiusmodi professores quoscumque officio inquisitionis huiusmodi fungi, illudque exercere nullatenus possint absque Sedis Apostolicæ licentia speciali, de præsentibus litteris specificam, & expressam facientes mentionem.

Concedit Prædicatoribus, & Minoribus priuilegia cæterorum Mendicantium.

§. XIII. Postremò quia Prædicatorum, & Minorum fratrum prædictorum Ordinum professores pro fidei catholicæ dilatione, incremento, & defensione continuè indefessè laborant, & eorum exemplari vita, prædicationibus verbi Dei, audientia confessionum, sana doctrina, assidua sacrarum litterarum instructione, & deuota diuinorum officiorum celebratione, hæreticorum extirpatione, alijsq; innumeris piis operationibus præ cæteris Ordinum Mendicantium professoribus fructus in Ecclesia Dei salutares copiosiùs attulerunt hactenùs, & continuè afferre non cessant, atque allaturos in futurum Deo propitio, spe firma tenemus; & propterea cõuenit, vt ipsi præ cæteris ampliores fauores, & gratiarum prærogatiuas à præfata Sede recipiant, & reportent, aliorumque Ordinum Mendicantium indultis, & priuilegiis apud Sedem præfatam gaudeant, ne illis inferiores esse videantur. Omnes, & singulas gratias, concessiones, indulgentias, & peccatorum remissiones, immunitates, exemptiones, facultates, priuilegia, & indulta spiritualia, & temporalia, qualiacumque sint, Eremitarum Sancti Augustini, & Carmelitarum, ac Seruorum Beatæ Mariæ Fratrum Ordinibus, & illorum Ecclesiis, Oratoriis, & domibus, Prioribus, Fratribus, & Sororibus, Conuersis, & Oblatis, ac vtriusque sexus personis de pœnitentia nuncupatis à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus prædictis, & à nobis, aut aliis auctoritatem habentibus, quæ omnia, ac si nominatim exprimerentur, haberi hic volumus pro sufficienter expressis, coniunctim, vel diuisim, in genere, vel in commune concessa, eisdem, & eorum cuilibet Prædicatorum, & Minorum fratrum Ordinibus, domibus, Ecclesiis, Oratoriis, generali Magistro, Ministro, Prioribus, & Ministris prouincialibus, Conuentualibus Prioribus, Guardianis Sororibus, Oblatis, Conuersis, & vtriusque sexus tertij Ordinis, seù de pœnitentia nuncupatis, & aliis eorundem Ordinum personis de nouo concedimus, & in eis locum habere volumus, ac si eisdem nominatim directè, & expressè concessa fuissent. Mandantes etiam motu, & scientia, & auctoritate prædictis, vt dùm priuilegiorum, indulgentiarum, prærogatiuarum, concessionum, exemptionum, immunitatum, facultatum, & indultorum, dictorum fratrum Eremitarum Sancti Augustini, Carmelitarum, & Seruorum Sanctæ Mariæ originales litteræ, seù transumpta authentica ex illis, pro & in fauorem Ecclesiarum, domorum, & fratrum prædictorum Prædicatorum, & Minorum Ordinum adducerentur, vel exhiberentur, eadem fides indubia adhibeatur, tàm in iudicio, quàm extra iudicium, & aliis locis, quibus opus fuerit, ac si pro & in fauorem dictorum Ordinum, Ecclesiarum, domorum, & fratrum Prædicatorum, & Minorum à Sede Apostolica emanassent, ac eis, & cuilibet ipsorum fuissent immediatè concessa.

§. XIV. Inhibentes districtiùs ipsis locorum Ordinariis sub interdicti ingressus Ecclesiæ, & suspensionis à regimine, & administratione suarum Ecclesiarum, ac parochialium Ecclesiarum Rectoribus, & aliis quibuscumque sub excommunicationis latæ sententiæ, & priuationis earumdem Ecclesiarum parochialium, & omnium aliorum beneficiorum Ecclesiarum, quæ obtinent, necnon inhabitationis ad illa, & alia in posterum obtinenda pœnis, eo ipso, qui contrafecerint, incurrendis, ne personis quibuslibet Ecclesiasticis, vel sæcularibus in genere, vel in specie, directè, vel indirectè aliquid inhibeant, præcipiant, ordinent, vel statuant, quominùs Ordines prædicti, illorum domus, & professores prædictis gratiis eis concessis liberè vti possint. Pœnæ contra prohibẽtes vti priuilegiis

§. XV. Non obstantibus quibuscumque Apostolicis suspensionibus, reuocationibus, & restrictionibus, ac prouincialibus, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, necnon Parisiensi, & aliorum locorum generalium studiorum Vniuersitatibus, & Curia vicegerentia Aueniouensis, & quibusvis ordinariis Prælatis, ac personis concessis, & concedendis literis, priuilegiis, ac per illos deputatis in eis conseruatoribus, priuilegiorum huiusmodi facultatibus, & iurisdictione cum quibusuis clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, ac fortioribus, & insolitis, quibus omnibus illa, etiamsi de eis, eorumque totis tenoribus, & datis, nõ per huiusmodi generales clausulas, Derogat contrariis.

etiam specialem mentionem importantes, sed specifica, & individuo, ac de verbo ad verbum, seu quævis alia mentio habenda esset, præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, quò a à præmissa specificè, & nominatim derogamus, & ea nemini in præiudicium præmissorum suffragari posse, aut debere, ac irritum, & inane quicquid secus contigerit attentari decernimus, necnon omnibus illis, quæ in dictis literis nostris præfatis Ordinibus concessis, volumus non obstare, cæterisque contrarijs quibuscumque.

Transumptis fidem adhiberi præcipit.

§. XVI. *Verùm quia difficile foret præsentes literas ad singulas Prouincias originaliter destinare, volumus, & dicta auctoritate decernimus, quod transumptis earum, manu Notarij publici, & Curia causarum Cameræ Apostolicæ Auditoris, vel Protectoris, qui est, & qui pro tempore erit, aut alicuius Archiepiscopali, vel Episcopali, seu cuiuscumque in dignitate constituti sigillo munitis, ea prorsus in iudicio, & extra, vbicumque exhibita, vel ostensa fuerint, fides adhibeatur indubia, ac si ipsæ originales literæ forent exhibitæ, vel ostensæ.*

Apponit contra facientibus pœnas.

§. XVII. *Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, constitutionis, concessionis, largitionis, indulti, perstrictionis, voluntatis, ademptionis, statuti, mandati, decreti, inhibitionis, & derogationis infringere, &c. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXIX. vij. Kalend. Augusti, Pontificatus nostri anno octauo.*

§. III.

1. NOto 1. circa illam clausulam, *Motu proprio*, quòd dupliciter solent concedi priuilegia, vel ad instantiam alicuius, vel motu proprio. Cognoscuntur autem esse ad instantiam, quando in ipsis expressè non habentur ista verba, *Motu proprio*. Ita habetur *in cap. Si motu proprio, de preb. in 6.* Quando verò in priuilegio præcedit petitio, & Papa nihilominus dicit se concedere motu proprio, intelligitur, quòd causa finalis, & formalis talis priuilegij concedendi non fuit petitio, sed mera Papæ liberalitas, qui alias erat etiam concessurus, licèt non præcessisset petitio. Quòd si contingat aliquando in priuilegio non præcedere petitionem, sed tantùm narrationem causarum, & rationum, quæ mouerunt Papam ad tale priuilegium concedendum, si non subsequantur ista clausula, *Motu proprio*, semper censetur priuilegium esse ad instantiam. Ita habetur dicto *cap. Si motu proprio.*

2. Noto 2. quòd tres sunt præcipuè differentiæ inter priuilegium concessum motu proprio, & ad instantiam. 1. quòd priuilegium concessum motu proprio est magis voluntarium, & censetur maius beneficium, & ideò ampliandum, quantum proprietas verborum patitur. 2. quòd priuilegium motu proprio concessum nunquam retorquetur contra eum, cui conceditur, sicut interdum solet retorqueri priuilegium per propriam petitionem obtentum, 3. quod priuilegium per subreptionem impetratum ad puram instantiam petentis non valet, secùs verò si motu proprio concedatur. Ita Suar. *8. de legibus, cap. 12. num. 8.* Panorm. *in cap. Ad aures, de rescript. num. 5. & in cap. Dilectus, de preb. num. 9.* Felin. *in cap. Cæterum, de rescrip. num. 9. & in cap. Ad aures, eod. tit. num. 6.* Ricciul. *de iur. person. lib. 4. cap. 6. num. 6.* Vide *tom. 1. mei Religiosi, q. 4. cap. 2 §. 11. versu Circa hunc.*

3. Noto 3. circa illam clausulam, *Quorum tenorem præsentibus haberi volumus pro expresso.* Quòd ista clausula tollit necessitatem inserendi tenorem illarum constitutionum, quæ vel confirmantur, vel derogantur, etiamsi in illis diceretur expressè, quòd non intelligerentur reuocata, nisi fieret de eis expressa mentio de verbo ad verbum. Ita Nauarr. *capite Si quando, de rescript. except. 1. num. 1.* Atque ita operatur, quòd Papa possit ex certa scientia facere quæ facit. Thesaurus Panorm. *verbo Clausula, pag. 15. col. 3.* fine vbi citat Romanam Rotam *conclus. 201.* Et hæc procedunt non solùm in dispositione facta motu proprio: sed etiam ad partis instantiam. Felin. *in cap. Nonnulli, de rescript. numero 6. Paulò ante versum Hac, & similia*; Alios citat Antonius Gabriel *tom. 2. lib. 6. tit. De clausulis, concl. 5. num. 3.*

§. IV.

4. NOto, quòd istæ indulgentiæ, & aliæ omnes, pro quibus consequendis manus adiutrices porrigendæ sunt, sunt reuocatæ motu proprio à Pio V. per suam bullam, quæ incipit, *Etsi Dominici*, apud Cherub. *tom. 2. bull. in Pio V. constit. eius 30. pag. 213.* Putat etiam Nauarr. *tom. 2. consil. lib. 5. de pœnit. & remiss. consil. 17. num. 6.* Quòd etiam per dictam const. Pij V. derogentur indulgentiæ concessæ visitantibus aliquam Ecclesiam certis diebus, & distribuentibus ei aliquid secundum eorum arbitrium, & deuotionem. Quia hoc est concedere manus adiutrices porrigenti.

§. V.

5. COncesserat hic Pontifex fratribus Minoribus per suam constit. quæ incipit, *Regimini*, apud Rodriq. *in suo bull. in hoc Pontifice, bulla eius 14. §. 12.* & Prædicatoribus per suam constit. quæ incipit *Nouerint vniuersi*, apud eundem Rodriq. *in eodem, bulla eius 33. §. 14.* Quòd possent absolui à suis Prælatis, Generali nimirum, Prouincialibus, & Guardianis, seu Prioribus conuentualibus, ab omnibus casibus, & censuris, quantumvis grauibus, nisi adeo graues essent, quòd merito essent ad Apostolicam Sedem destinandi. Quam potestatem non solùm voluit habere dictos Prælatos super sibi ordinariè subditos, sed etiam super hospites ad eos vndecumque declinantes. Et hanc eandem potestatem sub iisdem terminis, & cum iisdem limitationibus concessit nostris Prælatis Iulius II. *in constitut. eius 2. §. 9* Et quia difficultas erat, quinam essent casus, pro quibus Sedes Apostolica esset consulenda, idem Iulius *loc. cit. §. 29.* declarauit, hos casus esse relapsum in hæresim, schisma, falsificationem literarum Apostolicarum, & delationem prohibitorum, ad infideles, quibus addidit etiam quintum *in eius constitut. 14. §. 2.* nimirum conspirationem in Romanum Pontificem. Hoc autem §. concedit Sixtus, quòd fratres ipsi possint ad suum beneplacitum de licentia Superioris semel in vita eligere sibi confessarium, qui eos iuxta prædictam formam absoluat, sed in mortis articulo vt possint sibi confessorem eligere, qui eos plenariè, idest etiam ab exceptis absoluat. Et Leo X. concessit dictis Regularibus, vt possent quater in anno de licentia suorum Superiorum confessorem sibi eligere, qui eos plenariè, idest etiam ab exceptis absolueret: modò in confidentia talis absolutionis non peccauerint, vt refert Casarub. *in comp. priuil. verbo Absolutio extraordinaria quò ad fratres, à num. 7.* Virtute tamen huius concessionis non possunt absolui à reseruatis in Religione absque licentia superiorum, Corduba *in addit. ad comp. priuileg. mend. tit. absolutio extraordinaria quoad fratres §. 12. ad finem* Mirand. *tom. 2. quæst. reg. quæst. 33. art. 9. & 10.* Roderic. *in resolut. regul. resol. 3. numero 31.* Rodriquez *tom. 1. quæst. reg. quæst. 62. art. 11.* Et Pius V. concessit Prælatis Cassinensium anno 1571. Pont. sui 6. vt possent

possent absoluere omnes suos fratres, tam professos, quam nouitios (in Religione tamen perseuerantes) à quibuscumque peccatis, censuris, & pœnis, per eos, tam ante, quam post ingressum in dictam Congregationem, seu professionem incursis, & in futurum incurrendis, etiamsi fuerint de casibus Apostolicæ Sedi reseruatis, vel de comprehensis in bulla, quæ dicitur *Cœna Domini*, singulis annis legi consueta, & hoc toties quoties opus fuerit, iniuncta eis pro modo culpæ pœnitentia salutari. Refert ita Peregrinus *in comp. priuileg. sui Ordinis, part. 2. titul. Absolutio*, §. 2. Et Gregorius XIII. *anno* 1584. *die* 18. *Martij* concessit Generali Iesuitarum, vt posset absoluere suos subditos ab hæresi, & à relapsu in hæresim. Habetur *in comp. priuileg. dictæ Societatis, titul. Absolutio*, §. 7. & refert Suarez *tomo* 4. *de Religione, tract.* 1. *libro* 2. *cap.* 21. *num. secundo.* Qui addit, idem etiam concessisse Gregorium IX. Minoribus de obseruantia, sed solùm pro vltramontanis, & dummodò relapsorum crimina publica, & notoria non sint. Alia similia priuilegia referunt Casarub. *loc. cit.* & Rodrig. *tomo primo quæst. regul. q.* 20. *art.* 1. 2. & 4. & *q.* 62. *art* 6. & 13. Mirand. *tom.* 2. *Manual. q.* 7. *art.* 3. & *q.* 33. *art.* 7. Festus 2. *p. sum. const. Ordinis Prædicatorum, cap.* 65.

6. Maxima autem est inter Doctores difficultas, an vigore dictorum priuilegiorum possint nunc Superiores regulares suos subditos absoluere à casibus contentis in bulla Cœnæ, exceptis illis quinque, & an possint subditi semel in vita, vel etiam quater in anno eligere ad suum beneplacitum confessorem, qui eos à dictis casibus absoluat. Negant Passarell. *in not. priuileg. Minim. notab.* 13. & affert pro se quandam declarationem Cardinalis Alexandrini. Confect. *in comp. priuil. Mendic. tit.* 17. *cap.* 7. Casarub. *in comp. verbo Absolutio ordinaria quò ad fratres, n.* 13. Graffius 1. *p. decis. lib.* 1. *cap.* 13. *n.* 14. qui ait, ita declarasse Gregorium XIII. viuæ vocis oraculo, & attestatur, se vidisse in scriptis dictam declarationem.

7. Fundantur primò, quia in publicatione dictæ bullæ, quæ fit singulis annis, derogantur expresè Mendicantium priuilegia. Quòd si dicas, non esse verisimile, quòd Pontifices, qui dicta priuilegia concesserunt, ea voluerint statim reuocare, nam sic visi essent, vel voluisse illudere, vel decipere. Dicunt, quòd dicta priuilegia valuerunt tantùm durante vita dictorum Pontificum, qui præsumendi sunt in publicatione dictæ bullæ semper voluisse excipere eos, quibus priuilegia concesserant.

8. Secundò possunt fundari in decreto Congregationis Regularium edito de mandato Clementis VIII. quod referunt Confectius *in summ. priuil. titul.* 17. *cap.* 6. & Quaranta *in summ. bull. Verbo Casus reseruati, Pag.* 199. de quo memini *tom.* 1. *Religiosi, quæst.* 1. *cap.* 21. §. 1. & in constit. dicti Clementis, quæ incipit, *Quacumque* quam refert Cherub. *tom.* 3. *bull. in Clem. VIII. constitut. eius* 115. in quibus prohibetur absolutio à dictis casibus bullæ Cœnæ, & prætetea violationis immunitatis Ecclesiasticæ, violationis clausulæ Monialium ad malum finem, prouocantium, & pugnantium in duello iuxtà decretum Concilij Trid. & constitut. Gregorij XIII. inijcientium violentas manus in Clericos simoniæ realis scienter contractæ, atque etiam confidentiæ beneficialis. Item eorum casuum, quos Ordinarij locorum sibi reseruarunt, & in posterum reseruabunt.

9. Tertiò, quia hæc facultas sublata est Episcopis, quibus erat concessa per *cap.* 6. *Concilij Trid. sess.* 24. *de reform.* vt dixi *supra in constit. Pyrrhi, n.* 44. ergo & multo magis Prælati Regularium.

10. Affirmant Rodrig. *tom.* 1. *quæst. regul. q.* 20. *art.* 9. D'Aluinus *de potest. Abb.* & *c. c.* 27. *in fine.* Ioan. Canart. *in comp. priuileg. nostri Ordinis, pag.* [illegible]. Suarez *tomo* 4. *de Relig. tract.* [illegible] *c.* 21. *à num.* 3. videtur dicere Molfes. 1. *p. sum.* [illegible] *c.* 18 *num.* 29. irresolutè loquitur Miranda *tom.* [illegible] *Manual. quæst.* 7. *art.* 3. & *q.* 9. *art.* 10. Quæ sententia mihi maximè probatur propter sequentia.

11. Primò, quia (vt benè Rodrig. & Suar. *loc. cit.*) sicut in concessione generali casuum ad summum Pontificem spectantium non veniunt casu bullæ Cœnæ, vt communis fert opinio, sed requiritur, quòd in specie concedantur; ita in reuocatione generali priuilegiorum absoluendi à casibus Papæ reseruatis non comprehenduntur ea, quæ expresè absolutionem casuum dictæ bullæ concedunt, sed requiritur, quòd de ijs fiat expressa mentio hoc pacto, videlicet, Per nullum priuilegium possint absolui à casibus bullæ Cœnæ, etiamsi in ijs auctoritas ad eorum absolutionem concedatur quod hucvsque factum non est. Et potest huius rei ratio optima assignari. Nam per easdem causas soluitur res, per quas nascitur, vt habetur in *l. Pro vt quisque, ff. solut. matrimon. l. Sicut propenis, Cod. de nuptiis, l. Nil tam naturale, ff. De regul. iuris.* Ergo sicut ad concedendum absolutionem à casibus bullæ Cœnæ requiritur expressa illius mentio, ita ad dictam concessionem tollendam eadem mentio requiretur.

12. Secundò mihi maximè probatur ista sententia; quia priuilegia hanc absolutionem concedentia sunt maximè fauorabilia, & nulli præiudicium inferentia, nisi concedenti, vnde largè sunt interpretanda secundum DD. quòd docet Gutierr. *lib.* 2 *pract. quæst. q.* 75. *num.* 3. Sunt etiam clara, notoria, & authentica, & valdè conducunt ad disciplinam regularem seruandam. Sed nullo testimonio claro, & authentico constat, ea esse reuocata, vt patebit ex responsione ad contraria. Ergò non est cur ea reuocata esse dicamus. Cum melior præsertim sit semper condicio possidentis, & Mendicantes sint in possessione.

13. Tertiò quia ratio, quæ mouit summus Pontifices ad hanc auctoritatem Prælatis Religiosorum concedendam in ordine ad suos subditos, fuit ad tollendas eorum vagationes, & ad illorum quieti consulendum, vt colligitur ex *cap. Cum singula, de preb. in* 6. & *c. Vt periculosa, ne Clerici, vel Monachi, eod. lib.* & *c. Cum illorum, de sent. excommun.* §. *Qui si claustrales.* Sed hæ rationes monere debent non minus Pontifices præsentes, qui non sunt minùs Patres, & Superiores Religiosorum, quàm illi præteriti. Ergò cum clarè de horum mente non constet, dicendum est, hucvsque non reuocasse.

14. Ad 1. ergo in contrarium primò patet ex dictis. Ad hoc enim, vt priuilegia expresè concedentia absolutionem à casibus bullæ Cœnæ reuocentur, debent expresè reuocari. Si dicas, quid igitur derogatur per illas clausulas, *Nullus prætextu quarumlibet facultatum; etiam Mendicantibus concessarum, absoluere audeat, &c.* Respondent Rodriguez & Suar. *locis cit.* quòd reuocantur priuilegia generalia absoluendi à casibus Papalibus, vt nimirùm illa non sufficiant ad absoluendum à casibus Cœnæ; non autem reuocantur priuilegia, expresè dictorum casuum absolutionem concedentia. Et patet ex bulla Cœnæ Sixti V. & Clementis VIII. in quibus habetur ista clausula. *Nisi in eis* (priuilegiis) *etiam casus præsentibus literis expressi comprehendantur:* Quæ clausula licèt in alijs bullis aliorum summorum Pontificum non habeatur, semper tamen debet intelligi, propter primam rationem, qua hanc sententiam probauimus.

15. Secundò respondeo, quòd Iulius II. *in const. eius* 14. infrà declarauit, quòd, non obstante publicatione dictæ bullæ Cœnæ, quæ fit singulis annis, possint illi quibus per priuilegia concessum est, in perpetuum absoluere ab omnibus casibus in ea contentis, exceptis illis quinque, ac si prædicta bulla Cœnæ non esset

facta, nec fieret. Quod etiam declarauerunt Paul. IV. pro Congregatione Cleric[illegible] Regularium, vt refert Peregrinus *in eius comp. part. 1. verbo Bulla*, §. 1. Et Gregor. XIII. pro Societate Iesv, vt refert Suar. *tom. 4. de Relig. tract. 1. lib. 2. cap. 21. num. 5.* & Clem. VII. per viuæ vocis oraculum factum Cardinali Campegio pro Ordine Minorum, provt refert Rodr. *in sue Bull. in Clemente VII. pag. 364.*

16. Ad 2. Respondeo, dicta Decreta Congregationis, & dictam Bullam Clementis non derogare priuilegiis Regularium quoad absolutiones Fratrum, sed tantùm quoad absolutionem Sæcularium, vt bene Molfes. *part. 1. sue sum. tract. 7. cap. 19. num. 29.* Et fuit declaratum à sacra Congregatione Regularium, facto verbo cum S. D. Clemente VIII. & eius viuæ vocis oraculo desuper habito, provt refert Peregrinus *in com. p. 1. tit. Absolutio, in schol.* §. 1. & Naldus *in summa, verbo Reseruatio, versu & cum de hac.*

17. Ad 3. negatur paritas: Nam quies Religiosorum; & vagandi occasiones, quas semper intenderunt Pontifices vitare, & propter quas illis tot priuilegia concesserunt, non reperiuntur in sæcularibus, vel Ecclesiasticis Subditis Episcopis.

18. Ad illam declarationem, de qua Passarellus, dico quòd non constat fuisse factam auctoritate Papæ, & ideò non cogit, & eò minùs, quò nihil autheriticum videtur.

19. Ad id, quod dicit Graffius, ita declarasse Greg. XIII. Respondeo, si haberemus huius declarationis aliquod authenticum monimentum, res esset sine controuersia; sed quia nullum adest, & nullus alius id dicit, præter ipsum, illius auctoritas non cogit.

20. Ex quibus patet, quòd non solùm Prælati possunt vtendo suis priuilegiis, absoluere suos Subditos à dictis casibus Bullæ Cœnæ, prætérquam ab illis quinque, sed etiam à casu hæresis, modò non sit relapsus, imò etiamsi sit relapsus, per priuilegium Gregorij XIII. de quo *suprà num. 5.* Nam in concessione absoluendi à casibus Bullæ Cœnæ venit etiam casus hæresis, vt Filiucius *tom. 1. tract. 8. cap. 10. num. 265.* qui ait, ita fuisse responsum in sacra Pœnitentiaria *anno* 1617.

21. Sequitur etiam, quòd possint Subditi semel in vita, & quater in anno eligere ad suum beneplacitum confessarium de licentia suorum Superiorum, qui eos modo supradicto absoluat.

22. Imò addit Suar. *loc. cit. num. 2.* exceptiones illorum quinque casuum esse sublatas, vt de hæresi constat, per priuilegium Gregorij. De aliis per illa priuilegia, quæ concedunt absolutionem ab omnibus casibus, & censuris, etiamsi talia forent, propter quæ Sedes Apostolica esset consulenda: vel quæ summus Pontifex reseruare consueuit, quale est illud Martini V. concessum Benedictinis, apud Suar. *tom. 4. de Religios. tract. prim. lib. secund. cap. 25. numero primo.* Quæ omnia vera existimo, nisi aliud obseruet praxis Romanæ Curiæ, quod non scio.

23. Modo verò remanent 3. difficultates 1. an casus reseruati Sedi Apostolicæ post prædicta priuilegia possint eorum vigore absolui. 2. qui Prælati, & Superiores possint absoluere à dictis casibus, & an Vicarius relictus à Correctore? 3. An confessor eligendus à Subditis semel in vita, vel quater in anno debeat esse approbatus à Superioribus, quibus tale munus incumbit, an verò sufficiat, quòd sit simplex Sacerdos.

24. Ad 1. Respondeo dicta priuilegia se extendere ad absoluendum etiam à casibus post illorum concessionem reseruatis. Ita Suar. *tom. 4. de Relig. tract. 1. lib. 2. cap. 21. num 3.* Probatur, quia sensus illorum priuilegiorum non est, per ea dari facultatem ad absoluendum ab illis peccatis, quæ tunc sunt reseruata, quando priuilegium conceditur, sed ab illis, quæ tunc sunt reseruata, quando fit confessio, & quando absolutio præstanda est; ergo licèt reseruatio sit posterior, nihil refert. Probatur antecedens in primis quia Papa hoc sensu potest suam iurisdictionem delegare, quia potest facere delegationem de se perpetuam .i. quandiu reuocata non fuerit. Quòd autem hoc sensu intendat concedere, probatur, quia concedit illa priuilegia vt perpetua & generalia ad omnes casus reseruatos; non possent autem esse talia, nisi ea intentione concederentur. Adde quia hæc priuilegia sunt absoluta, & simpliciter fauorabilia; Ergo non restringenda, sed amplianda potiùs, iuxta Regulam *Odia restringi: fauores conuenit ampliari.* Neque obstat, quod dicunt Graff. *de 5. casibus reseru. cap. 5. num. 17. 18.* & Chapeauille *de casib. reseruat. casu 14. quæst. 3. diffcul. 2.* nimirum quòd concessio facta Episcopis *sess. 24. de reformat. cap. 6.* non extenditur ad casus post Triden. reseruatos, atque ita declarasse sacram Congregationem Concilij. Quia, dato, quòd dicta declaratio vera sit, de quo potest dubitari, est dispar ratio inter Episcopos, & Prælatos Religionis in ordine ad vtrumque Subditos, vt dixi *sup. num. 17.* Quæ etiam vera existimo, nisi aliud habeat praxis Curiæ Romanæ, cui omninò conformari debemus.

25. Ad 2. dico, posse Generales, Prouinciales, & eorum Vicarios, ac etiam Correctores, seu locum Correctoris obtinentes, nimirum Vicarios ordinarios Conuentuum, Correctores non valentes propter exiguitatem sustinere, & etiam Vicarios Correctoris loco defuncti, vel priuati, vel ad longum tempus absentis. Ita colligitur ex tenore dictorum priuilegiorum, præsertim Iulij 2. 6. 9.

26. Difficultas est, an Vicarius relictus à Correctore, qui debet abesse à Conuentu per vnum diem naturalem, possit prædicta facultate vti. Vide Sigism. *de elect. dub. 77. à num. 6.* Censet, quòd sic Naldus *in summ. verbo Abesse, num. 11. & verbo absolutio, num. 25.* Et affert rationem, quia non est detinendus Subditus in tam malo statu, sed ab eo, quàm citiùs possit, liberandus. Quæ ratio non valeret in Subdito, qui de industria sine sufficienti causa distulisset. Potior ratio videtur posse fundari in tenore priuilegiorum, in quo potestas absoluendi conceditur Generalibus, Prouincialibus, & Correctoribus, ac eorum Vicariis. Et cum priuilegia ista vt purum fauorem concedentia amplianda ad hunc casum puto posse extendi; cum tunc Vicarius relictus, à Correctore sit solus, & absolutus Superior illius Conuentus, vnde debet habere illa omnia, quæ pro recta illius Monasterij administratione sunt necessaria, inter quæ sine dubio est potestas spiritualis; Secùs autem est de Vicario relicto à Superiore eodem die reuersuro.

27. Ad 3. dico, quòd confessor eligendus à Subditis non debet esse simplex Sacerdos, sed debet esse admissus ad confessiones audiendas ab habente auctoritatem, dicitur enim *hec* 6. Vt possit quilibet eligere confessorem eorundem Ordinum, &c. & non dicit Sacerdotem, aut Presbyterum. Ita Suar. *tom. 4. de Relig. tract. 1. lib. 2. cap. 19. num. 7.*

28. Sed dubium hic est, an confessores Prælatorum debeant esse approbati ab habentibus auctoritatem. Pro hoc dubio sciendum est, quòd approbare Sacerdotes in Ordine nostro ad confessiones Fratrum audiendas ad Generalem, & Prouinciales dumtaxat spectat, vt patet *ex Correctoric, num 79.* Vnde non est dubium, quòd potest Generalis, & Prouincialis eligere sibi in confessorem quemlibet Sacerdotem, etiam aliàs non approbatum; nam sic eligendo, eum approbare videtur, saltem pro persona sua. De Correctoribus maius dubium est, cum ipsos approbare ad confessores non spectet. Dico tamen nihilominus, posse Correctores eligere sibi in confessarium quemlibet simplicem Sacerdotem, etiam à Prouincialibus, vel Generalibus ad id non approbatum, qui eos absoluat ab omnibus

nibus casibus, & censuris, à quibus possent ipsimet Correctores absoluere. Habetur clarè *in nostro Correctorio, numero* 84. ibi, *Poterunt vnum ex Fratribus eiusdem Ordinis Presbyterum idoneum in suum confessorem quoties opus fuerit, eligere.* Et colligitur *ex constitution.* 2. *Iulij II.* §. 9. ibi, *Fratres etiam vestri, quos pro tempore habueritis in confessores*; non dicit, Confessores, quos pro tempore elegeritis; Non poterunt tamen dicti sacerdotes à Correctoribus sic electi aliorum fratrum confessiones audire, quia vniuersaliter approbate ad Generalem, & Prouincialem spectat. Imò nec poterunt, etiamsi eligantur à Generali, vel Prouinciali, nisi se isti declarent; Nam cum pœnitens doctus possit supplere defectum scientiæ confessarij, erit quis idoneus confessor Prælati docti, qui non erit idoneus pro alijs minus doctis.

§. VI.

29. Nota, quòd idemmet Pontifex hanc restrictionem relaxauit per 2. constitutiones, quas refert Rodriguez *in sun bull. in Sixto IV. bulla eius* 21. *&* 22. *pag.* 167. quarum vnam habes immediatè post istam. Atque ita hanc facultatem absoluendi à casibus reseruatis, & dispensandi super irregularitatibus, concessam Regularibus in mari magno, & alijs priuilegijs habent non solùm Generales, sed etiam Prouinciales, & Correctores locales, ac istorum omnium Vicarij, prout dixi supra *n.* 25. *&* 26.

§. VII.

30. Noto statuere in hoc §. *Sixtum*, quòd Moniales fruantur omnibus priuilegijs concessis fratribus, quatenus earum sexui non contradicant. Et quòd ijsdem fruantur omnes personæ tertij Ordinis, seu tertiarij. Quoniam verò hic tertiariorum incidit sermo, materiam hanc satis de se intricatam ob constitutionum, & tertiariorum varietatem hic dilucidare pro posse statui, & quæ his temporibus de tertiarijs censendum sit decernere.

31. Sciendum ergo, quòd tertiarij fuerunt, & sunt in multiplici differentia. Aliqui enim sunt tertiarij in Religione viuentes, tria vota Religionis essentialia vouentes sub Prælatorum obedientia, quibus Leo X. per suam constitut. quæ incipit, *Inter cætera*, apud Cherub. *tom.* 1. *bull. constitut. eius* 42. *pag.* 541. accommodauit regulam datam à Sancto Francisco Assisiensi, & approbatam à Nicolao IV. prout refert Cherub. *tom.* 1. *bull. in Nicolao IV. constitut. eius* 2. quæ incipit, *Supra montem, pag.* 126. Quos, & reformauit Pius V. per suam const. quæ incipit, *Ea est*, apud Cherub. *tom.* 2. *bull. in Pio V. const.* 1. *eius* 63. *pag.* 258. Et quibus habitum formæ, & coloris nostri Ordinis in partibus Hispaniarum gerentibus abstulit Paulus V. per eius constit. quæ incipit, *Inter graues*, & habes *infra in eo, constit* 6. Et isti sunt verè Religiosi, & fruuntur omnibus priuilegiis, gratiis, & indultis, quibus cæteri Ordinis S. Francisci fratres, vt expressè declarauit Pius V. *in dicta constitut. Ea est*, §. 16.

32. Alij erant tertiarij, qui 3. vota essentialia faciebant, sed non viuebant in Religione, sed in Eremitorijs de licentia Superiorum, de quibus Sosa *in tract. de profess. tertiar. pag.* 201. Et isti fuerunt sublati in Concil. Lateranen. sub Leone X. vt *ex constit. eius* 26. § 21. *infra*.

33. Alij sunt tertiarij omnium statuum sæculares, tam viri, scilicet quam fœminæ, etiam coniugati, qui in proprijs domibus habitant, & obseruant Regulam datam pro vtriusque sexus personis à S. Francisco Assisiensi, & à B. P. N. Francisco de Paula. Et hanc Regulam quò ad huiusmodi tertiarios pro Minoribus approbauit Nicolaus IV. per constitut. citat. quæ incipit, *Supra montem*, & pro Minimis approbauit Iulius II. *in constit. eius* 1. §. 26. & formam professionis eis dedit *const. eius* 18. §. 2. *infrà*. Et istos in Concil. Lateranen. sub Leone X. *infra constitut. eius* 26. §. 21. declaratum fuit esse verè sæculares, & quòd ad onera laïcis debita tenerentur, & quòd deberent conueniri coram suis Iudicibus, & quòd solùm quò ad sacramentum pœnitentiæ exemptione fruerentur, vt ibi dicitur. Ex quo sequitur, quòd possunt frui omnibus gratijs spiritualibus ad sacramentum pœnitentiæ pertinentibus, quibus fruuntur ipsi fratres, vt ait Casarub. *in comp. verbo Tertiarij fratres, & sorores, pag. mihi* 526. *versu Aliter breuius*. Non possunt autem fratres, quorum tertiarij sunt, eis ægrotantibus in proprijs domibus sacramenta Eucharistiæ, & extremæ vnctionis ministrare. Neque si decedunt, corpora eorum absque Parochorum licentia leuare, quia inere sæculares sunt, & solùm gaudent priuilegijs quò ad sacramentum, vt dixi, pœnitentiæ. Confessores verò regulares dictorum confessiones audientes debent esse ab Ordinarijs approbati, iuxta decretum Congregat. quod habes hic infra *n.* 39. Videatur Vgol. *de potestat. Episcop. cap.* 20. §. 11. *n.* 4.

34. Alij sunt tertiarij cum fratribus claustralibus habitantes, & Regulam tertiariorum profitentes, de quibus multi sunt in nostra Religione, habitum nostrum induentes, cæteraque quæ fratres, obseruantes. Et isti fruuntur omnibus priuilegijs, quibus cæteri fratres, per Concil. Lateranen. cit.

35. Aliæ erant tertiariæ, quæ collegialiter viuebant, sed sine votis. Et istas per constit. Pij V. quæ incipit, *Circa pastoralis officij*, & refert Cherub. *tom.* 2. *bull. in Pio V. constit. eius* 8. *pag. mihi* 184. iussi sunt Ordinarij hortari vnà cum earum Superioribus, vt votum solemne professionis emitterent, ac post dictam professionem coactæ fuerunt subijcere se clausuræ. Quæ autem dictum votum emittere noluerunt, prohibitæ fuere alias in posterum in suas Congregationes recipere. Et nunc si aliquæ tales reperiantur, posse prohiberi, ne in Congregatione maneant, nisi professionem emittant, declarauit sacra Congregatio *anno* 1596. *die* 22. *Ianuarij*, vt refert Piasec. *in sua praxi, part.* 2. *cap.* 3. *sub num.* 57.

36. Aliæ sunt tertiariæ, quæ Beatæ dicuntur; & sunt illæ, quæ obseruant Regulam tertiariorum, & faciunt votum castitatis solummodò, nec collegialiter viuunt, sed in proprijs domibus. Et istas voluit Conc. Lateranen. cit. frui omnibus priuilegiis, quibus fruuntur tertiarij regulares, non obstante, quòd sint verè sæculares.

37. Fuit deinde versum in dubium, an sub illo voto castitatis includerentur alia duo. Et dicebant aliqui, quod sic, & quòd per hoc Conc. concesserat illis exemptionem. Negabant alij. Vnde negotium deductum est ad Papam, & fuit ab eo petita solutio duorum dubiorum. Primum, an in dicto voto castitatis, quod agebant Beatæ, includerentur alia duo, & dato quod non includerentur, an reuocatum esset priuilegium exemptionis concessum illis à Leone X. *loco cit.* per bullas Pij V. quæ incipit, *Ea est officij nostri*, apud Cherub. *tomo* 2. *bull. in Pio V. constitut eius* 63. *pag.* 258. & Gregorio XIII. quæ incipit, *Ex benigna*, quam refert Confect. *in comp. priuil. in Gregorio XIII. constitut. eius* 71. *pag.* 204. Et fuit horum dubiorum solutio remissa sacræ Congregationi Concilij, quæ *anno* 1608. declarauit, dictas Beatas debere gaudere exemptione eis concessa à Concil. Lateranen. & quòd in suo voto castitatis non includuntur alia duo; Decretum autem Congreg. refert Sosa *in tract. profess. tertiar. pag.* 202. in hæc verba.

38. *Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Trid. interpretum consulta respondit. Fratres tertiarios, man-*

tellatos;corrigiatos, aliosque similes ita demum Ordinis, cuius tertia Regulæ habitum assumpserunt, priuilegijs potiri,& ab Ordinarij iurisdictione exemptos esse,si viri collegialiter viuant, seu cum claustralibus habitent, & mulieres virginalem,seu cœlibem, aut castam vidualem expresso voto,& sub dicto habitu vitam traduxerint. Quemadmodum cauetur constit. Concil Lateran. sub Leone X. quæ habetur sess. vndecima in fine. Hoc autem mulierum voto alia duo, scil.paupertatis,& obedientiæ nequaquam includi; Quinimmo huiusmodi mulieres si vitam virginalem, aut cœlibem simpliciter, expresséque vouerint, etiam in consanguineorum, & affinium suorum, aut proprijs domibus,vel seorsùm habitantes,supradictis priuilegijs Ordinis,cuius tertia Regula habitum deferunt,exemptioneque ab Ordinarij iurisdictione frui debere:quemadmodum idem Leo postea declarauit constitutione edita die 1. Martij anno MDXVIII. Quòd si fratres,sororesuè tertij Ordinis quid amplius prætendunt vigore consuetudinis;posse ius suum prosequi in iudicio ordinario. Hieronymus Cardinalis Pamphilius, Ioannes Franciscus Fagnanus sacræ Congregationis Concilij secretarius. Romæ ex Typographia Reu. Cam. Apost. MDCVIII.

39. Sed quia, non obstante tali declaratione, adhuc oriebantur in dies multæ controuersiæ, ideò Congregatio Regularium, & Episcoporum ita declarauit. *Sacra Congregatio Cardinalium, negotijs Episcoporum, & Regularium,&c.statuit,iuxta multas eiusdem Congregationis responsiones,non posse sacerdotes regulares audire confessiones sacramentales mulierum tertij Ordinis, quæ de pœnitentia dicuntur:nisi ab Ordinario approbati fuerint ad confessiones sæcularium audiendas, neque posse illas communicare in Paschate. Quò ad sepulturam autem, & alia priuilegia, fratres tertiarios, & similes ita demum Ordinis, cuius tertia Regula habitum assumpserunt, priuilegijs potiri & ab Ordinarij iurisdictione exemptos esse,si viri collegialiter viuant,seu cum claustralibus habitent, & mulieres virginalem, seu cœlibem aut castam vidualem expresso voto,& sub dicto habitu vitam traduxerint, prout cauetur constitutione Concilij Lateranen. sub Leone X. quæ habetur sess. vndecima in fine; Hoc autem mulierum voto alia duo, scil. paupertatis,& obedientia non contineri. Et decedentes sine electione sepultura ita demum in Ecclesijs Ordinum sui habitus sepeliantur, si communis sepultura pro ipsis in eis reperiatur,alias in parochialibus sepeliantur. Ad habitum admittantur à Superioribus regularibus,exceptis Capucinis, ad id priuilegium habentibus. Ad illum autem non admittantur, nisi spectata vita fuerint, & annorum saltem quadraginta quæ de proprio habeant, vt inde sufficienter viuere possint, & non cum alijs viris, quàm cum consanguineis,vel affinibus in primo tantùm gradu sibi coniunctis cohabitent,& ab Ordinario loci licentia priùs impetrata,qui non aliter eam concedat,quàm si ei de prædictis qualitatibus,diligenti prævio examine,constiterit. In habitu verò deferendo omninò abstineant à velo supra caput, quod superinum vocant, à pectorali, vulgò sottogola, & à patientia. Supradictis verò decretis mulieres tertij Ordinis, quæ collegialiter viuunt, non comprehendi; quinimmò eas dispositioni constitutionis Pij V. quæ incipit, Circa pastoralis, penitus subiacere expressè declarat. Non obstantibus, &c. sub Datum Romæ xx. Decembris MDCVI.*

§. VIII.

40. NOto 1. quòd in conformitate istius priuilegij adest aliud eiusdem Sixti pro Carmelitis, vbi prohibentes ipsis fieri eleemosynas sunt ipso facto excommunicati,& quòd contra tales possunt Rectores Ordinum Mendicantium,& Auditor Cameræ Apostolicæ, ac Inquisitores hæreticæ prauitatis, sicut contra hæreticos procedere. Ita refert Rodrig. *tom.2. quæst. regul. q.57. art.7.* Et sacra Cardinalium Congregatio *anno Domini* 1587. *die* 8. *Iulij* ita declarauit. *Fratres mendicantes nullatenus à quæstuatione, quæ de licentia suorum Superiorum fit, & in dies fieri contingit prohibeantur.* Possumus etiam in terris excommunicatorum eleemosynas petere,per priuilegium Iulij II. *const. eius* 2. §.8. Et quòd non possint Regulares mendicantes prohiberi colligere frumentum,vinum,&c.etiam antequam Rector parochialis collegerit sibi debitas primitias,declarauit sacra Congregatio ad instantiam Rectorum Bononiensis Diœcesis, vt habes infrà *in const. 7. Pij V.* §.10. *n.*12. *ad* 14.

41. Noto 2. quòd Bonifacius IX. concessit fratribus Prædicatoribus circa eleemosynas petendas id ipsum, quòd illis concessum erat à suis prædecessoribus. Et insuper prohibuit omnibus vtriusque sexus asserere, ipsos Religiosos non esse in statu perfectionis, & non esse licitum ipsis de eleemosynis viuere:Quodq; quæstuatores nomine ipsorum falso tanquam falsarij capiantur ab Ordinariis,& condemnentur. Et similiter prohibuit quòd nullus illis prohibeat in suis Ecclesijs celebrare, & oblationes in missis, vel alijs, ad altare ipsorum prouenientes recipere,& conuertere in suos vsus iuxta morem sui Ordinis Et quòd ipso facto sint excommunicati omnes contrafacientes, non absoluendi, nisi Sedi Apostolicæ personaliter se præsentent, Ita refert Rodr. *tom.*1. *q reg. q.*57. *art.*8.

42. Noto 3. quòd his non obstat Concilium Trid. *sess.*21. *de reform.c* 9.& *sess.*5 *de reform c.*2.*fine.* Quatenus quæstorum nomen abolendum statuit,nam loquitur de his, qui eleemosynas prædicando quærunt: vel publicando indulgentias concessas eis,qui manus adiutrices piis locis porrexerint, quorum ipsi sunt quæstores. Ita Rodrig.*tom.*2.*quæst regul q.*57.*artic.*7. Nauarr. *miscell.*66.*de orat.numer.*7. Quaranta *in sum.bull verbo Archiepiscopi auctoritas,n.*26.*fine.* Addo, quòd ita declarauit Pius V. *const.eius* 7.*infra*, § 17. Quæ declaratio non est reuocata per bullam Gregorij XIII. In tanta, vt dico *in dicta constit. Pij V. n.*3.

43. Ex quo patet, quòd possunt Regulares mendicantes omnino eleemosynas quærere absque Episcoporum, & Curatorum licentia. Quod dicit etiam Franciscus Leo *in thesaur. p.*4.*cap.*2. *num.*147. Immò quòd isti sub pœna excommunicationis ipso facto id eis impedire non possunt. Possunt tamen Episcopi velle sibi fieri fidem per literas authenticas de licentia suorum Superiorum ad quæstuandum. Quod dicitur etiam declarasse sacram Congregationem in hæc verba. *Congregatio Concilij censuit, Regulares mendicantes teneri ad ostendendam Ordinario licentiam quærendi eleemosynas, à suis Superioribus sibi datam.* Ita refert Paulus Piasec. *in praxi Episcop.p.*2.*c.*3. *num.*47. Sed quoniam populi vt plurimùm non dant libenter eleemosynas, seu liberaliùs dant, si ab ipsorum Curatis id illis suadeatur, & Curati nolunt dictas eleemosynas suis populis suadere, nisi eleemosynarum collectores licentiam priùs obtinuerint à proprijs Episcopis, inde est, quòd Episcopi soleant quandoque dictas licentias concedere. Sed in hoc debent DD. Episcopi esse multum faciles, nam illa non est propriè licentia, sed potiùs personæ approbatio. Multi enim non rarò lucri rabie ducti fingunt eleemosynas quærere pro Religione, & quærunt pro se ipsis. Quod sæpiùs contingit in fratribus fugitiuis, & apostatis, falsificantibus etiam ad hoc manus, & sigilla Superiorum suæ Religionis. Et multi quandoque quærunt eleemosynas pro Religione, quam vident esse in deuotione illis populis, à quibus quærunt, cùm ipsi tamen illius Religionis non sint. Et multi etiam sæculares fingunt, se quærere pro tali loco pio, & sibi quærunt. Et ideò puto esse laudabile, quòd Parochi in Pagis, & Villis non sinant, vllos eleemosynas quærere, qui non habeant licentias

licentias suorum Superiorum. Et si quærentes non sint ipsis Parochis bene noti: vel si dubitent de dolo, (quod ad illorum conscientiam, & prudentiam remittitur) si non habeant dictam licentiam à propriis Episcopis approbatam; multa enim in dies oriuntur scandala ex Parochorum huiusmodi negligentia, quæ in perniciem sanctorum Religiosorum in Monasteriis Deo die, noctéque seruientium cedunt. Congruunt hæc *Clem. Abusionibus, de pœn. & re.*

§. IX.

44. ADuerte, quòd si aliqui Fratrum obtinerent aliquando literas ab Apostolica Sede, quibus essent habilitati ad obtinendum vnum, vel plura Ecclesiastica beneficia in titulum, vel commendam, & interim quòd obtinerent, possent seruire pro Capellanis aliorum beneficiatorum, quòd isti tales statim ac dicta beneficia obtinuerint, vel cœperint pro Capellanis seruire, non possent gaudere gratiis Ordinis, nimirum in Conuentibus degere, cellas suas retinere, voce actiua, & passiua frui, nisi de licentia Prælatorum Ordinis. Idem dic de iis, qui ad Episcopatum promoti fuerint. Refert etiam Rodriguez *tom. 1. quæst. regul. quæst. 34. art. 5.* concessionem Calixti III. qui statuit, & ordinanit, quòd nullus Religiosus cuiuscumque Religionis, etiam Mendicantium, beneficia sæcularia, seu Regularia quouis modo in titulum, vel commendam pro tempore habens, possit capitulis Generalibus, vel Prouincialibus, seu Congregationibus, seu negotiis, vel officiis aut aliis administrationibus Ordinis (nisi Generalis pro tempore consensu interueniente) quomodolibet admitti, sub excommunicationis pœna, quam admissi & admittentes ipso facto incurrant. Et Paulus IV. per suam constit. quam refert Rodriguez *in suo Bull. in Paulo IV. const. eius IV.* statuit: *Quòd nullus cuiuscumque Ordinis, seu Religionis professor, Episcopus, seu Archiepiscopus, postquam munus consecrationis huiusmodi susceperit, etiamsi à vinculo Ecclesiæ, cui præfuerit, per Sedem Apostolicam absolutus, eique quòd in Ordine suo permaneret, & ad dignitates, ac officia, & superioritates huiusmodi assumi, eaque obtinere posse per Sedem eandem, seu illius auctoritate concessum foret, ad dignitates, aut officia, seu superioritates huiusmodi, cuiuscumque qualitatis existant, & quouis nomine nuncupentur, eligi, seu assequi, aut obtinere nullatenus possit, & ineligibilis, atque ad ea obtinenda perpetuò inhabilis existat.*

45. Si quæras, an Regulares sint capaces ex se absque dispensatione Papæ beneficij curati sæcularis in titulũ.

Respondeo, Id fuisse inter Doctores aliquando controuersum, vt constat ex his quæ fusè disputat Sanchez *7. in Decalog. cap. 29. num. 34. & 35.* Sed nunc est communissima sententia, non posse Regularem habere beneficium curatum, nec in perpetuum nec ad tempus absque dispensatione Papæ, & in praxi ita seruant, vt ait Sanchez *loc. cit. num. 71.* Quod ego semper fuisse verum credo; tum quia id tenuerunt grauissimi Canonistæ; Archidiaconus *in cap. Cum singula, num 3. versu Ecclesiis, de preb. in 6.* Rebuffus *in praxi benef. tit. de dispens. cum Regul. num. 5. pagina mihi 299.* Rodriguez *tom. 1. quæst. regul. quæst. 34. art. 3.* qui contrarium videtur dicere *tom. 3. quæst. 28. art. 3.* & alij multi apud Sanchez *loc. citato numero 34.* Quos tamen ipse de iure antiquo non sequitur; tum quia id videtur contra statum suæ professionis, quæ dicit abdicationem omnis proprietatis, & omnium annuorum redditũum; tum quia id illis vetatur expressè *in iure, cap. Monachi, de statu Monach.* tum quia id colligitur expressè *ex hoc §. & ex §. 11. constitut. 1. Iulij II. infra,* in quibus id supponitur; tum quia id etiam non obscurè tradit Trid. *sess. 14. de reform. cap. 11.* Nouissimè autem etiam colligitur ex decretis Clementis VIII. pro reformatione Regularium, quæ habes infra in Vrbano VIII. *constitut. eius 10. num. 49.* vbi habetur: *Ineatur ratio, qua, sublatis licentiis, ac facultatibus hactenus quibuscumque concessis, degentes extra Conuentus claustra, ad ea quamprimùm reuocentur, nec de cætero, nisi ex grauissimis causis, à Sede Apostolica probandis, huiusmodi facultates concedi possint;* tum denique quia, vt refert Quaranta *in sum. Bull. verbo Canonicus Regularis, pag. mihi 150.* Congreg. Conc. de mente Greg. XIII. id expressè declarauit in hæc verba: *S. D. N. Greg. XIII. noluit licere Canonicis Regularibus Congregationis Lateranensis, etiam de licentia sui Generalis, absque permissu Summi Pontificis assumere curam animarum, etiam ad tempus, multoque minùs beneficium curatum ad tempus.* Per quam declarationem derogatum esse videtur *c. Quod de timore, de statu Monach.* in quo id dictis Canonicis concedebatur. Videatur Suar. *tom. 4. de Relig. tract. 1. lib. 3. cap. 19.* V. de Gateinm *de benef. pagin. 7 cap. 10. à n. 17.*

46. Quæres 2. an Regularis absque dispensatione Papæ sit capax beneficij simplicis sæcularis.

Respondet Sanchez *7. in Decalog. cap. 29. num. 75.* negatiuè per multa, quæ ibi affert. Et hoc etiamsi esset dispensatus ad beneficium curatum, Riccius *2. parte praxis resol. 410. num. 5.*

47. Quæres 3. an Regularis absque dicta dispensatione sit capax pensionis habendæ.

Respondet Sanch. *loc. cit. num. 94.* non esse capacem, quia ita habet vsus Romanæ Curiæ.

48. Quær. 4. an possit Regularis esse Vicarius Episcopi.

Respondet affirmatiuè Sanch *6. in Decalog. cap. 13. num. 88.* quia id nullo iure vetatur, & potest ad libitum Superioris reuocari. Sed id iam vetitum videtur in cit. decretis Clementis VIII. & Pauli V. quod adduco *tom. 1. Relig. quæst. 5. cap. 23.* Et tenet etiam absque hoc Riccius *2. parte praxi resol. 351. num. 1.*

§. X

49. QVæ hoc §. conceduntur Regularium Superioribus, vt possint Inquisitores delinquentes, etiam in Officio Inquisitionis, punire, etiam eos à dicto officio amouendo, vacare omninò putat Penna *in direct. Inquisit. part. 3. comm. 58. & comm. 61. versu. Quòd si quæras.* Et id pertinere ad Illustriss. Cardinales Inquisitores Generales, ad quos etiam spectat dictos Inquisitores instituere, & destituere. Si autem delinquant in iis, quæ obseruantias, & vota suæ Regulæ concernunt, possunt à Prælatis suæ Religionis puniri. Eymerichus *3. part. direct. quæst. 12.*

CONSTITVTIO V.

Quâ reuocat particulam Bullæ aureæ idest 4. huius Pontificis, §. 6. super absolutionem, & dispensationem Fratrum obtinendam à Generali solum, & dictam facultatem eos habere decernit, qui eam habebant, antequam dicta Bulla aurea emanasset.

SIXTVS EPISCOPVS SERVVS seruorum Dei. Dilectis filiis Vicariis Fratrum obseruantiæ Hispaniæ, & Lombardiæ Ordinis Prædicatorum, ac omnibus Prioribus, & Vicegerentibus eorundem Fratrum ipsis Vicariis subiectis, salutem, & Apostolicam benedictionem.



Voniam omnes Ordinis vestri de Obseruantia Fratres pro eorum absolutionibus, & dispensationibus obtinendis ad Magistrum generalem præfati vestri Ordinis ire tenentur, Statuit prout in summario.

tur, & obligentur, iuxta tenorem Bullæ aureæ nuncupatæ, in qua talis restrictio opponitur, idque Fratribus ipsis magno sit incommoda, propter varios discursus pro quaque re faciendas. Volentes eorum commoditati, & quieti in hoc consulere, supplicationibusque in hac parte nobis porrectis inclinati, vobis, & cuilibet vestrum facultatem, & potestatem concedimus absoluendi, & dispensandi cum Fratribus ipsis sicuti alias ex priuilegio, quod dicitur Mare magnum, facere poteratis, antequam talis Bulla aurea nuncupata emanasset. Illa, cæterisque contrariis quibuscumque obstantibus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die 28. Maij MCCCCLXXXI. Pontificatus nostri anno decimo.

CIRCA CONSTITVTIONEM.

NOto, quòd similem aliam concessionem, & declarationem fecit idem Sixtus pro Fratribus Prædicatoribus, quam refert Rodrig. *in Bullar. in Sixto IV. constit. eius* 22. in qua dat facultatem absoluendi, & dispensandi Generali, & Prouincialibus, ac eorum Vicariis, & illis, quibus hoc committendum præfati duxerint. Prioribus verò conuentualibus concedit, vt habeant solùm eam facultatem, quam per priuilegia habebant ante emanationem Bullæ aureæ.

CONSTITVTIO VI.

Quâ Concedit, vt Fratres cum itinerauerint, vel extra Conuentum fuerint, de licentia suorum Prælatorum, possint confiteri Sacerdotibus quibuscumque sæcularibus, vel Regularibus.

SIXTVS PAPA IV. DILECTIS filiis Vicario, ac Prælatis Conuentuum, ac Monasteriorum reformatorum, & reformandorum Congregationis Prouinciæ Castellæ, & Legionis, salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. I. *SVpplicari nobis humiliter fecistis, vt, cum in constitutionibus, & priuilegiis vestri Ordinis expressè caueatur, ne Fratres Ordinis eiusdem, præterquam suis Prælatis & eorum licentia, Fratribus dicti Ordinis confiteantur, dignaremur concedere, vt aliquando alterius Ordinis Sacerdotibus, maximè necessitate exigente, possint confiteri.* Supplicatio Vide tom. 1. Religiosi, q. 1 c. 21. à conclus. 7. pag. 219.

§. II. *Nos, vt cum maiori animi quiete, & conscientiæ pace Fratres vobis Subditi Altissimo famulari possint, huiusmodi supplicationibus inclinati, vt Fratres, vestra, vel aliorum Prælatorum, & suarum, qui pro tempore erunt, licentia, solummodò tamen cum itinerauerint, vel fuerint extra Conuentus eorum, prout eis concedetis, confiteri possint, & vos quandocumque Sacerdotibus cuiuscumque sæcularis, vel Regularis Ordinis confiteri valeatis, tenore præsentium auctoritate Apostolica concedimus, & indulgemus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die* 11. *Augusti, anno MCCCCLXXIX. Pontific. nostri anno IX.* Concedit, prout in summario.

NOta, quòd huc esset transferenda constitutio Sixti IV. de auctoritate Protectorum, quam ponit Passatell, *in nostra constit.* quæ incipit, *Sancta Minorum Religio*; confirmata à Iulio II. & Greg. XIII. vt refert Rodrig. *in Bull. in Gregorio XIII. constitut. eius 4. pag.* 454 & à Paulo V. per suam constit. 53. quæ incipit, *Cum ordo*, apud Cherub. *tom. 3. bull. pag.* 243. Sed quia eam video parum obseruari, & retuli ad verbum *tom. 1. Religiosi, quæst. 1. cap.* 18. §. 3. ideò eam hic omisi, ne liber absque vel paruo fructu cresceret cum iactura. Omisi hic etiam constitutionem huius Pontificis, quæ incipit, *Sacrosancta*, quòd Fratres tertij Ordinis Minorum gaudeant priuilegiis, quia eam habes infra in constitutione prima Leonis X. ad nostros tertiarios specialiter extensam.

INNOCENTII

INNOCENTII VIII.

ITALI GENVENSIS, AARONIS DE CIBO filij, Anno Dom. 1484. die 29. Aug. ad Summum Pontificatum assumpti, qui dedit Ordini nostro infrascripta.

CONSTITVTIO VNICA.

Quâ confirmat priuilegia Pyrrhi, & Sixti IV. ex certa scientia.

INNOCENTIVS EPISCOPVS Seruus seruorum Dei. Dilectis Filiis F. Francisco de Paula, cæterisque Fratribus Eremitis Eremitorij Sancti Francisci de Paula, Consentinensis Diœcesis, præsentibus, & futuris salutem, & Apostolicam benedictionem.

Proœmium. *Pastoris officium nobis, licet immeritis, diuina dispositione commissum, nostram continuè mentem excitat, & inducit, vt ad ea sollicitè attendamus, quæ diuini cultus augmentum, & piorum locorum, aut in illis personarum, sub humili, & Religioso habitu vacantium commodum, & vtilitatem respiciunt, & ea, quæ propterea à Sede Apostolica processisse comperimus, vberioris Apostolici muniminis adminicula fulcire satagimus, vt eo firmiùs illibata persistant, quò sæpiùs fuerint eiusdem præsidio Sedis communita.*

Ponit const. 2. Sixti IV. §. 1. *Dudum siquidem à fel. rec. D. Sixto Papa IV. prædecessore nostro literæ emanarunt tenoris subsequentis. Sixtus Episcopus, &c. Sedes Apostolica, &c.* vt suprà in constit. 2. Sixti IV.

Supplicatio. §. 2. *Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, à nonnullis de laudis, approbationis, confirmationis, communitionis, suppletionis, voluntatis, concessionis, & indulti prædictorum iuribus hæsitari posset, vos ad tollendum omnem personarum hæsitationem, præmissa omnia, & singula, ac pro eorum subsistentia firmiori cupiatis nostra approbationis munimine roborari.*

Confirmat ex certa scientia priuileg. Pyrrhi, & Sixti. §. 3. *Nos vestræ Congregationis, ac personarum eiusdem statum prosperum, & tranquillum paterno zelantes affectu, in hac parte supplicationibus inclinati, dictas, & prainsertas dicti prædecessoris literas, ac omnia, & singula in eis contenta recensentes; laudem, approbationem, confirmationem, communitionem, suppletionem, decretum, exemptionem, liberationem, susceptionem, voluntatem, concessionem, & indulta huiusmodi, ac, prout illa concernunt, omnia, & singula in iisdem literis contenta, & narrata, auctoritate Apostolica, ex certo nostra scientia, tenore præsentium de nouo confirmamus, ac approbamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Necnon omnes & singulos defectus, si qui forsan in eisdem concessionibus, donationibus, gratiis, & indultis, ac in prædecessoris prainsertis, ac Archiepiscopi prædictorum literis huiusmodi contentis, quæ altàs præsentibus haberi volumus pro expressis, quomodolibet interuenerint, auctoritate, & scientia similibus supplemus.*

Deputat Commissarios. §. 4. *Nihilominus vniuersis, & singulis Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & Prioribus, Præpositis, Decanis, Archidiaconis, Cantoribus, Succentoribus, aliisque personis in dignitate Ecclesiastica constitutis, ac Canonicis Ecclesiarum Cathedralium committimus, & mandamus, quatenus ipsi, plures, vel duo, aut vnus eorum, per se, vel alium, seu alios præsentes literas nostras, vbi, & quando, quoties expediens fuerit, & pro parte vestra, aut alicuius vestrum fuerint requisiti desuper hoc, solemniter publicantes, vobisque in præmissis opportunæ defensionis præsidio assistentes, non permittent, vos, aut aliquem vestrum, seu loca, & bona vestra contra præsentium, & prædictarum dicti prædecessoris literarum tenorem quomodolibet molestari; molestatores, & contradictores quoslibet, & rebelles per censuram Ecclesiasticam, & alia iuris remedia compescendo.*

Derogat contrariis. §. 5. *Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus illis, quæ prædictus prædecessor in suis literis prainsertis voluit non obstare, contrariis quibuscumque aut si aliquibus communiter, vel diuisim, à Sede prædicta indultum existat, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.*

§. 6.

Transumptis fidem adhiberi iubet.

§. 6. *Caterùm quia difficile esset præsentes literas ad quacumque loca, in quibus illa forent necessaria, transferri, volumus, & auctoritate nostra decernimus, quòd earum transumptis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Archiepiscopi, vel Episcopi, vel alterius Pralati munitis, prorsus in iudicia, & extra fides plenaria adhibeatur, & illis stetur in omnibus, & per omnia, sicut originalibus adhiberetur, & eis staretur, si forent exhibita, vel ostensa.*

Decretum irritans.

§. 7. *Et insuper ex nunc irritum decernimus, & inane, si secùs super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, præsentibus, perpetuis, futuris temporibus duraturis. Nulli ergò omninò hominum liceat, &c. Datum Romæ apud Sanctum Patrum, anno Incarnationis Daminica MCCCCLXXXV.* 10. *Kal. Aprilis, Pontific. nostri anno secundo.*

§. IV.

1. NOto 1. quòd ad illam clausulam *Quoties expediens fuerit*, quòd ista clausula continet æquitatem, & vtilitatem. Archidiac. *in cap. Cap. Cum expediat, de elect. in* 6. Colligitur *ex cap. Non solùm, de regul. eod. lib.*

2. Noto 2. quò ad illam clausolam *Contradictores*, &c. quòd intelligitur de iis, qui contradicunt de facto, non de iure. Ita Felin. *in cap. Super eo, numero quinto de off. deleg. & in cap. Causam, quo, de rescript. num.* 19. Abbas *in cap. Pro illorum, num.* 9. *de prob.* vbi Glossa *verbo Contradictores.* Rodrig. *tom.* 1. *quæst. regul. quæst.* 8. *art.* 12. Nauarr. *in cap. Cum contingat, de rescript. causa nullitatis* 7. *num.* 3.

3. Noto vlteriùs, quod per istam clausolam datur auctoritas prædictis Prælatis compescendi non solùm partes molestantes, sed etiam extraneos quoscumque, Abbas *dicto cap. Pro illorum*, & Glossa cit.

4. Et aduerte, quòd per Ecclesiasticam censuram intelligitur non solùm interdicti, sed etiam suspensionis, & excommunicationis sententia. Ita expresse *in cap. Quærenti, de verb. signific.* vbi Abbas.

ALEXANDRI VI.

HISPANI, EX CIVITATE VALENTIÆ, Iofredi de Borgia filij, qui Cathedram Summi Pontificatus adeptus est anno 1492. die 11. Aug. & dedit Ordini nostro multa priuilegia; Sed hoc solùm dicit se vidisse authenticum Passarellus.

CONSTITVTIO I.

Quâ approbat primam Regulam, & mutat nomem Eremitarum in nomen Minimorum.

ALEXANDER EPISCOPVS, Seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.



Eritis Religiosa vita, quam dilecti Filij Franciscus de Paula, & eius socij Eremita Eremitorij S. Francisci de Paula Diœcesis Consentinensis ad obsequendum Altißimo elegerunt, inducimur, & exempla boni operis excitamur, vt iis, qua pro eorum directione vatina ab eodem Francisco prouidè ordinata sunt, vt firmius illibata permaneant, Apostolica Sedis, cui immediatè sunt subiecti, muninime robaremus.

Supplicatio.

§. 1. *Sanè pro parte eorundem Eremitarum nobis nuper exhibita petitio continebat, quòd prædictus Franciscus habens ad hoc, vt asserebat, à bona memoria Pyrrho Archiepiscopo Consentino specialem per illius literas facultatem, per fel. rec. Sixtum IV. Et Innocentium VIII. Romanos Pontifices, pradecessores nostros succesiuè confirmatam, & ad quacumque loca, qua eidem Congregationi donari contingeret, ampliatam, provt in dicti Archiepiscopi authenticis, & dictarum pradecessorum Apostolicis literis pleniùs continetur, illarum vigore pro salubri directione Eremitarum Societatis eiusdem, nominibus omnium statuta aliqua, ex quibus augmentum, & animarum eorundem salutem, in beneplacitis diuina valuntatis, & vita Eremitica huiusmodi perseuerantiam, & eorum prosperitatis votiua successus concernentia, sacris Canonibus non contraria, in tredecim capitulis contenta, statuit, & ordinauit, voluitque, & mandauit, per eiusdem Societatis Eremitas perpetuis temporibus obseruari. Quare pro parte Francisci, & Eremitarum prædictorum nobis fuit humilitar supplicatum; vt eiusdem Francisci statutis, & ordinationibus huiusmodi pro earum subsistentia firmiori, roborationis, confirmationis adijcere firmitatem, aliasque eis super eorundem sic statutarum, & ordinatorum obseruantia opportunè prouidere de benignitate Apostalica dignaremur.*

Approbat primam Regulam etiam ad instantiā Caroli Regis Francorum.

§. 2. *Nos igitur, qui amatores huiusmodi Eremitica vita, qua solitudine contenta versatur in abditis, & nunquam minùs sola est, quàm cum sola esse reputatur, quia cælestis patria contemplatio*

templatio

templatio illam sociatur, & comitatur, & dum sacularis conuersationis commercio caret, cœlestis alimonia pabulo resocillatur, & gaudet, liberter in suo laudabili proposito confouemus, & tanquam tmissimo calle incedentes, & pauperes spiritu, quos Dominus noster Iesus Christus beatos esse dixit, quoniam ipsorum est regnum cælorum, pia, & paterna charitate prosequimur, & eis, quantum cum Deo possumus, fauorem beneuoli impertimur huiusmodi: Nec non charissimi in Christo filij nostri Caroli Francorum Regis illustris, qui, vt asseritur, ad eosdem Eremitas specialem gerit deuotionis affectum, & quandam domum cum Oratorio, & opportunis officinis extra, & propè Ciuitatem Thuronensem construi, & adificari eisdem Eremitis cum instantia humiliter supplicantis supplicationibus inclinati, eiusdem Francisci statuta, & ordinationes huiusmodi, ac omnia, & singula in dictis capitulis contenta, qua diligenter inspici, ac prasentibus de verbo ad verbum annotari fecimus, auctoritate Apostolica prasentium tenore approbamus, & confirmamus, ac prasentis scripti patrocinio communimus, supplemusque omnes, & singulos defectus, si qui forsan interuenerint in eisdem. Et pro potiori cautela ea omnia, qua per eundem Franciscum ordinata, & prohibita fuerunt, de nono dicta auctoritate statuimus, & ordinamus, prohibemus, & permittimus. Ac volumus iuxta earum seriem, & continentiam perpetuis futuris temporibus per eiusdem Societatis Eremitas, qui nunc sunt, & perpetuis futuris temporibus qui erunt, pro eorum regulari. bus institutis, eosque Eremitas Ordinis Minimorum Fratrum Eremitarum F. Francisci de Paula in posterum nuncupari, inuiolabiliter obseruari. Nulli ergo omninò hominum liceat, &c. Datum Roma apud Sanctum Petrum, anno Incarnation. Dominica MCCCCLXXXXII. quarto Kal. Martij, Pontificat. nostri anno primo.

§. II.

1. NOto 1. quòd ista confirmatio primæ Regulæ de Alexandro facta, non est in forma communi, sed ex certa scientia, & licèt ista verba, Ex certa scientia, seù, De plenitudine potestatis, hic non ponantur, non per hoc desinit esse ex certa scientia, nam soprà *in constitut. 2. Sixti IV. num.* 3. diximus, quòd confirmatio est ex certa scientia, quandò ex ea constat, Papam fuisse sufficieoter informatum, & quòd tunc erat sufficienter informatum, quando in confirmatione apponebatur per extensum res confirmata, quod hic factum fuisse constat ex illis verbis huius §. 2. *Qua diligenter inspici, ac prasentibus de verbo ad verbum annotari fecimus.* Per quæ verba satis declarat Papa, se habuisse claram notitiam dictæ primæ Regulæ. Videatur Farinac. 2. *part. decis. tom.* 1. *decis.* 339, *num.* 2.

2. Noto 2. specialem deuotionem ad Ordinem nostrum Caroli Regis Francorum, Patrem Ludouicum imitantis, qui S. P. N. ex Italia in Galliam, mediante Sixti I V. Summi Pontificis præcepto, auocauit. Qui Carolus, vt hic constat, supplicauit pro confirmatione dictæ primæ Regulæ.

3. Noto etiam, quòd ad instantiam S. P. N. iste Pontifex mutauit nomen Eremitarum in Illustrissimum, & excellentissimum nomen Minimorum. Et omnia concessa Ordini nostro sub nomine Eremitarum Iulius II. *in eius constitut.* 1. §. 34. *infra*, eidem Ordini concessit sub nomine Minimorum erecto. Quod etiam fecerat Alexander V I. per aliam suam constitut. quam hic non habes, quia inseritur *in constitut. 1. Iulij II.* §. 7.

4. Noto etiam, quòd idem Pontifex omnes gratias, priuilegia, indulta, & indulgentias à suis prædecessoribus concessa Ordini nostro approbauit, & confirmauit, vt constat *ex constit.* 1. *Iulij II.* §. 4.

5. Confirmauit etiam communionem priuilegiorum Mendicantium Ordini nostro concessam à Sixto, & Innocentio. Et si aliqua præterea priuilegia dictis Ordinibus Mendicantium ab Apostolica Sede essent concessa post dictam communionem factam à dictis Pontificibus Sixto, & Innocentio, iste Pontifex ea etiam ad Ordinem nostrum extendit, & ampliauit, vt constat *ex dicta* 1. *constit. Iulij II.* §. 5.

6. Approbauit etiam, & confirmauit hic idem Pontifex per alias suas literas ex certa scientia omnia nobis concessa à Pyttho, Sixto, & Innocentio. Et quia S. P. N. primam Regulam 13. capitulis contentam reformauit in melius, & ad decem capitula reduxit, istam etiam Regulam approbauit, & confirmauit. Sicut etiam confirmauit Regulam Tertiariorum & multa alia concessit, vt constat *ex const.* 1. *Iulij II* §. 6. *& sequent.*

CONSTITVTIO II.

Quâ concedit, quòd Tertiariis nostris possimus Eucharistiam, etiam in die Pascha, & Extremam-vnctionem ministrare.

ALEXANDER PAPA VI.

Dilecto filio Vicario generali Congregationis Lombardiæ, Ordinis Prædicatorum, salutem, & Apostolicam benedictionem.



Onsiderantes vberes fructus, quos Fratres Ordinis Pradicatorum Congregationis Lombardia ad salutionem animatum Christi fidelium in militanti Ecclesia produxerunt hactenus, meritò inducimur, vt eos spiritualibus fauoribus, & gratiu prosequamur.

§. 1. *Hinc est, quòd nos tuis in hac parte supplicationibus inclinati, singulis Fratribus Ordinis, & Congregationis huiusmodi in Presbyteratus ordine constitutis, nunc, & pro tempore existentibus, quòd de licentia tua, aut, qui pro tempore extiterit, generalis Vicarij, vel Prioris, seù Prasidentis domus, Ordinis, & Congregationis huiusmodi, in qua eos pro tempore residere contigerit, omnibus, & singulis Fratribus, & sororibus tertij Ordinis; de pœnitentia Beati Dominici nuncupatis, nunc & pro tempore existentibus (quando id petierint) tam in die Pascha, seù festi Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, & infrà eiusdem festi octauam, quàm etiam aliis diebus, etiam iu mortis articulo, Eu-* Statuit proùt in sum n. Tu vide supra const. 4. Sixti IV. num. 19. & limita vt ibi.

V *charistia,*

chariſtiæ, & alia Eccleſiaſtica Sacramenta quæcumque exhibere, & miniſtrare. Ipſique Fratres, & ſorores Euchariſtiæ, & alia Sacramenta huiuſmodi ab eiſdem Fratribus Ordinis Prædicatorum, & Congregationis huiuſmodi recipere liberè, & licitè valeant, cuiuſvis licentia ſuper hoc minimè obtenta, ſeu etiam petita, auctoritate Apoſtolica licentiam concedimus, & facultatem per præſentes.

Derogat contrariis.

§. 2. *Non obſtantibus quibuſvis Apoſtolicis, ac in Prouincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus, & ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, ac Congregationis, & Ordinum prædictorum iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub Annulo Piſcatoris, die 30. Septembris MCCCCLXXXXV. Pontificatus noſtri anno 4.*

CONSTITVTIO III.

Quâ mandat, quòd ad Epiſcopatum, ſeu alias dignitates extra Ordinem aſſumpti, reſignent omnia, quæ tempore aſſumptionis habere continget, Superioribus Ordinis.

ALEXANDER EPISCOPVS. Seruus ſeruorum Dei. Dilectis filiis Magiſtro, & Prioribus Prouincialibus Ordinis Fratrum Prædicatorum ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Supplicatio. Attende, quod ille eſt Alexand. IV. ego ordinem ? aſſatelli ſequor.

§. 1. *Ex parte veſtra nobis extitit intimatum, quòd cum contingat interdùm, ad Epiſcopatum, & alias dignitates aliquos de Fratribus veſtri Ordinis promoueri, ipſi libros, & alia, quæ tempore ſuæ promotionis habebant, licèt non ad eos (cum proprium habere non liceat) ſed ad Ordinem pertineant, nihilominus propriis vſibus applicare præſumunt in ſuarum præiudicium animarum. Quare ſuppliciter poſtulaſtis à nobis, vt prouidere ſuper hoc ſalubriter curaremus.*

Statuit prove in ſum. vide

§. 2. *Nos igitur eorundem Fratrum ſaluti paternè volentes ſollicitudine prouidere, vt libros, & alia, quæ ipſos promotionis ſuæ tempore habuiſſe, ſeu habere conſtiterit, tibi, fili Magiſter, Prioribus, & Conuentibus ſuis, ſubmota qualibet dilatione, reſignent, ipſis Fratribus iam promotis in virtute obedientiæ præſertim auctoritate mandamus. Illos autem, quos promoueri contigerit, ne reſignare differant, diſtrictiùs inhibemus: Niſi forſan eorum vſum eis ad tempus de gratia duxeritis concedendum. Datum Neapoli 5. Idus Maij, Pontific. noſtri anno primo.* tom. 1. Relig. q. 1. cap. 10. §. vii. cõci. 24

CONSTITVTIO IV.

Quâ concedit, quòd famuli ſeruitiis Fratrum deputati, & Procuratores, & operarij non poſſint excommunicari, & quòd poſſint intereſſe diuinis tempore interdicti.

ALEXANDER EPISCOPVS. Seruus ſeruorum Dei. Dilectis filiis generali Magiſtro, & vniuerſis Fratribus Ordinis Prædicarorum ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.



T in veſtris domibus ſeruientes in miniſteriis opportunus, ob veſtri gratiam, quam apud Sedem Apoſtolicam ſedulè deuotionis veſtræ obſequia promerentur, noſtræ gratiæ inanes non reddantur immunes, nos veſtræ deuotionis precibus inclinati, quòd ſi quando in perſonas, vel terras, in quibus reſidetis, excommunicationis, ſeu interdicti ſententiam contigerit promulgari, pueri veſtris ſeruitiis deputati, negotiorumque Procuratores, & operarij, qui in veſtris locis eorum operibus perſonaliter conſtitui inſtiterint, huiuſmodi ſententiis obnoxij nullatenùs habeantur: ibique poſſint audire diuina iuxta formam, quæ in locis ipſis in eo caſu à Sede Apoſtolica eſt conceſſa, niſi eidem cauſam dederint, vel excommunicari ſpecialiter, ſeù interdici contingat eoſdem, auctoritate vobis præſentium indulgemus. Nulli ergò omninò hominum liceat, &c. Datum Ananiæ 5. Kal. Iulij, Pontific. noſtri anno primo.

Alexand. IV. ſtatuit prove in ſum. Quò ad ſententias non incurrendas limita iuxta Trident. ſeſſ. 24. cap. 11. de reform. Si actu ſeruiunt, & in Monaſteriis viuunt. Quoad audienda ſacra tempore interdicti valet iuxta dicta ſupra in conſtit. 2. Sixti IV. num. 55.

IVLII II.

ITALI, EX CIVITATE SAVONÆ, GENVENSIVM iurisdictione, Raphaëlis de Ruuere filij, anno Domini 1503. die 10. Nouembris ad Pontificatum assumpti, qui Ordini nostro multa concessit.

CONSTITVTIO I.

Quâ confirmat omnia priuilegia, à suis prædecessoribus nobis concessa, & quamplurima de nouo concedit.

IVLIVS EPISCOPVS, SERVVS seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium



Vm ad sacrum Ordinem Minimorũ, olim per fel. rec. Sixtum IV. Innocẽtium VIII. & Alexandrũ VI. Rom. Pont. prædecessores nostros salubriter approbatum, ac variis priuilegiis cum Regula approbatione multipliciter decoratum nostræ considerationis aciem dirigimus. Dum etiam intrà nostræ mentis abscondita reuoluimus fructus vberes, quos, dextera Domini opitulante, & Apostolica Sede benedicẽte, dilectus filius Franciscus de Paula prædicti Ordinis Pater, ac institutor & quod vixerit generalis Corrector, exemplo B. Francisci, ardẽtissimus nostri Redemptoris imitator, in agro militantis Ecclesiæ producere non desinit, ac etiam salutifera exempla, ad quæ imitanda Christi fideles ex eiusdem Francisci de Paula, & aliorum fratrũ dicti Ordinis arctissima vita, quam ipsi ad obsequendum Altissimo sub Euãgelico iugo, ac humili habitu, & humilitatis spiritu, spreto sæculo, ac pompis eius, voluntariè assumpserunt, in perpetua Christi seruitute laudes diuinas die, noctuq; summa cum deuotione Domino persoluentes, quotidie inducuntur. Dignũ, imò debitum reputamus, vt Ordo ipse apud eandem Sedem gratiam liberalitatis inueniat, & gratia, & priuilegia illi quomodolibet concessa, per ipsius Sedis approbationem remaneant illæsa.

Ponit tehorem conft. 1. & 2. Sixti IV.

§. I. Dudum siquidem præfato Sixto prædecessori nostro, &c. vt sup. in conſt. 1. & 2. Sixti IV.

Innocent. VIII. vt sup. in eo. literas Sixti approbauit.

§. II. Et successiuè præfatus Innocentius etiã prædecessor per alias suas literas, in quibus literæ prædicti Sixti prædecessoris de verbo ad verbum insertæ fuerunt, easdem Sixti prædecessoris huiusmodi literas, ac omnia, & singula in eis contenta recensens, laudationem, confirmationem, approbationem, communitionem, suppletionem, decretum, exemptionem, susceptionem, voluntatem, concessionem, & indulta huiusmodi, ac, prout illa concernebant, omnia, & singula in eis contenta, & narrata auctoritate Apostolica, & scientia prædictis confirmauit, & approbauit, suique scripti patrocinio cum simili defectuum suppletione communiuit, & voluit, & dicta auctoritate decreuit, quòd earundem literarum suarum transumptis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Archiepiscopi, vel Episcopi, aut alterius Prælati munitis, prorsus in iudicio, & extra fides plena adhiberetur, & illis staretur in omnibus, & per omnia, sicut ipsis originalibus literis adhiberetur, & staretur, si forent exhibita, vel ostensa; Decreuitque irritum & inane, si secus super iis, à quoquam, quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit, communiter, vel diuisim attentari.

§. III. Postmodùm verò pro parte Francisci de Paula, & Eremitarum prædictorum eidem Alexandro prædecessori etiam exposito, quòd ipse Franciscus de Paula habens ad id ab eodem Pyrrho Archiepiscopo specialem per illius literas facultatem per eosdem Sixtum & Innocentium prædecessores successiuè confirmatam, & ad quæcumque loca, quæ eidem Congregationi donari contingeret, ampliatam: illarum vigore pro salubri directione Eremitarum Societatis huiusmodi, nonnulla diuini cultus augmentum, & animarum salutem, vitæque Eremiticæ huiusmodi perseuerantiam, ac eorum votiua prosperitatis successus concernentia, sacris Canonibus non contraria sub Regula Ordinis Fratrum Minimorum pauperum Eremitarum dicti Francisci de Paula in tredecim capitulis contenta statuerat, & ordinauerat, quæ voluerat, & mandauerat per eiusdem Societatis Eremitas, & Fratres perpetuis futuris temporibus obseruari. Idem Alexander prædecessor per reliquas suas, statuta, & ordinationes huiusmodi, ac omnia, & singula in dictis capitulis contenta, quæ tunc diligenter inspici, ac de verbo ad verbum in dictis suis literis inseri fecit, cum suppletione defectuum approbauit, & confirmauit. Alexand. VI. vt sup. in eius conſt. 1. approbauit 2. Regulam.

§. IV. Præterea idem Alexander prædecessor per alias suas in forma Breuis literas, omnia, & singula priuilegia, indulgentias, immunitates, exemptiones, gratias, & multa quæcumque Francisco de Paula, & Eremitis huiusmodi, ac eorum Ordini, domibus etiam ante erectionem huiusmodi Ordinis, dum adhuc Eremitæ nuncupabantur, per eosdem Sixtum, & Innocentium suos, & ipsum Alexandrum Idem Alexander per alias suas literas, quæ hic non habentur, priuilegia Sixti & Innocentij confirmauit.

xandrum nostros prædecessores quomodocumq; cõcessa,quæ omnia,& singula pro expressis haberi voluit,auctoritate Apostolica præfata approbauit,& perpetuæ robur firmitatis eadẽ obtinere decreuit.

Sixtus,Innocentius & Alexander priuilegia Mendicantium Ordini nostro concesserunt.

§. *V. Et quia Sixtus; & Innocentius prædecessores præfati singula priuilegia, exemptiones, immunitates, indulgentias, & indulta quacumque Prædicatorum, Minorum, Eremitarum, Sancti Augustini, ac Carmelitarum, necnon aliis Mendicantium Ordinibus, & eorum cuilibet, ac illorum professoribus, & domibus, ac eorum Ecclesias visitantibus quomodocumque concessa, ad Ordinem Minimorũ huiusmodi extenderant: Idem Alexander prædecessor pariter eorum extensionem confirmauit. Et si qua alia indulta, priuilegia, & gratiæ post datam extensionis huiusmodi à dictis prædecessoribus, vel ab ipso Alexandro eisdem Ordinibus Mendicantium, aut alicui eorum concessa essent: Illa etiam ad eosdem Eremitas, & Fratres, & ad illorum Ordinem, ac domos extendit, & ampliauit,ac ipsis suffragari voluit in omnibus, & per omnia, ac si pro eisdem Eremitis, & illorum Ordine huiusmodi emanassent.*

Et idem Alexander Regulã pro Fratribus à P.N reformatam, & aliam pro tertiariis ab eodem editã approbauit.

§. *VI. Et deinde pro parte Francisci de Paula, & Eremitarum, seu Fratrum prædictorum eidem Alexandro prædecessori similiter exposito, quòd ipse Franciscus de Paula tredecim capitula statutorum, & ordinationum prædictorum in decem capitula reduxerat, & eorum aliqua pro salubri directione Fratrum Minimorum Ordinis huiusmodi, olim Societatis dictorum Eremitarum, mutauerat, aliqua etiam addiderat, quæ voluerat, & mandauerat per eosdem Fratres deinceps perpetuis futuris temporibus, Prioribus omissis, pro salubri eorum Regula teneri, & obseruari. Quódque ipse Franciscus de Paula Regulam, seu modum viuendi sui tertij Ordinis pro vtriusque sexus personis sub eadem Regula, seu modo viuendi, quæ septem dumtaxat clauderetur capitulis, pœnitentiam agere volentibus, per eundem Alexandrum prædecessorem benedici, approbari, & confirmari cupiebat. Idem Alexander prædecessor Pyrrhi Archiepiscopi,ac Sixti, & Innocentij prædecessorum prædictorum,ac suas literas prædictas, necnon omnia, & singula in eis contenta, alia quoque priuilegia, concessiones, immunitates, exemptiones, & indulta quæcumque eisdem Fratribus Minimis, ac eorum Ordini, & domibus à Sede prædicta, vel eius Legatis, seu alias quomodocumque facta, & concessa, necnon reductionem, mutationem, & alterationem dictorum decem capitulorum, seu Regulam, ipsorum Fratrum Minimorum, necnon Regulam, seu modum viuendi tertij Ordinis huiusmodi pro vtriusque sexus personis, & in vtriusque Regula capitulis contenta quæcumque: Quæ omnia diligenter inspici, ac de verbo ad verbum inseri fecit, cum suppletione defectuum approbauit, & confirmauit.*

Idem Alexander Societatẽ Eremitarum in Ordinẽ Fra-

§. *VII. Et pro potiori cautela Societatem pauperum quondam Eremitarum huiusmodi in Ordinem Fratrum Minimorum dicti Francisci de Paula, priore cassata, & omissa, sub huiusmodi noua Regula erexit, & singulas literas prædictas, ac in eis contenta quæcumque, necnon priuilegia, & indulgentias, tam generales, quam speciales, concessiones, immunitates, exemptiones, & indulta quæcumque eisdem Fratribus, ac eorum Ordini, & domibus à Sede prædicta, vel eius Legatis, seu alias quomodocumque facta, & concessa. Quæ omnia, & singula, ac si in dictis suis litteris inserta forent, haberi voluit pro expressis, innouauit, & de nouo concessit. Ac omnia, quæ circa statuta, & ordinationes huiusmodi confirmata, & per eundem Franciscum de Paula reducta, mutata, & alterata fuerant, de nouo reduxit, mutauit, & alterauit.*

trum Minimos iam institui, & gratias iam concessas confirmauit.

Dictamque secundam Regulam à Fratribus Minimis seruari iussit.

§. *VIII. Regulamque Minimorum Fratrum huiusmodi sic innouatam, & Regulam, seu modum viuendi tertiariorum Ordinis eiusdem laudauit, benedixit, approbauit, & confirmauit, ac voluit, Regulam ipsam sic innouatam, seu contentam in dictis decem capitulis, iuxta eorũ tenorem perpetuis futuris tẽporib. per Ordinis Minimorũ huiusmodi Fratres, qui tunc erant, & pro tẽpore essent, eo modo pro eorum regularibus institutis custodiri.*

Tertiariorũ quoque Regulam suscipi posse decreuit.

§. *IX. Regulam quoque, seu modum viuendi tertiariorum huiusmodi per quascumque personas vtriusque sexus suscipi posse, ac pro pia in Christo Regula, & modo viuendi salutari, & commodo amplecti, & obseruari.*

B. Franciscũ dicti Ordinis nostri Correctorẽ declarauit.

§. *X. Ipsumque Franciscum de Paula non tam Religiosissimi Ordinis Minimorum huiusmodi primarium Patrem, ac Institutorem, quàm etiam priscorum beatorum Patrum fidelissimum imitatorẽ, suarumq; laudabilium institutionum diligẽtem innouatorem in personarũ Ordinis Minimorũ huiusmodi præcipuum Patrem, ac Superiorem, & quãdiu viueret generalẽ Correctorẽ irrefragabiliter instituit, ac institutũ laudauit, & confirmauit.*

Indulgentias Ordini concessit. Sed hodie vacãt per const. Pauli V. inf.

§. *XI. Ac etiam concessit, & indulsit, quòd omnes, & singuli Ordinis Minimorum Fratres præsentes, & futuri, qui singulis Quadragesimæ, & aliis cuiuslibet anni stationũ temporibus aliquam ipsorum Ecclesiã, vel aliam, in qua eos pro tempore cum obedientia merito fore contingeret, visitarẽt, & inibi ante illius altare maius quinquies orationẽ Dominicã, & toties salutationẽ Angelicã deuotè recitarẽt, omnes, ac singulas indulgẽtias, consequerentur, & consequi possent, quas tẽporibus huiusmodi consequuntur visitãtes Ecclesias stationũ Vrbis, & alias extra illius muros pro stationib. deputatas. Quasque fratres ipsi cõsequerẽtur, & consequi possent, si Ecclesias stationũ huiusmodi eisdem temporib. personaliter visitarẽt.*

Bona omnia piè elargita retinendi facultatem concessit sub prohibitione tamen, quòd in iudicio non repetantur.

§. *XII. Instituit etiã, atque ordinauit ob sanctæ vitæ quadragesimalis obseruantiã, quòd si qui deuotionis gratia, vel pietatis intuitu, perpetuas, aut tẽporales eleemosynas pro Ecclesia, pauperumq; Fratrũ Minimorum huiusmodi necessitatibus subleuãdis piè legare vellẽt, liceret ipsis Fratrib. Minimis, à promissa paupertatis perfectione, puritateq; nõ recedẽda, perpetuas, & tẽporales eleemosynas huiusmodi, vtẽsilia quoque, ac oblationes quascumq; cuiuscumq; etiam speciei existerent, seu existere possent,*

sent, quarum tamen dominium, ius, & proprietatem idem Alexander prædecessor penes se, ac Ecclesiam Romanam tunc penitus retinuit, nudo dũtaxat illarum vsu fratribus Ordinis Minimorum huiusmodi simpliciter relicto, per suos, ac præfatæ Sedis, & eiusdem Ordinis Minimorum Procuratores (ad hoc prouida cura, paternaque beneuolentia deputando) suos, & dictæ Romanæ Ecclesiæ nomine ad se recipere. Ipsique Procuratores eleemosynas huiusmodi fratribus ipsis Minimis per se, vel per alios, iuxta piam largientium deuotionem, & intentionem, suamque constitutionem huiusmodi fideliter distribuere, seu distribui facere deberent. Laudauit etiam, & approbauit, quòd vbi perpetuæ, vel temporales eleemosynæ huiusmodi fratribus ipsis Minimis legarentur, tunc Ciuitatis, Villæ, Castri, Oppidi, seù Vici, vbi fratres Ordinis Minimorum huiusmodi loca passim habere contingeret, Rectores, Scabini, Præsides, Consules, Electi, Iurati, aut Domini de consilio, vel alij officiarij quouis nomine nuncupati, in primis vnum, vel plures recollectores eleemosynarum huiusmodi, quæ fratribus ipsis Minimis iuxta piam largientium intentionem haberent distribui per ministerium oblatorum dicti Ordinis Minimorum, vel amicorum spiritualium, per fratres Ordinis Minimorum huiusmodi pro tempore conuentualiter electorum, qui (dum opus foret) deponi, & innouari possent, deputare. Ac de locis, & domibus, quæ Ordini Minimorum huiusmodi, ac illius personis, & fratribus per quoscumque Christi fideles vbilibet concederentur, pro ipsis fratribus Minimis vnum instrumentum publicum, vel plura confici facere, ac eleemosynarum huiusmodi specialem curam, & sollicitudinem habere deberent. Quodque fratres ipsi Minimi super eleemosynis huiusmodi nullatenus cum aliquo in iudicio, vel extra illud contendere, sed potiùs, vt veri pacis filij, & amatores, Rectoribus, Præsidibus, Scabinis, Iuratis, & Consulibus, cæterisque officiariis præfatis illarum curam relinquere, ac sine aliqua contentione in Domino (qui non derelinquit sperantes in se) fiducialiter reponere, ac ostiatim mendicare haberent. Possent tamen fratres ipsi præfatos Dominos de consilio, & politiæ Gubernatores, cæterosque officiarios ad eleemosynas huiusmodi colligendas deputatos, seu deputandos, benignè monere, vt eis legatas eleemosynas huiusmodi pro conscientiarum suarum exoneratione, animarumque dictorum legantiũ salute, iuxta piam legantium deliberationem, & intentionem, sibi fideliter impenderent. Quodque eleemosynæ huiusmodi scripto redigi, & fratribus ipsis Minimis capitulariter declarari, ac scripto taliter redactæ, seu redigendæ, infra cuiuslibet Conuentus Ordinis Minimorum huiusmodi quamlibet conuentualem arcam quatuor clauaturis claudendam reponi, ac per Ordinis Minimorũ huiusmodi Oblatorum, vel amicorum spiritualium ministerium in Ordinis huiusmodi Ecclesiarum, & fratrum vsus conuerti; & postquam fratribus ipsis Minimis de sibi requisitis vestimentis, ac vitæ necessariis, cæterisque præinsertis rationabiliter prouisum foret, si adhuc ex perpetuis, vel temporalibus eleemosynis huiusmodi aliqua superessent, illa charitatiuè per Rectores, Scabinos, Consules, Electos, cæterosque officiarios, præfatos de Capituli localis scientia, & consensu in pias causas erogari deberent; & ipsis fratribus Minimis, ac eorũ Ecclesiis (vt præfertur) competenter prouiso, perpetuas, aut temporales eleemosynas huiusmodi vllatenus procurare, vel iam procuratas augere eis minimè liceret; si tamen illæ fratribus ipsis Minimis vltrò largirentur, illarum census per rectores, Scabinos, Iuratos, & Electos, cæterosque officiarios præfatos in pias causas similiter distribui deberent. Ipsique fratres Ordinis Minimorum huiusmodi in qualibet ipsorum Ecclesia tam constructa, quàm construenda cippũ, seu trucum ad quotidianas deuotorum eleemosynas commode reponendas, vbique habere possent.

§. XIII. Et deindè pro parte præfati Francisci de Paula nobis exposito, quòd licèt olim per præfatum Alexandrum prædecessorem fratrum Ordinis Minimorum huiusmodi Regula approbata, & per eũ, ac Sedem prædictam confirmata fuisset, tamen pro salubriori dictæ Regulæ conseruatione, ac vt illa meliùs & faciliùs ab eius professoribus, tunc, & pro tempore in dicto Ordine degentibus obseruari posset, cupiebat idem Franciscus de Paula nonnullas ordinationes, & statuta salubria facere, quæ fratres dictum Ordinem Minimorum professi seruare, & secundùm quæ contra illa venientes, seu facientes, licèt alias peccatum (secundùm præcepta Ecclesiæ) committere non viderentur, pœna corporali, seù temporali in eisdem statutis contenta per eorum Superiores puniri valerent. Quodque licèt aliàs per Sixtum, Innocentium, ac Alexandrum prædecessores præfatos eisdem fratribus Minimis, quòd omnibus, & singulis priuilegiis, gratiis, indultis, immunitatibus, libertatibus, & exemptionibus, quibus quatuor Mendicantium Ordines, ac illorum personæ vtebantur, & gaudebant, seu vti, & gaudere poterant, in futurum vti, & gaudere valerent, concessum, ac indultum fuisset. Nihilominus tamen eo quod dicti fratres Minimi priuilegia, & indulta huiusmodi originaliter non habebant, ac de illis fidem facere non poterant, & etiam quia illa per nos adhuc confirmata non fuerant, aliqui partim scrupulosa conscientia, & partim inuidia moti, fratres Minimos huiusmodi eisdem priuilegiis, & gratiis gaudere non debere asserebant, quo fiebat vt ipsi fratres Minimi eisdem priuilegiis, & indultis vti posse non sperabant, nisi eis per nos desuper opportunè prouideretur. Nos per reliquas nostras eidem Francisco de Paula quascumque ordinationes, & statuta salubria, & honesta, sacris Canonibus non contraria, & in perpetuum valitura, quæ dicti fratres Minimi seruare, ac secundùm quæ viuere tenerentur, & contra illa venientes, seù facientes, licèt alias peccatum iuxta præcepta huiusmodi committere non viderentur, pœna corporali, seù temporali in eisdem statutis contenta per eorum Superiores mulctari possent, condendi, & faciendi plenam, & liberam præfata Apostolica auctoritate licentiam indulsimus, & facultatem.

Hic Pontifex per aliam eius bullam, quam hic nõ habes; concessit facultatem P. N. condendi statuta pro gubernio Religionis vide tom. 1. Relig. q. 1. cap. 5. & SS. sequ.

Priuilegia quatuor Ordinum mendicantium communicauit.

§. XIV. Ac omnia, & singula priuilegia, gratias, concessiones, immunitates, libertates, exemptiones, ac indulta prædicta, quibus præfati quatuor Mendicantium Ordines, & illorum personæ in genere vtebantur, potiebantur, & gaudebant, seù vti, potiri, & gaudere poterant quomodolibèt in futurum, Ordini Minimorum, ac illius personis, & fratribus huiusmodi concessimus. Ac, vt illis Ordo Minimorum, & illius personæ, & fratres huiusmodi vterentur, potirentur, gauderent, ac vti, potiri, & gaudere liberè, ac licitè valerent, approbauimus, & nostri scripti patrocinio communiuimus. Dictisque fratribus Minimis, vt de dictis priuilegiis, & indultis fidem facere possent, quòd sumpta ex Camera Apostolica super singulis priuilegiis, concessionibus, gratiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, & indultis huiusmodi, præfatis, quatuor Mendicantium Ordinibus per quoscumque Romanos Pontifices, & Sedem præfatam concessis, ac in posterum concedendis, habere, & illa, & literas Apostolicas, eas, & ea quomodolibèt concernentia, necnon literas nostras huiusmodi per ipsius Cameræ Auditorem, & quoscumque alios iudices ordinarios ritè transumptari, & authenticari facere liberè, ac licitè valerent, & postquam transumpta, & authentica forent, illis, ac nostris, & aliis literis huiusmodi super dictis priuilegiis, concessionibus, gratiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, & indultis ad instantiam quatuor Ordinum mendicantium, & personarum, ac fratrum eorundem, aut aliquorum ex eis tam ritè factis, & transumptis, ea prorsùs fides adhiberetur, vbicumque forent exhibita, vel ostensa, ac si nostra etiā aliæ literæ huiusmodi tunc exhiberentur; ac priuilegia, concessiones, gratiæ, immunitates, libertates, exemptiones, & indulta præfata Ordini Minimorum, ac illius personis, & fratribus huiusmodi concessa, & in eis Ordo Minimorum, ac illius fratres, & personæ huiusmodi specialiter, & nominatim expressa fuissent, ac si pro eis principaliter emanassent.

Dictaque priuilegia ad portantes habitum, & famulos, ac eligentes sepulturam in domibus nostris extendit.

§. XV. Quodque de cætero famuli domorum Ordinis Minimorum huiusmodi, necnon cæteri eiusdem Ordinis habitum portantes, & in articulo mortis in dictis domibus sepulturam eligentes, omnibus, & singulis priuilegiis Ordini Minimorum huiusmodi quomodolibèt concessis, gaudere liberè, ac licitè valerent indulsimus.

Quodfratres possent 22. ætatis suæ anno ordinē presbyteratus sumere.

§. XVI. Ac quòd fratres Ordinis Minimorum huiusmodi in vigesimo secundo suæ ætatis anno tunc, & pro tempore constituti, ad presbyteratus ordinem, aliàs tamen ritè se promoueri facere liberè possent.

Molestantes nostros fratres, vel eorū bona excommunicauit. Vide supra in const. Pyrrhi, nu. 33. §. 7

§. XVII. Necnon omnes, & singula personā cuiuscumque status, nobilitatis, & conditionis forent, quæ in causis eorundem fratrum Minimorum se immiscerent, aut in ipsos fratres Minimos manus iniicerent violentas, vel aliàs eos molestarent, aut inquietarent, vel eorum bona auferrent, excommunicationis sententiā eo ipso incurrerent, prout aliis fratribus mendicātibus erat concessū.

Priuilegia Ordinis omnibus eius locis communicauit. Vide hic infra, §. 29 & const. 3. Clem. 7. §. 2.

§. XVIII. Ac omnia, & singula priuilegia indulta, gratia, facultates, ac indulgentiæ vni, aut pluribus domibus dicti Ordinis Minimorum in genere per eundem Sixtum prædecessorem concessa, & in posterum concedenda, omnibus, & singulis aliis domibus, & fratribus Ordinis Minimorum huiusmodi essent, & intelligerētur esse concessa.

§. XIX. Quòdque Generalis, necnon Prouinciales, & eorum Vicarij eiusdem Ordinis Minimorum corporalia, & alia ornamenta Ecclesiastica suorum locorum, ac domorum, præter calices, & patenas, benedicere valerent; concessimus, statuimus, & ordinauimus.

Prælatos Ordinis ornamenta Ecclesiæ benedicere posse voluit.
Noua loca construendi licentiam dedit, nullius Superioris obtenta licentia.

§. XX. Et successiuè pro parte præfati Francisci de Paula nobis etiam exposito, quòd licèt olim Sixtus, & Innocentius prædecessores præfati Francisco de Paula, & aliis personis, ac fratribus Ordinis Minimorum huiusmodi per eorum literas specialem facultatem concessissent recipiendi Ecclesias, Oratoria, & loca, cuiusvis etiam Superioris licentia minimè requisita, pro perpetuis vsu, & habitatione fratrum dicti Ordinis Minimorum, & cōcessionis huiusmodi vigore à triennio, citrà nonnulli Ordinis Minimorum huiusmodi fratres in Diœcesi Hispalensi degentes, à dilecto filio nobili viro moderno Duce, & dilecta in Christo filia nobili muliere moderna Ducissa de Medina cœli, aliisque deuotis personis in dicta Diœcesi Hispalensi degentibus, certum locum eis oblatum recepissent, & inibi vnam domum cum Ecclesia, & aliis officinis necessariis sub inuocatione Sanctæ Mariæ de Victoria, portus B. Mariæ, Ducis, ac Ducissæ, & aliarum deuotarum personarum huiusmodi eleemosynis adiuti construi, & ædificari fecissent, ac domum ipsam per biennium pacificè inhabitassent, die, noctuque Altissimo seruiendo inibi. Quia tamen tunc ab anno circà fratres ipsi in eadem domo habitantes, & Domino taliter seruientes per venerabilem fratrem nostrum modernum Archiepiscopum Hispalensem, & eius officialem, impedimenta plurima habuerant, ità quòd ipse officialis quibuscumque Christi fidelibus sub pœna excommunicationis, ne ad Ecclesiam, & domum vltimò dictas pro audiendis eorundem fratrum missis, & prædicationibus, deuotionis gratia confluerēt, per suas certi tenoris literas valuis dictæ Ecclesiæ affixas prohibuerat, dictisque fratribus impedimenta, & incommoda plurima intulerat, ita etiam quòd præfatus Archiepiscopus prædictam Ecclesiam S. Mariæ de Victoria benedicere, & consecrare noluerat, neq; per alium benedici, seù consecrari præmiserat. Nos Francisco de Paula, & aliis fratribus Ordinis Minimorum huiusmodi omnia, & singula Oratoria, Ecclesias, domos, & loca eisdem Francisco de Paula, & fratribus in posterum concedenda recipere, & illa, ac prædictam de Victoria, & alias domos, seu Ecclesias, loca, & Oratoria quæcumque catenùs vbilibet recepta pro eorum perpetuis vsu, & habitatione vigore concessionis Sixti, & Innocentij prædecessorum prædictorum retinere, construere, & ædificare, seu construi, & ædificari

ædificari facere, absque alia desuper facienda noua concessione Apostolica. Et quòd deinceps Ordinis Minimorum huiusmodi Conseruatores (quotiès opus foret) eidem Ordini Minimorum, ac illius personis, & fratribus in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, ne dictus Archiepiscopus, seu eius officialis, aut alij quicumque cuiuscumque etiam nobilitatis, aut dignitatis existerent, Ordinis Minimorum huiusmodi fratres neque in dicta Diœcesi Hispalensi, neque alibi in aliquo damnificare, molestare, perturbare, nec inquietare vllatenus auderent, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna inhibere possent.

Ecclesias Ordinis quilibet Episcopus cōsecrare potest, recusante Ordinario.

§. XXI. Quòdq; Ordinis Minimorum huiusmodi fratres tunc, & pro tempore existentes prædictam Ecclesiam S. Mariæ de Victoria, & generaliter omnes, & singulas alias eiusdem Ordinis Minimorū Ecclesias, & Oratoria quæcumque recepta, & recipienda, nondùm consecratas, seù consecrata, facta priùs requisitione ab Episcopis locorum, eisdemq; recusantibus, vel negligentibus, per quemlibet aliū catholicum Episcopum gratiam, & communionem dictæ Sedis habentem consecrari facere.

Prælati Ordinis possunt Ecclesias benedicere, & pollutas reconciliare. Vide 2. p. nostri Ritualis in notab.

§. XXII. Ac quòd ipsius Ordinis Minimorum Generalis, & Vigiles, ac Prouinciales, eorumq; vicegerentes, omnes, & singulas eiusdē Ordinis Minimorum Ecclesias, Cœmeteria, Capitula, & Oratoria tàm in dicta Diœcesi Hispalensi, quàm vbicumque receptas, seù recepta, & recipiendas, seù recipienda solemni benedictione benedicere; ac etiàm illas, seu illa, & earum quamlibet sanguinis, siuè seminis effusione, siue aliàs quomodocumque pollutas, seu polluta, quotiès opus foret, aqua tamen priùs per aliquem catholicum Antistitem (vt moris est) benedicta, reconciliare.

Fratres alterius Ordinis iam recepti permaneant, & absolui possint, ac dispensari.

§. XXIII. Ac quòd alterius cuiusuis Ordinis fratres quicumque in dicto Ordine Minimorū, etiam priùs non petita, aut non eo, quo decet, modo petita licentia, iam recepti, absque alia prouisione Apostolica perpetuò in ipso Ordine Minimorum stare, & permanere. Ac idoneum confessorem, qui eos à quacumque excommunicationis sententia (quam propterea incurrissent) Apostolica auctoritate absolueret, secumque super irregularitate eadem de causa contracta dispensaret, sibi eligere possent.

Priuilegia Ordinis Tutricibus & Fundatricibus communicauit.

§. XXIV. Quòdque singulæ Ordinis Minimorum huiusmodi Tutrices, prout ipsius Ordinis Fundatrices, etiam cum eorum vtriusque sexus liberis procreatis, & procreandis, omnibus, ac singulis eiusdem Ordinis Minimorum priuilegiis, gratiis, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, indultis, concessionibus, & indulgentiis vti, potiri, & gaudere liberè, ac licitè valerent, licentiam, & facultatem concessimus, pariter, & indulsimus.

Correctoriū confirmauit, & obseruari mandauit. Hanc confir. habes in princ. Correct. & incipiat, Pastoralis.

§. XXV. Postmodum verò pro parte eiusdem Francisci de Paula similitèr nobis exposito, quòd ipse, postquam præfatus Alexander prædecessor, Sixti, & Innocentij prædecessorum vestigiis inhærendo, sibi vt nonnulla sui Ordinis Minimorum statuta componere, ac illa in melius emendare posset, licentiam concesserat, vnà cum aliquibus eiusdem Ordinis Minimorum patribus statuta ipsa composuerat, ac illa in melius emendauerat, illaque Correctorium fratrum Ordinis Minimorum perpetuò nuncupari, & per eosdem fratres Minimos perpetuis futuris temporibus obseruari, ac per nos benedici, approbari, & confirmari desiderabat. Nos per alias nostras Correctorium ipsum, quod tunc diligenter inspici, & de verbo ad verbum inseri fecimus, approbauimus, & confirmauimus, ac nostri scripti patrocinio communiuimus, illudque per omnes Ordinis Minimorum huiusmodi fratres præsentes, ac futuros pro suo salubri Correctorio perpetuis futuris temporibus teneri, & obseruari, ipsumque perpetuò Correctorium fratrum Ordinis Minimorum dicti Francisci de Paula nuncupari, ac intitulari debere decreuimus, & mandauimus.

Tres Regulas, primam pro fratribus 2. pro sororibus, 3. pro tertiariis editas confirmauit, & obseruari iussit. Hanc confir. habes in principio Regulæ, & incipit, Inter cæteros.

§. XXVI. Successiuè autem pro parte præfati Francisci de Paula etiam nobis exposito, quòd licèt alias ipse dictum Ordinem Minimorū instituisset, ac decem, secundùm quæ fratres eiusdem Ordinis, septem verò, secūdùm quæ vtriusque sexus fideles Tertiarij nuncupati viuere deberent, capitula, Regulam, & modum viuendi concernentia edidisset, illaque per præfatum Alexandrum prædecessorem de venerab. fratrum suorum. S. R. E. Cardinalium consilio (de quorum numero tunc eramus, licèt absentes) confirmari obtinuisset. Quia tamen per illa Ordini Minimorum huiusmodi, & illius personarum directioni non satis videbatur esse consultum, idem Franciscus de Paula cum nonnullis eiusdem Ordinis fratribus, capitulis prædictis diligenter examinatis, ex nouis, & emergentibus causis nonnulla mutanda, seù moderanda, & emendenda fore prospiciens, ea in melius moderauerat, mutauerat, emendauerat, ampliauerat, & reformauerat: Ac sororum eiusdem Ordinis Regulam ad instar Regulæ fratrū Minimorū huiusmodi in decem capitulis redactam de nouo ediderat, & instituerat. Quibus sic redactis, amplicatis, & quæ superflua erant, resecatis, ac aliis de nouo editis, ipse Franciscus de Paula tres Regulas, & capitula huiusmodi voluerat, & mandauerat per singulas dicti Ordinis Minimorū personas præsentes, & futuras, prout eis respectiuè adaptabantur, pro suis salutaribus Regulis perpetuis futuris temporibus teneri, & obseruari, ac earundem primam fratrum Ordinis Minimorum velùt anteà; 2. verò sororum etiam dicti Ordinis Minimorum; 3. autem vtriusque sexus fidelium similiter Ordinis Minimorū huiusmodi Regulas irrefragabiliter appellari, ac per nos benedici, approbari, & confirmari, cupiebat. Nos per reliquas nostras, Regulas, ac statuta, & ordinationes, necnon capitula huiusmodi sic mutata, emendata, moderata, ampliata, & reformata, quæ tunc diligenter inspici, ac de verbo ad verbum inseri fecimus, cum defectuū suppletione approbauimus, & confirmauimus; Ac propotiori cautela ea omnia, quæ per Franciscum de Paula statuta, & ordinata, ac emendata fuerant, de nouo eisdem modo, & forma statuimus, & ordinauimus, ac voluimus, iuxtà eorum seriem, & continentiam ab ipsorum professoribus, qui tunc erant, & pro tempore essent, perpetuis futuris temporibus pro eorum regularibus institutis, prout ipsis respectiuè adaptabantur,

tar, inuiolabiliter obseruari: Dictarumque trium Regularum; primam fratrum Ordinis Minimorum velut anteà; 2. verò sororum etiam eiusdem Ordinis Minimorum; 3. autèm vtriusq; sexus fidelium similiter Ordinis Minimorum huiusmodi Regulas, ipsumque Ordinem, Minimorum Ordinem perpetuò irrefragabilitèr nuncupari.

Fratres molestabantur super quadã Ordinis domo.

§. XXVII. Et deindè pro parte Francisci de Paula, & aliorum fratrum Ordinis Minimorũ huiusmodi nobis etiam exposito, quòd licèt olim præfatus Sixtus prædecessor eis concessisset, quod in quocumque loco, & Diœcesi Ecclesias, & Oratoria recipere possent, ac concessionis huiusmodi vigore quamdam domum dicti Ordinis Minimorum per dilectum filium modernum, Dominum de Rambures infrà limites Ecclesiæ Sancti Vlfrani de Abbatisuilla Ambianensis Diœcesis fundatam, & constructã, ac eisdem Francisco de Paula, & fratribus pro eorum perpetuis vsu, & habitatione concessam recepissent, inibique per trienniũ, & vltrà vixissent, die, noctuque Domino famulantes, ac in humilitatis spiritu vota sua persoluentes; Qui tamẽ dilecti filij Decanus, & Capitulum dictæ Ecclesiæ Sancti Vlfrani prætextu quarumdam literarũ piæ memoriæ Vrbani Papæ Quinti, etiàm prædecessoris nostri eis concessarum per quas inhibuerat, ne aliqui Regulares, vel seculares infrà fines Parochiæ dictæ Ecclesiæ Sancti Vlfrani possent Ecclesiam, vel Oratorium de nouo construere sine eorum consensu, & Diœcesani Episcopi licentia speciali, (saluis tamen Priuilegiis Pontificum Romanorũ) Franciscum de Paula, & fratres Ordinis Minimorum huiusmodi quo minùs præfatam domũ de Abbatisuilla pacificè possidere valerent, diuersimodè molestare præsumebãt; ipsique, necnon tunc Rector parochialis Ecclesiæ S. Ægidij etiam de Abbatisuilla dictæ Ambianensis Diœcesis, corpora defunctorum, qui apud Ecclesiam domus Abbatisuilla huiusmodi suam elegerant sepulturam, ad eorum Ecclesias deferre, & in eis sepelire nõ verebantur in animarum suarum periculum, ac priuilegiorum Ordinis Minimorum, ac illius personis, & fratribus huiusmodi concessorum non modicum præiudiciũ, & grauamen. Nos venerabili fratri nostro moderno Episcopo Parisiensi per reliquas nostras in forma Breuis literas mandauimus, quatenus Francisco de Paula, & aliis fratribus Ordinis Minimorum huiusmodi, quòd omnia, & singula Oratoria, Ecclesias, domos, & loca eis in posterum concedenda recipere, ac dictam de Abbatisuilla, & alias domos, seù Ecclesias, & Oratoria eatenùs per eos recepta, pro eorum perpetuis vsu, & habitatione vigore concessionis Sixti, & Innocentij prædecessorũ prædictorum retinere, absque alia noua desuper facienda cõcessione Apostolica possent, & valerent. Ac quòd ipse Episcopus Parisiensis dicti Ordinis Minimorum Conseruator esset, & (quottès opus foret) Ordini Minimorum, ac illius personis, & fratribus huiusmodi in præmissis efficacis defensionis præsidio assisteret, & non permitteret, quòd Decanus, & Capitulum, aut eorum officialis, aut Rector Ecclesiæ Sancti Ægidij huiusmodi, aut alij qui-

Vide sup. in constit. Pyrrhi, n. 48 & 49 § 9 & hic suprà §. 20.

cumque cuiuscumque etiam nobilitatis, aut dignitatis existerent, fratres Ordinis Minimorum huiusmodi, tam in dicta Diœcesi Ambianẽsi, quàm alibi in aliquo damnificare, molestare, perturbare, aut inquietare vllatenus auderent; Quinimò corpora quorumcumque defunctorum, qui in Ecclesia domus de Abbatisuilla huiusmodi in eorum vita sepeliri elegerant, cum relictis fratribus domus de Abbatisuilla huiusmodi factis, integraliter restituerent, nec ipsi, neque alij prædictos, & quoscumque alios fratres Ordinis Minimorum huiusmodi de cætero super sepulturis, & corporibus illorum, qui in dicta domus de Abbatisuilla; & aliis eiusdem Ordinis Minimorum Ecclesiis eligerent pro tẽpore sepeliri, impedire præsumerent, sub excõmunicationis latæ sententiæ pœna inhiberet; Ac Ecclesias S. Vlfrani, & S. Ægidij huiusmodi, necnon alias, ad quas corpora defunctorum, qui in dicta domus de Abbatisuilla, & aliis Ordinis Minimorum huiusmodi Ecclesiis iuxta ordinationem ipsorum defunctorum sepeliri deberent, deferentur, Ecclesiastico supponeret interdicto. Necnon corpora ipsa eisdem fratribus Minimis in dicta de Abbatisuilla, & aliis cæterarum domorum Ordinis Minimorum huiusmodi Ecclesiis restituerẽt, præfata Apostolica auctoritate concederet, ac desuper statueret, & ordinaret, prout in singulis literis prædictis pleniùs continetur.

Vide infra constit. 2. huius Pontif. §. 21.

§. XXVIII. Cum autẽ, sicut exhibita nobis nuper pro parte dicti Francisci de Paula petitio continebat, à certo tempore citra quadam domus sororum secundi Ordinis Minimorum huiusmodi in Regno Hispaniæ cum Ecclesia, campanili, campana, dormitorio, hortis, hortaliciis, & aliis necessariis officinis constructa, & ædificata, ac per illius sorores iàm per triennium, vel circà inibi iuxta Regulam per præfatum Franciscum de Paula pro eis institutã, aut saltem iuxta Regulæ huiusmodi principaliora, sanctè, ac laudabiliter viuẽtes, inhabitata fuerit; Et licèt iuxta priuilegia, exemptiones, immunitates, & indulta quæcumque singulis Mendicantium Ordinibus, & eorum professoribus, ac domibus, & eorum Ecclesiis per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores, ac Sedẽ huiusmodi quomodocumque concessa, sit vnicuiq; liberum in Ecclesiis dictorum Ordinum suam eligere sepulturam, ac fratres Mendicantium Ordinum huiusmodi de funeralibus quartam funeralem Rectoribus parochialium Ecclesiarum, in quarùm Parochiis sepulturam huiusmodi eligentes degebant: Et de fructibus bonorum immobilium, quæ iuxtà dicta priuilegia possidere, & tenere possunt, decimas, aut oblationes aliquas, etiam ex noualibus soluere minime teneantur. Ipsorumq; quatuor Mendicantium priuilegia ad Ordinem Minimorum huiusmodi, ac illius professores, & domos, ac eorum Ecclesias per præfatos prædecessores, ac Sedem prædictam extensa, & ampliata fuerint, & propterea fratres Ordinis Minimorum huiusmodi dictis priuilegiis gaudere, & à quarta funeralis, & decimarum prædictarum solutione immunes esse debeant. Tamen nonnulla Ecclesiastica persona (præsertim

B Franciscus exposuit huic Pontifici controuersias contra Ordinem motas super solutione decimarum, & quarta funeralium.

præsertim in partibus Gallieanis) contrà priuilegia huiusmodi venire non formidantes, Franeisco de Paula, & aliis Fratribus Ordiais Miaimorum huiusmodi super his plurimas molestias, impedimenta, atque incommoda inserre, aliquando etiam armata manu, per se, vel per alias personas, herbarum, & fructuum ia hortis domorum Ordiais Minimorũ huiusmodi excrescentium decimas violenter eapere, atque exigere : Nonnunquã verò dum corpora defunctorũ ad Ecclesias domorum Ordinis Minimorũ huiusmodi inhumanda cum intortieiis, & aliis luminaribus deferuntur, intorticia, & luminaria huiusmodi etiam in dictis Ecclesiis, & earum Cœmeteriis violẽter auferre, corpora ipsa sic inhumanda etiam ante ipsorum inhumationem iaibi sine luminaribus relinquere, ac super funeralibus, & decimis, neenoa oblationibus Fratribus Ordinis Minimorum huiusmodi factis plurima incommoda iaferre præsumunt.

Supplicauit S. P. N. pro opportuno remedio.

§. XXIX. Pro parte præfati Franrisci de Paula nobis fuit humiliter supplicatũ, vt sibi, quòd dicti Ordiais Minimorum Fratres pro tempore existentes de hortis, ac virgultis, & aliis bonis, Ordinis Minimorũ huiusmodi domibus, & illarum Eeclesiis pro tempore relictis, ac super luminaribus, & aliis rebus diuino cultui pro tẽpore dedicatis, deeimas, aut oblationes aliquas, etiam ex nonalibus, vel quartam ex funeralibus soluere minimè teneantur, nec ad id à quoquam quomodolibet valeãt coarctari, concedere, & indulgere. Ac omnibus, & singulis, tam Pyrrhi Archiepiscopi, quàm Goffredi Episcopi S. Marci, & Sixti, ae Innocentij, necnon Alexandri prædeeessorum prædictorum, ac nostris literis prædictis, necnon priuilegiis, indulgentiis, exemptionibus, libertatibus, indultis, facultatibus, immonitatibus, fauoribus, & gratiis quibuscumque in eis conteotis, sub quovis nomine, ae titulo Ordiai Minimorum huiusmodi, ac illius personis, & domibus quomodolibet concessis, robur Apostolicæ approbationis adijcere, illaque omnia, & singula, ac etiam nonnulla alia de nouo ad Ordinẽ Minimorũ huiusmodi, ac illius personas, & Fratres, ac eorum Ecclesias, & domos constructas, & construẽdas sub Minimorum nomine : Necnon & ad dictam iam constructam, & ad omnes alias Ecclesias, & domos sororum Ordinis Minimorum vbilibet construẽdas, & ædificandas extendere, & ampliare, ac alias Ordinis Miaimorũ huiusmodi in præmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

Hic Pontifex omnia priuilegia Ordinis cõfirmat, & extendit ad omnes domos tã constructas, quã construẽdas.

§. XXX. Nos igitur, qui Regularem obseruantiam in locis Religiosis vigere, & augeri, ac Religiosarum personarum, præsertim sub humili habitu in humilitatis spiritu Deo seruicatium commodum, & tranquillitatem intensis desideramus affectibus, eundem Franciscũ de Paula à quibusvis excommunicationis, suspẽsionis, & interdicti, aliisque Ecelesiasticis seatentiis, censuris, & pœais, à iure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præseatium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, Pyrrhi Archiepiscopi, & Goffredi Episcopi Sancti Marci, ac Sixti, & Innocentij, necnon Alexandri prædecessorum prædictorum, ac nostras præfatas literas, necnon omnia, & singula in eis contenta, auctoritate Apostolica præfata tenore præsentium approbamus, innouamus, & confirmamus, ac præsentis scripti Patrocinio communimus, illaque omnia, & singula Francisco de Paula, & aliis Ordinis Minimorum huiusmodi Fratribus, & personis, ac illorum Ecclesiis, domibus, & locis constructis, & construendis sub Minimorum nomine, auctoritate, & tenore præmissis de nouo concedimus, & indulgemus.

§. XXXI. Ac pro potiori cautela, omnia, & singula in dictis literis quomodolibet contenta, etiam quoad hoc vt Franciscus de Paula, & alij Ordinis Minimorum huiusmodi Fratres pro tempore existentes, tam quatuor Medicantium, quàm aliorum quorumcumque quantumcumque etiam priuilegiatorum Ordinum quascumque Religiosas personas ad se venientes, & habitum per eos gestari solitum sumere volentes, primitùs verbo, vel scripto à suis immediatis Superioribus, per se, vel per interpositam personam petita licentia, quamuis non obtenta, ad Minimorum Ordinem, & habitum huiusmodi recipere.

Facultatem recitandi quoscumque alios Religiosos concedit.

§. XXXII. Necnon confessiones quarumcumque personarum, tam Religiosarum, quàm Ecclesiasticarum, & sæcularium vbilibet audire, & illis auditis personas ipsas, & earum quamlibet iuxtà formam, & tenorem priuilegij per præfatum Sixtum prædecessorem Ordini Minimorum huiusmodi, ac illius personis, & Fratribus dudùm concessi, & confirmati, absoluere, pœnitentiam salutarem illis iniungere valeant.

Confessionesque audiendi.

§. XXXIII. Necnon Ordinis Minimorum huiusmodi Ecclesia, & Oratoria, domus, & loca, tàm recepta, quàm recipienda, tanquam Sedis, & Ecclesia Romanæ huiusmodi specialia Oratoria, Ecclesiæ, domus, & loca, cum omnibus iuribus, & pertinentiis suis prorsùs ab omni decimarum, & oblationum persolutione, seu iurisdictione perpetuò libera sint, & esse censeantur; Ac sub B. Petri & dictæ Sedis, & nostra protectione immediatè subiaceant. Ipsiusque Ordinis Minimorum Fratres pro tempore existentes de hortis, ac virgultis, & aliis quibuscumque bonis, Ordinis Minimorum domibus, & illarum Ecclesiis huiusmodi pro tempore relictis, & legatis; ac super luminaribus, & aliis rebus diuino cultui pro tempore dedicatis, decimas, aut oblationes aliquas, etiam ex nonalibus, vel quartam ex funeralibus soluere minimè teneantur, nec ad id à quoquam cuiuscumque nobilitatis, aut dignitatis existat, valeant, quomodolibet coarctari.

Exemptionẽ à decimis, & quarta funeralium largitur. Vide in constit. Pyrrhi, §. 12. num. 54. & constit. 2. Iulij §. 19. & 30.

§. XXXIV. Quòdque Ordini Minimorũ huiusmodi, ac illius personis, & domibus per Sixtum, & Innocẽt. prædecessores prædictos sub Eremitarum nomine dudùm concessa priuilegia, sub nouo nomine, mutatis in eis nominibus Eremitæ, ac Eremitarum in Minimi Minimorum, ac Eremitorij, & Eremitoriorum in domorum Ordinis Minimorũ huiusmodi nomina, cæterisque singulis ad hunc effectum de necessitate mutandis, innouata, & mutata sint, & esse censeantur.

Priuilegia data Ordini sub nomine Eremitarũ, concessa esse Minimis declarat. Vide const. 1. Alexand VI. §. 2. num. 3. & hanc eandem, §. 7.

§. XXXV. Necnon super omnibus, ac singulis maris magni, & aliis quibuscumque bullis quatuor

Omnes gratias quatuor Ordinum

Mendi

Mendicantiú Ordinibus,& eorum cuilibet quomodolibet concessis, vnum,vel plura transumpta coniunctim,aut diuisim fieri facere queât,perinde ac si illa,mutatis in eis nominibus quorũcumque Romanorum Pontificum prædecessorum,& ipsorum Mẽdicantium,in nostrum,& Fratrũ Ordinis Minimorum huiusmodi nomina,cæterisque singulis ad hunc effectũ de necessitate mutandis,concessa forent; Ac quòd transumptũ,seu transumpta huiusmodi taliter facta, & manu alicuius Notarij publici subscripta, ac sigillo alicuius Prælati Ecclesiastici sigillata,Ordini Minimorum huiusmodi, ac illius personis, & Fratribus pro tempore existentibus adeò vbiq; locorum suffragentur,ac si singula prædicta bulla,præfatis quatuor Mendicantium Ordinibus per quoscumq; prædecessores prædictos quomodolibet cõcessa, quas hic pro expressis, & insertis haberi volumus, Fratribus ipsis Minimis,& eorũ Ordini præfato,etiã sub Minimorũ nomina specialiter, & expressè indulta fuissent,ac pro eis principaliter emanassent.

Mendicantium nostro Ordini concessas esse decernit.

Nota bene hoc priuilegium quia [illegible] multos [illegible]arum doctos confundes.

§.XXXVI.Quodque S.Trinitatis tunc ad Ecclesiã S.Stephani Giemmi,& aliã S. Rochi tunc etiam ad Monasterium S.Saturnini Tholosani Ordinis S. Augustini pleno iure spectantes Ecclesias, ac illarum domos, necnon reliquiam S.Blasij, per dilectam in Christo filiam nobilẽ mulierem modernam Dominã de Bourbon,ac venerabilẽ Fratrem nostrũ modernũ Episcopũ Gratianopolitanũ,etiam tunc dicti Monasterij Abbatem. Necnon omnia,& singula alia Oratoria,Ecclesias,reliquias,domos,loca, Conuentus,& bona in Gallia,Calabria, Sicilia, Hispania, Bohemia,& aliis Regnis,ac Italia,Picardia, Aquitania, Patrimonij, Paulẽsis,& Paterna,aliisq; Prouinciis, Ciuitatibus,& locis quibuscumq; Ordini Minimorum,ac illius personis,& Fratribus,præfatis quomodocumq; concessa, & per Franciscum de Paula, & alios Fratres Minimorum huiusmodi vigore priuilegij Sixti prædecessoris prædicti recepta, & per eos eatenùs possessa absque alia noua cõcessione Apostolica perpetuò pacificè possidere valeant,ac super illis,aut aliquo eorũ à quoquam molestari nequeant.

Ordinem super eius Cẽ[s]ibus molestari prohibet.

§. XXXVII. Et quòd Fratres ipsi Minimi in eorũ Ecclesiis constructis,& construendis,curialibus,mercatoribus,peregrinis,ac transeuntibus,& aliis quibusvis personis Eucharistia Sacramentum (quoties opus fuerit) ministrari facere.

[C]onfluentibus ad nostras Ecclesias Sacramenta ministrari indulget.

§. XXXVIII. Necnon eiusdem Ordinis Minimorum apostatas, & gyrouagos quoscumque vbilibet repertos, & quibuscumque literis,ac prouisionibus Apostolicis,etiam quascumq; derogatoriarum derogatorias clausulas in se continentibus munitos,quas eis nullatenùs suffragari posse decernimus,inuocato etiam ad id (quatenùs opus fuerit) auxilio brachij sæcularis,capere,incarcerare,ac punire,seu capi, incarcerari,aut puniri facere liberè,ac licitè valeãt.

Apostatas [o]mnes posse [c]apere vbilibet cõcedit.

§.XXXIX. Et præfati Ordinis Minimorũ Fratres, Sorores,& Oblati,necnon vtriusq; sexus Christi fideles tertij Ordinis Minimorũ huiusmodi,ac eiusdẽ Ordinis Cõseruatores per Fratres Ordinis Minimorum huiusmodi pro tempore capitulariter electi, ac Tutores,& Tutrices, Fundatores, & Fundatrices, Procuratores,& Procuratrices, ac eorum vtriusque sexus liberi procreati & procreandi,semel in vita, & ita in morte sicut, ac quæcumq; persona in dicto Ordine Minimorum de cætero recipienda, in eorum ingressu plenariam omnium peccatorum suorum veniam, & indulgentiam consequi; ac quinquies orationem Dominicam, & toties salutationem Angelicam recitando, omnes, ac singulas indulgentias, quas diebus indulgentiarum omnium Ecclesiarum dictæ Vrbis, & extrà illius muros pro stationibus deputatarum consequuntur Ecclesias Vrbis, & extrà muros huiusmodi visitantes, plenè, ac integrè consequantur, & consequi possint, ac si indulgentiarum huiusmodi diebus Ecclesias Vrbis, & extra muros huiusmodi & earum quamlibet personaliter visitarent.

[I]ndulgentias largitur. [N]ota, quòd [v]acant quo[a]d Fratres [p]er const. [P]auli V infr. Quoad alios [v]alent.

§.XL. Ac tam prædicta iam constructa, quã alia quæcumq; sororũ secundi Ordinis Minimorũ huiusmodi de cætero vbicumq; construenda,& ædificandæ domus,ac Ecclesia,omnesq; prænominatæ personæ ad eundẽ Ordinem Minimorũ quomodolibet spectantes, omnib.& singulis priuilegiis,immunitatib.indulgẽtiis,facultatib.libertatib. indultis, exemptionibus, fauoribus, & gratiis Ordini Minimorum huiusmodi,ac illius fratribus,& domibus per præfatorũ prædecessorũ,ac nostras literas huiusmodi quomodolibet concessis vti,potiri,& gaudere liberè possint, & valeãt,ac si illa omnia & singula eis expressè concessa fuissent,auctoritate Apostolica, ac tenore præmissis de nouo indulgemus, extendimus, & ampliamus.

Sororibus etiam, & aliis prænominatis priuilegia Ordinis communicat.

§ XLI. Non obstantibus sanctæ mem. Innocent. IV. contra exemptos,quæ incipit, Volentes,& Bonifacij VIII. quæ incipit, Cum ex eo,ac Clem. V. quæ incipit,Religiosi,& Alexand. IV. quæ incipit, Vt Abbates,ac etiam quæ incipit,Viam ambitiosæ cupiditatis, Martini V. Romanorum Pontificũ, etiam prædecessorũ nostrorum, & aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis,ac Ordinum prædictorum iuramento,confirmatione Apostolica, vel quauis alia firmitate roboratis,statutisquoque,& consuetudinib. Necnon omnibus illis, quæ præfati prædecessores in suis, ac nos in nostris literis prædictis voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Contrariis derogat. Nota benè istam derogat. Clem. Religiosi. de priuil.; rodi[-]cendis omnes §§ 31.37.

§ XLII. Cæterum quia difficile foret præsentes literas ad quæcumq; loca,vbi illæ necessariæ fuerint, deferre,volumus,& præfata Apostolica auctoritate decernimus,quòd earundem præsentium literarum transumptis,manu Notarij publici subscriptis,ac sigillo alicuius Prælati Ecclesiastici munitis ea prorsùs in iudicio,& extrà fides plenaria adhibeatur,ac illis stetur in omnibus,& per omnia,sicut ipsis originalibus literis adhiberetur, & staretur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Transumptis fidem adhiberi iubet.

§. XLIII. Nulli ergò omninò hominum liceat, &c. Si quis autem, &c. Datum Romæ apud S. Petrum,anno Incarn. Dominicæ MDVI. quinto Kal. August. Pontificatus nostri anno tertio.

Apponit pœnas.

CIRCA CONSTITVTIONEM.

NOto, quòd isti Pontifici multũ debet nostra Religio, eo quia non solùm confirmauit,& approbauit omnia priuilegia nobis concessa à Pyrrho,Sixto,Innoc. & Alexãdro, sed etiam multò ampliora concessit, & particularem gessit deuotionis affectũ ad Ordinẽ nostrum,& ad B.N.Patriarcham,

triarcham, eo quia dictus N. P. ei prædixit Papatum Thurone, quando minus de eo cogitabat, vagusque odium Alexandri VI fugiebat; & fertur, quòd hæc formalia verba ei dicta sint à P. N. *Cum eris Romæ, sedebis in solio Petri; commendo tibi Religionem meam.* Cum autem diuinis, & propheticis verbis respondisset indubitatus effectus, magnitudo, & gratitudo animi Iulij sibi deesse non potuit, vnde tam multa contulit in Religionem nostram.

§. XII.

2. NOto 1. quòd dominium rerum Ecclesiasticarum est solius Dei, & D. N. Iesu Christi, non quidem eo solo nomine, quo omnia sunt eius, iuxta illud Psalmi 23. *Domini est terra, & plenitudo eius*, & *cap. Quo iure, d. 8.* sed etiam eo quod nemo alius est Dominus earum, speciali hominum dispositione sunt ei dicata, donata, vel alias quæsita. Ita Innoc. *in cap. Cum super, num. 3. de causa possess. & propr.* Nauarr. *de redditib. Eccles. quæst. 1. monitu 40. à num. 1. comm. 2. de regul. num. 3. versu Ad horum primu.* Rodrig. *tom. 3. quæst. regul. quæst. 29. art. 5.* & est definitum in Trident. *sess. 25. de reform. cap. 1.*

3. Noto 2. quòd ius supremum, & generale administrandi dicta bona Ecclesiastica est apud Papam, & Ecclesiam vniuersalem. Ita iidem Doctores.

4. Noto 3. quòd Religiones quò ad rerum temporalium possessionem sunt in duplici differentia. Aliæ enim possunt possidere in communi. Aliæ autem nequaquam. Quæ non possunt, sunt Religiones Capuccinorum, & Minorum de obseruantia, cæteræ possunt, vt constat ex Trident. *sess. 25. de regul. cap. 3.* Quæ autem possunt possidere in communi, habent ius particulare administrandi illa bona, quæ possident, & quorum dominium diximus esse apud Deum, & ius supremum apud Ecclesiam. Illæ verò Religiones, quæ nec etiam possunt possidere in communi, bonorum Ecclesiasticorum ius, etiam particulare remanet apud Papam; Ipsæ solùm habent eorum bonorum nudum vsum, detentionem, & administrationem puram facti. Ita Nauarr. & Rodriguez *loco cit.*

5. Noto 4. quòd hic Pontifex in isto priuilegio nobis tunc solùm concessit purum, & nudum vsum facti bonorum nobis relictorum, seu donatorum, retinens apud se dominium. i. non solùm ius supremum, sed etiam speciale illa administrandi; cum enim dominium rerum Ecclesiasticarum dixerimus esse apud Deum, & D. N. Iesum Christum, non potest esse apud Papam; quare per dominium interpretamur supremum, & speciale ius. Ita Nauarr. *comm. illo 2. de regul.* & Rodriguez *loc. cit.* Quando igitur dicitur, quòd quicquid acquirit Monachus acquirit Monasterio, intelligitur, quòd acquiritur Monasterio ius speciale acquisita administrandi, si Monasterium est capax, si non est capax, illi acquiritur purus vsus facti; & ius etiam speciale Papæ. Et quando dicitur, quòd bona Ecclesiastica sunt Papæ intelligitur quò ad administrationem: & quando dicuntur esse pauperum, intelligitur quòd ad sustentationem. Ita Innoc. *loco cit.* Similiter quando dicitur, Ista religio habet proprium in communi, intelligitur quoad ad ius administrandi. Sed iam omnes Religiones per Trid. *loc cit.* possident bona in communi.

6. Noto 5. circa repetitionem eleemosynarum in iudicio, id esse etiam prohibitum in Regula, *num. 24.* & conformat cum illo Pauli 2. ad Timoth. 2. *Seruum Dei non oportet litigare.* Videatur Abulensis *tomo 6 in Math. cap. 23. quæst. 51. pag 316.* Sed Cardinalis Senogallensis nostri Ordinis Protector declarauit, bene posse nos eleemosynas in iudicio repetere per Procuratores, & id de mente Iulij II. vt patet *ex constitution. 16. huius Pontificis, §. 2.* Quod etiam innuitur hoc §. ibi, *Possent tamen fratres ipsi, &c.*

7. Noto 6. circa id quòd dicitur, eleemosynas esse scripto redigendas, & de capsa quatuor clauium, & de declaratione ipsarum eleemosynarum fratribus, quòd hæc omnia præcipiuntur etiam *in Correctorio, num. 44. & 47.*

8. Noto 7. quantùm attinet ad superflui distributionem, id etiam præcipi *in Correctorio, num 47.* sed debere intelligi ciuiliter .i. salua semper prouisione per annum pro infirmis, & fratrum indumentis, & aliis necessitatibus, & præsertim pro fabrica perficienda. Ita declarauit idem Cardinalis Senogallensis Protector de mente Sanctissimi Iulij II. *loco cit. §. 9.*

9. Noto 8 quòd possimus habere cippum in nostris Ecclesiis, ad colligendas eleemosynas, tum pro Missis celebrandis, absque tamen inscriptione exterius apparente, per nouam const. Vrbani VIII. quam habes infra *in eius constit. 9. §. 6.* tum simpliciter pro eleemosyna data. Et est conuenienter institutum ad tollendam occasionem fratribus pecunias tangendi, Religionemque defraudandi.

§. XIV.

10. NOta amplius etiam priuilegium ab eodem Pontifice hac eadem bulla *infra, §. 35.* Pro communicatione priuilegiorum vide, quæ dico supra in constit. Pyrrhi, *à num. 51.* Nota etiam, quòd communicatio priuilegiorum extenditur ad viuæ vocis oracula. Ita concessit Iulius II. Augustiniensibus, vt habetur *in compend. Minimorum, tit. Communicatio priuilegiorum, §. 25.*

§. XV.

11. NOto 1. priuilegium Leonis X. infra in Leone, constitut. eius 4. quod incipit, *In, quæ §. 3.* Vbi expresse concedit, quòd famulis in habitu sæculari in nostris domibus deseruientibus possimus Eucharistiæ, etiam in die Paschatis, & in articulo mortis, & extremæ vnctionis sacramenta ministrare, & eorum confessiones audire, in nostrisque Ecclesiis sepelire.

12. Noto 2. quòd ad hoc vt dictis famulis possimus pœnitentiæ sacramentum ministrare, non est necesse, quod confessores sint approbati ab Ordinario, sed sufficit, quòd sint approbati à Prælatis Ordinis. Ita Cruz *lib. 2. de statu Relig. cap. 6. dub. 1. concl. 1.* qui multa priuilegia adducit. Quicquid dicat Suarez *tom. 4. de Relig. lib. 9. cap. 4. num 18. tract. 3* Neque obstat Concilium Tridentinum *sess. 23. cap. 15. de reform.* vbi dicitur, *Nullum etiam Regularem posse confessiones sæcularium, etiam sacerdotum audire, nisi ab Episcopo ad id idoneus indicatus fuerit*, nam intelligitur de sæcularibus extraneis. Facit *Clem. Religiosi, §. Sanè, de priuil.* vbi familiares excluduntur; & Concilium Trid. nihil videtur innouasse, sed ius antiquum explicasse, vt ait Nauar. *comment. 2. de regul. num. 14. versu Ad quartum.* Facit etiam priuilegium ipsum Leonis illis verbis *Confessiones audire*; hæc enim verba debent ita explicari, vt aliquid de nouo concedant, ne superfluè ponantur, ergo debent intelligi, quòd possint confessiones famulorum audiri ab approbatis tantùm à Prælatis Religionum, nam de approbatis ab Episcopis dubium non erat, cum ius commune concedat. *Clem. Dudum. §. Statuimus, de sepult.* Facit denique declaratio sacræ Congregationis *de anno 1568 die 14. Augusti*, in hæc verba. *Prælati regulares, seu alij Religiosi confessores non possunt audire confessiones sæcularium, qui sunt de familia, & deseruiunt ipsorum Monasteriis, absque approbatione, vel licentia Episcopi: secus tamen, si illi sæculares sunt vere de familia, & continui commensales.* Per primos enim familiares intelligo eos artistas, qui inseruiunt Monasteriis; sed non viuunt in eis, neque dormiunt, vt sutores, tonsores, &c. qui large dicuntur familiares secundum Rodriquez *tom. 2. quæst. regul. quæst. 67. art. 1.*

versu

versu Qui autem dicantur. Per secundos intelligo eos, qui ordinarè viuunt in Monasteriis, comedunt, bibunt & dormiunt in eis, vt habet Rodriquez *loc. cit.* & A Sorbo *verbo Interdictum tertio,* §. 5. *versu Et notandum, pag.* 388. & habetur *in cap. fin. de verb. significat. in* 6.

13. Noto 3. quòd dicti seruitores actu seruientes, & intra septa Monasterij residentes, non possunt ab Episcopis excommunicari. Ita concessit Leo X. infra *in constit. eius* 26. §. 20. & Alexand. IV. supra *in Alexand. VI. constitut.* 4. & confirmat Trid. *sess.* 24. *de reform. cap.* 11. *versu Exceptis tamen iis, &c.*

14. Noto 4. quòd dicti confessarij possunt absoluere familiares, seu famulos laïcos intra septa Monasterij commorantes à casibus locorum Ordinariis reseruatis, & pro tempore reseruandis, non obstante decreto Congregationis sub Clemente VIII. & hoc per priuilegium eiusdem Clementis, concessum Carthusiensibus *die* 26. *Martij*, 1602. vt refertur *in compend. priuil. Congregationis S. Mariæ Fuliensis, titulo Casuum reseruatio*, §. 1. Peregrinus 1. *part. sui compendij, tit. Absolutio quò ad sæculares*, §. 3.

15. Noto 5. quòd Concil. Trid. *sess.* 24. *de reform. c.* 11. nomine familiarium intelligit, qui actu seruiunt Religiosis, & intra eorum septa, ac domos resident, subque eorum obedientia viuunt. Vnde duas conditiones in his requirit, vt ad hunc effectum censeantur familiares. Vna, vt intra septa, ac domos Religionum habitent. Altera vt actu seruiant, & sub obedientia Religionis viuant, non sub obedientia ratione voti, quia sic non essent familiares, sed fratres, sed sub obedientia ratione muneris seruiendi, cui consequens est, vt obedire debeant, vt bene Suarez *tom. 4. de religion. tractat* 3. *lib.* 9. *cap.* 4. *num.* 11. Dubitat autem ibi Suarez vtrùm hæ duæ conditiones coniunctim requirantur, vel diuisim quælibet earum per se sufficiat, & multis dictis, concludit tandem, *num.* 15. quòd licèt tutius sit, ambas requiri, nihilominus tamen in rigore priuilegiorum non esse necessarium, ambas requiri, eo quòd ad constituendum aliquem familiarem, requiritur solùm, quòd in obsequio Religionis maneat, quod optimè potest esse absque habitatione intra septa Monasterij. Sed puto, stante dicta declaratione, quòd ambæ requirantur, ad hoc vt possint dictis priuilegiis frui. Vide Cokier *de exempt. p.* 1. *q.* 30. *num* 7.

16. Noto 6. quòd etiamsi dicti famuli seruiant pro salario, nihilominus tamen fruuntur dictis priuilegiis. Ita Passarell. *in notab. priuil. notab.* 11. Suarez *tomo* 4. *de relig. tractat.* 3. *cap.* 4 *num.* 14 *lib.* 9. quia cum priuilegium indistinctè loquatur, nos distinguere non debemus. Licet istos seruientes pro salario non gaudere dicat Cokier *de exempt. part.* 1. *quæst.* 30. *num.* 6. Adde, quòd familiares, & famuli Episcopi fruuntur priuilegio fori Episcopo competente, vt Zerola 2. *p. praxis, verbo Episc. n.* 24. multos citans, & tamen seruiunt pro salario. Ergo pari modo famuli fratres, nam regulariter familia gaudet priuilegio Domini, vt idem Zerola ibi.

17. Noto 7. quòd dicti famuli tempore interdicti possunt interesse diuinis, nisi interdicto causam dederint, vel nisi sint specialiter interdicti, Item tempore excommunicationis Ita concessit Alexander IV. supra in constitut. 4. Alexand. VI. Poterunt item dicto tempore in nostris Ecclesiis Ecclesiastica sacramenta recipere, & si decesserint, sine pompa sepeliri. Quæ omnia extenduntur etiam ad Procuratores, & operarios, vt patet ex dicta bulla Alexandri, & habet A Sorbo *in compend. priuil. verbo Interdictum, pag.* 388. *versu Quintò tertiarij.*

18. Noto 8. quòd illa verba *Et in articulo mortis in dictis domibus sepulturam eligentes*, non referuntur, nisi ad eos tantùm, qui habitum Religionis portant, non autem ad famulos domorum; Hi enim, etiamsi non eligant sepulturam in dictis domibus, cum gaudeant priuilegiis Ordinis, possunt etiam tempore interdicti, & cessationis à diuinis, vt dictum est, sepeliri in nostris Ecclesiis. Si famuli; aut familiares à Conuentu recedant non fruuntur amplius priuilegiis, Cokier cit. *numero* 1. *ver. sexta.*

§. XVI.

19. NOto 1. quòd hoc priuilegium hodie vacat per Concilium Trid. *sess.* 23. *de refor. cap.* 12.

20. Si quæras, quas pœnas incurrat Religiosus ordines sacros suscipiens ante tempus determinatum à Concilio. Respondeo incurrere pœnam suspensionis ipso facto, qua durante, si celebrare præsumpserit, incurrit irregularitatem: Ita Pius II. in constitut. quæ incipit, *Cum ex sacrorum*, quam refert Cherub. *tom.* 1. *bull. in Pio II. constitut. eius* 7. *pag.* 319. cui etiam cohæret alia constit. Sixti V. quæ incipit *Sanctum, & salutare*, quam refert Cherub. *tom.* 2. *bull. in Sixto V. constit. eius* 91. *pag.* 651. Quæ tamen reducta est ad terminos sacrorum Canonum, & dictæ constit. Pij II. & Concilij Trid. à Clemente VIII. in const. eius 40. quæ incipit. *Romanum, tom.* 3. *bull.* apud Cherub. *in Clemente, constit. eius* 3. *pag.* 54. præterquam quò ad simoniace promotos, & promouentes.

21. Si quæras vlterius, an ordinatus ante legitimam ætatem, cùm ad eam peruenerit, possit absque aliqua absolutione dictæ dispensationis celebrare. Res est controuersa apud Doctores; Negant Nauarr. *in cap. Accepta, de restit. spoliat. opposit.* 8. *num.* 35. Rodriguez *tom.* 3. *quæst regul. quæst.* 23. *artic.* 14. Mirand. *tom.* 1. *manual. quæst.* 39. *artic.* 10. Rebuffus 2. *p. praxis, regula* 25. *glossa* 4. *notab.* 3. *pag.* 314. *tit. De Clericis ad sacros ordines malè promotis.* Quaranta *in sum. bull. verbo Ordo, versu Colliguntur, pag. mihi* 481. Toletus *in summ. lib.* 1. *cap.* 61. *num.* 1. Guttierrez *lib.* 1. *can. quæst. cap.* 26. *n.* 21. Henriq. *lib.* 13. *de excommunic. cap.* 38. §. 1. *in comment. litera F.* multos citans. Quia enim sit ipso iure suspensus, si temere ordines suscipit, necesse est, vt priusquam ordines exerceat, sit ab ipsa suspensione absolutus. Contrarium verò (nimirum, quod, elapso tempore suspensionis, sit ipso iure restitutus, absque alia absolutione) docent Passarell. *in notab. priuil. notab.* 27. *in fine* A Sorbo *in compend. verbo Ordines sacri, versu Item notandum, pag.* 456. Zerola 1. *parte praxis, verbo Dimissoria ad Ordines, ad quartum, versu Quartum.* Sotus *in* 4. *distinct.* 25. *quæst.* 1. *art.* 2. *fine.* Videtur inclinare Sayrus *lib.* 4 *de censuris, cap.* 14. *num.* 15. Quia, aiunt, verissimum est, quòd temporanea suspensio, adueniente tempore, non indiget absolutione, vt Miranda *cum communi, tom.* 2. *manual quæst.* 36. *artic.* 16. *conclus.* 2. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 35. *n.* 2. vbi *in commento, litera X.* multos citat.

22. In hac re videtur esse aliqua difficultas, nam bulla Pij II. non dicit, quod sit suspensus, qui ante ætatem legitimam, vel sine dimissoriis, vel extra tempora ordines suscipit maiores, vsque dum perueniat ad ætatem legitimam, si enim hoc diceret, nulla esset difficultas. Sed quia ista extrauagans Pij II. non inducere videtur ius aliquod nouum, nisi in quantum apponit suspensionem ipso facto quæ priùs erat ferenda, vt *in capite, Vel non est compos, de temp. ordin.* & in isto cap. dicitur, quòd qui ante ætatem fuerit ordinatus, sit suspensus, donec ad legitimam ætatem peruenerit, ideò Doctores etiam dictam extrauag. Pij II. ita interpretati sunt, vt illa etiam intelligatur, donec ad ætatem legitimam peruenerit, præsertim Sotus *loco cit. fine.* Syluester *verbo Ætas, quæst.* 1. *numer.* 2. *versu tertium*; Videtur etiam dicere Rebuffus *addit. ad regulas Cancell. regul.* 23. §. *Si ante ætatem, verbo Ordinatus*

natus verò, pag. 513. videatur Scortia *in bull. select. theorem.* 109. *versu. Quarenti etiam.*

23. Noto 2. eum, qui accipit Presbyteratum ante legitimam ætatem, non fieri eo ipso irregularem, quia cum Episcopo ordinante celebret. Quicquid dicant Nauarr. *lib.* 5. *conf. conf.* 8. *de Clerico excom. celebr.* & à Sorbo *loco cit. versu Sed hic aduertenda.* Quia actiones illæ quæ exercentur ab ordinatis cum Episcopo, non censentur moraliter actus distincti ab ordinatione ipsa: Cum igitur suspensio incurratur ratione ordinationis, non poterit incurri irregularitas propter illa ministeria, quæ sunt circumstantiæ necessariæ ad illam actionem ordinationis. Et ita habet stylus Cancellariæ, quæ hos irregulares non reputat, cum non dispenset super irregularitate, sed tantùm absoluat à suspensione. Ita Additionator Nauarri ad illud consilium 8. Suar. *de censur. disp.* 31. *sect.* 1. *num.* 70. *& seqq.* Filliuc. *tractat.* 17. *cap.* 10. *quæstione* 8. *numero* 191. *tom.* 1. Quaranta *verbo Ordo, versu Ampliatio illa, pag.* 481.

24. Noto 3. quòd non fit irregularis Religiosus, qui ordinatus ante tempus, exercet actus solis Sacerdotibus conuenientes, vt verbi gratia, si stet, & sedeat inter Sacerdotes, si votum emittat in electionibus, vel se eligi permittat, quia ista non sunt diuina officia. Ita in terminis Nauarr. *lib.* 5. *consil. de Cleric. excomm. consil.* 9. *num.* 4. Rodrig. *tom.* 3. *quæst. regul. quæst.* 13. *artic.* 12. Quaranta *loc. cit.* Miranda *tom.* 1. *manual. q.* 39. *art.* 9. *concl.* 2. Peccat tamen mortaliter se prædictis actibus, cum sit suspensus, ingerens, vt præfati Doctores asserunt.

25. Noto 4. quòd non incurrit irregularitatem ordinatus ante tempus, si exerceat ordines ritè susceptos, sed solùm quando exercet actum ordinis malè suscepti, verbi gratia, si malè suscepit Sacerdotium, & benè reliquos ordines, canendo Epistolam, etiam ritu solemni, vel Euangelium, non fit irregularis, fit autem, si Missam celebret. Ita Suar. *tom.* 5. *in* 3. *part. disput.* 31. *sect.* 1. *suspens.* 6. *num.* 31. Quaranta *in summ. bull. verb. Ordo, versu Quarta limitatio, pag.* 488. Addition. Panor. *ad cap.* 2. *de Clerico excomm. litera C.* Scortia *in select. bullas, theorem.* 109. Quia verba illa posita in constit. Pij II. *A suorum Ordinum executione ipso iure suspensi sint*, intelligenda sunt hoc pacto, videlicet. A suorum ordinum sic malè susceptorum, non autem à bene susceptorum. Colligitur ex Trid. *sess.* 14. *de reformat. cap.* 2. *fine* ibi, *A suorum ordinum sic susceptorum, &c.*

26. Noto 5. quòd si ordinatus ante tempus ad Sacerdotium dicat solemniter collectam in choro, vel capitulum, fit irregularis, quia isti actus sunt deputati ordini Sacerdotali. Ita Nauarr. *lib.* 5. *consil. de Clerico excomm. cons.* 10. Idem dic, si solemniter baptizaret, vel solemniter aquam benediceret. Videatur Syluest. *verb irregularitas, q.* 13. *versu Quartum si Sacerdos.* Similiter si benedicat mensam in refectorio. Rodrig. *tom.* 1. *quæst. regul. q.* 20. *art.* 14. *col.* 3. *fine.* Non incurreret autem, si in choro, vel refectorio non adesset alius Sacerdos, quia tunc ad Diaconos pertinet, & istis deficientibus, ad alios Clericos, qui tamen versum Dominus vobiscum non dicunt. Videatur Panor. *in cap fin. de excess. Prel. num.* 5. & eius Additionator *litera L.* Sayrus *lib.* 4. *de censur. c.* 16. *à num.* 14.

27. Noto 6. quòd qui bona fide sine dolo, inaduertenter, aut ignoranter, vel imprudenter ante legitimam ætatem ordinari se fecit, putans se habere legitimam, non incurrit pœnam suspensionis positam *in d. extrauag. Pij II.* quia illa solùm punit præsumentem, ac temerarium, quare cum ad ætatem peruenerit, poterit sine scrupulo celebrare. Ita Nauarr. *in cap. Accepta, de restit. spoliat. oppos.* 8. *numero* 32. *& in summar. cap.* 27. *num.* 156. Quaranta *in sum. bull. verbo Ordo, versu Quibus sic, pag. mihi* 486. Rodriguez *tomo* 3. *quæst. regul. quæst.* 23. *art.* 11. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 17. *cap.* 5. *quæst.* 5. *num.* 84. Miranda *tom.* 1. *manual. quæst.* 39. *art.* 6. *versu Solummodò est difficultas*, Ledesma 1. *part. sum. de Sacrament. ord. cap.* 7. *conclus.* 1. *versu Lo tercero se hà de aduertir, pag.* 658. Suar. *tom.* 5. *in* 3. *part. disputat.* 31. *sectione prima, numero* 26.

28. Idem sensit Nauarr. *loc. citat. de restit. spoliat. numero.* 35. de eo, qui temerariè quidem ordinatus fuit à principio, posteà tamen bona fide, & candida simplicitate, per pœnitentiam purgato peccato illius malæ susceptionis, ordinem exercuit, id sibi licere putans; hunc enim, ait Nauarr. non fieri irregularem. Sequitur Ledesma *loco citato*, quia hic deest præsumptio.

29. Sed quid de eo, qui bona fide ad Presbyteratum ordinatus est propter parentum testimonium, credens habere se legitimam ætatem, posteà, adueniente mala fide, & sciens, se non habere legitimam ætatem, antequam ad eam perueniat, celebrat.

Respondeo, Hunc non incurrisse à principio suspensionem propter dicta, vnde, adueniente mala fide, si celebret, non est cur irregularitatem incurrat. Ita Nauarr. *lib.* 1. *consil. de temp. ordin. consil.* Quaranta *in sum. verbo Ordo, versu Notandum, quòd in ordinato pag.* 487. Rodrig. *tom.* 3. *quæst. regul. quæstione* 23. *articul.* 14.

30. An autem iste celebrando peccet. Nauarr. *loco citato* putat, nullo modo peccare, quod non omnino improbabile dicit Ledesma *loc. cit. difficult.* 1. *versu Por lo qual, pag.* 662. Rodriguez tamen, & Zerola 1. *part. praxis, verbo Dimissoria ad ordines, ad quartum, notab.* 5. censent, eum peccare mortaliter toties quoties celebrat. Et est certius, nam sciens prohibitionem de non celebrando ante ætatem, si celebrat, facit contra iura in re graui, quod est mortale.

31. Si quæras, quis potest absoluere à suspensione eum, qui ante ætatem scienter ordinatus est, cum ad ætatem legitimam peruenerit, absque eo quòd in malè suscepto ordine ministrauerit.

Respondeo, Hoc dubium procedere in sententia eorum, qui tenent, hanc suspensionem esse perpetuam, & nullum posse celebrare, etiam quando venerit ad legitimam ætatem sine absolutione ab ea de qua diximus hic supra, *num.* 21. Dico itaque, quòd iste, qui ordinatus est ante ætatem, & per consequens remansit suspensus, vel solùm est talis in foro conscientiæ, vel etiam talis suspensio deducta est ad forum contentiosum. Si suspensus est solùm in foro conscientiæ, possunt Prælati regulares, Generales videlicet, & Prouinciales absoluere. Ita Rodrig. *tom.* 1. *q. regul. q.* 20. *art.* 14. *& art.* 1. refert ad hoc priuilegium Clem. IV. quod etiam refert Casarub. *in comp. verbo Absolutio ordinaria quoad fratres num.* 7. Et hic Pontifex nobis id clarè concedit *in eius const.* 2. §. 9. *infr.* Quod etiam concessit Greg. XIV. Clericis, qui Ministri infirmorum dicuntur, in bulla, quæ incipit, *Illius*, §. 27. quam refert Cherubinus *tom.* 2. *bull. in Greg. XIV. constitut. eius* 17. *pag.* 706. de qua etiam A Sorbo *in comp. verb. Absol. ordin. quoad fratres, titul. Ex priuileg. eorum, qui Ministri infirm. appell. in princ.* in qua sic habetur. *Ac pro tempore existenti Præfecto generali huiusmodi, vt per se, vel per alium, seu alios, ad id per eum pro tempore deputatum, seu deputatos, omnesque, & singulos eiusdem Congregationis socios, & personas sub eius obedientia, disciplina, & correctione pro tempore degentes ab omnibus, & singulis eorum peccatorum, ante, vel post ingressum in dictam Congregationem per eos commissis, necnon à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis, & sæcularibus sententiis,*

censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine (non tamen nominatim) quomodo latis, & promulgatis, & huiusmodi sententiis innodatos, aut in locis Ecclesiastico interdicto suppositis, diuina officia celebrantes, aut ordines suscipientes, & censuris huiusmodi sic ligatos, & propterea, aut aliàs ex quocumque capite, vel causa, preterquam homicidij voluntarij, bigamia, ac membrorum mutilationis, irregularitatem incurrentes, Apostolica auctoritate, in foro conscientia tantùm absoluere, necnon cum eis, si opus fuerit, etiam cum rehabilitatione, & absterfione inhabilitatis, & infamia macula dispensare.

32. Circa quod priuilegium noto primò, quòd absoluere à prædictis, ad Generalem vel ab eo deputatos pertinet; Quare Prouinciales, neque Correctores per hoc priuilegium poterunt absoluere ante ætatem ordinatum. Quod Prælati possint infamiæ maculam abolere tenet Llamas 4. *p. meth. cap.* 3. §. 8.

33. Noto etiam, ne scrupulis angaris, quod dicti Clerici ministri infirmorum gaudent priuilegiis Mendicantium, vt patet *ex dicta bulla, Illius*, §. 26. Et dicit Rodrig. *tom.* 1. *quæst. regul. quæst.* 55. *art.* 11. & Mendicantes, qui habent priuilegium, vt possint frui priuilegiis aliis non solùm concessis, sed etiam concedendis, vt nos Minimi habemus à Iulio II. per hanc constit. §. 14. illis verbis *Per quoscumque Romanos Pontifices, ac Sedem præfatam concessis, ac in posterum concedendis.* Possunt etiam frui priuilegiis concessis dictis Ministris infirmorum. Neque valet, si dicas, Iulium II. locutum fuisse de priuilegiis concedendis Religionibus suo tempore à Sede Apostolica approbatis, & Religio horum Ministrorum multo tempore post fuit approbata. Nam priuilegia Mendicantium à Sixto V. fuerunt non solùm approbata, sed etiam de nouo concessa, vt habet Rodrig. *tom.* 1. *quæst. regul. quæst.* 55. *art.* 17. Qui idem Pontifex etiam approbauit dictum Ordinem Ministrorum infirmorum vt patet *ex eius constit.* 25. *in bull.* Cherub. *fol.* 519. quæ incipit, *Ex omnibus*, & nostra priuilegia fuerunt ex certa scientia, quæ habet vim nouæ concessionis, vt dixi supra *in constit. Sixti IV. num.* 4. confirmata ab Vrbano VIII. feliciter regnante, vt constat *ex eius constitutione* 1. §. 1.

34. Maneat igitur tanquam certissimum, quòd Prælati Regulares, Generales videlicet, & Prouinciales, ac etiam Correctores, & horum Vicarij possunt absoluere à suspensione incursa propter sumptionem ordinum ante tempus, cum ordinatus ad ætatem legitimam peruenerit, & interim non celebrauerit, & hoc in foro conscientiæ. Quod etiam ampliùs patet ex eo quod Episcopi id possunt per Conc. Trid. *sess.* 24. *de reform. cap.* 6. & eam auctoritatem, quam habent Episcopi in suos Subditos in foro conscientiæ, habent Prælati Regulares in suos, si non vigore dicti capitis *Liceat*, vt aliqui volunt, saltem vigore priuilegij Pij V. de quo dixi supra *in constit. Pyrrhi, num.* 46. In terminis hanc nostram opinionem tenent Zerola 1. *p. prax. verbo Dimissoria, ad quartum, notab.* 1. & 2. Quaranta *in sum. bull. verbo Ordo, versu Tertiò limita, pag. mihi* 487. Sayrus *lib.* 4. *de censuris, cap.* 16. *num.* 28. qui contrarium dicere videtur *lib.* 6. *cap.* 12. *num.* 14. Bonacina *de censuris, disp.* 3. *quæst.* 6. *puncto* 5. *num.* 5. *versu Tertiò huius*, Suar. *de censuris, disput.* 31. *sect.* 1. *num.* 32. *fine.* Sbrozzius *lib.* 2. *de offic. Vic. quæstione* 20 *fine.* licèt notetur *in synopsi, quæstione* 21. *num.* 10. Et quod dico de suspensione, quando est occulta, & in foro conscientiæ, quando ordinatus non celebrauit, intellige etiam de ea, quando celebrauit, & de irregularitate, quam celebrando incurrit: nam cum ad ætatem legitimam peruenerit, potest etiam Prælatus regularis eum absoluere, & dispensare: non solum vt in malè susceptis ministret, sed etiam vt vlteriùs ad alios promoueatur, vt benè Cruz *libro primo de statu Relig. capite sexto, dub.* 15. *conclus.* 7. Portel. *in dubit. regul. verbo Ordines sacri num.* 14. Quare quando Nauarr. *in manuali, cap.* 25. *num.* 70. & Rebuffus 2. *part. praxis, tit. De Cler. ad sacr. ord. malè prom. notab.* 4. & alij dicunt, quòd in ista irregularitate solus Papa dispensat, intelligendi sunt, seclusis priuilegiis, nam Papa hanc potestatem communicare potest cuicumque voluerit.

35. Si autem suspensio sit deducta ad forum contentiosum, an possint Prælati Regulares suos Subditos absoluere, & dispensare in irregularitate similiter ad idem forum deducta, maius dubium est. Rodrig. *tom.* 1. *quæst. Regul quæst* 20. *artic.* 14. *fine.* respondet, quod quando suspensio non est perpetua, possunt: Possunt etiam, quando non est reseruata Pontifici, licet sit perpetua; Hæc pœna contra ordinatos ante ætatem licèt sit perpetua, non est tamen reseruata; vnde poterunt Prælati Regulares ab ea absoluere, vt habet Henriq. *lib.* 13. *de excommunic. cap.* 35. *num.* 2. Miranda *tom.* 2. *manual. Prel. quæst.* 36. *art.* 16. *concl.* 7. *fine.* Suar. *de censuris, disp.* 29. *sect.* 1. *num.* 15. Sayrus *lib.* 4. *de censuris, cap.* 17. *num.* 12. & refert Peregrin. 2. *part. sui comp. tit. Ordines*, §. 2. Sixtum IV. concessisse Prælatis Oliuetanorum, vt possent absoluere suos Subditos ordinatos ante legitimam ætatem, qui in ordinibus ministrarunt à suspensione, & ita cum eis dispensare in irregularitate, vt non solùm in susceptis ministrent, sed etiam vt ad omnes alios, etiam Presbyteratus promoueantur.

36. Sed licèt supradicta vera sint, & pateant etiam per priuilegia citata, *num.* 31. in quibus conceditur facultas absoluendi ab omni suspensione, non determinando, an solùm in foro conscientiæ, an in foro fori, tunc enim, cum fauores ampliandi sint, iuxta Regulam iuris *Odia restringi*, quæ est 15. *de Regul. iur. in* 6. intelligendum est in vtroque foro. Audio tamen, quòd stylus Curiæ Romanæ, cui standum est, in hoc casu habet contrarium, quia omnes tales ordinati ante tempus, vel sine dimissoriis, vel extra tempora, siue Regulares, siue sæculares Clerici sint, petunt dispensationem à Papa, vel per Datarium, vel per summum Pœnitentiarium.

37. Idem dico de irregularitate, quando ordinatus ante ætatem celebrasset, nam licèt Regularium Prælati habeant auctoritatem dispensandi in quacumque irregularitate in vtroque foro, exceptis tribus, nimirum homicidij voluntarij, bigamiæ, & mutilationis membrorum, vt Miranda *tom.* 2. *manual. quæst.* 8. *art.* 14. *concl.* 5. vbi affert multa priuilegia, & constat *ex constit.* 2. *Iulij II.* §. 29. Hoc casu tamen propter stylum Curiæ in contrarium, in foro contentioso puto id tutè fieri non posse.

38. Sed quid possit stylus Curiæ Romanæ, si quæras.

Respondeo, Facere ius, & nihil contra ipsum facta valere, *cap. Ex literis, de constit, & cap. Quàm graue, de crim. falsi*, Felin. *in cap. Ex parte, de rescript. num.* 16. & *in cap. Ex literis, num.* 4. Guido Papæ *quæst.* 119. Paulus Parisius *part.* 1. *consil.* 44. *num.* 17. Menochius *consil.* 270. *num.* 19. Aloysius Riccius *collect.* 1206. qui addit, quòd stylus Curiæ præualet etiam consuetudini, & *collect.* 794. assignat styli Curiæ multos effectus. Verum quidem est, quòd vnius Doctoris dicto, de stylo attestantis standum non est, cum enim stylus in facto consistat, debet pluribus de certitudine, & scientia attestantibus probari. Menoch. *consil.* 464. *num.* 27. & *consil.* 364. *num.* 12. & omnium probationũ maxima est assignatio alicuius casus in quo ita fuisse obseruatũ probetur. Menoch. *consil.* 480. *n.* 9. Vnde cum de stylo certò non constat, iurisiurando stari potest. Cassiodorus *tit. de restit. spoliat. decis.* 9. *n.* 17.

39. Sed

39. Sed quid, si Episcopus ante ordinationem præmittat excommunicationem, ne quis habens impedimentum occultum accedat ad ordines suscipiendos.

Respondeo, quòd ista excõmunicatio in primis afficit non solùm Clericos, sed etiam Regulares, nam licèt in Regulares iurisdictionem non habeat, quia tamen prohibentur à Papa per Canones, & Pontificias constitutiones ordines suscipere, nisi debitas, & requisitas conditiones habeant, ideò potest Episcopus dictos Canones, & constitutiones Pontificias adiuuando, pœnam apponere, per doctrinam Panorm. *in cap. Innotuit, de eo, qui furt. ord. susc. num.* 2. vbi adducit *cap. Vt animarum, de constit. in* 6. docet Glossa *in Clementina Ne Romani, de elect. verbo Tolli.* Deinde videndum est, an prædicta excommunicatio sit lata, vel ferenda; Nam si lata sit, suscipientes ordines cum impedimento occulto, ætatis V. G. incurrunt irregularitatem; excommunicatus enim suscipiens ordines, etiam minores, fit irregularis. Nauarr. *cap.* 25. *num.* 72. *versu Decimò peccat.* Si ferenda, vel comminatoria, peccant mortaliter Zerola 1. *part. praxis, verbo Dimissoria ad Ordines, ad* 4. *fine.*

40. Sed quis absoluet ab hac excommunicatione, & super irregularitate dispensabit. Nauarr. *in sum. c.* 25. *n.* 7. *versu Sextò peccat*, dicit, hoc pertinere ad Papam, citat *c. Innotuit, de eo, qui furt. ord. suscep.* & est verum, non solùm secundùm prædictum cap. Sed etiam per duo antecedentia. At per priuilegium puto posse Prælatos regulares. Innuitur dicto *cap. Innotuit.* & aliis antecedentibus, quatenus dictis cap. datur facultas Episcopo dispensandi cum taliter ordinato, si habitu regulari suscepto, pœnitentiam egerit; quatenus etiam Prælati regulares auctoritatem habent quasi Episcopalem, & eandem in suos subditos Regulares, quam Episcopi in suos, & quatenus possunt dispensare in omni irregularitate, vt dixi hic *supra, num.* 37.

41. Monet autem Henriq. *lib.* 10. *de Sacram. ord. cap.* 20. *n.* 1. & 2. & eum secutus Filiuc. *tom.* 1. *tract.* 9. *c.* 5. *q* 5. *num.* 99. Quòd non deberent Episcopi accedentes ad ordines prohiberi sub excommunicatione latæ sententiæ, ne accedant cum impedimento occulto, & multo minùs edicere, se non habere intentionem ordinandi eos, qui essent aliqua censura irretiti, vel irregulares, ne sint occasio iniiciendi nouos laqueos, quin potiùs deberent ad cautelam in generali, sic accedentes ab omni excommunicatione, & censura absoluere, dispensareque in omni irregularitate in qua possunt secundùm Deum, & Canones, sicut monet Pontificale Romanum.

42. Quæ absolutio, & dispensatio prodest pro rebus dubiis, & oblitis, sicut absolutiones, quæ fiunt à Prælatis tempore visitationum, vel reconciliationum, de quibus dixi *tom.* 1. *Religiosi, q.* 1. *cap.* 5. *fine* Et ita prodest dicta absolutio, & dispensatio data in generali, vt si quis deinde fuerit recordatus innodatum se fuisse aliqua excommunicatione, seu irregularitate, non tenetur de his ampliùs absolutionem quærere, quia iam sublatæ censentur, sed satisfacit confitendo peccata, ob quæ illa incurrit, quæ peccata iam reseruata non sunt. Atque ita docet Nauarrus *in sum. cap.* 16. *num.* 13. Syluest. *verb. Confessio primò, quæst.* 4. *n.* 7. & alij, quos citat Nauarrus.

43. Sed, an prosit Regularibus exemptis, posset dubitari. Respondeo tamen prodesse, si accedant cum licentia Prælati, sicut si data esset absolutio, & dispensatio à proprio Prælato, quia omnia videntur concessa, sine quibus ordinario non potest rectè expediri. Ita Henriquez *lib.* 10. *de sacram. ord. c.* 20. *n.* 2. Syluest. *verbo Irregularitas, quæst.* 9. *num.* 11. *fine*; habetur *in cap. Præterea, de off. deleg.*

§. XIX.

44. ADuerte, quòd hic concedit, quod tantùm Generalis, & Prouinciales possint benedicere omnia ornamenta Ecclesiastica. Quam facultatem extendit etiam ad Correctores locales Leo X. vt constat *ex illius constit.* 18. §. 3. *infra*, quæ incipit, *Religionis.* Et probaui 2. *p. Ritualis, notab.* 9. vbi etiam probaui *notab.* 8. prædictos posse, non solùm corporalia, & alia ornamenta Ecclesiastica benedicere pro vsu suarum Ecclesiarum, sed etiam pro aliis Ecclesiis.

§. XX.

45. NOta, quòd hoc est magnum priuilegium, & nusquàm aliis concessum, vt dicit Casarub. *in comp. priuil. verbo Ædificare, n.* 20. vbi A Sorbo vocat hoc priuilegium nobile. Sed hodie vocat, per ea, quæ dixi *supra in constit. Pyrrhi, num.* 48. & 49. Et nota hic etiam auctoritatem, quam habent Conseruatores excommunicandi molestantes, & inquietantes.

§. XXI.

46. ADuerte, quòd ista facultas fuit limitata per Leonem X. *in Concil. Lateranen.* vt patet *infra in Leone, constit.* 26. §. 13. vt scilicèt non possemus Ecclesias consecrari facere ab alieno Episcopo, nisi Ordinarius bis, aut ter cum debitis reuerentiis, & instantia requisitus, sine legitima causa recusauerit. Sed iam supradicta priuilegia cessarunt per Concil. Trid. *sess.* 6. *de reform. capite* 5. vbi dicitur *Nulli Episcopo liceat cuiusuis priuilegij prætextu pontificalia in alterius Diœcesi exercere, nisi de ordinarij loci expressa licentia.* Rodriquez tamen *tom.* 1. *quæst. regul. quæst* 19. *art.* 4. & Mirand. *tom.* 2. *manual. quæst.* 39. *art.* 1. *concl.* 3. putant, quod priuilegium Leonis, quando scilicet Ordinarius fuerit à fratribus ter requisitus cum debita instantia, & reuerentia, non sit reuocatum. Nam dicunt, Concilium solùm intendit, quòd nullus Episcopus possit pontificalia exercere in aliena Diœcesi virtute cuiuscumque priuilegij, non tamen negat, Episcopos ea posse facere virtute iuris communis. Et dicunt, quòd in iure communi habetur *cap.* 1. *de suppl. neglig. Prælat.* quòd si Ordinarius Diœcesanus tertiò cum humilitate, & deuotione requisitus, noluerit Abbatem benedicere, ipse Abbas Monachos substitutos in Abbates benedicere possit. Et simile quid dicunt quòd conceditur *in c. Nihil est, de elect.* §. *vlt.*

47. Sed nihilominùs puto, quòd dictis priuilegiis per Concilium sit derogatum. Nam *capite Nihil est*, solùm conceditur, quòd Episcopi, qui sunt vltra Italiam, possint ante confirmationem ministrare propter necessitates Ecclesiarum, vtilitates in spiritualibus. Et quia Abbas ante benedictionem non recipit potestatem spiritualem, vt Abbas *dicto capite* 1. *numero* 2. Ideò ne Monasteria propter Episcoporum negligentiam detrimentum aliquod in spiritualibus paterentur, Papa *dicto capite* 1. *De supplenda*, concedit vt dicto casu possint Abbates substitutos suos benedicere. Sed in nostro casu nulla talis necessitas, neque in spiritualibus, neque in temporalibus apparet, cum Prælati regulares habeant auctoritatem Ecclesias sui Ordinis solemniter benedicendi, vt constat *ex §. sequitur* & dixi *secunda part. Ritualis, notab* 2. & in Ecclesiis benedictis bene possunt diuina celebrari, sicut in consecratis.

§. XXIII.

48 NOta, quòd loquitur de his, qui tempore confessionis erant recepti in Religione, & de quibus, propter non seruatam ad vnguem formam iuris communis in transeundo ad nostram Religionem, poterat esse, vel oriri aliqua dubitatio, vel lis; ad quæ tollenda pontifex hoc §. concessit, vt pertuo permanerent in nostra Religione & etiam quòd possent absolui à quacumque excommunicatione, & dispensari super quacumque irregularitate, incursis propter dictam causam. Itaque puto, quòd hoc priuilegio nihil prouisum sit pro futuro, sed tantùm pro illo tempore, maximè quòd hæc eadem constitutione *infra*, §. 31. prouidet pro transeuntibus in futurum.

§. XXIV.

49. NOto 1. quòd nomine Turricum intelligo eas deuotas, quæ Religionem verbis, & operibus tuentur toto corde, & affectu, ad quas animandas pro Religionis augmento Papa concedit hoc priuilegium. Non verò intelligo nomine Turricum eas mulieres, quæ habent aliquam participationem, vt vocant, datam sibi ab aliquo fratre consanguineo, vel amico, etiamsi sit à Generali subscripta, si prædicta non faciant, nimirum verbis, & operibus Religionem tueantur. Et istæ, quantumuis dictam participationem habeant, si benefactrices dicto modo non sint, participant de bonis operibus fratrum, nam Generales intelligunt sciopet dari illas participationes veris benefactoribus.

50. Noto 2. quòd nomine Fundatricum veniunt solummodo tria personarum genera, 1. earum, quæ Conuentum ædificant, vel in maiori parte 3. earum, quæ dant redditus pro sustentatione fratrum in numero competenti, V. G. octo vel decem ad minus, prout determinatur *in Capitulo Genuensi t. numero 11.* Nec Capitulum Generale habet auctoritatem adscribendi in numerum Fundatricum, nisi dicta tria genera personarum. Nec priuilegia concessa à Regula, vel Pontificibus Fundatoribus, extenduntur nisi ad supradictas personas, vt ex dictis Regula, & priuilegiis patet. Vnde quantumvis aliqua mulier benefactrix existat, si vnum ex tribus dictis non fecerit, non potest esse Fundatrix, nec priuilegiis Fundatricum frui. Quod etiam determinatum fuit *in Capitulo Romano vltimo, sess 9.* nam hæc priuilegia concessa sunt specialiter, vt Religio augeantur, amplietur, & dilatetur. Quare falluntur multi, arbitrantes, posse aliquam mulierem maximè benefactricem assumi in numerum Fundatricum, & sic in Capitolo Generali procurant, vt in dicto numero adscribantur, qua adscripta, putant, quod possit frui Fundatricum priuilegiis, Conuentus ingredi, &c. falluntur, inquam, quia si vnum ex dictis tribus non fecerit, non potest dictis priuilegiis verè fundatricibus concessis, frui. Quæ si Monasteria ingrediatur, incurrit (si bona fides non excoset) in excommunicationem maiorem latæ sententiæ, à solo Papa absoluendam. Et Superiores, seu fratres admittentes, vel introducentes incurrunt suspensionem à diuinis ipso facto, & priuationem officiorum, quæ obtinent, & inhabilitatem ad alia in posterum obtinenda, prout statuitur in bulla Pij V. quæ incipit, *Regularium personarum*, quam refert Cherub. *tom. 2 bull. in Pio V. constit. eius* 20 *fol.* 198 Etiam excommunicationem, per constit. Greg. XIII. de qua *infra in Constit. 6. Iulij II. numero 51.*

51. Nec te moueat, quòd nostræ Fundatrices fuerunt exceptæ per declarationem Congregationis sub Gregor. XIII. Nam intelligitur illa declaratio de vetis Fundatricibus, non de illis, quæ solo scripto tales sunt. Nec secundò te moueat, quòd *dictum Capitulum Genuense* 1. statuit quòd quæ mulier dederit valorem quinquaginta ducatorum perpetui redditus, possit frui priuilegiis Fundatricum. Nam primò dicit ibi Capitulum, quòd tales Fundatrices non sunt, nec tales debent vocari. 2. quia videtunt Patres illius Capituli priuilegia à Regula, & summis Pontificibus fuisse, & esse solùm concessa vetis Fundatribus, ordinauerunt P. Zeloso, vt statim ac fuisset Romæ aditet Papam & & eius oraculum super hoc impetraret: Quod tamen oraculum, seu priuilegium, quòd Capitula generalia possent admittere aliquas mulieres benefactrices, quæ dedissent summam perpetui redditus quinquaginta ducatorum (quæ summa modo attingeret quasi ad summam trecentorum ducatorum) nunquam, quod viderim, fuit à Religione impetratum.

52. Noto 3. quòd hoc priuilegium quò ad ea, quæ possunt Episcoporum iurisdictionem perturbare, V. G. quòd non possint, dictæ Turrices, & Fundatrices coram Episcopis conueniri, ab ipsis excommunicari, suspendi, interdici, hodie vacat per Conc. Trid. *sess. 24. de reformat. capite 11.* Quoad alia verò, quæ prædictam iurisdictionem non perturbant, vt quòd possint absolui à multis casibus, & censuris, à quibus possunt Religiosi, & quòd possint adesse diuinis tempore interdicti, eo modo, quo possunt Religiosi, dum tali interdicto causam non dederint, &c. putò, quòd stet in suo robore. Nec contrarium sentit Trid. *loco cit.* quia Concilium solùm intendit derogate iis priuilegiis, quæ perturbationem in iurisdictione Episcoporum possunt generare, vt patet ex illis verbis. *Quoniam priuilegia, & exemptiones, quæ variis titulis plerisque conceduntur, hodie perturbationem in Episcoporum iurisdictione excitare, & exemptis occasionem laxioris vitæ præbere dignoscuntur.* Ex proœmio statuti colligitur statuentis, vt Panorm. *in cap. Aduersus, num.2. de immunit. Eccles.*

53. Nec te moueant verba illa. *Et exemptis occasionem laxioris vitæ præbere*, quasi intendat Concilium derogare priuilegiis exemptorum propter duas causas, nimirum ad tollendam perturbationem in iurisdictione Episcoporum, & ad tollendam exemptis occasionem laxioris vitæ, & quòd si dictæ Turrices, & Fundatrices possent absolui, vt diximus quòd hoc illis esset occasio laxioris vitæ. Nam prætetquam quòd hoc est falsissimum, non minùs enim erit difficile dictis Fundatricibus, si in aliquod crimen lapsæ fuerint, absolui à fratribus, quàm à Pœnitentiariis Episcoporum, verba illa. *Et exemptis occasionem laxioris vitæ præbere*, referuntur ad immediatè antecedentia, quasi laxior vita prætextu priuilegij Episcoporum iurisdictionem sit turbatura. Pro hac materia Fundatricum vide *constit. huius Pontificis 6. §. 3. numero 6. & 7.*

§. XXV.

54. NOto 1. circa illam clausulam *Eundem Franciscum de Paula à quibusuis, &c.* quòd ista clausula fuit introducta ad tollenda pericula nullitatum, quæ possent oriri ex excommunicatione, suspensione, & interdicto. Et hæc absolutio reddit gratias efficaces, & validas, non obstantibus dictis impedimentis. Ita Saytus *lib. 2. de censuris, cap. 5. num. 12.* Henriquez *lib. 13. cap. 13. num. 3.* Ricciulus *de iur. person. lib. 4. cap. 9. num 1.*

55. Noto 2. quòd ista absolutio non absoluit realiter, & in effectu, sed tantùm suspendit impedimentum, quousque gratia suum sortiatur effectum, quo secuto, excommunicatio, suspensio, & interdictum redeunt.

redeunt. Quare sic absolutus nullam aliam gratiam consequitur, nisi eam, ad cuius effectum tantummodò absoluitur; Quare si celebret, diuinis interfit sic innodatus, eas omnes pœnas incurret, quas excommunicatus, suspensus, & interdictus. Riccius. *loc. cit. numero 4. & 5.*

56. Noto 3. quòd per illa verba *A quibusuis excommunicationis* comprehenditur non solùm excommunicatio maior, sed etiam minor, si obsit ad effectum priuilegij consequendum, siue excommunicatio sit à iure, siue ab homine, Rebuff. in *praxi benefic. p. 1. tit. Forma, & declaratio eone praxis, versu Teque absoluentes, n. 3. & 4. pag. 145.*

57. Noto 4. circa illa verba *Quauis occasione, vel causa latis*, quòd per ista verba intendit Papa, quòd ista absolutio fit ad tollendum impedimentum excommunicationis, &c. etiam illud impedimentum prouenerit ea culpa impetrantis, seu sine culpa sua impetrans in excommunicationem, suspensionem, &c. incurrerit. Rebuff. *loco cit. n. 8.*

58. Noto 5. quòd ista absolutio non prodest in duobus casibus: 1. ei, qui scienter per annum integrum, & continuum, non interpolatum, in excommunicatione mansérit cum animi pertinacia. Nec potest dici cum animi pertinacia, si absolutionem petiit, & per ipsum non stetit, quò minus obtineret. Quarum conditionum vna deficiente, non potest dici insordescentia: 2. Nec prodest ei, qui mansérit etiam scienter, per quatuor menses excommunicatus. Primò, quia non vult patere sententiæ rei iudicatæ. 2. quia fuit incendiarius, 3. violator Ecclesiarum. 4. quia falsificans aut falsificate curans literas Apostolicas, vel si vsus est literis falsificatis, aut fuit receptor, aut fautor falsificantium, 5. quia detulit res vetitas ad infideles. 6. quia violator extitit Ecclesiasticæ libertatis. 7. quia non obtemperauit mandato Apostolico. 8. quia impediuit Nuntios, vel executores, vel Officiales Sedis Apostolicæ. Ita habetur *in reg. 65. Cancellaria.* Quas regulas refert Quaranta *in sum. bull. verbo Regula Cancellaria pag. 569.* Vide Rebuffum, Sayrum, Henriq. *loc cit.* Ricciul, *cap. 8 & Naldum verbo Absolutio, n. 8.*

§. XXXI.

59. NOto 1. circa illam clausulam *Pro potiori cautela* quòd ista clausula significat, quòd etiam dispositio sufficiant, & inducit abundantem dispositionem. Thuscus *verbo clausula, concl. 31.*

60. Noto 2. quòd Papa concedit vt possimus recipere ad habitum nostrum omnium Religionum fratres, non solùm Mendicantium, sed etiam aliorum quorumcumque Ordinum quantumvis priuilegiatorum. Hic notanda sunt, quæ dixi *tom. 1. Religiosi, quæstion. 1. cap. 14. & 5. sequent.* vbi dixi, quo modo liceat Prælatis recipere fratres professos alterius Religionis, & quid debent facere transeuntes, docui in fine prædicti cap. quòd non possimus recipere fratres Minores, per priuilegium Iulij II. *infrà const. eius 16.* Nec Capucinos per priuilegium Pij V. *infra Const. eius 2.* Quantum autem attinet ad præsens priuilegium, aduerte, quòd non est reuocatum, si sanè intelligatur, per const. Pij V. quæ incipit, *Quacumque sacrorum*, quam refert Cherub. *in suo bull. tomo 2. in Pio V. constitut. eius 89. pag mihi 290.* nam hæc extrauagans Pij V. non intelligitur de iis, qui transeunt, iuris communis ordine seruato, nimirum petita, licèt non obtenta licentia, & zelo perfectioris vitæ, vt habetur *in cap. Sanè, & c. Licet, de regul. & cap. Statuimus, & cap. Mandamus, 19. quæst. 3.* & supponit Trident. *sess. 14. de reformat. cap. 11. & sess. 25. de Regul. cap. 19.* Quo pacto intelligendum est hoc priuilegium, vt scilicet possimus recipere omnes, & quoscumque Religiosos, qui zelo perfectioris vitæ ad nostram Religionem transire voluerint, petita per se, vel per alios, scripto, vel verbo; licentia à Prælato eam date, potente, licèt non obtenta, & hoc modo intellectum priuilegium est in suo robore. Sed constitutio Pij V. intelligitur de fugitiuis, & apostatis, qui non zelo perfectioris vitæ, & petita à suis Superioribus licentia, sed absque vlla licentia prædicto modo petita, vel metu alicuius pœnæ, vel ob iurgia, & contentiones, & lenitates ad aliam Religionem transire prætendunt, quo modo intellectum priuilegium est derogatum, per dictam const. Pij V. Quem hoc pacto intelligit Naldus *lib. 3. consil. de regul. consil. 88* & alij quos adduco *cap illo 24. Religiosi, sub conclus. a. verbo Neque hic obstat* Sed circa transeuntes nunc seruandum est omnino decretum Congreg. de mandato Vrbani VIII. quod habes *infra, in eius constit. 10. §. 2.*

§. XXXII.

61. NOto 1. quòd Pyrrhus *in sua constit. § 8.* concessit, vt fratres nostri possent absolui ab omnibus casibus ipsi reseruatis, quod deinde confirmauit ex certa scientia Sixtus IV. *in eius constitut. a. §. 6.* & Iulius II. *hac eadem constit. § 1.* Hic de nouo addit, quòd non solùm possint nostri confessores absoluere fratres nostri Ordinis à casibus prædictis, sed etiam quòd possint vbilibet absoluere alias personas, tam Ecclesiasticas, quàm sæculares, iuxta formam à Pyrrho concessam, & à Sixto confirmatam, nimirum ab omnibus casibus, & censuris Episcopis à iure, vel ab homine reseruatis.

62. Sed ista facultas modo vacat quoad personas extra Ordinem, per decreta Congregationis Regularium, facta de mente Clementis VIII. de quibus dixi *tom. 1. Religiosi, q. 1. cap. 21. §. 1. & in appendice eiusdem libri, pag. 682.* vacat, inquam, sed solùm extra Vrbem, & in partibus Italiæ, vt patet ex primo decreto, & dicit Naldus *in summ verbo bulla Cœna, num. 62.* Itaque Regulares degentes Romæ, & in alijs partibus Mundi poterunt hac, & alijs facultatibus absque scrupulo vti.

63. Et quia tempore Pauli V. dubitatum fuit, an vigore dict. decreti Regulares in Italia, & extra Vrbem degentes prohiberentur absoluere Si ceosuris dictis Episcopis reseruatis, ideo eadem à Congregatio de mandato Pauli V. aliud edidit decretum super hoc, tenoris sequentis. *Quoniam sacra Congregatio Cardinalium, negotijs Episcoporum, ac Regularium præpositorum nuper a nepis, quamplures Regulares tantam facultatem, seu priuilegij ab Apostolica Sede sibi concessum profiteri, vt etiam a casibus locorum Ordinarijs in eorum Diœcesibus reseruatis absque alia ipsorum Ordinariorum licentia pœnitentes absoluere minimè dubitent, nonnulli que alios in decreto prohibitionis absolutionis a casibus Sedi Apostolica, vel locorum Ordinarius reseruatis die IX Ianuarij MDCI. fel. record. Clementis Papæ VIII. iussu edito, necnon in declaratione illius, eodem Clemente Pontifice iubente, die XXV. Nouembris MDCII. promulgata, excommunicationes Sedi, vel Ordinarijs prædictis reseruatas, minimè comprehensas asserere. Vnde fit, vt metus, quo homines a peccando coercentur, absolutionum facilitate exolescat. Ideo sacra Congregatio S. D. N. Pauli Papæ V. speciali mandato, viua voris oraculo desuper habito decretum huiusmodi, illiusque declarationem, necnon censuras, & pœnas, in eisque contenta omnia confirmanda, atque innouanda opere pre-*

tium duxit, prout per præsentes confirmat, atque innouat, ab omnibusque sacerdotibus, tam sæcularibus, quàm regularibus quorumuis Ordinum, etiam Mendicantium, Militarium Congregationum, aut cuiusuis alterius Instituti, etiam necessariò exprimendi, quouis nomine nuncupetur, inuiolabiliter obseruari. Ac insuper ut nulli ex sacerdotibus prædictis quibuscumque priuilegiis, indultis, ac facultatibus suffulti, ab excommunicationibus, vel à casibus eisdem Ordinariis, vel Sedi Apostolica reseruatis, tam ad forum contentiosum eorumdem Ordinariorum deductis, quàm non deductis, præterquam in mortis articulo, absoluere audeant, vel præsumant, vel eorum aliquis audeat, vel præsumat, sub iisdem censuris, & pœnis, eo ipso, & absque alia declaratione incurrendis, mandat, & præcipit. Non obstantibus omnibus, quæ idem Clemens VIII. in decreto, & declaratione huiusmodi voluit non obstare. Datum Romæ septimo Ianuarij, anno MDCVII.

64. Sed, istis decretis non obstantibus, possunt hodie confessarij regulares ab Episcopis approbati de licentia suorum Superiorum, ad quos id pertinet, absoluere quoscumque à duello prohibito per bullam Clementis VIII. dommodò non comprehendantur in constitutione Gregorij XIII. & decreto Concilij Tridentin. id est dummodò non sit secutus effectus, & dummodò duellum non sit publicum. Vt probani *in appendice tom. I Religiosi, pag. 687.* Et concessit Paulus V. Congregationi Oratorij S. Mariæ de Vallicella de Vrbe, *die 9. Aprilis, anno 1608.*

65. Possunt etiam absoluere per eandem constit. à peccato, censuris, & pœnis abortus fœtus animati, non obstante const. Sixti V. & Gregorij XIV. Tum quia id fuit de nouo concessum Congregationi Clericorum regularium ab eodem Paulo V. vt refert Peregrin. *2. p. sui compen tit. Absolutio quò ad sæculares, §. 1. in scholio.* Tum quia hic casus non est amplius papalis, sed Episcopalis, vt patet ex constit. Gregorij XIV. & habet Scottia in selectas bullas theor. 388. & Regulares habent auctoritatem absoluendi ab omnibus casibus, à quibus possunt absoluere Episcopi, vt dico hic *infrà num. 67.*

66. Potest etiam Generalis Ordinis per se, vel per alios absoluere eos, qui bona naufragantium rapuerunt, iniuncta eis restitutione, vbi, & quando ea fieri poterit. Ita concessit Gregorius XIII. Societati Iesu viuæ vocis oraculo, *die 18. Martij, anno 1584.* Sed nescio, an de eo testetur aliquis Cardinalis, ideo fidem non adhiberem, nisi Peregrin. *2. p. sui compen. tit. Absolutio quò ad sæculares, §. 2. in schol.* diceret, hoc priuilegium suæ Congregationi fuisse concessum à Paulo V. per confirmationem suorum priuilegiorum (quam refert ibidem, *tit. Confirmatio, §. 3.*) tam propriorum, quàm communicatorum, cum clausula, *Quorum tenores*, quæ facit confirmationem ex certa scientia, vt dico *infra*, *in const. 4. Pauli III. §. 9. num. vlt.* Quibus priuilegijs non obstant citata decreta Congregationis, quia post illa emanarunt, & credendum est, quòd cum illorum derogatione, quia alioquin inutilia fuissent.

67. Possunt etiam confessarij regulares absoluere quoscumque sæculares ab omni sententia excommunicationis, suspensionis, & interdicti, & ab omni censura Ecclesiastica, à qua possunt Episcopi absoluere suos Diœcesanos, ac etiam eum eis dispensare super omni irregularitate contracta occasione huius excommunicationis, suspensionis, & interdicti, si quam etiam diuina celebrando incurrerint, per priuilegium Martini V. concessum Ordini S. Hieronymi in Hispania, vt in illius compendio refertur. *tit. Absolutio quò ad omnes, §. 3.* Sed intelligitur in foro conscientiæ tantùm, & de illis censuris, quæ iure communi Episcopis sunt concessæ. Quod priuilegium dicit esse innouatum per Paulum V. Peregrin. *verbo Absolutio quoad sæculares, §. 4. in schol.*

68. Episcopi autem possunt absoluere primò ab omni excommunicatione lata in iure, quæ nemini est reseruata, *cap. Nuper, §. in 2. casu, de sent. excom.* & communiter Doctores, quos refert Saytus *lib. 2. de censuris, cap. 19. n. 2. & 3.*

69. 2. Possunt absoluere ab omni excommunicatione lata per hominis, vel iudicis sententiam, quæ generalis est, etiamsi lata sit per Papam. Saytus *loc. cit. num. 5.*

70. 3. Possunt absoluere excommunicatos à se ipsis, siue per legem, siue per statuta, vel à suis prædecessoribus. Saytus *loco cit. n. 6.*

71. 4 Possunt absoluere illos excommunicatos, qui scienter communicarunt in crimine, cum excommunicatis nominatim ab Episcopo, eis consilium, auxilium, vel fauorem præbendo, si difficile sit ex aliqua iusta causa ad excommunicatorem accedere; *dicto cap. Nuper, §. fin.* Sed cum cautione de parendo mandatis excommunicatoris, etiamsi non sint illius subditi. Videatur Panot. *d. c.*

72. 5. Possunt absoluere illos, qui, suadente Diabolo manus violentas iniiciunt in Clericum, cum percussio est leuis arbitrio Episcopi, *c. Peruenit, de sent. excom.*

73. 6. Possunt absoluere pueros, qui ante pubertatem inciderunt in Canonem, *Si quis suadente Diabolo, 17 quæst. 4.* siue ante, siue post pubertatem postolent absolui, *cap. Pueris, de sent. excommunic. & cap. Super eo, & cap. Quamuis, eodem tit.* etiam possunt absoluere mulieres, & alias personas quæ sui iuris non sunt, propter similes percussiones, & etiam alias personas magnæ potentiæ, & delicatas quæ laborem itineris sustinere non possunt, hoc tamen vltimo casu consulta prius Sede Apostolica. *cap. Mulieres, de sent. excom.* Possunt etiam absoluere similes percussores, qui propter inimicitias capitales, quas habent, tutò non possunt Romam ire; cum iuramento tamen se præsentandi, quamcitius præ opportunitate potuerunt, *cap. Decetero, de sent. excom.* Possunt etiam absoluere ostiarium Potestatis, qui à Clerico ad iram prouocatus prætextu sui officij illum læsit, non tamen grauiter *cap. Si vero, eod. tit.* Possunt etiam absoluere dictos percussores si in articulo mortis fuerint constituti, vel paupertate, aut infirmitate, vel tanta senectute fuerint grauati, vt subire laborem Romam veniendi non possint; cum iuramento tamen se præsentandi, quamcitius poterunt. *c. Quod de his, eodem tit.* Possunt etiam absoluere ad cautelam, ad hoc vt ampliùs non vitetur, illum, de quo est publica fama, quod Clericum percusserit, *c. Cum desideres, eod. tit.* Possunt etiam absoluere seruum, qui fraudolenter, vt à Domini seruitio se subtraheret, Clericum non enormiter percussit: Vel si Dominus absque culpa graue damnum deberet incurrere propter illius absentiam, *c. Relatum eod. tit.* Quod tamen intellige de seruis christianis, non de infidelibus nam isti excommunicari non possunt, vt *c. Gaudemus, de diuortiis.* Panor. *in dicto c. Relatum, n. 1.*

74. 7. Possunt absoluere excommunicatos à Papa cum reseruatione absolutionis dicto Papæ, etiam à casibus bullæ Cœnæ, si ob iustum impedimentum ad Papam se præsentare non possunt. Vt docet Nau. *in Manuali, cap. 28. n 89. versu Ad primum,* Sanch. *lib 2. de matrim. disp 40. n. 3.* Sylu. *verbo Absolutio 4 n. 7. dub. 4.* Henriq. *lib. 6. cap. 16. n. 1.* & habetur *in c. De cætero, & cap. Ea noscitur, de sent. excomm.*

75. 8. Possunt absoluere à suspensione simpliciter lata à iure absque reseruatione. Saytus *lib. 4. de censuris, c. 17. à n. 14. vsque ad 19.* Suar. *de censuris, tom. 5. disp. 29. sect. 1. à n. 19.*

76. 9. Possunt

76. 9. Possunt absoluere ab interdicto, simpliciter à iure lato absque reseruatione, quia eadem est ratio de suspensione, & interdicto. Ita Peregr. 2. *p. sui comp. tit. Absolutio quò ad saculares in scholio*, §. 4.

77. Et consequenter possunt ab his etiam casibus absoluere, per priuilegium Martini, & Pauli V. confessores regulares ab Ordinario approbati. In septimo tamen casu videtur esse specialis difficultas, quia ibi videtur specialiter electa industria personæ, iuxta ea, quæ dixi *tom. 1. Religiosi, q. 1. cap. 21. §. 1. concl.* 4. Et non posse inferiores Episcopis absoluere à dictis casibus, docet Nauarrus *in summ. cap. 27. num. 112. versu Tertia est*, & alij apud Henriq. *loco cit. in commento, litera F.* licèt ipse eum multis alijs, quos refert *litera G.* contrarium teneat, & testetur *de praxi.* Nauar. autem, & alij possent intelligi sine priuilegio. Et denique possunt confessores regulares legitimè approbati, per sua priuilegia absoluere, quoties opus fuerit, omnes fideles à casibus, sententiis, & pœnis Ecclesiasticis, Papæ extra bullam Cœnæ reseruatis, & extra dictum decretum Congregationis, per const. Pauli III. quæ incipit, *Cum inter*, quam refert Rodrig. *in suo bull. in Paulo III. const. eius* 7. Et dixi *in appendice Religiosi, à pag.* 681. Et docet Cruz *lib. 2. de statu Relig. c. 6. dub. 6. concl.* 2.

78. Neque his obstant decreta Congregationis citata; nam primò isti casus non sunt in bulla Cœnæ, neque à iure Episcopis reseruatis, sed illis ferè à Papa commissi. Neque contenti in 2. decreto Congregationis, vt patet ex eo. De quo *in appendice tom. 1. Religiosi, pag.* 682. Vnde cum ibi probauerim, *pag.* 683. posse Regulares absoluere per sua priuilegia ab omnibus casibus, etiam papalibus, prætetquam ab illis septem contentis in 2. decreto, constat, quòd ex hoc etiam capite possunt ab his absoluere. Adde, quòd priuilegium Martini V. fuit confirmatum à Paulo V. vt ait Peregr. *post dicta decreta.*

79. Solùm posset esse difficultas, an possent ab his casibus confessarij regulares absoluere, quando eos sibi reseruarent Episcopi.

Respondeo In instructione data omnibus Episcopis à sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium de mandato Clementis VIII. circa casuum reseruationem, quam refert Quaranta *in summ. bullar. verbo Casus reseruati, pag.* 201. *versu præcipuè* hæc habentur. *Præcipuè verò hac monenda censet sacra Congregatio, vt videant ipsi Ordinarij, ne illos casus promiscuè reseruent, quibus annexa est excommunicatio maior, à iure imposita, cuius absolutio nemini reseruata sit. Nisi fortè propter frequens scandalum, aut aliam necessariam causam, aliqui huiusmodi casus nominatim reseruandi viderentur.* Quare si aliqui ita reseruentur, videtur, quòd, stantibus illis decretis Congregationis, non possint ab his Regulares absoluere per priuilegium Martini V. cui in hoc casu derogant dicta decreta. Poterunt tamen, si priuilegium fuit confirmatum, vt credo, à Paulo V. vt dicit Peregrinus *loco cit.* cum debitis derogatorijs.

80. Aduerte etiam, quòd confessarij Congregationis Oratorij Vrbis, ibidem per examen approbati ad audiendas confessiones, possunt vbique, de licentia tamen Ordinariorum locorum, absque alio examine eadem facultate vti, & absoluere ab omnibus casibus Apostolicæ Sedi reseruatis, & in posterum reseruandis, exceptis casibus bullæ Cœnæ, per priuilegium Sixti V. quod incipit, *Decet Romanum Pontificem*, & refert Naldus *in summa verbo Confessio, & Confessarius, numer.* 39. & Quaranta *in sum. verbo eodem, pag.* 240. De quo dubito, an gaudeant Mendicantes. Et nota, quòd in quantum pertinet ad absolutionem à casibus, limitandum est iuxta decreta Congregationis citata, & excipiendi illi septem casus. Quò ad approbationem audiendi confessiones; &c. refert Quaranta *loco cit.* declarationem sacræ Congregationis dictum priuilegium approbantis. Et in facti contingentia cum nollet Archiepiscopus Consentinus fratres nostros in confessarios deputare, statuit sacra Congregatio *anno* 1605. quòd dictus Archiepiscopus daret licentiam audiendi confessiones omnibus illis fratribus, qui ad confessiones in Vrbe admissi fuerant.

§. XXXVII.

81. NOto 1. quòd quilibet fidelis postquam ad annos discretionis peruenerit, tenetur semel in anno, saltem in Paschate sacrosanctam communionem recipere à proprio Parocho sub mortali. Ita habetur *in cap. Omnis vtriusque sexus, de Pœnit. & remiss.* & Trid. *sess. 13. can. 9. de sacr. Euch.*

82. Noto 2. quòd nomine Paschatis non intelligitur solùm ipsa dies solemnitatis Resurrectionis, sed tempus, quod incipit à Dominica Palmarum vsque ad octauam Paschæ inclusiuè. Ita Suarez *tom. 3. in 3. p. disput. 72. sect. 2. dub. 2. versu Censeo igitur, & tomo 4. de Religione, tract. 3. lib. 9. cap. 3. numer. 7.* Azor. *1. p. lib. 7. cap. 30. quæst. 2.* Zerola *1. p. praxis, verbo Eucharistia, num.* 7. Et habetur circa hoc specialis constitutio Eugenij IV. quia refert Passarell. *in comp. priu. in const. extranag. pag.* 281. & Cherub. *tomo 1. bull. in Eugenio, const eius* 20. *pag.* 290. quæ sic habet Fide digna, & inf. *Nos igitur cupientes purgatum triticum in horreum Domini congregare, & inutilibus contentionibus finem dare, attendentes, iuxtà doctrinam B. Augustini, quòd solius circumstantia scripturarum illuminare substantiam veritatis, & non solùm adiacentia, sed etiam precedentia, & subsequentia verba sunt consideranda prudenter, cum dicat Canon Ecclesia, Omnis vtriusque sexus fidelis, saltem semel in anno confiteatur, & infra, Suscipiens ad minus in Pascha reuerenter Eucharistia sacramentum; & sequitur, Nisi de proprij sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum. Dicimus expressè, non intentionis legislatoris fuisse animas illaqueare fidelium sub culpa mortali, ad communicandum præcisè in die Resurrectionis Dominica, Sed terminum statuisse à Pascha ad Pascha, cum dicit, semel in anno, & infrà, Ad minus in Pascha, &c. mens enim magis, quam verborum sonus est attendenda discretè. Intelligimus itaque optimo iure, satisfactum esse Canoni, si in hebdomada sancta, & infra octauam Pascha Resurrectionis Dominica, secundùm meliorem dispositionem conscientia, & aptiorem mentis deuotionem, fideles præparatione debita sanctum Eucharistia pignus accipiant, & cum Domino Pascha celebrent ad salutem, & huic sententia omnes volumus acquiescere, &c.*

83. Noto 3. quod Regulares prohibentur sub pœna excommunicationis ipso facto, cuius absolutio est Papæ reseruata, ministrare sine facultate Parochorum sacramentum Eucharistiæ fidelibus in die Paschæ, & quando datur pro viatico in articulo mortis constitutio *Clem. Religiosi, de priuil.* quam explicant Sylu. *verbo Excommunicatio 7. excommunic. 14. numero 31.* Nauarrus *in summ. cap. 27. numero* 101. Suarez *tomo 5. de censuris, disp. 22. sect. 4. à numero 2. & tomo 3. in 3. p. disp. 72. sect. 2. versu Sed inquires.* Quo loco aduertit primò, quòd hæc excommunicatio afficit solos Religiosos regulares, non autem alios sacerdotes clericos, nec afficit Religiosos regulares nouitios, sed solùm professos, siue per tria Religionis vota solemnia, siue simplicia, vt idem Suarez *tomo 5. in 3. p.* citat. quia cum pœnalis sit, restringenda potiùs est, quam amplianda. Vnde nouitius sacerdos potest etiam in die Paschatis sacramentum Eucharistiæ ministrare absque periculo incurrendi hanc excommunicationem non tamen sine pec-

 cato.

cato. Necesse est etiam, vt incurratur hæc censura, quòd sacramentum ministretur eum præsomptione, nam qui ex ignorantia id facit, putans sibi licere, vel ex ratihabitione, siue sit de præsenti, siue de futuro, non incurrit, vt Caiet. *in summ. verbo Excommunicatio, cap. 64. notab.* 5. Sotus *in 4. dist.* 23. *q.* 2. *art.* 1. *versu Vtrum verò sufficiat.* Comprehendit etiam hæc censura Religiosos, qui ministrant Eucharistiam Clericis sæcularibus, aut laïcis, non verò eos, qui eam administrant Religiosis alterius Religionis sine Prælatorum facultate.

84. Noto 4. quòd si accedat communicandus ad Ecclesias Regularium in die Paschatis, dicens habere se facultatem communicandi vbicumque voluerit à suo Parocho seu Episcopo, vel alio eum in superioritate excedente, licèt iste licentiam non habeat in scriptis, potest tamen Regularis illi credere, & eum communicare. Quia non est præsumendus quis tam immemor suæ salutis, vt tantum scelus velit, absque necessitate præsertim, perpetrare. Ita Nauarr. *in summ. cap.* 27. *num.* 102. Graff. 1. *p. decis. lib* 4. *cap.* 20. *num.* 8. & docet expressè Glossa *in Clem. Religiosi cit. verb. Non habita.* Contrarium sentit Card. *in Clem. Religiosi de priuileg. quæst.* 15. *num.* 7. nobiscum sentit etiam Vital. *loc. cit. num.* 21.

85. Noto 5. quòd Regulares habent priuilegia, vt possint Eucharistiam ministrare fidelibus omni tempore, præterquam in die Resurrectionis Dominicæ. Ita concessit Nicolaus V. Sixtus IV. Leo X. vt videri potest *in compend.* Casarub. *verbo Communicare, num.* 4. 5 *&* 9. Et concessit etiam Pius V. *in constit. eius* 7. *infra*, §. 6. quod non est reuocatum per constitut. Gregorij XIII. quæ incipit, *In tanta*, qua reduxit dictam constit. Pij ad terminos Concil. Tridentin. Nam hoc non est contra Concilium, quod nullibi præcipit, vt in hac potiùs, quàm in illa Ecclesia communio sumatur. Docent etiam Nauarr. *in summ. cap.* 21. *num.* 52. Azor *tom.* 1. *lib.* 7. *cap. vlt. quæstione* 7. Suar. *tomo* 3. *in* 3. *part. disput.* 72. *sect.* 2. *dub.* 2.

86. Sed dubitant Doctores, quid intelligatur per illam exceptionem diei Paschalis, an scilicèt intelligenda sit exceptio illius diei præcisè, seu materialiter, an verò formaliter pro toto tempore Paschali, quo potest impleri præceptum, quod diximus incipere à die Dominicæ Palmarum, & durare vsque ad diem Dominicæ in Albis. Quòd vt clariùs intelligatur; pone casum. Communicauit quis in propria Parochia in die Iouis sancti, vt satisfaceret præcepto Ecclesiæ, *cap. Omnis* vtriusque sexus, deinde in Dominica Resurrectionis propter deuotionem tanti festi vult communicare in Ecclesia Regularium. Quæritur, an possint Regulares illo die absque licentia Parochi ei Eucharistiam ministrare. A Sorbo *in comp verbo Communicare, versu Et an aliquis*, Nauarrus & Azor, *locis citat.* dicunt, quòd prædicti Regulares nullo modo possint dicto die Paschatis Eucharistiam alicui ministrare, siue id sit, vel ad implendum præceptum, vel deuotionis gratia, nimis rigorosè, & materialiter explicantes exceptionem illam diei Paschalis. Suarez *tomo* 3. *in* 3. *part. disput.* 72. *sect.* 2 *dub.* 2. *versu Censeo igitur.* Filiuc. *tomo* 1. *tract.* 4. *cap.* 9 *quæst.* 7. *num* 265. Rodrig. *tom.* 1. *quæst. regul. quæst.* 56. *art.* 3. *versu Ad hanc obiectionem*, contrarium censent, nimirum, diem illam Paschatis sumendam esse formaliter pro toto tempore Paschali. Atque ita qui communicauit die Iouis in Parochia pro implendo præcepto, potest in die Paschatis communicare in Ecclesijs Regularium pro deuotione. Et similiter potest quis in die Paschatis communicare in Ecclesijs Regularium pro deuotione, & vno die infra octauam Paschatis communicare in Parochia pro implendo præcepto. Quæ opinio magis placet; nam Pontifices solum seruauerunt illum diem Paschatis, seu totum tempus, quo potest impleri præceptum de communione, in fauorem Parochorum, intendentes, vt saltem semel in anno omnes parochiani suo Parocho se præsentarent pro communione sumenda; qui autem se præsentauit in die Iouis, iam præceptum impleuit; & qui intendit se præsentare in die aliqua infra octauam, intendit tempore congruo præceptum adimplere (hoc tamen secundum non est facilè omnibus indifferenter concedendum, propter periculum ne, transacto die Paschatis, transeat etiam aliquibus obseruatio præcepti, & sic propter deuotionem omittatur id, quod est in præcepto) & menti Pontificum satisfecisse videtur. Quare verba illa, *Præterquam in die Paschatis* exponit Suarez *loco citat.* Præterquam in ea communione, qua impletur præceptum communicandi in die Paschatis.

87. Noto 6. quòd A Sorbo *in compend. priu. Mend. verbo Communicare, versu Notandum, quòd Papa, pag.* 143. *fine*; & Bera 4. *part. casu* 4. tenent, quòd qui communicauit in die Iouis sancti V. G. in Ecclesijs Mendicantium animo satisfaciendi præcepto de communione Paschali, non tenetur amplius communicare in Parochia in die Paschatis, quia, aiunt, Mendicantes habent priuilegium, vt possint quolibet die, excepto die Paschatis Resurrectionis Eucharistiam ministrare, sed quolibet die à Dominica Palmarum vsque ad Dominicam in Albis per declarationem Eugenij IV. potest impleri præceptum de communione Paschali, ergo qui communicauit in die Iouis sancti in Ecclesijs Mendicantium intentione implendi præceptum, non tenetur ampliùs in die Paschatis communicare in Parochia, cum iam præceptum impleuerit. Hæc doctrina in sententia, quam tenui, quòd nomine Paschatis non intelligitur dies ipsa materialis Dominicæ Resurrectionis, sed communio Paschalis, non potest sustineri. Et verè videtur directa contra mentem Pontificum, qui exceptionem illam de die Paschatis fecerunt, vt Parochi saltem semel in anno vultum pecoris sui cognoscerent. Et abstrahere fideles saltem semel in anno à communione Paschali in propria Parochia absque speciali priuilegio Papæ, est nimium iurisdictioni Parochorum derogare. Nec argumentum à simili de Sacramento pœnitentiæ, quod possunt fideles recipere à Mendicantibus quolibet tempore, quidquam valet, nam in priuilegio ministrandi hoc Sacramentum nulla exceptio apponitur, vt videri potest in priuilegio Sixti IV. apud Casarub. *in compend. verbo Absolutio quò ad seculares* 1. §. 17. & patet hic *supra*, §. 32. Et quòd Christi fideles satisfaciant præcepto Ecclesiæ audiendo Missas in Ecclesijs Mendicantium diebus festiuis, fuit etiam specialiter concessum à Leone X. vt patet *ex eius constit.* 21. *infra*, & à Pio V. *in constit. eius* 7. §. 10. qui tamen de communione paschali id negat *ibidem*, §. 6.

88. Noto 7. quòd Rodriquez *tom.* 1. *regul. quæst.* 56. *art.* 3. *versu Quantum ad* 2. vt hac facultate ministrandi Eucharistiam in communione paschali Mendicantes probet non carere, adducit priuilegium Nicolai V. quo concedit, vt confessores deputati in Monasterio B. M. de Guadalupe possint sacramentum Eucharistiæ quibuscumque personis ad dictum Monasterium confluentibus, etiam in die Paschatis, liberè, & licitè ministrare, Diœcesanorum, aut cuiuslibet alterius licentia minimè requisita; & refert etiam ad idem viuæ vocis oraculum Pauli III. Deinde probat, quòd dictæ concessiones factæ in speciali dicto Monasterio de Guadalupe, fuerunt factæ communes omnibus Monasterijs dicti Ordinis S. Hieronymi, & consequenter omnibus Mendicantibus, qui cum ipsis in priuilegijs communicant. Affert etiam ad idem hoc nostrum priuilegium Iulij II. in quo ipsa communio paschalis non excipitur. Et quòd

dicta

dicta priuilegia non sint abrogata per non vsum, probat *loc. citat. versu Nec prædictis obstat.* Quod etiam probat Beia 4 *part. casuum, casu 4. versu Non obstat etiamsi dicatur*; & Cruz *lib. 2. de statu Rel. c. 5. dub. 4. conclus. 3.*

89. Verùm non credo, quòd per hoc nostrum priuilegium possimus in nostris Ecclesiis in communione paschali omnibus fidelibus indiscriminatim Eucharistiam ministrare. Nam licèt nulla fiat exceptio communionis paschalis, & concedatur, quòd possimus dictum Sacramentum, quoties opus fuerit, ministrare; vnde videtur indicare, quòd possimus illud ministrare, quoties præceptum huius sacramenti sumendi obligabit, quod præcepto Ecclesiastico non obligat, nisi tempore paschali, & diuino, tempore mortis, quando datur pro Viatico, vt Sotus *in 4. d. 12. quæst. 1. art. 11.* Rodriquez *loc. cit. art. 4* Suarez *tom. 3. in 3. p. disp. 72. sect. 2. versu Vltimò verò.* Et ita debere intelligi illud *Quoties opus fuerit* declarauit Leo X. *in constit. eius 4. §. 3. infra.* Licèt, inquam, nulla fiat exceptio, communi tamen vsu intelligitur facta, Cum enim perpetuo fuerit excepta communio paschalis, si concedere voluisset, debebat nominatim exprimere; In Generali enim concessione non veniunt ea, quæ sunt communi sensu excepta, & quæ non esset quis in specie verisimiliter concessurus. Priuilegiis verò illis, quæ adducit Rodriquez si per non vsum non sunt abrogata, vt Ipse, Cruz, & Beia, probant, possumus, & nos frui. Cautè tamen, & prudenter, ne Parochi, qui tam tenaces iurisdictionis sunt, turbentur; quod etiam admonet Rodriquez *loc. cit.* Vide *supra in const. Pyrrhi, num. 30. & 31. §. 7.*

90. Noto 8. quòd per hoc nostrum priuilegium puto, posse nos tutò in nostris Ecclesiis peregrinis, transeuntibus, curialibus, & mercatoribus Eucharistiam ministrare, etiam in communione paschali pro implendo præcepto. Nam in istis cessat ratio, propter quam à Pontificibus facta est illa exceptio diei Paschatis. Quod etiam absque priuilegio fieri posse quòd ad peregrinos, & transeuntes existimant Henriquez *lib. 8. de Euch. cap. 55. num. 1. in comm. litera G* & Rodriquez *tom. 1. quæst. regul. quæst. 56. art. 3. versu Nec obstat.* Citant Sotum *in 4. d. 18. quæst. 4 art. 3.* Nec per illam clausulam *Ac quibusvis aliis* sequitur, quòd possimus idem facere cum aliis omnibus Christi fidelibus; nam clausula generalis secuta post specialia expressa includit consimilia non expressa, non autem maiora. Shrozzius *de offic. Vicar. lib. 2. quæst. 115. num. 10.* Tuschus *verbo Clausula concl. 309.*

91. Noto 9. quòd Regulares, & quilibet alij sacerdotes possunt in articulo mortis, absentibus Parochis, sacramentum Eucharistiæ tanquam Viaticum fidelibus ministrare; quia tunc præsupponitur Parochorum voluntas. Ita Suar. *tom 3. in 3 p. disp. 72. sect. 2. dub. vlt.* Rodriquez *tom. 1. quæst. regul. quæst. 56. art. 5.* Possunt etiam eandem Eucharistiam ministrare alicui personæ impotenti Parochiam adire, & licentiam petere, si tempus implendi præceptum paschale vrgeret. Quo casu tenebitur qui communicauit, postea, cum primum poterit, Parocho satisfacere, qui Parochus non poterit eum cogere ad iterum communicandum in Parochia. Poterunt etiam Regulares hoc Sacramentum ministrare fidelibus in suis Ecclesiis communione Paschali, quando Parochus in aliqua Villa, vel Pago non posset, vel nollet suum officium exequi, & tempus præceptum Ecclesisticum adimplendi vrgeret; quia in his casibus vrget semper necessitas, quæ legi non subiacet. Ita Suar. *tom. 4. de Relig. tract. 3. lib. 9. cap. 3. num. 8.* qui pro casibus istis necessitatis adducit priuilegium Pauli III. *num. 2.* Poterunt etiam non solùm Regulares, sed etiam quicumque alij Sacerdotes Sacramentum extremæ vnctionis ministrare ægroto in vero periculo mortis constituto, si Parochus non adesset, aut nollet hoc Sacramentum ministrare, quia licet hoc Sacramentum non sit absolutæ necessitatis, est tamen magnæ vtilitatis, vnde præsupponitur interpretatioa Superiorum voluntas. Ita Suar. *loc. cit. c. 4. n. 9.*

92. Si quæras an sæcularibus in nostris Conuentibus hospitibus, ibique infirmantibus, possimus Eucharistiam, & Extremam-Vnctionem ministrare. Et si decedant, eorum cadauera sepulturæ tradere, absque alicuius Episcopi, vel Parochi quæsitâ licentia.

Responded 1. quoad Eucharistiam, posse nos eam dictis absque vllius prædictorum licentia ministrare; tum propter hoc priuilegium, quo talis administratio peregrinis, &c. conceditur, quoties opus fuerit, .i. quoties necessitas postulauerit, quæ, vt dixi *num.* 89. non postulat, nisi semel in anno, & in articulo mortis; Neque obstat, quòd dicatur talis administratio debere fieri in nostris Ecclesiis, nam nomine Ecclesiarum veniunt etiam Religiosorum Monasteria, vt dixi *supra in Constit. Pyrrhi, num.* 31, tum propter priuilegium Pauli IV. quòd refert Rodrig. *in suo Bull. in Paulo IV. constit. eius* 3. quo concedit, vt possimus Sacramentum pœnitentiæ infirmis etiam extra domos, & Conuentus nostros, atque Sacramentum Eucharistiæ ministrare, excepto die Resurrectionis, non quidem deferendo illud per vicos, & plateas, quod est proprium Parochorum, sed in Capellis priuatis, in propriis sæcularium domibus consistentibus, cum debita facultate erectis, sacrum conficiendo; indeque dictos infirmos etiam pro viatico communicare, vt explicat Suar. *tom. 4. de Relig. tract. 3. lib. 9. cap. 3. n.* 12. Ergo multò magis poterimus dictis infirmis in nostris Conuentibus Eucharistiam ministrare. Atque ita docent Rodrig. *tom. 2. q. regul. q. 67. art.* 1. Suar. *loc. cit. cap. 4. num.* 17.

93. 2. quoad Extremam-Vnctionem dico, posse nos eam dictis hospitibus similiter ministrare. 1. quia concesso maiori censetur etiam concessum minus, *cap. Ex parte, el 3. de decimis*, & maius Sacramentum est Eucharistia, quàm Extrema-Vnctio, & dignus ad se trahit minùs dignum Glossa *in cap. Quod in dubiis, de consecr. Ecclesiæ, verbo Consecratum.* Facit etiam Regula *Cui licèt* quæ est 53. *de Regulis iuris in 6.* vbi dicitur, *Cui licèt, quod est plus, licèt vtique quod est minus.* Et si dicatur, quòd, concessa administratione Sacramenti pœnitentiæ, quod est maioris necessitatis, non propterea conceditur administratio Sacramenti Eucharistiæ, & Extremæ-Vnctionis.

Respondeo, id fieri ad saluandam iurisdictionem Parochorum, sed cum iam Papa, qui est Dominus iurisdictionis Ecclesiasticæ, id voluerit nobis concedere in administratione Sacramenti Eucharistiæ, cessat illa particularis ratio, & procedit illa Regula iuris communis, quòd Dignius ad se trahit minùs dignum. 2. quia id expressè concessit Benedictinis Nicolaus Francus Legatus à latere Sixti IV. vt refert Rodrig. *in suo Bull. in Sixti IV. bulla eius 42. n. 4.* in hæc verba. *Et si qui intra septa Monasteriorum ipsorum infirmati fuerint, Extremam Vnctionem dare auctoritate Apostolica, cuius legationis officio fungimur in hac parte, tenere præsentium, plenariam, & liberam concedimus facultatem, Parochialis Presbyteri, vel alterius cuiuscumque Episcopi, vel Superioris licentia, vel assensu nullatenus requisito.* Et quòd statuta Legatorum de latere sit perpetua, docet Zerola *in praxi, verbo Edicti*, §. 3. & habetur *in cap. fin. de offic. Legati*, vbi Glossa *verbo Statuta.* Atque ita docent Rodrig. *loc. cit.* & Suarez etiam cit. *num.* 16. Et tandem quòd hospitibus in nostris Monasteriis infirmantibus possimus Eucharistiam, & Extremam-Vnctionem ministrare, concessit Pius IV. Congregationis Clericorum Regularium, & confirmauit Pius V. *anno Domini 1567. idibus Februarij*, vt refert Peregrin. *1. p. sui comp. tit. Communicare*, §. 3. Et nota, quod ad hæc Sacramenta dictis infirmis ministranda non est necessarius Sacerdos approbatus

ab

ab Episcopo, sed sufficit quilibet simplex Sacerdos de licentia Superioris. Ita Suar. *loc. cit. num.* 17. Ad ministrandum tamen iis Sacramentum Pœnitentiæ approbatio Ordinarij requiritur, per Concil. Trid. *seß.* 23. *de reformat. cap.* 15. Suar. *loco cit. num.* 18.

94. 3. Quoad sepulturam, puto posse dictorum hospitum cadauera sepulturæ tradere absque Parochorum, vel Superiorum quorumcumque quæsita licentia; tum propter rationem dictam, quòd, concesso maiori, censetur esse concessum minus; tum quia Monasteria sunt exempta ab Episcopi iurisdictione, & æquiparantur locis positis extra Diœcesim, ut dixi *supra in constitut.* §. *Sixti IV. num.* 9. vnde fit ut si decederent isti hospites in aliquo loco extra Diœcesim, nullam in eo haberet Episcopus, vel Parochus loci, in quo Monasterium Regularium est positum, iurisdictionem, ita cum decedunt in locis Regularium exemptis. Pro istis autem tribus casibus cito Rodrig. *tom.* 2. *quæst. reg quæst,* 67. *art.* 1. *in med.* Graff. *part.* 2. *decis. lib.* 3. *cap.* 23. *num.* 29. Reginald. *lib.* 18. *praxis, num.* 107.

§. XXXVIII.

95 Vide constit. 1. huius Pontificis, §. 15. & quæ dico *tom.* 1 *Religiosi, quæst* 11 *cap.* 26. præsertim *conclus.* 6. Vide etiam infra in Leone X. *constit.* *eius* 13. vbi datur amplissima facultas dictos apostatas capiendi, ad quam capturam sæculares nos adiuuantes, etiam apostatas ligando, tenendo, &c. excommunicationem non incurrunt, vt dicitur in dicta constit. Leonis. Incurrunt tamen tam sæculares, quàm Ecclesiastici ducentes in carcerem dictos apostatas, qui quietè duci se permittunt, si pugnis, & calceis eos percutiant. Secus verò, si quiete se duci non patiantur; possunt enim tunc eos pugnis, & calceis vrgere, & percutere, atque etiam vulnerare. Colligitur *ex cap. Si Clericos de sent. excomm. in* 6. ibi *Nisi alias ex proposito excedatur in ipsis.* vbi Glossa *verbo Excedatur,* & expressè Alciatus *illo cap. & dicto verbo.* Colligitur etiam *ex c. Vt fame, de sentent. excommun.* §. *Laici verò.* Dum tamen ista violentia ampliùs se non extendat, quàm defensio, vel rebellio ipsorum exigit apostatarum. Circa modum apostatas tractandi postquam recepti fuerint, vide viuæ vocis oraculum Pauli IV. de quo testatur Michaël Ghislerius, qui postea fuit Pius V. *infra in Paulo IV. constit. eius* 2.

96. Aduerte etiam, quòd illa clausula *Inuocantes etiam ad id, quatenus opus fuerit,* &c. dat Superioribus Ordinis, vt, postquam fecerint omnia, quæ ex debito sui officij possunt, & debent facere cum debitis modis, & solemnitatibus, vt bi gratia citando vagabundum personaliter, excommunicando, &c. postmodum tunc, quando nullum eis ampliùs Ecclesiasticum remedium superfuerit, brachium sæculare inuocare, vt dicti Apostatæ ad Religionem reuertantur. Colligitur ex Trid. *seß.* 24. *de reform. matr. cap.* 8. & Tuscho *verbo Brachium seculare, conclus.* 125. *num.* 11. Vide Nauarr. *in cap. Cum contingat, de rescript. remed.* 1. *num.* 1. Rodrig. *tom.* 1. *quæst. Regular. quæstione* 8. *articul.* 14.

97. Noto etiam, quòd iudices sæculares iure communi tenentur hoc auxilium præstare, quod brachium sæculare vocant iudicibus Ecclesiasticis, *cap. Principes, & cap. Administratores,* 23. *quæstione quinta.* Quare illa clausula ad superabundantiam ponitur, quòd si non dederint, peccabunt sine dubio mortaliter. An autem possint ad id cogi sub pœna excommunicationis, vel arbitrio Superioris puniendi, Menoch. *de Arbitrar. lib.* 2. *casu* 452. hoc secundum putat Rodrig. *loc. cit. primum* & dicitur *d. cap. Administratores.* Excommunicabuntur autem, vt ait Rodriguez quousque prædictum auxilium dederint. Quis autem in hac materia poterit prædictos iudices sæculares ad hoc compellere: Dic, quòd Conseruatores Religionum, & delegati à Summis Pontificibus, assignati pro dictorum priuilegiorum executione.

§. XXXXIII.

98. Aduerte quoad istam clausulam *Nulli ergo omnino,* quòd nullus, siue priuatus, siue in quacumque dignitate constitutus, etiam Vicarius Pap potest huic constitutioni contrauenire. *Infringere* in portat retractare, vel per malitiosam interpretatione infringere. *Ausu temerario* importat etiam fine dol sed ex subtilitate contraire; videlicet dissimulando, a diendo allegationes, vel disceptationes. Tuschus *verbo Clausula conclus.* 352.

CONSTITVTIO II.

Est Mare magnum nostræ Religionis, in quo plurima nobis concedit.

IVLIVS EPISCOPVS SERVVS seruorum Dei. Dilectis Filiis Francisco de Paula Generali, & Prouincialibus, Correctoribus, & vniuersis Ordinis Minimorum salutem, & Apostolicam benedictionem.

Virtute conspicuos sacri Ordinis vestri professores, qui contemplationi cælestium feruenter inuigilant, & piæ vitæ studio sine intermissione desudant, decet per Apostolicæ circumspectionis auxilium sic prouidè dirigi, & sollicitè confoueri, vt alicuius prætextus calumnia nullum internæ pacis excidium, nullumque Religiosi status perferant detrimentum, sed in his robur, & vigorem habeant, per quæ circa cultum diuini numinis deuotis, & quietis mentibus inualescant. Proœmium.

§. 1. Hinc est, quod, cum, sicut nobis exponere curastis, tu fili generalis Corrector, & prædecessores tui, iuxta eiusdem Ordinis consuetudinem obseruatam hactenus, & à Sede Apostolica toleratam, postquam electi secundum prædictæ constitutiones Ordinis extitistis, Fratrum ipsius curam gesseritis, Correctoris officium plenè, ac liberè in omnibus exercentes, ijdemque Fratres vobis deuotè, & humiliter obedierint, & intenderint reuerenter; & in eadem Regula sit expressum, vt generalis Correctar, qui pro tempore fuerit, à Correctariatus officio amoueri valeat à Vigilibus Prouincialibus, & aliis Fratribus in generali capitulo congregatis. Nos volentes ambiguitatis scrupulum in hac parte de vestris cordibus amputare, ac Ordinem ipsum præfatæ Sedi immediatè subiectum, à Sede approbatum eadem, honestate floridum, præclarum scientia, & virtute fœcundum, priuilegio Apostolicæ gratiæ attollere singulari, vestris supplicationibus inclinati, deuotioni vestræ, vt successores tui, fili generalis Corrector, qui erunt pro tempore, statim postquam electi secundum Regulam, & constitutiones fuerint supradictas, eo ipso Correctoris generalis auctoritas quæ sit.

veri

veri eiusdem Ordinis generales Correctores sint effecti, curam animarum Fratrum ipsius Ordinis plenè habeant liberèque gerant, ipsosque Fratres auctoritate propria ligare, ac soluere, necnon in eodem Ordine agere valeant, quæ ipsi, & præfati Ordinis definitores ad hoc electi, iuxta prædictas constitutiones, eidem Ordini, & Fratribus secundum Deum viderint expedire, aliasque possint officium generalis Correctoris licitè in omnibus exercere, ijdémque Fratres tibi, Corrector, & successoribus ipsis deuotè, ac humiliter obediant, & intendant.

Generalis à quibus amoueri possit.

§. 2. Ac præfati successores, & tu generalis Corrector, à Prouincialibus Correctoribus, & Vigilibus, secundùm Regulam, & constitutiones ipsius Ordinis absolui, & amoueri possitis auctoritate Apostolica indulgemus; Ratum habentes, & firmum quicquid super præmissis per te, Generalis Corrector, dictosque prædecessores Fratres, & discretos factum, & obseruatum est hactenùs, concessa tibi exequendi officium generalis Correctoris quoad præmissa omnia libera facultate.

Electoribus in remotis partibus degentibus nō currit tempus à iure statutum.

§. 3. In electionibus quoque Generalis, & Prouincialium Correctorum, ipsius Ordinis Fratribus, qui debent electionem huiusmodi celebrare, cum eos frequenter de remotis partibus oporteat conuenire, tempus super hoc à iure statutum non currat, nec ipsi in hac parte iuris huiusmodi Regulis coarctentur.

Prælati statim post electionem administrationem habent.

§. 4. Vigiles verò, Prouinciales, & Correctores locales, aut delegati Visitatores, seu Vicegerentes, qui secundùm statuta eiusdem Ordinis per electionem, vel alias instituuntur, post ipsam institutionem, seu prouisionem de ipsis factam, curam animarum Fratrum sibi Subditorum ipsius Ordinis habeant, ipsosque ligare, ac soluere possint, iuxta ipsius Ordinis instituta.

Lectores in Theologia quando liberè legere possint.

§. 5. Fratres autem de Ordine vestro, quos secundùm constitutiones ipsius Ordinis Conuentibus vestris deputandos duxeritis in Lectores, sine cuiusquam alterius licentia, libere in domibus ipsius Ordinis legere, ac docere valeant in Theologica facultate; illis locis exceptis, in quibus viget studium generale, ac etiam, quando in facultate ipsa docturus, vt magister solemniter incipere consueuit.

Sacri ordines à quocumq. Antistite suscipiantur.

§. 6. Et quia eiusdem Ordinis Fratres de locis ad loca ipsius Ordinis sæpius transmittuntur, propter quod stabilem, & perpetuam in certis, & determinatis eiusdem Ordinis domibus non faciunt mansionem, quia etiam bonos, & idoneos, & approbatos à vobis Fratres facitis ad Ordines promoueri, liceat vobis ordinandos Fratres eiusdem Ordinis quibuscumque malueritis Catholicis Pontificibus, communionem, & gratiam Sedis Apostolicæ habentibus præsentare, ipsisque Pontificibus præsentatos Fratres sine qualibet examinatione per eosdem Pontifices facienda, & absque omni promissione, vel obligatione ipsorum ordinandorum Fratrum ad Ordines promouere.

Missas in altari portatili celebrare possumus.

§. 7. In locis quoque in quibus degitis, liceat vobis habere Oratoria, in quibus cum altari portatili possitis Missarum solemnia, & alia diuina officia celebrare, ac etiam Ecclesiastica recipere Sacramenta.

Vide supra in constitut. Pyrrhi, à num. 17. Morari possumus in terris interdictis, ibiq; necessaria vitæ deposcere.

§. 8. Et quia vos extremam patientes pro Christi nomine paupertatem, exhortationis piæ studio bonos ad potiora dirigitis, & errantes in rectitudinis semitam laudabiliter reuocatis, concedimus, vt in excommunicatorum terris liberè commorari, ac alias, & etiam quando per ipsos transire vos contigerit, necessaria vitæ depóscere, ac recipere valeatis, nisi id vobis fuerit interdictum.

Facultas Prælatorum Ordinis absoluendi fratres, & cum eis dispensandi super irregularitate, &c.

§. 9. Generalis quoque, & singuli Vigiles, ac Prouinciales, & Correctores, & eorum Vicarij in Prouinciis, & Vigilantiis sibi commissis, prædictis Fratribus constitutis ibidem, necnon & Fratribus aliis eiusdem Ordinis interdum ad eos declinantibus vndecumque absolutione, & dispensatione indigentibus, siue priusquàm intrauerint Ordinem, siue post, in casibus excesserint, pro quibus excommunicationis, vel interdicti, aut suspensionis incurrerint sententias, à iure, vel à iudice generaliter promulgatas, & huiusmodi sententiis innodati, aut in locis suppositis Ecclesiastico interdicto diuina officiis celebrātes, vel suscipientes Ordines, sic ligati notam irregularitatis incurrerint, absolutionis, & dispensationis beneficium valeant impartiri: Nisi adeò grauis, & enormis excessus fuerit, quòd sint ad eandem Sedem merito destinandi. Fratres etiam vestri, quos pro tempore vos Generalis, Vigiles, & Prouinciales, ac Correctores, necnon, & vices vestras gerentes, in proprios habueritis Confessores, absolutionis, & dispensationis beneficium vobis, cum expedierit, valeant impertiri, iuxta formam concessionis super absolutione, ac dispensatione Fratrum eiusdem Ordinis superiùs vobis facta. Ad hæc volentibus vestro aggregari consortio, qui suspensionis, aut interdicti, vel excommunicationis sententiis, à iure, vel à iudice promulgatis generaliter sunt ligati, absolutionis beneficium, obseruata forma canonica, impartiri, ipsosque in Fratres recipere, ac eos, qui post assumptum habitū, vel professionem emissam recognouerint se talibus in sæculo fuisse sententiis innōdatos, secundùm formam ipsam vos Generalis, Vigiles, & Prouinciales, & Correctores, ac vices vestras gerentes, valeatis absoluere, & cum irregularibus dispensare, si forsan talibus innodati sententiis, vel in locis interdicto suppositis diuina præsumpserint officia celebrare, vel Ordines recipere, ita tamen, quòd si alicui ex huiusmodi eisdem sententiis propter debitum sint adstricti, satisfaciant, vt tenentur. Volumus autem nihilominùs, quòd huiusmodi volentes vestro aggregari consortio, nisi mox, postquam fuerint absoluti, Ordinem vestrum intrauerint, etiamsi super hoc eis induciæ à Prælatis Ordinis eiusdem concedantur, eo ipso in pristinas sententias, à quibus eos taliter absolui contigerit, relabantur: cæterū vestra discretio cautè prouideat, vt Apostolicæ Sedis, Legatorū ipsius, & Ordinariorum locorū in absolutionibus huiusmodi scandalum euitetur.

Exemptio à cura Monialium, & aliis hic chartatis.

§. 10. Porrò quieti vestræ prouidere volētes, quòd per literas Apostolicæ Sedis, aut Legatorum, seu Subdelegatorum ipsius conueniri à quoquam minimè valeatis, & quòd ad pecuniam colligendam cogi nō possitis inuiti per literas ipsius Sedis de cætero impetrandas; quòdque nullus vestrum correctionis, seu visitationis,

censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine (non tamen nominatim) quomodo latis, & promulgatis, & huiusmodi sententiis innodatos, aut in locis Ecclesiastico interdicto suppositis, diuina officia celebrantes, aut ordines suscipientes, & censuris huiusmodi sic ligatos, & propterea, aut aliàs ex quocumque capite, vel causa, præterquam homicidij voluntarij, bigamia, ac membrorum mutilationis, irregularitatem incurrentes, Apostolica auctoritate, in foro conscientiæ tantùm absoluere, necnon cum eis, si opus fuerit, etiam cum rehabilitatione, & abstersione inhabilitatis, & infamia macula dispensare.

32. Circa quod priuilegium noto primò, quòd absoluere à prædictis, ad Generalem vel ab eo deputatos pertinet; Quare Prouinciales, neque Correctores per hoc priuilegium poterunt absoluere ante ætatem ordinatum. Quod Prælati possint infamiæ maculam abolere tenet Llamas *4. p. meth. cap. 3. §. 8.*

33. Noto etiam, ne scrupulis angaris, quod dicti Clerici ministri infirmorum gaudent priuilegiis Mendicantium, vt patet *ex dicta bulla, Illius*, §. 26. Et dicit Rodrig. *tom. 1. quæst. regul. quæst. 55. art. 11.* & Mendicantes, qui habent priuilegium, vt possint frui priuilegiis aliis non solùm concessis, sed etiam concedendis, vt nos Minimi habemus à Iulio II. per hanc constit. §. 14. illis verbis *Per quoscumque Romanos Pontifices, ac Sedem præfatam concessis, ac in posterum concedendis.* Possunt etiam frui priuilegiis concessis dictis Ministris infirmorum. Neque valet, si dicas, Iulium II. locutum fuisse de priuilegiis concedendis Religionibus suo tempore à Sede Apostolica approbatis, & Religio horum Ministrorum multo tempore post fuit approbata. Nam priuilegia Mendicantium à Sixto V. fuerunt non solùm approbata, sed etiam de nouo concessa, vt habet Rodrig. *tom. 1. quæst. regul. quæst. 55. art. 17.* Qui idem Pontifex etiam approbauit dictum Ordinem Ministrorum infirmorum vt patet *ex eius constit. 25. in bull.* Cherub. *fol. 519.* quæ incipit, *Ex omnibus*, & nostra priuilegia fuerunt ex certa scientia, quæ habet vim nouæ concessionis, vt dixi supra *in constit. Sixti IV. num. 4.* confirmata ab Vrbano VIII. feliciter regnante, vt constat *ex eius constitutione 1. §. 1.*

34. Maneat igitur tanquam certissimum, quòd Prælati Regulares, Generales videlicet, & Prouinciales, ac etiam Correctores, & horum Vicarij possunt absoluere à suspensione incursa propter susceptionem ordinum ante tempus, eum ordinanis ad ætatem legitimam peruenerit, & interim non celebrauerit, & hoc in foro conscientiæ. Quod etiam ampliùs patet ex eo quod Episcopi id possunt per Conc. Trid. *sess. 24. de reform. cap. 6.* & eam auctoritatem, quam habent Episcopi in suos Subditos in foro conscientiæ, habent Prælati Regulares in suos, si non vigore dicti capitis *Liceat*, vt aliqui volunt, saltem vigore priuilegij Pij V. de quo dixi supra *in constit. Pyrrhi, num. 46.* In terminis hanc nostram opinionem tenent Zerola *1. p. prax. verbo Dimissoria, ad quartum, notab. 1. & 2.* Quaranta *in sum. bull. verbo Ordo, versu Tertiò limita, pag. mihi 487.* Sayrus *lib. 4. de censuris, cap. 16. num. 28.* qui contrarium dicere videtur *lib. 6. cap. 12 num. 14.* Bonacina *de censuris, disp. 3. quæst. 6. puncto 5. num. 5. versu Tertiò homo*, Suar. *de censuris, disput. 31. sect. 1. num. 32. fine.* Sbrozzius *lib. 2. de offic. Vic. quæstione 20 fine.* licèt notetur *in synopsi, quæstione 21. num. 10.* Et quod dico de suspensione, quando est occulta, & in foro conscientiæ, quando ordinatus non celebrauit, intellige etiam de ea, quando celebrauit, & de irregularitate, quam celebrando incurrit: nam cum ad ætatem legitimam peruenerit, potest etiam Prælatus regularis eum absoluere, & dispensare: non solum vt in malè susceptis ministret, sed etiam vt vlteriùs ad alios promoueatur, vt benè Cruz *libro primo de statu Relig. capite sexto, dub. 15. conclus. 7.* Portel. *in dubie. regul. verbo Ordines sacri num. 14.* Quare quando Nauarr. *in manuali, cap. 25. num. 70.* & Rebuffus *2. part. praxis, tit. De Cler. ad sacr. ord. malè prom. notab. 4.* & alij dicunt, quòd in ista irregularitate solus Papa dispensat, intelligendi sunt, seclusis priuilegiis, nam Papa hanc potestatem communicare potest cuicumque voluerit.

35. Si autem suspensio sit deducta ad forum contentiosum, an possint Prælati Regulares suos Subditos absoluere, & dispensare in irregularitate similiter ad idem forum deducta, maius dubium est. Rodrig. *tom. 1. quæst. Regul quæst 20. artic. 14. fine.* respondet, quod quando suspensio non est perpetua, possunt: Possunt etiam, quando non est reseruata Pontifici, licet sit perpetua; Hæc pœna contra ordinatos ante ætatem licèt sit perpetua, non est tamen reseruata; vnde poterunt Prælati Regulares ab ea absoluere, vt habet Henriq. *lib. 13. de excommunic. cap. 35. num. 2.* Miranda *tom. 2. manual. Præl. quæst. 36. art. 16. concl. 7. fine.* Suar. *de censuris, disp. 29. sect. 1. num. 15.* Sayrus *lib. 4. de censuris, cap. 17. num. 12.* & refert Peregrin. *2. part. sui comp. tit. Ordines, §. 2.* Sixtum IV. concessisse Prælatis Oliuetanorum, vt possent absoluere suos Subditos ordinatos ante legitimam ætatem, qui in ordinibus ministrarunt à suspensione, & ita cum eis dispensare in irregularitate, vt non solùm in susceptis ministrent, sed etiam vt ad omnes alios, etiam Presbyteratus promoueantur.

36. Sed licèt supradicta vera sint, & pateant etiam per priuilegia citata, *num. 31.* in quibus conceditur facultas absoluendi ab omni suspensione, non determinando, an solùm in foro conscientiæ, an in foro fori, tunc enim, cum fauores ampliandi sint, iuxta Regulam iuris *Odia restringi*, quæ est *15. de Regul. iur. in 6.* intelligendum est in vtroque foro. Audio tamen, quòd stylus Curiæ Romanæ, cui standum est, in hoc casu habet contrarium, quia omnes tales ordinati ante tempus, vel sine dimissoriis, vel extra tempora, siue Regulares, siue sæculares Clerici sint, petunt dispensationem à Papa, vel per Datarium, vel per summum Pœnitentiarium.

37. Idem dico de irregularitate, quando ordinatus ante ætatem celebrasset, nam licèt Regularium Prælati habeant auctoritatem dispensandi in quacumque irregularitate in vtroque foro, exceptis tribus, nimirum homicidij voluntarij, bigamiæ, & mutilationis membrorum, vt Miranda *tom. 2. manual. quæst. 8. art. 14. concl. 5.* vbi affert multa priuilegia, & constat *ex constit 2. Iulij II. §. 29.* Hoc casu tamen propter stylum Curiæ in contrarium, in foro contentioso puto id tutè fieri non posse.

38. Sed qoid possit stylus Curiæ Romanæ, si quæras.

Respondeo, Facere ius, & nihil contra ipsum facta valere, *cap. Ex literis, de constit, & cap. Quàm graue, de crim. falsi*, Felin. *in cap. Ex parte, de rescript. num. 16. & in cap. Ex literis, num. 4.* Guido Papæ *quæst. 119.* Paulus Parisius *part. 1. consil. 44. num. 17.* Menochius *consil. 270. num. 19.* Aloysius Riccius *collect. 1206.* qui addit, quòd stylus Curiæ præualet etiam consuetudini, & *collect. 794.* assignat styli Curiæ multos effectus. Verum quidem est, quòd vnius Doctoris dicto, de stylo attestantis standum non est, cum enim stylus in facto consistat, debet pluribus de certitudine, & scientia attestantibus probari. Menoch. *consil. 464. num. 27. & consil. 364. num. 12.* & omnium probationũ maxima est assignatio alicuius casus in quo ita fuisse obseruatũ probetur. Menoch. *consil. 480. n. 9.* Vnde cum de stylo certò non constat, iurisscripto stari potest. Cassiodorus *tit. de restit. spoliat. decis. 9. n. 17.*

39. Sed

39. Sed quid, si Episcopus ante ordinationem præmittat excommunicationem, ne quis habens impedimentum occultum accedat ad ord nes suscipiendos.

Respondeo, quòd ista excõmunicatio in primis afficit non solùm Clericos, sed etiam Regulares, nam licèt in Regulares iurisdictionem non habeat, quia tamen prohibentur à Papa per Canones, & Ponoficiaa constitutiones ordines suscipere, nisi debitas, & requisitas conditiones habeant, ideò potest Episcopus dictos Canones, & constitutiones Pontificias adiuuando, pœnam apponere, per doctrinam Panorm. *in cap. Innotuit, de eo, qui furt. ord. suscep. num.* 2. vbi adducit *cap. Vt animarum, de constit. in* 6. docet Glossa *in Clementina Ne Romani, de elect. verbo Tolli.* Deinde videndum est, an prædicta excommunicatio sit lata, vel ferenda; Nam si lata sit, suscipientes ordines cum impedimento occulto, ætatis V. G. incurrunt irregularitatem; excommunicatus enim suscipiens ordines, etiam minores, fit irregularis. Nauarr. *cap.* 25. *num.* 72. *versu Decimò peccat.* Si ferenda, vel comminatoria, peccant mortaliter Zerola 1. *part. praxis, verbo Dimissoria ad Ordines, ad* 4. *fine.*

40. Sed quis absoluet ab hac excommunicatione, & super irregularitate dispensabit. Nauarr. *in sum. c.* 25. *n.* 7. *versu Sextò peccat*, dicit, hoc pertinere ad Papam, citat *c. Innotuit, de eo, qui furt. ord. suscep.* & est verum, non solùm secundùm prædictum cap. Sed etiam per duo antecedentia. At per priuilegium puto posse Prælatos regulares. Innuitur dicto *cap. Innotuit.* & aliis antecedentibus, quatenus dictis cap. datur facultas Episcopo dispensandi cum taliter ordinato, si habitu regulari susceptio, pœnitentiam egerit; quatenus etiam Prælati regulares auctoritatem habent quasi Episcopalem, & eandem in suos subditos Regulares, quam Episcopi in suos, & quatenus possunt dispensare in omni irregularitate, vt dixi hic *supra, num.* 37.

41. Monet autem Henriq. *lib.* 10. *de Sacram. ord. cap.* 20. *n.* 1. & 2. & eum secutus Filiuc. *tom.* 1. *tract.* 9. *c.* 5. *q.* 5. *num.* 99. Quòd non deberent Episcopi accedentes ad ordines prohiberi sub excommunicatione latæ sententiæ, ne accedant cum impedimento occulto, & multo minùs edicere, se non habere intentionem ordinandi eos, qui essent aliqua censura irretiti, vel irregulares, ne sint occasio iniciendi nouos laqueos, quin potiùs deberent ad cautelam in generali, sic accedentes ab omni excommunicatione, & censura absoluere, dispensareque in omni irregularitate in qua possunt secundùm Deum, & Canonea, sicut monet Pontificale Romanum.

42. Quæ absolutio, & dispensatio prodest pro rebus dubiis, & oblitis, sicut absolutiones, quæ fiunt à Prælatis tempore visitationum, vel reconciliationum, de quibus dixi *tom.* 1. *Religiosi, q.* 1. *cap.* 5. *fine* Et ita prodest dicta absolutio, & dispensatio data in generali, vt si quis deinde fuerit recordatus innodatum se fuisse aliqua excommunicatione, seu irregularitate, non tenetur de his ampliùs absolutionem quærere, quia iam sublatæ censentur, sed satisfacit confitendo peccata, ob quæ illa incurrit, quæ peccata iam reseruata non sunt. Atque ita docet Nauarrus *in sum. cap.* 26. *num.* 13. Sylu. *verb. Confessio primò, quæst.* 4. *n.* 7. & alij, quos citat Nauarrus.

43. Sed, an prosit Regularibus exemptis, posset dubitari. Respondeo tamen prodesse, si accedant cum licentia Prælati, sicut si data esset absolutio, & dispensatio à proprio Prælato, quia omnia videntur concessa, sine quibus ordinatio non potest rectè expediri. Ita Henriquez *lib.* 10. *de sacram. ord. c.* 20. *n.* 3. Sylu. *verbo Irregularitas, quæst.* 9. *num.* 11. *fine*; habetur *in cap. Præterea, de off. deleg.*

§. XIX.

44. Aduerte, quòd hic conceditur, quod tantùm Generales, & Prouinciales possint benedicere omnia ornamenta Ecclesiastica. Quam facultatem extendit etiam ad Correctores locales Leo X. vt constat *ex illius constit.* 18. §. 3. *infra*, quæ incipit, *Religionis.* Et probaui 2. *p. Ritualis, notab.* 9. vbi etiam probaui *notab.* 8. prædictos posse, non solùm corporalia, & alia ornamenta Ecclesiastica benedicere pro vsu suarum Ecclesiarum, sed etiam pro aliis Ecclesiis.

§. XX.

45. Nota, quòd hoc est magnum priuilegium, & nusquàm aliis concessum, vt dicit Casarub. *in comp. priuil. verbo Ædificare, n.* 20. vbi A Sotbo vocat hoc priuilegium nobile. Sed hodie vocat; per ea, quæ dixi *supra in constit. Pyrrhi, num.* 48. *&* 49. Et nota hic etiam auctoritatem, quam habent Conseruatores excommunicandi molestantes, & inquietantes.

§. XXI.

46. Aduerte, quòd ista facultas fuit limitata per Leonem X. *in Concil. Lateranen.* vt patet *infra in Leone, constit.* 26. §. 13. vt scilicèt non possemus Ecclesias consecrare facere ab alieno Episcopo, nisi Ordinarius bis, aut ter cum debitis reuerentiis, & instantia requisitus, sine legitima causa recusauerit. Sed iam supradicta priuilegia cessarunt per Concil. Trid. *sess.* 6. *de reform. capite* 5. vbi dicitur *Nulli Episcopo liceat cuiusuis priuilegij prætextu pontificalia in alterius Diœcesi exercere, nisi de ordinarij loci expressa licentia.* Rodriquez tamen *tom.* 1. *quæst. regul. quæst* 19. *art.* 4. & Mirand. *tom.* 2. *manual. quæst.* 39. *art.* 1. *concl.* 3. putant, quod priuilegium Leonis, quando scilicet Ordinarius fuerit à fratribus ter requisitus cum debita instantia, & reuerentia, non sit reuocatum. Nam dicunt, Concilium solùm intendit, quòd nullus Episcopus possit pontificalia exercere in aliena Diœcesi virtute cuiuscumque priuilegij, non tamen negat, Episcopos ea posse facere virtute iuris communis. Et dicunt, quòd in iure communi habentur *cap.* 1. *de suppl. neglig. Prælat.* quòd si Ordinarius Diœcesanus tertiò cum humilitate, & deuotione requisitos, noluerit Abbatem benedicere, ipse Abbas Monachos substitutos in Abbates benedicere possit. Et simile quid dicunt quòd conceditur *in c. Nihil est, de elect. §. vlt.*

47. Sed nihilominùs puto, quòd dictis priuilegiis per Concilium sit derogatum. Nam *capite Nihil est* à solùm conceditur, quòd Episcopi, qui sunt vltra Italiam, possint ante confirmationem ministrare propter necessitates Ecclesiarum, vtilitates in spiritualibus. Et quia Abbas ante benedictionem non recipit potestatem spiritualem, vt Abbas *dicto capite* 1. *numero* 2. Ideò ne Monasteria propter Episcoporum negligentiam detrimentum aliquod in spiritualibus paterentur, Papa *dicto capite* 1. *De supplenda*, concedit vt dicto casu possint Abbates substitutos suos benedicere. Sed in nostro casu nulla talis necessitas, neque in spiritualibus, neque in temporalibus apparet, cùm Prælati regulares habeant auctoritatem Ecclesias sui Ordinis solemniter benedicendi, vt constat *ex* §. *sequitur* & dixi *secunda part. Ritualis, notab* 2. & in Ecclesiis benedictis bene possunt diuina celebrari, sicut in consecratis.

§. XXIII.

48 NOta, quòd loquitur de his, qui tempore confessionis erant recepti in Religione, & de quibus, propter non seruatam ad vnguem formam iuris communis in transeundo ad nostram Religionem, poterat esse, vel oriri aliqua dubitatio, vel lis; ad quæ tollenda pontifex hoc §. concessit, vt perpetuo permanerent in nostra Religione & etiam quò possent absolui à quacumque excommunicatione, & dispensari super quacumque irregularitate, incursis propter dictam causam. Itaque puto, quòd hoc priuilegio nihil prouisum sit pro futuro, sed tantùm pro illo tempore, maximè quòd hæc eadem constitutione *infra*, §. 31. prouidet pro transeuntibus in futurum.

§. XXIV.

49. NOto 1. quòd nomine Tutricum intelligo eas deuotas, quæ Religionem verbis, & operibus tuentur toto corde, & affectu, ad quas animandas pro Religionis augmento Papa concedit hoc priuilegium. Non verò intelligo nomine Tutricum eas mulieres, quæ habent aliquam participationem, vt vocant, datam sibi ab aliquo fratre consanguineo, vel amico, etiamsi sit à Generali subscripta, si prædicta non faciant, nimirum verbis, & operibus Religionem tueantur. Et istæ, quantumvis dictam participationem habeant, si benefactrices dicto modo non sint, participant de bonis operibus fratrum, nam Generales intelligunt semper dari illas participationes veris benefactoribus.

50. Noto 2. quòd nomine Fundatricum veniunt solummodo tria personarum genera, 1. earum, quæ Conuentum ædificant, vel in maiori parte 3. earum, quæ dant redditus pro sustentatione fratrum in numero competenti, V. G. octo vel decem ad minus, prout determinatur *in Capitulo Genuensi 1. numero* 11. Nec Capitulum Generale habet auctoritatem adscribendi in numerum Fundatricum, nisi dicta tria genera personarum. Nec priuilegia concessa à Regula, vel Pontificibus Fundatoribus, extenduntur nisi ad supradictas personas, vt ex dictis Regula, & priuilegiis patet. Vnde quantumvis aliqua mulier benefactrix existat, si vnum ex tribus dictis non fecerit, non potest esse Fundatrix, nec priuilegiis Fundatricum frui. Quod etiam determinatum fuit *in Capitulo Romano vltimo*, *sess* 9. nam hæc priuilegia concessa sunt specialiter, vt Religio augeatur, amplietur, & dilatetur. Quare falluntur multi, arbitrantes, posse aliquam mulierem maximè benefactricem assumi in numerum Fundatricum, & sic in Capitulo Generali procurant, vt in dicto numero adscribantur, qua adscripta, putant, quod possit frui Fundatricum priuilegiis, Conuentus ingredi, &c. falluntur, inquam, quia si vnum ex dictis tribus non fecerit, non potest dictis priuilegiis verè fundatricibus concessis, frui. Quare si Monasteria ingrediatur, incurrit (si bona fides non excuset) in excommunicationem maiorem latæ sententiæ, à solo Papa absoluendam. Et Superiores, seu fratres admittentes, vel introducentes incurrunt suspensionem à diuinis ipso facto, & priuationem officiorum, quæ obtinent, & inhabilitatem ad alia in posterum obtinenda, prout statuitur in bulla Pij V. quæ incipit, *Regularium personarum*, quam refert Cherub. *tom. 2 bull. in Pio V. constit. eius* 20. *fol.* 198 Etiam excommunicationem, per constit. Greg. XIII. de qua *infra in Constit. 6. Iulij II. numero* 51.

51. Nec te moueat, quòd nostræ Fundatrices fuerunt exceptæ per declarationem Congregationis sub Gregor. XIII. Nam intelligitur illa declaratio de veris Fundatricibus, non de illis, quæ solo scripto tales sunt. Nec secundò te moueat, quòd *dictum Capitulum Genuense* 1. statuit quòd quæ mulier dederit valorem quinquaginta ducatorum perpetui redditus, possit frui priuilegiis Fundatricum. Nam primò dicit ibi Capitulum, quòd tales Fundatrices non sunt, nec tales debent vocari. 2. quia viderunt Patres illius Capituli priuilegia à Regula, & summis Pontificibus fuisse, & esse solùm concessa veris Fundatribus, ordinauerunt P. Zeloso, vt statim ac fuisset Romæ adiret Papam & & eius oraculum super hoc impetraret: Quod tamen oraculum, seu priuilegium, quòd Capitula generalia possent admittere aliquas mulieres benefactrices, quæ dedissent summam perpetui redditus quinquaginta ducatorum (quæ summa modo attingeret quasi ad summam trecentorum ducatorum) nunquam, quod viderim, fuit à Religione impetratum.

52. Noto 3. quòd hoc priuilegium quò ad ea, quæ possunt Episcoporum iurisdictionem perturbare, V. G. quòd non possint, dictæ Tutrices, & Fundatrices coram Episcopis conueniri, ab ipsis excommunicari, suspendi, interdici, hodie vacat per Conc. Trid. *sess.* 24. *de reformat. capite* 11. Quoad alia verò, quæ prædictam iurisdictionem non perturbant, vt quòd possint absolui à multis casibus, & censuris, à quibus possunt Religiosi, & quòd possint adesse diuinis tempore interdicti, eo modo, quo possunt Religiosi, dum tali interdicto causam non dederint, &c. putò, quòd stet in suo robore. Nec contrarium sentit Trid. *loco cit.* quia Concilium solùm intendit derogare iis priuilegiis, quæ perturbationem in iurisdictione Episcoporum possunt generare, vt patet ex illis verbis. *Quoniam priuilegia, & exemptiones, quæ variis titulis plerisque conceduntur, hodie perturbationem in Episcoporum iurisdictione excitare, & exemptis occasionem laxioris vitæ præbere dignoscuntur.* Ex procemio statuti colligitur statuentis, vt Panorm. *in cap. Aduersus, num. 2. de immunit. Eccles.*

53. Nec te moueant verba illa. *Et exemptis occasionem laxioris vitæ præbere*, quasi intendat Concilium derogare priuilegiis exemptorum propter duas causas, nimirum ad tollendam perturbationem in iurisdictione Episcoporum, & ad tollendam exemptis occasionem laxioris vitæ, & quòd si dictæ Tutrices, & Fundatrices possent absolui, vt diximus quòd hoc illis esset occasio laxioris vitæ. Nam præterquam quòd hoc est falsissimum, non minùs enim erit difficile dictis Fundatricibus, si in aliquod crimen lapsæ fuerint, absolui à fratribus, quàm à Pœnitentiariis Episcoporum, verba illa. *Et exemptis occasionem laxioris vitæ præbere*, referuntur ad immediatè antecedentia, quasi laxior vita prætextu priuilegij Episcoporum iurisdictionem sit turbatura. Pro hac materia Fundatricum vide *constit. huius Pontificis* 6. §. 3. *numero* 6, *&* 7.

§. XXV.

54. NOto 1. circa illam clausulam *Eundem Franciscum de Paula à quibusuis, &c* quòd ista clausula fuit introducta ad tollenda pericula nullitatum, quæ possent oriri ex excommunicatione, suspensione, & interdicto. Et hæc absolutio reddit gratias efficaces, & validas, non obstantibus dictis impedimentis. Ita Sayrus *lib. 2. de censuris, cap. 5. num.* 12. Henriquez *lib.* 13. *cap.* 13. *num.* 3. Ricciulus *de iur. person. lib. 4. cap. 9. num* 1.

55. Noto 2. quòd ista absolutio non absoluit realiter, & in effectu, sed tantùm suspendit impedimentum, quovsque gratia suum sortiatur effectum, quo secuto, excommunicatio, suspensio, & interdictum redeunt.

redeunt. Quare sic absolutus nullam aliam gratiam consequitur, nisi eam, ad cuius effectum tantummodò absoluitur; Quare si celebret, diuinis interſit sic innodatus, eas omnes pœnas incurret, quas excommunicatus, ſuſpenſus, & interdictus. Ricciull. *loc. cit. numero 4. & 5.*

56. Noto 3. quòd per illa verba *A quibuſvis excommunicationis* comprehenditur non ſolùm excommunicatio maior, ſed etiam minor, ſi obſit ad effectum priuilegij conſequendum, ſiue excommunicatio ſit à iure, ſiue ab homine, Rebuff. is *in praxi benefic. p. 1. tit. Forma, & declaratio nonæ praxis, verſu Teque abſoluentes, n. 3. & 4. pag. 145.*

57. Noto 4. circa illa verba *Quauis occaſione, vel cauſa latis*, quòd per iſta verba intendit Papa, quòd iſta abſolutio ſit ad tollendum impedimentum excommunicationis, &c. etiam illud impedimentum prouenerit ex culpa impetrantis, ſeu ſine culpa ſua impetrans in excommunicationem, ſuſpenſionem, &c. incurrerit. Rebuff. *loco cit. n. 8.*

58. Noto 5. quòd iſta abſolutio non prodeſt in duobus caſibus: 1. ei, qui ſcienter per annum integrum, & continuum, non interpolatum, in excommunicatione manſerit cum animi pertinacia. Nec poteſt dici eum animi pertinacia, ſi abſolutionem petiit, & per ipſum non ſtetit, quò minus obtineret. Quarum conditionum vna deficiente, non poteſt dici inſordeſcentia: 2. Nec prodeſt ei, qui manſerit etiam ſcienter, per quatuor menſes excommunicatus. Primò, quia non vult parere ſententiæ rei iudicatæ. 2. quia fuit incendiarius. 3. violator Eccleſiarum. 4. quia falſificans aut falſificare curans literas Apoſtolicas, vel ſi vſus eſt literis falſificatis, aut fuit receptor, aut fautor falſificantium, 5. quia detulit res vetitas ad infideles. 6. quia violator extitit Eccleſiaſticæ libertatis, 7. quia non obtemperauit mandato Apoſtolico. 8. quia impedinit Nuntios, vel executores, vel Officiales Sedis Apoſtolicæ. Ita habetur *in reg. 65. Cancellariæ.* Quas regulas refert Quaranta *in ſum. bull. verbo Regulæ Cancellariæ pag. 569.* Vide Rebuffum, Sayrum, Henriq. *loc. cit.* Ricciul. *cap. 8. &* Naldum *verbo Abſolutio, n. 8.*

§. XXXI.

59. NOto 1. circa illam clauſulam *Pro potiori cautela* quòd iſta clauſula ſignificat, quòd iam diſpoſita ſufficiant, & inducit abundantem diſpoſitionem. Thuſcus *verbo clauſula, concl. 31.*

60. Noto 2. quòd Papa concedit vt poſſimus recipere ad habitum noſtrum omnium Religionum fratres; non ſolùm Mendicantium, ſed etiam aliorum quorumcumque Ordinum quantumuis priuilegiatorum. Hic notanda ſunt, quæ dixi *tom. 1. Religioſ., quæſtion 11. cap. 14. & §. ſequent.* vbi dixi, quo modo liceat Prælatis recipere fratres profeſſos alterius Religionis, & quid debent facere tranſeuntes, docui in fine prædicti cap. quòd non poſſumus recipere fratres Minores, per priuilegium Iulij II. *infra conſt. eius 16.* Nec Capucinos per priuilegium Pij V. *infra Conſt. eius 2.* Quantum autem attinet ad præſens priuilegium, aduerte, quòd non eſt reuocatum, ſi ſanè intelligatur, per conſt. Pij V. quæ incipit, *Quæcumque ſacrarum*, quam refert Cherub. *in fine bull. tomo 2. in Pio V. conſtitut. eius 89. pag. mihi 290.* nam hæc extrauagans Pij V. non intelligitur de iis, qui tranſeunt, iuris communis ordine ſeruato, nimirum petita, licèt non obtenta licentia, & zelo perfectioris vitæ, vt habetur *in cap. Sanè, & c. Licet, de regul. & cap. Statuimus, & cap. Mandamus, 19. quæſt. 3.* & ſupponit Tridet. *ſeſſ. 14. de reformat. cap. 11. & ſeſſ. 25. de Regul. cap. 19.* Quo pacto intelligendum est hoc priuilegium, vt ſcilicet poſſimus recipere omnes, & quoſcumque Religioſos, qui zelo perfectioris vitæ ad noſtram Religionem tranſire voluerint, petita per ſe, vel per alios, ſcripto, vel verbo, licentia à Prælato eam dare, potente, licèt non obtenta, & hoc modo intellectum priuilegium eſt in ſuo robore. Sed conſtitutio Pij V. intelligitur de fugitiuis, & apoſtatis, qui non zelo perfectionis vitæ, & petita à ſuis Superioribus licentia, ſed abſque vlla licentia prædicto modo petita, vel metu alicuius pœnæ, vel ob iurgia, & contentiones, & leuitates ad aliam Religionem tranſire prætendunt, quo modo intellectum priuilegium eſt derogatum, per dictam conſt. Pij V. Quam hoc pacto intelligit Naldus *lib. 3. conſil. de regul. conſil. 88.* & alij quos adduco *cap. illo 14. Religioſ. ſub concluſ. 2. verbo Neque hu obſtat.* Sed circa tranſeuntes nunc ſeruandum eſt omnino decretum Congreg. de mandato Vrbani VIII. quod habes *infrà, in eius conſtit. 10. §. 2.*

§. XXXII.

61. NOto 1. quòd Pyrrhus *in ſua conſtit. § 8.* conceſſit, vt fratres noſtri poſſent abſolui ab omnibus caſibus ipſi reſeruatis, quod deinde confirmauit ex certa ſcientia Sixtus IV. *in eius conſtitut. 2. §. 6.* & Iulius II. *hac eadem conſtit. § 1.* Hic de nouo addit, quòd non ſolùm poſſint noſtri confeſſores abſoluere fratres noſtri Ordinis à caſibus prædictis, ſed etiam quòd poſſint vbilibèt abſoluere alias perſonas, tam Eccleſiaſticas, quàm ſæculares, iuxta formam à Pyrrho conceſſam, & à Sixto confirmatam, nimirum ab omnibus caſibus, & cenſuris Epiſcopis à iure, vel ab homine reſeruatis.

62. Sed iſta facultas modo vacat quoad perſonas extra Ordinem, per decreta Congregationis Regularium, facta de mente Clementis VIII, de quibus dixi *tom. 1. Religioſ. q. 1. cap. 21. §. 1. & in appendice eiuſdem libri, pag. 682.* vacat, inquam, ſed ſolùm extra Vrbem, & in partibus Italiæ, vt patet ex primo decreto, & dicit Naldus *in ſumm. verbo bulla Cœnæ, num. 62.* Itaque Regulares degentes Romæ, & in alijs partibus Mundi poterunt hac, & alijs facultatibus abſque ſcrupulo vti.

63. Et quia tempore Pauli V. dubitatum fuit, an vigore dict. decreti Regulares in Italia, & extra Vrbem degentes prohiberentur abſoluere à cenſuris dictis Epiſcopis reſeruatis, ideo eadem Congregatio de mandato Pauli V. aliud edidit decretum ſuper hoc, tenoris ſequentis. *Quoniam ſacra Congregatio Cardinalium, negotijs Epiſcoporum, ac Regularium præpoſitorum nuper accepit, quamplures Regulares tantum facultate, ſeu priuilegij ab Apoſtolica Sede ſibi conceſſam præſteri, vt etiam à caſibus locorum Ordinarijs in eorum Diœceſibus reſeruatis abſque alia ipſorum Ordinariorum licentia pœnitentes abſoluere minimè dubitent, nonnulloſque alios in decreto prohibitionis abſolutionis à caſibus Sedi Apoſtolicæ, vel locorum Ordinarius reſeruatis die IX Ianuarij MDCI. fel. record. Clementis Papæ VIII. iuſſu edito, necnon in declaratione illius, eodem Clemente Pontifice iubente, die XXV. Nouembris MDCII. promulgata, excommunicationes Sedi, vel Ordinarijs prædictis reſeruatas, minimè comprehenſas aſſerere. Vnde fit, vt metus, quo homines à peccando coërcentur, abſolutionis facilitate exoleſcat. Ideo ſacra Congregatio de S. D. N. Pauli Papæ V. ſpeciali mandato, viuæ vocis oraculo deſuper habito decretum huiuſmodi, illiuſque declarationem, necnon cenſuras, & pœnas in eiſque contenta omnia confirmanda, atque innouanda opere pre-*

tium duxit, prout per præsentes confirmat, atque innouat, ab omnibusque sacerdotibus, tam sæcularibus, quàm regularibus quorumuis Ordinum, etiam Mendicantium, Militiarum Congregationum, aut cuiusuis alterius Instituti, etiam necessariò exprimendi, quouis nomine nuncupetur, inuiolabiliter obseruari. Ac insuper vt nulli ex sacerdotibus prædictis quibuscumque priuilegiis, indultis, ac facultatibus suffulti, ab excommunicationibus, vel à casibus eisdem Ordinariis, vel Sedi Apostolicæ reseruatis, tam ad forum contentiosum eorumdem Ordinariorum deductis, quàm non deductis, præterquam in mortis articulo, absoluere audeant, vel præsumant, vel eorum aliquis audeat, vel præsumat, sub iisdem censuris, & pœnis, eo ipso, & absque alia declaratione incurrendis, mandat, & præcipit. Non obstantibus omnibus, quæ idem Clemens VIII. in decreto, & declaratione huiusmodi voluit non obstare. Datum Romæ septimo Ianuarij, anno MDCVII.

64. Sed, istis decretis non obstantibus, possunt hodie confessarij regulares ab Episcopis approbati de licentia suorum Superiorum, ad quos id pertinet, absoluere quoscumque à duello prohibito per bullam Clementis VIII. dummodò non comprehendantur in constitutione Gregorij XIII. & decreto Concilij Tridentin. id est dummodò non sit secutus effectus, & dummodò duellum non sit publicum. Vt probaui *in appendice tom. 1 Religiosi, pag.* 687. Et concessit Paulus V. Congregationi Oratorij S. Mariæ de Vallicella de Vrbe, *die 9. Aprilis, anno* 1608.

65. Possunt etiam absoluere per eandem constit. à peccato, censuris; & pœnis abortus fœtus animati, non obstante const. Sixti V. & Gregorij XIV. Tum quia id fuit de nouo concessum Congregationi Clericorum regularium sb eodem Paulo V. vt refert Peregrin. 2. *p. sui compen tit. Absolutio quò ad sæculares, §. 2. in scholio.* Tum quia hic casus non est amplius papalis, sed Episcopalis, vt patet ex constit. Gregorij XIV. & habet Scortia in selectas bullas theor. 388. & Regulares habent auctoritatem absoluendi ab omnibus casibus, à quibus possunt absoluere Episcopi, vt dico hic *infrà num. 67.*

66. Potest etiam Generalis Ordinis per se, vel per alios absoluere eos, qui bona naufragantium rapuerunt, iniunctis eis restitutione, vbi, & quando ea fieri poterit. Ita concessit Gregorius XIII. Societati Iesu viuæ vocis oraculo, *die* 18. *Martij, anno* 1584. Sed nescio, an de eo testetur aliquis Cardinalis, ideo fidem non adhiberem, nisi Peregrin. 2. *p. sui compen. tit. Absolutio quò ad sæculares, §. 2. in schol.* diceret, hoc priuilegium suæ Congregationi fuisse concessum à Paulo V. per confirmationem suorum priuilegiorum (quam refert ibidem, *tit. Confirmatio, §. 3.*) tam propriorum, quàm communicatorum, cum clausula, *Quorum tenores*, quæ facit confirmationem ex certa scientia, vt dico *infra, in const. 4. Pauli III. §. 9. num. vlt.* Quibus priuilegijs non obstant citata decreta Congregationis, quia post illa emanarunt, & credendum est, quòd cum illorum derogatione, quia alioquin inutilia fuissent.

67. Possunt etiam confessarij regulares absoluere quoscumque sæculares ab omni sententia excommunicationis, suspensionis, & interdicti, & ab omni censura Ecclesiastica, à qua possunt Episcopi absoluere suos Diœcesanos, ac etiam cum eis dispensare super omni irregularitate contracta occasione huius excommunicationis, suspensionis, & interdicti, si quam etiam diuina celebrando incurrerint, per priuilegium Martini V. concessum Ordini S. Hieronymi in Hispania, vt in illius compendio refertur. *tit. Absolutio quò ad omnes,* §. 3. Sed intelligitur in foro conscientiæ tantùm, & de illis censuris, quæ iure communi Episcopis sunt concessæ. Quod priuilegium dicit esse innouatum per Paulum V. Peregrin. *verbo Absolutio quoad sæculares, §. 4. in schol.*

68. Episcopi autem possunt absoluere primò ab omni excommunicatione lata in iure, quæ nemini est reseruata, *cap. Nuper, §. in 2. casu, de sent. excom.* & communiter Doctores, quos refert Sayrus *lib. 2. de censuris, cap. 19. n. 2. & 3.*

69. 2. Possunt absoluere ab omni excommunicatione lata per hominis, vel iudicis sententiam, quæ generalis est, etiamsi lata sit per Papam. Sayrus *loc. cit. num. 5.*

70. 3. Possunt absoluere excommunicatos à se ipsis, siue per legem, siue per statuta, vel à suis prædecessoribus. Sayrus *loco cit. n. 6.*

71. 4 Possunt absoluere illos excommunicatos, qui scienter communicarunt in crimine, cum excommunicatis nominatim ab Episcopo, eis consilium, auxilium, vel fauorem præbendo, si difficile sit ex aliqua iusta causa ad excommunicatorem accedere; *dicto cap. Nuper, §. fin.* Sed cum cautione de parendo mandatis excommunicatoris, etiamsi non sint illius subditi. Videatur Panor. *d. c.*

72. 5. Possunt absoluere illos, qui, suadente Diabolo manus violentas iniiciunt in Clericum, cum percussio est leuis arbitrio Episcopi, *c. Peruenit, de sent. excom.*

73. 6. Possunt absoluere pueros, qui ante pubertatem inciderunt in Canonem, *Si quis suadente Diabolo,* 17 *quæst.* 4. siue ante, siue post pubertatem postulent absolui, *cap. Pueris, de sent. excommunic. & cap. Super eo, & cap. Quamuis, eodem tit.* etiam possunt absoluere mulieres, & alias personas quæ sui iuris non sunt, propter similes percussiones, & etiam alias personas magnæ potentiæ, & delicatas quæ laborem itineris sustinere non possunt, hoc tamen vltimo casu consulta prius Sede Apostolica. *cap. Mulieres, de sent. excom.* Possunt etiam absoluere similes percussores, qui propter inimicitias capitales, quas habent, tutò non possunt Romam ire; cum iuramento tamen se præsentandi, quamcitius præ opportunitate poterunt, *cap. De cætero, de sent. excom.* Possunt etiam absoluere ostiarium Potestatis, qui à Clerico ad iram prouocatus prætextu sui officij illum læsit, non tamen grauiter *cap. Si vero, eod. tit.* Possunt etiam absoluere dictos percussores si in articulo mortis fuerint constituti, vel paupertate, aut infirmitate, vel tanta senectute fuerint grauati, vt subire laborem Romam veniendi non possint; cum iuramento tamen se præsentandi, quamcitius poterunt *c. Quod de his, eodem tit.* Possunt etiam absoluere ad cautelam, ad hoc vt ampliùs non vitetur, illum, de quo est publica fama, quod Clericum percusserit, *c. Cum desideres, eod. tit.* Possunt etiam absoluere seruum, qui fraudulenter, vt à Domini seruitio se subtraheret, Clericum non enormiter percussit: Vel si Dominus absque culpa graue damnum deberet incurrere propter illius absentiam, *c. Relatum eod. tit.* Quod tamen intellige de seruis christianis, non de infidelibus: nam isti excommunicari non possunt, vt *c. Gaudemus, de diuortiis.* Panor. *in dicto c. Relatum, n. 1.*

74. 7. Possunt absoluere excommunicatos à Papa cum reseruatione absolutionis dicto Papæ, etiam à casibus bullæ Cœnæ, si ob iustum impedimentum ad Papam se præsentare non possunt. Vt docet Nau. *in Manuali, cap. 28. n 89. versu Ad primum,* Sanch. *lib. 2. de matrim. disp 40. n. 3.* Sylu. *verbo Absolutio 4 n. 7. dub. 4.* Henriq. *lib. 6. cap. 16. n. 1.* & habetur *in c. De cætero, & cap. Ea noscitur, de sent. excomm.*

75. 8. Possunt absoluere à suspensione simpliciter lata à iure absque reseruatione. Sayrus *lib. 4. de censuris, c. 17. à n. 14. vsque ad 19.* Suar. *de censuris, tom. 5. disp. 29. sect. 1. à n. 19.*

76. 9. Possunt

76. 9. Possunt absoluere ab interdicto, simpliciter à iure lato absque reseruatione, quia eadem est ratio de suspensione, & interdicto. Ita Peregr. 2. *p. sue comp. tit. Absolutio quò ad saculares in scholio*, §. 4.

77. Et consequenter possunt ab his etiam casibus absoluere, per priuilegium Martini, & Pauli V. confessores regulares ab Ordinario approbati. In septimo tamen casu videtur esse specialis difficultas, quia ibi videtur specialiter electa industria personæ, iuxta ea, quæ dixi *tom. 1. Religiosi, q. 1. cap. 21. §. 1. concl. 4.* Et non posse inferiores Episcopis absoluere à dictis casibus, docet Nauarrus *in summ. cap. 27. num. 112. versu Tertia est*, & alij apud Henriq. *loco cit. in commento, litera F.* licèt ipse cum multis alijs, quos refert *litera G.* contrarium teneat, & testetur *de praxi*. Nauar. autem, & alij possent intelligi sine priuilegio. Et denique possunt confessores regulares legitimè approbati, per sua priuilegia absoluere, quoties opus fuerit, omnes fideles à casibus, sententiis, & pœnis Ecclesiasticis, Papæ extra bullam Cœnæ reseruatis, & extra dictum decretum Congregationis, per const. Pauli III. quæ incipit, *Cum inter*, quam refert Rodrig. *in suo bull. in Paulo III. const. eius 7.* Et dixi *in appendice Religiosi, à pag. 681.* Et docet Cruz *lib. 2. de statu Relig. c. 6. dub. 6. concl. 2.*

78. Neque his obstant decreta Congregationis citata; nam primò isti casus non sunt in bulla Cœnæ, neque à iure Episcopis reseruatis, sed illis ferè à Papa commissi. Neque contenti in 2. decreto Congregationis, vt patet ex eo. De quo *in appendice tom. 1. Religiosi, pag. 682.* Vnde cum ibi probauerim, *pag. 683.* posse Regulares absoluere per sua priuilegia ab omnibus casibus, etiam papalibus, præterquam ab illis septem contentis in 2. decreto, constat, quòd ex hoc etiam capite possunt ab his absoluere. Adde, quòd priuilegium Martini V. fuit confirmatum à Paulo V. vt ait Peregr. *post dicta decreta.*

79. Solùm posset esse difficultas, an possent ab his casibus confessarij regulares absoluere, quando eos sibi reseruarent Episcopi.

Respondeo. In instructione data omnibus Episcopis à sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium de mandato Clementis VIII. circa casuum reseruationem, quam refert Quaranta *in summ. bullar. verbo Casus reseruati, pag. 202. versu pracipuè* hæc habentur. *Pracipuè verò hac monenda censet sacra Congregatio, vt videant ipsi Ordinarij, ne illos casus promiscuè reseruent, quibus annexa est excommunicatio maior, à iure imposita, cuius absolutio nemini reseruata sit. Nisi fortè propter frequens scandalum, aut aliam necessariam causam, aliqui huiusmodi casus nominatim reseruandi viderentur.* Quare si aliqui ita reseruentur, videtur, quòd, stantibus illis decretis Congregationis, non possint ab his Regulares absoluere per priuilegium Martini V. cui in hoc casu derogant dicta decreta. Poterunt tamen, si priuilegium fuit confirmatum, vt credo, à Paulo V. vt dicit Peregrinus *loco cit.* cum debitis derogatorijs.

80. Aduerte etiam, quòd confessarij Congregationis Oratorij Vrbis, ibidem per examen approbati ad audiendas confessiones, possunt vbique, de licentia tamen Ordinariotum locorum, absque alio examine eadem facultate vti, & absoluere ab omnibus casibus Apostolicæ Sedi reseruatis, & in posterum reseruandis, exceptis casibus bullæ Cœnæ, per priuilegium Sixti V. quod incipit, *Decet Romanum Pontificem*, & refert Naldus *in summ. verbo Confessio, & Confessarius, numer. 39.* & Quaranta *in sum. verbo eodem, pag. 240.* De quo dubito, an gaudeant Mendicantes. Et nota, quòd in quantum pertinet ad absolutionem à casibus, limitandum est iuxta decreta Congregatioois citata, & excipiendi illi septem casus. Quò ad approbationem audiendi confessiones; &c. refert Quaranta *loco cit.* declarationem sacræ Congregationis dictum priuilegium approbantis. Et in facti contingentia cum nollet Archiepiscopus Consentinus fratres nostros in confessarios deputare, statuit sacra Congregatio *anno* 1605. quòd dictus Archiepiscopus daret licentiam audiendi confessiones omnibus illis fratribus, qui ad confessiones in Vrbe admissi fuerant.

§. XXXVII.

81. NOto 1. quòd quilibet fidelis postquam ad annos discretionis peruenerit, tenetur semel in anno, saltem in Paschate sacrosanctam communionem recipere à proprio Parocho sub mortali. Ita habetur *in cap. Omnis vtriusque sexus, de Pænit. & remiss.* & Trid. *sess. 13. can. 9. de sacr. Euch.*

82. Noto 2. quòd nomine Paschatis non intelligitur solùm ipsa dies solemnitatis Resurrectionis, sed tempus, quod incipit à Dominica Palmarum vsque ad octauam Paschæ inclusiuè. Ita Suarez *tom. 3. in 3. p. disput. 72. sect. 2. dub. 2. versu Censeo igitur, & tomo 4. de Religione, tract. 3. lib. 9. cap. 3. numer. 7.* Azor. *1. p. lib. 7. cap. 30. quæst. 2.* Zerola *1. p. praxis, verbo Eucharistia, num. 7.* Et habetur circa hoc specialis constitutio Eugenij IV. quia refert Passarell. *in comp. priu. in const. extrauag. pag. 281.* & Cherub. *tomo 1. bull. in Eugenio, const. eius 20. pag. 290.* quæ sic habet Fide digna, & inf. *Nos igitur cupientes purgatum triticum in horreum Domini congregare, & inutilibus contentionibus finem dare, attendentes, iuxta doctrinam B. Augustini, quòd solent circunstantia scripturarum illuminare substantiam veritatis, & non solùm adiacentia, sed etiam pracedentia, & subsequentia verba sunt consideranda prudenter, cum dicat Canon Ecclesia, Omnis vtriusque sexus fidelis, saltem semel in anno confiteatur, & infra, Suscipiens ad minus in Pascha reuerenter Eucharistia sacramentum; & sequitur, Nisi de proprij sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum. Dicimus expresè, non intentionis legislatoris fuisse animas illaqueare fidelium sub culpa mortali, ad communicandum pracisè in die Resurrectionis Dominica, Sed terminum statuisse à Pascha ad Pascha, cum dicit, semel in anno, & infra, Ad minus in Pascha, &c. mens enim magis, quam verborum sonus est attendenda discretè. Intelligimus itaque optimo iure, satisfactum esse Canoni, si in hebdomada sancta, & infra octauam Pascha Resurrectionis Dominica, secundùm meliorem dispositionem conscientia, & aptiorem mentis deuotionem, fideles praparatione debita sanctum Eucharistia pignus accipiant, & cum Domino Pascha celebrent ad salutem, & huic sententia omnes volumus acquiescere, &c.*

83. Noto 3. quod Regulares prohibentur sub pœna excommunicationis ipso facto, cuius absolutio est Papæ reseruata, ministrare sine facultate Parochorum sacramentum Eucharistiæ fidelibus in die Paschæ, & quando datur pro viatico in articulo mortis constitutis *Clem. Religiosi, de priuil.* quam explicant Sylu. *verbo Excommunicatio 7. excommunic. 14. numero 31.* Nauarrus *in summ. cap. 27. numero 101.* Suarez *tomo 5. de censuris, disp. 22. sect. 4. à numero 2. & tomo 3. in 3. p. disp. 72. sect. 2. versu Sed inquires.* Quo loco aduertit primò, quòd hæc excommunicatio afficit solos Religiosos regulares, non autem alios sacerdotes clericos, nec afficit Religiosos regulares nouitios, sed solùm professos, siue per tria Religionis vota solemnia, siue simplicia, vt idem Suarez *tomo 5. in 3. p.* citat. quia cum pœnalis sit, restringenda potiùs est, quam amplianda. Vnde nouitius sacerdos potest etiam in die Paschatis sacramentum Eucharistiæ ministrare absque periculo incurrendi hanc excommunicationem non tamen sine pec-

cato. Necesse est etiam, vt incurratur hæc censura, quòd sacramentum ministretur cum præsumptione, nam qui ex ignorantia id facit, putans sibi licere, vel ex ratihabitione, siue sit de præsenti, sine de futuro, non incurrit, vt Caiet. *in summ. verbo Excommunicatio, cap. 64. notab. 1.* Sotus *in 4. dist. 23. q. 2. art. 1. versu Vtrum verò sufficiat.* Comprehendit etiam hæc censura Religiosos, qui ministrant Eucharistiam Clericis sæcularibus, aut laicis, non verò eos, qui eam administrant Religiosis alterius Religionis sine Prælatorum facultate.

84. Noto 4. quòd si accedat communicandus ad Ecclesias Regularium in die Paschatis, dicens habere se facultatem communicandi vbicomque voluerit à suo Parocho seu Episcopo, vel alio eum in superioritate excedente, licèt iste licentiam non habeat in scriptis, potest tamen Regularis illi credere, & eum communicare. Quia non est præsumendus quis tam immemor suæ salutis, vt tantum scelus velit, absque necessitate præsertim, perpetrare. Ita Nauarr. *in summ. cap 27. num. 102.* Graff. *1. p. decis. lib 4. cap. 20. num. 8.* & docet expresè Glossa *in Clem. Religiosi cit. verb. Non habita.* Contrarium sentit Card. *in Clem. Religiosi de priuileg. quæst. 15. num. 7.* nobiscum sentit etiam Vital. *loc. cit. num. 21.*

85. Noto 5. quòd Regulares habent priuilegia, vt possint Eucharistiam ministrare fidelibus omni tempore, præterquam in die Resurrectionis Dominicæ. Ita concessit Nicolaus V. Sixtus IV. Leo X. vt videri potest *in compend.* Casarub. *verbo Communicare, num. 4. 5 & 9.* Et concessit etiam Pius V. *in constit. eius 7. infrà, §. 6.* quod non est reuocatum per constitut. Gregorij XIII. quæ incipit, *In tanta*, qua reduxit dictam constit. Pij ad terminos Concil. Tridentin. Nam hoc non est contra Concilium, quod nullibi præcipit, vt in hac potiùs, quàm in illa Ecclesia communio sumatur. Docent etiam Nauarr. *in summ. cap. 21. num 52.* Azor *tom. 1 lib. 7. cap. vlt. quæstione 7.* Suar. *tomo 3. in 3. part. disput. 72 sect. 2. dub. 2.*

86. Sed dubitant Doctòres, quid intelligatur per illam exceptionem diei Paschalia, an scilicèt intelligenda sit exceptio illius diei præcisè, seu materialiter, an verò formaliter pro toto tempore Paschali, quo potest impleri præceptum, quod diximus incipere à die Dominicæ Palmarum, & durare vsque ad diem Dominicæ in Albis. Quòd vt clariùs intelligatur; pone casum. Communicauit quis in propria Parochia in die Iouis sancti, vt satisfaceret præcepto Ecclesiæ, *cap. Omnis* vtriusque sexus, deinde in Dominica Resurrectionis propter deuotionem tanti festi vult communicare in Ecclesia Regularium. Quæritur, an possint Regulares illo die absque licentia Parochi ei Eucharistiam ministrare. A Sotho *in comp verbo Communicare, versu Et an aliquis*, Nauarrus & Azor, *locis citat.* dicunt, quòd prædicti Regulares nullo modo possint dicto die Paschatis Eucharistiam alicui ministrare, siue id sit, vel ad implendum præceptum, vel deuotionis gratia, nimis rigorosè, & materialiter explicantes exceptionem illam diei Paschalis. Suarez *tomo 3 in 3. part. disput. 72. sect. 2 dub. 2. versu Censeo igitur.* Filiuc. *tomo 1. tract. 4. cap. 9 quæst. 7. num 265.* Rodrig. *tom. 1. quæst. regul. quæst. 56. art. 3. versu Ad hanc obiectionem*, contrarium censent, nimirum, diem illam Paschatis sumendam esse formaliter pro toto tempore Paschali. Atque ita qui communicauit die Iouis in Parochia pro implendo præcepto, potest in die Paschatis communicare in Ecclesijs Regularium pro deuotione. Et similiter potest quis in die Paschatis communicare in Ecclesijs Regularium pro deuotione, & vno die infra octauam Paschatis communicare in Parochia pro implendo præcepto. Quæ opinio magis placet; nam Pontifices solum reseruauerunt illum diem Paschatis, seu totum tempus, quo potest impleri præceptum de communione, in fauorem Parochorum, intendentes, vt saltem semel in anno omnes parochiani suo Parocho se præsentarent pro communione sumenda; qui autem se præsentauit in die Iouis, iam præceptum impleuit; & qui intendit se præsentare in die aliqua infra octauam, intendit tempore congruo præceptum adimplere (hoc tamen secundum non est facilè omnibus indifferenter concedendum, propter periculum ne, transacto die Paschatis, transeat etiam aliquibus obseruatio præcepti, & sic propter deuotionem omittatur id, quod est in præcepto) & menti Pontificum satisfecisse videtur. Quare verba illa, *Præterquam in die Paschatis* exponit Suarez *loco citat.* Præterquam in ea communione, qua impletur præceptum communicandi in die Paschatis.

87. Noto 6. quòd A Sotho *in compend. priu. Mend. verbo Communicare, versu Notandum, quòd Papa, pag. 143. fine*; & Bera *4. part. casu 4.* tenent, quòd qui communicauit in die Iouis sancti V. G. in Ecclesijs Mendicantium animo satisfaciendi præcepto de communione Paschali, non tenetur amplius communicare in Parochia in die Paschatis, quia, aiunt, Mendicantes habent priuilegium, vt possint quolibet diẽ, excepto die Paschatis Resurrectionis Eucharistiam ministrare, sed quolibet die à Dominica Palmarum vsque ad Dominicam in Albis per declarationem Eugenij IV. potest impleri præceptum de communione Paschali, ergo qui communicauit in die Iouis sancti in Ecclesijs Mendicantium intentione implendi præceptum, non tenetur ampliùs in die Paschatis communicare in Parochia, cum iam præceptum impleuerit. Hæc doctrina in sententia, quam tenui, quòd nomine Paschatis non intelligitur dies ipsa materialis Dominicæ Resurrectionis, sed communio Paschalis, non potest sustineri. Et verè videtur directa contra mentem Pontificum, qui exceptionem illam de die Paschatis fecerunt, vt Parochi saltem semel in anno vultum pecoris sui cognoscerent. Et abstrahere fideles saltem semel in anno à communione Paschali in propria Parochia absque speciali priuilegio Papæ, est nimium iurisdictioni Parochorum derogare. Nec argumentum à simili de Sacramento pœnitentiæ, quod possunt fideles recipere à Mendicantibus quolibet tempore, quidquam valet, nam in priuilegio ministrandi hoc Sacramentum nulla exceptio apponitur, vt videri potest in priuilegio Sixti IV. apud Casarub. *in compend. verbo Absolutio quò ad sæculares 1. §. 17.* & patet hic *supra, §. 32.* Et quòd Christi fideles satisfaciant præcepto Ecclesiæ audiendo Missas in Ecclesijs Mendicantium diebus festiuis, fuit etiam specialiter concessum à Leone X. vt patet ex *eius constit. 21. infra*, & à Pio V. *in constit. eius 7. §. 10.* qui tamen de communione paschali id negat *ibidem, §. 6.*

88. Noto 7. quòd Rodriquez *tom. 1. regul. quæst. 56. art. 3. versu Quantum ad 2.* vt hac facultate ministrandi Eucharistiam in communione paschali Mendicantes probet non carere, adducit priuilegium Nicolai V. quo concedit, vt confessores deputati in Monasterio B. M. de Guadalupe possint sacramentum Eucharistiæ quibuscumque personis ad dictum Monasterium confluentibus, etiam in die Paschatis, liberè, & licitè ministrare, Diœcesanorum, aut cuiuslibet alterius licentia minimè requisita: & refert etiam ad idem viuæ vocis oraculum Pauli III. Deinde probat, quòd dictæ concessiones factæ in speciali dicto Monasterio de Guadalupe, fuerunt factæ communes omnibus Monasteriis dicti Ordinis S. Hieronymi, & consequenter omnibus Mendicantibus, qui cum ipsis in priuilegiis communicant. Affert etiam ad idem hoc nostrum priuilegium Iulij II. in quo ipsa communio paschalis non excipitur. Et quòd dicta

dicta priuilegia non sint abrogata per non vsum, probat *loc. citat. versu Nec prædictis obstat.* Quod etiam probat Beia 4 *part. casuum, casu 4. versu Non obstat etiamsi dicatur*; & Cruz *lib. 2. de statu Rel. c. 5. dub. 4. conclus. 3.*

89. Verùm non credo, quòd per hoc nostrum priuilegium possimus in nostris Ecclesiis in communione paschali omnibus fidelibus indiscriminatim Eucharistiam ministrare. Nam licèt nulla fiat exceptio communionis paschalis, & concedatur, quòd possimus dictum Sacramentum, quoties opus fuerit, ministrare; vnde videtur indicare, quòd possimus illud ministrare, quoties præceptum huius sacramenti sumendi obligabit, quod præcepto Ecclesiastico non obligat, nisi tempore paschali, & diuino, tempore mortis, quando datur pro Viatico, vt Sotus *in 4. d. 12. quæst. 1. art. 11.* Rodriquez *loc. cit. art. 4* Suarez *tom. 3. in 3. p disp. 72. sect. 2. versu Vltimò verò.* Et ita debere intelligi illud *Quoties opus fuerit* declarauit Leo X. *in constit. eius 4. §. 3. infra.* Licèt, inquam, nulla fiat exceptio, communi tamen vsu intelligitur facta, Cum enim perpetuò fuerit excepta communio paschalis, si concedere voluisset, debebat nominatim exprimere; In Generali enim concessione non veniunt ea, quæ sunt communi sensu excepta, & quæ non esset quis in specie verisimiliter concessurus. Priuilegiis verò illis, quæ adducit Rodriquez si per non vsum non sunt abrogata, vt Ipse, Cruz, & Beia, probant, possumus, & nos frui. Cautè tamen, & prudenter, ne Parochi, qui tam tenaces iurisdictionis sunt, turbentur; quod etiam admonet Rodriquez *loc. cit.* Vide *supra in const. Pyrrhi, num. 30. & 31. §. 7.*

90. Noto 8. quòd per hoc nostrum priuilegium puto, posse nos tutò in nostris Ecclesiis peregrinis, transeuntibus, curialibus, & mercatoribus Eucharistiam ministrare, etiam in communione paschali pro implendo præcepto. Nam in istis cessat ratio, propter quam à Pontificibus facta est illa exceptio diei Paschatis. Quod etiam absque priuilegio fieri posse quòd ad peregrinos, & transeuntes existimant Henriquez *lib. 8. de Euch. cap. 55. num. 2. in comm. litera G* & Rodriquez *tom. 1. quest. regul. quæst. 56. art. 3. versu Nec obstat.* Citant Sotum *in 4. d. 18. quæst. 4 art. 3.* Nec per illam clausulam *Ac quibusvis aliis* sequitur, quòd possimus idem facere cum aliis omnibus Christi fidelibus; nam clausula generalis secuta post specialia expressa includit consimilia non expressa, non autem maiora. Sbrozzius *de offic. Vicar. lib. 2. quæst. 115. num. 10.* Tuschus *verbo Clausula concl. 309.*

91. Noto 9. quòd Regulares, & quilibet alij sacerdotes possunt in articulo mortis, absentibus Parochis, sacramentum Eucharistiæ tanquam Viaticum fidelibus ministrare; quia tunc præsupponitur Parochorum voluntas. Ita Suar. *tom 3. in 3 p. disp. 72. sect. 2. dub. vlt.* Rodriquez *tom. 1. quest. regul. quæst. 56. art. 5.* Possunt etiam eandem Eucharistiam ministrare alicui personæ impotenti Parochiam adire, & licentiam petere, si tempus implendi præceptum paschale vrgeret. Quo casu tenebitur qui communicauit, postea, cum primum poterit, Parocho satisfacere, qui Parochus non poterit eum cogere ad iterum communicandum in Parochia. Poterunt etiam Regulares hoc Sacramentum ministrare fidelibus in suis Ecclesiis communione Paschali, quando Parochus in aliqua Villa, vel Pago non posset, vel nollet suum officium exequi, & tempus præceptum Ecclesiasticum adimplendi vrgeret; quia in his casibus vrget semper necessitas, quæ legi non subiacet. Ita Suar. *tom. 4. de Relig. tract. 3. lib. 9. cap. 3. num. 8.* qui pro casibus istis necessitatis adducit priuilegium Pauli III. *num. 2.* Poterunt etiam non solùm Regulares, sed etiam quicumque alij Sacerdotes Sacramentum extremæ vnctionis ministrare ægroto in vero periculo mortis constituto, si Parochus non adesset, aut nollet hoc Sacramentum ministrare, quia licet hoc Sacramentum non sit absolutæ necessitatis, est tamen magnæ vtilitatis, vnde præsupponitur interpretatiua Superiorum voluntas. Ita Suar. *loc. cit. c. 4. n. 9.*

92. Si quæras an sæcularibus in nostris Conuentibus hospitibus, ibique infirmantibus, possimus Eucharistiam, & Extremam-Vnctionem ministrare. Et si decedant, eorum cadauera sepulturæ tradere, absque alicuius Episcopi, vel Parochi quæsita licentia.

Respondeo 1. quoad Eucharistiam, posse nos eam dictis absque vllius prædictorum licentia ministrare, tum propter hoc priuilegium, quo talis administratio peregrinis, &c. conceditur, quoties opus fuerit, .i. quoties necessitas postulauerit, quæ, vt dixi *num.* 89. non postulat, nisi semel in anno, & in articulo mortis; Neque obstat, quòd dicatur talis administratio debere fieri in nostris Ecclesiis, nam nomine Ecclesiarum veniunt etiam Religiosorum Monasteria, vt dixi *supra in Constit. Pyrrhi, num.* 31. tum propter priuilegium Pauli IV. quòd refert Rodrig. *in suo Bull. in Paulo IV. constit. eius* 3. quo concedit, vt possimus Sacramentum pœnitentiæ infirmis etiam extra domos, & Conuentus nostros, atque Sacramentum Eucharistiæ ministrare, excepto die Resurrectionis, non quidem deferendo illud per vicos, & plateas, quod est proprium Parochorum, sed in Capellis priuatis, in propriis sæcularium domibus consistentibus, cum debita facultate erectis, sacrum conficiendo; indeque dictos infirmos etiam pro viatico communicare, vt explicat Suar. *tom. 4. de Relig. tract. 3. lib. 9. cap. 3. n.* 12. Ergo multò magis poterimus dictis infirmis in nostris Conuentibus Eucharistiam ministrare. Atque ita docent Rodrig. *tom. 2. q. regul. q. 67. art.* 1. Suar. *loc. cit. cap. 4. num.* 57.

93. 2. quoad Extremam Vnctionem dico, posse nos eam dictis hospitibus similiter ministrare. 1. quia concesso maiori censetur etiam concessum minus, *cap. Ex parte, el 3. de decimis*, & maius Sacramentum est Eucharistia, quàm Extrema-Vnctio, & dignus ad se trahit minùs dignum Glossa *in cap. Quod in dubiis, de consecr. Ecclesiæ, verbo Consecratum.* Facit etiam Regula *Cui licèt* quæ est 53. *de Regulis iuris in 6.* vbi dicitur, *Cui licèt, quod est plus, licèt vtique quod est minus.* Et si dicatur, quòd, concessa administratione Sacramenti pœnitentiæ, quod est maioris necessitatis, non propterea conceditur administratio Sacramenti Eucharistiæ, & Extremæ-Vnctionis.

Respondeo, id fieri ad saluandam iurisdictionem Parochorum, sed cum iam Papa, qui est Dominus iurisdictionis Ecclesiasticæ, id voluerit nobis concedere in administratione Sacramenti Eucharistiæ, cessat illa particularis ratio, & procedit illa Regula iuris communis, quod Dignius ad se trahit minùs dignum. 2. quia id expressè concessit Benedictinis Nicolaus Francus Legatus à latere Sixti IV. vt refert Rodrig. *in suo Bull. in Sixti IV. bulla eius 42. n. 4.* in hæc verba. *Et si qui intra septa Monasteriorum ipsorum infirmati fuerint, Extremam-Vnctionem dare auctoritate Apostolica, cuius legationis officio fungimur in hac parte, tenere præsentium, plenariam, & liberam concedimus facultatem, Parochialis Presbyteri, vel alterius cuiuscumque Episcopi, vel Superioris licentia, vel assensu nullatenus requisitis.* Et quòd statuta Legatorum de latere sit perpetua, docet Zerola *in praxi, verbo Edicti, §. 3.* & habetur *in cap. fin. de offic. Legati*, vbi Glossa *verbo Statuta.* Atque ita docent Rodrig. *loc. cit.* & Suarez etiam cit. *num.* 16. Et tandem quòd hospitibus in nostris Monasteriis infirmantibus possimus Eucharistiam, & Extremam-Vnctionem ministrare, concessit Pius IV. Congregationis Clericorum Regularium, & confirmauit Pius V. *anno Domini 1567. idibus Februarij*, vt refert Peregrin. *1. p. sui comp. tit. Communicare, §. 3.* Et nota, quod ad hæc Sacramenta dictis infirmis ministranda non est necessarius Sacerdos approbatus

ab

ab Episcopo, sed sufficit quilibet simplex Sacerdos de licentia Superioris. Ita Suar. *loc. cit. num.* 17. Ad ministrandum tamen iis Sacramentum Pœnitentiæ approbatio Ordinarij requiritur, per Concil. Trid. *sess.* 23. *de reformat. cap.* 15. Suar. *loco cit. num.* 18.

94. 3. Quoad sepulturam, puto posse dictorum hospitium cadauera sepulturæ tradere absque Parochorum, vel Superiorum quorumcumque quæsita licentia; tum propter rationem dictam, quòd, concesso maiori, censetur esse concessum minus; tum quia Monasteria sunt exempta ab Episcopi iurisdictione, & æquiparantur locis positis extra Diœcesim, vt dixi *supra in constitut.* 3. *Sixti IV. num.* 9. vnde sicut si decederent isti hospites in aliquo loco extra Diœcesim, nullam in eo haberet Episcopus, vel Parochus loci, in quo Monasterium Regularium est positum, iurisdictionem, ita cum decedunt in locis Regularium exemptis. Pro istis autem tribus casibus cito Rodrig. *tom.* 2. *quæst. reg quæst.* 67. *art.* 1. *in med.* Graff. *part.* 2. *decis. lib.* 3. *cap.* 23. *num.* 29. Reginald. *lib.* 18. *praxis*, *num.* 107.

§. XXXVIII.

95. VIde constit. 1. huius Pontificis, §. 15. & quæ dico *tom.* 1 *Religiosi*, *quæst* 1. *cap.* 26. præsertim *conclus.* 6. Vide etiam infra in Leone X. *constit. num* 13. vbi datur amplissima facultas dictos apostatas capiendi, ad quam capturam sæculares nos adiuuantes, etiam apostatas ligando, tenendo, &c. excommunicationem non incurrunt, vt dicitur in dicta constit. Leonis. Incurrunt tamen tam sæculares, quàm Ecclesiastici ducentes in carcerem dictos apostatas, qui quietè duci se permittunt, si pugnis, & calceis eos percutiant. Secùs verò, si quiete se duci non patiantur; possunt enim tunc eos pugnis, & calceis vrgere, & percutere, atque etiam vulnerare. Colligitur ex *cap. Si Clericos de sent. excomm. in* 6. ibi *Nisi aliàs ex proposito excedatur in ipsis.* vbi Glossa *verbo Excedatur*, & expresse Alciatus *illo cap. & dicto verbo.* Colligitur etiam ex *c. Vt famæ*, *de sentent. excommun.* §. *Laici verò.* Dum tamen ista violentia ampliùs se non extendat, quàm defensio, vel rebellio ipsorum exigit apostatarum. Circa modum apostatas tractandi postquam recepti fuerint, vide viuæ vocis oraculum Pauli IV. de quo testatur Michaël Ghisiletius, qui postea fuit Pius V. *infra in Paulo IV. constit. eius* 2.

96. Aduerte etiam, quòd illa clausula *Inuocantes etiam ad id, quatenùs opus fuerit*, &c. dat Superioribus Ordinis, vt, postquam fecerint omnia, quæ ex debito sui officij possunt, & debent facere cum debitis modis, & solemnitatibus, verbi gratia citando vagabundum personaliter, excommunicando, &c. possint tunc, quando nullum eis ampliùs Ecclesiasticum remedium superfuerit, brachium sæculare inuocare, vt dicti Apostatæ ad Religionem reuertantur. Colligitur ex Trid. *sess.* 24. *de reform. matr. cap.* 8. & Tuscho *verbo Brachium sæculare*, *conclus.* 125. *num.* 11. Vide Nauarr. *in cap. Cum contingat*, *de rescript. remed.* 1. *num.* 1. Rodrig. *tom.* 1. *quæst. Regular. quæstione* 8. *articul.* 14.

97. Noto etiam, quòd iudices sæculares iure communi tenentur hoc auxilium præstare, quod brachium sæculare vocant iudicibus Ecclesiasticis, *cap. Principes*, *& cap. Administratores*, 23. *quæstione quinta.* Quare illa clausula ad superabundantiam ponitur, quòd si non dederint, peccabunt sine dubio mortaliter. An autem possint ad id cogi sub pœna excommunicationis, vel arbitrio Superioris puniendi, Menoch. *de Arbitrar. lib.* 2. *casu* 452. hoc secundum putat Rodrig. *loc. cit. primum* & dicitur *d. cap. Administratores.* Excommunicabuntur autem, vt ait Rodriguez quousque prædictum auxilium dederint. Quis autem in hac materia poterit prædictos iudices sæculares ad hoc compellere: Dic, quòd Conseruatores Religionum, & delegati à Summis Pontificibus, assignati pro dictorum priuilegiorum executione.

§. XXXXIII.

98. ADuerte quoad istam clausulam *Nulli ergo omninè*, quòd nullus, siue priuatus, siue in quacumque dignitate constitutus, etiam Vicarius Papæ potest huic constitutioni contrauenire. *Infringere* importat retractare, vel per malitiosam interpretationem infringere. *Ausu temerario* importat etiam sine dolo, sed ex subtilitate contraire; videlicet dissimulando, audiendo allegationes, vel disceptationes. Tuschus *in verbo Clausula conclus.* 352.

CONSTITVTIO II.

Est Mare magnum nostræ Religionis, in quo plurima nobis concedit.

IVLIVS EPISCOPVS SERVVS seruorum Dei. Dilectis Filiis Francisco de Paula Generali, & Prouincialibus, Correctoribus, & vniuersis Ordinis Minimorum salutem, & Apostolicam benedictionem.

Prœmium.

VIrtute conspicuos sacri Ordinis vestri professores, qui contemplationi cælestium feruenter inuigilant, & piæ vitæ studio sine intermissione desudant, decet per Apostolicæ circumspectionis auxilium sic prouide dirigi, & sollicitè confoueri, vt alicuius prætextu calumniæ nullum internæ pacis excidium, nullumque Religiosi status perferant detrimentum, sed in his robur, & vigorem habeant, per quæ circa cultum diuini numinis deuotis, & quietis mentibus inualescant.

Correctoris generalis auctoritas quæ sit.

§. 1. Hinc est, quod, cum, sicut nobis exponere curastis, tu fili generalis Corrector, & prædecessores tui, iuxta eiusdem Ordinis consuetudinem obseruatam hactenus, & à Sede Apostolica toleratam, postquàm electi secundum prædicti constitutiones Ordinis extitistis, Fratrum ipsius curam gesseritis, Correctoris officium plenè, ac liberè in omnibus exercentes, ijdemque Fratres vobis deuotè, & humiliter obedierint, & intenderint reuerenter; & in eadem Regula sit expressum, vt generalis Corrector, qui pro tempore fuerit, à Correctoriatus officio amoueri valeat à Vigilibus Prouincialibus, & aliis Fratribus in generali capitulo congregatis. Nos volentes ambiguitatis scrupulum in hac parte de vestris cordibus amputare, ac Ordinem ipsum præfatæ Sedi immediatè subiectum, à Sede approbatum eadem, honestate floridum, præclarum scientia, & virtute fœcundum, priuilegio Apostolicæ gratiæ attollere singulari, vestris supplicationibus inclinati, deuotioni vestræ, vt successores tui, fili generalis Corrector, qui erunt pro tempore, statim postquam electi secundum Regulam, & constitutiones fuerint supradictas, eo ipso

veri

veri eiusdem Ordinis generales Correctores sint effecti, curam animarum Fratrum ipsius Ordinis plenè habeant liberéque gerant, ipsosque Fratres auctoritate propria ligare, ac soluere, necnon in eodem Ordine agere valeant, quæ ipsi, & præfati Ordinis definitores ad hoc electi, iuxta prædictas constitutiones, eidem Ordini, & Fratribus secundùm Deum viderint expedire, aliasque possint officium generalis Correctoris licitè in omnibus exercere, ijdémque Fratres tibi, Correctori, & successoribus ipsis deuotè, ac humiliter obediant, & intendant.

Generalis à quibus amoueri possit.

§. 2. Ac præfati successores, & tu generalis Corrector, à Prouincialibus Correctoribus, & Vigilibus, secundùm Regulam, & constitutiones ipsius Ordinis absolui, & amoueri possitis auctoritate Apostolica indulgemus; Ratum habentes, & firmum quicquid super præmissis per te, Generalis Corrector, dictosque prædecessores Fratres, & discretos factum, & obseruatum est hactenùs, concessa tibi exequendi officium generalis Correctoris quoad præmissa omnia libera facultate.

Electoribus in remotis partibus degentibus nõ currit tempus à iure statutum.

§. 3. In electionibus quoque Generalis, & Prouincialium Correctorum, ipsius Ordinis Fratribus, qui debent electionem huiuscemodi celebrare, cum eos frequenter de remotis partibus oporteat conuenire, tempus super hoc à iure statutum non currat, nec ipsi in hac parte iuris huiusmodi Regulis coarctentur.

Prælati statim post electionem administrationem habent.

§. 4. Vigiles verò, Prouinciales, & Correctores locales, aut delegati Visitatores, seu Vicegerentes, qui secundùm statuta eiusdem Ordinis per electionem, vel alias instituuntur, post ipsam institutionem, seu prouisionem de ipsis factam, curam animarum Fratrum sibi Subditorum ipsius Ordinis habeant, ipsosque ligare, ac soluere possint, iuxta ipsius Ordinis instituta.

Lectores in Theologia quando liberè legere possint.

§. 5. Fratres autem de Ordine vestro, quos secundùm constitutiones ipsius Ordinis Conuentibus vestris deputandos duxeritis in Lectores, sine cuiusquam alterius licentia, libere in domibus ipsius Ordinis legere, ac docere valeant in Theologica facultate; illis locis exceptis, in quibus viget studium generale, ac etiam, quando in facultate ipsa docturus, vt magister solemniter incipere consueuit.

Sacri ordines à quocumq. Antistite suscipiantur.

§. 6. Et quia eiusdem Ordinis Fratres de locis ad loca ipsius Ordinis sæpius transmittuntur, propter quod stabilem, & perpetuam in certis, & determinatis eiusdem Ordinis domibus non faciunt mansionem, quia etiam bonos, & idoneos, & approbatos à vobis Fratres facitis ad Ordines promoueri, liceat vobis ordinandos Fratres eiusdem Ordinis quibuscumque malueritis Catholicis Pontificibus, communionem, & gratiam Sedis Apostolicæ habentibus præsentare, ipsisque Pontificibus præsentatos Fratres sine qualibet examinatione per eosdem Pontifices facienda, & absque omni promissione, vel obligatione ipsorum ordinandorum Fratrum ad Ordines promouere.

Missas in altari portatili celebrare possumus.

§. 7. In locis quoque in quibus degitis, liceat vobis habere Oratoria, in quibus cum altari portatili possitis Missarum solemnia, & alia diuina officia celebrare, ac etiam Ecclesiastica recipere Sacramenta.

Vide supra in constitut. Pyrrhi, à num. 17. Morari possumus in terris interdictis ibiq; necessaria vitæ deposcere.

§. 8. Et quia vos extremam patientes pro Christi nomine paupertatem, exhortationis piæ studio bonos ad potiora dirigitis, & errantes in rectitudinis semitam laudabiliter reuocatis, concedimus, vt in excommunicatorum terris liberè commorari, ac alias, & etiam quando per ipsos transire vos contigerit, necessaria vitæ depóscere, ac recipere valeatis, nisi id vobis fuerit interdictum.

Facultas Prælatorum Ordinis absoluendi fratres, & cum eis dispensandi super irregularitate, &c.

§. 9. Generalis quoque, & singuli Vigiles, ac Prouinciales, & Correctores, & eorum Vicarij in Prouinciis, & Vigilantiis sibi commissis, prædictis Fratribus constitutis ibidem, necnon & Fratribus aliis eiusdem Ordinis interdum ad eos declinantibus vndecumque absolutione, & dispensatione indigentibus, siue priusquàm intrauerint Ordinem, siue post, in casibus excesserint, pro quibus excommunicationis, vel interdicti, aut suspensionis incurrerint sententias, à iure, vel à iudice generaliter promulgatas, & huiusmodi sententiis innodati, aut in locis suppositis Ecclesiastico interdicto diuina officiis celebrãtes, vel suscipientes Ordines, sic ligati notam irregularitatis incurrerint, absolutionis, & dispensationis beneficium valeant impartiri: Nisi adeò grauis, & enormis excessus fuerit, quòd sint ad eandem Sedem merito destinandi. Fratres etiam vestri, quos pro tempore vos Generalis, Vigiles, & Prouinciales, ac Correctores, necnon, & vices vestras gerentes, in proprios habueritis Confessores, absolutionis, & dispensationis beneficium vobis, cum expedierit, valeant impertiri, iuxta formam concessionis super absolutione, ac dispensatione Fratrum eiusdem Ordinis superiùs vobis factæ. Ad hæc volentibus vestro aggregari consortio, qui suspensionis, aut interdicti, vel excommunicationis sententiis, à iure, vel à iudice promulgatis generaliter sunt ligati; absolutionis beneficium, obseruata forma canonica, impartiri, ipsosque in Fratres recipere, ac eos, qui post assumptum habitũ, vel professionem emissam recognouerint se talibus in sæculo fuisse sententiis innodatos, secundùm formam ipsam vos Generalis, Vigiles, & Prouinciales, & Correctores, ac vices vestras gerentes, valeatis absoluere, & cum irregularibus dispensare, si forsan talibus innodati sententiis, vel in locis interdicto suppositis diuina præsumpserint officia celebrare, vel Ordines recipere, ita tamen, quòd si alicui ex huiusmodi eisdem sententiis propter debitum sint adstricti, satisfaciant, vt tenentur. Volumus autem nihilominùs, quòd huiusmodi volentes vestro aggregari consortio, nisi mox, postquam fuerint absoluti, Ordinem vestrum intrauerint, etiamsi super hoc eis induciæ à Prælatis Ordinis eiusdem concedantur, eo ipso in pristinas sententias, à quibus eos taliter absolui contigerit, relabantur: cæterũ vestra discretio cautè prouideat, vt Apostolicæ Sedis, Legatorũ ipsius, & Ordinariorum locorũ in absolutionibus huiusmodi scandalum euitetur.

Exemptio à cura Monialium, & aliis hic enarratis.

§. 10. Porrò quieti vestræ prouidere volẽtes, quòd per literas Apostolicæ Sedis, aut Legatorum, seu Subdelegatorum ipsius conueniri à quoquam minimè valeatis, & quòd ad pecuniam colligendam cogi nõ possitis inuiti per literas ipsius Sedis de cætero impetrandas; quodque nullus vestrum correctionis, seu visitationis,

visitationis, vel Inquisitionis officium Monasteriis, vel Ecclesiis, seu quibuscumque personis impendere, vel ad cognitiones causarum, citationes partium, & denuntiationis sententiarum, interdicti, vel excommunicationum procedere, aut recipere curam Monialium, seu Religiosarum quarumlibet personarum, illis dumtaxat exceptis, quæ in vestris Regula, vel constitutionibus continentur, aut, quæ fuerint de mandato Apostolicæ Sedis exceptæ, teneatur per literas Apostolicas, impetratas, vel impetrandas in posterum, nisi huiusmodi Apostolicæ literæ de hoc indulto, & Ordine vestro expressam fecerint mentionē, auctoritate Apostolica vobis indulgemus. Concedimus etiam, ut ad visitanda aliqua Monasteria Monialium cuiuscumque Ordinis (illis exceptis, quæ, sicut præmittitur, in vestris Regula, vel constitutionibus continentur, aut quæ fuerint de mandato Apostolicæ Sedis excepta) vel ad audiendas confessiones earum compelli ullatenus non possitis: aut ad recipiendum commissiones causarum, seu sententiarum executiones, vel alia contingentia causas ipsas, per literas præfatæ Sedis, in quibus facta non fuerit de indulgentia huiusmodi mentio specialis, sive per Legatos, vel Delegatos ipsius. Nullus insuper Archiepiscopus, vel Episcopus, vel eorum Vicarij, vel officiales ad portandum, seu deferendum literas, vel exequendum, aut denuntiandum sententias contra Principes sæculares, Communitates, Populos, seu quosque benefactores vestros, nullusque delegatus, vel ordinarius iudex ad faciendum citationes, vel commissiones recipiendas, sive quòd sitis in causis aliquibus assessores, seu ad alia, lites, vel controuersias contingentia in causis, quæ coram ipsis tractantur, quemquam vestrū compellere valeant, sine prædictæ Sedis mandato, & licentia speciali, expressam faciente de hac indulgentia mentionē; nec quisquam vestrū parere, vel intendere teneatur super iis monitionibus, mandatis, aut iussionibus eorundem, aut facere, vel implere, quod in hac parte duxerit iniungendum.

Fratres Ordinis non possunt absque speciali mandato Papæ aliis deseruire, & seruientes ad Ordinem reuocari possunt.

§. 11. Cæterum Generalis, ac Prouinciales, Correctores, ac ipsorum Vicarij, illos ex fratribus, de quibus auctoritate litterarum Sedis Apostolicæ, vel Legatorum ipsius, Archiepiscopis, & Episcopis, ac aliis quibuscumque prouisum extitit, vel in posterum contigerit prouideri, corrigere, ac etiam, non obstante conditione aliqua, possint ad suum Ordinem reuocare, nec per literas eiusdem Sedis, seu Legatorum ipsius iam obtentas, vel de cætero obtinendas, aliquos de Fratribus ipsius Ordinis præfatis Archiepiscopis, & Episcopis, ut aliis teneantur in socios deputare, nisi dictæ literæ Apostolicæ obtinendæ de indulto huiusmodi, & Ordine ipso expressam fecerint mentionem, & alias id honestati Ordinis, & illorum saluti viderint expedire. Nullus autem Legatus, nisi de latere nostro, missus auctoritate literarum Sedis Apostolicæ, specialem de hoc indulto, & Ordine vestro facientium mentionem, nullusque Prælatus, etiam Cardinalis Romanæ Ecclesiæ, nec aliqua persona religiosa, vel sæcularis, de Fratribus eiusdem Ordinis ad sua, seu Ecclesiæ negotia procuranda, vel secum manendum aliquos assumere valeat, nisi quos Generalis, vel Prouincialis Corrector ipsorum, tanquam idoneos, & discretos sibi duxerint assignandos, quos etiam subiacere volumus Ordinis disciplinæ.

Generalis Correctoris auctoritas in Fratres Inquisitionis, aut verbi crucis prædicationi deputatos.

§. 12. Illos verò ipsius Ordinis Fratres, qui ad prædicandum crucem, vel inquirendum contra prauitatem hæreticam, seu ad alia huiusmodi negotia sunt, vel fuerint ubicumque à Sede Apostolica deputati, tu fili generalis Corrector, tuique successores remouere, penitùs transferre, ipsisque quod supersedeant iniungere, aliosque substituere, cum expedire videbitur, licitè, ac liberè valeatis; & in eos, si contrauenerint, censuram Ecclesiasticam exercere, ac quilibet Corrector Prouincialis, vel eius Vicarius eiusdem Ordinis id ipsum in sua Prouincia circa Fratres ipsius Ordinis, quibus ab eadem Sede similia contigerit in illa committi, facere possit, non obstantibus aliquibus literis, vel indulgentiis Apostolicis impetratis, vel etiam in posterum impetrandis, quæ de hoc non fecerint mentionem.

Et in discedentes ab Ordine post emissam professionē.

§. 13. Inhibemus quoque, ne quis post professionem in Ordine vestro factā, sine Generalis, vel sui Prouincialis licentia discedat ab ipso, discedentē verò absque cautione literarum alterius ipsorum, prætextu priuilegij alicuius Apostolicæ Sedis, nullus audeat retinere, quod si fortè retinere præsumpserint, vobis generalis, & prouincialis Correctores dūtaxat, & vestris seu Prouinciarum Vicariis licitū sit in ipsos discedentes Fratres excommunicationis sententiā promulgare: detinentes verò eosdem secum, vel in Monasteriis, aut Ecclesiis suis (nisi eos reiecerint, postquàm eis denuntiatū fuerit) excōmunicationis sententia volumus subiacere, non obstante, quod excommunicari, suspendi, vel interdici non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam de indulto huiusmodi mentionem.

A nostro Ordine nemo poterit ad aliū transire absque licētia Papæ.

§. 14. Si verò aliqui de Fratribus vestri Ordinis post obtentam licentiam à Sede prædicta, aut à nobis ad Religionem aliam transeundi, infra duos, vel tres menses se ad illam Religionem suæ saluti congruam non contulerint, & ipsius non susceperint habitum Regularem, licitum sit vobis Generali, ac prouinciales Correctores, & vices vestras gerentibus contra ipsos, tanquam alios Ordinis vestri Apostatas procedere, secundum quòd honestati ipsius Ordinis videritis expedire. Illud idem intelligi volumus de illis, qui post susceptionem habitus alterius Religionis infra tempus probationis, nulla professione facta, inde præsumpserint resilire, aut etiamsi post professionem huiusmodi ad Religionem laxiorem, seu mitiorem Ordinem transierint, vel, quod absit, ad sæculum reuertantur, volumus, vos contra ipsos rigorem vestri Ordinis exercere.

Apostatas possunt Prælati excommunicare. Vide const. 2 huius Pōtif. §. 18 nu. 96. & 10. Vrb. 8. § 3.

§. 15. Apostatas quoque vestri Ordinis excommunicare, capere, ligare, incarcerare, & alias subdere disciplinæ rigori possitis per vos, ac etiam alios, in quocumque habitu eos contigerit inueniri, inuocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Expulsi ab Ordine prædicare, confessiones ac

§. 16. Inhibemus etiam, ne Fratres, quos ab Ordine vestro pro suis culpis per generalem, seu prouinciales Correctores, aut Vigiles expelli contigerit, vel qui egressi fuerint proprio suo motu, prædicare,

d re aut docere nõ possunt. Vide to. 2. Relig. q. 1. c. 25. & constit. 10. Vrban. 8. § 4. 5. & 6.

care, confessiones audire, seu doecere præsumant, nisi ad alium Ordinem, in qua licitè huiusmodi officia exerceantur, transierint de vestra, vel dictorum Correctorum licentia speciali. Quòd si fortè ipsi contra huiusmodi inhibitionem nostram aliquod super præmissis temerè attentare præsumpserint, Prouinciales Correctores, & Vigiles, ac eorum Vicarij in illos, quos infra fines suarum Prouinciarum, iuxta consuetudinem Ordinis vestri, distractos inuenerint talia præsumentes, monitione præmissa, auctoritate nostra excommunicationis sententiam valeant promulgare.

Et ad alium Ordinem, vt hic transire possint. Vide constit. 10. Vrb. 8. §. 5.

§. 17. Eiectos autem de Ordine vestro, vel egressos, qui receptione in eodem Ordine suis culpis exigentibus, reddiderunt se indignos, & alios Fratres eiusdem Ordinis, ex rationabili causa ad quoscumque Ordines approbatos (præterquam ad B. Augustini templariorum, hospitaliorum, & aliorum Religiosorum arma portantium) ad vitandam occasionem euagandi, Generalis, vel Prouinciales Correctores cum suis testimonialibus literis auctoritate nostra licentiandi liberam habeant facultatem: Non enim districtiùs inhibemus, ac tales ad alium Ordinem aliter transire, vel aliqui eos recipere, seu retinere præsumant, absque licentia speciali Sedis Apostolicæ faciente de hoc plenariam mentionem.

Prohibet quibuscumque Religiosis habitum consimilem.

§. 18. Inhibemus etiam, vt nulli, siue sit in Religionis Ordine, siue extra Ordinem constitutus, habitum vestrum, vel ita consimilem, quòd propterea Frater Minimus credi possit, deferre liceat, absque mandato Sedis Apostolicæ speciali; & vt dicta inhibitio maiorem consequatur effectum, statuimus, vt ij, qui habitum vestrum, vel illi prædicto modo consimilem deferre præsumpserint, ad deponendũ ipsum per Diœcesanos locorum, cum à vobis requisiti fuerint, monitione præmissa, per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compellantur.

Exemptio à solutione decimarum. Vide quæ cito ad § 31. 1. const. huius Pontificis.

§. 19. Cæterùm cum humilitas vestra sibi de latitudine orbis terræ nihil, præter domos, & hortos cum virgultis, ad simplicem tantummodò Fratrum vsum præmiorum obtentu cælestium duxerit reseruãdum; Nos piè volentes, quòd illorum fructus integrè vestræ paupertatis vsibus applicentur, vt de dictis hortis, & virgultis vestris nulli decimam teneamini exhibere, vobis auctoritate præsentium indulgemus, districtiùs inhibentes, ne quis à vobis de præmissis aliquid exigere, vel extorquere præsumat.

Ingredientes Ordinẽ bona incertorum dominorum possint portare.

§. 20. Quia verò nonnulli vestræ Religionis habitum assumentes, diuersis personis, quæ sciri, & inueniri non possunt, aliqua bona interdum restituere tenentur, vobis Prouincialibus, Vigilibus, ac Vicariis prædictis concedimus, vt singuli vestrum in locis sibi commissis, bona ipsa in pios vsus conuertere valeant, prout secundùm Deum videbitur expedire.

Sepultura in locis Ordinis est omnibus libera.

§. 21. Sepulturam quoque in locis, Cæmeteriis, & Ecclesiis vestris concedimus, & eam liberam esse censemus, vt eorum deuotioni, & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberauerint (nisi excommunicati, vel interdicti, aut etiam publicè vsurarij fuerint) nullus obsistat; salua tamen iustitia illarum Ecclesiarum, à quibus mortuorum corpora assumuntur.

§. 22. Districtiùs inhibentes, vt nulli Religiosi, vel sæculares, vobis, inuitis, aliquorum corpora defunctorum in vestris Cœmiteriis sepelire, aut in Ecclesiis vestris Missarum solemnia, vel pro animabus eorum, qui ad loca vestra tumulandi feruntur, ibidem exequias celebrare, sine vestro assensu, aut voluntate præsumant.

§. 23. Et cum generale interdictum fuerit, in Ecclesiis, & Oratoriis vestris, & aliis quibuscumque vel cum ad loca perueneritis Ecclesiastico supposita interdicto, clausis ianuis, interdictis, & excommunicatis exclusis, non pulsatis campanis, & submissa voce, liceat vobis celebrare diuina, & Ecclesiastica recipere Sacramenta, dũmodo causam non dederitis interdicto, nec contingat vobis specialiter interdici, neque Ecclesiæ, vel Oratoria ipsa fuerint specialiter interdicta. His verò, qui in vestris morantur obsequiis, cuncta liberè ministrare poteritis Ecclesiastica Sacramenta, & ipsos cum decederint in vestris Oratoriis sepelire. Si quando autem in terris, in quibus residetis, vel eorum personis, excommunicationis, seu interdicti sententias contigerit promulgari, pueri vestris seruitiis deputati, negotiorumque vestrorum Procuratores, & operarij, qui in vestris locis eorum operibus personaliter continuè institerint, huiusmodi sententiis obnoxij minimè habeantur, ibique possint audire diuina, iuxta formam, quæ locis ipsis eo casu à Sede Apostolica est concessa, nisi eidem causam dederint, vel excommunicari specialiter, seu interdici contingat eosdem.

Celebrari, nec mortui sepeliri possunt in nostris Conuentibus, inuitis Fratribus. Tẽpore interdicti quomodo Fratres celebrare valeant. Vide supra in constitut. 2. Sixti IV. à num. 30.

§. 24. Inhibemus insuper vniuersis Fratribus vestri Ordinis, ne aliquis eorum (nisi necessitatis vrgente articulo) aliis, quàm Prælatis suis peccata sua confiteri præsumat, vel aliis eiusdem Ordinis Sacerdotibus secundùm Regulam, & ipsius Ordinis instituta.

Fratres confiteantur Prælatis Ordinis.

§. 25. Vniuersis autem Ecclesiarum Prælatis, & aliis inhibemus confessiones vestras, vobis inuitis, audire, vel compellere vos ad Synodos, seu conuocationes suas accedere, vel cum eis extra Ciuitates, vel intra processionaliter exire, aut suis constitutionibus subiacere, vel capitula, scrutinia, & inquisitiones in locis vestris, vel alibi de vobis facere, aut fidelitatem iuramento firmatam, annualem obedientiam à Prouincialibus, Vigilibus, & Correctoribus localibus vestris exigere, aut de ipsorum institutione, vel destitutione, siue de Statutis vestri Ordinis se aliquatenus intromittere, seu prohibere, ne ad Ciuitates, vel Villas, vbi religiosè, ac honestè commorari possitis, à populis euocati audeatis accedere, ibique pro vestris vsibus construere ædificia, Ecclesias, seu Oratoria, aut in accedentes Fratres, seu confluentes huiusmodi, vel acceptatores ipsorum excommunicationis sententias ferre præsumant.

Prælati Ecclesiastici nõ molestent Fratres super hic expressis.

§. 26. Concedimus quoque vobis, vt de ijs, quæ in ornamentis, vel pro eis, aut libris, fabrica, luminaribus, anniuersario, septimo, vigesimo, trigesimo, siue aliis, ad perpetuum cultum diuinum, seu pro pitantiis, aut victu ad sustentationem vestram, vel indumentis, necnon pro annuis censibus redimendis, ad quorum solutionem aliqua domus vestri Ordinis obligatæ noscuntur, vel de domibus prædictis, & hortis, aliisque locis, vobis secundùm instituta

Exemptio à solutione canonicæ portionis d. Ordini relictis.

vestri Ordinis opportunis, aut de iis, quæ pro huiusmodi domibus, prædiis, hortis, & locis emendis vobis legantur, dummodo præmissa non conuertantur in vsus alios, sed in illos dumtaxat, pro quibus relinquuntur, aut alios etiam, qui in hac concessione, vel indulgentia continentur, nulli canonicam portionem aliquam teneamini exhibere. Et ne quis à vobis, vel vltimarum executoribus voluntatum, seu decedentium hæredibus, de præmissis, aut de iis, quæ vobis in vltimis voluntatibus conferuntur, aliquid exigere, vel extorquere præsumat districtiùs inhibemus.

Fratres possint loco Ordinis dimittere, &c.

§. 27. *Ad hæc liceat Fratribus vestri Ordinis, cum de Prioribus locis suis ad alia loca se transferunt, tam ædificia, seu omnem ædificiorum materiam locorum, quæ dimittunt, (dedicatis Ecclesiis dumtaxat exceptis,) libros, calices, & paramenta secum ad alia loca transferre; ac ædificia ipsa cum solo, & aliis ad eadem loca pertinentibus, præter Ecclesias, per personas, ad hoc à Sede Apostolica deputatas vendere, ipsorumque pretium in aliorum locorum, ad quæ dicti Fratres se transferunt, ædificationem, seu alias in eorum vtilitatem conuertere, secundùm quod melius videbitur expedire, cum ipsa priora, & alia loca Fratrum ad nos, & Apostolicam Sedem specialiter, & immediatè pertinere noscantur. Et ne aliqui Archiepiscopi, vel Episcopi, aut alij Ecclesiarum Prælati, seu quævis alia persona Ecclesiastica, vel sæcularis, prædicta loca seu bona occupare, accipere, vel vsurpare, aut quoquo modo sibi vendicare præsumant, absque dictæ Sedis licentia speciali, districtiùs inhibemus.*

Exemptio ab omni præstatione & onere.

§. 28. *Indulgemus vobis, vt ad præstationem procurationum Legatorum prædictæ Sedis, vel Nuntiorum ipsius, seu Diœcesanorum locorum, aut exactionum, vel collectarum, seu subsidiorum, vel prouisionum quarumcumque minimè teneamini, nec ad ea soluenda per literas dictæ Sedis, aut Legatorum, vel Nuntiorum eiusdem, seu Rectorum terrarum Ecclesiæ Romanæ impetratas, seu imposterum impetrandas, cuiuscumque tenoris fuerint, in perpetuum compelli possitis, nisi dictæ Sedis literæ impetrandæ plenam, & expressam de huiusmodi indulto & dicto Ordine fecerint mentionem.*

Prælatorum Ordinis facultas absoluendi Fratres & cum eis dispensandi.

§. 29. *Præterea cum fel. recor. Gregorius XI. prædecessor in dictis suis literis Generali, Vigilibus, & Prouincialibus, necnon Correctoribus localibus, & eorum Vicariis absoluendi Fratres eiusdem Ordinis, ac etiam Fratribus dicti Ordinis, quos ipsi huiusmodi Superiores habuerint pro tempore in confessores absoluendi ipsos Superiores ab excessibus, & censuris (nisi talia forent, propter quæ essent ad Sedem Apostolicam meritò destinandi) ac cum eis desuper dispensandi licentiam concesserit, & propterea, qui sint destinandi, persæpè reuocetur in dubium. Vt absoluentium, & absoluendorum, dispensantium, & dispensatorum pro parte puritati conscientiæ consulamus, declaramus, hæreticos relapsos, schismaticos, & qui literas Apostolicas falsificassent, aut ad infideles prohibita detulissent, dumtaxat esse ad Sedem prædictam meritò destinandos, reliquis verò omnibus, etiam, simonia quacumque irretitis, posse per illos, quibus tibi conceditur, absolutionis beneficium, & dispensationis, iuxta casuum indigentiam, impartiri. Et vt dicti Ordinis professoribus omnis vagandi tollatur occasio, & ad Apostolicam Sedem recurrendi subtrahatur pro posse necessitas, omnibus Superioribus, & eorum Vicariis, defectum natalium, ex adulterio, sacrilegio, incestu, & quovis alio nefario, & illicito coitu prouenientem; patientibus necnon cum his, qui ex quavis causa, præterquam homicidij voluntarij, bigamiæ, & mutilationis membrorum, irregulares forent, dispensandi cum dicti Ordinis Minimorum professoribus, postquam ipsum Ordinem professi fuerint, vt defectu, & irregularitate huiusmodi non obstante, irregulares ipsi ad quoscumque etiam sacros ordines promoueri, & in illis etiam altaris mysterio ministrare, & tam ipsi irregulares, quàm defectum natalium patientes, ad quascumque administrationes, & officia eligi, recipi, & assumi, illaque gerere, & exercere liberè, & licitè valeant, motu, & auctoritate prædictis concedimus per præsentes.*

§. 30. *Indultum verò prædecessoris de decimis non soluendis, ad quacumque bona dictorum Fratrum, & quascumque decimas, etiam quas vulgus Papales appellant, & Apostolica Sedes pro Christianæ fidei defensione, aut aliis imminentibus persæpè necessitatibus indicit, & quacumque alia onera, motu, & scientia prædictis extendimus. Decernentes, Fratres ipsos Minimos, etiamsi per quoscumque exemptos etiam Mendicantes solui mandarentur, cum quibusvis derogatoriis, & fortioribus clausulis, ad illarum solutionem cessando, censuras, & pœnas aliquas non incurrere; nisi præsentibus nostris, non per generales, aut alias clausulas, etiam specialem mentionem importantes, fit derogatum specificè, eorum de verbo ad verbum inserto tenore.*

Exemptio à decimis, etiam Papalibus.

§. 31. *Cæterum cum fel. rec. Innocentius Papa IV. prædecessor noster, olim duxerit statuendum, vt exempti quantacumque gaudeant libertate, nihilominus tamen ratione delicti, seu contractus, aut rei, de qua contra ipsos agitur, ritè possint coram locorum Ordinariis conueniri, & illi quoad hoc suam in ipsos iurisdictionem, prout ius exigit, exercere. Nos vobis (vt occasione constitutionis huiusmodi, nullum libertatibus, & immunitatibus, vobis, & Ordini vestro per priuilegia, & indulgentias ab Apostolica Sede concessis, aut in posterum concedendis præiudicium generetur) auctoritate præsentium indulgemus, decernentes, vos, seu personas vestri Ordinis in prædictis casibus Ordinariis ipsis minimè subiacere. Decernimus, ergò irritum quicquid contra tenorem concessionum, & inhibitionum huiusmodi per quoscumque fuerit attentatum, & interdicti, suspensionis, & excommunicationis sententias, si quas contra concessiones, constitutiones, & inhibitiones easdem, in vos, vel vestrum aliquos, aut loca vestra, seu benefactores vestros, vel executores, aut hæredes prædictos, in posterum promulgari contigerit, penitus non tenere.*

Exemptio à iurisdictione Ordinariorum.

Cap. Volentes, de priu. in 6. Vide constitut. 2. Sixti 4. n. 19.

§. 32. *Et quia Bonifacius VIII. prædecessor noster olim ad augmentum continuum Religionum, &*

Facultas Prælatorum Ordinis

coërcendi Fratres iuxta eius ordinationes, appellatione remota.

& Ordinum, quos Romana suscepit, & approbauit Ecclesia, paternis studiis intendit, & considerauit attentius, quòd non intermissa sedulitas disciplinæ Religiones, & Ordines supradictos, statusque Regulares salubriter dirigit, & conseruat, quòdque si eam perire, vel remitti contigerit, Ordo quilibet callabi necessariò cogeretur. Pensando etiam, quòd si Regularium personarum correctio rimas iuris, & apices sequeretur, huiusmodi rigor lentesceret, ac multiplicata laxatione torperet. Nos auctoritate Apostolica vobis indulgemus, vt ad correctiones, & punitiones Fratrum vestri Ordinis delinquentium infligendas, Generalis, Vigiles, & Prouinciales, necnon Correctores locales, & eorum Vicegerentes, ad quos eadem spectare noscuntur (rimulis, & apicibus ipsis postpositis) liberè procedere valeant secundùm consuetudines approbatas, & generalia facta, & etiam facienda ipsius Ordinis instituta. Nec volumus eisdem licere Fratribus, ab eisdem correctionibus, & punitionibus aliquatenus appellare, prouida in hoc deliberatione, ac maturitate debita obseruatis.

Exemptio à gabellis & impositionibus.

§. 33. *Quòdque Fratres, & sorores, ac Gubernatores præfati, ratione domorum, locorum, ac Monasteriorum prædictorum, aut quorumcumque aliorum bonorum, aut possessionum, quæ in præsentiarum habent, & iustis modis, præstante Domino, habebunt in futurum, seu alia quauis occasione, decimam, vel aliam petitionem, aut annuos redditus, seu censum, vel procurationem aliquam, vel aliam subuentionem. Legatis, vel Nunciis dictæ Sedis, aut Ordinariis locorum, vel aliis quibuscumque, aut pedagia, vel telonia, & alias exactiones, quibusvis Regibus, seu aliis personis Ecclesiasticis, seu sæcularibus dare, & soluere minimè teneantur. Nec ad illud compelli possint, vel super hoc alias à quoquam quomodolibet conueniri per literas Sedis prædictæ, aut Legatorum, vel Delegatorum seu Nuntiorum ipsius, aut Diœcesanarum locorum, vel Rectorum terrarum Ecclesiæ Romanæ, aut quorumcumque aliorum, etiamsi in eiusdem Sedis literis contineatur expressè, quòd ad quæuis exempta, vel non exempta loca, seu Monasteria se extendant, & aliqua eis, cuiuscumque tenoris existat, ipsius Sedis indulgentia non obsistat, nisi forsan dicta litera Apostolica de dicto Ordine, & præsentibus de verbo ad verbum, ac etiam Monasteriis, & domibus, ipsorumque Rectoribus, ac Gubernatoribus, & personis prædictis, plenam, & expressam, ac etiam specialiter, & nominaliter fecerint mentionem.*

Derogatio contrariorũ.

§. 34. *Felic. record. Innocentij Papæ IV. prædecessoris nostri, & aliis constitutionibus Apostolicis, legibus imperialibus, statutis, & consuetudinibus, per quæ præmissa possent quomodolibet infringi, vel impediri, & aliis in contrarium editis non obstantibus quibuscumque. Nos enim quaslibet excommunicationum, suspensionum, & interdicti sententias; & quoscumque processus, quasuis pœnas, sententias continentes, quas, & quos contra Generalem, Fratres, & Sorores, Domos, Monasteria, personas, & alia supradicta, contra tenorem, & formam præsentium, & exemptionis huiusmodi promulgari, & haberi contigerit irritas decernimus penitus, & inanes. Nulli ergo, &c. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, quinto Kalendas Augusti, MDVI. Pontificatus nostri anno tertio.*

§. I.

1. Noto, quòd de iure communi postquam quis est ad aliquam dignitatem electus, si ante confirmationem se ingerat, exercendo aliquem actum ad talem dignitatem spectantem, est ipso facto priuatus iure acquisito per illam electionem. Ita habetur *in cap. Auaritiæ, de elect. in 6. & cap. Qualiter, eodem tit. & dixi tom. 1. Religiosi, quæstio. 1. cap. 31. §. 11. concl. 5.* Hic verò Pontifex concedit priuilegium, vt Generales statim ac fuerint secundùm Regulam electi, plenè, & liberè possint suum officium, & iurisdictionem, tam temporalem, quàm spiritualem in Subditos exercere, præcipiendo, excommunicando, absoluendo, corrigendo, visitando, incarcerando, perinde ac ea possunt post acceptam Pontificis benedictionem. Vnde colligitur, quòd Generalis statim ac est electus, confirmatur ab Apostolica Sede. Vt etiam colligit ex simili priuilegio facto à Clemente IV. Ordinis Minorum Rodrig. *tom. 2. quæst. reg. q. 52. artic.* 2. alia multa similia referens, & habetur etiam *in const.* 4. *Pauli III.* §. 5.

§. II.

2. Noto 1. quòd per hoc priuilegium possunt Generales à Prouincialibus, & Vigilibus, & aliis Fratribus in Capitulo generali cõgregatis amoueri. Et sic antiquitùs Generales in Capitulis generalibus ante electionem noui Generalis visitabantur per aliquos patres deputatos in dicto Capitulo. Ita definitum fuit *in Cap. gen. Granopol. celebrata, num.* 7. Imò illud statutum ibi inseritur tanquam viuæ vocis oraculum Clementis VII. & fundabantur *in Correct. num.* 9. Sed postmodùm *in Capitulo generali Paulensi, num.* 27. statuitur, quòd P. Generalis, durante suo officio, non visitetur; quòd fuit specialiter confirmatum à Paulo III. vt patet *ex eius const.* 4. §. 5. & & sic obseruatur in praxi.

3. Noto 2. quòd Generalis, etiam non expectato tempore Capituli generalis, potest deponi in tribus casibus. Primus est, si sit dilapidator bonorum Religionis. Secundus, si incontinenter, & scandalosè viuat. Tertius, si Regulam destruat, eamque relaxet in seipso, & in aliis. In his casibus, quando publica sunt delicta, & scandalosa, quia periculum est in mora, potest Generalis deponi. Deponetur autem in dictis casibus, vel à deputatis *in Correctorio, num.* 9. vel à Visitatoribus impetratis ab Apostolica Sede, iuxta ea, quæ dixi *tom.* 1. *Relig. q.* 1. *cap.* 18. *not.* 2.

4. Noto 3. circa id, quod hic dicitur, quòd Generalis possit deponi à Prouincialibus, & Vigilibus secundùm Regulam, &c. quòd *in Correctoria, num.* 9. statuitur, quòd quando Generalis, seu quiuis alius Prælatus erit deponendus, fiat talis depositio per socios eiusdem deponendi, & Capitulum locale eiusdem; vel proximioris Conuentus; Vbi, vt patet, ad hanc depositionem non interueniunt Prouinciales, neque Vigiles. Et quòd illud Capitulum Correctorij, *num.* 9. loquatur etiam de Generali apertè constat, ex eodem Correctorio, *num.* 111. Vbi Correctorium manifestè se declarat. Quare puto, quòd hoc priuilegium sit in fauorem Generalium, & quòd ad eorum depositionem velit Papa, vt interueniant

non solùm deputati per Correctorium loco dicto, sed etiam Prouincialis Prouinciæ, in qua delictum depositione dignum committi contingeret, & Vigil illius nationis, si depositio sit facienda extra Capitulum generale. Sed melius aduerte, quòd compositores huius constitutionis eam ex parte, præsertim in principio desumpserunt ad verbum ex Mari magno Prædicatorum patùm considerando, an nostræ Religioni, multa quadrarent, vnde vix in aliquo loco potest intelligi, vt in §. 5. ibi *Tu generalis Corrector, & prædecessores tui*, & tamen S. P. Franciscus nullum prædecessorem habuit. Et eodem §. ibi. *Et præfati Desinitores*, & tamen nulla fuit ante facta mentio de Definitoribus, nec Definitores in Ordine nostro eam habeot auctoritatem, quam hic illis tribuit Papa. Quod magis patet *ex* §. 29. vbi dicitur, quòd Gregorius XI. nobis concesserit, &c. Quare attendentes magis ad mentem Pontificis, quam ad verba, vt dicitur *cap. Marcion. prim. quæstione prima*, turbari non debemus, sed secundùm Regulam in hoc procedere omninò.

§ III.

5. NOto primò, quòd hoc priuilegium potest dupliciter intelligi. Primò vt loquatur de Capitulis Prouincialibus, & Generalibus, & concedat, quòd tempus statutum à Regula electoribus non currat, cum frequenter de remotis partibus hos conuenire oporteat. Quare si tẽpore præfixo non conuenerint, possit dictum tempus in aliud, quo omnes iam conuenerint, differri: vel si ante dictum tempus conuenerint, possint dicta Capitula celebrari, vt citiùs liceat electoribus domum repetere. Quo pacto intellectum priuilegium est reuocatum per *constitut. 4. Pauli III.* §. 4. *infra* 2. modo potest intelligi priuilegium, ita vt conformet cum alio priuilegio simili, concesso à Clemente IV. Fratribus Minoribus, quod referunt Casarub. *in comp. verbo Electio*, §. 4. Rodrig. *tom. secund. quæst. Regul. quæstione* 52. *artic.* 12. Miranda *tom. 2. manualis quæst.* 23. *artic. decimo*, Quod priuilegium intelligunt Rodriguez, & Miranda, vt clarè colligitur ex eorum dictis, non de electionibus faciẽdis in Capitulis generalibus, & prouincialibus, in quibus statuta est per Regulam dies præfixa, qua elapsa, deuoluitur electio ad Superiorem, sed de electionibus faciendis causa mortis, vel priuationis, vel renuntiationis, in quibus ius commune circa tempus statuit multa, de quibus dixi *tom. 5. Religiosi, quæstione prima, capite* 31. *notab.* 9.

6. Et primò, quòd electio non fiat ante sepulturam defuncti. Secundò, quòd electio fiat intra tres menses computandos à die mortis, priuationis, vel renuntiationis. Tertiò, quòd electores, electione secuta, teneantur intra octo dies eam præsentare electo. Quartò, quòd electus teneatur intra mensem computandum à die præsentationis, electioni vel consentire, vel dissentire. Quintò, post consensum præstitum teneatur electus intra tres menses à die præstiti consensus confirmationem petere. Concedit itaque Papa in hoc priuilegio, quòd dictis Regulis temporum non coarctemur. Itaque si ante sepulturam defuncti electio fiat, valida erit, si post tres menses, etiam valida erit, si post octo dies electionem electo præsentauerint, & iste etiam post mensem consensum præstiterit, vel intra tres menses à præstito consensu confirmationem non petierit, electio nihilominùs valida erit per hoc priuilegium, non obstante iure communi. Et hoc modo intellectum priuilegium, vt debet necessariò intelligi, est maximè in suo robore, & congruit priuilegio citato Clementis IV. quo fruimur, & nos, & omnes Mendicantes communicationem priuilegiorum habentes, vt dicunt, Rodrig. & Miranda *loco cit.*

7. Ex quo sequitur, quòd in morte Generalis, vel Prouincialis, vel Collegarum potest differri electio, etiam post tres menses, si omnes electores in longinquis partibus degentes, intra dictum terminum non potuerint conuenire.

8. Si dicas, huic priuilegio Capitulum generale Romæ 6. *num.* 14. *dubit.* 2. renuntiasse per illud statutum, *quòd in Ordine nostro omnes electiones, siue causa mortis, &c. fiant intra tres menses à die vocationis, alioquin quod electio deuoluatur ad Superiorem.*

9. Respondeo, Et dico primò, non esse dubium, quod quando qui habet priuilegium, illud repudiat, priuilegium per non vsum tollitur, nam priuilegium non confertur in inuitum; Cum ergo in Capitulis Prouincialibus, & Generalibus contineatur interpretatiua voluntas totius Prouinciæ; & totius Ordinis, cui concessa sunt priuilegia, possunt dicta Capitula Prouincialia pro sua Prouincia, & Generalia pro tota Religione priuilegiis Religioni concessis renuntiare, & ea per non vsum tollere. Et ad huius rei euidentiam, atque omnem ambiguitatem tollendam refert Rodriguez *tom prim. quæst. regul. quæstione nona, articul. secund.* concessionem Leonis X. qui concessit, quòd Generalis Fratrum Minimorum in suo Capitulo generali, & quilibet Prouincialis in suo Capitulo prouinciali, de consensu eiusdem Capituli, vel maioris partis declarare possit, & valeat, verum ab vsu alicuius concessionis viuæ vocis oraculo factæ abstineri debeat, ac si concessio huiusmodi per Sanctitatem suam suspensa, vel reuocata fuisset. Quare videtur, quòd Capitulum generale possit priuilegiis Religioni concessis renuntiare, cum vnicuique liberum sit renuntiare iuri suo, vt dicitur *in cap. Si de terra, de priuil.*

10. Quæ Regula tamen fallit in duobus casibus, Primò quando qui gaudet priuilegio, non est proprium subiectum, cui datum est, vel propter quod datum est. Sic priuilegium principaliter concessum in gratiam Communitatis, non potest à particularibus personis renuntiari, vt est priuilegium Cleri, tam fori, quàm canonis. Secundò, quando renuntiatio non pendet adæquatè ex voluntate renuntiantis. Sic quis non potest renuntiare priuilegio sibi concesso, quod continet etiam ius alterius, cui per talem renuntiationem præiudicaretur. Vndè Prælatus non potest renuntiare libertati Ecclesiæ ad ius Romanæ Ecclesiæ pertinenti, vt habetur *in cap. Cum tempore, de arbitris.* Ita Suar. *lib.* 8 *de legibus, cap.* 33. *num.* 2. Seù breuius dicas, quòd illa regula *Vnicuique liberum est*, &c. intelligitur quando non tangitur ius Superioris, vel tertij. Ita Panor. *in cap Si de terra, de priuil. num.* 5. Tabien. *verbo Priuilegium, num. nono*, Syluest. *eodem quæstionario decimo, numero decimo, verbo Octauo.* Armilla *num.* 9. Rosella *num.* 15. vnde dicunt, quòd exemptus non potest renuntiare priuilegio exemptionis, quia est in Præiudicium Papæ.

11. Dico etiam obiter, quòd licèt nemo cogendus sit vti suo priuilegio contra seipsum, vt dicitur *dicto cap. Si de terra*, & habetur in regula, *Quod ob gratiam*, quæ est 61. *de regulis iuris in* 6. vbi dicitur, *Quod ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum.* In duobus tamen casibus potest obligari priuilegiatus ad vtendum suo priuilegio. 1. est quando non potest illi renuntiare, de quo *numer. anteced.* 2. quoties per priuilegium fit actus licitus, qui antea non erat, vel tollitur obligatio, quæ antea erat, v. g. qui habet priuilegium audiendi Missam tempore interdicti, obligatur audire illam in diebus festis ex præcepto Ecclesiæ, à cuius obseruantia excusaretur, si tale priuilegium non haberet. Item coniux habens votum castitatis tenetur reddere debitum alteri coniugi petenti; si tamen coniux adulter fuerit, vxor habens votum non tenetur reddere, & consequenter obligabitur non reddere, sed seruare castitatem, quia licèt in casu adulterij sit priuilegium innocentis, vt non obligetur reddere debitum adultero petenti,

tenti, posito priuilegio, sit licita obseruatio voti castitatis, & ideo obligat præceptum seruandi votum. Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 6. num. 15.* Suarez *lib. 8. de legib. cap. 23. num.* 8. Et alij apud Auilam *de cens. part. 5. disp. 4. sect. 2. dub. 6* licèt ipse ibi contrarium teneat *conclus. 2. part. 6. disp. 1. dub. 7.*

12. Dico 3. quòd renuntiatio priuilegij potest dupliciter fieri. 1. expresè. 2. tacitè. Ad expressam renuntiationem requiritur efficax voluntas abdicandi à se totum ius, & facultatem priuilegij expressam signis exterioribus satis claris, idest verbis voluntatem manifestè declarantibus. Ad tacitam autem renuntiationem requiritur eadem voluntas à se abdicandi priuilegium per facta, vel omissiones exteriùs manifestata, nimirùm per non vsum priuilegij, vel per contrarium vsum, seù etiam per abusum, ad quam vtramque renuntiationem, vt patet, requiritur priuilegij scientia. Me clariùs explico. Habeo v. g. priuilegium non ieiunandi in diebus præcepti, verbis expressis dico, Declaro, quòd huic priuilegio renuntio, ista est renuntiatio expressa, accedunt dies ieiunij, ego ieiuno, sciens, & recordans, me habere dictum priuilegium, eique renuntiare intendens, ista est renuntiatio tacita. Ita Suarez *lib. 8. de legibus, cap. 34. num. 5.*

13. Dico 4. ad obiectionem respondendo, quòd priuilegium, de quo agimus, est in fauorem electorum, Generalis, & Prouincialis, &c. qui quandoque in longinquis partibus reperiuntur, verbi gratia si decedat Generalis, vel illius aliquis ex Collegis in Sicilia, & alij Collegæ sint in partibus remotioribus Hispaniæ, vel Galliæ, tunc non possunt intra terminum trium mensium à iure statutum ire ad locum deputatum pro electione Generalis, ideò Papa iis concedit, vt non attendantur istis Regulis. Quare cum hoc priuilegium sit in bonum publicum inductum, ad quod maximè interest, vt electores naturales, vt sic dicam, electiones celebrent, non verò assumantur ad libitum Prælatorum alij suppositiij, qui non audeant Prælato bene, vel malè facienti, vtpotè ab ipso assumpti, contradicere, videtur, quod Capitulum generale huic priuilegio renunciare non potuerit, maximè quia istius priuilegij tam Religioni vtilis, & necessarij notitiam fortè non habebant, saltem totaliter, quæ tamen est omninò necessaria, vt dixi *num. praeced.* etiam in fauorem electorum, & commodum; quod enim per Superiorem conceditur, per inferiorem reuocari non potest, *cap. Inferior, dist. 21. Clementina Ne Romani, de elect.* Atque ita in casu simili id tenet Passarell. *in scholiis ex Iannensi, num. 4. de valore priuil. fine.* Statutum ergo illud Romanum, vel dicendum est nihil valere per dicta, vel dicendum est, non intendisse Patres illius Capituli (inter quos ego interfui tanquam Commissus Genuæ) renunciare prædicto priuilegio, de quo fortè, & sine fortè, non omnes capitulares notitiam habebant, sed intendisse obuiare fraudibus, quæ fiebant quandoque transferendo electiones etiam per sex menses, vsque dum aliqui, quos præcedebant eligere, officia, quibus fungebantur, finirent. Et verè illud statutum factum est ab hoc obuiandum, vnde potest intelligi hoc pacto, nimirùm, quòd statim ac omnes electores conuenerint, vel iuri suo renuntiauerint, fiat electio defuncti, vel depositi, &c. Quòd si conuenerint ante terminum trium mensium ille terminus prorogari non possit, cum prorogandi nulla sit occasio, & si prorogetur, electio ad Superiorem deuoluatur, si post terminum trium mensium conuenerint, statim fiat electio. Quo pacto intellectum statutum, validum est, & conforme huic priuilegio, quod conceditur ad commoditatem eorum, qui de longinquo venire debent.

§ IV.

14. Concedit, quòd Prouinciales statim electi administrationem habeant, & licèt idem dicat de Correctoribus, cum tamen addat, quòd electi secundùm statuta Ordinis administrationem habeant, & Correctores, secundùm statuta Ordinis non statim electi, sed post publicationem, & confirmationem in capitulo definitorio administrent, de Correctoribus non debet intelligi, quia hi secundùm statuta Ordinis non habent statim electi administrationem. Nisi velimus hoc priuilegium intelligere de Correctoribus Romanis, nimirùm Sanctissimæ Trinitatis, Sancti Andreæ, & Sancti Francisci de Paula, qui statim electi, ante confirmationem habent administrationem. Et in vniuersum potest intelligi de omnibus Correctoribus, qui subsunt immediatè P. Generali, nec subiacent definitorio alicuius Prouinciæ.

§. V.

15. Noto 1. quòd *cap. 1. 2. & 3. de Magistris* supponitur, quòd nullus possit alios docere Theologiam, vel scripturam, &c. absque Ordinarij, seu studiorum Rectoris licentia. Quòd etiam decernit Trid. *sess. 5. de reform. cap. 1.* Hic Pontifex concedit, vt in nostris Conuentibus possint Generales, & Prouinciales Lectores instituere qui absque cuiusquam alterius licentia doceant suos discipolos in Theologica facultate; quod etiam concedit Trid. *loc. citat.* & fuit declaratum à sacra Congregatione, vt refert Naldus *in summ. verbo Legere, num. 6.* Excipit tamen Pontifex duos casus. 1. Est, si debeant legere in studiis generalibus, seu in publicis vniuersitatibus. 2. Si debeant legere in illis studiis, in quibus non legunt nisi Magistri solemniter gradu Doctoratus insigniti, nam in istis casibus vltra licentiam Superioris, requiritur etiam licentia Ordinariis, seu studiorum Rectoris. Quod etiam insinuat Trid. *loc. cit. fine* ibi, *Quod tamen de Lectoribus in claustris Monachorum non intelligatur*, quasi dicat, Licèt Lectores Regulares dum in claustris Regularium legunt, non debeant ab Ordinariis examinari, & approbari, si tamen extra claustra in studiis publicis exierint ad legendum, approbandi sunt.

16. Noto secundò quòd Trid. *loco citat.* statuit, *vt in Ecclesiis Monachorum, vbi commodè fieri queat, lectio sacra scriptura habeatur, qua in re si Abbates negligentes fuerint, Episcopi locorum in hoc vt Sedis Apostolica delegati eos ad id opportunis remediis compellant. In Conuentibus verò aliorum Regularium, in quibus studia commodè vigere possunt, sacra scripturæ lectio similiter habeatur; Qua lectio in capitulis generalibus; vel Prouincialibus assignetur dignioribus Magistris.* Satisfit autem huic decreto, si habeatur in Monasterio lectio Theologiæ Scholasticæ, vel moralis, quæ confessionibus audiendis deseruit, vt ait Rodrig. *tom. 2. quæst. Regular. quæst. 130. art. 2.* Qui etiam, quòd sicut Episcopi possunt Abbates negligentes remediis opportunis compellere, ita similiter possunt compellere cæteros Regulares.

17. Si quæras, quæ sint ista remedia opportuna, quibus dicti compelli possunt ab Episcopis.

Respond. Rodrig. quòd remedium opportunum est excommunicatio, cum enim Episcopi deputentur à Concilio tanquam Sedis Apostolicæ delegati, & Legati possint exercere omnia in sua Prouincia, quæ potest ille, qui misit eos, præter specialiter reseruata, & certum sit, quòd Pontifex, cuius delegati sunt Episcopi, in hoc casu potest Regulares excommunicare, certum etiã est, posse Episcopos dictos Regulares ad obseruantiam huius statuti excommunicatione compellere.

18. Et aduerte etiam, quòd quando Episcopus procedit tanquam delegatus Sedis Apostolicæ in causis,

quæ sub eius iurisdictione ordinaria non comprehenduntur, non potest ab eo appellari, nisi ad Sedem Apostolicam; at quandò iurisdictio delegata cumulatur cum ordinaria, Episcopus non potest huiusmodi delegationis prætextu declinare iurisdictionem Metropolitani in casibus illis, in quibus ante Concilij ordinationem Metropolitanus poterat vti eodem iure, eademque potestate. Ita dicitur declarasse sacram Congregationem. Et si vis scire, in quibus casibus possint Episcopi per Concilium Trid. procedere tanquam delegati Sedis Apostolicæ, consule Azor. *p. 2. instit. moral. c. 54. per totum.*

19. Noto 3. quòd Paulus V. gloriosæ memoriæ in sua constit. quæ incipit, *Apostolica*, quæ est 65. apud Cherub. in eo, tom. 3. bull. pag. 254. *Statuit, vt cuiuscunque Ordinis, & Instituti Regularium, tàm Mendicantium, quam non Mendicantium studiis omnibus, trium linguarum, Hebraica scilicet, Graca, & Latina, in celebrioribus verò etiam Arabica Doctores, Regulares quidem eiusdem Ordinis, si in illo harum linguarum sufficientem notitiam habentes sint, sin minùs saculares, aut alterius Ordinis regulares, qui illas actu, & diligenter doceant, habeantur*, &c. *Omnibus Regularium Superioribus sub pœna indignationis sua, & si ipsi negligentes fuerint, Protectoribus Ordinum iniungens, vt prouideant, quòd talia studia instituantur*, &c. *Et in promotione ad Doctoratum, & alios sui Ordinis honores, illi, cateris paribus, praferantur qui in cognitione dictarum trium linguarum profecerint, ita vt ad illas docendas apti sint.* Congruit *Clem. 1. de Magistris.* Quæ sancta constitutio miror, quo modo in Ordine nostro non sit excusationi mandata.

20. Noto 4. pro Doctoribus, quòd *die 22. Maij anno 2625.* in generali Congregatione sanctæ Romanæ, & vniuersalis inquisitionis, habita in palatio Apostolico apud Sanctum Petrum coram S. D. N. Vrbano VIII. ac Illust. Cardinalibus in vniuersa Christiana Republica Inquisitoribus generalibus à sancta Sede Apostolica specialiter deputatis, factum est decretum tenoris sequentis. *Cum aliàs fel. rec. Paulus Papa V. decretum in generali Congregatione S. R. & vniversalis inquisitionis ediderit tenoris sequentis, videlicet. S. D. N. decreuit, vt scribatur Nuntiis Apostolicis, quòd notificent, & ordinent Superioribus Religionum, Vniuersitatibus studiorum, & Ordinariis locorum sua nuntiatura, ne sinant imprimi in materia de auxiliis, etiam sub pratextu commentandi S. Thomam, aut alio modo, & qui volunt de hac materia scribere, & imprimere, priùs mittant tractatus, & compositiones ad hanc sanctam inquisitionem, Prafatus S. D. N. Vrbanus Papa VIII. suprascriptum decretum hoc suo prasenti decreto confirmauit, & innouauit, districtè pracipiens, & mandans omnibus, & singulis cuiusuis Religionis, Ordinis, Congregationis, Instituti, & Societatis, etiam de necessitate exprimenda, Regularibus, & aliis quibuscumque tam Ecclesiasticis, quam sacularibus personis cuiuscumque status, conditionis, gradus, ordinis, & dignitatis, tam Ecclesiastica, quàm sacularis, vt in posterum non audeant imprimere, vel quoquo modo in lucem edere libros, tractatus, vel compositiones ex professo, vel incidenter, aut pratextu commentandi D. Thomam, vel quemlibet alium Doctorem, aut alia quavis occasione, pratextu, vel modo, de materia auxiliorum diuinorum tractantes, sine expressa, & speciali licentia à Sanctitate sua in Congregatione sancti Officij obtinenda, donec aliud in hac materia a dicta sancta Sede Apostolica fuerit ordinatum. Vt autem huiusmodi decretum inuiolabiliter obseruetur, eadem Sanctitas sua voluit, & declarauit, contrauenientes pœnas priuationis dignitatum, & officiorum suorum, vocis actiua, & passiua, facultatis concionandi, publicè legendi, & docendi, & interpretandi ipso facto, absque alia declaratione incurrere, & nihilominus aliis etiam pœnis Sanctitatis sua, & successorum suorum Romanorum Pontificum arbitrio infligendis subiacere. Libros porro, quos in futurum contra prasentis decreti tenorem edi contigerit, absque alia declaratione tanquam expressè prohibitos haberi voluit, & impressores, prater amissionem librorum, pecuniariis, aliisque corporalibus pœnis, iuxta criminis grauitatem, teneri mandauit, contrariis quibuscumque non obstantibus.*

21. Ad vltimum hic nota, quòd Lectores, nisi actu legant, non debent frui immunitatibus, exemptionibus, nec priuilegiis. Quod præcepit Clemens VIII. in ordinationibus factis pro reformat. Regulat. vt habes infra *in const. 10. Vrbani VIII. numero 18. & 33.* & docuit Bart. *in leg. Medicos, C. de profess. & med. lib. 10.* & Guttierr. *lib. 1. pract. quast. q. numero 2.* Dicuntur autem actu legere Lectores tempore vacationum, & quando sunt designati ad de breui legendum, quia tunc actiùs student, & nunquam minùs vacant, quàm quando vacant, qui debito officij volunt satisfacere. Nicolaos Pignol. *addit. ad Rom. sing. 453.* Videatur Guido Papæ *quast.* 88. & 388. Et tandem studeant Prælati, ad quos pertinet eligere Lectores, eligere, qui moribus primùm excellant, deinde facundia, vt dicitur *in leg. Magistros, Cod. de profess. & medic. lib. 10.*

§. VI.

22. ADuerte quòd est derogatum per Concilium Trident. *sess. 23. de reform. capite 8. & 12.* Vide quæ dico *supra in Sixto IV. const. eius 2. à numero 33.* & *infra in const. 26. Leonis X. §. 12.* & notata ad illum.

23 Aduerte etiam, quòd dare literas dimissorias Religiosis ad ordines suscipiendos, pertinet ad Prælatum Ordinis, qui est eorum Ordinarius, de quo *Trid. sess. 23. capite 8 de reform.* Ita Nauarr. *consil. 36. de temp. ordin.* Rodriquez *tom. 1. quast. regul quast. 18. art. 5.* qui ad hoc refert decretum Clementis VIII. Colligitur ex Triden. *sess. 23. de reform. cap. 10.* ibi *Cuiquam, qui sibi subditus non sit*, ergo à contrario, si est subditus, potest, & habetur expressè in declar. Congregat. quam pono supra *const. 2. Sixti IV. numero 33.* Quæ dimissoriæ valent, etiamsi Superiores concedentes, vita, vel officio functi fuerint. Cardin. *in Clem. fin. numero 9. de elect.* vbi Vitalin *num. 43.* Guttierr. *lib. 2. pract. quast. q. 75. num. 5. & can quast. lib. 2. cap. 17.* Quia est gratia, quæ morte concedentis non expirat. Vide Zerolam *1. p. prax. verbo Dimissoria ad ordines, ad 9.* vide etiam *ad 8. pro duratione dictarum dimissoriarum.* Et in Regularibus, qui nihil pro eis soluunt, & qui semper habent Prælatum viciniorem, dic non durare nisi ab vna ordinatione ad aliam. Nisi aliud habeat consuetudo.

24. Aduerte etiam, quòd per illam clausulam *Gratiam, & communionem Sedis Apostolica*, &c. intelligitur, quòd possimus ordines quocumque recipere à quocumque Episcopo, qui non sit excommunicatus, neque suspensus, neque interdictus, & Glossa *in cap. Veniens, de prascrip. verbo Gratiam.* & Glossa *in c. Quòd sedem de off. iudic. ordin. verbo Gratia.*

§. VIII.

25. ADuerte, quòd ista concessio est facta ad tollendos scrupulos Religiosorum Nam certum est, de iure communi posse quemlibet communicare cum excommunicato in salutem animæ ipsius, *cap. Responsa, & cap. Cum voluntate, de sent. excomm.* ab eisque etiam

etiam necessaria vitæ deposcere, *cap. Si verò, eodem tit.* Et nota, quòd illa verba *Nisi id vobis fuerit interdictum*, intelliguntur de interdicto speciali facto rationabili de causa ab eo, qui excommunicauit, & quod non comprehendit transeuntes extreme indigentes.

§. IX.

26. CONsidera magnam auctoritatem, quam habent Prælati regulares per hoc priuilegium in suos subditos; tam professos, quàm nouitios. Et vide quæ dico supra *in constit. 4. Sixti IV. §. 5. num. 5. & hac eadem constit. §. 29.*

27. Et nota 1. quòd Generales, & alij Superiores Ordinis virtute huius priuilegij possunt absoluere non solùm fratres sibi subditos, sed hospites etiam, & transeuntes eiusdem Religionis vndecumque venientes, ab omnibus sententiis, & pœnis à iure, vel ab homine generaliter, non particulariter latis. Sed per constitutionem Gregorij XIV. quæ incipit, *Illius*, apud Cherub. *tom. 2 bullar. in Gregorio, constitut. eius 17. §. 27. pag. 706.* data pro Clericis ministrantibus infirmis, possunt prædicti Generales, & ab eis deputati absoluere suos subditos ab omnibus censuris, & pœnis, non solùm generaliter, sed etiam particulariter latis, dummodò absoluendi non sint nominatim excommunicati.

28. Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 1. lib. 2. cap. 25. num. 5.* extendit auctoritatem Prælatorum ad absoluendum subditos, non solùm à censuris generaliter, & particulariter latis, sed etiam absoluendum nominatim denuntiatum, per priuilegium Pauli III. quod refert; atque ita concedit *num. 7.* quòd si contingat, Religiosum particularem nominatim excommunicari ab Episcopo in aliquo casu sibi commisso poterit nihilominus à suo Prælato absolui, immò etiamsi excommunicatus sit à Legato, vel à iudice aliquo Apostolico, præmissa tamen ex parte subditorum debita satisfactione, idest, vt in primis subditus à contumacia recedat, deinde vt satisfactionem exhibeat, vel offerat, aut promittat, prout potuerit, & tandem vt iudicem, à quo est excommunicatus, saltem reddat certum de obedientia sibi, & Ecclesiæ reddita, & absolutione obtenta. Quod etiam ait procedere in Superioribus Religionis, quando Superior absolutionem sibi non reseruat, aut quando non intelligitur generaliter reseruata per speciale statutum, vel consuetudinem Religionis. Sententia autem generalis est illa quæ non fertur in determinatam personam. Particularis, quæ fertur in auctorem particularis delicti commissi, licèt incognitum nominatim, quando in indiuiduo afficitur censura *aliqua persona particularis* expresso nomine.

29. Noto 2. quòd Superiores possunt sibi eligere confessores, qui eos absoluant ab omnibus casibus, à quibus possunt dicti Superiores suos subditos absoluere, ne sint deterioris conditionis.

30. Noto 3. quòd Prælati hic nominati per hoc priuilegium possunt absoluere nouitios ab omnibus illis sententiis, & censuris, quibus possunt professos, & hoc in vtroque foro. Cum enim Pontifex forum non exprimat, de vtroque intelligendum est priuilegium, cum beneficium Principis latissimè interpretandum sit, vt *in leg. Beneficium, ff. de const. Princip.* Innoc. *in cap. Cum Dilectus, de donat.* Guido Papæ *singul.* 350 Videatur tamen Gutierr. *lib. 1. can. q. c. 2* Vide infra *in constit. 26. Leonis X* §. 19. & notata ad illum.

31. Noto 4. circa illa verba *Obseruata forma canonica*, quòd absolutio danda nouitiis ab excommunicationibus debet fieri cum flagellatione, dicendo psal. *Miserere* quam pono in 1. *p. Ritualis; cap.* 13. Sed Rodriquez *tom. 1. quæst. regul. quæst. 20. art. 21.* putat, quòd possint etiam absolui in foro conscientiæ sine forma flagellationis, & psalmo, per priuilegium Leonis X. quod citat. Immo id etiam posse fieri sine priuilegio, docet Glossa *in cap. Venerabilibus, §. Porro, de sent. excommun. in 6.*

32. Noto 5. circa illa verba *Quòd si alicui ex huiusmodi eisdem sententiis propter debitum sint adstricti, satisfaciant vt tenentur.* Quòd Sixtus V. per duas extrauagantes, *Cum de omnibus, & Romanum*, quas refert Quaranta *verbo Monasteria Regul. pag. mihi* 40. prohibet, debitis onustos ad Religionem recipi, & receptos, & iam professos iubet eiici, & priuat officiis, & voce actiua, & passiua Superiores recipientes, quæ tamen extrauagantes reductæ sunt ad terminos iuris communis à Clemente VIII. per suam constit. quæ incipit, *In suprema Ecclesia*, quam refert Cherub. *tom. 3. bull. in constit. eius 83. pag. mihi* 129. Vide quæ dico circa hoc punctum *tom. 1. Religiosi, quæst. 1. cap. 25. §. 3. versu Primo autem, pag. 305. & 306.*

33. Noto 6. quòd vult Pontifex, nouitios in pristinas sententias relabi, si mox Ordinem non intrauerint. Etea, quæ afferunt Rodriq *tom. 1. q. regul. q. 20. art.* 21. Cruz *lib. 1. de statu Religionis, c. 6. dub. 15. concl.* 4. & Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 1. lib. 2. cap. 24. n. 6.* ad probandum, quòd, etiamsi non intrent, vel recedant, non reincidunt, tam sunt, puto, moderata per decretum Congregationis, quod refert Quaranta *in sum. bull. verbo Casus reseruati, pag. mihi 200. & per bullam Clementis VIII. Quacumque* quam refert Cherub. *tom. 3 bull. in constit. eius 115. pag. mihi* 164. quò ad casus in dictis decretis contentos, de quibus supra *in constit. 4. Sixto IV. n.* 8. §. 5. Reincidunt itaque nouitij, si absoluantur à censuris, vigore huius priuilegij, in easdem censuras, si non solùm non ingrediantur, postquam fuerunt absolui, sed etiam si postquam ingressi fuerint nouitiatum, sponte sua exierint, vel sua culpa fuerint expulsi, nam hoc priuilegium conceditur iis in ordine ad Religionem, qua relicta sua culpa, vel sponte, eo amplius frui non possunt. Ita Viualdus *in candelabro aureo, p. 2. tit. De absolutione, n.* 23. qui ait, ita declarasse Paulum III. in quadam bulla concessa Societati Iesu, anno 1546.

34. Dubitat verò ibi Viualdus, an reincidant, si propter morbum, vel parentum inopiam nouitius inuitus expellatur, cum tamen de se paratus sit ad redeundum cessante causa. Et respondet, quòd si ita expellitur, vt Superior nolit eum ampliùs admittere, reincidit, quia illud priuilegium tantùm conceditur dum est in via ad Religionem. Ita etiam tenet Rodriguez *tom. 1. quæst. regul. quæst. 20. art. 21. fine.* Et fortius dicet Suar. *loc. cit. num. 7. & 8.* qui affert priuilegia, quibus possunt dicti nouitij absolutè absolui, ita vt, licèt non intrauerint, vel sponte propria exierint, non reincidant. Quæ tamen priuilegia limitanda sunt iuxta dicta decreta, quia nouitij, antequam habitum Religionis præsertim induant, sæculares sunt.

35. Noto vltimò, quòd cautè, & prudenter debent Prælati hoc priuilegio vti circa eos, qui nostro voluerint aggregari consortio, ne scandalum generetur in Ecclesia Dei. Vult dicere, quòd Prælati non sint faciles, neque præcipitosi, sed omnia bene considerent, ne Legatos, & Episcopos prouocent ad odium, sed illis satisfaciant, quando occurrerit talis casus, & videant, an zelo Religionis, vel timore pœnæ ad Religionem confugiant. Videatur Passarellus *in notabil. priuileg. notab.* 33.

§. X.

36. NOta, quòd in isto §. multa concedit Pontifex, & 1. quòd per literas Apostolicæ Sedis, vel delegatorum, seu etiam subdelegatorum non possimus à quoquam conueniri. Pro quo vide quæ dixi *suprà in Sixto IV. constit. eius 2. num. 5. & 8. §. 7.*

37. 2. Quòd non possimus cogi ad colligendas pe-

cunias etiam per literas Sedis Apostolicæ, iotellige, quæ expresse his non derogent, vel nisi literæ Sedis Apostolicæ nobis fuerint specialiter directæ.

38. 3. Quòd non teoeamur visitare aliqoa Monasteria, vel Ecclesias, vel procedere ad cognitiones causarum, citationes partium, sententiarum denuntiationes, &c. Intellige de mandato Ordinariorum, secùs si de mandato expresso Sedis Apostolicæ per literas nobis specialiter directas.

39. 4. Quòd non possimus cogi ad recipiendam curam Monialium, exceptis, quæ in nostra Regula continentur. Et nota, quòd Monialium curam Generalis noster F. Petrus de Mena in Prouinciis Italiæ Pontifici Clementi VIII. renuntiauit, qui eas Ordinariis subiecit. Nescio, quare id etiam non fecerit in partibus Hispaniæ.

40. 5. Nec possumus cogi ad visitanda aliqua Monasteria Monialium, vel ad earum confessiones audiendum, exceptis Monialibus nostri Ordinis sub Ordinis cura viuentibus, modo supradicto, nimirum nisi literæ Sedis Apostolicæ expressam derogationem, vel æquiualentem huius indulti faciant, vel nisi ad aliquas nostri Ordinis personas fuerint specialiter directæ, cum quibus limitationibus intelligenda sunt nostrum Correctorium *num.* 46. & statuta Tholosæ *num.* 16. & Romæ 2. *num.* 16. Vnum tamen est refugium, quando alicui ex nostris Fratribus dirigerentur aliquæ literæ Apostolicæ pro visitatione Monialium, vel alicuius alterius Monasterij, seu pro aliquo alio negotio, de quo se nollet impedire, nimirū supplicare Sanctissimo, vt causam alteri dignaretur committere, & interim supersedere, & expectare secundum responsum. Ita habetur *in cap. Si quando, de rescript.* quo pacto etiam obediret literis Apostolicis. Quòd si Papa secundò rescriberet, tunc absque mora obediendum esset, iuxta caput citat. & habet Rodriguez *tom.* 2. *q. Regul. q.* 110. *artic.* 2.

41. 6. Neque potest vllus iudex ordinarius, vel Prælatus compellere nos ad deferendum literas, vel exequendum, aut denuntiandum sententias contra aliquem Principem, Communitatem, vel benefactorem nostrum, &c. Neque possunt dicti Prælati nos cogere ad faciendas citationes, &c. vel ad assistendum causis, quæ coram ipsis tractantur, sine prædictæ Sedis mandato, & licentia speciali, expressam mentionem de hoc priuilegio faciente. Quod si quisquam Episcopus, Archiepiscopus, Vicarius, seu quiuis delegatus, vel iudex ordinarius quidquam ex supradictis nobis iniunxerit, parere non tenemur, neque implere pœnas, si aliquas imposuerit: De Legato ordinario, seu Nuntio Apostolico an aliquod ex supradictis iniungenti teneamur obedire, vigore huius priuilegij censeo, quòd non tenemur. Nam nomine iudicis ordinarij venit etiam Legatus Papæ & Nuntius eiusdem, vt dixi *supra, in constit.* 2. *Sixti IV. num* 8. §. 7. & expresse docet Rodrig. *tom.* 2. *quæst. regul. quæst.* 63. *art.* 3. *fine*, multos citans. Et licèt *artic.* 4. dicat, exemptos à Papa à iurisdictione Ordinarij, non esse exemptos à Legatis Papæ à latere, non de aliis, qui non sunt à latere, per quædam priuilegia Clementis IV. & Sixti IV. quæ ibi affert, & Regulares esse exemptos à iurisdictione Legatorum non à latere, nec posse compelli coram illis litigare, dicit Molina *tract.* 5. *de iust. disp.* 9. *num.* 10. Sed in praxi video aliter obseruari, nimirum quòd Nuntij, & Legati, etiam non à latere, volunt sibi à Religiosis obediri in his, & aliis rebus. Potest esse, quòd literæ patentes, quæ hodie dictis solent concedi, ad id se extendant.

42. Sed an iis teneamur contra nostra priuilegia obedire, absque eo quod de tali facultate, dicta priuilegia derogante simus instructi, & an Nuntiis, seu Legatis, dicentibus suas literas ad id se extendere teneamur credere.

Respondeo, quòd de rigore iuris delegatus tenetur literas suæ delegationis ostendere, nec tenentur Subditi illi obedire, antequam sint de eius delegatione instructi. Habetur *in cap. Cum in iure, de off. & potest. iud. deleg.* Facit textus *in cap. Cum à nobis, de testibus*, vbi verbo vnius iudicis, quantæcumque fuerit dignitatis, in præiudicium tertij non creditur. De consuetudine autem illis creditur, pro qua facit Glossa *in capite Placuit vt si quando 6. quæst.* 2. Dicentibus autem, eorum literas extendi ad deroganda nostra priuilegia, cum hoc sit in totius Religionis præiudicium, puto, quòd non sit ita facilè credendum, sed ostendenda illis esse nostra priuilegia, & monstrandum, quòd sumus in possessione: & si velint nos de nostra legitima possessione eijcere, debere eos literas Pontificias, nostra priuilegia derogantes, ostendere: quòd si nolint, non tenemur eis obedire. Glossa *in cap. Pro illorum, de praben. verbo Auctoritate*, Panorm. *in cap. Cum in veteri, de elect. num.* 1. Facit Regula *Indultum*, quæ est 17. *de Regul. iur. in* 6. Faciunt quæ dico infra *in constit.* 3. *Gregorij XV. num.* 3. & 4. & quæ dico *tom.* 1. *Religiosi. q.* 1. *c.* 18. §. 2. *conclus.* 7. Quæ intellige de Legatis, & Nuntiis ordioariis, noo de Legatis à latere.

§. XI.

43. NOto 1. quòd Fratres deputati seruitijs alicuius Prælati Ecclesiastici auctoritate Apostolica, possunt à Superioribus Ordinis puniri, & ad Ordinem reuocari. Nec Superiores Ordinis vigore literarum Sedis Apostolicæ, seu Legatorum ipsius constriogi possunt ad deputandum aliquem ex nostris Fratribus seruitio alicuius Prælati Ecclesiastici. Nec vllus Prælatus, etiam Cardinalis, potest, absque auctoritate Generalis, vel Prouincialis, ad sua, seu suæ Ecclesiæ negotia peragenda, vel ad secum manendum assumere. Et dicta licentia Generalis, &c. interueniente, assumptos Ordinis disciplinæ subiacere decernit. Quod etiam decreuit Gregorius XI per suam constit. 6. apud Cherubinum *tom.* 1. *bull.* quæ incipit, *Per Romani*, *pag.* 222. & concesserunt alij summi Pontifices, quos refert Ioan. Cruz *lib.* 1. *de statu Relig. cap.* 6. *dub.* 7. *conclus.* 3. Quod congruit decreto Concilij Trid. *sess.* 25. *de regul. cap.* 4. *& cap. Quanto, de off. Ord. & Clement. Ne in agro*, §. *Quia vero, de statu Monach.* Excipit hic Papa Legatum de latere, io cuius tamen literis requirit, ad hoc vt contra hoc indultum præualeant, quòd de eo specialem mentionem faciant, & etiam de Ordine nostro. Simile priuilegium concessum Societati IESV à Gregorio XIII. refert Rodrig. *tom.* 2. *quæst. regul. quæst.* 64. *art.* 1. his verbis *Nullus ex Religiosis sub obedientia Societatis degentibus à quibusuis, quacumque Ecclesiastica, vel sæculari dignitate, seu auctoritate fulgentibus, etiamsi Cardinales sint, vel Patriarchæ, Sinodi, Communitates, Capitula, aut officij hæreticæ prauitatis Inquisitores, Commissarij, vel Iudices, tam ipsius officij, quam ordinarij, vel delegati, ad quoduis munus, officium, vel exercitium, etiam in defectum alterius, absque expresso sui Superioris consensu, atque etiam mandato, adigi, vel cogi potest*: & alia etiam similia Leonis X. priuilegia pro Ordine Minorum refert idem Rodrig. *ibid.*

44. Noto 2. quòd si quos Religiosos priuilegio Sedis Apostolicæ aliquod beneficium simplex, vel curatum obtinere aliqoando contingeret, hi, etiamsi ea dimiserint, non possunt tamen amplius in capitulis generalibus, vel Prouincialibus, absque Generalis licentia admitti, sub pœna excommunicationis, quam admissi, & admittentes ipso facto incurrant. Ita concessit Sixtus IV. Fratribus Minoribus, prout refert Rodrig. *tom.* 2. *quæst. regul. quæst.* 64. *art.* 3. Quæ beneficia habere possunt Regulares extra Ordinem. Vide supra *in constitut.* 4. *Sixti IV. à num.* 44.

45. Noto

Noto 3. quòd Capellani principum ad id habentium auctoritatem à Sede Apostolica, si sæculares sint, Ordinariis locorum subiecti sunt, iuxta Concilium Trid. *sess.* 24. *de reform. cap.* 11. Si verò Regulares, subiacent omnimodæ correctioni suorum Superiorum. Ita statuit Gregorius XI. *in eius constit. cit. num.* 43. & etiam refert Rodriquez *loco citato art.* 4. & refert aliud ad hoc priuilegium Nicolai V.

§. XII.

46. NOta, quòd si aliquando Pontifex deputaret aliquem ex nostris Religiosis ad inquisitionis officium contra hæreticam prauitatem exercendum (vt deputasse Clementem VII. P. F. Didacum de Sylua Ordinis nostri (qui postea fuit Episcopus Ceutensis, vel potiùs Elsiliensis, vt refert Freita *addit. ad Cunha,*§c.22.*num.* 93. ex Paramo, *de origine inquisitionis, lib.*2. *cap.*15. *num.*8.) in Commissarium Generalem pro Regnis Portugaliæ, & Algarbiorum, constat ex Pauli III. bulla, quæ incipit, *Illius vices*, §.1. apud Cherub. *tom.* 1. *bull. in constit. eius* 8. *pag.* 624.) seu ad aliquod aliud munus pro Apostolica Sede; quòd posset Generalis in tota Religione, & Prouincialis in sua Prouincia, dictum Religiosum remouere à dicto munere, & aliò transmittere, & recusantem per Ecclesiasticas censuras compellere, vt supersedeat, & alium suo loco substituere, nisi literæ Apostolicæ expressè huic priuilegio derogarent. Quò ad deputatos ad inquirendum contrà hæreticam prauitatem, puto, quòd hoc priuilegium sit derogatum, per ea, quæ dixi supra *in constit.* 4. *Sixti IV. num.* 49. §. 11.

§. XIII.

47. ADuerte 1. quòd Generalis, & Prouinciales dumtaxat, & eorum Vicarij possunt fugitiuos fratres excommunicare; retinentes verò quicumque siue Ecclesiastici sint, siue sæculares, excommunicati sunt ipso facto, si postquam per dictos Generalem, aut Prouinciales denuntiatum illis fuerit, eos non eiecerint, etiamsi ipsi detinentes habeant priuilegium à Sede Apostolica, quòd excommunicari non possint, nisi per literas eiusdem Sedis, facientes de huiusmodi indulto specialem mentionem. Vide quæ dico *tom.* 5. *Religiosi, quæst.* 5. *cap.*26. *concl.* 5. Et aduerte, quòd Episcopi retinentes apostatas, per hoc priuilegium, neque per vllum ex illis, quæ affero ibi, possunt à Prælatis Ordinis excommunicari. Hi enim habent priuilegium, iure communi concessum, *cap. Quia periculosum, de sent. excomm. in* 6. vt non possint excommunicari, nisi in constit. expressa de illis mentio habeatur. *art. cap. De multa, de preb.*

48. Aduerte 2. quòd istam excommunicatio ante admonitionem est sententiæ ferendæ, post monitionem verò est sententiæ latæ, nam ista forma, *Volumus excommunicationi subiacere*, dicit excommunicationem latæ sententiæ, vt probant Panor. *in cap. Clericis, num.*14. *Ne Clerici, vel Monachi*, & Saytus *de censuris, lib.* 1. *cap.*11. *n.*8. & cum Papa monitionem requirat, innuit, quòd ante monitionem excommunicatio solùm ferenda est.

49. Aduerte etiam, quòd non incurreret istam excõmunicationem, qui aliquem ex nostris fratribus, retineret, non tanquam fugitiuum, & apostatam, sed tanquam consanguineum, amicum, & familiarem, etiamsi monitus non eiiceret. Quod probat Rodriquez *tomo* 1. *quæst. regul. quæst.* 30. *art.* 9. à simili, quia excommunicatio contra detinentes hæreticos, aut eis auxilium præstantes, non comprehendit recipientes, aut auxilium præstantes supradictis tanquam amicis, aut alio vinculo humanitatis addictis; sed solùm recipientes & eis auxilium præstantes tanquam hæreticis, quòd est valde notandum. Vide quæ dico *tom.* 5. *Religiosi.*

XIV.

50. VIde bonum argumentum ad probandum, quòd nostra Religio sit strictior omnibus Religionibus, nam ab ea non potest transiri ad aliam, absque licentia Papæ. Attende etiam, quòd in transeuntes de licentia Papæ habent Generalis, Prouincialis, ac vtrorumq; Vicarij auctoritatem in tribus casibus. 1. est, quando post obtentam licentiam transeundi, intra duos, vel tres menses ad eam Religionem non transirent. 2. Si post transitum, non facta professione, recesserint. 3. Si etiam professione facta in Religione, ad quam transierunt, nihilominus apostatando recesserint, vel ad laxiorem iterum transierint. His tribus casibus possunt Generalis, & Prouinciales contra dictos procedere, tanquam contra apostatas. De transeuntibus dixi abundè *tom.* 1. *Religiosi, quæst.* 5. *cap.* 24. vbi probaui, quæ requirantur, vt iste transitus sit licitus, quia possit dare licentiam transeundi. Vide etiam §. 1. *dicti cap.* in quo probo, quòd nostra Religio est strictior etiam Religione Carthusianorum, & propterea quòd ad nostram seclusis priuilegiis particularibus, possunt ex omnibus Religionibus transire. Nos autem ad nullam possumus. Vide etiam §. 2. in quo probo, quòd non est laudabile de vna Religione transire ad aliam. Sed vide omnino, & ad illius terminos redue omnia, *const.* 10. *Vrb. VIII.* §. 2. *infrà.*

§. XVII.

51. NOta bonum argumentum ad probandùm, quòd eiecti, si correcti humiliter petierint, ad Religionem recipi debent, vt probaui *tom.* 1. *Relig. cap.* 25. *concl.* 5. Si autem suis culpis se reddiderint indignos, vt recipiantur, possunt per Generalem, & Prouinciales licentiari ad ingrediendum alium determinatum Ordinem, exceptis his, qui hic excipiuntur. Neque possunt alium ingredi, præter designatum à Superiore, sine licentia Papæ, expressam mentionem de hoc indulto faciente.

52. Circa illa verba *Et alios fratres eiusdem Ordinis ex rationabili causa, &c.* noto, quòd videtur Papa hic concedere, quòd possint Generales, & Prouinciales, rationabili existente causa, licentiare aliquem ex nostris fratribus ad transeundum ad aliam Religionem laxiorem, quod esset maximum priuilegium, licèt enim *tom.* 1. *Religiosi, quæst.* 1. *cap.* 24. *concl.* 6. probauerim, esse probabile de iure communi, posse Prælatum regularem concedere licentiam transeundi, legitima existente causa ad laxiorem Religionem, & plurimos Doctores ad id citauerim, Quæ causæ possint esse ad id sufficientes notaui *ad cit. loc. Relig.* probabiliùs tamen tenui contrarium, propter, ea quæ ibi dixi, præsertim propter Trid. *sess.* 25. *cap.* 19. *de regul.* vbi habet, *quòd nemo Regularis cuiuscumque facultatis vigore transferatur ad laxiorem Religionem.* Et licèt posset interpretari, quòd intelligatur, Sine legitima causa, tutiùs tamen puto quod ibi dixi. Et sic hunc locum *& alios fratres eiusdem Ordinis, &c.* intelligo simpliciter de fratribus vagabundis, & apostatis, quibus, ad tollendas occasiones vagandi, possunt Superiores Ordinis, aliqua etiam aliqua existente causa, concedere licentiam transeundi ad quoscumque alios approbatos Ordines. Sed circa fugitiuos, transeuntes, Apostatas, & eiectos, adest nunc decretum sacræ Congregationis auctoritate Vrbani VIII. quod habes *infra in constit. eius* 10. à §. 2.

§. XVIII.

§. XVIII.

53. NOto, quòd eadem prohibitio, quòd nullus posset habitum consimilem nostro portare, & in specie fratres tertij Ordinis S. Francisci, facta est à Leone X. *infra in Leone, constit. eius 9.* quæ incipit, *Licèt aliàs*, sub pœna excommunicationis maioris latæ sententiæ, sibi absolutionem reseruando. Sed cum dicti tertiarij Sancti Francisci non desisterent, in partibus Hispaniarum præsertim, habitum nostri coloris deferre, res in iudicium Romæ delata, tandem pro nostra Religione prolatum est, vt dicti tertiarij habitum nostri coloris deponerent. Quam sententiam confirmando, fecit particularem constitutionem Paulus V. quæ incipit, *Inter graues*, quam pono *infrà in Paulo V. constit. eius 6.* Et quòd apostatæ nostri non possint sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, reseruata Pontifici, gestare caputium nostro simile, præcepit Paulus III. *infra in constit. eius 3.* quæ incipit, *Cum sicut.*

§. XX.

54. NOto, quòd etiam Sixtus IV. Carmelitis, & Clemens IV. Minoribus fecerunt eandem concessionem, vt refert Rodriquez *tom. 3. quæst. regul. quæst. 57. art. 4.* & Henriquez *lib. 7. cap. 22. numero 7. fine.* Quod etiam sine priuilegio fieri posse docet idem Henriquez *ibid.* & Nauarr. *cap. 17. num. 92.* & habetur *in cap. Cum tu, vsuris*, ibi *his non superstibus.*

§. XXI.

55. VIde *constit. antecedent.* §. 27. & quæ dico de eligentibus sepeliri in habitu nostro, *supra in Sixto IV. constit. eius 3. à num. 2.* Vide Rodriquez *tom. 3. quæst. regul. quæst. 58. art. 3.* Vbi alia similia Innocentij, Clementis, & Sixti IV. affert. Et aduerte, quòd illud *Libera sepultura*, dicit, quòd à nemine possit impediri, nec possimus cogi ad deferendum priùs cadauer defuncti ad Ecclesiam parochialem. Videatur Casarub. *in compend. verbo Sepultura*, §. 10. Illud, *salua iustitia illarum Ecclesiarum*, &c. intelligitur salua canonica portione, seù quarta funeralium, de qua latè dixi *supra in constit. Pyrrhi*, §. 12. *num.* 54.

56. Aduerte etiam, quòd mandantes sepeliri in Ecclesiis nostri Ordinis, lucrantur omnes indulgentias, quas fratres dicti Ordinis, & fiunt participes omnium suffragiorum pro tempore faciendorum in dicto Monasterio, in quo sepeliri mandauerint. Ita concessit Leo X. & Adrianus VI. vt refert Casarub. *in comp. verbo Communicatio priuilegiorum*, §. 39. *& verbo Sepultio*, §. 22.

57. Nota etiam quòd quoties cadauera ad Ecclesias fratrum Mendicantium deferuntur, officia mortuorum, ac reliqua munera, quæ in huiusmodi Monasteriis fieri solent, non à Canonicis, neque à Clero, sed ab eisdem fratribus obiri, ac peragi debent. Ita declarauit sacra Congreg. Concil. vt refert Peregr. *2. p. sui comp. tit. Sepultura in scholio*, §. 3. Et conceditur *in §. seq.* Vide *const. 7. Pij V.* §. 27.

§. XXIV.

58. NOto 1. quòd hoc priuilegium modò est derogatum per decretum Clementis VIII. de casuum reseru. quod habes *infra in Vrbano VIII. const. 10. §. 71.* vbi dicitur, *Non liceat Superioribus regularium subditorum confessiones audire, nisi quando peccatum aliquod reseruatum admiserint, aut ipsimet subditi sponte, aut proprio motu id ab eis petierint.*

59. Noto 2. quòd, vt patet ex dicto decreto, in duobus tantùm casibus possunt Superiores regulares suorum subditorum confessiones audire. 1. Quando peccatum aliquod admiserint reseruatum, quo casu si pœnitens ob verecundiam, vel quia suspicatur deinceps non recto, sed toruo vultu à Superiore inspici, vel dubitat, ne mutetur de Conuentu, in quo degit, ob hanc causam, tunc potest confiteri alij confessario approbato à Superiore, & hic confessarius poterit petere à Superiore licentiam absoluendi ab illo casu reseruato, quam licentiam Prælatus dare tenetur, quòd si deneget, poterit nihilominus confessarius pro illa vice pœnitentem absoluere, per concessionem Pauli V. & Vrbani VIII. *infra in Vrbano VIII. constit. cit.* §. 76. Quod intelligo, quando confessarius petens facultatem absoluendi, idoneus est, & dignus reputatur, vt ei talis absolutio committi possit, nam si non est idoneus, non tenetur ei Superior facultatem tribuere. Nec est credibile, Pontificem confessario non idoneo voluisse facultatem concedere. Colligitur ex Suarez *tom 4. in 3. p. disp. 30 sect. 4 n. 11.* Vide quæ dico *tom. 1. Religiosi, quæst. 1. cap. 21. concl. 11.* vide etiam *concl. 9.* Et Graffium *lib. 3. de cas. res. cap. 10. num. 191.* casus est, quando ipsimet subditi sponte, ac proprio motu à Superioribus petierint suas confessiones audiri.

60. Noto 3. quòd si subditus habens reseruatos, petat confiteri alteri confessario, non tenetur Superior illi concedere, vt possit confiteri cuicumque voluerit, nec etiam tenetur concedere, vt possit confiteri confessario à pœnitente designato, sed potest designare aliquem, vel aliquos, & electionem remittere pœnitenti. Ita Suarez *loco cit.* Longus *de casibus reseru. p. 1. sect. 1 art. 17. num. 10.* Et ratio est, nam per Concilium Trid. *sess. 14. capit. 7. de sacram. pœnit.* reseruatio ad hoc fit, vt grauiora delicta grauiùs corripi, & meliùs emendari possint, ad quod necesse est, vt grauioris etiam personæ, & doctoris, ac melioris iudicio subdantur. Ergo quamvis Superior cedat iuri suo, committendo causam alteri, semper tamen habet ius non committendi illam, nisi personæ proportionatæ tali causæ, & fini reseruationis, hoc autem regulariter non fiet, si Generalis facultas concedatur.

§. XXV.

61. MVlta concedit, & primò, quòd nullus Ecclesiæ Prælatus possit nostrorum Religiosorum confessiones, inuitis nostris Prælatis, audire. Quod priuilegium concessit etiam Clemens IV. fratribus Minoribus, Carmelitis, & Prædicatoribus, vt refert Casarub. *in compend. verbo Confessiones, & Confessores, num. 1.*

62. Noto 2. quòd si quis ex nostris Religisis confiteatur alicui extra Ordinem absque licentia Prælati, confessio erit nulla per hoc priuilegium. Et ratio desumitur ex iurisdictione, nam nullus potest actum iurisdictionis validè exercere, nisi in subditum, & nullus habet iurisdictionem in Regularem, nisi illius Prælatus. Colligitur ex nostra Regula, *in Corrector. numero 86.* ibi *Alios verò eiusdem Ordinis fratres professos*, & tenet Longus *1. p. de casib. reseru. sect. 3. art. 13. num. 1.* Excipe tamen Pœnitentiarios Papæ, quia Papa est supremus Prælatus Religiosorum, vnde suis Pœnitentiariis potest super Regulares auctoritatem tribuere, & Regularibus facultatem concedere, vt dictis Pœnitentiariis confiteantur, sicut de facto concedit, & tribuit.

63. Si quæras, an Prælatus possit concedere licentiam suo subdito confitendi extra Ordinem de casibus sibi per Regulam reseruatis, nimirum, de quatuor votis.

Respondeo quòd non, & patet *ex Correctorio n. 86.* ibi,

ibi, *Ac etiam fratribus in quolibet Conuentu eiusdem Ordinis*, vbi absolutio à quatuor votis solùm conceditur Prælatis, & fratribus deputatis in quolibet Conuentu eiusdem Ordinis & Prælatus non habet potestatem supra Regulam, vt probo *tomo* 1. *Religiosi*, *quæst.* 1. *cap.* 8. *concl.* 2. Et ratio Regulæ potest esse, quia bono regimini conuenit, tum vt pastor, vel per se, vel per deputatos à se, ouium suarum infirmitates cognoscat, vt eis sanandis remedia efficaciora adhibeat maiori & affectu, ac charitate, vt potè suis, nec sanandas linquat extraneo, complexionem non absolutè cognoscenti; tum vt miseriæ nostræ intra nos sepeliantur. Atque ita tenet Longus 1. *p. de casibus reseru. sect.* 3. *artic.* 13 *n.* 3. qui ad id citat Hugonem, & Pisanum *in Regul. Minorum, cap.* 7. Quod autem Prælati regulares possint confiteri extra ordinem, constat *ex cap. Ne pro dilatione, de pœnit. & remiss.* & probat Diana *tom.* 3. *tract.* 2. *resol.* 1. *& resol* 2. probat quod dicti Prælati tam maiores, quam minores possunt facultatem eandem concedere suis subditis, & multos citat pro hac sententia.

64. 2. Concedit, vt Episcopi non possint nos compellere, vt accedamus ad Synodos, & conuocationes suas; vbi nota, quòd hoc priuilegium non est derogatum per Concilium Trid. *sess.* 24. *cap.* 2. *de reform.* Nam Concilium ita habet, *Synodi quoque Diœcesanæ quot annis celebrentur, ad quas exempti etiam omnes qui aliàs, cessante exemptione, interesse deberent nec Capitulis Generalibus subduntur, accedere teneantur.* Ex quibus verbis Concilij colligo duo, 1. quòd Superiores Monasteriorum istis Synodis non tenentur interesse, quia Capitulis generalibus subduntur. 2. quòd Regulares Curati, qui curam animarum in Ecclesia parochiali habent, tenentur Synodo Diœcesanæ interesse, nam si exempti non essent, interesse tenerentur. Et ratio etiam dictat, nam cum subsint correctioni, & visitationi Episcopi, *sess.* 25. *de regul. cap.* 11. debent per accessum ad Synodum de ordinationibus ipsius Synodi informari, & licèt *dicto cap.* 11. solùm tribuatur Episcopis ius visitandi dictos Curatos regulares, non autem ad Synodum cogendi, quæ sunt valde diuersa, & à diuersis non fiat illatio, vnde aliqui voluerunt, non posse dictos Regulares compelli accedere ad Synodum, sicut nec possunt ad dictam Synodum compelli Rectores Ecclesiarum nullius Diœcesis, qui tamen *sess.* 24. *capit.* 9. *de reform.* visitationi, & correctioni Episcopi proximioris subsunt; Hæc tamen nihil valere puto, nam hoc *cap.* 2. *sess.* 24. statuitur, quòd ad Synodum Diœcesani omnes illi adesse tenentur, qui aliàs, cessante exemptione, tenerentur accedere; at certum est, quòd omnes Rectores parochialium, cessante priuilegio exemptionis, ad eas accedere tenentur, *cap. Quòd super his, de maior. & obed.* vbi Abbas *statim in princ.* Azor. *tom.* 2. *instit. moral. libr.* 3. *cap.* 47. *quæst.* 3. Massobrius *de Synodo Diœcesana*, *cap.* 3. *dub.* 1. *num.* 8.

65. Et nota vlterius, quòd possunt compelli dicti Rectores regulares accedere ad dictas Synodos Diœcesanas ab Episcopo per censuras Ecclesiasticas, vt habetur *in dicto cap. Quod super his.* Massobrius *loco cit. dub.* 7.

66. 3. Concedit, vt non possimus ab Episcopis compelli ire ad processiones. Sed derogatur per Trid. *sess.* 25. *de regular. cap.* 13. quò ad processiones pro publico bono indictas, non autem quò ad alias; vnde non tenemur ire processionaliter ad recipiendum Episcopum, & alias processiones, quæ non sunt in bonum publicum. Vide quæ dico *supra in constit.* 2. *Sixti IV.* à *num.* 58.

67. 4. Concedit, quòd non possimus ab Episcopis compelli eorum constitutionibus subiacere. Vbi nota, quòd episcopus potest facere constitutiones per se concernentes morum reformationem suorum Clericorum, & his concedit Papa quòd non teneamur subiacere. 2. potest facere constitutiones synodales concernentes sacramentorum rectam administrationem, & populi reformationem, & his subiacere tenemur *per Clementinam* 1. *de priuileg.* in qua statuitur, quòd Regulares non possint absoluere à sententiis per statuta prouincialia, aut synodalia promulgatis, sub pœna excommunicationis ipso facto, cuius absolutio est Papæ reseruata; quòd si contrarium faciant, possunt Episcopi, postquam hoc eis constiterit, eos publicè denuntiari facere excommunicatos. Vide Massobrium *in praxi, cap.* 4. *de Synodo, dub.* 59 *num.* 4 Quæ tamen Clementina quò ad contenta in hac, & antecedenti constitutione videtur quòd sit derogata. De antecedenti constat apertè, quia expresſè ei derogatur §. *penultimo.* De hac etiam constat, tum quia Papa derogat omnibus contrariis, tum quia procedit per modum priuilegij; tum quia ista constitutio est per motum proprium, per ea, quæ dixi *supra in constit.* 1. *Sixti IV. num.* 15. Sed per hoc priuilegium non conceditur nobis facultas, vt possimus absoluere à sententiis per statuta synodalia promulgatis, sed solùm quòd non subiaceamus dictis constitutionibus, neque eas obseruare teneamur. Quod intelligo de constitutionibus concernentibus reformationem Cleri, non populi, cum censuris annexis, à quibus licèt per hoc priuilegium non possint absoluere Regulares, puto tamen, quòd possint absoluere per ea, quæ dico *constit. praeced. num.* 67. Nisi Episcopi dictas sententias synodales sibi specialiter reseruent, vt solent, quia tunc non poterunt per decreta Congregationis sub Clemente VIII. Videatur Vgol. *de potest. Episc. c.* 20 §. 10. *num* 2. & Vasquez 1. 2. *disp.* 167. *num.* 33. & Sanchez *lib.* 1. *in decal. cap.* 15. *num.* 21. qui duo putant, quòd Regulares teneantur obseruare leges synodales concernentes actiones communes totius populi, & obseruantiæ regulari non derogantes, vt de ieiuniis seruandis, & de celebratione alicuius festi, & huiusmodi. Quod probabile censeo, Trident. *sess.* 25. *de Reg. cap.* 12. præcipit, vt festa ab Episcopis indicta Regulares obseruent.

68. Noto etiam, quòd si Episcopus præcipiat Regularibus, vt in suis Ecclesiis annuntient dies festos, & ieiuniorum, hi obedire tenentur, per Concilium Trid. *sess.* 22. *decr. de obseru. vel euit. in celebr. missar.* Rodriq. *tom.* 1. *q. regul. q.* 53. *art.* 7. *in fine.*

69. 5. Concedit, quòd non possint Episcopi in nostris Conuentibus Capitula celebrare, nec secretas informationes de idoneitate fratrum sumere in nostris, nec in alienis locis, nec possint de personis fratrum alicubi inquirere.

70. 6. Concedit, quòd non possint Episcopi fidelitatem, & obedientiam à Superioribus exigere.

71. 7. Concedit, quòd non possint Episcopi de electione, vel depositione nostrorum Superiorum se intromittere, nec etiam de statutis nostris.

72. 8. Concedit, quòd non possint Episcopi prohibere, vt accedamus ad habitandum in locis, in quibus Religiosè viuere possimus, si fuerimus à populis ad ea vocati, & non possint prohibere, ne in iis locis Conuentus ædificare possimus. Hoc est derogatum per Concil. Trid. *sess.* 25. *de regul. cap.* 3. Vide *supra in constit. Pyrrhi*, à *num.* 48. 49. Vide etiam *constit. praecedentem*, §. 20. & 27.

§. XXVI.

73. CONcedit quòd de nobis relictis nulli canonicam portionem soluere teneamur. Et nota, quòd portio canonica est quoddam tributum, à Canonibus approbatum, & est duplex: vna, quæ debetur Episcopis de omnibus legatis piis. Alia quæ debetur Parochis de iis, quæ obueniunt ratione fune-

ralium,

talium, ab istis omnibus liberati sumus per hoc priuilegium, & *per constit. huius Pontificis primam*, §. 53.

74. Nota, quòd Prælati regulares possunt commutare legata facta ad vnum vsum, in alium ex his, quæ hic ponuntur, v. g. legata pro indumentis possumus conuertere, in redemptionem censuum, vel victus, non autem in alios hic non explicatos, sed per alia priuilegia possunt dicta legata ad vnum vsum facta, in alium conuertere, etiamsi dictus vsus non sit ex hic contentis sine scandalo tamen illorum, ad quos solutio talium legatorum pertinet. Ita concessit Sixtus IV. Ordini Minorum. Et Leo X. dictam gratiam ampliando, concessit, vt idem possent facere, si scandalum non sequatur, de rebus per viuentes donatis. Ita Rodriquez *tom. 2. q. regul. q. 125. art. 9.* Henriquez *lib. 7. de indulgentiis cap. 22. fine.* Peregrin. 1. *p. sui compend. tit. Commutatio*, §. 4. Casarub. *in compend. verbo Commutare, num. 1. & 2.*

75. Si quæras, an dictam commutationem possint facere sine iusta causa. Dico, quòd non. Colligitur ex Trid. *sess. 22. de reform. cap.* 6. Quæ autem sit dicenda iusta causa, vide Aloysium Riccium 3. *p. collect.* 518. & 4. *p. collect.* 1270. & Beiam 4 *p. casuum, casu* 22. Ex quo dic, quòd non dicitur solùm iusta causa quando legatum non potest impleri, vt à testatore relictum est, sed etiam quando licèt possit impleri, aliqua tamen ratio vtilitatis, vel pietatis suadet in alium pium vsum conuertere.

76. Immo possunt dicti prælati bona vnius Monasterij in aliud indigens transferre, non obstantibus vltimis testatorum voluntatibus; cum consensu duarum partium Conuentuum, à quibus dicta bona sunt transferenda. Ita Rodriquez, Henriquez, Peregrinus *loco cit.* per priuilegium Leonis X. *infra in constit. eius* 24. & Sixti V, *hic infra num.* 78. & congruit *cap. 1. de rebus Ecclesiæ alien. cap. Ad audientiam, de Eccles. edif. & nostro Correctorio num.* 50. Sed non puto, posse Prælatos bona immobilia, fructum reddentia, neque etiam mobilia pretiosa, de vno Conuentu diuite in alium esurientem transferre, etiam cum consensu Capituli Conuentus diuitis. Nam ista est quædam alienationis species, & omnes alienationes rigorosè prohibentur in nouo decreto Congregat. sub Vrbano VIII. quod habes *infra in Vrbano VIII. constit. eius* 8. Et hoc etiamsi dicta bona empta sint immediatè à Conuentibus, à quibus sunt transferenda, non autem eis in testamento relicta, quia currit eadem ratio, & ita tenet Bonac. *tract. de alien. part. 2. numero* 14. Bona autem mobilia non pretiosa puto posse transferri, iuxta nostrum Correct. cit. Quæ autem ista sint habes *infra in constit. 9. huius Pontif. §. 1. numero* 11.

§. XXVII.

77. NOto, quòd si contingeret relinqui aliquod Monasterium, possunt fratres asportare omnia mobilia in aliud Monasterium, atque etiam immobilia, Conuentum, & solum vendere, vel destruere; & materiam ipsam vendere, vel asportare: Ecclesias autem consecratas destruere, neque vendere, aut profanare possunt. Si autem Ecclesiæ consecratæ non sint, bene possunt, eas etiam vendere; nam exceptio firmat regulam in contrarium. Pretium autem tenentur conuertere in ædificationem, aut vtilitatem eorum locorum, ad quæ transferunt.

78. Sed possunt ne fratres hoc facere per se solos, absque Romani Pontificis consensu?

Respondeo quòd Conuentus relinquere, & mobilia secum asportare, & etiam materiam ipsam ædificiorum per se solos possunt, Conuentus autem, & fundum illorum non possunt per hoc priuilegium. Nam dicit Pontifex, quòd ista venditio fiat per personas ad hoc à Sede Apostolica deputatas, videlicet per Conseruatores Ordinum, qui generaliter sunt deputati à Papa in executores priuilegiorum, & constat expressè *ex const. 4. huius Pontificis*, §. 2.

79. Sed amplius priuilegium habent Regulares Sixti V. datum *anno 1587. septimo Kalen. Decembris*, quod refert Rodriquez *tom. 2. quæst. regul. q. 59. art. 4.* his verbis. *Sixtus V. concessit, quòd Abbas Generalis Congregationis S. Benedicti Regnorum Portugalliæ, qui pro tempore fuerit, cum consilio, & assensu Capituli generalis, Monasteria dictæ Congregationis, quæ in locis incommodis, & minùs populosis reperiuntur, ad commodiora loca, vbi Monachorum doctrina, & vita exemplo populo Christiano magis vtilis futura sit, & fructuosa, propria auctoritate, ordinariorum locorum, vel cuiusvis alterius licentia minimè requisita, cum eorum Monachis, & supellectilibus, paramentis, & ornamentis, alijsque rebus necessariis transferre, & mutare, ac fructus redditus, & prouentus eorundem Monasteriorum, seu cuiuslibet eorum, vel illorum partem, Generalis, & Capituli prædictorum arbitrio, alij, seu, aliis eiusdem Congregationis Monasteriis magis indigentibus, perpetuò, vel ad tempus, etiam retinentibus Abbatibus Monasteriorum eorundem, & quibusvis aliis personis, applicare, & assignare. Prouiso tamen, quòd animarum cura personarum sæcularium incumbens Abbatibus, & Conuentibus Monasteriorum transferendorum huiusmodi, in Ecclesiis earum nullatenus negligatur, sed per Monachos dictæ Congregationis regulares, vel presbyteros sæculares idoneos, & ab Ordinariis approbatos laudabiliter exerceatur, liberè, ac licitè valeant, plenam, & liberam Apostolica auctoritate earundem tenore præsentium licentiam concedimus, & facultatem. Non obstantibus, &c.* Et testatur Rodriguez vidisse se hoc priuilegium sub sigillo authentico. Sed vide priuilegium Generali nostro concessum *tom. 3. nostr. priu.* ab Vrbano VIII.

80. Aliud priuilegium loca minùs commoda deserendi in manibus Ordinariorum concessit Sixtus IV. Generali fratrum Minorum, quod refert Confectius *in compend. in Sixto IV. constit. eius* 12. Et Rodriq. *tom. 1. quæst. regul. q. 23. art. 6.* vbi notat, quod tota Prouincia, nec Prouinciales habent auctoritatem prædicta loca deserendi sine licentia Generalis, Et nota etiam, quòd ista priuilegia erant necessaria ad loca minùs commoda deserendum: propter constitutionem Bonifacij VIII. quæ incipit, *Cum ex eo, de excess. Prælat. in 6.* quæ id expressè prohibet, & est lata excommunicatio contra oppositum facientes *in cap. vnico, §. de relig. domib. in 6.* Et docet Syluest. *verbo Casus, q. 1. num. 2. versu, Octauus est.* Videatur Cruz *lib. 1. de statu Relig. cap. 9. dub. 1. concl. 2.* qui etiam addit, quòd possunt Generales, & Capitula Generalia Monasteria etiam Monialium duo, vel tria, vbi ob exiguos redditus tres, aut quatuor Monachi sustentari non possunt, cum consensu Superiorum talium Conuentuum, in vnum Monasterium vnire, vbi duodecim saltem Monachi constituantur, & hoc sine vllius Diœcesani licentia, per priuilegia Ioannis XXIII. *constit. 1.* apud Rodriquez *in bull. & Pij II. apud eundem, constit. 6.*

81. Et aduerte de passu, quod Mendicantes fruuntur priuilegiis etiam non Mendicantibus concessis, vt probant Passarell. *in nat. priu. notab.* 4. & Cruz *lib. 2. de statu Relig. cap. 4. concl. 1.* & à Sorbo *verb. Communicatio priu.* & constat ex const. 1. Clementis VII. apud Rodriq. *in suo bull. part.* 350. quæ incipit, *Dum fructus vberes, data Minoribus, & ex constit. 2. Vrbani VIII. §. 39. infra, & ex constit. Gregor. XIV.* quæ incipit, *Illius*, §. 39. apud Cherub. *constit. 77. pag.* 706.

82. Si quæras, an si Monasteria, fundata ab aliquibus Fundatoribus, in numerum Fundatorum receptis à Capitulo Generali, relinquantur, possint fratres vt his priuilegiis, & bona ipsorum Monasteriorum, tam mobilia,

bilia, quam immobilia transferre quò se transtulerint fratres, an potiùs ipsis Fundatoribus, vel hæredibus eorum decidant.

Respondeo Posse fratres his priuilegiis vti, & bona eorum Monasteriorum, tam mobilia, quàm immobilia, & Monasteria ipsa, seu ipsorum pretium secum ducere. Ita sentium Rodrig. *tom. 1. quæst. regal. quæst. 49. art. 7. versu At pro contraria*, Miranda *tom. 1. manualis, q. 34. art. 2. concl. 2.* quatenus docent, quòd dormitoria, officinæ, hortilocorum ab ipsis desertorum, (qui nihil in communi etiam possunt retinere) sunt Fundatorum; quia Romanus Pontifex Nicolaus III. qui eius Regulam explicat, *in cap. Exiit*, qui *serm. de verb. signif. in 6.* ea non recipit in proprietatem, & dominium Romanæ Ecclesiæ; Ergo si Romanus Pontifex ea recipiat, vt recipit in his Religionibus, quæ proprium in communi habere possunt, & patet ex hoc priuilegio Iulij II. ibi: *Cum ipsa priora, & alia loca fratrum, ad nos, & Apostolicam Sedem specialiter, & immediatè pertinere noscantur.* Si recipiat, inquam, non decident Fundatoribus, sed arbitrio Romanorum Pontificum, apud quos est proprietas, & supremum ius, distrahi poterunt, qui concedunt vt possimus transferre, vendere, &c. vt patet ex priuilegiorum tenore, & docent expressiùs id Rodriguez *tom. 3. quæst. regal. quæst. 5. art. 4.* Et Miranda *tom. 1. manualis, quæst. 34. art. 3. concl. 1.* Et ratio est; nam, eo ipso quod sunt Religioni donata, transfertur ipsorum dominium ad Apostolicam Sedem. Quòd si Fundator in contractu fundationis retinuisset apud se dominium, in casu quo fratres Conuentum illum derelinquerent, tunc vendere non possent, quia lege naturæ diuina, & humana tenemur pacta conuentiones, & contractus seruare. *cap. Amigonus, de pactis.*

83. Si quæras vlteriùs, an fratres vnius Conuentus pauperrimi cum consensu Prouincialis possint alicui deuoto Ordinis volenti dictum Conuentum redditibus sufficientibus ad competentem numerum fratrum sustentandum dotare, iuspatronatus illius Conuentus, & Ecclesiæ concedere, & in numerum Fundatorum adscribere.

Respondeo si Ecclesia nullam habet dotem, etiamsi sit consecrata, bene possunt illius iuspatronatus dicto dotanti tribuere, cum hoc sit in vtilitatem Ecclesiæ. Tuschus *verb. Iuspatronatus, concl. 600. num. 33.* Rodriguez *tom. 2. quæst. regal. q. 49. art 7. versu Quantùm autem.* Immo etiamsi esset aliqualiter dotata, sed non sufficienter. Abbas *p. 3. consil. 28. num. 1.* Toschus *loc. cit. conclus. 602. num. 3.* Modò tamen id non redundaret in damnum alicuius, qui illi aliqualem dotem dedisset. Si autem Ecclesia, & Conuentus sint donata pro competenti numero fratrum, v. g. duodecim, etiamsi non sint pro viginti, aut triginta, tunc non possunt fratres illius Conuentus iuspatronatus illius alicui tribuere, maximè si Ecclesia est consecrata, sed hoc deberet fieri cum consensu obtento Romani Pontificis. Abbas *consil. 59. vers. Secundò principaliter, lib. 2. numer. 2. & consil. 106. in fine, eod. lib.* Tusch. *loco cit. conclus. 600. num. 31.* Quia iuspatronatus dicit alienationem, & alienare res Ecclesiæ ad Papam pertinet *capite Hoc consultissimo, de rebus Eccles. non alien. in 6.* & tutius est etiam in primo casu consensum obtinere Pontificis; nam iuspatronatus est quædam seruitus, & loca iam sacra seruitutem non recipiunt. *l. Seruitutes, §. fin. ff. de seruit.* qui libenter dare solet in similibus.

84. Quò ad illud, an dictus possit adscribi in numero Fundatorum, dico quòd sic, quia vnius Conuentus possunt esse tres Fundatores, vt dixi *in constit. præced. §. 24. num. 50.* ille nimirum, qui dedit fundum, & ille, qui fabricauit, & ille, qui dedit redditus. Ita Glossa *in cap. Piamentis, 16. quæst. 7.* quæ ponit hunc versum, *Patronū faciunt dos, ædificatio, fundus.* Abbas *consil. 59. lib. 2. num. 1.* Tusch. *verb. Iuspatronatus, concl. 598. num. 5. & 6. & concl. 599. num. 3. & concl. 600. num. 13.* Rodriguez *tom. 2. quæst. regul. quæst. 49. artic. 7.* & habetur in Trident. *sess. 25. de reformat cap. 9.* ibi *Fundatione vel dotatione*, & in fundatione includitur ædificatio. Aduerte vlteriùs, quòd fundi, verbi gratia possunt esse plures Fundatores, vt si duo, vel tres concurrant ad emendum fundum; similiter ædificationis, & dotis. Nec refert, licèt æqualiter, qui ædificant Conuentum v. g. non contribuant. Quia ex quo ille, qui plus contulit, admisit, alium videtur illi communicare ius sibi competens in fundatione illa. Quod etiam dicitur fuisse declaratum à sacra Congregatione.

§. XXVIII.

85. Conceditur; quòd non teneamur Legatis Apostolicæ Sedis, vel Nuntiis, neque Diœcesanis Episcopis soluere procurationes, aut exactiones, vel collectas, seu charitatiuum subsidium, vel prouisionem; nec possumus ad ea soluenda compelli per quascumque literas Apostolicæ Sedis, nisi de hoc indulto expressam, & plenam mentionem fecerint.

86. Noto pro intelligentia terminorum, quòd procurationes dicuntur expensæ, quas faciunt Episcopi in suis visitationibus, ad quas tenentur omnes illi, qui ab Episcopis visitantur. Ita Azor. *tomo 2. lib. 3. cap. 42. quæst. 1.* ad quas procurationes iure communi tenentur etiam Monasteria subdita *cap. 1. & vlt. de censib. in 6.* De hac materia latè Azor. *toto illo cap. 42.* Charitatiuum subsidium est auxilium quoddam, quod datur Episcopis à subditis, iusta aliqua causa interueniente, puta vel quia Episcopatus multorum debitorum onere premitur, aut tenues habeat redditus, qui non sufficiant ad Episcopum commodè sustentandum, vel quia Episcopus sit profecturus ad Concilium, vel ad Regem aliquem, vel Principem ad communia negotia gerenda, vel cum agitur de recuperandis bonis Ecclesiæ, vel cum pro summa Ecclesiæ vtilitate, ac necessitate aliquid debet emi, verbi gratia castrum, vel oppidum ad expellendos hostes, vel cum Rex hospitatum venit in domum ipsius, vel cum Ecclesiæ magna lis mouetur. Menoch. *lib. 2. de arbit. casu 178.* Azor. *tomo 2. lib. 3. cap. 31. quæst. 1.* Auertit autem Menoch. *loco cit. num. 13.* quod causæ relatæ intelliguntur sufficientes ad petendum charitatiuum subsidium, quando Prælatus non potest ex suo proprio ferre onus, quoniam impotens reperitur absque sua culpa ad impensas illas faciendas. Quanta autem debeat esse summa charitatiui subsidij, Menoch. *loco citat casu 179.* dicit esse relinquendum arbitrio iudicis considerantis loci qualitatem, annuos redditus, expensas ab Episcopo faciendas, & cætera similia. Dicitur autem subsidium, quia datur, quando propria facultas non sufficit, & dicitur charitatiuum, quia à principio ex charitate peti debet, licèt postea ex iustitia exigi possit, *cap. Cum Apostolus, §. Prohibemus, de censibus* Azor. *tomo secundo, libro 9. capitulo 14.* vbi latè de hoc subsidio; Rodriguez *tomo secundo, quæstion. regul. quæstione 66. articulo primo*, affert ad hoc propositum amplissimum priuilegium concessum Equitibus Ierosolimitanis à Leone Decimo, Clem. VII. Paulo III. Pio IV. & Pio V. & confirmatum à Sixto V. in bulla, quæ incipit, *Etsi ex nostris.* In quo dicti Pontifices *eximunt animalia, prædia, domos, molendina, & bona quæcumque quæ dicti Equites obtinent, & in posterum obtinebunt, à solutione, & exactione decimarum, censuum, iurium, etiam synodalium, & canonicarum portionum, seu charitatiui subsidij, aut iucundi aduentus, seu quarta, aut aliàs quomodolibet, aut aliorum quorumcumque onerum sub certis modis, & forma.*

§. XXIX.

87. Declarat casus, in quibus Regulares ad Sedem Apostolicam destinandi sunt. Vide quæ dico *supra in const 4 Sixti IV.* §.5. *à num.* 5. Vide etiam quæ dico *hac eadem const. à num.* 27.

88. Noto 1. circa absolutionem à simonia, quòd si simonia sit commissa in susceptione ordinum, non possunt ab ea Prælati regulares absoluere, propter bullam Sixti V. confirmatam quò ad hoc à Clemente VIII. quam refert Rodrig. *tom.* 1. *quæst. regul q.* 20. *art.* 13 & Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 4. *cap. vlt. n.* 4 & *tom.* 4. *tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 21. *n.* 9. & dixi *tom.* 1. *Religiosi, quæst.* 1. *c.* 31. §. 9. *concl.* 25.

89. Noto 2. circa dispensationem in defectu natalium, quòd per professionem in Religione approbata factam habilitatur illegitimus ad ordines sacros suscipiendos; Ita Rodriguez *tomo* 1. *quæst. regul. quæst.* 13. *art.* 4. Sot. *in* 4. *dist.* 25. *q.* 1. *art.* 3. *versu Ad hanc quæstionem*, Nauarr. *comm.* 2. *de regul. num.* 60. Val: *tom.* 4. *disp.* 7. *quæst.* 19. *puncto* 3. *tit. De* 2. *specie irregul. ex def. corp. in* 1. *def.* Sanchez *lib.* 5. *in decal. cap.* 5. *n.* 12. & habetur *in cap.* 1. *de fil presb.* & *cap. Presbyterorum filios, d* 56.

90. Noto 3. quòd illegitimus per professionem non legitimatur ad dignitates, seu prælaturas sui Ordinis obtinendas. Nauar. *comm.* 2. *de regul. n.* 60. Rodriguez *tom.* 1. *q. regul. q.* 13. *art.* 5. Sayr. *in claui reg. lib* 6 *c.* 1. *n.* 3. Sanch. *lib.* 5. *in decal. cap.* 5. *n.* 16. & habetur expressè *in cap.* 1. *de fil. presbyt.*

91. Noto 4. quòd illegitimus potest in Religione ea officia habere, quæ curam animarum non habent, nec prælaturæ sunt, & sunt ad nutum Superioris amouibilia, v. g. possunt esse Sacristæ, Procuratores, Quinternatij, & habere cætera manualia officia. Ita Nauar. *lib.* 1. *consil. de fil. presb. consil.* 6. *num.* 3. & *num* 6. *versu Quartò quòd nec ratio secunda*, Sanchez *lib.* 5. *in decal. cap.* 5. *num.* 16. Et probant *ex cap.* 1. *de fil. presb.* vbi dicitur, quòd *tales prælaturam non habeant*; cum ergo istæ prælaturæ non sint, eas habere poterunt. Et aduerte vlteriùs, quòd Nauar. *dicto num.* 6. censet, quòd in Religionibus ea omnia officia sunt manualia, quæ non sunt capita Conuentuum, qua doctrina stante, possent dicti illegitimi esse Collegæ Generalis, & Prouincialis, atque Definitores, & Commissi ad Capitulum Generale, atque Discreti ad Capitulum prouinciale: sed nimia est ista extensio. Vnde melius Glossa *in cap.* 2. *de statu Monach. verbo Non mutentur*; & *in cap. Cum ad Monasterium, verbo Perpetuo, eod. tit.* censet quòd officia, quæ fiunt in Capitulis per canonicam electionē cum non possint ad nutum Superioris amoueri, manualia non sunt. Cætera autem, quæ hoc modo, & forma non fiunt, manualia esse. Ita etiam Sanchez *loc. cit.*

92. Noto 5. quòd de iure communi dispensare cum illegitimis ad prælaturas recipiendas pertinet ad summum Pontificem. Rodriguez *tom.* 1. *quæst. regul quæst.* 13. *art.* 6. Sanchez *lib.* 5. *in decal. cap.* 5. *num.* 17. Et habetur *in c.* 1. & *fin. de fil. presb.* Nec vigore Trid *sess.* 24. *c.* 6. *de reformat.* possunt dispensare Episcopi, quia facultas ibi Episcopis data intelligitur de irregularibus ex delicto occulto, & personali prouenientibus. Rodrig. *loco cit.*

93. Noto 6. quòd per hoc priuilegium, & per aliud Sixti IV. quod refert Rodriguez *loc. cit.* possunt Generales, & Prouinciales cum illegitimis dispensare ad dignitates obtinendas. Quæ tamen facultas fuit à Sixto V. Sublata in 2. sua const. contra illegitimos, quæ incipit, *Ad Romanum*, & eam refert Quarant. *in sum. bull. verbo Monasteria*; & *Conuentus regul. virorum, pag.* 410. in qua declarat irritas, & nullas dispensationes datas à Prælatis Religionis, etiam ante emanationem dictæ constit. Sed determinauit dispensationes super defectu natalium quò ad honores, gradus, & dignitates obtinendas ante, vel post ingressum Religionis, per Romanum Pontificem immediatè, vel de eius speciali mandato concedi debere.

94. Sed has constitutiones Sixti moderauit eius successor Gregorius Decimus quartus per bullam quæ incipit, *Circumspecta*, quam refert Quarant. *loc. cit. pagin.* 413. Vbi quò ad dispensationem cum istis habet. *Volumus quoque, ac statuimus, licere Generali, aut Prouinciali singulorum Ordinum, aut Congregationum, aut hospitalium, ad quos dicta dispensatio spectat, iuxta tenorem priuilegiorum, & indultorum Apostolicorum eis concessorum, qua dummodo vsu recepta, nec aliàs sub vllis reuocationibus comprehensa sint, vt præfertur, in hac parte reualidamus cum illegitimis, quos aliàs dictus Generalis, aut Prouincialis, cum Generali, prouinciali, seu intermedio Capitulo, & non aliàs suffragantibus, meritis dignos iudicauerint, ad honores, gradus, & dignitates obtinendas dispensare, ac dispensationes huiusmodi pro tempore ita factas, & inde secuta quæcumque, vt antea, valere, tenere, perinde ac si prædicta constitutiones non emanassent.* Ex qua constitutione colligitur, hoc nostrum priuilegium, & aliud Sixti Quarti esse ita limitata, vt non possint ampliùs per se soli Generales, & Prouinciales cum illegitimis dispensare, sed id solum possint facere cum Generali, Prouinciali, aut intermedio Capitulo.

95. Sed adest aliud priuilegium eiusdem Gregorij X.V. concessum Clericis regularibus ministrantibus infirmis, per bullam, quæ incipit, *Illius, qui*, quam refert Cherub. *tomo* 2. *bull. in Gregorio XIV. const eius* 17. *pagin.* 706. in cuius §. 29. sic habetur. *Ac dicto Præfecto Generali pro tempore existenti, seu de illius licentia Præfectis inferioribus aliorum locorum, seu Prouincialibus dictæ Congregationis pro tempore existentibus, & illorum Vicariis, ac Locatenentibus, vt cum eiusdem Congregationis personis, defectum natalium, etiam ex adulterio, sacrilegio, incestu, & quouis alio nefario, & illicito, ac prohibito, & damnato coitu prouenientem patientibus, postquam in dicta Congregatione vota emiserint, vt, defectu huiusmodi non obstante, ad quoscumque sacros, etiam presbyteratus ordines promoueri, & in illis etiam in altaris ministerio ministrare, necnon ad quascumque administrationes, personatus, præeminentias, & officia dictæ congregationis eligi, admitti, & assumi, illaque gerere, & exercere.*

96. Ex quo priuilegio colligitur, quòd Generalis Ordinis, & de eius licentia Correctores, seu Priores locales, atque Prouinciales, & eorum Vicarij possint cum illegitimis dispensare ad dignitates, & officia Ordinis, absque Capitulo Generali prouinciali, aut intermedio. Quò ad Correctores locales aduerte, quòd hoc nunquam fuit in vsu, sed tota potestas semper fuit penes Generales, ac Prouinciales, & vtrorumque Vicarios. Verùm per hoc priuilegium posset P. Generalis id etiam Correctoribus committere. Quo pacto videntur innouata antiqua priuilegia; & quòd nos Minimi fruamur priuilegiis huius Congregationis, probaui *supra, in const.* 1. *Iulij II.* §. 16. *num.* 33.

97. Si obiicias, per administrationes, personatus, præeminentias, & officia non debere intelligi dignitates, Prouincialatus, Generalatus, Correctoriatus, & Reliqua, quæ sunt cum honore, & superioritate coniuncta, sed solummodò administrationes rerum temporalium, quæ dantur Procuratoribus, vel etiam spiritualium, quæ Magistris nouitiorum, & confessariis eorum; vel Collegatus Generalis, & Prouincialis, quæ personatum dicunt, & officia Lectoris, Prædicatoris, Confessoris, Regentis, vt etiam declarauit Sixtus V. in bulla contra illegitimos, quæ incipit, *Ad Romanum*, de qua hic supra, *n.* 93. *versu Ab officiis*; & dicit Sosa *tractat.* 1. *de donat.* §. 9. *num.* 101. Et per præeminentias, quò ad summum,

mum, intelliguntur illa officia, quæ habent præeminentiam aliquam sine iurisdictione, vt Zelosatus, Commissatus, Discretatus.

Respondeo licèt omnia supradicta vera sint, tamen illa vocabula etiam ad dignitates, quæ sunt cum superioritate, & iurisdictione coniunctæ, se extendunt. Nam administratores similes sunt Prælatis Ecclesiasticis, vt habet Tusch. *verbo Administratores, concl.* 101. *num.* 10. & Episcopi dicuntur administratores suæ Ecclesiæ. Tuschus *ibi*, *num.* 13. Personatus licèt in rigore sit minor, quàm dignitas, quia est honor sine administratione, dignitas autem cum administratione, tamen in materia fauorabili sunt synonima; Tusc. *verbo personatus*, *concl.* 321. Et denique officium, administratio, personatus, dignitas pro eodem sumuntur *cap. 1. de consuetud. in 6.* & habet Tuschus *verbo Officia*, *conclusion.* 92. Et hinc esse germanam huius loci interpretationem, innuitur in nostro priuilegio Iulij ibi. *Ad quascumque administrationes, & officia eligi.* Per quæ verba semper vsus communis intellexit, quòd tales habilitati per Patrem Generalem, aut Prouinciales, essent habil tati ad dignitates, & Prælaturas Ordinis. Quare non puto remanere dubium in hac præsertim materia fauorabili, quòd Generalis, & ab eo depotati Correctores, seu Prouinciales, ac Generalis, & Prouincialis Vicarij non possint per solos, absque Capitulis Generalibus, & prouincialibus cum dictis illegitimis dispensare.

98. Noto 7. quòd dispensatus per hæc priuilegia ad dignitates intra Ordinem, non potest eas extra Ordinem habere, v. g. non potest habere beneficium curatum, nec esse Vicarius Episcopi, quia Vicariatus est quædam dignitas. Ita Rodrig. *to.* 1. *q. regul. q.* 13. *art.* 13. Sanch. *lib.* 5. *in decal. c.* 5. *n.* 16. quia hæc priuilegia solùm se extendunt ad legitimandum ad prælationes Ordinis.

99. Noto 8. quòd dispensatus ad dignitatem inferiorem, puta, quòd possit esse Corrector, non intelligitur dispensatus circa maiorem, puta. quòd possit esse Prouincialis, nisi in dispensatione facta fuerit de præfatis expressa mentio. Ita A Sorbo *in compend. verbo Dispensatio*, *versu Et ideo fratres.* Abbas *in cap. Innotuit*, *de elect. numero* 4. Et ratio est, quia ad permissionem minoris dignitatis non venit permissio maioris, sed benè è contra; & colligitur *ex d. cap. Innotuit.* Et aduerte, quòd si in dispensatione dicatur. Dispensamus cum tali, vt possit habere dignitates in Ordine, Correctoriatus, Collegatus, Prouincialatus, & omnes alias dignitates, quæ in Religione habentur, non per hoc dispensatus poterit esse Generalis, vel Vicarius Generalis, aut Zelosus. Nam clausula illa Generalis secuta post specialia expressa includit consimilia, non maiora. Sbrozz. *de off. Vic. lib.* 2. *quæst.* 115. *numero* 10. Quare ad essendum Generalem, &c. indigebit noua dispensatione.

100. Noto 9. quòd illegitimus tenetur in conscientia dispensationem petere, nec ante eam obtentam potest dignitates acceptare, nam omnes tales electiones in persona illius factæ sunt ipso iure nullæ. A Sorbo *in comp. verbo Dispensatio*, *versu Ideo Iulius*, Rodriguez *tomo* 1. *quæst. regul. quæst.* 13. *art.* 5. *in fine.* Habetur *in capite Innotuit*, *de elect.* vbi Panotm. *numero* 6. Aduertit autem Rodriguez *loco cit. sine*, quòd si illegitimus sit omnino occultus, nec possit probari, nisi dicto matris coniugatæ, & cogatur prælationem acceptare, postquam restiterit, quantùm potuit nec possit sine sua, & suorum infamia dispensationem petere, hoc casu potest prælatram retinere. Nam ius conseruandi famam est naturale, quod iuri positiuo præponderat. Pro ista materia vide Sayr. *de cens. lib.* 6. *cap.* 10. & 11.

101. Noto 10. circa dispensationem in omnibus irregularitatibus, præterquam homicidij voluntarij, &c. quòd de homicidio possumus variè loqui. 1. de homicidio voluntario per assassinium perpetrato, vel proditoriè, & sanguine frigido secundò de homicidio voluntario in rixa. 3. de homicidio facto à iudice, & ministro militiæ seu iustitiæ, 4. de homicidio casuali, 5. de homicidio facto pro sui defensione.

102. Quo ad 1. noto 1. quòd homicida voluntarius non solùm est irregularis quò ad ordines susceptos, & suscipiendos, sed etiam quò ad quascumque prælaturas, & dignitates in Religione obtinendas, nimirùm Generalatus, Prouincialatus, Correctoriatus, etiamsi curam animarum non habeant, vt Collegatus, Definitoriatus. Ita determinatur in Concil. Trid. *sess.* 14. *de reform. cap.* 7.

103. Noto 2. quòd Prælati regulares non possunt dispensare cum homicida, quantumuis occulto, primo modo voluntario; propter illius enormitatem. Patet ex hoc priuilegio, in quo ista irregularitas excipitur expressè; constat etiam ex Trid. *sess.* 14. *de reformat. cap.* 7. & *sess.* 24. *cap.* 6. Ita Suarez *tom.* 5. *in* 3. *p. disp.* 44. *sect.* 4. *num.* 35. & 36. Sayr. *lib.* 7. *de censur. cap.* 7. *num.* 19. Nauarr. *in sum. cap.* 27. *num.* 240. & communiter alij. Neque obstat priuilegium Martini V. relatum à Rodriguez *tom.* 1. *quæst. regul. quæst.* 24. *art.* 12. quo conceditur, vt possint Prælati regulares absoluere suos subditos in foro conscientiæ ab omni excommunicationis sententia, & cum eis dispensare super omni irregularitate, etiam in illis casibus, quos Papa sibi reseruat (ut morte videlicet, & in membrorum truncatione, & enormi sanguinis effusione) nam tantæ enormitatis est ista irregularitas, vt existimarint aliqui, licèt falsò, apud Suarez *loco citato num.* 35. hanc esse prorsus indispensabilem etiam per Papam, vt potè iure diuino introductam, Exodi 21. num. 14. *Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab altari meo euelles eum, vt moriatur.* Et tamen ex ofi sunt Deo isti viri sanguinum, vt nec voluerit, Dauidem, alioquin virum secundùm cor suum, ædificare illi templum, eo quia multum sanguinem effuderat, vt dicitur 1. *Paralip.* 22. *numero* 8. Et quamvis Trid. concedat casum hæresis Episcopis *sess.* 24. *de reformat. cap.* 6. noluit tamen casum homicidij voluntarij, etiam occulti concedere, vnde cum casus hic sit sensu communi exceptus, non censetur concessus, nisi expressè concedatur. Quod tamen non fit in isto priuilegio allato Rodriguez. Addo, quòd licèt concederetur priuilegium dispensandi cum irregulari ex homicidio voluntario, non adhuc illa sententia conseretur concessa dispensatio in isto casu, sed deberet dici, Concedimus dispensationem super irregularitate homicidij voluntarij, de industria, & per insidias patrati, eo quia talis dispensatio rarò, & quasi nunquam, & si aliquando, non nisi propter grauissimas causas, concedatur, vt Suarez *loc. citato numero* 36. talibus enim ministris non indiget Ecclesia. Ita Viuald. *in candel. aur. tit. Irregularitas*, *numero* 332. Neque etiam obstat aliud priuilegium Sixti IV. relatum à Suarez *tomo* 4. *de Relig. tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 9. quo conceditur, vt Generalis per se, vel per suos Prælatos inferiores ab ipso deputandos dispensare possit cum suis subditis in omnibus casibus pontificalibus, nullo excepto, in foro conscientiæ tantùm. Sola autem dispensatio in homicidio voluntario conceditur cum limitatione, scilicet citrà altaris ministerium; nam non conceditur expressè casus de necessitate exprimendus, vt dixi. Et si vis scire, quando nam homicidium dicatur proditorium & per insidias, adi Guttier. *tract. quæst. lib.* 1. *quæst.* 2. *n.* 3. 4. & 9. De illo, qui mandauit homicidium in personam vnius, quod postea fuit commissum in personam alterius, si opes scire, quid sentiam; Dico non incurrisse hanc Irregularitatem. Ita respondit Congreg. Episcopo Hieracensi *anno* 1585. Neque hanc incurrit ille, qui mandauit

§. XXIX.

87. DEclarat casus, in quibus Regulares ad Sedem Apostolicam destinandi sunt. Vide quæ dico *supra in const 4 Sixti IV. §. 5. à num. 5.* Vide etiam quæ dico *hac eadem const. à num. 27.*

88. Noto 1. circa absolutionem à simonia, quòd si simonia sit commissa in susceptione ordinum, non possunt ab ea Prælati regulares absoluere, propter bullam Sixti V. confirmatam quò ad hoc à Clemente VIII. quam refert Rodrig. *tom. 1. quæst. regul q. 20. art. 13* & Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 4. cap. vlt. n. 4. & tom. 4. tract. 1. lib. 2. cap. 21. n. 9.* & dixi *tom. 1. Religiosi, quæst. 1. c. 31. §. 9. concl. 25.*

89. Noto 2. circa dispensationem in defectu natalium, quòd per professionem in Religione approbata factam habilitatur illegitimus ad ordines sacros suscipiendos; Ita Rodriguez *tomo 1. quæst. regul. quæst. 13. art. 4.* Sot. *in 4. dist. 25. q. 1. art. 3. versu Ad hanc quæstionem*, Nauarr. *comm. 2. de regul. num. 60.* Val. *tom. 4. disp. 7. quæst. 19. puncto 3. tit. De 2. specie irregul. ex def. corp. in 5. def.* Sanchez *lib. 5. in decal. cap. 5. n. 12.* & habetur *in cap. 1. de fil presb. & cap. Presbyterorum filios, d. 56.*

90. Noto 3. quòd illegitimus per professionem non legitimatur ad dignitates, seu prælaturas sui Ordinis obtinendas. Nauar. *comm. 2. de regul. n. 60.* Rodriguez *tom. 1. q. regul. q. 13. art. 5.* Sayr. *in claui reg. lib 6 c. 1. a. 3.* Sanch. *lib. 5. in decal. cap. 5. n. 16.* & habebur expressè *in cap. 1. de fil. presbyt.*

91. Noto 4. quòd illegitimus potest in Religione ea officia habere, quæ curam animarum non habent, nec prælaturæ sunt, & sunt ad nutum Superioris amouibilia, v. g. possunt esse Sacristæ, Procuratores, Quinternarij, & habere cætera manualia officia. Ita Nauar. *lib. 1. consil. de fil. presb. consil. 6. num. 3. & num 6. versu Quartò quòd nec ratio secunda*, Sanchez *lib. 5. in decal. cap. 5. num. 16.* Et probant *ex cap. 1. de fil. presb.* vbi dicitur, quòd *tales prælaturam non habeant*; cum ergo istæ prælaturæ non sint, eas habere poterunt. Et aduerte vlteriùs, quòd Nauar. *dicto num. 6.* censet, quòd in Religionibus ea omnia officia sunt manualia, quæ non sunt capita Conuentuum, qua doctrina stante, possent dicti illegitimi esse Collegæ Generalis, & Prouincialis, atque Definitores, & Commissi ad Capitulum Generale, atque Discreti ad Capitulum prouinciale: sed nimia est ista extensio. Vnde melius Glossa *in cap. 2. de statu Monach. verbo Non mutentur; & in cap. Cum ad Monasterium, verbo Perpetuo, eod. tit.* censet quòd officia, quæ fiunt in Capitulis per canonicam electionẽ cum non possint ad nutum Superioris amoueri, manualia non sunt. Cætera autem, quæ hoc modo, & forma non fiunt, manualia esse. Ita etiam Sanchez *loc. cit.*

92. Noto 5. quòd de iure communi dispensare cum illegitimis ad prælaturas recipiendas pertinet ad summum Pontificem. Rodriguez *tom. 1. quæst. regul quæst. 13. art. 6.* Sanchez *lib. 5. in decal. cap. 5. num. 17.* Et habetur *in c. 1. & fin. de fil. presb.* Nec vigore Trid *sess. 24. c. 6. de reformat.* possunt dispensare Episcopi, quia facultas ibi Episcopis data intelligitur de irregularibus ex delicto occulto, & personali prouenientibus. Rodrig. *loco cit.*

93. Noto 6. quòd per hoc priuilegium, & per aliud Sixti IV. quod refert Rodriguez *loc. cit.* possunt Generales, & Prouinciales cum illegitimis dispensare ad dignitates obtinendas. Quæ tamen facultas fuit à Sixto V. Sublata in 2. sua const. contra illegitimos, quæ incipit, *Ad Romanum*, & eam refert Quarant. *in sum. bull. verbo Monasteria; & Conuentus regul. virorum, pag. 410.* in qua declarat irritas, & nullas dispensationes datas à Prælatis Religionis, etiam ante emanationem dictæ constit. Sed determinauit dispensationes super defectu natalium quò ad honores, gradus, & dignitates obtinendas ante, vel post ingressum Religionis, per Romanum Pontificem immediatè, vel de eius speciali mandato concedi debere.

94. Sed has constitutiones Sixti moderauit eius successor Gregorius Decimus quartus per bullam quæ incipit, *Circumspecta*, quam refert Quarant. *loc. cit. pagin. 413.* Vbi quò ad dispensationem cum istis habet: *Volumus quoque, ac statuimus, licere Generali, aut Prouinciali singulorum Ordinum, aut Congregationum, aut hospitalium, ad quos dicta dispensatio spectat, iuxta tenorem priuilegiorum, & indultorum Apostolicorum eis concessorum, quæ quommodo vsa recepta, nec aliàs sub vllis reuocationibus comprehensa fiat, vt præfertur, in hac parte reualidamus cum illegitimis, quos aliàs dictus Generalis, aut Prouincialis, cum Generali, prouinciali, seu intermedio Capitulo, & non aliàs suffragantibus, meritis dignos iudicauerint, ad honores, gradus, & dignitates obtinendas dispensare, ac dispensationes huiusmodi pro tempore ita factas, & inde secuta quæcumque, vt antea, valere, tenere, perinde ac si prædictæ constitutiones non emanassent.* Ex qua constitutione colligitur, hoc nostrum priuilegium, & aliud Sixti Quarti esse ita limitata, vt non possint ampliùs per se soli Generales, & Prouinciales cum illegitimis dispensare, sed id solum possint facere cum Generali, Prouinciali, aut intermedio Capitulo.

95. Sed adest aliud priuilegium eiusdem Gregorij XIV. concessum Clericis regularibus ministrantibus infirmis, per bullam, quæ incipit, *Illius, qui*, quam refert Cherub. *tomo 2. bull. in Gregorio XIV. const eius 17. pagin. 706.* in cuius §. 29. sic habetur. *Ac dicto Præfecto Generali pro tempore existenti, seu de illius licentia Præfectus inferioribus aliorum locorum, seu Prouincialibus dictæ Congregationis pro tempore existentibus, & illorum Vicarijs, ac Locatenentibus, vt cum eiusdem Congregationis personis, defectum natalium, etiam ex adulterio, sacrilegio, incestu, & quouis alio nefario, & illicito, ac prohibito, & damnato coitu prouenientem patientibus, postquam in dicta Congregatione vota emiserint, vt, defectu huiusmodi non obstante, ad quascumque sacros, etiam presbyteratus ordines promoueri, & in illis etiam in altaris ministerio ministrare, necnon ad quascumque administrationes, personatus, præeminentias, & officia dictæ congregationis eligi, admitti, & assumi, illaque gerere, & exercere.*

96. Ex quo priuilegio colligitur, quòd Generalis Ordinis, & de eius licentia Correctores, seu Priores locales, atque Prouinciales, & eorum Vicarij possint cum illegitimis dispensare ad dignitates, & officia Ordinis, absque Capitulo Generali prouinciali, aut intermedio. Quò ad Correctores locales aduerte, quòd hoc nunquam fuit in vsu, sed tota potestas semper fuit penes Generales, ac Prouinciales, & vtorumque Vicarios. Verùm per hoc priuilegium posset P. Generalis id etiam Correctoribus committere. Quo pacto videntur innouata antiqua priuilegia; & quòd nos Minimi fruamur priuilegiis huius Congregationis, probaui *supra, in const 1. Iulij II. §. 16. num. 33.*

97. Si obijcias, per administrationes, personatus, præeminentias, & officia non debere intelligi dignitates, Prouincialatus Generalatus, Correctoriatus, & Reliqua, quæ sunt cum honore, & superioritate coniuncta, sed solummodò administrationes rerum temporalium, quæ dantur Procuratoribus, vel etiam spiritualium, quæ Magistris nouitiorum, & confessariis eorum; vel Collegatus Generalis, & Prouincialis, quæ personatum dicunt, & officia Lectoris, Prædicatoris, Confessoris, Regentis, vt etiam declarauit Sixtus V. in bulla contra illegitimos, quæ incipit, *Ad Romanum*, de qua hic supra, *n. 93. versu Ab officiis*; & dicit Sosa *tractat. 1. de donat. §. 9. num. 101.* Et per præeminentias, quò ad summum,

anum, intelliguntur illa officia, quæ habent præeminentiam aliquam sine iurisdictione, vt Zalosatus, Commissatus, Discretatus.

Respondeo licèt omnia supradicta vera sint, tamen illa vocabula etiam ad dignitates, quæ sunt cum superioritate, & iurisdictione coniunctæ, se extendunt. Nam administratores similes sunt Prælatis Ecclesiasticis, vt habet Tusch. *verbo Administratores, concl.* 101. *num.* 10. & Episcopi dicuntur administratores suæ Ecclesiæ. Tuschus *ibi*, *num.* 13. Personatus licèt in rigore sit minor, quàm dignitas, quia est honor sine administratione, dignitas autem cum administratione, tamen in materia fauorabili sunt synonima; Tusc. *verbo personatus*, *concl.* 321. Et denique officium, administratio, personatus, dignitas pro eodem sumuntur *cap.* 1. *de consuetud. in* 6. & habet Tuschus *verbo Officia*, *conclusion.* 92. Et hanc esse germanam huius loci interpretationem, innuitur in nostro priuilegio Iulij ibi. *Ad quascumque administrationes*, *& officia eligi.* Per quæ verba semper vsus communis intellexit, quòd tales habilitari per Patrem Generalem, aut Prouinciales, essent habilitati ad dignitates, & Prælaturas Ordinis. Quare non puto remanere dubium in hac præsertim materia fauorabili, quòd Generalis, & ab eo deputati Correctores, seu Prouinciales, ac Generalis, & Prouincialis Vicarij non possint per solos, absque Capitulis Generalibus, & prouincialibus cum dictis illegitimis dispensare.

98. Noto 7. quòd dispensatus per hæc priuilegia ad dignitates intra Ordinem, non potest eas extra Ordinem habere, v. g. non potest habere beneficium curatum, nec esse Vicarius Episcopi, quia Vicariatus est quædam dignitas. Ita Rodrig. *to.* 1. *q. regul. q.* 13. *art.* 13. Sanch. *lib* 5. *in decal. c* 5. *n.* 16. quia hęc priuilegia solùm se extendunt ad legitimandum ad prælationes Ordinis.

99. Noto 8. quòd dispensatus ad dignitatem inferiorem, puta, quòd possit esse Corrector, non intelligitur dispensatus circa maiorem, puta. quòd possit esse Prouincialis, nisi in dispensatione facta fuerit de præfatis expressa mentio. Ita A Sorbo *in compend. verbo Dispensatio*, *versu Et ideo fratres.* Abbas *in cap. Innotuit*, *de elect. numero* 4. Et ratio est, quia ad permissionem minoris dignitatis non venit permissio maioris, sed bene è contra; & colligitur *ex d. cap. Innotuit.* Et aduerte, quòd si in dispensatione dicatur. Dispensamus cum tali, vt possit habere dignitates in Ordine, Correctoriatus, Collegatus, Prouincialatus, & omnes alias dignitates, quæ in Religione habentur, non per hoc dispensatus poterit esse Generalis, vel Vicarius Generalis, aut Zelosus. Nam clausula illa Generalis secuta post specialia expressa includit consimilia, non maiora. Sbrozz. *de off. Vic. lib.* 2. *quæst.* 115. *numero* 10. Quare ad essendum Generalem, &c. indigebit noua dispensatione.

100. Noto 9. quòd illegitimus tenetur in conscientia dispensationem petere, nec ante eam obtentam potest dignitates acceptare, nam omnes tales electiones in persona illius factæ sunt ipso iure nullæ. A Sorbo *in comp. verbo Dispensatio*, *versu Ideo Iulius*, Rodriguez *tomo* 1. *quæst. regul. quæst.* 13. *art.* 5. *in fine.* Habetur *in capite Innotuit*, *de elect.* vbi Panorm. *numero* 6. Aduertit autem Rodriguez *loco cit. fine*, quòd si illegitimus sit omnino occultus, nec possit probari, nisi dicto matris coniugatæ, & cogatur prælationem acceptare, postquam restiterit, quantùm potuit nec possit sine sua, & suorum infamia dispensationem petere, hoc casu potest prælaturam retinere. Nam ius conseruandi famam est naturale, quod iuri positiuo præponderat. Pro ista materia vide Sayr. *de cens. lib.* 6. *cap.* 10. *&* 11.

101. Noto 10. circa dispensationem in omnibus irregularitatibus, præterquam homicidij voluntarij, &c. quòd de homicidio possumus variè loqui. 1. de homicidio voluntario per assassinium perpetrato, vel proditoriè, ex sanguine frigido secundò de homicidio voluntario in rixa. 3. de homicidio facto à iudice, & ministro militiæ seu iustitiæ, 4. de homicidio casuali, 5. de homicidio facto pro sui defensione.

102. Quo ad 1. noto 1. quòd homicida voluntarius non solùm est irregularis quò ad ordines susceptos, & suscipiendos, sed etiam quò ad quascumque prælaturas, & dignitates in Religione obtinendas, nimirùm Generalatus, Prouincialatus, Correctoriatus, etiamsi curam animarum non habeant, vt Collegatus, Definitoriatus. Ita determinatur in Concil. Trid. *sess.* 14. *de reform. cap.* 7.

103. Noto 2. quòd Prælati regulares non possunt dispensare cum homicida, quantumvis occulto, primo modo voluntario; propter illius enormitatem. Patet ex hoc priuilegio, in quo ista irregularitas excipitur expressè; constat etiam ex Trid. *sess.* 14. *de reformat. cap.* 7. *& sess.* 24. *cap.* 6. Ita Suarez *tom.* 5. *in* 3. *p. disp.* 44. *sect.* 4. *num.* 35. *&* 36. Sayr. *lib.* 7. *de censur. cap.* 7. *num.* 19. Nauarr. *in sum. cap.* 27. *num.* 240. & communiter alij. Neque obstat priuilegium Martini V. relatum à Rodriguez *tom.* 1. *quæst. regul. quæst.* 24. *art.* 12. quo conceditur, vt possint Prælati regulares absoluere suos subditos in foro conscientiæ ab omni excommunicationis sententia, & cum eis dispensare super omni irregularitate, etiam in illis casibus, quos Papa sibi reseruat (in morte videlicet, & in membrorum truncatione, & enormi sanguinis effusione) nam tantæ enormitatis est ista irregularitas, vt existimarint aliqui, licèt falso, apud Suarez *loco citato num.* 35. hanc esse prorsus indispensabilem etiam per Papam, vt porè iure diuino introductam, Exodi 21. num. 14. *Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab altari meo euelles eum, vt moriatur.* Et tam exosi sunt Deo isti viri sanguinum, vt nec voluerit, Dauidem, alioquin virum secundùm cor suum, ædificare illi templum, eo quia multum sanguinem effuderat, vt dicitur 1. *Paralip.* 22. *numero* 8. Et quamvis Trid. concedat casum hæresis Episcopis *sess.* 24. *de reformat. cap.* 6. noluit tamen casum homicidij voluntarij, etiam occulti concedere, vnde cum casus hic sit sensu communi exceptus, non censetur concessus, nisi expressè concedatur. Quod tamen non fit in isto priuilegio allato Rodriguez Addo, quòd licèt concederetur priuilegium dispensandi cum irregulari ex homicidio voluntario, non adhuc mea sententia censeretur concessa dispensatio in isto casu, sed deberet dici, Concedimus dispensationem super irregularitate homicidij voluntarij, de industria, & per insidias patrati, eo quia talis dispensatio rarò, & quasi nunquam, & si aliquando, non nisi propter grauissimas causas, concedatur, vt Suarez *loc. citato numero* 36. talibus enim ministris non indiget Ecclesia. Ita Vioald. *in candel. aur. tit. Irregularitas*, *numero* 332. Neque etiam obstat aliud priuilegium Sixti IV, relatum à Suarez *tomo* 4. *de Relig. tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 15, *num.* 9. quo conceditur, vt Generalis per se, vel per so. Prælatos inferiores ab ipso deputandos dispensare possit cum suis subditis in omnibus casibus pontificalibus, nullo excepto, in foro conscientiæ tantùm. Sola autem dispensatio in homicidio voluntario conceditur cum limitatione, scilicet citrà altaris ministerium; nam non conceditur expressè casus de necessitate exprimendus, vt dixi. Et si vis scire, quando nam homicidium dicatur proditorium & per insidias, adi Gutier. *tract. quæst. lib.* 1. *quæst.* 2. *n* 3. 4. *&* 9. De illo, qui mandauit homicidium in personam vnius, quod postea fuit commissum in personam alterius, si optes scire, quid sentiam; Dico non incurrisse hanc irregularitatem. Ita respondit Congreg. Episcopo Hieracensi *anno* 1585. Neque haoc incurrit ille, qui mandauit

mandauit aliquem verberari baculo, eo expresso ne occideretur, si mandatarius armis percusserit, & occiderit. Ita Nauarr. *in man. cap. 27. num.* 240. Irregularitas enim hæc incurritur ex homicidio patrato per industriam, insidias, & ex proposito. Et ita dicitur censuisse sacram Congregat.

104. Quo ad 2. de homicidio voluntario in rixa occulto, certè per hoc nostrum priuilegium non possunt Regulares dispensare cum tali irregulari, excipitur enim expressè homicidij voluntarij irregularitas. Sed puto posse absoluere per priuilegia citata, quæ hoc saltem operantur; & fauet Trid. *sess.* 14. *de reformat. cap.* 7. vbi loquitur de homicidio per industriam patrato. Et licèt paulò inferiùs dicat. *Si verò homicidium non ex proposito*: quasi videatur innuere, vel se non solùm prohibere dispensationem in irregularitate homicidij proditorij sed etiam voluntarij ex proposito, & in rixa. Nihilominus tamen sensus ibi est continuatiuus ad illa verba in principio posita *per insidias*, &c. quasi dicat, Si verò homicidium non fuerit ex proposito per insidias, sed casu, &c. Inclino etiam in hanc sententiam, quia hoc homicidium non est tam execrabile, & est dignum aliqua maiori pietate, cum calore iræ commissum sit. Et in hanc sententiam potest citari Rodrig. *tom.* 1. *quest. regul. quast.* 24. *art.* 11. & 12. Suarez *tom.* 4. *de Relig. cit.* Miran. *tom.* 2. *manual. quast.* 8. *art.* 10. *conclus.* 2. Crux *lib.* 1. *de statu Relig. cap.* 6. *dub.* 19. *conclus.* 3. Salzedo *ad pract. Diaz, cap.* 97. *verbo Erit sanè homicidium*; Auila *de cens. part.* 7. *d.* 6. *sect.* 5. *dub.* 5. qui alios citat, tenens expressè, posse Episcopum super hac irregularitate dispensare. Neque puto, his obstare Concil. Trident. *sess.* 24. *de reform. cap.* 6. Nam primò non est certum, quòd facultas ibi concessa Episcopis extendatur ad Prælatos regulares, vt dixi *supra in constit. Pyrrhi, num.* 46. Deinde *cap. illud* 6. explicatur per *cap.* 7. *eiusdem Concilij sess.* 14. *de homicidio nimirum per insidias perpetrato.* Et de hoc homicidio tandem intelligo priuilegium Pij V. concessum Congregationi Cassinensium *anno Domini* 1571. *idib. Ianuar.* vt eorum Generalis possit dispensare cum suis subditis super irregularitate contracta ex homicidio voluntario, dummodò non sit commissum post ingressum Religionis, & delinquens maneat in Religione, & hoc in foro conscientiæ tantùm. Ita refert Peregr. *in suo Comp. p.* 1. *tit. Dispensatio,* §. 2.

105. Quò ad 3. dico, quòd super his possunt Prælati regulares dispensare. Nauar. *in sum. cap.* 27. *num* 240. Llamas 1. *p. methodi*; *cap.* 12. §. 25. Chapeauil. *de cas. reseru.* 2. *p. cap.* 3. *quest.* 3 *difficult.* 8. *versu, Vnde infertur.* Viuald. *in candel. aur. tit. De irregul. num.* 327. Quia hoc homicidium est auctoritate legitima, & iusta causa factum, vt suppono, licèt defectu decentiæ, & lenitatis irregularitatem inducat. Et hoc, licèt homicidium sit iniustum defectu rectæ intentionis, vel alicuius alterius circunstantiæ loci, modi, temporis, &c. Nauarr. *loco cit. versu Quintò nota.*

106. Quò ad 4. aduertendum, quòd homicidium casuale est duplex. 1. quod non est directè, & per se volitum, sed indirectè, & per accidens tantùm. 2. quod non solùm præter intentionem est, sed etiam præter voluntatem indirectam, vt potè quia omnis diligentia debita adhibita est, ne ex propria actione homicidium sequatur. Ita Suarez *tomo* 5. *in* 3. *parte disputatione* 45. *statim in principio,* verbi gratia, quando aliquis absque sua culpa in ebrietatem incidit, esto dum ita affectus est, aliquem occidat, vel mutilet, homicidium dicitur casuale secundo modo, posito quòd omnem adhibuerit diligentiam, ne inebriaretur, & per hoc dilutum aqua vinum biberit, & non in extraordinaria quantitate, sed propter aliquod inopinatum accidens, vel quia de industria datum est illi vinum inebriatiuum, inebriatus est, homicidium hoc modo secutum dicitur casuale secundo modo; quia iste absque culpa inebriatus est, & homicidium non est voluntarium in se, quia quando sequitur, occidens vsu rationis non vtitur; neque in causa, quia omni diligentia adhibita, inuincibiliter ignorabatur. Si autem quis esset expertus, quòd in ebrietate exponit se periculo occidendi, vel mutilandi, & nihilominus voluntariè se inebriaret, & sic ebrius aliquem interficeret, vel mutilaret, tunc homicidium secutum esset casuale primo modo, quia est indirectè, & per accidens volitum; sciens enim talis suam complexionem, tenebatur abstinere. Et potest hoc homicidium etiam esse voluntarium, si talis, vt occideret, de industria inebriatus est. Ita Mol. *tom.* 4. *tract.* 3. *disp.* 71. Aliud exemplum ponit Sylu. *verbo Homicidium* 2. *num.* 1. v. g. si reparans tectum, adhibita omni diligentia, positis signis in via, submittens tegulas interficit stultè incedentem vltra signa, homicidium casuale est 2. modo. Si verò dictus reparator signa non posuisset in via, tunc homicidium casuale esset 1. modo; indirectè enim voluntarium est, debebat enim cogitare, accidere posse, vt aliqua regula caderet, quæ transeuntem interficeret.

107. Aduertendum verò, quòd homicidium casuale 2. modo nullo pacto peccatum est, quia cum peccatum non sit, vbi voluntas non est, hic autem nulla voluntas, neque directa, neque indirecta sit, nullum potest esse peccatum, nec consequenter tale homicidium, vel mutilatio vllam inducit irregularitatem, licèt enim irregularitas incurratur aliquando sine culpa, vt patet in iudice sententiam mortis proferente, nunquam tamen incurritur sine voluntate, vt Molina *loco citato, num* 3. Val. *tomo* 4. *disputatione* 7. *quast.* 19. *puncto* 3. *tit. De quinta specie irregularitatis, versu Secunda sententia,* Sotus *lib.* 5. *de instit. quast.* 1. *artic.* 9. Couarr. *in Clem. Si furiosus, p.* 2. §. 4. *num.* 9. Et ratio est, quia vbi voluntas non adest, neque etiam potest adesse irregularitas, & colligitur expressè *ex Clem. Si furiosus, de homicid.*

108. Quod intellige, etiamsi qui taliter occidit, operam daret rei illicitæ, vt Sot. & Val. *loc. cit.* Et Couarr. *num.* 10. qui hanc sententiam multis probat. Hanc opinionem Couarruuiæ tenet etiam Suarez *tom.* 5. *in* 3. *p. disp.* 45. *sect.* 6. *num.* 9. Sed cum limitatione, exceptuando nimirum casus à iure expressos, quos dicit esse duos *num.* 10. Vnus *in cap. vlt. de homic. vol. in* 6. vbi mandans alium iniustè percuti, si mandatarius excedat & occidat, qui mandauit irregularis manet, etiamsi omnem adhibuerit diligentiam, ne percussio mortalis esset. 2. est *in cap. Tua nos, de homicid.* in quo quidam Monachus officium chirurgi exercens, tumorem gutturis cuiusdam mulieris, omni adhibita diligentia, aperuit, quæ mulier deinde ex eo mortua est, & talis Monachus censetur à Papa irregularis, intellige in foro externo, in quo non iudicatur de occultis, sed solùm secundùm præsumptiones, & indicia. Seu dic, quòd istis duobus casibus ideò illi declarantur irregulares, non quia opera de se essent illicita, sed quia de se erant facillimè inducentia mortem. Vnde opinio Couarr. Val. Soti est simpliciter tenenda: Nisi opus illicitum de se esset facillimè inductiuum mortis, & tunc fiet transitus à casu homicidij casualis 2. modo ad homicidium casuale primo modo; operans enim tale opus tenetur cogitare de eo, quod potest illi accidere, nimirum quòd opus exercitum potest causare mortem, & sic erit homicidium indirectè, & per accidens voluntarium, si non cogitet.

109. Ex quibus deducitur decisio illius casus, quo Clericus, qui venationis illicitæ operam dedit, & absque eius culpa omni diligentia præmissa, hominem iaculo confixit, & occidit, existimans esse feram, an hic sit censendus irregularis.

Respondeo non esse talem Clericum, vel Regularem

larem censendum irregularem, quia venatio Religiosis probibita non est ob pericula homicidij, sed solùm propter honestatem, vt suppono. Couarruu. *in Clem. Si furiosus*, 2. *p*. §. 4. *numer*. 10. *versu Quartò infertur*. Sotus *lib*. 5. *de iust*. *q*. 1. *art*. 9. Llamas 1. *p*. *methodi*. *cap*. 13. §. 23.

110. De homicidio casuali primo modo certissimum est, quòd irregularitatem inducit. Suar. *tom*. 5. *in* 3. *p*. *disp*. 45. *sect*. 2. *n*. 1. Mol. *tom*. 4. *tract*. 3. *disp*. 71. *num*. 3. *concl*. 3. Nau. *in sum*. *cap*. 27. *n*. 230. *fine*. Bonac. *de cens*. *disp*. 7. *q*. 4. *p*. 7. *prop*. 2. *n*. 6. Val. *tom*. 4. *disp*. 7. *q*. 19. *puncto* 3. *tit*. *De quinta specie irreg*. *ver*. *Porrò in hac*. Ratio est, quia hoc homicidium est sufficienter voluntarium, & mortaliter peccaminosum, vt supponimus, propter defectum necessariæ diligentiæ.

111. Sed quid, si homicidium hoc casuale secutum fuit propter negligentiam venialem, quia scilicet adhibita fuit diligentia ad vitandum illud, sed non omnimoda, ita vt negligentia, quæ interuenit, non excedat veniale peccatum, homicidium secutum ex ista negligentia veniali inducet-ne irregularitatem?

Respondeo. Quòd hæc negligentia irregularitatem non inducet. Val. *loc*. *cit*. Sot. *lib*. 5. *de iust*. *q*. 1. *art*. 9. Suar. *loco cit*. *sect* 5. *num*. 8. Sayr. *de censur*. *lib*. 7. *cap*. 5. *num*. 5. Bonac. *loc*. *cit*. *n*. 27. Nam pœna ita grauis, qualis est irregularitas, non debet infligi, nisi propter culpam grauem, qualis est mortalis.

112. Si quæras, quis poterit dispensare in ista irregularitate contracta per hoc homicidium casuale voluntarium indirectè.

Respondeo. Si huiusmodi homicidium casuale notorium, & publicum sit, solus Papa dispensare potest. Suar. *tom*. 5. *in* 3. *p*. *disp* 44. *sect*. 1. *n*. 1. Couarr. *in Clem*. *Si furiosus*. *p*. 2. § 3. *n*. 5. Mirand. *to*. 2. *Manual*. *q*. 8. *art*. 13. *concl*. 1. Et probatur ex *c*. 7. *sess*. 14. *Conc*. *Trid*. *de refor*. ibi *Committatur loci Ordinario*, idest talis dispensatio potest committi à Papa Ordinario loci, &c. Si verò huiusmodi homicidium casuale occultum sit, tunc possunt super irregularitate ex illo contracta dispensare Episcopi, per *cap*. 6 *sess*. 24. *de reform*. & etiam Prælati regulares, qui eandem habent auctoritatem in subditos, sicut Episcopi. Ita Bonac. *loco cit*. *part*. 8. *num*. 5. Llamas *part*. 1. *sui meth*. *capit*. 12. §. 25. Saytus *lib* 7. *de censur*. *capit*. 7. *num*. 24. Chapeau. *part*. 2. *cas*. 3. *diffic*. 8. *vers*. *Secundò infertur*.

113. De homicidio verò ob propriam defensionem patrato, eodem modo philosophandum est, sicut de homicidio casuali. Nam si homicidium fiat ad defensionem propriam, vel patris, ex declar. Congreg. facta *die* 25. *Iunij*, *anno* 1599. seu Prælati proprij, ex Ant. 3. *p*. *tit*. 28. *cap*. 2. §. 3. cum moderamine inculpatæ tutelæ, idest quòd aliter non possit vita propria, aut Prælati, vel patris saluari, tunc nulla incurritur irregularitas. Ita Suar. *tom* 5. *in* 3. *p*. *disp*. 46. *sect*. 1. *n*. 1. Nauar. *in Manual*. *cap*. 27. *num*. 209. *versu Dixi extra necessitatem ineuitabilem*; Molina *tom* 4. *tract*. 3. *disput*. 72. *num*. 1. Couarr. *in Clem*. *Si furiosus*. 3. *p*. §. *vnic*. *statim in princ*. Et probatur ex dicta *Clem*. *Si furiosus*, quæ est *vnic*. *de hom*. quæ sic habet. *Si furiosus*, *aut infans*, *aut dormiens hominem mutilet*, *vel occidat*, *nullam ex hoc irregularitatem incurrit*, *& idem de illo censemus*, *qui mortem aliter vitare non valens*, *suum occidit*, *vel mutilat inuasorem*. Et fundatur in iure naturæ; naturaliter enim vnicuique licitum est se ipsum ab aggressore defendere. *L*. *Vt vim*. *ff*. *de iust*. *& iur*. *cap*. *Dilecto*, *de sent*. *excomm*. *in* 6.

114. Si autem quis excedat in modo defensionis, & excessus mortalis sit, tunc irregularitatem incurret. Suar. *loco cit*. *n*. 4. Couar. *loco cit*. *num*. 3. Bonac. *disp*. 7. *de cens*. *q*. 4. *p*. 6. *num*. 3. & communiter omnes, & patet ex *cap*. 7. *Concil*. *Tridens*. *sæpius cit*. in quo tales irregulares censentur; non enim loquitur ibi Concilium de eo, qui occidit alterum cum moderatione inculpatæ tutelæ, nam iste non est irregularis, vt dicitur *in Clem*. *Si furiosus*. Quod bene aduertit Val. *tom* 4. *disp*. 7. *q*. 19. *p*. 3. *tit*. *De quinta specie*, *versu Porrò in hac*.

115. Sed est dubium, an irregularitas incurratur, quandò per fugam potest vitari periculum, & aggressus non vult fugere, sed resistere, & se defendere. Ad quod bene Llamas 1. *p*. *sui meth*. *cap*. 12. §. 14. & Suar. *tom*. 5. *in* 3. *p*. *disp*. 46. *sect*. 1. *num*. 5. Aut enim potest fugere sine periculo, & dedecore, vel infamia, aut non. In 1. casu fit irregularis, si resistat, & occidat in sui defensionem, quia in hoc casu non potest excusari à culpa coram Deo; Hinc sequitur communis illatio, Clericum, seu Religiosum, si occidat, aut mutilet, cum posset fugere, fieri irregularem, quia ei fuga non est ignominiosa. In 2. casu non incurret irregularitatem, quia quod vitari non potest sine magna infamia, & dedecore, moraliter ineuitabile est, & ideo meritò hic casus *sub Clement*. *cit*. intelligitur comprehensus. Adde, quòd ibi non est culpa, nec est voluntas, moraliter loquendo, quia est moralis necessitas, quid enim magis necessarium moraliter, quàm vitare grauem infamiam, vel amissionem honoris. Videatur Bonac. *loc*. *cit*. qui multos casus particulares tractat, quos non est meum referre; & Aloys. Ricc. 4. *p*. *collect*. 930.

116. In hac irregularitate contracta per homicidium causa defensionis, non seruato moderamine inculpatæ tutelæ, si occulta est potest Episcopus dispensare, per *cap*. 6. *Concil*. *Trid* *sess*. 24. *de reform*. Quia Conc. reseruat sibi solùm homicidium voluntarium, non autem homicidium volitum causa defensionis, etiamsi sit excessum in modo. Nauar. *in Manual*. *cap*. 27. *num*. 239. *versu Secundò nota*; Sayr. *lib*. 7. *de censur*. *cap*. 7. *num*. 22. Val. *loco cit*. Mol. *tom*. 4. *tract*. 3. *disput*. 79. *num*. 8. Henr. *lib*. 14 *cap*. 10. *n*. 2. Bonac. *disp*. 7. *de censur*. *q*. 4. *p*. *vlt*. *n*. 9. & per consequens possunt etiam Prælati regulares. Si autem sit notoriè publicum, solus Papa dispensat. Ita præfati Doctores, in specie Mol. & Bonac. Patet ex illis verbis Concil. Trid. cap. 7. sess. 14. de refor. *Ordinario loci committatur*, *qui non nisi causa cognita*, &c.

117. Circa mutilationem membrorum, si delictum sit occultum, possunt Episcopi in irregularitate sic contracta dispensare per *cap*. 6. *sess*. 24. *Concil*. *Triden*. *de reform*. eo enim ipso quod excipitur homicidium voluntarium, membri mutilatio conceditur, & per consequens id poterunt Prælati regulares, non obstante prohibitione, quæ hic fit; de quibus diximus supra *in constit*. *Pyrrhi num*. 46. quod habent eandem auctoritatem in suos subditos, quam Episcopi: Et dicit Llamas 1. *part*. *meth*. *cap*. 12. §. 25. quod Gregorius XIII. concessit Abbatibus Ordinis S. Bernardi, & Societati Iesu ac Ordini Minorum quò ad forum conscientiæ eandem auctoritatem, quam concesserat Conc. Episcopis *sess*. 24. *cap*. 6. *cit*. Quod in terminis nostri casus dicunt Mirand. *tom*. 2. *Man*. *q*. 8. *art*. 11. & Rod. *tom* 1. *q*. *reg*. *q*. 24. *art*. 10. Nomine autem mutilationis intelligitur omnimoda truncatio membri, non sola debilitatio, qua membrum inutile redditur. Vnde qui claudum aliquem reddit, vel cœcum, non eruendo oculum, non incurrit hanc irregularitatem. Glossa *in cap*. *Is qui de homic*. *in* 6. Mol. *tom*. 4. *de iust*. *tr*. 3. *disp*. 68. Sayr. *lib*. 6. *de censur*. *cap*. 15. *numer*. 6. Panorm. *in cap*. *De Diacono*, *qui Clerici*, *vel vou*. *num*. 9. licet contrarium dicat (nimirum solam redditionem membri inutilis irregularitatem causare) *cap*. *Cum illorum*, *de sentent*. *excommunic*. *num*. 8. *fine*, vbi etiam ait, quòd membrum propriè dicitur pars corporis habens officium separatum, & distinctum ab aliis partibus, vt manus, pes, oculus; declarat etiam ibi, quæ sit enormis læsio. Sed dic cum Glossa *d*. *c*. *Cum illorum*, *verbo Membra*, quòd id relinquitur iudicis arbitrio.

118. Ex quo etiam deduco, quòd possunt Prælati regulares

regulares dispensare cum sibi subditis in irregularitate cum habente membrum abscissum, etiam manifestum, & sua culpa, vt si careat oculo dextro, vel digito, qui tamen non sit pollex, quia cum prædictis, dispensat Episcopus, Ita Cruz *lib. 1. de statu Relig. cap. 6. dub. 17. concl. 2.*

119. Deduco etiam, quòd Prælatus regularis potest absoluere suum subditum, qui percusserit, non solùm alium Regularem sui ordinis, sed etiam si fuerit alterius Ordinis, immo etiam si fuerit Clericus sæcularis, non obstante *cap. Cum illorum, de sent. excom. & cap. Religioso, eod. tit. in 6.* Ita A Sorbo *in comp. priu. verb. Absolutio ordinaria quò ad fratr. pag. 19.* Rodriq. *tom. 1. quæst. reg. quæst 20. art. 12.* Minora enim intelliguntur concessa, vbi sunt concessa maiora, *cap. Ex parte, de decimis, el 3.*

120 Quòd ad bigamiam sciendum, quòd tripliciter incurritur irregularitas bigamiæ. 1. quando duas habuit, & cognouit vxores 2. quando duxit viduam, vel corruptam ab alio. 3. quando Clericus in sacris constitutus, vel Religiosus professus contrahit matrimonium, & cognoscit vxorem. Ita Llamas *1. p method. cap. 12. §. 2. & 3.* Rodriquez *tom. 1. quæst. regul. quæst. 24. artic. 2.* Nauarr. *in man cap. 27. num. 195.* Viuald. *in candel. aur. tit. De irregul. de bigam. num. 1.* In bigamia 1. & 2. modo solus Papa dispensat quò ad ordines sacros, nam quò ad minores non solùm susceptos, sed suscipiendos etiam Prælati regulares, vt dicunt Rodriq. Llamas *loco citat.* & Sayr. *lib. 6. de censur. cap. 6. n. 11.* Contrarium docet Suar. *tom. 5. in 3. p. disput. 49. sect. 6. num. 4.* & Garcia *p. 7. de benef. cap. 6. num. 14.* qui tamen *num. 13.* plures citat pro nostra sententia, & de ist s bigamis intelligitur exceptio facta in isto, & alia similibus priuilegiis. De tertia bigamia, si Clericus, vel Religiosus virginem duxit, putant Rodriquez & Llamas, quòd possint regulares Prælati cum isto dispensare, non solùm vt in susceptis ministret, sed etiam vt ad maiores ascendat, Nauarr. *loco cit. num. 197. fine.* Zerola *in praxi p. 2. verbo Bigami, versu 3.* Panormit. *in capite. Ex literarum, qui Clerici, vel vouen. num. 5.* Et colligitur *ex d. cap. & ex capite 1. eiusdem titul.* Cruz *lib. 1. de statu Relig. cap. 6. dub. 17. concl. 1.*

§. XXX.

121. Vide constitut. antecedentem huius Pontif. §. 33. Et nota 1. quòd hoc est amplissimum priuilegium: & plura similia, & etiam maiora, etiam cum derogatione *cap. Nuper, de decim.* habes apud Rodriquez *tom. 2. q. regul. q. 44. art. 2.* & pro Monialibus *ibid. art. 5. & tom. 3. q. 74. art. 16.* & etiam apud Casarub. *verbo Decimæ* Guttier. *consil. 5.*

122. Nota 2. quòd decima est omnium bonorum mobilium licitè quæsitorum pars decima Deo dicata, diuina constitutione debita. Ita Hostiens. *in sum. tit. De decimis, §. 1.* Rodriquez *art. 1.*

123. Si quæras, quo iure debeantur decimæ.

Respondeo Val. *tom. 3. disput. 6. q. 5. part. 1. versu Nihilominus;* quòd reddere mercedem Ecclesiasticis ministris est de iure naturæ, atque adeo de iure diuino. Quotam verè decimarum, videlicet vt id fiat, conferendo eis decimas, in veteri quidem lege fuisse de iure diuino positiuo, in noua autem solùm de iure humano Ecclesiastico; *tit. De decimis 16. q. 1.* & est sententia D. Thom. *2. 2. q. 87. art. 1.*

124. Nota 3. quòd primitia est oblatio facta Deo, & Ecclesiæ in suis ministris ex primis, & quasi præcipuis fructibus terræ. Syl. *verb. Decima, numero 1.* Val. *loc. cit. quæst. 4. p. 4.* Colligitur ex D. Thom. *2. 2. quæst. 86. art. 4.* Hoc tempore primitiæ offerri debent, non ex aliquo naturali, aut diuino præcepto (his enim satisfit sustentando quomodocumque ministros Ecclesiæ, & offerendo qualescumque alias res externas in honorem Dei) sed ex decreto Ecclesiæ, iuxta locorum receptam consuetudinem, & necessitatem ministrorum Ecclesiæ. Ita D. Th. *2. 2. q. 86. art. 4.* Val. *loco cit. assert. 5.* Syl. *ver. Decima, n. 3.* vbi ait, posse tolli obligationem soluendi primitias per contrariam consuetudinem, eo modo, quo potest alicubi tolli obligatio soluendi decimas.

125. Noto 4. quod oblatio est munus quoddam, non priuatæ personæ, sed Ecclesiæ, ad Dei cultum, & ministrorum eius vsum, à Christi fidelibus de rebus licitè acquisitis oblatum. Ita Syl. *verb. Decima, numero 1.* Differt autem oblatio à decimis: tum quia decima solùm est omnium bonorum mobilium licitè acquisitorum pars decima Deo data, oblatio verò non solùm de decima parte rerum mobilium, sed etiam de aliis quibuscumque etiam immobilibus, fieri potest; tum etiam quia secundùm Hostien. *in summ. tit. De decimis, §. 1.* Oblatio offertur Deo immediatè, hoc est ad cultum Dei, cum tamen decimæ non offerantur immediatè Deo, sed eius ministris, scilicet alendis, aut dispensaturis. Differt verò oblatio à primitiis, quòd primitia solùm est prima pars frugum, siue fructuum Domino offerenda, at verò oblatio non solùm ad primas partes frugum, aut fructuum, sed etiam ad omnia se extendere potest. Qua ratione nummi, & cerei, panis, & vinum in exequiis oblationes dicuntur. Decimæ itaque atque primitiæ sunt quædam species oblationis, & ad illas se habet oblatio tanquam genus ad species. Ita D. Thom *2. 2. q. 86. art. 1.*

126. Noto 5 quod possunt oblationes esse debitæ hoc tempore gratiæ ob aliquam ex hic quatuor causis. 1. quia aliquis fundus datus est ab Ecclesia alicui cum censu reseruatiuo aliquorum fructuum, qui proinde ex eo debeant offerri. 2. propter promissionem aliquam inter viuos, aut in testamento factam Ecclesiæ. 3. propter necessitatem ministrorum, qui non habent aliunde, vnde viuant. 4 propter consuetudinem receptam, quæ potissimùm attendenda est etiam quòd attinet ad primitias. Ita D. Thom. *loco cit.* Syl. *verbo Decima, n. 4. q. 2.* Val. *tom. 3. disp. 6. q. 4. p. 4. assert. 1.*

127. Redditio autem harum oblationum obligat sub mortali, immò id præcipitur sub pœna excommunicationis *capite Præter hoc, dist. 32. & capite Statuimus* 16. *quæst. 1.* Prima autem oblatio, quando Ecclesia dat alicui fundum, vt recipiens teneatur statis temporibus pensionem soluere, seu in emphyteusim, potiùs habet rationem census, quam oblationis, vnde de ea videndi sunt auctores de emphyteusi tractantes. De secunda oblatione aduerte, quòd *in capite Qui oblationes, 13. quæst. 2.* ita habetur. *Qui oblationes defunctorum aut negant Ecclesiis, aut difficulter reddunt, tanquam egentium necatores excommunicentur.* Alio cap. dicitur ibid. *Qui oblationes defunctorum retinent, & Ecclesiis reddere demorantur, vti infideles sunt ab Ecclesia abiiciendi, quia vsque ad inanitionem fidei peruenire certum est hanc pietatis diuinæ exacerbationem, quia & fideles de corpore recedentes, votorum suorum plenitudine, & pauperes consolatu alimoniæ, & necessaria sustentatione fraudantur; Hi enim tales quasi egentium necatores nec credentes iudicium Dei habendi sunt, Vnde & quidam Patrum* (Hieronymus) *hoc scriptis suis inseruit, congruente* sententia, *qua ait, Amico quidpiam rapere furtum est, Ecclesiam verò fraudare sacrilegium.* &c. Qui abstulerit, 12. *quæst.* 2. dicitur, *Qui Christi pecunias, & Ecclesiæ rapit, aufert, vel fraudat, homicida est.* Ex quibus patet, quàm graue delictum sit legata pia non soluere; debent enim hi excommunicari. In aliis duobus casibus oblatio est voluntaria quo ad quid vel quantum, vel in offerre, modò ab eis satisfiat ministrorum, aut Ecclesiæ necessitati, vel consuetudini, offerendo aliquid. Ita D. Thom. Syl. *loc. cit.* Val. *assert. 3.* Nauarr. *in mann. c. 13. num. 19.*

128. Notant

128. Notant autem Val. Nauarr. & Sylu. in diebus festis cum ex consuetudine est in Missa offerendum, sufficere si maior pats populi offerat, atque adeo non peccare eum, qui semel, vel iterum id facere intermittit, sine contemptu, & scandalo, nisi fortè suo malo exemplo efficiat, vtne maior quidem pars populi offerat. Notat etiam D. Thom. 2.2. *quæst.* 86. *art.* 1. *ad* 3. & Caiet. *ibi*, quòd illi, qui debitas oblationes non reddunt, possunt puniri per subtractionem sacramentorum, non per ipsum sacerdotem, cui faciendæ sunt oblationes, ne videatur per sacramentorum exhibitionem aliquid exigere, sed per aliquem Superiorem, nimirum Episcopum, vel etiam Vicarium fotaneum.

129. Addit verò Caiet. in tali casu posse sacerdotem monere recusantem oblationes soluere, seu offerre, ad missarum solemnia cum aliis, vt faciat, quod debet, & si noluerit, negare ei sacramenta, protestando coram abis, se non denegare ei sacramenta, quia nolit oblationes offerre, quæ ad ipsum pertinent, sed quia non est paratus conscientiæ suæ consulere, oblationes offerendo, ad quas sub mortali peccato tenetur.

130. Notat etiam D. Thom. *loc. cit. art.* 2. *ad* 2. quòd Monachi, siue alij Religiosi possunt oblationem recipere tripliciter. Primò sicut pauperes, per dispensationem sacerdotum, vel ordinationem Ecclesiæ. 2. si sint ministri altaris, tunc possint accipere oblationes sponte oblatas. 3. si Parochiæ sint eorum, & tunc ex debito possunt accipere oblationes tanquam Ecclesiæ Rectores.

131. Noto etiam ex D. Thom. *loc. cit. art.* 2. *cor.* quòd sacerdotes, siue Monachi, vel alij Religiosi, quibus offeruntur oblationes, possunt vti eis, quæ sibi offeruntur trifariam. 1. in fabricam, & reparationem Ecclesiarum, & in apparatum eorum, quæ ad diuinum cultum pertinent 2. in suum ipsorum proprium victum, quid enim altari seruit, de altario viuere debet. 3. in subsidium pauperum, quos bonis Ecclesiasticis pasci decet.

132. Noto etiam, quòd non solùm domus, & prædia nostra sunt exempta à solutione decimarum, sed etiam coloni, qui conducunt agros nostros, siue conducant ad medietatem fructuum, & dicuntur coloni partiatij, siue vt quotannis certam partem fructuum nobis tribuant in omnem euentum, & reliquum sibi acquirant; & dicuntur coloni, vel conductores censuales. Nam priuilegium est reale, & priuilegium reale iure communi transit ad colonos. Panorm. *in cap. Ex parte, el.* 1. *num* 4. *de decim. & cap. sequ. n.* 3. Iac Pureus *lib.* 2. *decis.* 522. *num.* 3. Corduba *in sum. casu* 101. Guid. Pap. *q.* 207. Azor. *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 26. *q.* 7. Filiu. *tomo* 1. *tract.* 16. *cap.* 11. *num.* 302. Rodriquez *tomo* 2. *quæst. regul. quæst.* 44. *art.* 4. *versu Et primò dicendum est.* Henriq. *lib.* 7. *de indulg. cap.* 27. *num.* 8. Habet Glossa *in Clem.* 1. *versu Ad excolendos, de decim. &* & multos alios affert Henriquez *in comm. lit. k & in eod. comm. lit. L.* adducit ad id priuilegia Pauli III. Pij IV. Gregorij XIII. Et addit, quòd cum hæc causa fuerit agitata Romæ, & apud multa Ecclesiastica tribunalia in Hispania, semper pronuntiatum est in fauorem Religionis, & colonorum.

133. Noto etiam, quòd neque etiam Religiosi tenentur soluere decimas ex prædiis, siue domibus, quæ habent in emphyteusim, neque etiam ex his, quæ habent conducta, siue locata, vt probat Azor. *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 26. *quæst.* 8. Denique nota, quòd noualis ager, de quo *supra in constit.* 1. *huius Pontif.* §. 28. 29. *&* 33. est ager nunc primum præcisus, de quo non est memoria, quòd fuerit cultus, & nunc est ad culturam redactus. Ita habetur *capite* 1. *& cap. Quid per nouale, de verb. signif. & capite final. de priuileg.*

§. XXXII.

134. Vide quæ dico *tom.* 1. *Relig. quæst.* 1. *capite* 20. *concl.* 2. vbi latè ago, an, & quomodò liceat fratribus appellare à suorum Superiorum sententia, & in quibus causis iuris apices sint seruandi, *dicto capite* 20. §. *vnic. in fine.* Et aduerte, quod ista constitut. Bonif. VIII. est apud Cherub. *tom.* 1. *bull. pag* 140. & incipit, *Ad augmentum.* Aduerte etiam, quòd corrigere excessus subditorum, de iure communi ad proprios Prælatos pertinet, *capite Vt fama, de sent. excom. capite* 1. *de offic. Ord.* ne sanguis eorum de suis manibus requiratur, *capite Irrefragabili, de offic. Ord.* Nec admittitur pastoris excusatio, si lupus oues comedit, & pastor nescit; *cap. Quanto, de præsump.* & eo ipso quod Prælatus tacet, consentit; *capite Si Rector, dub.* 43. ex eo enim sumunt mali subditi ansam, & securitatem delinquendi. *capite Error, dub.* 23. & facilitas veniæ incentiuum tribuit delinquendi; *capite Est iniusta* 23. *quæst.* 4. *& capite Vt fama, de sent. excomm.*

§. XXXIII.

135. NOto 1. quòd licèt Papa dicat in isto §. & aliis etiam antecedentibus, quòd priuilegia in his concessa non censeantur reuocata per clausulas generales, sed quòd debeant reuocari per clausulas speciales; ac de verbo ad verbum inserto priuilegio, nihilominus tamen dicendum est, quòd per clausulas generales, hic pro expressis habentes, seu etiamsi de his oporteret fieri expressa mentio, vel De verbo ad verbum, censeri debent reuocata, nam alioquin, cum hæc priuilegia in facto consistant, & Papa non habeat de his omnibus memoriam, impossibile esset, quòd de omnibus huiusmodi priuilegiis mentionem faceret de verbo ad verbum; atque ita nunquam posset ea reuocare, & sic illius potestas diminueretur, quòd est omnino absurdum, nam vnus Pontifex non potest ligare manus alterius Pontificis, qui eandem, quam ipse, habet auctoritatem, *cap. Innotuit.* §. *Quamuis, de elect.* Et expedit aliquando priuilegium mutare, declarare, reuocare, *cap. Alma mater, de sent. excomm. in* 6. *cap. Statutum, de rescript. eod. lib. cap. Ad conditorem. de verb. signif. extr. Io. XXII.* Quare vniuersaliter dicendum est, quòd per verba quantumvis generalia, si constet de mente Pontificis, quòd efficaciter reuocare intendat, possunt reuocari quæcumque priuilegia. Ita Rodriq. *tom.* 2. *quæst. regul q.* 63. *art.* 8 *& tom.* 1. *q.* 9. *art.* 6. Casatub. *verb. Priuilegia, tit. Sequuntur quædam quæstiones, q.* 1. Felin. *in c. Nonnulli, de rescript. n.* 6 quia illa verba. *Pro expressis habentes*, æquiualent reali expressioni.

136. Noto 2. pro terminorum intelligentia, quòd ista vocabula tributum, vectigal, gabella, telonium, &c. loquendo de iis in genere, important publicam exactionem debitam Principibus, siue Communitatibus. In specie autem vnumquodque habet suam particularem differentiam. Vectigal enim est pretium, quod pro rebus vectis soluitur, & est idem quod guidagium, quod nihil est aliud, quàm id, quod datur pro ducatu per terram alicuius, vt securiùs vadant. Et hoc etiam dicitur telonium, quòd à græco nomine ductum idem est quod vectigal, seu gabella, vel duana. Itaque vectigal, guidagium, telonium, gabella, duana sunt idem. Pensio est pretium vsus rei locabilis, quæ si soluatur priuatæ personæ, dicitur priuata; si Principi, vel Communitati, dicitur publica. Census est quædam pensio, quæ de prouentibus soluitur. Tributum est census, qui datur de proprio solo Principi, vel Communitati; Itaque pensio, census, tributum, quando sunt publica; idem sunt. Tallia verò, præstantia, impositio, collecta idem etiam sunt, & quodlibet horum, est summa, quam

Princeps, vel Communitas exigit proportionaliter ad totam substantiam cuiuscumque. Angaria autem, & perangaria est iniusta compulsio, siue coactio ad aliquid soluendum, vel faciendum; seu angaria est obsequium personale, perangaria verò est obsequium personale, & reale, propriis scilicet sumptibus præstitum. Munus aliquando sumitur pro dono; aliquando pro officio, vel honore, aliquando verò sumitur pro eo, quod necessariò subimus lege, vel imperio. Ita Sylu. *ver. Gabella, 1. per totam.* Rodrig. *tom. 2. quæst. reg. q. 65. art. 1.*

137. Noto 3. quòd disputant Doctores, an Ecclesiastici sint exempti à solutione gabellarum iure diuino, an verò solùm humano, hinc inde sunt opiniones. Rem ex professo tractant Cened. *collect.* 37. Rodrig. *tom. 2. quæst. regul. quæst 62. art. 2.* Couarruu. *pract. quæst. cap.* 31. Ioann. Med. *Cod. de restit. quæstion.* 15. Mol. *tom. 1. de iust. tract. 2. disput.* 31. & esse humano iure tuentur. Abbas *in cap. Non minùs. de immunit. Eccles. num.* 17. Fel. & alij multi apud Couarruu. *loco cit. n. 1.* exemptos esse iure diuino defendunt. Hic id discutere meum non est: scio solùm, quòd *in iure Canonico, cap. Quanquam, de cens. in 6. §. Cum igitur*, hæc habet Bonifacius VIII. *Cum igitur Ecclesiæ, Ecclesiasticæque personæ, ac res ipsarum, non solum iure humano, quinimmò, & diuino, à sæcularium personarum exactionibus sint immunes.* Et in Trid. *sess. 25. c. 20. de refor.* habetur. *Ecclesiæ, & personarum Ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatione, & Canonicis sanctionibus constitutam.*

138. Noto 4. quòd imponentes Ecclesiasticis, ac illorum bonis gabellas, tallias, vectigalia, & alia onera, seu ab illis exigentes, aut sic imposita à sponte dantibus recipientes, sunt ipso facto excommunicati *per bullam Cœnæ, §. 18.* Pro cuius explicatione vide Scottiam *in select. bull. theor. 427* Nald. *in sum. verbo Bulla Cœnæ, num.* 57. & alios dictam bullam exponentes. Similem excommunicationem habes *in cap. Quanquam.* Et *in Clem. vlt. de cens.* iubentur Episcopi publicare excommunicationes à iure latas cõtra exigentes nomine proprio, vel alieno ab Ecclesiasticis vectigalia, &c. Quòd si Episcopi negligentes sint in talibus excommunicationibus publicandis, possunt puniri pœna arbitraria. Menoch *lib. 2. de arbitr. casu* 556.

139. Aduerto autem breuiter; quod ad incurrendam dictam excommunicationem bullæ Cœnæ requiritur, vt illarum impositio sit expressè facta quò ad Ecclesiasticos, vbi verò in impositione gabellarum nulla facta esset mentio Ecclesiasticorum, & exactores exigerent indistinctè, tam à laïcis; quàm à Clericis, tunc dicti exactores incurrerent excommunicationem *cap. Quanquam,* quæ non est reseruata, vt Nauar. *lib 3. consil. de cens. consil. 6. n. 8* Ita Quaranta *in summ. bull. verbo Vectigal, versu Vt autem exigentes, pag.* 635.

140. Aduerto etiam, quòd non semper à sponte dantibus recipientes incidunt in dictam excommunicationem, sed illi solùm, qui sic recipiunt, quando onera imposita sunt ipsis personis Ecclesiasticis, tunc enim soluunt in apparentia sponte quidem, sed verè, & in effectu ratione oneris impositi. Vnde sequitur, quòd si in impositione onerum expressum sit, Clericos ad id non teneri, tunc si Clerici sponte soluant, recipientes ab eis in hanc excommunicationem non inciderent, vt patet ex illis verbis bullæ. *Sic imposita, etiam à sponte dantibus recipiunt*, vbi sensus illius particulæ *Sic imposita* est, quòd, qui exigunt, aut recipiunt tributa sic imposita Clericis, hoc est, ita vt Clericos in impositione comprehendant, excommunicati sunt,

141. Aduerto etiam, quòd hæc excommunicatio non procedit, quando esset facienda contributio pro aliquo extraordinario, quod immediate spectaret etiam ad bona ipsorum Ecclesiasticorum, & quadam ratione naturali illis incumberet, veluti si ageretur de reficienda via penitus destructa, quæ extenderetur etiam per domos, & prædia ipsorum Ecclesiasticorum, propter quod eis ad suas possessiones difficilis esset accessus, tũc tenerentur ad expensas contribuere. Sylu. *verbo Immunitas 3. sub num. 19. versu Sunt tamen aliqua.* Nauarr. *in Man. cap. 27. num. 115. versu Tertio quòd.* Tenentur etiam soluere, quando soluuntur pro communi damno, seu periculo vitando. Panormit. *in cap. Non minùs numer. 20. de immunit. Eccl.* Rodrig. *in summ. p. 2. cap. 73. conclus. 13.* vt v.g. ad expellendos hostes vastantes territorium, in quo Ecclesiastici habent multa prædia, seu ad eiiciendos impestatos extrà Ciuitatem, quibus casibus possunt cogi dicti Ecclesiastici à suis Superioribus ad soluendum: non autem à Principibus sæcularibus, qui si compellerent, incurrerent in excommunicationem, iuxta *cap. Non minus, & cap. Aduersus, de immunit. Eccl.* Sed quando talis casus contingeret, deberet consuli Romanus Pontifex. Et vbi tanta necessitas immineret, quòd non posset sine aliorum scandalo, & periculo haberi priùs recursus ad Papam, sufficeret tunc deliberatio Episcopi, & Clericorum, & Superiorum regularium, vniusquisque pro sua parte. Ita definit Gutier. *lib. 1. pract. quæst. q. 3. n. 6.* Si autem Episcopus, & Clerus, vel Regulares nollent in prædictis casibus soluere contributiones pro rata, posset populus eorum Superiorem appellare; qui eos ad soluendum coget. Guttierr. *loc. cit. num. 8. & 9.*

142. Noto 5. quòd hoc priuilegium exemptionis à gabellis transit ad colonos, cum sit reale. Abbas *lib. 1. consil. consil. 9. versu Ad secundum, & in cap. Ex parte, el 1. num. 4. & 5. de decim.* Zabar. *in Clem. 1. de decim. q. 22. & 23.* & alij, quos citat Menoch. *lib. 2. de arbitr. casu 562. num. 46.* Sed extat bulla de exemptione generali Regularium Pij V. quæ incipit, *Dum ad vberes*, quam refert Cherub. *tom. 2. bull. in Pio V. constit. eius 55. pag. 191.* in qua Pontifex *eximit fratres Monachos, Moniales, ac alias regulares personas, eorumque Monasteria, Cœnobia, Conuentus, Ecclesias, Capellas, Oratoria, & alia loca, ac terras, possessiones, prædia, agros, & bona, nec non laboratores, colonos, arrendatarios, locatarios, affictuarios, ac gestores suorum negotiorum, ab omnibus exactionibus, tam vrbanis, quàm rusticis, acnon datiis, gabellis, podagiis, vectigalibus, collectis, impositionibus, oneribus ordinariis, & extraordinariis, ac tam realibus, quàm personalibus, meris, & mixtis, etiam subsidio triennali, & augmento, ac secolaribus, equorum taxis, militumque hospitiis,* &c. *tam impositis, quam imponendis.* Nec solùm sunt immunes à soluendis gabellis Clerici ordinati in sacris, sed etiam Clerici primæ tonsuræ, dummodò incedant in habitu, & tonsura clericali, & inseruiant in diuinis alicui Ecclesiæ. Couarrou. *practic. quæst. cap. 31. sub num. 9.* Filiuc. *tom. 1. tract. 16. cap. 12. numer. 298.* & habetur in Trid. *sess. 23. de reformat. cap. 6.*

143. De Clericis autem coniugatis dicit idem Concilium, quòd si deferant habitum, & tonsuram, & inseruiant alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi, gaudeant priuilegio Canonis *Si quis suadente*, & priuilegio, quòd non possint conueniri coram iudice sæculari propter delicta. Et habetur in *cap. vnic. de Cler. coniug. in 6.* quod caput inuocatur à Concil. Trident. Non gaudent autem immunitate gabellarum, quia illas soluerè tenentur, sicut laïci, & ad cætera laïcorum onera tenentur, vt habetur *dicto cap. vnic. §. In cæteris*, vbi Glossa, & Glossa etiam *in summ.* Docet etiam Guido Papæ *quæst.* 383. Secus autem est in Clericis græcis, licèt coniugatis, quia etiam gaudent immunitate gabellarum, & aliorum onerum. Quarant. *verb. Vectigal, ampliat. 2. pag. 631.*

144. Possunt etiam dicti Ecclesiastici absque gabellæ solutione vendere, seu vendi facere bladum, vinum, oleum,

oleum, & similia, habita tam ex fundis, & vineis patrimonialibus, quàm beneficialibus, non solùm ad grossum, sed etiam ad minutum, non tamen tam ad minutum, quòd possint tenere tabernam, vt Glossa *in cap. Negotiatorem, dist.* 88. Sed verbi gratia, si habeat Clericus centum metretas vini, quòd non sit coactus omnes vni vendere vni decem, alij vnam metretam, alij mediam, alij quartam partem metretæ, sic de frumento, & oleo. Nec per hoc potest dici negotiator, & per consequens quòd in eo locum habeat *cap. fin. de vit. & honest. Cleric.* in quo Clericus negotiator, si ter monitus non desistit, perdit quoad vectigalia clericale priuilegium; hæc enim soluere tenetur iuxta motem patriæ. Nam ille propriè dicitur negotiari, qui emit rem, vt eam lucri causa integram vendat, vt dicitur expresè *in cap. Eiiciens, d.* 88. Ita etiam Panor. *consil. 6. num.* 2. Tol. *in summ. cap.* 38. *num.* 13. Sylu. *verb. Excommunicatio* 9. *num.* 46. Rodrig. *in summ. tom.* 2. *cap.* 73. *concl.* 5. Vnde patet, quàm allucinentur auaritia abcœcati emptores gabellarum, quando prætendunt de domibus, vel prædiis à Religiosis emptis ex pecuniis eis in testamentis à fidelibus pro animabus ipsorum relictis cum Missarum obligationibus perpetuis, vel sine illis, sibi solui debere vectigalia, nam, inquiunt, cum domus emuntur pro habitatione Fratrum, exemptæ quidem sunt, sed cum emuntur ad eas locandas, tenentur soluere, quia hoc est negotiari. Vide imperitiam hominum. Legant Chrysost. relatum. *cap. Eiiciens, dist.* 88.

145. Aduerte etiam, quòd prohibentur Clerici negotiari lucri causa sub pœna excommunicationis: *cap. Secundum, Ne Clerici, vel Monachi* causa autem necessitatis non probibentur. Glossa *dicto cap. verbo causa lucri.* Denique quia Clericus dicendus sit negotiator, vide Quar. *verb. Vectigal, vers. Limitatur denique pag.* 632. & Tusch. *verbo Clerici, concl.* 381. Et ad quæ onera tenentur Eccles. & ad quæ non, vide Tusch. *verbo Onera personalia, &c. concl.* 126. vbi etiam à quibus compelli possint subire onera, ad quæ tenentur.

146. Ad vltimum si quæras, an possint emptores gabellarum exigere à Regularibus iuramentum quòd res, verbi gratia triticum, vinum, &c. quæ per duanam transeunt nomine dictorum Regularium, sint ipsorum, & ad ipsorum vsus deputata.

147. Vt respondeam, suppono 1. Regulares non posse compelli ad testimonium ferendum in causis ciuilibus, nisi quando veritas aliter haberi non potest. Ita habetur *in cap. Cum super, & cap. Dilectorum, de test. cog.* Quo pacto intelligenda sunt multa priuilegia Mendicantibus concessa, quòd non possint compelli testificari: quæ refert Rodrig. *tom.* 2. *quæst. Regul. quæst.* 10. *art.* 2. Vnde hoc casu possunt etiam compelli (mediante suorum Superiorum Regularium præcepto) ad testificandum coram iudice laico, vel Ecclesiastico: interest enim multum reipublicæ, vt veritas patefiat: atque ita dicta priuilegia limitat Panor. *in cap.* 1. *de test. cog. num.* 4. & Rodrig. *loc. cit.* qui arbitratur, quòd in causa sanguinis non possint compelli, etiam quando veritas aliter haberi non potest. Farin. *part.* 2. *praxis de test. cogend. quæst.* 78. *num.* 199. 200. & 201. Hoc tamen intellige, quòd non possint compelli in causa sanguinis, idest ad condemnandum aliquem ad mortem, vel ad abscindendum membrum; secus autem est ad testificandum pro liberatione alicuius à morte, vel infamia, tenetur enim quisque proximum suum defendere, *cap. Dilecto, de sentent. excommunic. in 6.*

148. Suppono 2. quòd Regulares sunt idonei testes in causis tam ciuilibus, quàm criminalibus sui Monasterij. Ita concesserunt Vrbanus IV. Iulius II. Eugenius IV. Leo X. apud Rodrig. *tom.* 1. *quæst. Regul. quæst.* 10. *art.* 1. qui rem ex professo tractat, & videtur docere, sine priuilegio id etiam posse fieri. Ita etiam Pereg. 1. *part. cop. priuil. sui Ordin. tit. Testimonium,* Panorm. *in cap. Nuper de testibus* Sylu. *verb. Testis, num.* 1. *versu* 9. & habetur *in cap. Et si Christus, de iur. iur. in fine.*

149. Suppono 3. quòd Regulares non possunt inuiti compelli iurare. Ita concessit Eugenius IV. Cassinensibus per suam constit. 7. quæ incipit, *Etsi ex debito*, §. 17. & per suam constit. 9. quæ incipit, *Regularem vitam*, §. 13. *in bullar.* Rodrig. *pag.* 84. & 88.

150. Respondeo, Itaque ad quæsitum, posse dictos emptores gabellarum exigere à Regularibus prædictum iuramentum. Quia hoc non est compellere simpliciter Regulares ad iurandum, quod nequeunt sæculares iuxta dicta facere, sed ex suppositione, si velint sibi res illas, quas dicunt esse ad vsum proprium, sine solutione gabellæ relaxari. Et tenentur dicti Regulares ad mentem dictorum exigentium iuramentum iurare, nec possunt æquiuocare. Ita Sylu. *verb. Iuramentum* 3. *quæst.* 2. *fine, & verbo Mendacium, quæst.* 6. *fine:* Sanch. *lib.* 3. *in Decal. cap.* 6. *num.* 35. Et ita video obseruari hic Genuæ: & videtur inductum ad tollendas fraudes. Et fraus, & dolus nemini debent suffragari. *cap. Legi* 16. *quæst.* 1. *cap. Audiuimus, de collus. deteg. cap. Sedes Apostol. de rescr.*

151. Et si quæras etiam, an Regulares teneantur obseruare leges ciuiles, in bonum Reipublicæ ordinatas, vt leges taxantes pretia rerum, vel vetantes aliquod genus vestium, vel armorum.

Respondeo, Licèt Ecclesiastici omnes sint exempti à potestate, & iurisdictione sæculari, tam in causis ciuilibus, quàm in criminalibus, vt constat ex Trid. *sess.* 25. *de reformat. cap. Non minus, de immun. Eccles. cap. fin. de rebus Ecclesiæ non alienandis* & habet Molin. *tom.* 1. *de iust. tract.* 2. *disp.* 31. & dixi hic *supra, num.* 137. Legibus tamen ciuilibus in communem vtilitatem Reipublicæ indictis subiiciuntur, & eas seruare tenentur, quando contra Canones, & Regularem disciplinam non sunt, & hoc non ratione obedientiæ, quia exempti sunt, sed ratione iustitiæ, & conformationis cum tota Republica. Vnde si dictas leges transgrediantur, non tenentur ad pœnas contrafacientibus impositas, sed debent puniri à proprio iudice, qui arbitraria pœna, habendo considerationem ad pœnas à iudice sæculari impositas, transgressores suos puniet. Ita Vasquez 1. 2. *disp.* 167. *à num.* 28. Cruz *lib.* 1. *de statu Relig. cap.* 6. *dub.* 2. *concl.* 2.

CONSTITVTIO III.

Quâ concedit, quòd Fratres possunt se obligare ad suffragia perpetua in genere.

IVLIVS PAPA II. DILECTIS filiis F. Francisco de Paula, & eius Fratribus Ordinis Minimorum salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. *Exponi nobis nuper fecistis, quòd licèt in Regula vestra expressè caueatur, ne vos Missas particulares perpetuas, seu sub perpetua obligatione recipere possitis; quia tamen de præsenti sunt vestri tres speciales eiusdem Ordinis benefactores obligati celebrari facere quasdam particulares Missas, siue ex propria, & speciali deuotione, siue ex ordinatione quorumcumque viuorum, seu defunctorum, quorum sunt hæredes,*

Supplicatio.

Nota, quòd ista constitutio est obtenta viuente P.N Francisco. Vide constitut. 4.

huius Pontif. §. 4. n. 15.

hæredes, ac testamentorum suorum executores, seu etiam ex eorum propria deuotione, aut alias ob singularem deuotionis affectum, quem ad dictum Ordinem vestrum gerunt, cupientes vobis, seu Fratribus eiusdem vestri Ordinis piè relinquere nonnulla bona, seu pia legata cum onere, quòd vos, seu eiusdem vestri Ordinis Fratres supradictas Missas celebrare teneamini; vosque dubitantes ob præmissa præfata vestra Regulæ contrauenire, pro conscientiarum vestrarum quiete cupiatis vobis gratiosè concedi, quòd, cuiuslibet dictorum trium benefactorum interueniente consensu, prædicta piè legata cum onere celebrandi Missas ipsas particulariter, seu in specie, ad futuros quinquaginta annos dumtaxat, & post dictos quinquaginta annos easdem Missas in genere, seu sub generaliter omnium Missarum, per vos in vniuerso vestro Ordine prædicto de cætero celebrandarum, à dicta vestra Regula non deuiando, acceptare possitis, pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, vt vobis desuper opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

Concedi quòd possint Fratres obligati per quinquaginta annos ad suffragia particularia, & in perpetuũ sub generalitate.

§. 2. *Nos huiusmodi supplicationibus inclinati, vobis, quòd dicta piè legata, seu relicta quæcumque cum onere celebrandi Missas ipsas modo prædicto, iuxta vestræ Regulæ tenòrem, & instrumentorum cuiuslibet dictorum trium vestrorum benefactorum consensu super huiusmodi factorum, seu nouiter faciendorum, & innouandorum formam, licitè acceptare, ac, Missas ipsas particulares modo, & forma prædictis celebrando, singulis particularibus Missis satisfacere, & huiusmodi viuorum, seù defunctorum quorumcumque relinquentium, seù legantium voluntates, ac ordinationes adimplere censeamini, & propterea dictæ vestræ Regulæ nullatenus contrauenire intelligamini, sed perinde habeatur, tam apud tres præfatos speciales dicti vestri Ordinis benefactores, quàm etiam apud vos, seu eiusdm vestri Ordinis fratres, & quoscumque reliquos, tam viuos, quàm defunctos, quoad hoc dumtaxat, ac si vos, seù Fratres ipsi prædictas particulares Missas, iuxta dictorum relinquentium, seu largientium intentionem, & deuotionem, particulariter, & in specie celebraretis, dictorum quorumcumque testamenta, seu ordinationes in hoc commutando, auctoritate Apostolica tenore præsentium de speciali gratia concedimus, & indulgemus.*

§. 3. *Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.*

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die 23. Decembris, 1505. Pontificatus nostri anno tertio.

CONSTITVTIO IV.

Quâ declarat irrita pacta facta absque consensu Generalis, vel Capituli generalis, & quæ sint personæ fruentes priuilegiis Fratrum. Denique quæ sit Conseruatorum potestas.

IVLIVS PAPA II.

Venerabilibus Fratrib. Archiepiscopo Granatensi, & Episcopo Malaginensi, ac dilecto filio Vicario in Episcop. Malaginen. in spiritualibus gener. & eorum cuilibet, salutem, & Apostolicam benedictionem.

Instituerat hic Pontifex per alias literas, de quibus supra in 3. eius constit. §. 27. in Conseruatorem Episcoporum Parisiensem.

§. 1. *Lias venerabilem Fratrem Episcoperum Parisien. Conseruatorem Ordinis Minimorum deputauimus, eique mandauimus, quatenus, quoties opus foret, dicto Ordini, & illius personis, & Fratribus assisteret, & non permitteret, quòd Decanus, & Capitulum Ecclesiæ S. Vlfrani, & eorum officiales, ac Rector Parochialis Ecclesiæ S. Ægidij de Abbatisvilla Ambianen. Diœcesis, & alij quicumque cuiuscumque dignitatis forent, tam in dicta Diœcesi, quàm alibi, in aliquo damnificare, molestare, perturbare, aut inquietare vllatenus auderent, quinimò corpora defunctorum quorumcumque qui in Ecclesia domus de Abbatisvilla in eorum vita sepeliri elegerant, seu qui in posterum eligerent, cum relictis Fratribus ipsius domus de Abbatisvilla, Fratribus integraliter restituerent; nec ipsi, nec alij prædictos, & quoscumque alios Fratres dicti Ordinis de cætero super sepulturis, & corporibus illorum, qui in dictæ domus de Abbatisvilla, & aliis eiusdem Ordinis Ecclesiis sepeliri eligerent pro tempore impedire præsumerent, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna inhiberet, ac S. Vlfrani, & S. Ægidij Ecclesias, nec non alias, ad quas corpora defunctorum, qui in dicta de Abbatisvilla, & aliis cæterarum domorum Ordinis huiusmodi Ecclesiis sepeliri deberent, deferrentur, interdiceret, ac desuper statueret, & ordinaret, prout de iure foret faciendum.*

Vide const. 3. Sixti IV. & constit. 2. huius Pontif. §. 22. num. 55.

Instituerat per alias literas Episcoporum Parisiensem, & Archiepisc. Thuron. Commissarios pro exequendis literis, &c.

§. 2. *Et deinde pro parte dilecti filij Francisci de Paula, dicti Ordinis Institutoris nobis exposito, quòd Fratres Ordinis Minimorum potentiam Decani, & Capituli, ac Rectoris prædictorum plurimùm formidabant. Nos per alias nostras in forma Breuis literas præfato Parisiensi Episcopo, ac venerab. F. Archiepiscopo Thuron. ac dilecto filio Abbati Monasterij S. Saturnini Tholosanæ Diœcesis commisimus, ac dedimus in mandatis, quatenus in præmissis eisdem Fratribus assisterent, & ad executionem prædictorum, & aliarum quarumcumque literarum, dicto Ordini per Sedem Apostolicam, aut alias quomodolibet concessarum, & in posterum concedendarum, in quocumque loco, & Diœcesi opus foret, ac quoties pro parte Francisci, & aliorum Fratrum prædictorum, ac*

quorum

quorumcumque Superiorum, & Correctorum domorum, ac locorum dicti Ordinis requisitè fuissent, procederent, ac Decanum, & Capitulum, necnon Rectorem præfatum, & alios quoscumque privilegiorum Ordinis Minimorum huiusmodi transgressores, ubicumque pro tempore degentes, etiam extra prædictam, & quascumque Diœceses, & Provincias, quoties opus foret, coram eis evocari facerent, & per censuras Ecclesiasticas, & alia iuris remedia compellerent, & compescerent, invocato etiam ad id, si opus foret, auxilio brachij sæcularis; & sententias, ac censuras ipsas aggrauarent, & reaggrauarent, & alia necessaria, & opportuna facere curarent, alias iuxta dictarum literarum continentiam, & tenorem in omnibus, & per omnia, perinde ac si ea prædicta à principio eorum cuilibet directa fuissent, ipsique in illis Conservatores specialiter deputati fuissent, prout in singulis literis prædictis plenius continetur.

Pacta, quæ non sunt confirmata à Generali, vel Capitulo generali, non valent.

§. 3. *Cum autem, sicut præfatus Franciscus de Paula nobis exponi fecit, tunc Provincialis, & Fratres dictæ domus de Abbatisvilla, seu aliqui ex eis cum Decano, & Capitulo præfatis super tumulandis corporibus defunctorum huiusmodi ad certam concordiam, seu transactionem devenerint, per quam inter alia voluerunt, quod processus præmissorum occasione eatenus facti, & qui in posterum fierent, nullius esset roboris, & momenti; Quodque ex tunc de cætero corpora eorum, qui apud Ecclesiam dictæ domus de Abbatisvilla eligerent sepulturam, ad dictam Ecclesiam S. Vlfrani cum luminaribus deferri, & inibi duabus Missis celebratis, & luminaribus, cum aliis funeralibus, turibus, & obventionibus eisdem Decano, & Capitulo relictis, ad Ecclesiam domus de Abbatisvilla huiusmodi portari deberent, prout in quodam instrumento publico desuper confecto dicitur plenius contineri. Et quia concordia, & transactio per Provincialem, & Fratres præfatos facta huiusmodi, contra tenorem privilegiorum eidem Ordini concessorum, & absque licentia, & consensu præfati Francisci dicti Ordinis generalis Correctoris, per Sedem prædictam deputatis, sine cuius licentia illa fieri non poterant, & in maximum dicti Ordinis præiudicium facta fuerant. Idem Franciscus generalis Corrector nobis humiliter supplicari fecit, concordiam, & transactionem supradictas, ac sententiam cuiuscumque iudicis sæcularis super præmissis pro Decano, & Capitulo, & contra Fratres dictæ domus de Abbatisvilla latam, nullas, nulliusque roboris, vel momenti fuisse, & esse declarare, aliosque in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, vobis, & vestrum cuilibet præsentium tenore mandamus, quatenus concordiam, & transactionem, ac prædictas, & quascumque alias, per quoscumque iudices sæculares super funeralibus, & quartis, & aliis contra prædictam de Abbatisvilla, & alias dicti Ordinis domos, & illarum Fratres hactenus latas, & in posterum ferendas sententias, nullas fuisse, & esse auctoritate nostra declaratis, & prout de facto processerunt, cassetis, & annulletis, ac eisdem Francisco, & Fratribus assistendo, privilegia dicto Ordini concessa observare faciatis. Quodque quascumque conventiones, per quoscumque dicti Ordinis Provinciales, & Vicarios generales, speciales, ac quoscumque alios Fratres, seu eorum Procuratores, ubicumque, & quomodocumque, & sub quibuscumque clausulis, & formis factas, concordatas, transactas, & expeditas, quæ per præfatum Franciscum, vel successores suos dicti Ordinis generales Correctores, seu Capitulum generale dicti Ordinis acceptata, confirmata, & ratificata non fuerint, nullius esse roboris, & momenti decernetis, si, & prout de iure fuerit faciendum.*

Quomodo Fratres possint se obligare ad suffragia; quod fruantur privilegiis Mendicantium concedendis, &c.

§. 4. *Et pro manutenenda, & conservanda Regula dicti Ordinis, in qua expressè inhibetur, ne Fratres ipsi ultra quinquaginta annos particularia quæcumque suffragia in dicto Ordine recipient, & suscipiant, ut particularia quorumcumque dicti Ordinis Fundatorum, & Fundatricum, ad quæ ipsi obligantur, suffragia huiusmodi sub omnium dicti Ordinis suffragiorum, & bonorum generalitate suscipere, & acceptare, singulisque privilegiis, gratiis, & indultis omnibus, quatuor mendicantibus Ordinibus, & eorum cuilibet per Sedem prædictam concessis, seu alias quomodolibet concedendis, & etiam Ordini prædicto iam concesso, & confirmato privilegio confessiones audiendi, iuxta illius formam, & tenorem, ubivis frui, uti, & gaudere valeant.*

Personæ, quæ privilegiis Ordinis gaudent. Vnde bene Cap. Ro. 7. sess. 9. statuit, quod solum filiæ Fundatricum, non filiæ filiarum Monasteria nostra ingrediantur.

§. 5. *Quodque dicti Ordinis domorum Fundatores, Fundatrices, Procuratores, & Procuratrices, Tutores, & Tutrices, eorumque utriusque sexus liberi, necnon dicti Ordinis Conservatores præsentes, & futuri, omnium, & singulorum ipsorum ieiuniorum, orationum, & sacrificiorum, ac quorumcumque aliorum bonorum, in toto huiusmodi Ordine Minimorum de cætero faciendorum, & recitandorum participes forent, & illis communicata fiat, & esse debeant.*

Conservatores eligendi potestas, ipsorumque auctoritas.

§. 6. *Quodque Fratres dicti Ordinis Conservatores Minimorum etiam Canonicos cathedralium Ecclesiarum, & officiales, ac Vicarios ipsorum sibi eligere, & quod tales in Conservatores taliter per eos electi, ex nunc per nos deputati censeantur, possintque contradictores quoscumque excommunicare, & censuras, iteratis vicibus, aggrauare, ac loca quæcumque Ecclesiastico subiicere interdicto, ac omnia alia, quæ possunt Conservatores, ab aliis Fratribus aliorum Ordinum mendicantium, iuxta privilegia eis super hoc concessa, electi.*

Vni domui concessa censetur concessa omnibus. Vide supra in constitut.

§. 7. *Quodque singula privilegia, indulgentia, gratia, & indulta, alicui ex domibus Ordinis Minimorum huiusmodi hactenus per nos, vel Sedem prædictam, aut alias quomodolibet concessa,*

ad

eiusdem 1. §.18. & infra in Leonis 29. §. 7. & Clem. VIII. 3. § 2. & Pauli III. 1. §. 16.

ad omnes, & singulas alias domos dicti Ordinis Minimorum hactenus constructas, & construendas intelligantur concessa, ac si in specie cuilibet eorundem concessa fuissent, & illa ad quamlibet domorum extensa, & de nouo concessa sint, & esse censeantur, dicta auctoritate statuatis, & ordinetis.

Derogat contrarijs.

§. 8. Non obstantibus præmissis, ac piæ mem. Bonif. Papæ VIII. prædecessoris nostri de vna, & duabus dictis in Concilio generali editis, & aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis; etiamsi aliquibus communiter, vel diuisim ab eadem Sede indultum fuerit, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die 29. Martij 1507. Pontificatus nostri anno quarto.

§. I.

1. NOto 1. quòd corpora defunctorum super terram sepeliri non possunt, quòd si aliqua sepulta sint, debent amoueri, per const. Pij V. quæ incipit, *Cum primum Apostolatus*, apud Cherub. *tom. 2. bull. in Pio V. const. eius 5. in cuius §. 6.* sic habetur. *Et vt in Ecclesiis nihil indecens relinquatur, ijdem,* (Episcopi, Ecclesiarum Rectores, &c.) *prouideant, vt capsæ omnes, & deposita, seu alia cadauerum conditoria super terram existentia omnino amoueantur, prout alias statutum fuit, & defunctorum corpora in tumbis profundis infra terram collocentur.* In cuius etiam decreti conformitate ordinauit sacra Congregatio, quòd sepulturæ defunctorum non collocentur subtus altaria, vel eorum bradellos, quòd si quæ sint, oppleantur. Refert Naldus *verbo Sepultura, fine.* Vide Scort. *in selec. bull. Theor. 019.*

2. Aduerto etiam obiter, quòd in supra cit. Bulla Pij V. §. 5. mandat Pontifex in virtute sanctæ obedientiæ Regularibus, vt in Ecclesiis suis deputent aliquem, qui pauperes mendicantes, seu eleemosynam petentes per Ecclesias tempore Missarum, prædicationum, aliorumque diuinorum officiorum eijciat, & ad portas Ecclesiarum stare faciat; quòd si negligentes fuerint, grauissimè ab Ordinario corripiantur. Vide Scort. *loc. cit. Theor. 218.*

§. II.

3. NOto 1. quòd illa clausula *Quoties opus fuerit*, importat infinitatem, ita vt non solùm pro vna aut centum vicibus possint Conseruatores procedere contra molestantes Fratres, sed quoties opus fuerit, & vsque in infinitum, si opus fuerit. Tusch. *verb Clausula, concl. 353. num. 6.* Idem etiam importat clausula *Quandocumque, vel Quotiescumque.* Tusch. *ibi, num. 7.*

4. Noto 2. quòd illa clausula *In omnibus, & per omnia* importat vim specialis specificationis. Tusch. *loc. cit. concl. 354. num. 1.*

§. III.

5. NOto 1. quòd Fratres fecerunt quoddam pactū, seu transactionem cum Decano, & Capitulo Ecclesiæ S. Vlfrani cum consensu Prouincialis, quæ cum fuerit facta contra tenorem priuilegiorum, & absque licentia Generalis, seu Capituli generalis, irritam, & nullam declarat. Declarat etiam conuentiones, transactiones, & pacta quæcumque, quæ à Generali, seu Capitulo generali ratificata non fuerint, nullius esse roboris, & momenti.

6. Noto 2. quòd transactio facta cum consensu Generalis, seu Capituli generalis, etiamsi sit contra tenorem priuilegiorum, in aliquo casu particulari in vtilitatem Religionis valet. Colligitur ex supradicti priuilegij tenore à contrario sensu.

7. Noto 3. quòd transactio est de re dubia, & lite incerta, non gratuita pactio, sed aliquo dato, vel retento, vel de dando, aut retinendo promissio. Ita Specul. *de transact. num. 1.* Sylu. *verb. Transactio, in princip.* Colligitur *ex cap. Super eo, de transact.* Seu transactio est recessus à lite, & actione mota, vel mouenda. *Decis. Rota* Farinac. *tom. 2. part. 1. decis. 447. num. 5.* Et sufficit ad validitatem transactionis, quòd immineat periculum litis, licèt non sit de præsenti. Farin *ibi, num. 6.* Pactum est duorum, vel plurium in idem dandum, vel faciendum, seu non faciendum consensus. Specul. *ibid, num. 2.* Amicabilis compositio est gratis, & liberaliter facta conuentio inter amicos. Azor. *tom. 1, lib. 7. cap. 26. quæstio 5.*

8. Noto 4. quòd Alex. IV. irritauit, ac nullius existere firmitatis decreuit omnes conuentiones, obligationes, compositiones, & pacta, quæ Fratres Minores, etiamsi sint Guardiani, vel Custodes, fecerint contra prædicti Ordinis statuta, vel consuetudines, absque Generalis, vel Ministrorum Prouincialium licentia, & assensu, vt refert Cæsarub. *in comp. verb. Conuentiones, num. 1.* Sed quoad nostros Prouinciales videtur derogatum hoc priuilegium, in quo Prouinciales expressè excluduntur cum derogatione contrariorum. Honorius IV. decreuit irrita, & inania pacta quæcumque, quæ Fratres Minores, etiamsi sint Prouinciales, in receptionibus locorum, & domorum eiusdem Ordinis, cum Prælatis, Rectoribus, & Clericis Ecclesiarum, in quarum territorio domus, & loca prædicta consistunt, absque licentia generalis Ministri, vel Capituli etiam generalis inire præsumpserint in præiudicium dicti Ordinis, Cæsarub. *ibid. num. 1.* Rodrig. *tom. 1. quæst. Regul. quæst, 67. art.* Sed omnia ista priuilegia videntur abrogata per *cap. fin. de pact. in 6.* in quo Bonif. VIII. *statuit, pacta, & conuentiones factas cum præfatis Capitulis, & Rectoribus valere, si fuerint facta de consensu Capituli localis, non obstante, quòd Superiorum Prælatorum non interuenerint in eisdem assensus, nec ab ipsorum generalibus, vel prouincialibus Capitulis extiterint approbata*; Et Leo X. in Concil. Lateranens. *infra in Leone, constit. eius 26.* §. 9. sic habet: *Pacta autem, & conuentiones inter eosdem Fratres, & Prælatos, atque Curatos pro tempore inita valeant, nisi per subsecutum proximum Capitulum generale, vel prouinciale refutata, & per eos refutatio huiusmodi intimata debito tempore fuerint*, Per quæ videntur satis derogata priuilegia adducta Iulij, Alexand. Honor.

9. Nihilominus tamen dicendum est, quòd prædicta priuilegia sunt in suo robore, & quòd dictum *cap. fin. de pact. in 6.* est derogatum à Iulio II. in fine huius constit. eo enim ipso quòd Pontifex derogat expressè constitutioni vni in corpore iuris communis insertæ cum clausula generali subsequenti, & omnibus quibuscumque aliis, &c. censetur derogare omnibus, & singulis contrariis, etiam in corpore iuris insertis; durum enim nimis esset, si cogeretur Papa omnia contraria sigillatim nominare: Et etiam limitatur à dicta constit. Leonis, cui tanquam vltimæ standum esset. Sed dicit Cæsarub. *in comp. verb. Concilium, num. 7.* quòd postea idem Leo reualidauit omnia priuilegia Regularium,

gularium, & in pristinum statum restituit viuæ vocis oraculo, sed in foro conscientiæ tantum: *Et eodem num. verb. Notandum est etiam*, ait idem Casarub. quòd etiam idem Leo reualidauit, & in pristinum statum restituit omnia Mendicantium priuilegia pro foro etiam exteriori, & hoc per quandam constitutionem concessam Prædicatoribus post præfatum Concilium, quam refert idem Casarub. *verb. Communicatio priuilegiorum*, *num.* 20. cum derogatione omnium contrariorum, hoc pacto, videlicet; *Non obstantibus quibuscumque Apostolicis suspensionibus, reuocationibus, & restrictionibus, siue constitutionibus, ordinationibus, necnon in prouincialibus, & synodalibus Conciliis editis, specialibus, vel generalibus*. Vnde cum ista bulla fuerit facta post dictam modificationem priuilegiorum Mendicantium in Concil. Lateranensi, & per illam derogetur etiam constitutionibus editis in Conciliis generalibus, non est dubium quin deroget dictæ modificationi. Et ait idem Casarub. *loc. cit.* quòd consului super hoc viri docti, ita responderunt. Eadem innuat Casarub. *verb. Priuilegia Fratrum num.* 28. & 29. & expressè id probat multis adductis Rodrig. *tom.* 1. *quæst. regul. q.* 8. *art.* 10.

10. Adde, quòd priuilegia Fratrum Minorum fuerunt innouata, & confirmata ex certa scientia à Sixto V. *anno* 1587. *die* 3. *Octobris*, *Pontif. sui anno* 3. cum fortissimis non obstantiis, vt patet ea eius bulla, quæ incipit, *Etsi Mendicantium*, quam refert Rodrig. *in suo bull. in Sixto V. bull. eius* 14. Vnde cum nos fruamur priuilegiis omnium Mendicantium, non solùm concessis, sed etiam concedendis, vt patet *ex constit.* 1. *Iulij II.* §. 14. Et *ex hac etiam constit.* §. *seq.* Et hoc sit quoddam priuilegium, quòd confirmentur, & innouentur priuilegia alicuius Religionis, non est dubium, quin hoc etiam frui possimus. Pro maiori intelligentia tamen.

11. Aduerte hic vlterius notata suprà *in constit. Sixti IV.* §. 6. *num.* 4. quòd confirmatio priuilegiorum facta ex certa scientia habet vim restituendi priuilegia reuocata, non solùm priuata auctoritate, idest à solo Papa, sed etiam reuocata iure communi. Ita Suar. *lib.* 8. *de legat.* 19. *num.* 4. & 5. ius autem commune subdistinguitur in ius commune ordinarium, & in ius Concilij generalis. Ad restituendum iure communi priori modo reuocatum, sufficit, quòd innouatio, & confirmatio sint ex certa scientia. Ad restituendum priuilegium 2. modo, id est in Concilio generali reuocatum, requiritur vlterius, vt fiat de eo specialis mentio per clausulam. Non obstante reuocatione talis Concilij, vel saltem generalis Concilij in communi. Ita Suar. *loc. cit. num.* 5. & 6. Rodriguez *tom.* 1. *quæst. regular. quæst.* 8. *art.* 10. qui multos ad id citat. In clausulis autem Non obstantibus Bullæ Sixti V. confirmatiuæ priuilegiorum Minorum, licet non sit ista clausula non obstantibus constitutionibus editis in Conciliis generalibus explicitè, est tamen implicitè, quatenus confirmat dicta priuilegia, dummodo decretis sacri Concilij Tridentini non sint contraria. Quæ exceptio firmat regulam in contrarium, quasi velit Pontifex confirmare, & innouare omnia priuilegia Regularium, quæ non sunt contra Conc. Trident. etiamsi sint contra alia Concilia, verbi gratia, Lateranense, nam alioqui illa clausula *Modo Concil. Trident. non sint contraria*, esset superflua, nam per generalem clausula, *Non obstantibus quibuscumque ordinationibus Apostolicis*, non derogatur decretis Concilij generalis, vt dixi. Ita explicat Rodrig. *loc. cit.*

12. Aduerte etiam, quòd, confirmatis ex certa scientia priuilegiis alicuius Religionis, cui primò fuerunt concessa, eo ipso censentur confirmata pro omnibus Religionibus, quibus ante confirmationem, & post concessionem fuerunt communicata, si communicatio fuit non solùm de concessis, sed etiam de concedendis. Ita Rodrig. *loco citato*, *art.* 2. Suar. *lib.* 8. *de legat. cap.* 19. *num.* 10. qui id etiam putat valere, etiamsi confirmatio sit in forma communi, gratia, & priuilegium est.

13. Sed clariùs & expressiùs dicto Concil. Lateranens. derogatum est per Paulum III. *in constitut.* 1. §. 5. *infrà*, & per Greg. XIII. *in eius constitut. prim.* §. 4. *infrà*, his verbis. *Non obstantibus præmissis, ac quibusuis constitutionibus; & ordinationibus Apostolicis etiam generalis Concil. Lateranens. vltimò celebrati.* Vnde nulla remanet dubitatio, quin tàm hoc nostrum priuilegium, quàm alia Alexand. & Honorij sint in suo robore, non obstante *capite finali, de pœn. in* 6. & non obstante modificatione priuilegiorum Regularium facta in Concilio Lateranensi. & hoc tam in foro interno, quàm interno. Ita Passarel. *in not. priuileg. not.* 12. Probat id etiam, sed aliis rationibus, Cruz *lib.* 2. *de statu Relig. cap.* 3. *dub.* 5. *conclus.* 3.

14. Et nota etiam, quòd quandoque conceditur priuilegium pro foro interno, & quandoque pro foro externo. Priuilegium pro foro interno excludit omnino forum externum. Priuilegium verò pro foro externo valet etiam pro interno. Ita Suar. *lib.* 8. *de leg. cap.* 6. *num.* 11. Quando verò priuilegium tantùm conceditur in foro pœnitentiæ, per illa verba, significatur illud priuilegium non extendi ad forum contentiosum, sed tantummodò limitari ad forum conscientiæ. Significatur etiam, tale priuilegium dari ad tollendum aliquod malum, aut vinculum apud Deum. An verò illud vinculum sit tollendum in ipso Sacramento pœnitentiæ, nec ne, vide Suarez *loco citato num.* 15. & 16.

15. Noto 5. quòd amicabilis compositio hic non prohibetur, nisi rationem induat transactionis, vt sæpè fit, & patet *ex capite Veniens, de transact.* quia de ordinario amicabilis compositio fit sine præiudicio Religionis, verbi gratia, habent aliquam differentiam Fratres cum Curato, vel alio sæculari super vno puncto, volunt amicabiliter componi ad vitandas lites, & expensas, committunt alicui rem discutiendam, & definiendam, qui extra iudicium publicum, diuidendo rem, aut emolumentum, quod ex ea speratur, inter eos, qui circa eam controuertunt, aut id aliunde compensando pro quantitate, & qualitate iuris dubij, rem amicabiliter componit. Et si vis scire, quæ sit differentia inter arbitros, & arbitratores, ac amicabiles compositores, vide Molin. *tract.* 5. *de iust. disp.* 30. Et pro exacta definitione transactionis superiùs adducta, vide eundem Molin. *tract.* 2. *disp.* 556. & 557.

16. Noto 6. circa illam clausulam, *Si, & prout de iure*, quòd ista clausula significat in rescissione pactorum debere Conseruatores iuris ordinem seruare, citando partes, &c. Tusch. *verb. Clausula concludens* 368.

§. IV.

17. Concedit tria 1. ad conseruandam Regulam, vt ad suffragia particularia Fundatorum, & Fundatricum, ad quæ se Fratres obligauerant post annos quinquaginta, non teneantur in posterum, nisi sub generalitate omnium suffragiorum, & bonorum Ordinis. 2. quòd fruamur omnibus priuilegiis concedendis omnibus, & singulis Ordinibus mendicantibus, 3. quòd priuilegio nobis concesso (*supra in constit.* 1. *eiusdem Papæ* §. 32. Vide quæ ibi dico *num.* 61.) confessiones audiendi, iuxta illius tenorem vbiuis frui, & gaudere possimus.

18. Teneor hic discutere difficillimam illam quæstionem, an nos minimi possimus obligari ad suffragia perpetua io particulari, pro qua.

19. Sciendum est 1. quòd *in Regul. num.* 15. ita habetur *Ad nullas verò Missas, nec ad quacumque suffragia se obligent ipsi Fratres: nisi tantùm in genere, seu sub generalitate omnium Missarum, & suffragiorum Ordinis, aut solum pro quinquaginta annis vel citro.*

20. Sciendum 2. quòd, seclusa dicta prohibitione, stando io iure communi, Prælatus enm Conuentu potest se obligate ad suffragia perpetua. Lazar. *in comp. oper.* Nauarr. *verb. Monost. numero sexto.* Mol. *tract.* 2. *de iust. disp.* 140. *versu Item ex contractu, tom. primo*, Rodrig. *tomo secundo, quæst. regul. quæst.* 49. *art.* 7. Mirand. *tomo primo, man. quæst.* 24, *art.* 2. *conclusione prima*, Abbas *in cap. Dilecti filij, de foro compet. numero secundo*, Colligitur etiam *ex capite, Quod quibusdam, de fideiussor. Et ex dicto capite, Dilecti filij.*

21. Sciendum 3. quòd consuetudo legitimè præscripta excusat ab obseruantia præceptorum Regulæ, etiamsi ea ad mortale obligarent. Nauarr. *in man. cap.* 12. *numero* 50. Rodriguez *tom. primo, quæstion. reg. quæst.* 69. *art.* 2. Vnde cum multis abhinc aonis obseruatum sit in Religione, vt ad suffragia perpetua se obligent Fratres, potest dici, quòd illud præceptum Regulæ consuetudine legitimè præscripta, contra quam per nullum Generalem ab his annis reclamatum est, imò omnes, quandò fuerunt requisiti, dictos contractus perpetuos confirmauerunt, quinimò & Capitula ipsa generalia à Capitulo Paulæ in posterum similes perpetuos cootractus confirmauere, vt patet. Et quòd hæc consuetudo potuerit legitimè introduci, patet, quia, quæ per priuilegium fieri possunt, valent quoque consuetudine legitima præscribi, vt bene Felinus *capite, Qua in Ecclesiarum, de constitut. numero* 27. Sanchez *libro septimo, in decal. cap.* 8. *num.* 63.

22. Sciendum 4. quòd idem Iulius II. *vt supra constitut. eius* 3. quæ incipit, *Exponi nobis*, concessit, quòd nos possemos obligare ad suffragia perpetua, per quinquaginta annos quidem ad particularia, vltra autem sub generalitate omnium Missarum, & suffragiorum, provt in Regula.

23. Sciendum 5. quod Leo X. vt *infrà in constitut. eius* 15. quæ incipit, *Cum sicut*, concessit, vt obligationes Missarum, & suffragiorum perpetuorum à Fratribus receptæ tempore datæ dictæ constitutionis, non durent, nisi ad annos quioquaginta, & vltrà in perpetuum solùm sub generalitate, & quòd ista generalitate suppleatur, ac si dietim dictæ Missæ, seu suffragia dicta essent.

24. Sciendum 6. quod Clemens VII. viuæ vocis oraculo concessit, vt possemus ad Missas, & suffragia perpetua obligari. Et de hoc viuæ vocis oraculo fidem facit Antonius Cardinalis SS. qoatuor, quod habes *infra in Clement. VII. const. eius* 11.

25. Sciendum 7. quòd supradictis constitutionibos, & viuæ vocis oraculo ad instantiam Capituli generalis Paulitani, fuit per Paulum III. derogatum, vt constat *ex eius constit.* 4. *infrà* §. 4.

26. Sciendum 8. quòd post celebrationem dicti Capituli Paulitani, sed ante illius confirmationem, Patres Conuentus Sanctissimæ Trinitatis, de Vrbe impetrarunt à Paulo III per viuæ vocis oraculum, de quo testatur Antonius Cardinalis SS. quatuor, quòd possent obligari ad suffragia perpetua, vt habes *infrà in Paulo III. constitut. eius* 7. cui videtur quòd sit derogatum per dictam constitut. Pauli III. Nam hoc viuæ vocis oraculum datum est *die* 13. *Octobris anno* 1535. Breue autem eiusdem Pauli, quo dictum Capitulum Paulæ confirmat, datum est *die* 27. *Martij*, 1536. cum clausula, *Non obstantibus quibuscumque*, Nihilominus tamen dicendum est, quòd dictum viuæ vocis oraculum per dictam constit. Pauli, non est derogatum. Nam derogatis priuilegiis, non derogantur viuæ vocis oracula, vt dico *infrà in constitut.* 17. *huius Pontif.* §. 1. *num.* 3. Et quòd viuæ vocis oracula, eandem vim habeant, ac aliæ constitutiones, habetur *in cap. Institutionis*, 25 *quæst.* 2. & dico *infrà in constit.* 57. *huius Pontif. num.* 1.

27. Sed ad omnem scrupulum tollendum Vrbanus VIII. feliciter regnans concessit, quòd cum approbatione Capituli generalis Fratres se possiot ad suffragia perpetua obligare, vt constat *ex eius constit.* 2. *infrà.*

28. Neque obstat, quòd illa concessio fit in casu particulari: nam sententia Principis ius facit, *capite Institutionis cit.* vbi Gloss. Et Glossa *in princip. dist.* 19. & habetur expresse *in cap. In causis. de sentent. & re iud.* Vbi Glossa *verbo, In similibus*, ait, quòd sententia Principis trahenda est ad consequentiam, præsertim quando procedit causa cognita, & partibus præsentibus, vt in casu dictæ Bullæ Vrbani. Ità Felin. *in cap. In causis, num.* 3. vbi Innoc. Abbas *ibid. num.* 4. Duar. *cap.* 2. *de constit.*

29. Neque etiam obstat, si dicas, Pontificem in illo casu dispensatiuè processisse, vt constat ex illa clausula, *Dictum Bartholomaeum specialis gratia, &c.* & sic hunc casum non esse trahendum ad consequentiam. Nam responderi potest hunc casum non esse merè dispensatiuum. Primò, quia Papa videtur suam sententiam fundare in iustitia causæ, quam pars aduersa, licèt non effugere, protrahere tamen intendebat more reorum, vt dicitur *in principio* §. 2. Vnde ad tollenda omnia subterfugia, quæ rei, & iustitia carentes inuestigare solent, de ordinario sententiam protulit, vt dicitur §. 3. Secundò, quia fundatur specialiter ista sententia in acceptatione dictæ obligationis perpetuæ factæ à Capitulo generali, quod quidem Capitulum potuisse dictam obligationem acceptare, videtur supponere Papa, Et constat, tum per consuetudinem legitimè præscriptam, tum per viuæ vocis oraculum concessum à Paulo III. post Capitulum Paulæ. Clausula autem illa, *specialis gratia, &c.* solita apponi in dispensationibus, vt Rebuff. *in praxi benef. tit. Dispensationis defectu natalis, pag. mihi* 272. hic ideo ponitur, quia cum iura derogantia Regulam, non essent vndequaque clara, oportuit, Pontificem gratiosè concedere, qood iure aliquatenus obscuro prætendebatur.

§. VI.

30. EX isto §. & §. 2. eiusdem const. pro Conseruatoribus collige, quòd Conseruatores à Fratribus requisiti, tenentur sub mortali illis assistere, & non permittere, eos molestari, & priuilegia eorum defendere. Constat ex illis verbis positis supra §. 2. *Commisimus, ac dedimus in mandatis.* Quod præceptum, cum sit in materia graui, ad mortale obligat. Propterea enim eliguntur in Conseruatores personæ graues, & auctoritatis, vt auctoritate personæ facilior reddatur executio mandati. Sed de Conseruatoribus *infrà in Constit.* 5. *Gregorij XV.*

CONSTI

CONSTITVTIO V.

Quà concedit multa priuilegia P. Binet, qui fuit primus post S. Franciscum in Religione Generalis, & in specie quòd nouem collectæ valeant pro nouem Missis.

IVLIVS PAPA II. DILECTO filio F. Francisco Binet, Ordinis Minimorum Correctori generali, salutem, & Apostolicam benedictionem.

Procemium.

SAcer Ordo per quondam Franciscum de Paula exemplaris vita Religiosum institutus, & per nos approbatus, & per quem Ecclesiam Dei multiplicibus splendoribus illustrari speramus, à nobis, & Sede Apostolica promeretur, vt illius quieti, & corroborationi vigili cura intendamus.

P. Binet in Generalem electus bis recusat.

§. 1. Cum itaque Superiori anno prædictus Franciscus, qui dicti Ordinis Corrector per Sedem prædictam deputatus fuerat, ad meliorem vitam à Domino conuocatus, in Gallia fuisset vita functus. Nos cupientes dicto Ordini opportunè prouidere, generale Capitulum Fratrum dicti Ordinis in alma Vrbe nostra in domo Sanctissimæ Trinitatis dicti Ordinis celebrari, inibique Correctorem generalem eligi iussimus, atque mandauimus: ac pro eiusdem Ordinis directione, illi dilectum filium nostrum Marcum tituli Sanctæ Mariæ trans Tiberim Presbyterum Cardinalem Senogallen. nostro, & dictæ Sedis nomine præsidere voluimus. Cum autem in Capitulo huiusmodi, Spiritus sancti gratia cooperante, via scrutinij in generalem Correctorem electus, ac ibidem publica electione, in qua consenserunt capitulantes Fratres diuersarum Regionum, in huiusmodi electione voces habentes, ipsorumque nominibus alta, & intelligibili voce perlectis, & aliis ad huiusmodi electionem necessariis inibi iuridicè peractis, à prædicto Marco Cardinali auctoritate nostra, licèt plurimùm renitens, confirmatus, & ad officium huiusmodi suscipiendum in virtute Spiritus sancti, & ad sanctæ obedientiæ meritum astrictus, & coram nobis, ac prædicto Marco, ac dilecto etiam filio nostro Roberto titul. S. Anastasiæ, officium Generalatus huiusmodi sponte, & liberè resignasti, quam renuntiationem tuam admittere recusauimus, tibique, vt officium huiusmodi, & triennium pro quo electus fueras, diligenter exerceres, mandauimus in Generalem confirmatus fuisti.

Supplicat P. Binet Papæ, sibi aliquid tradi de sua auctoritate pro visitatione efficienda.

§. 2. Et, sicut nobis nuper exponi fecisti, dubitas propter eiusdem Ordinis Regulam, nouissimè per nos approbatam, & confirmatam, & alia, in huiusmodi tui Generalatus officio nouo, ac vniuersali visitatione, quam per vniuersum Ordinem huiusmodi perficere cum Dei gratia speras, tam à tuis, quàm aliis plurimis aliorum Ordinum Religiosis, plura, variaque impedimenta tibi afferri, propter quæ negotiis dicti Ordinis tui opportunè prouidere posse non confidis, nisi auctoritas nostra tibi suffragetur.

Tribuit illi Papa plenariam auctoritatem super omnes Fratres.

§. 3. Nos itaque tuis in hac parte supplicationibus inclinati, quòd super omnes, & singulos Ordinis Minimorum huiusmodi pro tempore vbilibet existentes Fratres, cuiuscumque etiam status, conditionis, & gradus existunt, auctoritate nostra plenariam, & omnimodam potestatem, facultatem, & iurisdictionem, quibuscumque generalibus Correctoribus tui Ordinis per priuilegia Apostolica concessam, & nuper per nos in eorundem Marci, & Roberti Cardinalium præsentia tibi viuæ vocis oraculo de nouo attributam, & concessam, etiam in vtroque foro liberè exercere; Ipsique dicti Ordinis Minimorum Fratres, tam Prælati, quàm alij inferiores vbilibet existentes, quacumque etiam Apostolica auctoritate muniti, tibi tanquam verò, legitimo, & immediato Prælato, & generali Correctori dicti Ordinis Minimorum, per nos, vt præfertur, confirmato, & substitutis, seù deputatis per tuas patentes literas, tuisque mandatis, Regulæ prædicti Ordinis tui non contrariis, humiliter, & cum effectu parere, ac obedire, ac prædictam Regulam per nos approbatam, & confirmatam cum omnibus circa illam per nos declaratis auctoritate nostra à te reuerenter suscipere teneantur.

Regula nostra est strictior omnibus, & ideo nullus ab ea potest transire, nec vllus potest bona Religionis alienare.

§. 4. Et cum vita Ordinis Minimorum huiusmodi sit cæteris aliorum Religiosorum arctior, & strictior, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna mandamus, in quam, tam recipientes, quàm recepti, & concedentes ipso facto incurrere debeant, quòd fratres ipsi ad nullum alium, quantumlibet etiam priuilegiatum Ordinem, prætextu quorumcumque priuilegiorum, cuicumque alteri Ordini, etiam sub quacumque verborum forma quomodolibet concessorum, absque nostra, & tua, aut generalis Correctoris pro tempore existentis licentia speciali transire possint. Nec eiusdem Ordinis Minimorum domos; vel bona quæcumque ad Ecclesias prædicti tui Ordinis quomodolibet pertinentia, aliis quibuscumq; personis sæcularibus, regularibus, Ecclesiasticis, de Ordine Minimorum huiusmodi non existentibus, concedere audeant, vel præsumant. Et quòd Fratres contrafacientes auctoritate nostra prædicta, quoties opus fuerit, excommunicare, necnon, iteratis vicibus, aggrauare, nec non per alias censuras Ecclesiasticas, & alia iuris remedia compescere, & ad Ordinem Minimorum reducere, reuocare, & recuperare, seu reduci, & reuocari facere. Et cum eisdem Fratribus Ordinis Minimorum huiusmodi eadem auctoritate dispensare, ipsosque & ipsorum quemlibet punire, & corrigere, absoluere, & absolutionem huiusmodi etiam aliis demandare.

Quòd nouem collectæ valeant pro nouem Missis.

§. 5. Et si in huiusmodi visitatione tua, vel alias in aliquibus domibus, & locis dicti Ordinis Minimorum, tam pro Ecclesiarum fabricis, quàm aliis Fratrum necessitatibus, Missarum multitudinem

dinem copiosam inuenires, & cognosceres, quòd illa per Fratres domorum, & locorum huiusmodi in Ecclesiis illorum, iuxta obligationem per eosdem Fratres factam, aut relinquentium ordinationem celebrari non possint, prout in Parisiēsibus, & Ianuensibus domibus per illarum Fratres esse cognouisti, vt cum Fratribus domorum, & locorū huiusmodi nunc, & pro tempore ibidem degentibus, & eorum quolibet dispensare possis, & quòd dispensatio super his per te facienda, à nobis facta censeatur; Eisdem Fratribus, vt nouem collectas per eos, seu eorum quemlibet in vnaquaque Missa recitare pro nouem Missis, ac septem collectas pro septem Missis, sicque de aliis descendendo, seu citra dictum numerum, cum omnium, & singularum domorum, & locorum huiusmodi Fratrū, ac etiam totius Ordinis Minimorum huiusmodi suffragiorum, orationum, sacrificiorum, ieiuniorū, vigiliarum, disciplinarū, & aliorum quorumcumque bonorum generalitate, singulis eiusd. Ordinis benefactoribus qui Missas ipsas in Ecclesiis domorum, & locorum huiusmodi recitandas dederint, adeò plenè, & integrè valeant, & sufficiant, ac si Missæ huiusmodi pro eis, & eorum quolibet, iuxta piam eorum deuotionem, & intentionem particulariter recitarentur, & particulariter recitata forent, licentiam concedimus.

Indulgentias concedit.

§. 6. Necnon omnes, & singulas Ordini Minimorum huiusmodi, & eius personis, per nos, & prædecessores nostros, seu Sedem prædictam, & eius legatos, tam S. Francisco de Paula, quàm aliis quibuscumque eiusdem Ordinis Minimorum domibus, tam generaliter, quā particulariter sub quacumq; verborum forma, etiam stationum Vrbis, & aliarum Ecclesiarū eiusdem, indulgentias quascumque iuxta priuilegiorum eiusd. Ordinis Minimorum formam, & tenorem, hactenus, quomodolibet concessas, in viridi obseruantia existentes, de nouo de speciali gratia concedimus.

Derogat contrariis.

§. 7. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon quibusvis reuocationibus, per nos, vel alias etiam sub quacumque verborum serie factis, & in posterum faciendis, ac statutis, & constitutionibus dicti Ordinis iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fidem adhiberi iubet.

§. 8. Volumus insuper, quòd transumptis supra præsentibus pro tempore factis, & sigillo alicuius Prælati Ecclesiastici munitis, & manu alicuius Notarij publici subscriptis, & signatis, tam in iudicio, quam extra illis tanta fides adhibeatur, quanta adhiberetur, si ipsæ originales literæ forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 27. Martij, 1508. Pontificatus nostri anno quinto.

§ I.

1. RECusat P. Binet non tantùm semel, sed bis officium Generalatus, ad ostendendam religiosam humilitatem, fortè recordans illius dicti Chrysostom. homil. 34. in Epist. ad Hebr. *Miror si potest aliquis Rectorum saluari.* Sed iussus à Papa acceptat, ad ostendendam obedientiam. Pertinaciter enim, cum agnoscitur Dei voluntas, per Superiorem declarata, non sunt officia recusanda, vt D. Thom. *quodlibet. 5. articul.* 22. sed quousque liceat dignitates recipere, vel recusare, vide *tom. 1. Religiosi, quæstione prima, capite decimo.* Et quomodo respondere debeat religiose eligendus, si ante electionem interrogetur, an velit eligi, vide ibidem *capite 31. §. 6. concl. 6. versu Sed quomodo.*

§. III.

2. NOto 1. quòd posset hic quæri, quo iure competat Prælatis Regularibus iurisdictio in Subditos, de qua agam, Deo dante, *tom. 2. Religiosi.* Videatur interim Rodriguez *tom. 1. quæst. reg. quæst. 17. articul.* 2. Bann. 2. 2. *quæst. 1. art.* 10. *dubitat.* 5. Sotus *lib.* 10. *de iustit. quæst. 1. art.* 4. Vide supra *in constit. Pyrrhi, à num. 11.*

3. Noto 2. quòd plenaria, & omnimoda iurisdictio comprehendit omnia necessaria, & vtilia, ita vt ei iurisdictioni nihil possit addi, vel minui; nam plenarium id est, quod adiectione non indiget. Tusch. *verb. Dictio, concl.* 329. & 330. & omnimodum est dictio vniuersalis, quæ omnia comprehendit. Tusch. *ibi, concl.* 320. *num.* 1. Quare per istam clausulam tribuit Papa Generali temporalem, & spiritualem auctoritatem in suos Subditos, seu in vtroque foro, vt hic dicitur. Vnde in criminibus grauioribus, si res ipsa exegerit, potest eos torturæ subiicere, cum moderamine tamen. Quod etiam concesserat Nicolaus V. Ordini Minorū, vt est apud Casatub. *verb. Correctio Fratrum, n.* 12.

4. Noto 3. quòd illa clausula *Super omnes, & singulos* importat specificationem specialem, ac si omnes in indiuiduo nominarentur. Tusch. *verbo Clausula, conclusione* 296. *numero secundo*, & comprehendit etiam specificè eos, qui alioquin essent exempti. Tusch. *ibi num. tertio.*

5. Noto 4. quòd Generali præcipienti contra Regulam obedire non tenemur. Et in quibus teneamur obedire Prælato, & in quibus non, vide *tomo 1. Relig. quæst.* 1. *cap. sexto, per totum.* Vide etiam *cap. 7. & 8. per tota.*

6. Et si quæras, an possit Generalis, vel Prouincialis eximere Subditum ab obedientia Correctoris, vel alterius Superioris immediati. Dico, quòd non, quia id ad solum Papam pertinet, qui est supremus Dominus. Ita Syluest. *verb. Casus, quæst. prima, casu quinto*, Fernand. 4. *part. sui exam. capite* 15. §. *secundo, numero primo, dicto quinto*, Mirand. *tom. secundo, man. quæstione septima, artic. sext.* Rodrig. *tomo primo, quæstione regul. quæst.* 23. *articul. tertio.* Colligitur ex *cap. Frater noster*, 16. *quæstione sexta*, A S. Fausto *in suo thesauro lib. sexto, quæst.* 146.

§. IV.

7. DEclarat 1. nostram Religionem esse cæteris Religionibus arctiorem. Quod etiam declarauit Leo X. infrà, constit. eius 6. quæ incipit, *Quamvis alias*, & constit. eius 3. §. 2. quæ incipit, *Illius*, Propter quæ dixi *tom. 1. Religiosi, quæst* 1. *cap.* 24. §. 1. nostram Religionem esse etiam strictiorem Carthusianorum, & eos posse iure communi ad nostram Religionem transire. Nos autem ad nullam aliam transire posse. Stante autem aliqua legitima, & vrgentissima causa, videtur Papa innuere, quòd possit Generalis concedere alicui ex nostris Religiosis, vt ad aliam Religionem transeat. Causa autem non potest esse infirmitas continua, quia hæc vescendo paschalibus in infirmaria reparatur. Erit fortasse inquietudo

inquietudo naturalis alicuius Religiosi, quæ eò deuenisset, vt nequaquam posset ampliùs sufferri. Et videtne colligi ex isto textu, vbi Papa prohibet transitum, sed transire non curant nisi inquieti, nam in nostra Religione cessat ratio maioris perfectionis zeli, cum sit omnibus aliis strictior, & consequenter perfectior. Vide quæ dico *tom. 1. Relig. quæst. 1. c. 24. concl. 6. & 7.* Vide etiam supra, *in constit. 2. huius Pontif. §. 14. num. 50.*

8. 2. Prohibet, vt nullus possit bona Religionis cuiquam extraneo concedere, & loquitur de donationibus particularibus factis à Fratribus particularibus, & dicit, quòd possit Generalis eas recuperare, & si opus id fuerit, donatarios ad restituendum censuris Ecclesiasticis compellere.

9. 3. Concedit, quòd possit Generalis cum suis Fratribus in quacumque irregularitate supra concessa, seu super quocumque voto dispensare, eosque punire, corrigere, &c. & hoc ipsiusmet Papæ auctoritate. Et nota, quòd illa clausula. *Cum eiusdem Ordinis Fratribus* est indefinita, quæ in iure æquipollet vniuersali. Panot. *cap. In Genesi, de elect. num. 1.* Glossa *in cap. Vt circa, verb. Aliorum Ecclesiasticorum, de elect. in 6.* Concedit itaque Pontifex P. Biner Generali, vt vniuersaliter possit cum omnibus suis Fratribus vti potestate data B. P. N. Francisco per supradictas constitutiones, nimirum Pyrrhi §. 5. & 6. *à num. 11. huius 2. §. 9. & 29.* vide etiam const. 4. Sixti IV. §. 5. *à n. 5.*

§. V.

10. CONcedit, quòd Generalis tempore visitationis possit in illis locis, in quibus magnum numerum inuenerit Missarum, dispensare, vt Fratres illius Conuentus, dicendo nouem, vel citra descendendo, collectas, satisfaciant pro nouem, vel septem, &c. Missis. Quòd priuilegium etiam concessit Leo X. infrà, in constit. eius 5. Vbi ad finem non in comp. Passar. notatur in margine, id etiam fuisse extensum ad Prouinciales per Paulum III. & citatur etiam in indice, *verbo Missarum collecta.* Sed ego illud non vidi.

11. Noto 1. quòd de hoc nostro priuilegio quod est maximum in hac materia, tractant Nauarr. *lib. 3. consil. de celebr. Miss. cons.* 10. ex quo desumpserunt, deinde Festus *in summ. const. Prædic. p. 1. cap.* 28. Confect. *in summ. priuil. titulo* 19. *cap.* 3. Zanard. *2. part. sua summ. cap.* 21. A Sorbo *verbo Missa* 3. *pag.* 410. Frascinel. *in tractatu de obligat. Sacerd. sect. 6. arg. 21. & sect. 7. & §. 9.*

12. Noto 2. quòd consultus Nauarr. *loc. cit.* super hoc priuilegio, respondit multa. 1. quòd non solùm Generali, qui tunc fuit, sed etiam aliis, qui huic successerunt, & succedent in posterum, data est prædicta facultas. 2. quòd potest dispensare non solùm super Missis receptis tempore datę eorundem priuilegiorum, sed etiam pro postea receptis ante suam visitationem, & tempus, in quo petitur dispensatio. 3. quòd non potest Generalis facere facultatem Fratribus recipiendi Missas, seu eleemosynas dicendas eas, & deinde pro eis dicere solùm collectas. 4. quòd potest Generalis, etiam extra tempus visitationis, in prædictis dispensare. 5. quòd prædictus Generalis prædictam dispensationem per seipsum facere debet, nec potest alteri suam potestatem delegare. 6. quòd Generalis debet hanc dispensationem facere cum Inquisitione in scriptis de numero Missarum obligatarum, & de causis, propter quas sunt receptæ, nimirum propter necessitatem Fratrum, & fabricæ Conuentuum, aut Ecclesiarum. Septimò, quod Generalis hanc dispensationem faciens, debet applicare alia merita suorum Subditorum, vt ieiunia, orationes, & alia bona opera ad illas animas, pro quibus est satisfaciendum in Missis. Hæc Nauarr. Quæ omnia mihi placent, excepto tertio, & quinto.

13. Quòd enim Generalis possit hanc dispensationem committere suo Visitatori generali, colligitur tum ex fine istius priuilegij, quod est concessum ad serenandas conscientias Fratrum, qui necessitate vel victus, & vestitus, vel fabricæ, recipiunt multas Missas, quibus deinde plenè satisfacere non potentes, scrupulis anguntur. Vnde cum Generalis non semper possit totam Religionem visitare, ea loca, quæ non potest præsentialiter, visitat per suum Vicarium generalem, qui, si non haberet hanc potestatem reducendi Missas, non posset perfectè suum exequi officium, nec conscientiis Subditorum mederi. Tum quia delegatus à Principe potest alteri negotium committere, *cap. pastoralis, de off. deleg.* nisi sit electa industria personæ, vt Glossa *in summ. dicti capite Pastoralis.* At hic non videtur electa præcisè industria personæ Generalis, sed Generalis visitantis: Vnde cum officium visitationis possit æquè benè Generalis implere per substitutum, poterit etiam hoc visitationi annexum. Tum quia id videtur expresè dici *in capitulo final. de offic. deleg.* Ex quo tex. colliguntur Cardin. & Abbas, *nu.* 1. hanc regulam, quam menti tenendam esse protestantur, scilicet, quòd: *Papa committendo alicui causam, regulariter non videtur eligere industriam persona, sed potius intendit prouidere negotio, quod decidendum committit.* Tum quia sola magnitudo causæ non facit videri electam industriam personæ. Felin. *cap. final. §. Is autem, num. 4. de offic. deleg.* Tum quia tunc solùm videtur electa industria personæ, cum vel committitur factum; quòd non potest per alium adimpleri: vel in commissione dicitur, Vt tu expedias, & non alius, vel: Vt personaliter, vel: Per te ipsum, vel: Propriis manibus hoc expedias, vt Felinus *loco citat. num 3. & 4.* Sed in nostro casu nihil horum est, vt patet; & hoc factum potest æquè bene adimpleri per prudentem Visitatorem cum plenaria potestate datum, ac per Generalem. Quando censeatur electa industria personæ, vide Menoch. *tom. 2. de præsumpt. quæst. secunda punct.* 851.

14. Quòd verò Generalis possit facere facultatem Fratribus recipiendi Missas in futurum, & dicendi pro illis tot collectas, contra 3. dictum Nauarr. patet clarè ex dicta Bulla Leonis, §. 3. ibi, *seu in posterum reciperent.* Vnde de mente Pontificis non dubito, quin intenderit etiam concedere priuilegium pro Missis futuris, quod non negat absolutè Nauarr. *loco citato, numero enim* 3. ait, vtramque partem de rigore iuris posse defendi. Et *numero sexto, fine* ait: *Quamuis propter magnam causam id citra culpam fieri posse, videtur asserere finis Bulla Leonis, scilicet propter vrgentem necessitatem.* Quare etiam secundùm Nauarr. propter necessitatem victus, & vestitus, aut fabricæ Monasteriorum, potest Generalis dispensare; vt Fratres recipiant eleemosynas Missarum, & deinde solùm dicant collectas. Ad maiorem autem intelligentiam huius dicti.

15. Quæro vtrum Missæ sacrificium pro multis differentibus oblatum, tantùm valeat singulis, ac si pro vno tantùm offerretur.

Respondeo, Hanc rem esse valdè controuersam, præsertim hoc tempore. Ego à D. Thoma non discedo, nec per imaginationem. Et qui sensum Domini cupit intelligere, à domesticis inquirat. Dico ergo, quòd fructus meritorius, & satisfactorius Sacramenti, & sacrificij Missæ tantùm valet ex condigno singulis, cum pro multis offertur, ac si vni tantùm applicaretur. Ita D. Thom. *3. part. quæst. 79. art. 5. cap.* Cajet. *ibi, & tom. 2. opusc. tract. 3. q. 2.* Syln. *verb. Missa, 1. q. 9.* Arag. *2. 2. quæst. 85. art. 3. versu Contrarium tamen;*

pagina 651. Montag. *de val. mis. cap.* 24. qui ait, ita etiam sensisse Vniuersitatem Sorbonæ, & alij multi apud istos. Probatur, tum quia virtus Missæ ex opere operato in se, & absolutè sumpta est infinita quoad sufficientiam, licèt sit finita quoad efficaciam, iuxta dispositionem recipientis; quia res oblata est Christus passus, & eius infinita merita. Ergo nihil prædicti fructus detrahitur ex consortio aliorum: Tum quia D. Hieron. relatus *in cap. Non mediocriter, de cons. dist.* 5. ait, *Cum igitur pro cunctis animabus Missa dicitur, nihil minus, quàm si pro vno quolibet ipsorum diceretur, accipitur.* Tum quia si hoc non haberet ex sua natura Missæ sacrificium, Papa id concedere non posset. Sed hoc nostrum priuilegium modò vacat per Decret. Congregat. quos habes infra, in constitut. 9. Vrbani VIII.

CONSTITVTIO VI.

Quâ confirmat de nouo Regulam, approbat declarationes illius, factas à Cardinali Senogallensi, prohibet cantum, & ingressum mulierum non Fundatricum intra septa nostrorum Monasteriorum.

IVLIVS PAPA II. DILECTO filio F. Francisco Binet Ordinis Minimorum Generali salutem, & Apostolicam benedictionem.

Capitulum generale per alias suas celebrari mandauit.

§. 1. *Icèt anno Superiori generale Capitulum Ordinis Fratrum Minimorum in alma Vrbe nostra de mandato nostro celebratum fuerit, illique auctoritate nostra præfuerit dilectus filius noster Marcus, titul. Sanctæ Mariæ trans Tiberim presb. Card. Senog. ac electio de te in Generalem Correctorem dicti Ordinis canonicè facta, necnon omnia, & singula per generalis Capituli Ordinis huiusmodi fideles, ac pios Zelatores, iuxta eiusdem Ordinis primi Patris, & institutoris Francisci de Paula piam, & vltimam voluntatem, seu iuxta tenorem eiusdem Regulæ per nos approbatæ, & confirmatæ, ibidem deliberata, acceptata, conclusa, ac per eundem Cardinalem auctoritate nostra huiusmodi declarata, & authenticata, tam super cantus inhibitione, quàm super aliis punctis, & articulis super Regula prædicta inibi etiam ritè notatis, & articulatis, per nos (prædicto Marco Cardinali singula huiusmodi, nonnulla vtique declaratione digna nobis fideliter referente) approbata, & confirmata fuerunt.*

Dubitauerũt quinam de mente huius Pontificis.

§. 2. *Quia tamen nuper fide dignorum relatione percepimus, aliquos ex Fratribus dicti Ordinis, præsertim in Italiæ partibus degentibus, tam super cantus huiusmodi prohibitione, quàm mulierum intra Conuentuum septa ingressus inhibitione, & Vigilum deputatione, huiusmodi prædictæ Regulæ moderationem petere, ac in dubium reuocare, an nostræ mentis extiterit confirmare Regulam huiusmodi per ipsum Institutorem vltimò reformatam, seu in melius emendatam, dum prohibet, diuinum officium cum notulis decantari, & mulieres aliter, quàm in Regula huiusmodi permittitur, Conuentuum septa ingredi, permittatque Vigiles deputari; aut etiam si super iis, ac aliis singulis in dicta Regula contentis, per prædictum Marcum Cardinalem plenissimè fuerimus, & simus informati.*

Prohibet cantum, & ingressum mulierum in nostros Cõuentus.

§. 3. *Nos, qui Regulæ, & Ordinis huiusmodi zelatores sumus, & ad quos spectat ambiguitates singulas, præsertim cum de mente nostra, & de resultantibus nostris ex literis dubitationibus quibuscumque quæritur, declarare. Motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex mera nostra scientia, & deliberatione, vniuersis, & singulis præsentes literas inspecturis notum facimus, quòd Regulam Ordinis Minimorum huiusmodi vltimo loco, de mandato vltimo Institutoris reformatam, seu in melius emendatam, etiam quoad prohibitionem recitationis diuinorum officiorum, tam diurnorum, quàm nocturnorum, & quarumcumque Missarum, etiam defunctorum cum cantu aliquo, etiam Gregoriano: Nec non alias, quàm in prædicta Regula permittitur, ingressus mulierum intra Conuentuum Ordinis huiusmodi septa: Vigilumque deputationem, & huiusmodi, iuxta Regulæ prædictæ tenorem, approbauimus, & confirmauimus, ac pro potiori cautela de nouo approbamus, & confirmamus. Et proinde vniuersis, & singulis Ordinis Minimorum huiusmodi, nunc, & pro tempore vbilibet existentibus Fratribus præsentium tenore districtiùs inhibemus, ne in aliqua Ecclesia cuiuscumque domus dicti Ordinis, tam citra, quam vltra montes, & vbicumque nunc, & pro tempore existentibus, diuina eorum officia, tam diurna, quàm nocturna, & tam festiua, quàm ferialia, Missas aliquas, tam defunctorum, quam alias, etiam in solemnibus festis, neque Gregoriano, neque alio quouis cantu cum notulis cantare; nec aliquas mulieres aliter, quàm in dicta Regula permittitur Ordinis Minimorum huiusmodi Conuentuum septa ingredi vllatenus præsumant.*

Officium diuinum simpliciter recitari, & Vigiles acceptari iubet.

§. 4. *Et ne pro prædictis, aut aliis quibuscumque prædictæ Regulæ punctis, seu articulis, ad nos, seu Sedem Apostolicam in posterum recurrere sit necessarium, illis etiam, vt diuina eorum officia, tam diurna, quàm nocturna, singulasque Missas, etiam defunctorum, & in Festis solemnibus, tam in choro, quam in altari, iuxta prædictæ Regulæ tenorem plana dumtaxat, & intelligibili voce, ac sine notulis quibuscumque cantu vtique rectissimo, tanquam eorum minimo nomini, suæque vitæ quadragesimali apto, & conuenienti, simpliciter recitare debeant. Mulieres verò aliter, quàm in prædicta Regula permittitur, Ordinis huiusmodi Conuentuum septa ingredi nullatenus permittant: Vigiles autem, iuxta tenorem dictæ Regulæ per nos, vt præfertur, approbatæ, & confirmatæ, à cunctisque Fratribus huiusmodi, nunc, & pro tempore vbilibet existentibus,*

bus, & degentibus, de mandato nostro, perpetuis futuris temporibus in virtute Spiritus sancti recipienda, & acceptanda, sibi pro tempore deputatos, seu deputandos, ea, qua decet, reuerentia recipere hobeant, mandamus, atque iniungimus.

Derogat contrariis.

§. 5. *Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, statatis quoque, ac consuetudinibus dicti Ordinis iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, & confirmatis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die* 20. *Decembris,* 1508. *Pontif. nostri anno sexto.*

§. II.

1. NOta 1. quòd declarare ambiguitates ex literis Pontificum resultantes, ad ipsos Pontifices spectat, ad hoc scilicet, vt illis standum sit in iudicio, & extra, nam alioquin non est prohibitum Doctoribus eas declarare, sed istæ declarationes non valent nisi tantùm, quantùm valet auctoritas ipsorum Doctorum, vt dixi *tom.* 1. *Religiosi, quaest.* 4. *cap.* 8. *versu Priusquam proferam.*

2. Noto 2. quòd S. P. Franciscus in sua Regula 1. cantum permiserat, deinde instinctu Spiritus sancti vetuit, quare in vltima Regula, quàm obseruamus, *num.* 12. expressè prohibuit, & sub grauibus pœnis in Corrector. *num.* 24. Causam narrat Montoya *in chronicis*, & est illa eadem, quæ mouit ad prohibendum cantum Gregorium, relatum *cap. In sancta Romana, dist.* 92. vbi sic habet, *In sancta Romana Ecclesia dudam consuetudo est valdè reprehensibilis exorta, vt quidam ad sacri altaris ministerium cantores eligantur, & in diaconatus ordine constituti modulationi vocis inseruiant, quos ad prædicationis officium, & eleemosynarum studium vacare congruebat. Vnde fit plerumque vt ad sacrum ministerium, dum blanda vox quaeritur, quaeri congrua vita negligatur, & cantor minister Deum moribus stimulet, cum populum vocibus delectat.* Pro cantu vide omnino Rodr. *tom.* 2. *quaest. Reg. quaest.* 40. *per totam.*

§. III.

3. NOto 1. circa ingressum mulierum in Conuentum, quòd in Regula, *num.* 23. prohibentur omnes mulieres ingredi in Conuentus, Excipiuntur tamen omnes de stirpe regia, ac Fundatrices cum sua comitiua. Fratres autem introducentes puniuntur in Correctorio, *num.* 39. & in Capitulo Paulæ, quòd fuit confirmatum à Paulo III. *num.* 30. habetur. *Quod nulla mulieres quorumcumque priuilegiorum prætextu, præter eas, quibus ex Regula conceditur, permittantur Conuentus nostri Ordinis intrare, nisi in earum priuilegio Papali exprimatur. Non obstante prohibitione in Regula Fratrum Minimorum contenta, vel aliud æquiualens præceptum, puta, Virtute excommunicationis, & huiusmodi* Et Clem. VII. viuæ vocis oraculo excommunicauit dictas mulieres ingredi præsumentes, reseruando absolutionem Prouincialibus nostri Ordinis. Habes infra *in Clem. VII. const. eius* 7.

4. Noto 2. quod Pius V. reuocauit omnia priuilegia, quæ habebant mulieres ingrediendi Monasteria Regularium, per suam const. §. infrà, quæ incipit, *Regularium personarum*, & excommunicat mulieres introire præsumentes, absolutionem sibi reseruando, & suspendit à diuinis Fratres admittentes, ac priuat ipso facto officiis, quæ habent, & inhabilitat ad futura. Et Greg. XIII. supradictam constitutionem confirmans per suam const. quæ incipit, *vbi gratiæ*, apud Cherub. *tom.* 2. *bull. in eius constit.* 28. *pag.* 393. excommunicat etiam ipso facto, non solùm dictas mulieres quovis prætextu præsumentes ingredi, sed etiam Superiores ingredi permittentes, & extendit suam constitutionem etiam ad mulieres, & ad viros ingredientes Monasteria Monialium.

5. Sed cum dubia quædam emersissent circa dictam const. Pij, idem Pontifex eam declarauit per aliam bullam, quæ incipit, *Decet Romanum Pontificem*, quàm refert Confect. *in comp. in Pio V. const.* 6. *pag.* 179. in qua declarat, quòd: *Per suam primam constitutionem non solùm intellexit comprehendere mulieres habentes, & prætendentes facultatem ingrediendi, sed etiam omnes, & quascumque alias, tam in genere, quàm in specie.* Declarat etiam, *quod non intendit prohibere, quia mulieres possint ingredi claustra, quando in eis Missa, & alia diuina officia celebrantur, ac dum processiones fiunt, & quando Christi fidelium cadauera ibi sepeliuntur, ac etiam pro eis suffragia fiunt, similiter quando diuinum verbum ibi proponitur, vel per aliam quamcumque causam tantus concursus populi fuerit, quòd commodè ingredi non possint, & egredi per portam Ecclesiæ, quòd tunc possint ingredi, & egredi per portam claustri, dummodo recto tramite accedant ad portam, qua exitur è Monasterio.*

6. Noto 3. quòd cum versum esset in dubium, an per dictã constit. Pij V. derogatum esset nostræ Regulæ quoad Fundatrices, & Reginas, P. F. Andreas Amodeus nostri Ordinis Zelosus supplicauit sacræ Congregationi Concilij hoc pacto: *Illustrissimi, & Reuerendiss. DD. Dubium tale est. Per Regulam nostram Minimorum Ordinis cauetur, ne Superiores mulieres aliquas in nostri Ordinis Conuentus vllatenus intrare permittant, veruntamen singula Domina de stirpe regia procreata ac etiam omnes huiusmodi Ordinis Fundatrices, quæ locorum eiusdem Ordinis septa communiora videre postulauerint, eadem honestè cum sua comitiua intrare, ac deuotè visitare tolerentur. Huic autem derogatum esse videtur per quendam motum proprium Pij V. quo prohibetur mulieribus cuiuscumque gradus, status, ordinis, conditionis, & quacumque dignitate, ac præeminentia præditis, quoscumq; facultates, & licentias sibi à Sede Apostolica concessas prætendentibus sub excõmunicationis latæ sententiæ pœna, ne Monasteria, ac domos Carthusiensium, & aliorum quorumcumque Regularium Ordinum, etiam Mendicantium ingredi audeant, & ipsorum Monasteriorum, & Conuentuum Superiores, quocumque nomine nuncupentur, qui eas introducere, admittereuè præsumant, ipso facto priuentur ab officiis, quæ in præsentia obtineant, & inhabiles in posterum ad illa, & alia omnia, ac suspensi à diuinis remaneant. Dubitatur igitur, an vigore nostræ Regulæ mulieres præfatæ de stirpe regia procreatæ intrare, absque ipsarum, & dictorum locorum Superiorum pœna possint, vel per allegatum motum proprium sit penitus quoad hoc nostræ Regulæ derogatum. Illustrissimarum, & Reuerendiss. DD. VV. Deditissimus seruus, & orator, F. Andreas Amodeus Zelosus Italiæ Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula. Responsio sacræ Congregationis hæc est. S. D. N. Greg. XIII. etiam ex sententia Congregationis Concilij declarauit non censeri derogatum quoad Reginas, vel Fundatrices dumtaxat. Franciscus. Card. Alciatus. Præsens copia fuit extracta à proprio originali, & concordant. Die* 21. *Nouembris*, 1577.

7. Si quæras quænam personæ excludantur per dictionem illam *Dumtaxat.*

Respondeo, Quòd solùm excluduntur mulieres de stirpe regia, non autem comitiua Fundatricum, & Reginarum. Quicquid dicat Passar. *in schol. ex Auenion. num.* 10. Primò, quia cui conceditur aliquid, conceditur etiam id, sine quo illud fieri bene, & honestè non potest. *l.* 2. *ff. de iurisd. omn. iud. & l. penult. ff. de vsufr.* &

& *cap. Preterea, de off. deleg.* vbi Glossa *Ex eo. Et cap. Prudentiam, §. Sexta, fine eod. tit. & cap. De prudentia, de donat. inter vir.* Docet etiam Nauair. *tom. 1. consil. de off. ind. ord. consil. 2. num. 6.* Ioan. Cruz *lib. 1. de statu Relig. cap. 5. dub. 1. concl. 1.* At istæ mulieres, vel Reginæ, vel Fundatrices semper associatæ incedunt cum aliis mulieribus, quas indecens videtur relinquere, & solas ingredi in Monasteria. 2. quia quando conceditur alicui priuilegium ad celebrandum, vel audiendum sacrum tempore interdicti, extenditur etiam ad familiares, *cap. Licèt, de priuil. in 6.* vbi Glossa, *verbo Admittuntur*, aliqua cumulat ex iure ciuili. Probus *ad Monach. cap. Ne aliqui de priuileg. in 6.* Habet etiam Suar. *lib. 8. de legib. cap. 11. num. 8.* & Sanch. *6. in decal. cap. 17. num. 6.* 3. quia hoc priuilegium non est odiosum, sed fauorabile quoad nostras Fundatrices; concessum est enim ad Religionis augmentum, vt videntes deuoti sæculares, nostras Fundatrices talibus priuilegiis esse condecoratas, animentur ad nouas fundationes iotentandas. Quòd pater etiam ex priuilegiis Fundatricibus concessis à Iulio II. *in eius constit. 1. §. 24. & constit. 4. §. 5.* Nihil enim aliud intendisse puto Summum Pontificem, concedendo priuilegia Fundatoribus, & Fundatricibus, quàm Religioni fauere. 4. quia licèt dictio, *Dumtaxat*, si taxatiua, quæ excludit omnino extranea à dispositione, includit tamen etiam ea, quæ ad illam pertinent; Neque excludit ea, quæ sunt de consuetudine, vt Tuschus *verb. Taxatiua, concl. 23. num. 12. & 13.* Sed maximè interest, Fundatrices, quæ de ordinario sunt matronæ nobilissimæ, & ditissimæ, habere socias, quæ illis continuè assistant, & hóc etiam est de consuetudine. Addo denique 5. quòd vt audio, fuit à Congreg. Card. decisum, quòd dictæ Fundatrices possint ingredi Monasteria cum comitiua sex aliarum mulierum, quod placet Sanch. *loco citato.*

8. Si quæras, an per illam declarationem Pontificis Pij, qui incipit, *Decet Romanum*, seu per viuæ vocis oraculum eiusdem, quod referunt Quarant. *in summ. bullar. verb. Monaster. & Conuent. reg. in princip. versu Nos Alexand. pag. mihi 404.* & Festus *1. part. summ. cap. 16.* derogatum sit Regulæ nostræ, qua cauetur *num. 23.* ne vllæ mulieres, quæ Fundatrices non sint, Monasteria nostra ingrediantur. Docet Passar. & bene *in schol. ex Auenion. 10.* quem sequuntur Sanch. *6. in decalog. cap. 17. num. 13.* & Rodriguez *tom. 1. sum. 60. num. 6.* quòd non; Quia cum huiusmodi statutum sit facti, & in facto consistat, Papa probabiliter potest illud ignorare. Quare illi non intendit derogare, nisi expressam mentionem faciat, vt idem. Passar. habet *in not. priuileg. notab. 9.* Adde, quòd *in Cap. Paul. cit. num. 3.* dicitur, quòd per nullum priuilegium permittantur mulieres ingredi nostra Monasteria, nisi in eo sit clausula non obstante Regula Minimorum, seu sub pœna excommunicationis; adde, vel illi æquiualens, puta non obstante quacumque constitutione, etiam necessariò nominanda, nam tunc mens Pontificis videtur esse priuilegiis, etiam quæ in facto consistunt, derogare.

9. Sed aduerte, quòd sacra Congreg. Card. vt refert A Sorbo *in comp. verb. Ingredi Monast. Fratrum pag. 365.* declarauit, testante Illustriss. Card. Alexandrino, anno 1584. *In Monasteriis, seu locis Capucinorum, quæ sunt in fieri, vel in quæ dum fabricantur, adhuc Conuentus ad ibi morandum non fuerit introductus, sed solùm ibi aliqui habitauerint Fratres pro fabricæ potiùs seruitio, quàm aliter, clausuram nullam esse talem, vt, si mulieres in ea intrent, pœnas constit. Pij V. incurrant. Idemque debere dici de domibus, seu infirmariis in Ciuitate positis, cum nec Ecclesiam, nec Conuentum habeant.* Quod valdè placuit Sanch. *6. in decalog. cap. 17. num. 9.* His constitutis, operæ pretium duxi aliquas difficultates enucleare, quæ se offerunt circa hanc materiam, stantibus prædictis constitutionibus.

10. Quæres igitur 1. an puellæ intrantes Monasteria Regularium incurrant dictam excommunicationem Pij V. & qui admittunt, pœnas.

Respondeo, Variare multùm in hoc Doctores circa tempus. A Sorbo enim *in comp. verb. Ingredi Monast. versu Aduertendum, quòd sub nomine*, dicit quòd ad incurrendas has pœnas requiritur, quòd sint maiores sex annis. Llamas *in append. ad suam method. §. 13.* putat, quòd non incurrant puellæ decem annorum. Et in dubio, septennes ad annos discretionis peruenisse dicendum est. Ita Sanch. *lib. 6. in decalog. cap. 17. num. 4.* referens se ad id, quòd dixerat supra, *cap. 16. num. 6. & 7.* Ignorantia tamen poterunt excusari, vt Sanch. *ibi, num. 6.* Quo eodem modo dicendum est de pueris, & puellis intrantibus Monasteria Monialium. Amentes autem mulieres, quæ ad annos pubertatis peruenerunt, si ea forma sint, vt aptæ sint incitare ad peccatum, licèt ipsæ, cum peccati incapaces sint, nullas incurrant pœnas, incurrunt tamen qui eas admittunt. Nauarr. *com. 4. de regul. num. 59.* Sanch. *loc. cit. num. 4. cap. 16.*

11. De Reginis, & Imperatricibus, ac vtrarumque filialibus, quòd non comprehendantur his pœnis, docet idem Sanch, *loc. cit.* & Rodrig. *tom. 1. q. regul. q. 8. art. 1.* Et quòd nullibi reperiatur textus prohibens hunc ingressum his mulieribus sub mortali, docet Suar. *tom. 5. in 3. p. disp. 22. sect. 6. num. 13. & tom. 4. de Relig. tract. 1. lib. 2. cap. 7. num. 5.* sed solas Reginas, & Imperatrices præcisè dumtaxat excludi, constat ex declaratione Greg. XIII. de qua *num. 6.* Neque puto, has comprehendi sub constit. Pij V. *Decet Romanum Pontificem*, de qua *num. 5.* Nam personæ, quæ supereminentem habent qualitatem, quales sunt Reginæ, & Imperatrices, nisi specialiter nominentur, non comprehenduntur sub generali constitutione, vt Io. Andr. *in cap. 1. de schism. in 6.* & colligitur *ex cap. Quia periculosum, de sent. excommun. in 6.* Vide infra in const. 9. Pauli V. §. 1. *num. 2.*

12. Quæres 2. quid intelligatur nomine Monasterij, quando ingressus in illud interdicitur mulieribus.

Respondeo, Nomine Monasterij intelligi ea sola loca, quæ sunt intra septa Conuentus; qui clausura clauduntur, vel claudi debent. Ita Nauarr. *tom. 2. consil. lib. 5. consil. 5. num. 4. de verb. signif.* Sanch. *6. in decalog. cap. 17. num. 12.* Io. Cruz *lib. 1. de statu Relig. cap. 5. dub. 1.* Et aduerte, quòd quando, dicitur in const. Pij V. quòd non possint mulieres ingredi Monasteria, & domos, per domos, ibi non intelliguntur illæ, quas habent Regulares in prædiis extra Ciuitatem vel grangiis, etiam in Ciuitate, sed Monasteria, & domus sunt planè idem, vt aduertunt dicti, & Llamas *in append. ad suam method. §. 12. fine.* Horti autem, qui sunt annexi, & contigui Monasteriis, nomine Monasteriorum comprehenduntur, vt A Sorbo *in comp. verbo Ingredi, versu Secundò quia dixi, pag. 62.* Sanch. *loc. citat. num. 15.* De sacristia verò, quæ solo pariete diuiditur ab Ecclesia, nec ad eam ingrediendam opus est ire per claustrum, dubitat, an in ea possint admitti mulieres A Sorbo *loc. cit. versu Et respondendo dicitur.* Sanch. absolutè dicit, non posse, *num. 17.* nisi sit vsus. Mihi videtur, quòd si porta sacristiæ respondeat immediatè in Ecclesia, vel in aliquo atriolo breui, seu vno, vel duobus passibus ducenti ad Ecclesiam, quòd potiùs dicenda sit tunc Sacristia pars Ecclesiæ, quàm Monasterij: vnde poterunt liberè in eam ingredi mulieres. Ita Cruz. *loc. cit.* qui etiam id concedit de hortis contiguis Monasteriis, in quos per proprias portas, non Monasteriorum, ingreditur.

13. Quæres 3. an, stante declaratione bullæ Pij V. ab

ipsomet

ipsomet Pontifice facta, qua conceditur mulieribus ingredi claustra, quando per ea fiunt processiones, liceat Superioribus ex industria processiones indicere ad hoc, vt ibi aliquæ mulieres ingrediantur.

Respondeo, Non licere, Rodrig. *tom.* 1. *quæst. reg. quæst.* 48. *art.* 3. A Sorbo *in compend. verb. Ingredi, versu Circa quam, pag* 264. Sanch. 6. *in decalog. cap.* 17. *num.* 23. Quia Pontifex id non concessit ad dandum libertatis, & laxationis incentiuum, sed ad scrupulos tollendos. Sed istam glossam, secluso scandalo, non admitto. Non potest Superior in tali processione indicenda habere bonum finem, nimirum vt mulieres aliquæ deuotæ, & benefactrices claustra ad sui ædificationem, & consolationem spiritualem videant, præsertim si breui in longinquum sint profecturæ. Imò etiamsi Superior nullum aliud finem habeat, quam vt muliebri curiositati satisfaciat. Nam tunc etiam mens legislatoris impletur, cum fiat processio ea solemnitate, & deuotione, vt suppono, qua fiunt cæteræ consuetudinariæ, & vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Adde, quòd istæ pœnæ non infliguntur nisi in permittentes mulieres illicitè, cum tempore processionum ingredi Monasteria, sed hoc casu non ingrediuntur illicitè, cum tempore processionum ingredi possint. Ita Longus *p.* 2. *casu* 3. *num.* 22. Bonac. *de clauf. q.* 5. *p.* 4. *num.* 14. Non excusarem tamen hoc casu talem Superiorem à peccato.

14. Quæres 4. an stante dicta declaratione, possint mulieres ingredi, quando in claustris datur habitus alicui nouitio.

Respondeo, quòd sic, & similiter si eo fiat pedum lotio, vel etiam ad audiendum sacrum, &c. de quibus *numero quinto*. Quando autem ingrediuntur mulieres ex dictis causis, iis finitis, non sunt statim eiiciendæ, sed possunt ibi per aliquod breue spatium remanere, etiam ad curiositatem. Ita Rodrig. Sanch. A Sorbo *locis cit*. Nec etiam incurrent pœnas hic taxatas, si prædictis temporibus, quibus ingressus licitus est, malo fine ingrediantur. Nec similiter, si tali malo fine admittantur, etiamsi effectus sequatur, vt dicunt Doctores cit. præsertim Sanch. *num.* 28. quia pœnæ non feruntur, nisi contra illicitum ingressum, Hoc autem casu non est illicitus, licèt peruerso fine vitiatus. Liceret etiam fœminæ, medendi gratia Monacho ægrè laboranti, Monasterium ingredi, si vir nullus reperietur, qui vellet, & posset ita bene Monacho mederi. Ita Rodrig. *tom.* 1. *quæst. regul. q.* 46. *art.* 7. *versu Et idem omnino dicendum*; A Sorbo *in compen. verbo Ingredi, versu Et sic etiam per idem, pag.* 363. Sanch. *loc. cit. num.* 30. Quia conseruatio vitæ est de iure naturæ, cui cedit præceptum Ecclesiasticum. Sed ista non procedunt in Ordine nostro Minimorum; quia in Regula id vetatur, cui per istam declarationem non est derogatum, vt dixi supra, *num.* 8. Excipio tamen vltimum hic casum positum pro necessitate vitæ conseruandæ, cui Regula etiam cedere debet. Nec enim obligamur cum tanto rigore ad seruanda regularia statuta.

15. Quæres 5. Quas pœnas incurrant mulieres intrantes, & Religiosi admittentes.

Respondeo, In const. Pij V. imponitur pœna excommunicationis ipso facto à solo Papa absoluenda, postquam huius constit. notitiam habuerunt, mulieribus præsumentibus ingredi Monasteria Regularium. Religiosis verò, siue Prælati sint, siue Subditi, præsumentibus admittere, imponitur pœna priuationis officiorum, quæ obtinent, & inhabilitatis in posterum ad illa, & alia omnia, ac etiam suspensionis à diuinis ipso facto, sine alia declaratione. Gregorius verò XIII. in sua constit. fœminis præsumentibus ingredi licentiarum, prætextu imponit similiter pœnam excommunicationis ipso facto à solo Papa absoluendam. Religiosis verò, siue Prælatis, siue Subditis admittentibus, etiam sine præsumptione, prætextu licentiarum obtentarum imponit eandem excommunicationis pœnam, & priuationem dignitatum, beneficiorum, & officiorum suorum, ac inhabilitas ad illa, & alia in posterum obtiuenda.

16. Noto 1. quoad mulieres ingredientes, ad hoc vt pœnam excommunicationis dictis constit. positam incurrant, quòd debent id facere cum præsumptione. Quare non solùm inaduertentia, obliuio, negligentia, sed etiam ignorantia quantumvis crassa, dummodò non sit ingens temeritas, eas excusabit, quia verbum, *Audere temeritatem*, petit, & præsumptionem, vt Nauarr. *tom.* 4. *de reg. num.* 62. *notab.* 7. Suar. *tom.* 5. *in* 3. *p. disp.* 22. *sect.* 6. *num.* 14. Rodrig. *tom.* 1. *quæst. regul. q.* 47. *art.* 2. Sanch. *lib.* 6. *in decal. cap.* 16. *n.* 96.

17. Noto 2. quòd licèt ad incurrendam pœnam positam contra Religiosos admittentes in const. Pij V. requiratur præsumptio, per const. tamen Gregorij non requiritur; & sic ignorantia crassa non poterit excusare. Excusabit tamen ignorantia quamvis vincibilis, & culpabilis, etiamsi mortalis sit, modò non sit crassa, & supina. Ita Sanch. *loc. cit. num.* 82. *& lib* 9. *de matr. disp.* 32. *num.* 31. & habetur *in cap.* 2. *de constit. in* 6 & licèt hoc caput videatur solùm loqui de sententiis Ordinariorum, per quos communiter intelliguntur Episcopi. Syluest. tamen *verbo Ignorantia, q.* 8 *dicto* 3. cui adhæret Sanch. *loc. cit. de matr.* dicunt loqui etiam de Papa, qui est Ordinarius Ordinariorum. Et vniuersaliter quando ad incurrendam excommunicationem non requiritur scientia, audacia, præsumptio, semper ab illa excusat ignorantia vincibilis, quamvis sit mortaliter culpabilis: Quod procedit, etiamsi adsit scientia legis, modò adsit ignorantia non crassa censuræ, vt idem Sanch. *loc. cit.* Ignorãtia autem crassa dicitur, quæ prouenit ex culpa lata in adhibenda diligentia, Sanch. *n.* 32. Lata autem culpa adesse dicitur tunc, quando ignorans aut nullam, aut valdè modicam adhibuit diligentiam ad sciendum, quod nosse tenebatur Sanch. *num.* 33.

18. Noto 3. quòd per illa verba, *faciant ingredi, vel permittant*, posita in const. Gregorij intelliguntur omnes illi, qui directè, vel indirectè dicto ingressui cooperantur, vt mandando, consulendo, inuitando efficaciter, conniuendo, seu etiam non prohibendo, cum possint & debeant. Sanch. 6. *in decal. cap.* 16. *num* 87. A Sorbo *in comp. verb. Ingredi, versu, Est etiam notandum, quòd licèt, pag.* 363, videatur Sanch. *loc cit. n.* 93. & 94. Qui autem cum ingressa colloqueretur, & eam comitaretur, non incurreret, si nullo modo causam dedisset ingressui. Sanch. *num.* 95. Neque etiam incurreret, qui bono fine mulieres intro duceret, vt scilicet essent absconsæ à quærentibus vel occidere, vel violare. Quod etiam dic de Monialibus admittentibus viros eodem bono fine. Sanchez *num.* 97. Sed quid, si muliere dicto bono fine admissa quis abutatur? Dico, quòd non incurret. Quia pœna est inflicta contra malè admittentes, & ingredientes, vt dixi *num.* 13.

19. Noto 4. quòd pœna priuationis officiorum, & inhabilitatis ad illa, & ad alia, licèt incurratur ipso facto non obligat tamen in conscientia incursum renuntiare officiis, & in posterum ea non admittere, sed est expectanda iudicis sententia declaratoria, Ita Sanch. 6. *in decal. cap.* 17. *num.* 39. *& cap.* 15. *n.* 65. *& lib.* 1. *c* 22. *num.* 20. *& cap.* 39. *n. vlt.* Et ratio est communis visus, & quia nemo tenetur tam rigorosam pœnam in seipso exequi, nec se prodere in detrimentum suæ famæ. Et illa verba, *sine alia declaratione*, intelligenda sunt de declaratione pœnæ, non criminis, vt dixi *tom.* 1. *Religiosi, quæst.* 2. *cap.* 2. §. 21. *concl.* 3.

20. Noto 5. quoad pœnas suspensionis, & excommunicationis, quòd incurruntur ipso facto ante vllam iudicis sententiam, sicut etiam eodem modo incurritur

pœna

pœna interdicti,& irregularitatis.Ita Sanch.*lib.6.in decal.c.56.n.98.& cap.17. n.40.& lib.9.de matr.disp.30. n.2.*vbi fatetur,se huius rei nullam adæquatam potuisse inuenire rationem,nisi solùm communem vsum.

21.Quær.6.Quis poterit absoluere ab excommunicatione Pontificí reseruata mulieres, quæ contra dictas constitutiones Regulariũ Monasteria fuerint ingressæ.

Respondeo, Si sit occulta, posse Episcopum, per *cap.6.sess.24.de reform.Concil.Trid.* Possunt etiam cõfessores regulares ab Ordinariis de licentia suorũ Prælatorum approbati,per priuilegium Pauli III. concessũ Religiosis Soc.IESV, & nos Minimi per priuilegiũ eiusdem Pauli III. per confessores deputatos in diebus indulgentiarum,vt videri potest in const.2.Pauli III §.5. & communiter omnes Regulares participantes. Ita Sanchez *lib 6 in decal.c.15.n.76.*& A Sorbo *in comp. verb. Ingredi, versu Item Patres Soc. IESV. pag.* 366. Quòd si excommunicatio huiusmodi ad forum contentiosum deducta sit, adhuc tenet Sanch 6.*in decal c.17. n.43.*posse confessarios regulares ab Ordinario approbatos de suorum Superiorum licentia absoluere quoad culpam, non quoad pœnam, per dictum priuilegium Pauli III. in quo conceditur absolutè facultas absoluendi à censuris sine vlla restrictione, aut limitatione. Priuilegium autem sine restrictione concessum à nobis limitandum non est. Neque his obstat declaratio Congreg. facta de mente Clem. VIII. *die 9. Ianuar. anno* 1601. de qua *tom. 1. Religiosi, in appendice*, quæ ponitur in fine libri, *pag.*682. Quia hoc priuilegium Pauli III. præsertim,& erat in vsu ante dictam declarationem, & non est reuocatum vllis Apostolicis constitutionib.Nec iste casus,de quo agimus,est comprehensus in casibus dicta declaratione Congreg. reseruatis.

22. Quæres 7. Quis poterit absoluere Fratres admittentes dictas mulieres in Conuentus ab excommunicatione incursa per constit. Gregorij, & suspensione incursa per constit. Pij.

Respondeo, Posse Prælatos Ordinum, Generales, & Prouinciales. Ita A Sorbo *in comp. verbo Ingredi, versu Dico 4.pag.*366.Sanch.6.*in decal. c.17.n.*41. qui *n.*43.probat,quòd etiam poterunt absoluere,etiamsi delictum non sit occultum,sed deductum ad forum contentiosum; per dicta *n.* 21. quæ possunt confirmari ex iis, quæ suprà dixi, in constit.4.Sixti IV.*à num.* 6. Ita etiam tenet Cruz *lib. 1. de statu Relig. cap.6. dub.15. concl.6.*Ita etiam Diana cum aliis *tom. 2. tr.2. resol.66.*

23 Quæres 8 Quis poterit dispensare in priuatione officiorum, & habilitare ad illa eos, qui contra dictas constitutiones mulieres in Conuentus admiserint.

Respondeo, Passar. *in schol. ex Anenion. num.* 20. *fine. Et in schol. ex Ianuen. num.* 30. tenet, quòd Superiores Ordinis, neque Capitulum generale possunt rehabilitare Fratres inhabilitatos à Papa propter contrauentionem alicuius bullæ Papalis,in qua talis pœna imposita sit,quia per priuilegia datur tantùm facultas dispensandi cum Fratribus suis, per facultatem autem dispensandi non consequitur quis auctoritatem rehabilitandi,quia sunt actus differentes, dispensatio enim est iuris relaxatio, rehabilitatio autem est iuris amissi restitutio, à diuersia autem non fit illatio. Passar. sequitur Grass. *1.p.decis.lib.4. cap.24. num.12.* A Sorbo *in comp.verb.Ingredi, versu Item est notandum, pag.* 366. ait, quòd per priuilegium Eugenij IV. possunt Fratres semel in vita ab ista inhabilitate absolui per confessores à suis Prælatis deputatos,dummodò qualibet septimana per integrum annum septem Psalmos pœnitentiales recitent cum Litaniis. Addit etiam idem A Sorbo,quòd possunt Prouinciales Regulariũ à dicta pœna absoluere in foro conscientiæ per seipsos tantùm, per bullam Pij V. de qua supra in const. Pyrrhi, *num.* 46. in qua concedit eandem facultatem dictis Prouincialibus super suos Subditos, quam habent Episcopi in suos; Et putat, Episcopos per *cap. 6. sess. 24. de reformat.* hanc auctoritatem habere,latè interpretando verbum Suspensionis, prout etiam comprehendit inhabilitatem. Rodrig. *tom.1.q.reg. q.24. art.*17. posito fundamento *ex cap. At si Clerici, §. De adulteriis, de iudiciis*,vbi Alexand. III. concedit Episcopis, quòd possint cum Clericis in adulteriis,& aliis minoribus delictis, peracta pœnitentia,dispensare,ait,quòd hoc delictum, de quo agimus, non est maius adulterio, & cum Generales, & Prouinciales habeant auctoritatem quasi Episcopalem, poterunt in hac inhabilitate dispensare, cum reseruata non sit etiam in foro exteriori. Sanch. *6. in decal. cap. 15.n.78.* cum tenuerit, vt nos etiam cum ipso diximus, hanc pœnam in conscientia non incurri, putat, quòd non possit dari casus, in quo ea sit occulta, accedente iudicis sententia,& existimat, quòd nec Episcopo, nec Superioribus Religionis integrum sit in hac inhabilitate, & priuatione à Pontifice inducta, ac sententia iudicis decreta dispensare, quòd si teneatur, eam absque sententia iudicis incurri,putat, quòd possint Superiores Prælati, imò & Superiores locales in ea dispensare, propter bullam Pij V. concedentem Superioribus Prælatis omnem auctoritatem, quam habent Episcopi in suos Subditos, & etiam priuilegium Pauli III. concedens absolutionem ab omnibus casibus reseruatis, & censuris, & pœnis consurgentibus ex eis.

24. Breuiter dico, quòd in conscientia ista pœna non incurritur, vt probaui supra, *num.* 19. Quòd si quis scrupulosus ob suæ conscientiæ maiorem serenitatem absolui voluerit, poterit absolui à Generali,vel ab eo deputatis, per priuilegium Gregorij XIV.quod incipit, *Illius*, concessum Clericis, qui ministri infirmorum dicuntur, quod refert Cherub. *tom. 1. bull. in Gregorio XIV. const. eius* 17. vbi hæc habet, *Nec non cum eis, si opus fuerit, etiam cum rehabilitatione, & abstersione inhabilitatis, & infamia macula dispensare.* Quod etiam concessit Abbatibus, & Prælatis Cassinensibus Pius V. *anno* 1571. *Idib. Ianuar.* vt refert Peregr. 1. *part. sui comp. tit. Dispensatio, §. 6.*

25. Circa forum fori licèt Rodrig. *loc. cit.* & eund. secutus Crux *lib. 1. de statu Relig.cap.6.dub.15.concl.6.* in hoc etiam probent posse Prouinciales dispensare. Puto tamen veram sententiam Passar. & Sanch. quia Prælatus, inferior non potest tollere pœnas à Papa inflictas. Nec inuenio priuilegium id clarè concedens. Imò priuilegium Gregorij XIV. expresse loquitur de foro conscientiæ tantùm, per quam clausulam omnino denegatur absolutio in foro fori; Ex quo enim vnum conceditur, aliud eo ipso denegatur, *c. Qualis hinc, dist.* 25. vbi Glossa *verbo Negatur*, multa congerit.

26. Circa Vigiles, de quibus *in eodem §. 3, in Cap. Rom.* 1. non fuerunt creati, vt potest videri in *numero vlt.* ob penuriam Prouinciarum. In Cap. sequenti Thurone celebrato, fuit creatus vnus Vigil pro natione Italica, qui fuit R.P.F. Hieronym. à Ponte Genuensis, & Prouinciæ Genuæ Prouincialis, vt videre est *num.* 10. Et *in Cap. Tholosa, num* 7. decisum est, electionem Vigilis pro tunc omittendam esse, vt de facto omiserunt. *In Cap. 2. Foriiulij, num.* 5. postulantibus Vigiles Fratribus Prouinciæ Castellæ Patres non annuerunt, vnde ex illo tempore non sunt amplius creati Vigiles, & sic in Religione nullus vnquam fuit Vigil nisi dictus P. F. Hieronymus de Ponte Genuensis. Quare in desuetudinem abierunt, non obstante præcepto huius Pontificis.

CONSTI

CONSTITVTIO VII.

Quâ concedit, quòd possimus sumere Conuentus, & ædificare, etiam non distantes ab aliis per cannas 140.

IVLIVS PAPA II. DILECTO filio F. Francisco Binet, Generali Ordinis Minimorum salutem, & Apostolicam benedictionem.

Procemium. *Piis, & honestis desideriis, illis præsertim per quæ paci, & quieti personarum, sub Regulari obseruantia degentium consulitur, libenter annuimus, eaque fauoribus prosequimur opportunis.*

Molestabantur Fratres super quodã Conuentu non distante per 140. cannas. *§. 1. Exponi nobis nuper fecisti, quòd licèt alias dilectus filius Andreas de Medina certas domos in suburbiis Oppidi B. Mariæ Astigiæ Hispalen. Diæcesis, quas tunc obtinebat, Ordini Minimorum, cuius Generalis existis, pro construenda inibi vna domo, seu Monasterio sub inuocatione Iesu Mariæ pro perpetuis vsu, & habitatione suorum dicti Ordinis, concesserit, ipsiusque Ordinis* Vide in constit. 1. huius, §. 10. & 27. *Fratres, quibus fel. record. Sixtus Papa IV. prædecessor, & secundùm carnem patruus noster, recipiendi domos, & loca pro eorum domibus à spõte dantibus priuilegia etiam à nobis approbata concesserat, iuxta dicta priuilegia, domos ipsas receperint, inibique quamplurimas impensas ex Christi fidelium eleemosynis piè erogatis hactenus fecerint. Quia tamen nonnulli Fratres certæ domus Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de monte Carmelo, asserentes dictam domum Iesu Mariæ infra spatium centum, & quadraginta cannarum per aërem, aut alias mensurandarum constructam fuisse, idque contra priuilegia eisdem Fratribus B. Mariæ de monte Carmelo Apostolica auctoritate concessa, & in Mari magno contenta factum fuisse, ac sub certis sententiis, censuris, & pœnis in dicto Mari magno contentis, ne in dicta domo Iesu Mariæ habitare, seu construere præsumerent, inhibuerunt, seu inhiberi fecerunt.*

Supplicant pro remedio. *§. 2. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, tibi, & Fratribus dicti Ordinis Minimorum, ad quem quamplurimi Christi fideles, præsertim partium Hispaniæ, ob Dei amorem, ac F. Francisci de Paula illius institutoris memoriã magnum gerunt deuotionis affectum, vt tam dictam Iesu Mariæ, quam alias, tam eis, quàm sororibus dicti Ordinis Minimorum domos tãm hactenus concessas, quàm in posterum concedendas, etiam ab aliis domibus Fratrum B. Mariæ de monte Carmelo, & aliorum quorumcumque Ordinum per centum, & quadraginta cannas, etiam per aërem, aut alias mensurandas, non distantes recipere, & receptas tenere, & inhabitare, ac de nouo in illis construere, & ædificare, seu construi, & ædificari facere valeas, & ipsi valeant, concedere, aliasque in præmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.*

§. 3. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi, ac Fratribus Ordinis Minimorum huiusmodi prædictam Iesu Mariæ, & quascumque alias domos, & loca hactenùs eidem Ordini Minimorum, illiusque Fratribus, & sororibus concessas, seu concessa, & in posterum concedendas, seu concedenda, etiamsi infra centum, & quadraginta cannas per aërem, aut alias mensurandas, ab aliis domibus dictorum Fratrum de monte Carmelo, & aliorum quorumcumque Ordinum fuerint, de eorũ tamen consensu, quorũ interest, liberè, ac licitè recipiẽdi, & pro eorum perpetuis vsu, & habitatione retinendi, ac de nouo in illis construendi, & ædificandi, seu construi, & ædificari faciendi, ac inhabitandi de consensu quorũ interest, auctoritate Apostolica tenore præsentium licentiam concedimus. Concedit, quod possint Fratres nostri sumere Conuentus non distantes per 140. cannas. Videtur contra §. 10. constit. 1. eiusdem.

Deputat commissarios. *§. 4. Quocirca dilectis filiis Ministro Monasterij per Ministrum gubernari soliti Sanctissimæ Trinitatis Malacitanen. & Decano Ecclesiæ Cordouben. per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel alter eorum vobis in præmissis efficacis defensionis auxilio assistentes, faciant vos concessione prædicta liberè potiri, & gaudere, non permittentes, vos per quoscumque desuper indebitè molestari, Contradictores per censuram Ecclesiasticam, & alia opportuna remedia, appellatione postposita, compescendo.*

Derogat contrariis. *§. 5. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Statutis, & consuetudinibus dictorum Ordinum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegiis quoque, & indultis Apostolicis dictis Ordinibus concessis, quibus, illorum tenores pro sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die 11. Iunij 1509. Pontificatus nostri anno sexto.*

§. I.

1. NOtò, quòd hoc priuilegium de spatio 140. cannarum fuit concessum Carmelitis à Clem. IV. qui Pontifex amplius concessit Minoribus, est enim de trecentis cannis, vt refert Casatub. *in comp. verb. Ædificare, num. 1. & 16.* Sed omnia hæc priuilegia modò ampliùs in vsu non sunt, vt ait A Sorbo ad Casatub. *loc. cit. in princip.* Videri potest constitut. 39. Gregor. XIII. quæ incipit, *Saluatoris*, apud Cherub. *tom. 2. bull. in eo, pag.* 406. pro Iesuitis, & const. 8. Pauli V. *pag.* 188. apud dictum Cherub. *tom. 3. pro Carmelitis Discalceatis.*

§. IV.

2. NOto 1. circa illam clausulam positam in §. 4. *Quatenus ipsi, vel alter eorum*, quòd vigore huius clausulæ si vnus cœpit procedere, poterit alius prosequi, vel procedere, primo impedito: Et dicitur impeditus, si abest, vel est infirmus. Et si vnus processit nulliter, non seruatis de iure seruandis, poterit alius iuridicè

iuridicè procedere. Tusch. *verb. Clausula, concl. 321.* Abbas *in cap. Licèt vndique, num. de off. deleg.*

3. Noto 2. circa illam clausulam positam eodem §. 4. *Appellatione remota*, quòd si iudex citet aliquem ad locum, ad quem citatus ire non potest securè, proposita exceptione de loco suspecto, liberè poterit appellare, etiamsi appellatio interdicta sit. Habetur *in cap. Ex parte tua, de appell.* vbi Abbas *num. 1.* Neque ista clausula impedit, quin possit iudex ex legitima causa recusari. Abbas *in cap. Nouit ille, de appell. num. 3.* Sed remouet omnem appellationem, non solùm friuolam, sed etiam legitimam. Abbas *in capite Super eo, el 2. num. 9. fine, de appell.* Operatur etiam vires suas respectu partium, non autem respectu tertij compatentis pro suo interesse. Abbas *in cap. Super eo, de off. deleg.* Bald. *addit. ad Specul. titul. De appel. verbo Clausula, appell. remota.* Et licèt tollat appellationem à definitiua, non tamen tollit ab interlocutoria. Addit. Panor. *ad cap. Super eo, de off. deleg. cit. lit. B.* qui etiam aduertit, quòd non prohibet, quin pars possit appellare, sed facit, quòd iudex non possit talem appellationem admittere. Addit etiam, quòd cum tali clausula non potest Legatus de latere; neque alius quivis minor Papa, & Principe, causam aliquam committere quoad sententias definitiuas, bene autem quoad interlocutorias. Neque potest apponi à minore Papa, & Principe quoad effectum derogandi iuri, quò verò ad effectum, vt deseruiat iuri, potest apponi à quocumque Ordinario. Bald. *in add. Specul. in tit. De appell. verb. Clausula appell. remota.*

CONSTITVTIO VIII.

Quâ confirmat electionem Generalis Germani Lionet, & acta Capituli generalis Thuronensis; & concedit, quod Generalis præsideat in Capitulo generali vsque ad nouam futuri Generalis electionem; & quòd acta in vno Capitulo generali, in sequenti approbari, vel reprobari possint.

IVLIVS PAPA II. DILECTO Filio Germano Lionet Ordinis Fratrum Minimorum salutem, & Apostolicam benedictionem.

Supplicatio.

§. 1. E*Xponi nobis nuper fecisti, quòd tu in proximo Capitulo generali Ordinis Fratrum Minimorum in domo Iesu Maria, propè Ciuitatem Thuronen. dicti Ordinis celebrato, Spiritus sancti gratia cooperante, via scrutinij in generalem Correctorem dicti Ordinis, iuxta illius regularia instituta, per nos, & Sedem Apostolicam approbata, canonicè electus fuisti. Ac post electionem de te factam huiusmodi, in eodem Capitulo nonnulla pro dicti Ordinis manutentione, & directione vtilia, ac rationabilia edita fuerunt. Quæ omnia pro illorum subsistentia firmiori cupis dictæ Sedis munimine roborari.*

Confirmat acta Capituli Thuronen.

§. 2. *Nos itaque tuis in hac parte supplicationibus inclinati, electionem de te ad triennium proximum factam, & omnia, & singula alia, regularibus institutis dicti Ordinis, per nos approbatis, & canonicis, & Apostolicis institutis, non obuiantia, in dicto Capitulo generali pro ipsius Ordinis vtilitate gesta, & edita, Apostolica auctoritate, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illaque inuiolabiliter obseruari mandamus. Supplentes omnes, & singulos defectus, si qui forsan interuenerint in eisdem.*

Mandat Generalē præsidere Capitulo vsque ad nouam electionem.

§. 3. *Et ne, triennio huiusmodi finito, etiam ante futuri Correctoris generalis iuxta dicti Ordinis regularia instituta factam electionem, Ordo ipse Correctore generali interim careat, tibi, ac successoribus tuis Correctoribus generalibus dicti Ordinis pro tempore existentibus, vt Correctores generales dicti Ordinis remanere, & Capitulo præsidere debeatis, donec canonica electio successoris in Capitulo Generali pro tempore celebrato iuxta dicti Ordinis regularia instituta facta fuerit.*

Quòd acta in vno Capitulo possint ab alio approbari vel reprobari.

§. 4. *Quòdque gesta, & edita in Capitulo huiusmodi, in sequenti Capitulo (dummodò canonicis, & Apostolicis ordinationibus, aut Primatui Ecclesiæ Romanæ aliquo modo non obsistant) infirmari, aut approbari, seu confirmari possint, eadem auctoritate licentiam concedimus, pariter & indulgemus.*

Derogat contrariis.

§. 5. *Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac statutis; & consuetudinibus dicti Ordinis iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis. Necnon omnibus, & singulis concessionibus, sub quacumque etiam verborum forma, & serie, per nos, & Sedem prædictam, aut aliàs in contrarium forsan factis, & in posterum faciendis, quorum omnium, & singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro expressis haberi volumus, cæterisq; contrariis quibuscumque. Datum Romæ, die 1. Decembris, 1511. anno 9.*

§. III.

1 NOto, quòd de hoc puncto in principio nostræ Religionis fuit maxima controuersia, vt potest videri *in Capitulo Thuronis, num. 13. Tholosa, num. 50. Roma 2. num. 8.* Et hoc propter statutum Correctorij ante eius correctionem, quo statuebatur, vt Generalis, & eorum Socij in electione futura Generalis vocem non haberent. Sed post dictam correctionem Correctorij *num. 94.* & istam constitutionem iam non fuit amplius controuersum. Habet Passarell. *in margine ad Cap. Rom. 2. num. 8.*

§. IV.

2. NOto, quoad modum condendi statuta in Capitulis generalibus, quæ aduertit Passarel. *in schol. ex Ianuen. num. 3. de statutis condendis.* Aduertant etiam Patres Capituli generalis velim, vt non sint in condendis, & multò minùs in abrogandis statutis, non enim conualescit planta, quæ sæpius transfertur. Et certum est illud Alcibiadis apud Thucid. *Eos hominum tutissimè agere, qui præsentibus moribus, antiquis legibus, etiamsi deteriores sint, minimùm variantes, Rempublicam administrant.* Et Augustum ad Senatum solitum dicere ait Dio, *Positas semel leges constanter seruare, nec vllam earum immutare, nam quæ in suo statu, eademque manent, etiamsi deteriora sint, tamen vtiliora sunt Reipublicæ his, quæ per innouationem vel meliora inducuntur.* Et id genus plura vide apud Lipsium *lib. 4. ciuil. doctrin. cap. 9.* Quòd si temporum,

hominumque

hominúmque conditio ferat, statuta aliqua de nouo fieri, id matura deliberatione fiat per patres doctos, & discretos, rem radicitus, & intimè considerantes, non celeusmaticè, vt sæpè vidi, attendatur præsertim ad id, quod dicit P. Passar. *loco citat.* Si verò mutari suadeat temporum conditio, id demum fiat, vt vetus Reipublicæ vestis, quæ lex est, concinnari potiùs, vel aptè sarciri, quàm dissui, aut lacerari videatur.

3. Hic quæro, an possit vnum Capitulum generale contrauenire actibus alterius Capituli generalis confirmatis à Papa, seù ab illis recedere.

Respondeo, Hoc esse apud Doctores controuersum, vt est videre apud Passar. *in notab. priuil. notab.* 26. Anguian. *tract. de leg. lib.* 3. *controu.* 6. Breuiter dico, licitum esse Capitulo generali statuta edita in vno Capitulo generali, & confirmata à Papa, remittere, & relaxare, si confirmatio fuit solùm in forma communi. Ita Rodrig. *tom.* 1. *quæst. reg. q.* 68. *art.* 5. & innuit *q.* 10. *art.* 4. Anguian. *loc. cit. num.* 5. & constat ex isto §. 4. Et ratio est, quia bonum illud per statutum Capituli prætensum non aliter est bonum, quam quia ad singulos de Capitulo spectat, qui ex eo commodum, & vtilitatem percepturi sunt, nec alio fine à Papa confirmatur. Ergo, si ex illo statuto temporum conditione mutata, non solùm commodum, & vtile percepturi non sunt successores, sed incommodũ, & damnum, non sunt cogendi inuiti illud sustinere, sed possunt ab eo resilire. *Quod enim ob gratiam alicui est concessum, non debet in eius dispendium retorqueri*, vt dicunt *in cap. Quòd ob gratiam, de regul. iur. in* 6. *regul.* 61. Confirmatio autem statuti gratia est, vt patet. Habetur id etiam clarè *in cap. Cum accessissent, de constit.* Nec refert iuris illud dicterium, quòd *omnia nostra facimus, quibus auctoritatem nostram impartimur*, vt dicitur *in cap. Si Apostolica, de praben. in* 6. Quia intelligitur solùm quoad effectum firmitatis, vt videlicèt actus à Papa confirmatus perinde firmus censeatur, ac si per ipsum Papam gestus fuisset, vt dictus Anguian. *loc. cit. n.* 6. Ex quo non sequitur, quòd illa statuta ob confirmationem Papæ deserant, & omittant suam naturam primordialem sed potiùs illa confirmatio est quid accessorium: vnde sequi debebit illorum naturam, per regulam. *Accessorium*, quæ est 41. *de regul. iur. in* 6. Vnde quia statuta Capituli generalis ante confirmationem natura sua erant reuocabilia, per aliud subsequens Capitulum generale poterunt similiter reuocari post confirmationem, cum dicta confirmatio solùm operetur vim, & firmitatem dictorum statutorum, donec reuocentur per aliud Capitulum.

4. Si autem confirmatio facta fuerit ex certa scientia, tum non licèt Capitulo subsequenti à Capituli statutis ita confirmatis resilire. Quia confirmatio ex certa scientia magis est datio, seu noua concessio, quàm confirmatio, vnde reualidat actum nullum, *cap.* 1. & *cap. Veniens, de transaction.* & ita tradit Anguian. *tractat. de leg. lib.* 3. *controu.* 6. *num* 14. multos citans.

5. Ad vltimum nota, quòd si Papa confirmando statuta vnius Capituli aliquòd ex se ipso statutum faceret, quòd non esset in illo Capitulo confirmato, non posset Capitulum generale subsequens illud reuocare. Quia esset immediatè procedens ab Apostolica Sede, & inferior non habet in Superiorem auctoritatem, *cap. Inferior, dist.* 21. vt aduertit Rodrig. *tom.* 1. *quæst. regul. quæst.* 68. *art.* 5. *fine.*

CONSTITVTIO IX.

Quâ concedit, vt duo ex Prælatis Congregationis Monachorum B. Mariæ Montis Oliueti cum consensu Capituli possint alienare in euidentem vtilitatem.

IVLIVS PAPA II. SERVVS seruorum Dei: Dilectis filiis Abbati Generali, & Visitatoribus Congregationis Monachorum B. Mariæ de Monte Oliueto Ordinis S. Benedicti, salutem, & Apostolicam benedictionem.



EX iniuncto nobis desuper Apostolicæ seruitutis officio, ad ea libenter intendimus, per quæ Monasteriorum, & aliorum religiosorum locorum quorumlibet vtilitas valeat procurari. Prœmium.

§. 1. *Dudum siquidem à fel. rec. Paulo PP. II. prædecessore nostro emanarunt literæ tenoris subsequentis. Paulus Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Cum in omnibus iudicibus sit rectitudo iustitiæ, & conscientiæ puritas obseruanda, id multò magis in commissionibus alienationum rerum Ecclesiasticarum conuenit obseruari, in quibus de Christi patrimonio & dispensatione pauperum, non de proprio cuiusque peculij agitur, aut tractatur. Quapropter oportet, vt in examinandis huiusmodi alienationum causis, quæ à Sede Apostolica in forma, si ad euidentem vtilitatem cedant, oneratis Ecclesiasticorum iudicum conscientiis, delegantur, ni fauor vsurpet, vel timor extorqueat, nulla expectatio præmij iustitiam, conscientiámque subuertat. Monemus igitur, & sub interminatione diuini iudicij omnibus Commissariis, & Delegatis huiusmodi districtè præcipimus, vt cautè, & diligenter attendant causas in literis Apostolicis per supplicantes expressas, illásque sollicitè examinent, atque discutiant; testes, & approbationes super narratorum veritate recipiant, & solum Deum præ oculis habentes, omni timore, vel fauore deposito, Ecclesiarum indemnitatibus consulant; nec in læsionem, aut detrimentum earum decretum quomodolibet interponant. Si quis autem Commissarius, aut Delegatus conscientiæ suæ prodigus, in grauamen, aut detrimentum Ecclesiæ per gratiam, timorem, vel sordes, alienationi consenserit, aut decretum, vel auctoritatem interposuerit, inferior quidem Episcopo, sententiam excommunicationis incurrat; Episcopus verò, aut Superior ab executione officij per annum se nouerit suspensum: Ad æstimationem detrimenti illati nihilominus condemnandus, sciturus, quòd, suspensione durante, si damnabiliter se ingesserit in diuinis, irregularitatis laqueo se innoluet, à quo non nisi per summum Pontificem poterit liberari. Is verò, qui dolo, vel fraude, aut scienter in detrimentum Ecclesiarum, alienationem fieri procurauerit, aut per sordes, vel* Literæ Pauli II. pro Commissariis alienationum.

impressionem alienationis decretum extorserit, similem sententiam excommunicationis incurrat, à qua non nisi per Romanum Pontificem absolui possit: Ad restitutionem nihilominus rerum alienatarum cum fructibus, quandocumque de præmissis constiterit, condemnandus. Volumus autem, quòd Commissarij, & Delegati prædicti de pœnis constitutionis nostræ specificè moneantur, & in quibuscumque literis commissionum huiusmodi hoc statutum nostrum inferatur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ monitionis, præcepti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ, apud S. Petrum, anno Incarnat. Dominicæ 1465. 5. Id. Maij, Pontificatus nostri anno primo.

Supplicatur Papæ pro facultate alienandi.

§. 2. *Et deinde nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Capituli Generalis Congregationis Monachorum B. Mariæ Virginis de monte Oliueto Ordinis S. Benedicti petitio continebat, quòd Monasteriis, Prioratibus, & aliis religiosis locis Congregationis, necnon membris ab illis dependentibus expediret aliqua ex eorum immobilibus bonis, quæ eis parùm vtilia seù minùs commoda existunt, vendere, & pretium inde proueniens in alia immobilia bona vtiliora, & commodiora conuertere, seu pro aliis possessionibus, aut immobilibus bonis vtilioribus, & commodioribus cõmutare aut in feudum, vel ad tempus sub canone condecenti locare, & concedere, ex quo profectò Monasteriorum, & Prioratuum, ac locorum, necnon membrorum prædictorum conditio cum eorum euidenti vtilitate melior efficeretur. Quare pro parte eorundem Capituli nobis fuit humiliter supplicatum, vt vobis singulis Abbatibus, & aliis Prælatis, & Prioribus, ac Conuentibus Monasteriorum, locorum, Prioratuum, & membrorum prædictorum pro tempore existentibus, quascumque possessiones, & alia bona immobilia minùs vtilia, minùsque commoda huiusmodi, vendendi, alienandi, & permutandi, aut in feudum, seu emphiteusim, vel liuellum, & affictum perpetuum, vel ad tempus locandi, & concedendi, quoties expedierit, licentiam largiamini, committere, & mandare, aliàsque in præmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.*

Concedit facultatem alienandi. Vide infra constit. 24. Leoni X & const. 5. Clem. VII. & constit 7. & a Vrban. VIII.

§. 3. *Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenùs vos, vel maior pars, aut ad minus duo vestrum, bonis (de quorum venditione permutatione, locatione in feudum, seu emphiteusim, vel liuellum pro tempore agetur huiusmodi) priùs coram vobis specificatis, de omnibus, & singulis, quæ super obtinenda licentia huiusmodi per eosdem Abbates, Prælatos, Priores, & Conuentus vobis pro tempore exponi contigerit, & eorum circumstantiis vniuersis auctoritate nostra vos coniunctim, seruata forma literarum Pauli prædecessoris huiusmodi, procedendo, diligenter informetis. Etsi per informationem eandem, ea vobis sic pro tempore exposita vera esse, ac venditiones, alienationes, permutationes, locationes, & concessiones prædictas, si fiant, in euidentem Monasteriorum, Prioratuum, membrorum, & locorum prædictorum, quorum illa fuerint, vtilitatem cedere reperiritis, eisdem Abbatibus, Prælatis, Prioribus, & Conuentibus id petentibus, quoties expediens fuerit, possessiones, & bona quæcumque huiusmodi pro pretiis competentibus vendendi, & alienandi, seù illa pro aliis possessionibus, & bonis immobilibus vtilioribus, & commodioribus permutandi, aut quibusuis personis, etiam sæcularibus in eandem emphyteusim, vel liuellum, & affictum perpetuum, vel ad tempus pro condecenti annuo canone, seu censu locandi, & concedendi dicta auctoritate licentiam largiamini, concedimus.*

§. 4. *Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac statutis, & consuetudinibus Monasteriorum, Prioratuum, locorum, membrorum, Congregationis, & Ordinis prædictorum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis; quòdque vos de personis in dignitate Ecclesiastica constitutis, quibus literæ Apostolicæ dirigi consueuerunt, non sitis, cæterisque contrariis quibuscumque.* Derogat contrariis.

§. 5. *Prouiso, quòd si possessiones, & bona huiusmodi vendi contigerit, vt præfertur, pretium, seu pretia ex illis proueniens, seu prouenientia, penes ædem sacram etiam dictæ Congregationis, aut fide, & facultatibus idoneam personam cum obligationibus, & recognitionibus, ac cautelis in talibus apponi solitis reponantur, & in emptionem aliorum immobilium bonorum eisdem Monasteriis, Prioratibus, locis, & membris quorum erant bona vendita huiusmodi, commodiorum, & magis vtilium, & non in aliam causam omnino conuertantur. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, anno Incarnat. Dominicæ 1507. pridie Nonas Iulij Pontif. nostro anno quarto.* Pretium in alia bona stabilia implicetur.

§. I

1. NOto primò, quòd commissiones alienationum communiter fiunt à Summis Pontificibus Ordinario loci, & alteri personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ coniunctim; & si de ipsius Ordinarij interesse, & præiudicio agitur, tunc loco ipsius committuntur Metropolitano, & si res ad ipsum Metropolitanum pertineat, Ordinario viciniori. Concedebantur autem istæ commissiones antea etiam per sacram Pœnitentiariam. Sed Pius IV. per suam bullam, quæ incipit, *In sublimi*, §. 11. quam refert Cherub. *tom. 2. bull. in Pio IV. constit. 53. pag. mihi* 71. prohibet pro rebus, quarum redditus annuus summam viginti ducatorum auri de Camera excedat: Et concedebantur etiam per Camerarium Apostolicum, & eiusdem Cameræ Clericos. Sed has facultates omnino reuocauit Pius V. per suam constit. quæ incipit, *Volentes*, quam refert Cherub. *tom 2. bull. constit. 69. pag.* 266. pro re cuiuscumque valoris, etiam summam annuam quinque ducatorum auri de Camera non excedente, & sibi soli immediatè, & successoribus suis id reseruauit. Nunc per decretum sacræ Congregat. Concil. de mandato Vrbani VIII. quod habes infra, in Vrbano VIII. *constit. eius 8. Regularibus*, quibus directè, & immediatè

diatè, non per communicationem, Concessum erat ab Apostolica Sede aliquod priuilegium alienaodi, conceduntur dictæ commissiones, seu licentiæ alienandi gratis à dicta sacra Congregat. cœteris autem non habentibus directè priuilegium alienandi, sed tantummodo illud habentibus per communicationem, conceduntur immediatè per Papam per viam Datariæ. Et ita intelligo practicari dictum decretumCongregationis in Vrbe.

2. Si quæras, an nobis Minimis sit directè, & immediate concessum aliquod tale priuilegium, ita vt in alienationibus sufficiat nos ad sacram Congreg. Concilij recurrere.

Respondeo Meo videri esse concessum in constitut. 5. huius Pontificis, §. 4. ibi: *Necnon eiusdem Ordinis Minimorum domos*, &c. vbi aduerte, quod etiam intelligitur ibi illa clausula antecedens *Absque nostra, & tua, aut Generalis Correctoris pro tempore existentis licentia speciali*. Nam dictio, *Nec*, est copulatiua, & continua, & repetit præcedentia in sequentibus, neque aliud importat, quàm *Et non*. Tuschus *verb. Dictio, conclus.* 312. Vnde si possunt fratres de Generalis licentia bona immobilia extra ordinem concedere, possunt etiam de eisdem alienare: verbum enim Concedere extra Ordinem idem importat, quod Alienare, vt videri potest in §. 2. huius constitut. & in bulla *Ambitiosæ*, quam pono *num.* 4. & in decreto nouissimo Congr. Puto etiam esse concessum hoc priuilegium directè nobis ab eodem. Iulio I. in constitut. eius 1. §. 14. vbi ait: *Quod possimus frui omnibus gratiis, & priuilegiis quatuor Ordinibus Mendicantium concessis, & in posterum concedendis*. Et §. 25. eiusdem const. ait: *Quòd possimus transumptari facere omnia priuilegia concessa aliis Mendicantibus à quibuscumque Pontificibus, mutatis nominibus Pontificum concedentium, in nomen Iulij, & nominibus eorum, quibus sunt concessa, in nomen Minimorum*. Deinde ait: *Ac quòd transumptum, seu transumpta huiusmodi, taliter facta, & manu alicuius Notarij publici subscripta, ac sigillo alicuius Prælati Ecclesiastici sigillata. Ordine Minimorum huiusmodi, ac illius personis, & fratribus pro tempore existentibus adeo vbique locorum suffragentur, ac si singula prædicta bullæ*, &c. *fratribus ipsis Minimis, & eorum Ordini præfato, etiam sub Minimorum nomine, specialiter, & expressè indulta fuissent; ac pro eis principaliter emanassent*.

3. Noto 2. quòd sex consulit Quar. *in sum. bull. verb. Alienatio, n.* 14. Commissariis alienationum, & ponit etiam formam decreti, quæ omnia ibi videri possunt.

4. Noto 3. quòd contra alienantes bona Ecclesiastica adest extrauagans Pauli II. quæ incipit, *Ambitiosæ*, inter extrauag. communes, *de reb. Eccl. non alien.* quam etiam refert Cherub. *tom.* 1. *bull. in Paulo II. constitut. eius* 5. *pag.* 329. quæ sic habet. *Ambitiosæ*, & infrà, *Omnium rerum, & bonorum Ecclesiasticorum alienationem, omnéque pactum, per quod ipsorum dominium, concessionem, hypothecam, locationẽ & conductionem vltra triennium, necnon infeudationem, vel contractum emphyteuticum, præterquam in casibus à iure permissis, ac de rebus, & bonis in emphyteusim ab antiquo concedi solitis, & tunc cum Ecclesiarum euidenti vtilitate, ac de fructibus, & bonis, quæ seruando seruari non possunt pro instantis temporis exigentia, hac perpetuò valitura constitutione fieri prohibemus, & tam qui alienat, quàm is qui alienatas res, & bona prædicta receperit, sententiam excommunicationis incurrat*, &c. vbi ponit alias pœnas. Extat etiam decretum Concil. Trid. *sess.* 25. *de reform. cap.* 11. *& sess.* 12. *de reform. cap.* 11. Extat etiam alia constit. Pauli IV. quæ incipit, *Iniunctum*. apud Cherub. *tom.* 1. *bull. in Paulo IV. constit.* 2. & Pij V. quæ incipit, *Volentes*, quàm idem Cherub. *tom.* 2. *bull. in Pio V. const.* 69. & aliam eiusdem, quam idem Cherub. *const.* 98. quæ incipit, *Etsi de singulis*. Extat etiam decretum Congr. Concilij de mandato Vrbani VIII. de quo dixi *num.* 1. in quo prohibetur omnis alienatio ad formam bollæ Pauli II. & cum pœnis in ea positis. Et nouissimè exiuit constitutio Vrbani VIII. quæ incipit, *Humanæ salutis*, infrà, in eius constit. 7. in qua prohibet etiam dari in emphyteusim, vel feudum, vel vltra trienoium locari, quæ sic dari solita sunt.

5. Noto 4 circa intelligentiam huius extrau. *Ambitiosæ*, quòd Cajetan. *in sum. verb. Excommunicatio, cap.* 75. quem sequitur Quarant. *in summ. bullar. verb. Alienatio, n.* 5. & Filliuc. *tom.* 3. *tract.* 44. *cap.* 1. *q.* 5. *n.* 7. ait, quòd in extrau. *Ambitiosæ* prohibetur omnis modus alienandi, etiam in casu licito, & seruatis solemnitatibus, de quibus infrà, inconsulto Romano Pontifice. Conceduntur tamen ibi tres casus, in quibus licitum est alienare inconsulto Romano Pontifice. 1. est locationis, & conductionis intra triennium, 2. est emphyteusis habentis tres conditiones, scilicet in casibus à iure permissis, & de bonis solitis ab antiquo dari in emphyteusim, & cum euidenti Ecclesiæ vtilitate. Sed hic casus modò quoad bona iurisdictionalia est omnino sublatus per dictam const. Vrbani VIII. *Humanæ salutis*. 3. est alienationis fructuum, qui seruando seruari non possunt. Nauarr. *tom.* 2. *in comm. de alien. rer. Eccl. n.* 2. *vers. Secundò annoto*, ait, quòd in dicta extrauag. permittitur alienatio rerum Ecclesiæ, inconsulto Romano Pontifice, in casibus à iure permissis, videlicet iusta de causa, seruata forma iuris communis. Permittitur etiam alienari consueta dari ab antiquo in emphyteusim cum euidenti Ecclesiæ vtilitate. Et denique permittitur alienatio rerum, quæ seruando seruari non possunt. Itaque secundùm Nauarr. quem sequitur Zerola 1. *p. prax. verb. Alienatio, num.* 1. *&* 2. etiam post dictam extrauagant. *Ambitiosæ*, licitum est alienare, inconsulto Romano Pontifice, in casibus à iure permissis. Secundùm Cajet. illud *Casibus à iure permissis*, non stat per se, sed est conditio eorum, quæ dari solent in emphyteusim. Opinio Nauar. certè videtur secundùm literam; at opinio Cajet. tutior est, vt ipse etiam ait, & practicatur in Curia, atque adeo omnino amplexanda.

6. Noto 5. quòd casus à iure permissi, in quibus licitum est alienare, sunt quatuor. 1. est necessitas, vt si debita vrgeant, & de fructibus satisfieri non possit. 2. est vtilitas, vt res melior habeatur, ad quam reducitur fabricatio Ecclesiæ, vel Monasterij si non sit capax sufficienter. 3. est pietas pro redimendis captiuis, ad quem reducitur cibatio pauperum tempore famis. 4. est incommoditas, vt quia res alienanda est magis damnosa, quàm vtilis. Ita Glossa *in sum. cap.* 12. *q.* 2. Sylu. *verb. Alienatio, q.* 1. *n.* 2. Quarant. *in sum. bull. verb. Alienatio, num.* 3. Nau. *de reb. Eccl. non alien. n.* 3.

7. Noto 6. quòd ad alienandum requiritur non solùm causa licita, nimirum vna ex illis quatuor dictis *n.* 6. sed etiam solemnitas Iuris. Solemnitas autem iuris requirit quatuor. 1. est tractatus de alienatione, qui fit hoc pacto. Congregatis fratribus omnibus localibus, & vocalibus in locum Capitoli ad sonum campanulæ, Superior Prælatus proponit causam talis conuocationis, verbi gratia, quòd Monasterium onustum est graui ære alieno, & quòd nullo pacto soluendo est, nisi vendatur talis domus, &c. & ideo eos ibi conuocauit ad determinandum, quid faciendum sit, ideò vnusquisque suam proferat sententiam. Ita Quar. *in summ. verb. Alienatio, n.* 4. Sylu. *eodem q.* 2. *num.* 3. Rodr. *tom.* 1. *quest. reg. q.* 27 *art.* 2. & habetur *in cap. Sine exceptione*, 12. *q.* 2. *& in cap.* 1. § *Quia verò, de reb. Eccl. non alien. in* 6. Vbi aduerte, quod si aliqui Fratres vocales essent infirmi, vel extra Conuentum, non per hoc desineret Capitulum posse facere dictam alienationem, sufficit

enim, quòd ad deliberandum adsint in Capitulo ex tribus partibus duæ. Vigliag. *de reb. Eccles. malè alienat. p. 1. cap. 3. num.* 4. 2. quod requiritur de solemnitate, est consensus Capituli, seu maioris partis illius. Vigliag. *loc. cit. num.* 2. & habetur *in cap. Eu noscitur* §. *Respondemus, de his, quæ fiunt à Prel. Et in cap.* 1. *de his, quæ fiunt à maiori part. Cap. & cap. eod. tit.* Quod enim à maiori parte factum est, à toto Capitulo factum censetur, *leg. Aliud est*, §. *Refertur*, *ff. de regul.* vbi dicitur, *Refertur ad vniuersos, quod publicè fit per maiorem partem.* Et iste consensus non sufficit, quòd sit tacitus, sed debet esse expressus. Rodriguez *loc. cit. versu Et aduerten.* Glossa *in cap. Continebatur, de his, quæ fiunt à Prel. verb. Contradicente.* Panorm. *cap.* 1. *eiusd. tit. num.* 3. Cruz. *lib.* 1. *de statu Relig. cap.* 4. *dub.* 3. *concl.* 2. *cond.* 4. 3. requiritur auctoritas Superioris, nimirum Abbatis in Ecclesiis sibi subiectis, & Prouincialium in Ecclesiis Mendicantium. Quarant. *loc. cit. num.* 4. Sylu. *num.* 3. Rodrig. *loc. citat.* qui etiam aduertit, quòd si Monachorum maior pars dissentiret, Prælatus autem consentiret alienationi, non valeret dicta alienatio, sicut nec possent Monachi, dissentiente Præsidente, alienare, quia non solùm requiritur consensus fratrum, sed etiam Prælatorum auctoritas, quæ si non interueniat, non valebit alienatio. 4. requiritur subscriptio singulorum, saltem per Notarium. Quar. Syluest. *loc. cit.* Habetur *in cap.* 1. *& cap. Tua nuper, de his, quæ fiunt à Prel.* vbi Panorm.

8. Si quæras, an minor pars, quæ alienationi non consensit, subscribere teneatur determinationi factæ à maiori parte.

Respondeo; Si quod est determinatum, est euidenter in præiudicium, & damnum Ecclesiæ, tunc tenetur minor pars non subscribere; quia subscribendo videretur consentire; & sic incurreret in pœnas contra alienantes. Habetur expressè *in cap. Si quis Presbyt. de reb. Eccl. alien.* vbi Panorm. *num.* 1. Imò potest, & debet dicta minor pars contradicere, & appellare ad Superiorem. Habetur *dicto cap. Si quis*, §. *Sed etiam.* Imò vnus solus contradicere potest, & ad Superiorem appellare, qui Superior, causa cognita, si appellans verum dixisse fuerit repertus, debebit determinatum à maiori parte rescindere. Vigliag. *de reb. Eccl. malè alienat. p.* 1. *c.* 4. Panorm. *dicto cap. Si quis Presbyt. numer.* 1. *&* 6. Sed vt contradictio minoris partis valeat, debet proponere quid rationabile, & illud probare, vt Glossa *in sum. c.* 1. *de his, quæ fiunt à mai. par.* vbi Panor. *n.* 5. Et nota, quòd non tenetur probare suam contradictionem coram maiori parte, quæ est illi suspecta, sed coram Superiore, vel arbitris, si Superior esset absens, & negotium vrgeret. Panor. *loc. cit. num.* 12.

9. Sed quæres. Aliquis de Capitulo non vult consentire alienationi factæ à toto Capitolo, sed ne sibi Prælatum infensum reddat, cuius contemplatione talis alienatio determinatur, non vult appellare ad Superiorem, neque etiam contradicere expressè, saluabit-ne conscientiam suam, & euitabit-ne pœnas contra alienantes?

Respondeo, Quòd iste nolens consentire, licèt non teneatur appellare, tenetur tamen expressè contradicere, & facere quantùm potest, vt illa determinatio alienandi rescindatur alioquin non euitabit neque pœnas, neque peccatum. Et ratio est, quam affert Panorm. *in cap.* 2. *de his, quæ fiunt à Prel. fine conf. n.* 9. quia quilibet de vniuersitate debet votum suum exprimere in concernentibus factum vniuersitatis ex debito officij, arg. *cap.* 1. *de his, quæ fiunt à maior. part. Cap.* Is autem, qui tenetur loqui, & tacet habetur pro consentiente. Quòd etiam docet idem Panorm. *in c.* 1. *de his, quæ fiunt à mai. par. num.* 13. & est dictum singulare Innoc. *in cap.* 1. *de his, &c. num.* 4.

10. Noto 7. quod fructus, & bona, quæ seruando seruari non possunt, de quibus concedit bulla, quòd possint fieri alienationes, sunt res mobiles minimè pretiosæ, vel quæ non durant triennio, vel vsu consumuntur, & non fructificant; quales sunt vestes non pretiosæ, fructus, & aliæ res mobiles, vel se mouentes, & non fructificantes. Ita Nauarr. *commi. de alien. rer. Eccles. tom.* 2. *n.* 4 Pan. *in cap. Nulli, de reb. Eccl. alien. num.* 8. Hæc autem bona secundùm ius commune possunt per solum Prælatum, sine Conuentu, aliqua ratione sufficienti id suadente, alienari. Ita Panor. *dicto capite Nulli, num.* 8. Armill. *verbo Alienatio, n.* 3. Cruz *lib.* 1. *de stat. Relig. cap.* 4. *dub.* 3. *concl.* 1. Sed in nostra Religione, si sint alicuius momenti, requiritur consensus Capituli, *Correct. num.* 50.

11. Si quæras, vtrum pecunia sit de his, quæ seruando seruari non possunt.

Respond. Affirmatiuè. Panor. *loc. cit. n.* 11. Syln. *verb. Alienatio, n.* 7. Quar. *eod. n.* 25. Nam pecunia de se non fructificat. Si verò pecunia esset in magna quantitate, vel esset destinata ad emenda bona immobilia, & fructificantia, tunc debet connumerari inter bona immobilia, seu mobilia pretiosa. Sylu. & Quar. *loc. cit.*

12. Noto 8. quòd bona mobilia pretiosa, de quibus prohibet constit. *Ambitiosæ*, fieri alienationem, sunt ea mobilia, quæ seruando seruari possunt, vt vasa aurea, argentea, vestes pretiosæ, quæ longè distant ab interitu, & commodè seruari possunt gemmæ, & his similia; grex etiam ouium, aut caprarum, de cuius fructibus emolumenta, & redditus percipere consueuit Ecclesia, aut Monasterium. Licèt enim possint vendi arietes, agni, hirci, non tamen licèt alienare totum gregem. Ita Mol. *tom.* 2. *de contract. disp.* 465. *num.* 4.

13. Et aduerte, quòd ea, quæ alienari non possunt, neque etiam possunt pignorari, nisi in extrema, & vrgenti necessitate, præsertim si obligarentur ad tantum quantum valerent. Quar. *loc. cit. num.* 17. Mol. *loco citato, disp.* 466. *num.* 1. Nald. *in sum. verb. Alienare, num.* 3. neque super his potest constitui census, neque de eis fieri compromissum. Nald. *ibidem.*

14. Noto 9. quòd si fiat contractus alienationis, saluo assensu Romani Pontificis, & ante interpretationem tradatur possessio, incurretur in pœnas huius extrau. Nauarr. *tom.* 1. *consil. lib.* 3. *de reb. Eccl. alien. conf.* 1. Quar. *in sum. bull. verb. Alienatio, num.* 9. Nald. *verb. Alien. num* 8. cum sit protestatio contraria facto. Nisi bona fides excusaret, vt notat idem Quar. *loc. cit.* vel nisi fiat protestatio, reseruando assensum directi Domini, etiam in actu traditionis, vt limitat August. *ad num.* 9. Quar. *lit. B.*

15. Noto 10. quòd dispositio huius extr. non procedit in rebus immobilibus exiguis, vt in terrulis non excedentibus valorem 25. ducatorum aureorum, vt Nald. *in sum. verb. Alienare, n.* 5. *& verb. Prelatus. n.* 7. Et addit ita fuisse responsum à sacra Congreg. Episcopo Fauentino, *anno* 1601. Ita etiam Quar. *num.* 41. qui affert declar. sacræ Congr. *de anno* 1596. 19. *Decemb.* dicens: *Sacra Congregatio Conc. censuit, neque constit. Pauli II. neque Concil. Trid. decretum derogasse dispositioni, cap. Terrulas.* 12. *q.* 1. Sed quoad valorem melius Filliuc. *tract.* 44. *c.* 4. *n.* 4. *tom.* 3. *de alien.* id relinquendum, ait, arbitrio boni viri, considerantis facultates Ecclesiæ temporum, locorum, & rerum qualitates. Tria tamen debent concurrere, vt dictæ terrulæ possint alienari, inconsulto Romano Pontifice. 1. quòd sint exiguæ. 2. quòd non sint Ecclesiæ vtiles. 3. quòd adsit aliqua causa iusta ex dictis *num.* 6.

16. Si quæras, an solus Superior, vel alius Prælatus Conuentus possit repudiare rem immobilem Ecclesiæ legatam.

Respondeo, Panorm. *in cap. Tua nuper, de his, quæ fiunt à Prel. num.* 9. *fine*, rem esse dubiam; ipse tamen videtur inclinare cum Federico de Senis *conf.* 9.

quòd

quòd possit repudiare; quia dominium non est acquisitum Ecclesiæ ante acceptationem, vnde repudiando potiùs dicendus est non acquirere, quàm alienare. Ius autem requirit solemnitatem in alienando, non in non acquirendo. Hanc opinionem tenet, & multis probat Sanch. *lib. 6. de matrim. disp. 4. num. 11. & 12.* insistendo in hoc, quòd legatum Monasterio relictum, antequam acceptetur, non est Monasterio incorporatum. Et quamvis à morte testatoris, præsertim si est in specie, transeat in dominium legatarij, hoc tamen dominium imperfectum est, cum solùm se teneat ex parte rei, non ex legatarij, qui potest illud nolle: Vnde quando dicitur, quòd legatum transit in dominium legatarij, intelligitur, si legatarius illud acceptauerit, vel non repudiauerit; nam si repudiat, fingitur dominium non transisse. Ita etiam Ioan. Valer. *diff. 25. num. 2.* Puteus *decis. 509.* Scot. *in select. bull. theor. 2. versu Sed hic grauis.* Contrarium censet Azor. *tom. 2. lib. 9. cap. 1. quæst. 12.* Nald. *verb. Alienare, num. 5. & verb. Prælatus, num. 7.* Fillíucc. *tom. 3. tract. 44. cap. 4. num. 34.* Videatur Rodrig. *tom. 1. quæst. regul. quæst. 27. art. 3. vers. Secundò est aduertendum*; vbi ait, quòd licet hoc de iure communi Prælatus facere non posset, posset tamen per priuilegium, quod affert Iulij III. Certè 1. opinio mihi magis placet, præsertim si legatum sit cum aliquo onere, licet concedam, Prælatum sine iusta causa id facientem peccare, quia tenetur bonum suæ Ecclesiæ procurare. In praxi tamen, maximè inter Regulares consulerem semper 2. si præsertim Prælatus est temporaneus.

17. Siquæras, an solus Superior, absque consensu cap. possit incidere arbores, quæ sunt in villis Conuentus.

Respondeo, Incisio arborum potest fieri multis modis, Possunt enim incidi arbores, quia nimis densæ, & nimis sunt inter se vicinæ, & rarè fieri non solùm in se, sed etiam respectu aliarum. 2. possunt incidi arbores infructuosæ, & vmbratiles, & loco earum reponi arbores fructiferæ, & faciem mutare. 3. possunt incidi arbores fructiferæ veteres, vt loco earum reponantur nouæ eiusdem, vel similis qualitatis. 4. possunt incidi arbores nemoreæ, vt, relictis radicibus, iterum crescant, & renouentur, seu arbores cæduæ. 5. possunt incidi arbores fructiferæ, sed respectu loci in parua quantitate, & paruæ æstimationis. 6. possunt incidi arbores fructiferæ, & infructiferæ in magna quantitate.

18. In 1. casu nullum adest delictum, nec consequenter vlla pœna, nam illa cæsio arborum est vtilis, & bona; sicut enim nimia raritas arborum nocet fructui eius quærendo, ita nimia densitas nocet arboribus, & fructui ab eis ferendo, vt patet præsertim in oliuis. Ita Nauarr. *lib. 3. consil. de reb. Eccles. alien. cons. 6. num. 2.* Rodrig. *tom. 1. quæst. regul. quæst. 27. art. 4.* Quarant. *in summ. verb. Alienatione, num. 33.*

19. In 2. casu non posse, docet Filliuc. *tom. 3. tract. 44. cap. 4. num. 17.* Quia hoc esset actum dominij exercere, & Prælatus absque consensu Cap. nullum dominium habet neque vtile, neque directum, *capite Fraternitatem, de donat.* sed si adsit recta intentio, & nemus si paruum, aut mediocre, & non ad amœnitatem seruetur, & fiant ea, quæ ad illud fructiferum reddendum, secundùm agriculturæ leges, sunt necessaria, puto posse Prælatum id ex se solo facere; nam reddit fundum magis appretiabilem, nec hoc est dominium vllum exercere, cum non ad libitum fundo vtatur, sed secundùm rectum iudicium rationis Monasterij bonum intendens; vnde licèt nullum habeat in rebus Monasterij dominium, vt dictum est, est tamen illarum Procurator, vt dicitur dicto *capitulo Fraternitatem*, & Procurator conditionem Ecclesiæ meliorare potest, *ibid.* Si ergo euidenter meliores, non eget Capituli consensu. Ita Rodrig. *tom. 1. quæst. regul. quæst. 27. art. 4.* Nau. *lib. 3. consil. de reb. Eccles. alien. cons. 6. num. 2.* Quarant. *in summ. bull. verb. Alienatio, numero 33.* Consulo tamen Prælatis regularibus, vt consensum Capituli obtineant ad vitandas lites.

20. In 3. casu facit rem vtilem, & secundùm regulas agriculturæ, vnde in nullam culpam, neque pœnam incidet. Quarant. *loco citat.*

21. In 4. casu nota, quòd arbores cæduæ sunt illæ, quarum totus, vel præcipuus fructus in incisione consistit, quales sunt tantùm vtiles ad lignandum. Filliuc. *loco citat. num. 11.* vnde si sylua, vel nemus aliquod sit solitum cædi determinato aliquo tempore, vel in toto, vel in parte, poterit Prælatus, adueniente tempore illud cædi facere, obseruatis, quæ in aliis cæsionibus secundùm temporis, quantitatis, & modi conditiones fuerunt obseruari solita. Ita Quarant. *loco cit.* & Filliuc. *num. 12.*

22. In 5. casu, si Prælatus vnam, vel duas arbores fructiferas in fundo, in quo sunt multæ aliæ similes arbores, incideret, non per hoc incurret in pœnas contra alienantes, quia censentur parua materia, secùs tamen esset, si arbores illæ essent maximæ æstimationis, vel quia nullæ similes reperiantur, vel non tam grandes: vel propter aliam rationem. Et hoc etiamsi fructiferæ non sint, sed vmbratiles, vt si incideret arborem fabæ græcæ, quæ est in platea huius Conuentus Iesu Mariæ, vel luxuriantis alicuius hederæ, amœnissimam vmbram æstiuo tempore causantis. Ita Filliuc. *loco cit. quæst. 10. num. 11. versu Quartò colligitur.*

23. In 6. casu incideret Prælatus in pœnas contra alienantes; quia cum alienatio sit rei subsistentis, & immobilis à se dominij abdicatio, & arbores, quæ iam solo radices conceperunt, sint res subsistentes, & immobiles, non solùm ex iuris æstimatione; sed etiam ex communi omnium sensu, & consuetudine, non est dubium, quòd eas scindere est alienare. Filliuc. *loco citato num. 7.* Et pro arborum incisione refert notabilem decisionem Rotæ Fatio. *p. 2. decis. 553.* in qua determinatur, quòd ad incurrendas pœnas Extrau. *Ambitiosa*, requiritur non solùm, quòd incisio arborum sit in magna quantitate, & quòd arbores sint destinatæ ad afferendum fructum annuum, & quòd non sint cæduæ, sed etiam requiritur, quòd deterioratio fundi sit notabilis.

24. Si quæras etiam, an prædia, quæ alternis tantùm annis fructum ferunt, possint vltrà triennium locari, vt oliuæ, &c.

Respondeo, Posse locari in sex annos, & si prædium solùm tertio quoque anno fructum ferat, ad nouennium. Ita Nau. *tom. 2. comm. de alien. num. 21. & 22.* Azor. *part. 2. lib. 9. cap. 2. quæst. 2.* Quarant. *verb. Alienatio, num. 18.* Filliuc. *tract. 44. cap. 2. quæst. 3. num. 8.* Scott. *in select. bull. theorem. 115. versu Sed quid.* Et ratio est, quia annus in locatione non taxatur ex simplici decursu temporis, sed decursu cum prouentu fructuum. Quare vbi fundus alterno, vel tertio quoque anno fertilis est, biennium, aut triennium pro annuo tantùm spatio computatur, atque ita prædium, quod in sex, vel nouem annos locatur, si hoc toto tempore tres tantùm fructus ferat, verè in tres annos locatur vtiles, & feraces.

25. Et aduerte secundum graues Doctores, quòd possunt res Ecclesiæ locari vltra triennium, & ad longissimum tempus, etiamsi singulis annis fructificent, modò in instrumento locationis apponatur conditio, quòd vtile dominium rei locatæ apud locatorem remaneat. Nam ratio quare locatio vltra triennium prohibetur, est quia videtur esse quædam alienatio; quæ ratio cessat, quando apud locatorem remanet dominium vtile, cum enim alienatio sit dominij alicuius translatio, hic autem nullum transferatur, sed sola commoditas, non potest esse alienatio, atque ita docet Bald. *in cap. Quæ in Ecclesiarum, de constit. num. 36.* vbi Fel. *n. 87. versu Sexta declaratio*, & Ioan. de Arnono *sing. 72.*

20. Aduerte tamen, quod non possunt fieri locationes ad sex, vel nouem annos cum hac clausula, vt tot sint locationes, quot triennia, & vt, finito primo triennio, tunc facta sit noua locatio. Quia est in fraudem const. *Ambitiosa.* Quar. *ibid.* Filliuc. *loc. citat. cap. 4. num. 9* Felin. *cap Quæ in Eccles. de constit. num. 87.* An autem locatio isto modo facta sit omnino inualida, vel solùm sit inualida pro excessu triennij, & pro primo triennio valida sit, dubitant Doctores. Omnino inualidam dicunt Azor. *p. 1. lib. 9. cap. 2. q. 4.* Vasq. *de reddit. cap. 2. §. 2. dub. 5.* Quia est in fraudem const. Validam autem esse pro primo triennio dicunt Quatant. *loc. cit.* Molin. *tom. 2. disp. 467. num. 1.* quia in separabilibus, vtile per inutile non vitiatur, per *reg. Vtile*, quæ est 37. *de reg. iur. in 6.* At hic optimè separari potest tempus à iure permissum à tempore prohibito. Non potest autem hoc tempus separari, si simpliciter, & vnico contractu fiat locatio ad quinquennium, vel septennium, verbi gratia, & ideo tota locatio fuit, quia omnino inualida contra bullam. Molin. *loc. cit. num. 2.* Quatant. *loco citat.* Vbi autem esset consuetudo locandi vltra triennium, quia quoad hoc non fuisset ibi recepta constit. *Ambitiosa*; possent sine dubio fieri dictæ locationes vltra triennium vsque ad nouennium, Rebell. *de obl. iust. lib. 14. q. 6. num. 2.*

CONSTITVTIO X.

Quâ excommunicat impedientes, & molestantes eos, qui ex sæculo ad Religionem confugiunt.

IVLIVS PAPA II.

In quodam priuilegio concesso Monachis Ordinis S. Benedicti Congreg. B. Mariæ Montis Oliueti, quod incipit, Etiamsi ad vniuersos, anno Domini 1507. pridie Nonas Iulij, Pontif. sui anno 4. inter alia.

Impedientes ad Religionem venientes excommunicantur.

*Oncessit, & prohibuit, ne aliqui, cuiuscumque status, gradus, vel conditionis existant, personas, quæ de iure communi Religionem ingredi non prohibentur, ex sæculo fugientes, & ad conuersationem huiusmodi Congregationis venire cupientes, verberibus, aut violentiis quibuscumque impedire, vel prohibere, aut à Monasteriis, & locis Congregationis Monachorum S. Benedicti euellere, aut extrahere, iniuriam ingredi volentibus, aut recipientibus irrogando, seu eos molestando, audeant, vel præsumant. Contrarium verò facientes ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, dum tamen, cum hoc præsens statutum fuerit eis ad notitiam deductum, non destiterint à prædictis, à qua non possint, præterquam in mortis articulo; nisi per Sedem Apostolicam beneficium absolutionis obtinere.*

CIRCA CONSTITVTIONEM.

1 NOta quòd hæc constitutio ponitur hic in summa à Passer. fortè quia eam habere non potuit, vel quia continebat aliqua, quæ ad nos nihil spectabant. Et aduertè quòd similem prohibitionem sub iisdem pœnis fecit Eugenius IV. pro Congreg. Cassinensium, vt refert Rodrig. *in suo bull. in Eugen. IV. bull. 7.* §. 14. Seu potiùs dic, quòd est hæc eadem, licèt hic fortè impressoris in curia proponatur sub nomine Iulij II. Certè Rodrig. *tom. 3. quæst. regul. quæst. 14. art. 5* hanc eandem prohibitionem refert sub Eugenij IV. & citat Passar. *hoc loc.* eodem modo refertur in comp. Casarub. *verb Nouitius, num. 28.*

2. Qui sint de iure communi prohibiti ingredi Religionem, vide *tom. 1. Religiosi, q. 1. cap. 25. §. 3. pag. 305.* Et nota, quòd non memini, me vidisse alio loco, quòd impedientes viros ingredi Religionem anathemate feriantur. Nam Trid. *sess. 25. cap. 18. de Regul.* solùm loquitur de fœminis, vt probo cum Suar. Sanch. Ledesm. *tom. 1. Religiosi; quæst. 1. cap. 29 concl. 2. versu Noto 1.* Vide etiam à conclus. 5. vsque ad finem cap. Et aduerte, quòd ista excommunicatio ante monitionem est comminatoria, post monitionem latæ sententiæ.

CONSTITVTIO XI.

Quâ concedit multa Ordini Eremitarum S. Augustini, præsertim quòd fruatur omnibus priuilegiis concessis aliis Ordinibus Mendicantium.

IVLIVS PAPA II. DILECTO filio F. Ægidio Ordinis Eremitarum Sancti Augustini Priori generali, salutem, & Apostolicam benedictionem:

ETsi ad bene merendum, tum de vniuersa Religione, tum præcipuè de Augustiniana, cui tu praes, propensi magnoperè simus; libellus tamen, quem de Ecclesiæ incremento edidisti, fecit nos ad res, vel tuas, vel tui Ordinis longè propensiores.

Concedit facultatem sumendi Conuentus. Vide sup. in eiusdẽ constit. §. 20. & constitut. Pyrrhi §. 9. n. 48. 49. nota hoc particulare de Parochiis.

§. 1. *Cum igitur Superiori anno per nostras literas quadam Religioni tuæ concesserimus, inter quæ id erat, vt loca oblata tu, fratresque tui, tam qui sunt, quàm qui erunt, capere pro Religione possetis. Nunc per has nostras ea, quæ concessimus, clariùs declaranda duximus: Eandemque locorum suscipiendorum facultatem ad alia quæcumque loca, domos, Ecclesias (etiam parochiales) ac cuiuscumque sint Ordinis, aut conditionis suscipiendas, extendimus, damusque proprio tam motu, quàm scientia, atque de plenitudine potestatis, vt hæc omnia capere possitis, facta vobis potestate tam per literas, quas supra memorauimus, quàm per harum concessionem, declarationemque literarum. Licere igitur vobis perpetuò decernimus hæc omnia posse capere absque alia Sedis Apostolicæ concessione. Non obstante piæ memoriæ Bonifacij VIII. constitut. prohibente noua loca ædificari.*

Concedit omnia priuilegia Mendicantium.

§. 2. *Confirmauimus etiam priuilegia Religionis vestræ per easdem literas. Quòd planè tam de iis omnibus intelligimus, quæ vestrum Mare magnum continet, quàm de aliis omnibus Apostolicis concessionibus, quarum apud vos aut Apostolicæ literæ, aut authentica exempla scrutantur. Confirmamus & priuilegiorum communionem, quam fel. rec. Sixtus prædecessor noster fecit inter vos, Mendicantésque alios; decernimúsque ac volumus, quicquid vsque in hanc*

diem

diem Ordini Minorum, aut Prædicatorum, aut Carmelitanorum, aut Seruorū concessum ab Apostolica Sede est, & quicquid in futurum concedetur, vobis concessum esse, fratrésque tuos eisdem concessionibus perpetuò uti posse, perinde ac si vobis nominatim concessa essent.

Dat potestatem benedicendi res sacras. Vide 2. p. nostri Rit. not. 2. §. 3. Dedimus præterea tibi potestatem sacrandi, benedicendique corporalia, vestes, & ea, quæ sacris vsibus necessario sunt. Quo quidem munere tam te, quàm qui pro tempore erunt aut Generalis, aut Vicarius, fungi posse decernimus.

Nullus potest ex illo Ordine exire. §. 4. Vt verò exeuntium ab Ordine tuo motibus occurramus, confirmamus in primis fel. rec. Martini prædecessoris nostri decretum, vt nemo è tuo Ordine ad aliquem aliorum Ordinum, occasione arctioris Regulæ, transire possit. Volumúsque vt quisquis in tua Religione professus, siue ad sacros ordines promotus in ea fuerit (quam rem professionis loco & esse, & haberi statuimus) habitum dicti Ordinis relinquere, aut mutare non possit, nisi missionem, literásque à Generali Ordinis obtinuerit: Quòd tam de iis, qui hactenùs exierint intelligi volumus, quàm de his, qui in posterum exituri sunt, etiamsi Apostolicas literas obtinuerint.

Auocat ad se lites. §. 5. Ne verò proteruis relinquatur litigandi, repugnandivè locus. Si quis eorum exeuntium causam in Romana Curia super ea re committi hactenùs obtinuerit, aut in posterum obtinebit, vbi ad adhibendam, aut alia huiusmodi agendum itum fuerit, motu, scientia, & potestate prædictis, lites huiusmodi ad nos auocamus, atque omnino extinguimus. Statuentes, equè valere hoc decretum nostrum, ac si iudicium nomina atque alia omnia, quæ supra commemorata sunt, hic satis expressa essent, etiamsi sacri Palatij Auditores extiterent. Volumúsque vt quicquid super hac re fiet, aut factum sit, etiamsi causam aut nos, aut Apostolica commiserit Sedes, pro infecto omnino haberi.

Decretum irritans. §. 6. Irritum præterea esse, atque inane quicquid super his Apostolico, siue alia quauis auctoritate secus contigerit aut agi, aut attentari.

Fratres exeuntes, capi mandat. §. 7. Fratres verò, qui ita exierint, quocumque induti habitu sint, mandamus, vt capi curres, ad Religionémque vestram redire quacumque ratione compellas.

Transumptis fidem adhiberi iubet. §. 8. Denique fidem adhiberi mandamus, non modò nostris his literis, verum etiam & earum exemplis, modò prælati, aut Notarij alicuius signo obsignata fuerint. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die 17. Iunij, 1508. Pontific. nostri anno quinto.

CONSTITVTIO XII.

Quâ declarat, quomodò sit intelligenda communicatio priuilegiorum inter Ordines Minorum, & Prædicatorum.

IVLIVS PAPA II.

Venerabilibus Fratribus Salamantino, Pascen. & Corduben Episcopis, & eorum cuilibet salutem, & Apostolicam benedictionem.



Liàs ad supplicationem charissimi in Christo filij nostri Ferdinandi Regis, & infrà.

§. 1. Quódque in prædicta priuilegiorum, gratiarum, & indultorum præfatorum communicatione, tam vniuersaliter per prædecessores nostros toti Ordini Minorum, quàm etiam per nos particulariter prædictorum Regnorum Fratribus facta, vt ea, quæ ad absolutionem, dispensationem, vel aliàs ad Priorem generalem, seu Magistrum Ordinis Prædicatorum spectant. Ad Ministrum, vel Vicarium generalem Fratrum Minorum pertineant, & ea, quæ ad Priores Conuentuales, idest Prælatos singulorum domorum Ordinis Prædicatorum, & eorum Vicarios similiter spectant, ad Guardianos, & eorum Vicarios Ordinis Minorum. Et ea, quæ ad Priores, seu Vicarios, vel Subpriores, Prouinciales, idest Prælatos, qui medij sunt, quocumque nomine censeantur, vel vocentur, inter dictum Generalem, seu Magistrum Ordinis, & Priores Conuentuales, eorumque Vicarios simili modo spectant, ad Ministros, & Vicarios prouinciales, ac Custodes, qui etiam medij sunt inter Ministrum, & Vicarium generalem, & Guardianos, eorumque Vicarios similiter pertineant. Et sicut de potestate Prælatorum, scilicet de Prælatis ad Prælatos dictum est, ita de Congregationib. vnius ad Congregationes alterius Ordinis; Et de Fratribus priuatis, idest sine Prælatura, ad Fratres priuatos: Et de festiuitatibus ad festiuitates, in his casibus, in quibus Congregationibus, vel Fratribus priuatis, aut festiuitatibus, vnius Ordinis aliquid conceditur, Congregationibus, Fratribus priuatis, ac festiuitatibus alterius Ordinis nunc, & pro tempore respectiuè concessa intelligantur. Ita quòd ea, quæ in honorem SS. Dominici, Petri mar. Thomæ de Aquino, Catherinæ de Senis, Fratribus, vel locis Prædicatorum sunt concessa, omnia, illa Fratribus Minoribus præfatis, eorumque locis in festiuitatibus SS. Francisci, Antonij, Ludouici, Bernardini, Bonauenturæ, & Quinque Martyrum dicti Ordinis qui apud Marrochum martyrij coronam adepti sunt, & Sanctæ Claræ, & in aliis festiuitatibus dicti Ordinis Minorum, licèt sint in maiori numero, quàm festa Prædicatorum, sint, & intelligantur concessa, ad tollendam quamcumque hæsitationem, & inde fortè ortum scrupulum, auctoritate, & Concessa Generali Prædicatorū quoad absolutiones &c. intelligantur concessa Generali Minorum, &c.

tenore præfatis declaramus: Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 1. Iunij, 1509. Pontif. nostri anno sexto.

CIRCA CONSTITVTIONEM.

1. NOto, quòd in ista const. declarat Pontifex, quomodò intelligatur communicatio priuilegiorum, quæ est inter Mendicantes, exemplo enim Prædicatorum, & Minorum possunt reliquæ Religiones, communicationem habentes, priuilegia iis concessa, sibi proportionaliter applicare, vt docet Passat. *in mar. ad istud priuil.* & Rodrig. *tom. 1. quæst. reg. quæst. 55. art. 20.* Et sic possumus omnibus priuilegiis concessis Prædicatoribus in die S. Dominici, & Minoribus in die S. Francisci, vti, & frui in die. S.P.N. Francisci de Paula; & similiter quando canonizabitur aliquis alius Sanctus ex nostra Religione, vbi breui spetamus B. Gasparum de Bono, in illius festo frui, & vti poterimus omnibus priuilegiis concessis Minoribus, & Prædicatoribus in diebus SS. Antonij de Padua, & Petri martyr. &c. Potest etiam noster generalis Corrector frui priuilegiis concessis, & concedendis Magistro generali Ordinis Prædicatorum, & nostri Prouinciales, & Correctores, & Vicarij vti, & frui omnibus priuilegiis concessis, & concedendis Prouincialibus, Prioribus Conuentualibus, & Vicariis Ordinis Prædicatorum. Et sic de aliis Fratribus priuatus.

2. Et aduerte hic pro semper, quòd quæ dicuntur causa exempli non restringunt dispositionem generalem, verbi gratia, ista constitutio loquitur de Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus, non per hoc tamen restringitur solùm ad ipsos, sed intelligitur de omnibus Mendicantibus. Ita Aufrer. *ad decis. Capellæ Tholos. quæst.* 485. & ad id citat *cap. 1. Ne Clerici, vel Monachi.* Et aduerte etiam, quòd nomine Monachorum veniunt etiam omnes Religiosi regulares, & etiam Canonici regulares, præsertim in fauorabilibus, nisi aliud ex dispositione manifestè constet, quòd solùm de Monachis intelligatur. Ita Abbas *in cap. Ex parte, num. 1. de postul.* Glossa *in cap. Canonica, de sentent. excommun. verb. Duximus extendendum.*

CONSTITVTIO XIII.

Quâ concedit Generali, vt possit priuilegia declarare. Quòd confessionalia sine licentia Superioris non valeant. Et quòd tertiariæ collegialiter viuentes possint tria vota emittere.

IVLIVS PAPA II. DILECTO filio Thomæ de Vio Cajetano generali Magistro Ordinis Prædicatorum, salutem & Apostolicam benedictionem.

Generalis potest priuilegia declarare.

§. 1. *COnsiderantes, quòd multa tibi in tanta cura accidere possunt, quæ sanctæ Sedis auxilium, & benignitatem requirunt, illis duximus de Apostolicæ Sedis plenitudine succurrendum. Itaque volumus, & tibi concedimus, quòd si in constitutionibus Ordinis Prædicatorum, aut circa priuilegia, indulta, gratiasque, & exemptiones ab ipsa sancta Sede illi concessa, & concedenda, concessas, aut concedendas, quæ etiam, & quas harum tenore, & eiusdem Sedis auctoritate confirmamus, aliqua ambiguitas emerserit, ea illam (quoad serenitatem illarum conscientiarum, quæ tibi subiectæ sunt dumtaxat) possis auctoritate Apostolica declarare.*

Confessionalia sine consensu Superiorum non valent.

§. 2. *Insuper, vt ipsius Ordinis Præsidentes vultum pecoris sui agnoscere queant, nolumus, personas Ordinis eiusdem confessionalibus, vel indulgentia literis, etiam per sanctam Sedem emissis, vel emittendis (nisi consensu tuo accedente, & eo durante) gaudere possint.*

Tertiariæ non possunt remittere tria vota Religionis. Vide const. 14. §. 3 eiusdem, & 4. Sixti IV. §. 7. num. 30.

§. 3. *Et insuper quòd mulieres prædicti Ordinis, quæ sorores de pœnitentia nuncupantur, & collegialiter viuunt (si tibi placuerit, & illæ hoc cupiant) ex benignitate Apostolica tria vota Religionis in manus tuas, aut illorum, quos ad hoc duxeris deputandos, emittere licitè valeant.*

Socij Generalis Prædicatorum possunt ad Magisteriũ promoueri.

§. 4. *Binos præterea Fratres tibi de more socios, quorum vnus Prouincialis Terræ sanctæ, alter Scriba esse solet, qui laboribus pro tanta Religione susceptis impediti, studiorum exercitiis commodè interesse non possunt (si aliàs scientia sunt idonei, & eos gradus, ac honores non habeant) ad Baccalaureatus, & Magisterij Theologiæ gradus, & honores valeas promouere. Hæc tibi prædictæ Sedis auctoritate sic concedimus, vt etiam eadem simili auctoritate tuis successoribus indulgeamus.*

Derogat contrariis.

§. 5. *Non obstantibus præmissis, constitutionibus, & ordinationibus, ac statutis, & consuetudinibus dicti Ordinis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis: priuilegiis quoque, & indultis, ac literis Apostolicis, etiam in forma Breuis, illis Ordini, aut personis eius sub quibusuis verborum formis, & clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque fortioribus, & insolitis concessis, aut concedendis; quibus, illorum omnium tenores pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat derogantes, cæterisque in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 14. Decemb. 1509. Pontif. nostri anno septimo.*

§. I

1. NOto 1. quòd interpretatio est duplex. Vna iuridica, & alia doctrinalis. Interpretari priuilegia primo modo pertinet ad eum, qui concedit, nimirum ad Papam in Ecclesiasticis, *cap. Cum venissent, de iudic.* 2. modo potest quilibet Doctor iura iuribus conformando ea interpretari; *vbi autem scriptura apertius ponuntur*, vt ait August. 3. de doct. Christian. cap. 26. *ibi discendum est, quomodò in locis intelligantur obscuris.* 1. interpretatio est obligatoria, nec minorem vim habet, quàm priuilegium ipsum. 2. non obligat, sed illi defertur plus, aut minus, iuxta interpretantis auctoritatem. Vide quæ dico *tom. 1. Relig. quæst. 4. c. 8. versu Priusquam proferam*; vide etiam Rodrig. *tom. 1. quæst. Regul. 11. art. 5. & quæst. 68. art. 6.*

2. Noto 2. quòd ista facultas, quæ datur Generali interpretandi constitutiones, & priuilegia, non est secundo modo, nam ista non erat necessaria, cum quilibet Doctor possit priuata auctoritate id facere, sed primo modo. Vnde declarationibus factis à Generali

circa

circa constitotiones, priuilegia, indulta, gratias, & exemptiones standum est iisiis, quæ ad serenitatem conscientiarum subditorum spectant. Aduertit autem bene Rodrig. *quest.* 11. *cit. versu Circa supradictam*, quòd hoc priuilegium habet locum, qoando res est dubia, si enim est clara, non est necessaria Prælati declaratio, in claria enim non est opua coniectutis. Vnde si priuilegium, seu statutum, aut aliqua constitutio sit clara, & Prælatus contrarium declaret, subditus oon tenetur stare declarationi Prælati, sed simpliciter statutum, constitutionem, aut Priuilegium obseruare; Priuilegium enim hoc datum est in ædificationem, non in destructionem, ad pacandas, & serenandas fratrum conscientias, noo ad eas relaxandas, & confundendas. Quare Generalis declarationi iuridicè, & rationabiliter factæ, in dubiis fratrum conscientias inquietantibus per hoc priuilegium standum est. Alia similia Innoc. VIII. & Leonis X. refert Rodrig. *loco cit. quaest.* 11. *art.* 5. Multa etiam similia affert Cruz *lib.* 2. *de statu Relig. cap.* 2. *dub.* 2.

§. II.

3. Vide multa similia apud Rodrig. *tom.* 1. *quest. regul. quast.* 21. *art.* 10. & Cruz *de statut. Relig. lib.* 1. *cap.* 6. *dub.* 12. *annel.* 5. Leonis X. Alexand. VI. Sixti IV. & Iulij II. vt Passar. *in not priuil. not.* 10. & Pij IV. apud Rodrig. *in bull. in Pio IV. const. cius* 5. Et ratio est, quam afferunt Passar. *loco cit.* Casarub. *verbo Cruciata*, vbi Cord. Quia meos Pontificis non est Regularibus, & Monialibus concedere, vnde Ordinia disciplina collabi contingat, & hoc etiamsi in dictis confessionalibua dicatur, Non obstante quacumque prohibitione in contrarium, vt expresè declarauit Alex. VI. vt refert Rodrig. *loc. cit.* Imò etiamsi in dictis confessionalibua inhibeatur Prælatis sub censuris, ne subditos suos à talium bullarum acceptione prohibeaot, & subditis libera facultas eas accipiendi tribuatur, vt declarauit Leo X. apud Rodrig. *loc. cit.* & Pius V. infra in const. eius 10. §. 2. Extat etiam ad hoc expressa const. Clem. VIII. quæ iocipit, *Romani Pontificis*, apud Cherub. *tom.* 3. *bull. in cius const.* 64. quam etiam refert Quat. *in sum. bull. verb. Confessor, pag. mihi* 236. & sic habet: *Romani Pontificis*, & infrà, *Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, talem concessionem sancta Cruciata, & aliorum indultorum particularium, quantùm ad prædictum articulum eligendi confessarem, & absoluendi à casibus reseruatis, cum Fratribus & Sororibus Monialibus Ordinis prædicti, & aliorum quorumcumque Ordinum, & Congregationum cuiusuis Instituti, Mendicantium, & non Mendicantium, tam Prouincia Hispania, quam extra eam vbilibet, locum minimè habere neque censeri, sed nostra intentionis existere, quòd ijdem Fratres, & Moniales quantùm ad Sacramentum pænitentia, seu confessionis administrationem dispositioni suorum Pralatorum subiecti sint. Apostolica auctoritate, tenore præsentium perpetuò declaramus. Eisdem tamen Pralatis, vt in vsu huiusmodi potestatis se cum Subditis benignos, & faciles exhibeant, pracipimus, & mandamus.* Quò verò ad Moniales vltra prædicta, extat etiam declaratio sacræ Congreg. Rodrig. *in explic. bulla Cruc.* §. 9. *num.* 24. vbi & eios Addit. *sect.* 2. *num.* 39. in hæc verba, *Congregatio Concilij censuit, quatenus gratia ex bulla Cruciata pertinet ad Moniales, non posse eas vigore facultatis in eadem bulla concessa, alios confessarios, prater eos, qui ad audiendas ipsarum Monialium confessiones ab Ordinario approbati fuerint, eligere.*

CONSTITVTIO XIV.

Quâ declarat, quòd per publicationem quot annis Bulla Cæna non derogatur ijs priuilegiis, qua casuum illius absolutionem expressè concedunt: Et quòd tertiaria viuentes collegialiter profiteantur obedientiam, &c.

IVLIVS PAPA II. DILECTO filio Thomæ de Vio Cajetano Magistro generali Ordinis Prædicatorum, salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. *Exponi nobis fecisti, quòd licèt fel. record. Sixtus Papa IV. prædecessor noster, secundùm carnem patruus, extendendo declarauerit, in quibus casibus ad Sedem Apostolicam recurrendum esset pro absolutione, & dispensatione censurarum, & irregularitatum à personis Ordinis Prædicatorum; nihilominus propter clausulas derogatorias positas in bulla, qua singulis annis in Cæna Domini publicantur, dubitas, facultatem illam Ordini prædicto ademptam. Super concessione quoque, quam nuper fecimus sororibus de pænitentia B. Dominici nuncupatis, collegialiter viuentibus, quòd possint tria vota Religionis emittere, nonnulla declarari desideras, & proinde supplicasti humiliter, vt in præmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.* Supplicatio.

§. 2. *Nos igitur, qui Religiosorum quieti, quantùm cum Deo possumus, libenter consulimus, volentes occasiones tollere vagandi, attendentésque quòd multa in prædicta declaratione concessa sunt, qua in bulla prædicta continentur, eiusdem Sancta Sedis auctoritate decernimus, quòd illi, quibus in prædicta declaratione concessa est potestas absoluendi, & dispensandi, licitè possint perpetuis temporibus absoluere, & dispensare, ab omnibus, & singulis, ac si prædicta bulla in Cæna Domini non esset facta, nec fieret; præterquam à conspiratione in Romanum Pontificem, & ab illis, propter qua prædictus prædecessor noster declarando voluit, ad eandem sanctam Sedem etiam recurrendum.* Habentibus expressam auctoritatẽ absoluendi à casibus bullę Cœnæ non obstat illius publicatio, quæ singulis annis fit.

§. 3. *Sorores quoque de pænitentia B. Dominici nuncupata, collegialiter viuentes, & volentes vouere tria Religionis vota iuxta nostram concessionem, eadem auctoritate volumus, vt profiteantur obedientiam tibi, & pro tempore existenti Magistro generali, vel alteri vices generalis Magistri gerenti vsque ad mortem, secundùm Regulam B. Augustini, & propter hoc tamen non teneantur ad clausuram, nec ad officium diuinum, magis quam ex sua Regula tertij habitus tenentur. Et quòd exempta, tanquam dicta Religionis membra, gaudeant omnibus priuilegiis actiuè, & passiuè, quibus Fratres Ordinis supra-* Tertiariæ obedientiam præstent Generali. Vide notata ad constit. 53. eiusd. §. 3.

dicti gaudent, modò priuilegia illa sexui non repugnent.

Derogat contrariis. §. 4. *Non obstantibus quibuscumque Apostolicis constitutionibus, ordinationibus, suspensionibus, reuocationibus, & restitutionibus, ac etiam constitutionibus, & ordinationibus, nec non priuilegiis, & consuetudinibus dicti Ordinis, vel dictarum sororum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis; nec non Curia Viccegerentis Auenion. & quibusuis ordinariis Prælatis, ac personis concessis, & concedendis literis, priuilegiis, & facultatibus cum quibusuis clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis fortioribus, & insolitis, quibus omnibus, etiamsi de eis, & supradictis omnibus, eorumque totis tenoribus, & datis, non per huiusmodi generales clausulas, etiam specialem mentionem importantes, sed specifica, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, seu quæuis alia mentio habenda esset, præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, quoad præmissa specificè, & nominatim derogamus, nemini in præiudicium præmissorum suffragari posse, aut debere, ac irritum, & inane quicquid secus contigerit attentari, decernimus, cæterisque contrariis quibuscumque.*

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die 27. Februar. anno 1510. *Pontif. nostri anno septimo.*

§. II.

1. NOto, quòd Peregr. 2. *part. sui comp. verb. Bulla*, §. 5. aduertit, quòd hoc priuilegium operatur, quòd possimus vti priuilegiis, quæ sunt contra bullam, durante vita tale priuilegium concedentis, etiamsi singulis annis dicta bulla cum amplissimis derogationibus publicetur; post mortem verò concedentis per publicationem Bullæ Cœnæ à nouo Papa factam reuocantur priuilegia, quæ sunt contra bullam, quousque dictus Papa nostra priuilegia confirmet; quæ postquam confirmauerit, possumus iis vti, etiamsi sint contra bullam, per hoc priuilegium. Sed non moueor à dictis suprà *in consti.* 4. *Sixti IV. num.* 10. & hoc ad minus verum est.

CONSTITVTIO XV.

Quâ prohibet appellare à sententiis Superiorum, & concedit, quòd Generalis possit eximere Conuentus à iurisdictione Prouincialium.

IVLIVS PAPA II. DILECTO filio Thomæ de Vio Cajetano Magistro generali Ordinis Prædicatorum, salutem, & Apostolicam benedictionem.

Supplicatio. §. 1.  *Xposuisti nobis, quòd in Ordine Prædicatorum tuæ curæ commisso quandoque pax turbatur, & regularis vitæ impeditur ob appellationes ab absolutione ab officiis, vel exemptione à iurisdictione Priorum Prouincialium, quodque prouidere dignaremur de benignitate Apostolica humiliter supplicasti.*

Prohibet appellationes. Vide t. 2. Relig. q. 1. cap. 10. conclus. 2. §. 2. *Nos attendentes, quòd non solùm à Religionis iugo communi ratione, sed dicti Ordinis perpetuis statutis appellationes dissonant, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, auctoritate Apostolica, tenore præsentium statuimus, vt si quis Frater dicti Ordinis, aut soror sub cura, & habitu eiusdem, ob absolutionem ab officio Prioratus Prouincialis, vel Conuentualis, seu Monasterij, à quocumque Superiore dicti Ordinis, habente potestatem absolutionem huiusmodi faciendi, factam, vel faciendam appellauerit, etiam prætextu grauaminis, aut appellationi huiusmodi quocumque nomine interpositæ inhæserit, sit ipso facto, absque alia declaratione, absolutus, aut absoluta ab huiusmodi officio, pro quo appellatum est.*

Generalis potest eximere Conuentus à iurisdictione Prouincialium. §. 3. *Et pro augmento vitæ regularis volumus, & declaramus, quòd Magister generalis pro tempore possit in fauorem regularis vitæ eximere non solùm Conuentus Fratrum à cura, & iurisdictione Priorum Prouincialium, sed etiam Monasteria sororum sub cura, & habitu eiusdem Ordinis, & Collegia, ac personas quascumque tertij habitus, quamuis secundùm constitutiones dicti Ordinis, tam Fratrum, quàm sororum, & statuta, ac priuilegia Apostolica, fundationesque Monasteriorum nonnullorum specialiter cautum sit, vt Prouincialibus subsint; statuimus nihilominus, & decernimus, omnes appellationes ab exemptionibus huiusmodi interponendas nullius esse roboris.*

Derogat contrariis. §. 4. *In contrarium facientibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis dicti Ordinis iuramento, vel quauis alia firmitate roboratis consuetudinibus, priuilegiis in specie, vel in genere quibusuis quauis auctoritate concessis, & in posterum concedendis cum clausulis derogatoriis, & derogatoriarum derogatoriis fortioribus, & insolitis, etiamsi de eis, eorumque tenoribus specialis, indiuidua, & expressa de verbo ad verbum, & non per clausulas id importantes, esset mentio habenda, aliisque non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die* 14. *Nouemb.* 1511. *Pontif. nostri anno octauo.*

§. III.

1. QVæres, an Generales in Ordine nostro possint hoc priuilegio nunc vti, cum nunquam eo vsi fuerint, & priuilegia per non vsum 30. annorum perdantur. *cap. Si de terra, de priuil. vel* 49. *cap. Accedentibus, eod. tit.* vel ad summum 60. per priuilegium Eugen. IV. quod refert Rodr. *tom.* 1. *q. regul. q.* 8. *art.* 2.

Respondeo, Quòd ad perdendum priuilegium spatio dictorum annorum, non sufficit non vsus negatiuus, scilicet quòd nunquam data fuerit occasio vtendi illo, sed requiritur non vsus priuatiuus, seu omissiuus, idest quòd dicto spatio data fuerit mihi, verbi gratia, occasio vtendi priuilegio, & quòd noluerim vti, sed fecerim actum omnino illi contrarium, verbi gratia, habeo priuilegium audiendi missam tempore interdicti, nunquam venit casus interdicti, etiam vltra dictum spatium 60. annorum, imò etiamsi transirent centum, &

& plus anni, non per hoc perdo priuilegium. Ita Suar. *lib. 8. de leg. cap. 34 num. 3. 4. & 5.* Si autem habeam priuilegium accipiendi decimas extraordinario modo, & habens huiusmodi priuilegij scientiam, cum possem, vti nolui, tunc spatio dictorum annorum, per non vsum contrarium priuilegio, censeor illud amisisse: & hoc modo intelliguntur *cap. cit. Si de terra, & Accedentibus.* Et sic etiam intelligitur clausula illa, quæ ponitur à modernis Pontificibus in confirmatione priuilegiorum, *Quatenus sunt in vsu.* Ita Suar. *loc. cit. num. 16. & seq.* Vasq. *p. 2. disp. 177. num. 55.* Thom. à Iesu *de procur. omn. gen. sal. lib. 12. cap. 8. pag.* 848. qui ait ex communi sent. quòd priuilegia Mendicantium per non vsum non perduntur. Imò quod neque etiam per contrarium vsum amitti possint per concessionem Eugenij IV. docet Portel. *in addit. ad dub. reg. verbo priuilegia num.* 4. Sed intelligitur de priuileg. nemini præiudicium inferentibus, & quæ sunt puri fauores, non de aliis. Quæ distinctio optimè confirmatur ex priuil. concesso à Nicolao IV. Carthus. vt refert Casarub. *in suo com. verb. Priu. §. vlt.* quòd scilicet possent vti priuilegiis eis concessis, etiamsi propter simplicitatem, & iuris ignorantiam vsi non fuerint retroactis temporibus, dummodo eis non sit per præscriptionem, vel aliàs legitimè derogatum. Quod priuilegium, vt constat ex dictis, & docet Vasq. *loco cit.* nihil vltra ius commune concedit, sed solùm datum fuit ad tollendos scrupulos. Puto itaque, quod hoc priuilegium sit amissum per non vsum: quia valde præiudiciale est Prouinciis, & Prouincialibus: Et in religione nostra hoc esse valde nouum; nec Regula, nec Regularia statuta illud suffetunt Et per hoc dixi etiam supra, *in constit. 5. huius Pontif. §. 3. num. 6.* quòd non potest Generalis eximere ab obedientia Prouincialis Subditum simpliciter, & in totum: Quod potest confirmari ex *nostro Correct. num.* 102. ibi *poteris vlterius*, &c. In casu autem aliquo particulari, verbi gratia, auocando ad se causam alicuius, vel prohibendo ne impediatur, &c. id non nego, si iusta aliqua suadeat ratio.

CONSTITVTIO XVI.

Quâ prohibet sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Fratribus Minimis, ne possint recipere, aut retinere Fratres Minores.

IVLIVS PAPA II. DILECTIS filiis vniuersis Fratribus Ordinis Minorum de Obseruantia, nuncupatis cismontanæ, & vltromontanæ familiæ, salutem, & Apostolicam benedictionem.

Supplicatio.

§. 1. *EXponi nobis fecistis, quòd Fratres Minimi nuncupati ex vestris Fratribus ad illos, & illorũ Ordinem transire volentes recipere, & illos retinere non cessant in vestri Ordinis iacturam, & scandalum, super quo à nobis opportunè prouideri humiliter supplicastis.*

Minimi non possunt recipere Minores.

§. 2. *Nos igitur vestris in hac parte supplicationibus inclinati, & conseruationi, & augmento Ordinis vestri, quem in visceribus gerimus charitatis, opportunè consulere volentes, præsentium tenore, Apostolica auctoritate vniuersis Fratribus Ordinis Minimorum quoquo nomine nuncupatis sub excommunicationis latæ sententiæ pœna districtè præcipiendo inhibemus, ne de cætero aliquem ex Fratribus vestris Ordinis Minorum de obseruantia modo aliquo, vel causa recipere, vel retinere præsumant, sine expressa, & speciali licentia Sedis Apostolicæ, à volente ad illos transire specialiter obtenta; eisdem Minimis sub simili pœna mandantes, vt omnes, & singulos sine tali licentia hactenus per ipsos receptos, quamprimum fuerint à vobis, vel ex parte Vicarij vestri Ordinis Prouinciæ, in qua existant, requisiti, liberè relaxare, & ad vos remittere debeat.*

Derogat contrariis. & in specie const. eius 1. §. 31. & iuri com. c. Sanè; c. Licèt, de reg. Vide com. t. Relig. q. 2. cap. 24. §. 1. pag. 172.

§. 3. *Non obstantibus priuilegiis, indultis, & literis Apostolicis sub quibusuis verborum formis, & clausulis per nos, vel Sedem prædictam quomodolibet, etiam motu proprio, & ex certa scientia, & ex potestatis plenitudine illis in genere, vel in specie concessis, quorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, vel insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, quoad præmissorum omnium, & singulorum effectum specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.*

Transumptis fidem adhiberi iubet.

§. 4. *Verùm quia difficile foret præsentes literas ad singula quæcumque loca, ad quæ expediens fuerit, transferre, volumus, & dicta auctoritate mandamus, ipsorum transumptis vnius Notarij publici manu subscriptis, & sigillo alicuius Prælati, aut personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, ea fides adhibeatur in iudicio, & extra, quæ præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ, in contrarium facientibus non obstantibus. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscat. die 9. Iulij, anno 1510. Pontif. nostri anno septimo.*

CONSTITVTIO XVII.

Quæ est viuæ vocis Oraculum, in quo declarantur quædam puncta nostræ Regulæ.

MARCVS, MISERATIONE diuina tit. S. Mariæ trans Tiberim, S.R.E. Presb. Card. Senogall. vulgariter nuncupatus, & in Capitulo generali Fratrum Minimorum in alma Vrbe apud S. Trinitatem, de mandato S. D. N. Iulij, diuina prouidentia Papæ II. celebrato, ad Prælatorum eiusdem Ord. institutionem, & Regulæ, ac Correctorij declarationem Commissarius ab eodem S. D. N. Papa viuæ vocis oraculo specialiter deputatus, ac per eosdem Fratres capitulariter congregatos acceptatus: Vniuersis, ac singulis eiusdem Ord. Minimorum, nunc, & pro tempore existentibus Fratribus, ac aliis quibuscumque ad quos spectat, salutem in Domino sempiternam.

§. 1. Prohibet cantum.

VObis, & vestrum cuilibet tenore præsentium significamus, qualiter de mãdato eiusdem S. D. N. nobis, quibus Ordinis Minimorum huiusmodi Regula, & Correctorij,

rectorij, per eundem S. D. N. viua vocis oraculo examinatio, & declaratio commissa fuerunt, simili viua vocis oraculo nuper facto declaramus, prout etiam præsentium tenore declaramus, quòd Regula, & Correctorij huiusmodi clausula de non cantando in officiis diuinis iuxta formam in ea expressam, per totum Ordinem Minimorum debet vniformiter obseruari, prout nobis etiam viua vocis oraculo expressè declarauit, & declarari mandauit præfatus S. D. N.

Eleemosynæ in iudicio quomodo repetendæ.

§. 2. *Similiter super debitorum, seu relictarum eleemosynarum repetitione, auctoritate Apostolica declaramus, quòd non fuit intentionis Regulæ conditoris, vt Fratres Ordinis huiusmodi eleemosynas ipsas omnino non repeterent, sed quòd illas non repeterent in iudicio, & cum contentione; ita quòd Fratres ipsi etiam personaliter, religiosè, amicabiliter, ac Fraternè, & sine contentione eleemosynas ipsas repetere possint, non autem iudicialiter, & contentiosè illas in iudicio repetant: Cum etiam Religiosis, qui spiritui, & contemplationi vacare debent, prohibitum sit negotiis sæcularibus se immiscere, & iudicialiter agere, & ideo Fratres ipsi per se ipsos in iudicio minimè comparere valebunt; sed bene per Procuratores sæculares, prout eis ex declaratione, in priuilegiorum eiusdem Ordinis quinternione super hoc facta, expressè permissum est.*

Infirmaria vbi construenda.

§. 3. *Declaramus etiam, quòd vbi in dicta Regula Minimorum 6. cap. expressè dicitur, quòd ægroti ad infirmariam exteriorem primitùs deducantur, intelligi debet de Conuentibus completis, & in quibus habetur talis infirmaria. Et ideo decernimus, ac præsentium tenore mandamus, quòd vbi adhuc non esset constructa talis infirmaria, studeatur construi, & haberi, quàm citiùs fieri poterit; interim verò ne patiantur infirmi, ponantur in aliqua mansione in Conuentu ipso existente, ab aliis tamen officinis magis sequestrata, prout commodiùs id fieri poterit, & quòd potiùs ab ædificatione aliorum membrorum domorum Ordinis huiusmodi (excepto dormitorio) cessetur, quàm à constructione, seu ædificatione infirmariæ huiusmodi.*

Infirmis qui debent deseruire.

§. 4. *Insuper circa infirmorum gubernationem, & prouisionem, eadem auctoritate declaramus, quòd vbi Fratres huiusmodi, omni possibili diligentia adhibita, studuerint, Procuratores, vel deuotos suos, in defectu oblatorum, habere, qui infirmis prouideant, & illos si taliter habere non potuerint, ne infirmi ipsi interim debita cura careant, licitè possint Fratres personaliter illis infirmis obsequi, ipsisque de sibi necessariis cibis de Superioris licentia debitè prouidere; & quòd Fratres ipsi ad infirmorum curam deputati dumtaxat ipsis infirmis deseruire habeant.*

Officiales Conuentus quomodo à Prælatis fieri possint.

§. 5. *Vlteriùs eadem auctoritate declaramus, quòd dum in 9. cap. Regulæ, & Correctorij Ordinis huiusmodi circa officialium Conuentuum electionem dicitur, quod per Superiores Prælatos in eorum visitatione aliquando fieri debeat, clausulam huiusmodi debeat intelligi de Capituli localis consensu.*

Correctores Conuentus quomodo exire possint.

§. 6. *Præterea simili auctoritate declaramus, quòd dum in eodem 9. Regulæ, & Correctorij cap. dicitur, quòd Correctores locales extra Conuentum exire non valebunt, nisi de Capituli scientia, debet hoc intelligi, prout pleniùs in ipso Correctorio continetur, quòd prædicti Correctores propter hoc non semper locale Capitulum specialiter celebrare habeant, sed satis sit, quòd ipsi coram Fratribus suis, siue ante, siue post diuinum officium in Ecclesia, siue ante cibum, siue sumpto, in refectorio debitè congregatis exitus sui causam proponant, & ita de eorundem Fratrum scientia, & Seniorum assensu domos exire poterunt pro causis in prædictis Regula, & Correctorio pleniùs specificatis.*

Statuta contra Regulam fieri non possunt.

§. 7. *Eadem auctoritate declaramus, quòd verba in 10. cap. prædictæ Regulæ de non condendis statutis posita, intelligi debeant relatiuè ad immediatè antedicta videlicèt ad statuta contra Regulam huiusmodi in toto, vel in parte venientia, seu ad huiusmodi deuiantia.*

Emere, vel vendere quomodo possint Fratres.

§. 8. *Simili auctoritate declaramus, quòd vbicumque in eisdem Regula, & Correctorio agitur de non emendo, vel vendendo, intelligi debet, quòd ipsi Fratres, neque soli, neque proprio nomine, præterquam in itinere, defectu oblatorum, vel deuotorum, pro quotidiano victu vendere, vel emere possint, sed bene per eorum Procuratores, ac deuotos, & oblatos nomine domorum Ordinis, ita tamen, quòd Fratres ipsi, dum hæc fient, ad consensum, vel dissensum super huiusmodi exhibendum, non ad mercandum, vel ad contractandum, præsentes esse poterunt.*

Superflua quomodo distribuenda.

§. 9. *Insuper eadem auctoritate declaramus, quòd vbicumque tam in dicto Correctorio, quàm alibi agitur de superflui distributione, & erogatione, hoc intelligi debeat ciuiliter, videlicèt salua semper prouisione per annum pro infirmis, & Fratrum indumentis, ac aliis necessitatibus, & præsertim pro fabrica perficienda.*

Vinolentia consuetudinaria punienda.

§. 10. *Tandem eadem auctoritate declaramus, quòd vbi in eodem Correctorio agitur de vinolentia punienda, intelligi debeat de vinolentia consuetudinaria, & affectata.*

His declarationibus Fratres stare tenentur.

§. 11. *Quas quidem declarationes, & modificationes de maturo totius generalis Capituli, & præfatorum Fratrum Minimorum consilio, deliberatione, & consensu expostulatas, & admitti, & approbari petitas, admisimus, & Apostolica auctoritate nobis viua vocis oraculo super hoc facto commissa modo præfato approbauimus, & per præsentes de nouo approbamus, & confirmamus, illásque singulas, iuxta earum formam, & tenorem, obseruari, ac eis in toto Ordine Minimorum huiusmodi stari, præfata auctoritate Apostolica expressè mandamus. Necnon vt super illis per prædicti Ordinis Generalem, seu de eius mandato, fieri possint transumpta quibus taliter factis, & eiusdem Generalis manu propria subsignatis, suique officij*

officij sigillo debitè sigillatis, vbique in iudicio, & extra fides plenaria adhibeatur, præsentium tenore plenam concedimus facultatem. In cuius rei fidē, & testimonium præsentes literas manu propria subscripsimus, ac per Secretarium nostrum subsignatum subscribi, & signari, magnique nostri sigilli iussimus, ac fecimus appensione communiri.

Datum Romæ in domibus nostræ solitæ habitationis, die verò 15. *mensis Febr. sub anno à Natiuit. Domini* 1508. *Pontif. prædicti S. D. N. Papæ anno* 4. *M. Card. Senogall. manu propria.*

§ I.

1. NOto 1. quòd viuæ vocis oracula eandem vim habent, quam aliæ cōstitutiones papales, vt colligitur apertè *ex c. Institutionis*, 25 *q.* 2. *& ex Clem. Dudū, § Nos etenim, de sepultur.* vbi Glossa *vers. verbo*, Innoc. *in c. Constitutus, de rescr. n.* 2. Felin. *cons.* 6. *n.* 1. Et multa ad id congerit Anguian. *tr. de leg. lib.* 1. *cont.* 9. *à n.* 9. Et hoc tam in iudicio, quàm extra illud, vt constat ex const. 21. Iulij II. apud Rodr. *in bull pag.* 277. §. 2.

2. Noto 2 quòd Greg. XV. per suam constitut. 3. infra, quæ incipit, *Romanus Pontifex*, reuocauit omnia viuæ vocis oracula, tam ad forum interius, quàm ad exterius spectantia; suorum antecessorum, quæ non essent subscripta ab aliquo ex S. R. E. Cardinalibus, & quibus aliquis prædictorum Cardinalium non præbuisset in scriptis testimonium. Ideo solùm viuæ vocis oracula huiusmodi refero: Et ideo etiam hic omisi approbationem P. Binet, ne quis simplex, vel parum practicus existimaret, per dictam bullam Gregorij hoc viuæ vocis oraculum esse reuocatum.

3. Noto 3. quòd, reuocatis aliis priuilegiis, non reuocantur viuæ vocis oracula, nisi id expresè specificetur. Ita Felician. *lib. de cons. tit. De priuil. cap.* 15. iuxta communem Canonistarum, & praxim Romanæ Curiæ, vt refert Llamas 1. *p. methodi, cap.* 7. §. 6. Henriq. *lib.* 7. *de indulg. cap.* 24. *num.* 8. Sà *verbo Gratia*, *n.* 13.

4. Noto 4. quòd istæ declarationes fuerunt expresè confirmatæ à Iulio II. *in constit. eius* 6. §. 1.

§. II.

5 NOto, quòd in iure prohibentur Monachi forensis negotia tractare, *cap. Qui verè*, *c. Monachi*, 16. *q.* 1. *cap. Peruenit*, *dist.* 86. faciunt *totus tit. De postul. & cap.* 2. *Ne Clerici, vel Monachi*; *& cap. Te quidem* 19. *q.* 1. Et verè inuentum Diaboli puto esse, qui sine dubio primus lites mouit in Cœlo, ad humanum genus pro posse torquendum, & ad sibi sacrificium odiis, blasphemiis, maledictionibus, detractionibus, furtis, rapinis quotidie offerri faciendum. Quod Deus permittit, vt quidam litigantium magister, Rebuff. *in prax. in reg. Canc. reg. de subrog. gloss.* 1. dicit, vt flagella durissima ad magnates torquendum; Nam ij per pestem, cum fugiant, vix torqueri possunt, per bellum minùs; per famem nequaquam; sed lites euitare vix possunt: Et quamvis lites sint Procuratoribus, & Aduocatis cibaria dulcissima, vt qui legislatorum inuentis ad innocentiam protegendam, & veritatem patefaciendam vtuntur ad lites æternizandas, marsupiàque corradenda, vnde meritò tabulæ dicuntur, tamen ipsis sunt valdè amaræ. Vnde Ecclesia quotidie precatur Dominum, vt litium flammas extinguat, quam precationem tam assiduè non facit nec pro bello, nec pro peste, nec pro fame: Et meritò quidem, nam ex litibus & fames, & bellum de ordinario dependent, & pestis, etiamsi non corporum, quod aliquando quidem, animarum tamen semper. Quare sanctè sacri Canones Religiosos litigare prohibuerunt. Et quia quandoque necessitas, vel vtilitas Ecclesiæ litigare postulat, ideo pro his casibus dicti Canones id concesserunt cum licentia Superiorum; *cap. Monachi*, *& cap. Qui verè*, 16. *q.* 1. Cui fauori renuntiari iubet sanctiss. noster Fundator, vtpotè qui Religionem in paupertate Euangelica instituerat, & litium anfractus miserrimos nouerat. Sed quia tanta est in pectoribus aliquorum rabies patrimonium Christi rapiendi, ideo Pontifex Iulius concessit, vt fratres possent Procuratores sæculares, pro suorum Monasteriorum, & Ecclesiarum necessitate, vel vtilitate litigare. Vide Hyppolitum Bonacossiam *de seruis, quæstione* 266. *tom.* 6. *tract. p.* 1. *pag.* 130. *versu vbi multa.*

6. Noto 2. quòd circa has declarationes multa habeo, quæ dicere. Sed quia in animo est Regulam, & Correctorium declarare, si vitam Dominus concesserit, & Acta capitularia recolligere, si Religio iusserit, ideo hic omitto, ibi commodiùs dicturus.

CONSTITVTIO XVIII.

Quæ est viuæ vocis oraculum. In quo datur forma tonsuræ gerendæ ab omnibus choro destinatis, & assignatur forma professionis à tertiariis faciendæ.

BERNARDINVS, MISERATIONE DIVINA TIT. S. CRVCIS in Ierusalem, S. R. E. Presb. Card. Patriarcha Ierosolymitan. Ord. Minimorum Protect. Vniuersis, & singulis præsentes literas inspecturis salutem in Domino sempiternam.

FORMA TONSVRÆ SEV CORONÆ.

§. I.

Supplicatur Papæ pro tonsura.



Niuersitati vestræ notum facimus, qualiter eum instantia pro parte nobis dilecti in Christo Francisci de Paula Institutoris, ac generalis Correctoris Ordinis Minimorum, requisiti, S. D. N. Iulio II. qui nuper Ordinis Minimorum huiusmodi Fratrum, & Sororum, & vtriusque sexus fidelium Regulas, per eundem Franciscum reformatas, & super aliquibus in melius emendatas, ac per nos quibus eiusdem Ordinis Minimorum Protectoris officium per Sedem Apostolicam commissum extitit, de prædictis S. D. N. commissione diligenter visas, & examinatas, ac priuilegia eis alias concessa confirmauit, & approbauit, supplicauimus, quatenus infrascriptas institutiones, & ordinationes per prædictum Franciscum editas, videlicet quòd omnes, ac singuli Ordinis Minimorum huiusmodi Fratres præsentes, & futuri, dictum Ordinem pro tempore expressè professi, ac iuxta ipsius Ordinis Regulæ tenorem, ad statum clericalem assumpti, necnon alij quicumque eiusdem Ordinis in sacris ordinati, mediocres eorum tonsuras deferrent, seu coronas, iuxta formam per eundem Franciscum ordinatam, & præsentibus innotatam.

Supplicatur etiam pro forma professionis tertiariorum.

§. 2. *Quòdque omnes, ac singula tertij Ordinis Minimorum huiusmodi vtriusque sex personæ sub prædicta Regula, & Ordine perpetuò militare cupientes, reuoluto suæ probationis anno, professionem, iuxta formam per nos de mandato prædicti S. D. N. super hoc viua vocis oraculo nobis facto diligenter emendatam, ac etiam præsentibus annotatam, quæ sequitur, & est talis.*

Ego N. Promitto Deo omnipotenti, totique Curiæ cælesti, & tibi Patri, mores meos, ac vitam meam in melius emendare, & Ordinis Minimorum vtriusque sexus fidelium Regulæ, per S. D. N. Iulium Papam II. confirmatæ, salutifera præcepta pro posse obseruare, & F. Francisco de Paula, suisque successoribus eiusdem Ordinis Minimorum generalibus Correctoribus pro tempore existentibus obedire, necnon prædictæ Regulæ salubribus consiliis, ac monitis me conformare, & prædicti Ordinis honorem, & vtilitatem fideliter procurare. Amen. Emittere teneantur, confirmare, & approbare de benignitate Apostolica dignaretur.

Approbat formam tonsuræ, & professionis tertiariorum.

§. 3. *Tandem à Sanctitate sua viua vocis oraculo institutionum, & ordinationum huiusmodi, tanquam quæ per nos iusta, & honesta, ac Religioni consona reperta sunt, confirmationem, & approbationem, ac etiam vniuersis, & singulis dicti Ordinis Fratribus pro tempore existentibus, Ordinem ipsum expressè professis, & ad statum clericalem, vt præfertur, assumptis, ac aliis quibuscumque eiusdem Ordinis in sacris ordinatis, vt iuxta præinsertam tonsuram, seu coronæ formam, mediocres eorum tonsuras deferre; secundi verò Ordinis Minimorum huiusmodi sororibus, vt mutatis dumtaxat mutandis, eiusdem Ordinis Fratribus traditam professionis formulam; tertij autem Ordinis Minimorum huiusmodi vtriusque sexus personis nunc, & pro tempore existentibus, vt præinsertam professionis formam in sua professionis emissione tenere, & obseruare deberent, mandari: ac transumptis earundem præsentium manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Prælati, vel alterius in dignitate Ecclesiastica constituti munitis, eandem prorsus fidem in iudicio, & extra illud, quæ ipsis originalibus literis exhiberetur, si originaliter exhiberentur, adhiberi debere obtinuimus. In quorum omnium, & singulorum fidem, & testimonium præsentes literas fieri, per infrascriptum Secretarium nostrum subscribi, nostrique sigilli iussimus, ac fecimus appensione communi. Datum, & actum Romæ, in domibus nostræ solitæ habitationis, sub anno à Natiuit. Dom. 1507. die verò 18. mensis Aprilis, Pontif. prædicti S. D. N. D. Iulij Papæ II. anno 4. V. Card. S. Crucis. De mandato prædicti Reuerendiss. D. mei Cardinal. Ioannes de Burgo Secretarius.*

§. II.

1. NOta, quòd potest esse difficultas, an per illam promissionem, quæ fit Deo, & toti Curiæ cœlesti, inducatur noua obligatio, & votum, tum vitam in melius commutandi, tum præcepta salutifera, quæ dantur in Regula, obseruandi. Videtur enim, quòd sic; quia est promissio facta Deo, quæ obligationem voti inducit, & per consequens eius transgressio mortalis erit.

2. Hæc difficultas valdè torsit aliquando doctissimorum virorum ingenia, vt videre est apud Sotum *in tract. spec. de hac re.* Nos facilè respondemus; In Regulis institutis à B. P. N. nihil mandari ad culpam, neque etiam venialem obligans, præter quatuor vota, vt patet ex *Correct. num. penult.* Quod quomodò sit intelligendum, satis dixi *tom.* 1. *Relig. q.* 1. *cap.* 5. *à notab.* 6. *vsque ad* §. 4. Cum igitur hic nullum sit ex dictis quatuor votis, clarè patet, nullum adesse peccatum; obligatio enim, quæ inducitur dictis tertiariis, in tantum est, in quantum colligitur ex mente Institutoris eos obligare voluisse. Et patet etiam ex forma professionis, quæ cautissima; promittunt enim salutifera præcepta pro posse obseruare. Ad rationem itaque dubitandi.

Respondeo, illud, Promitto, non significare voluit, sed propositum: sicut quando quis promittit confessario se emendare, vel tale peccatum non amplius facere, promissio illa non inducit communiter nouam obligationem, ita vt si illud peccatum deinde committat, reus sit promissionis, sed solommodò dicit propositum vitam in melius emendandi, & illud peccatum ampliùs non faciendi.

LEONIS

LEONIS X.

Itali, Florentini, Laurentij de Medecis filij, anno Domini 1513 die 15. Martij ad Summum Pontificatum assumpti, qui canonizauit Beatum Franciscum de Paula, & dedit Ordini nostro infrascripta priuilegia.

CONSTITVTIO I.

Quâ concedit tertiariis Ordinis nostri, vt gaudeant immunitate, & aliis priuilegiis, quibus tertiarij Ordinis Minorum.

LEO EPISCOPVS, SERVVS seruorum Dei.

Procemium.



A, quæ à prædecessoribus nostris pro personarum sub Religionis habitu Domino famulantium immunitate, & quiete sunt concessa, nonnunquam ad alias similes arctioris vitæ personas, subsistente causa, libenter extendimus.

Commemorat literas Sixti IV. Sacro sancta, quas refert Passar. pag. 18. & nos cõsulto omisimus, quia hinc inferũtur.

§. 1. Dudum fel. record. Sixto Papæ IV. prædecessori nostro pro parte dilectorum filiorum vniuersorum Fratrum, & dilectarum in Christo filiarum vniuersarum sororum tertij Ordinis B. Francisci de pœnitentia nuncupatorum, per Italiam consistentium exposito; quòd licet plures summi Pontifices etiam prædecessores nostri, diuersa, & plura pro immunitatibus eorum concessissent priuilegia, & plures solemnissimi iuris vtriusque Doctores tenuissent, quòd ipsi Fratres, & sorores deberent gaudere libertate, & immunitate Ecclesiastica, vt personæ religiosæ: nihilominùs Communitates Ciuitatum, Potestates, alijque officiales sæculares locorum Italiæ non cessabant quotidie noua eis, tam in rebus, quàm in personis inducere grauamina, libertati Ecclesiasticæ contraria. Idem Sixtus prædecessor Communitatibus, Potestatibus, & officialibus prædictis sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, eo ipso per officiales ipsos, ac singulares personas earundem Communitatum, si contra facerent, incurrenda, ne eisdem Fratribus, & Sororibus grauamina aliqua libertati Ecclesiasticæ contraria inducere, aut ipsos Fratres, & Sorores, quominùs gauderent priuilegiis, & immunitatibus, tam fori, quàm personæ, & rerum, sicut aliæ personæ Ecclesiasticæ, quomodolibet impedire præsumerent, Apostolica auctoritate inhibuit. Et nihilominùs omnibus, & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum Ordinariis, & quibuslibet personis in Ecclesiastica dignitate constitutis, necnon Patriarchalium, Metropolitanarum, & aliarum cathedralium Ecclesiarum Canonicis, & cuilibet eorum, qui desuper forent requisiti ab aliquo Fratrum, seu Sororum prædictorum, mandauit, quatenùs præmissa, vbi, & quando expedire viderent, solemniter publicarent, & non permitterent, eosd. Fratres, & Sorores contra inhibitionis suæ huiusmodi tenorem per quoscumque quauis auctoritate indebitè molestari; & illos, quos propterea huiusmodi excommunicationis sententiam eis incurrisse constaret, excommunicatos nunciarent, facerentque ab aliis nunciari, & ab omnibus arctiùs euitari, donec ob huiusmodi indebitis molestiis, per eos dictis Fratribus, & Sororibus illatis, cum effectu destitissent: contradictores per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, prout in ipsius Sixti prædecessoris desuper confectis literis pleniùs continetur.

§. 2. Cum autem, sicut exhibita pro parte dilecti filij Germani Ordinis Fratrum Minimorum generalis Correctoris petitio continebat, pro eo quòd in dicto Ordine Minimorum sunt Fratres, & Sorores tertij Ordinis Minimorum, prout in dicto Ordine Minorum, videatur consonum iuri, quòd etiam Fratres, & Sorores tertij Ordinis Minimorum immunitate Ecclesiastica, & priuilegiis, quibus Fratres, & Sorores tertij Ordinis Minorum gaudent, gaudere debeant, pro parte dicti Germani Correctoris nobis fuit humiliter supplicatum, vt Fratribus, & Sororibus tertij Ordinis Minimorum, quòd libertate, & immunitate Ecclesiastica, ac aliis priuilegiis in literis Sixti prædecessoris huiusmodi contentis, & quibus Fratres, & Sorores tertij Ordinis Minorum gaudent, & potiuntur, potiri, & gaudere; ipsique Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Ordinarij, & Canonici eos tueri, & defendere debeant, concedere, & indulgere, aliásque in præmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Supplicatio.

§. 3. Nos igitur, ad quos pertinet super his adhibere vigilãtiæ nostræ curas, volentes Fratres, & Sorores tertij Ord. Minimorum huiusmodi fauore prosequi gratioso, prædictum Germanum Correctorem à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet

Tertiarij gaudent immunitate. Vide supra in const. 4. Sixti IV. §. 7. à num 30.

dolibet inuadatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, literas Sixti prædeceſſoris huiuſmodi ad Fratres, ſorores tertij Ordinis Minimorum, ita quòd ipſi libertate, & immunitate Eccleſiæ, & aliis priuilegiis in illis contentis, & quibus Fratres, & Sorores tertij Ordinis Minorum gaudeat, & potiuntur, potiri, & gaudere. Ipſique Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Ordinarij, & Canonici eos tueri debeant in omnibus, & per omnia, ac ſi Fratres, & Sorores tertij Ordinis Minimorum in illis expreſsè nominati, ipſæque literæ eis conceſſæ fuiſſent, auctoritate Apoſtolica, tenòre præſentium extendimus, pariter & ampliamus.

Derogat contrariis. §. 4. *Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, nec non omnibus illis, quæ idem Sixt. prædeceſſor in dictis literis voluit non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.*

Transumptis fidem adhibere iubet. §. 5. *Cæterùm quia difficile foret præſentes literas ad ſingula quæque loca, in quibus Fratres, & Sorores tertij Ordinis Minimorum huiuſmodi illis indigerent, deferri; volumus, & eadem auctoritate decernimus, quòd earum tranſumptis manu Notarij publici, & Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ, aut alicuius Prælati Eccleſiaſtici ſigillo munitis, ea prorſus in iudicio, & extra illud plena fides adhibeatur, ac iis ſtetur, ſicuti ipſis originalibus literis adhiberetur, & ſtaretur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo, &c. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, anno Incarnat. Dominicæ 1513. pridie Idus April. Pontif. noſtri anno primo.*

CONSTITVTIO II.

Quâ concedit indulgentiam decem annorum, & totidem quadragenarum viſitantibus noſtras Eccleſias in Feſto omnium Sanctorum, Aſſumptionis, Annuntiationis Beatæ Mariæ, ac in die Pentecoſtes. Et concedit Correctoribus licentiam deputandi ſex, aut plures confeſſores, qui dictis diebus, & præcedenti poſſint abſoluere à caſibus Epiſcopalibus, & vota omnia commutare, exceptis quatuor.

LEO EPISCOPVS, SERVVS ſeruorum Dei. Vniuerſis Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Proœmium. *Paſtoris æterni; qui, vt humanum genus ab æterna damnatione eriperet, ſe in ara crucis immolari non abnuit, vices, quamuis immeriti, gerentes in terris, id ſuper reliqua vota noſtra feruenter optamus, vt cunctos fideles, quos ipſe ſui pretioſi ſanguinis ſparſione Deo Patri reconciliare curauit, quorum regimen, & gubernationem nobis commiſit, ad recolendam iugiter memoriam ſuæ paſſionis, & viſitandum Eccleſias, aliqua religioſa loca præſertim ſub inuocatione B. Mariæ Virginis, cuius vbera ipſum Redemptorem noſtrum lactare meruerunt, fundata, inuitemus, & prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire, frequentiis excitemus.*

Indulgentias largitur. §. 1. *Cupientes igitur, vt Ieſu Mariæ Thuronen. & B. Mariæ, ac omnium Sanctorũ Ambaſien. necnon eiuſd. B. Mariæ totius gratiæ Pariſien. ac S. Helenæ Stemen. Ord. Minimorum domus, & Eccleſiæ, ad quas, ut accepimus, B. Franciſcus de Paula dicti Ordinis Inſtitutor, & dum viueret generalis Corrector, ſingularem gerebat deuotionis affectum, congruis frequententur honoribus, & Chriſti fidelium deuotio ad Eccleſias ipſas, & D. N. Ieſu Chriſti paſſionem magis augeatur; ipſique fideles eò libentius confluant ad eaſdem, quò ex hoc ibidem dono cœleſtis gratiæ vberiùs conſpexerint ſe refectos. De omnipotentis Dei miſericordia, & BB. Apoſtolorum Petri, & Pauli auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, qui Eccleſias alicuius ex prædictis, vel aliis domibus dicti Ordinis in celebritate omnium Sanctorum, & dictæ B. Mariæ Aſſumptionis, & eiuſd. Annuntiationis, ac Pentecoſtes Feſtiuitatibus, à primis veſperis celebritatis, & ſingularum feſtiuitatum huiuſmodi vſque ad occaſum Solis ſequentis diei annuatim deuotè viſitauerint, & ibi in dictæ paſſionis memoriam quinquies orationem Dominicam, & totidem ſalutationem Angelicam huiuſmodi recitauerint, decem annorum, & totidem quadragenarum indulgentiam in Domino miſericorditer concedimus.*

Correctores confeſſores deputare poſſunt. §. 2. *Et vt Chriſti fideles prædicti, qui ad Eccleſias ipſas pro huiuſmodi conſequenda indulgentia pro tempore confluerent, huiuſmodi indulgentiæ faciliùs participes eſſe poſſent, omnium, & ſingularum conſtructarum, & conſtruendarum domorum Ordinis Minimorum huiuſmodi Correctoribus nunc, & pro tempore exiſtentibus deputandi anno ſingulis ſex, aut plures Presbyteros idoneos ſæculares, aut dictarum domorum Fratres, qui in celebritate, & aliis feſtiuitatibus prædictis, & die præcedenti in dictis Eccleſiis, eorundem confluentium confeſſionibus diligenter auditis, eis pro commiſſis per eos delictis, etiam in ſingulis caſibus Epiſcopalibus, abſolutionis beneficium impendere, & pœnitentiam ſalutarem iniungere; necnon vota quæcumque per eos pro tempore emiſſa (religionis, & caſtitatis, ac vltramarino, necnon liminũ Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac S. Iacobi in Compoſtella, votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare valeant, licentiam, & facultatem tenore præſentium concedimus, præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris.*

Dictis indulgentiis nunquam derogatur. §. 3. *Volumus autem, decernimus, & declaramus, quòd ſi contingat, nos aut Sedem Apoſtolicam in poſterum huiuſmodi indulgentias, & facultates reuocare, ceſſare, & annullare, ſeu ſuſpendere, quòd præſentes literæ, ac in eis contenta quæcumque*

quacumque nullatenus includantur; nec per talos, vel alias reuocationes, cassationes, declarationes, decreta, & suspensiones, sublata quomodolibet intelligantur, etiamsi de huiusmodi intentione nostra, & mente non derogandi, specialis, expressa; & non per generales clausulas, quæ huiusmodi specificam mentionem importare viderentur, aut importarent, mentio fieret. Datum Romæ, apud S. Petrum, anno Incarnat. Dominicæ 1513. pridie Nonas Maij, Pontificatus nostri anno primo.

§. I.

1. NOto primò, quòd istæ indulgentiæ extenduntur etiam à Clem. VII. *infrà, in eius constit.* 3. ad omnes domos Ordinis constructas, & construendus; Et quòd sunt in suo robore, vt dixi *tom. 1. Relig. in appen. pag.* 685. & vltimò fuerunt confirmatæ ex certa scientia ab Vrb. VIII. infrà, *in constit. eius* 1.

2. Noto 2. quòd istis indulgentiis concessis nostris Ecclesiis non gaudent visitantes Ecclesias aliorum Ordinum Mendicantium, etiamsi inter nos, & illos quoad alia sit maxima communicatio, & gratiarum reciprocatio. Quod declarauit Sixtus IV. per suam const. quæ incipit, *Solet Sedes Apostolica*, ad tollendas confusiones, & ne vilescant indulgentiæ, aut minuatur deuotio. Ita Gasarub. *in comp. verbo Indulgentia quoad sæculares*, 3. *num.* 12. Vide *constitut.* 25. *huius Pontificat.* §. 2.

§. II.

3. NOto primò, quòd potestas deputandi confessores adhuc etiam est in suo robore, excepto quòd dicti confessores deputati in dictis diebus non possunt ampliùs absoluere à casibus Episcopalibus, per decretum Congreg. de mandato Clem. VIII. de quo *tom. 1. Relig. q. 1. cap.* 21. §. 1. Possunt tamen confessores deputati commutare omnia vota exceptis iis, quæ hic excipiuntur, vt latè probaui *loco citat.* & absoluere à casibus etiam papalibus, prout dixi *in append. Relig. cit.*

4. Noto 2. quòd meo videri deputare confessores, qui absoluant in dictis diebus in Conuentibus, in quibus resident de ordinario Prouinciales, ad dictos Prouinciales pertinet; nam mens Pontificis fuit concedere hanc facultatem Correctoribus, quia Correctores semper resident in suis Conuentibus, Prouinciales autem non possunt residere, nisi in vno, & in quo resident sunt Superiores supra Correctores, & inferiora per Superiora regi debent, vt sæpius replicatur in Regula. Quare puto, quòd dicta facultas cumulatiuè solùm, non priuatiuè, sit Correctoribus tributa. Adde, quòd probare, an Sacerdotes deputandi sint idonei, ad Prouincialem per Regulam pertinet; Corr. *n.* 85.

5. Noto 3. quòd isti confessores deputandi ad sæcularium confessiones excipiendas, debent esse approbati ab Ordinario post Conc. Trid. *sess.* 23. *de reformat. cap.* 15. nam ante non fuisse necesse, colligitur ex §. 2. ibi *presbyteros idoneos*, non dicit confessores idoneos. Vnde si aliquando confirmarentur priuilegia Non obstante Concilio generali, possent Correctores sex Sacerdotes idoneos, etiam ab Ordinariis non approbatos, dictis diebus deputare.

CONSTITVTIO III.

Quâ concedit, quòd singulis annis die 2. April. possit celebrari officium, & Missa in Ecclesiis nostri Ordinis, in honorem B. Francisci de Paula; & quòd illius imago in nostris Ecclesiis depingi possit.

LEO EPISCOPVS, SERVVS seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

ILlius, qui semper in sanctis suis mirabilis est, vices, licet immeritò gerentes in terris, piis fidelium, præsertim Religiosarum personarum votis, quæ ad Dei laudem, & gloriam, ac sanctorum venerationem, fideliúmque animarum salutem cedere dignoscuntur, libenter annuimus, & prout expedire in Domino conspicimus, fauoribus prosequimur opportunis. Procemium.

§. 1. Sanè pro parte dilecti filij Germani Lionet Ordinis Fratrum Minimorum generalis Correctoris nobis nuper exhibita petitio continebat, quòd cum aliàs claræ mem. Ludouicus Francorum Rex summoperè desideraret coram se videre quondam Franciscum de Paula, in quodam Eremitorio districtus Paulæ Regni Neapolitani, tunc solitariam vitam ducentem, propter ipsius Francisci odorem bonæ famæ, & vitæ sanctimoniam, à fel. record. Sixto Papa IV. prædecessore nostro sibi mandari obtinuit, vt idem Franciscus de Regno Neapolitano huiusmodi, ad Regnum Gallorum se conferret, & ipsius Regis conspectui se præsentaret, qui adeo eidem Regi, & omnibus regnicolis gratus, & acceptus fuit, quòd in diuersis Ciuitatibus, & locis, tam Galliæ, quàm Neapolitani, ac Siciliæ, & Hispaniæ Regnorum, ac Germaniæ diuersæ domus pro Fratribus, vitam, quàm ipse Franciscus elegerat, ducere volentibus, à Christi fidelibus constructæ, & ædificatæ fuerunt. S. Franciscus vocatus in Galliam à Rege Francorum.

§. 2. Ipséque Franciscus Ordinem ipsum, qui arctior, & strictior cæteris Ordinibus existit, quem vtique Minimorum appellauit, & sub certo viuendi modo instituit, illúmque per piæ memoriæ Alexandr. VI. & deinde Iulium II. post Sixt. IV. & Innocent. VIII. Romanos Pontific. etiam prædecessores nostros approbari, & confirmari obtinuit, ac dum in humanis egit, & dum suo Creatori spiritum reddidit, ac etiam vita functus plurimis claruit miraculis, adeo vt propterea magna Christi fidelium multitudo, quæ ad domum Iesu Mariæ Thuronen. dicti Ordinis, in qua eius corpus requiescit, confluit, eum eiusdem Francisci intercessione; preces, quas ad Deum effundunt, exaudiri firmiter credant, ipsúmque pro beato teneant, & venerentur. Ordo Minimorum strictior omnibus.

Supplicatio.

§. 3. Et quia in Sanctorum catalogo ananumeratus non est, tam prædictus Germanus, quàm alij dicti Ordinis Minimorum Fratres summoperè capiunt eis concedi, vt liceat illis singulis annis die 2. mensis April. nisi occurrat maior hebdomada, vel octaua Paschæ, & tunc in 2. feria post dictam octauam, festum & officium eiusdem Francisci de vno confessore, cum oratione vnius confessoris, sub nomine Beati Francisci de Paula, in domibus dicti Ordinis celebrare, & celebrari facere. Quare pro parte dicti Germani Correctoris nobis fuit humiliter supplicatum, vt pro æterni Regis laude, & gloria, ac ipsius gloriosi confessoris reuerentia, & honore, necnon decore Ecclesiæ, ac catholicæ Religionis splendore, populique deuotione, & salute, super ijs opportunè prouidere benignitate Apostolica dignaremur.

Vide in nostro Rituali, ante off B. P. N. Franc. not. 3.

Concedit facultatem celebrandi officiũ Sancti Francisci de Paula, & eius imaginem pingendi.

§. 4. Nos igitur, qui fideles quoslibet ad Sanctorum Dei venerationem, & ingem erga eos deuotionem, vt ei, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum procedit, placere studeãt, prout possumus, libenter excitamus, huiusmodi supplicationibus inclinati, eisdem Fratribus, vt de cætero perpetuis futuris temporibus in eorum domibus officium in memoriam eiusdem Francisci de vno confessore, sub nomine B. Francisci de Paula huiusmodi, annis singulis in die 2. mensis April. nisi occurrat maior hebdomada, vel octauo Paschæ, & tunc in 2. feria post dictam octauam celebrare, & in eorum missis, ac matutinis, & vesperis eiusdem Francisci commemorationem sub nomine B. Francisci de Paula huiusmodi recitare, eiusque imaginem depingi facere, & in Ecclesiis domorum suarum, prout etiam Fratres Ord. Minorum de familia in eorum Ecclesiis imaginẽ Fratris Bernardini de Monte-feltro, qui etiam proximis annis decessit, tenent depictam, tenere liberè, & licitè valeant, Ordinariorum locorum, & cuiusuis alterius licentia super hoc minimè requisito, auctoritate Apostolica, tenore præsentium licentiam, & facultatem concedimus.

Derogat cõtrariis & transumptis fidem adhiberi iubet.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quòd præmissa dictus Beatus Franciscus catalogo prædicto adscriptus non censeatur. Et quia difficilè foret præsentes literas ad singula quæque loca, vbi illæ forent necessariæ, deferri, volumus, & prædicta Apostolica auctoritate decernimus, quòd earundem transumptis, manu publici Notarij subscriptis, & sigillo Cameræ Apostolicæ, vel alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus in iudicio, & extra illud fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo, &c. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, anno Incarn. Dom. 1413. Nonis Iul. Pontif. nostri anno 1.

§. II.

Imagines eorum qui cum sanctitatis fama decesserunt, cum signis venerationẽ indicantibus non pingantur.

1. NOta, quòd Vrb. VIII. edidit decretũ circa venerationem eorum, qui cum famã sanctitatis decesserunt, tenoris sequẽtis. *S. D. N. sollicitè animaduertẽs abusus, qui irrepserunt, & quotidie irrepere non cessat in colendis quibusdã cum sanctitatis, aut martyrij famã, vel opinione defunctis, qui & si neque canonizationis, neque beatificationis honore insigniti sint ab Apostolica Sede, eorum tamen imagines in Oratoriis, atque Ecclesiis, aliisque locis publicis, ac etiã priuatis, cũ laureolis, aut radiis, seu splendorib. proponantur, miracula, & reuelationes, aliáq; beneficia à Deo per eorum intercessiones accepta, in libris rerum ab ipsis gestarum enarrantur, & ad illorum sepulchra tabellæ, imagines, & res aliæ ad beneficia accepta testificãdu, & lampades, & alia lumina apponũtur. Volensq; proinde huiusmodi abusib. pro debito officij pastoralis occurrere, re etiam cum Illustriss. & Reuerend. DD. Cardinalib. contra hæreticã prauitatem in vniuersa Republica Christiana generalib. Inquisitorib. communicata, & maturè cõsiderata, ac discussa, declarauit, statuit & decreuit, ne quorumvis hominum cum sanctitatis, seu martyrij fama, quantacumque illa sit, defunctorum imagines, aliaque prædicta, & quodcumque aliud venerationem, & cultum præseferens, & indicans, in Oratoriis, aut locis publicis seu priuatis, vel Ecclesiis, tam sæcularibus, quam Regularibus cuiuscumque Religionis, Ordinis, instituti, Cõgregationis, aut Societatis apponantur, antequam ab Apostolica Sede canonizentur, aut Beati declarentur, & si quæ apposita sunt, amoueantur, prout eas statim amoueri mandauit.*

Non imprimantur libri dictorum miracula continentes.

Ac pariter imprimi de cætero inhibuit libros eorundem hominum, qui sanctitatis, siue martyrij fama, vel opinione, vt præfertur, celebres è vita migrauerint, gesta, miracula, vel reuelationes, seu quæcumque beneficia tanquam eorum intercessionibus à Deo accepta continentes, sine recognitione, atque approbatione Ordinarij, qui in iis recognoscendis Theologos, aliósque pios, ac doctos viros in consilium adhibeat; & ne deinde fraus, aut error, aut aliquid nouum, ac inordinatum in re tam graui committatur, negotium instructum ad Sedem Apostolicam transmittat, eiusque responsum expectet. Reuelationes verò, & miracula, aliáque beneficia supradicta, quæ in libris horum hominum vitam, & gesta continentibus, hactenus sine recognitione, atque approbatione huiusmodi impressa sunt, nullo modo approbata censeri vult, mandátque sua Sanctitas.

Ad dictorum sepulchra tabellæ non appendantur; neque lampades accendantur. Iis tamen, quibus ab antiquo cultus fuit exhiberi solitus, hæc non præiudicant inquisitores, & Ordinarios executores depu-

Ad horum hominum sepulchra vetuit etiam, ac inhibuit, tabellas, atque imagines ex cera, aut argẽto, seu ex alia quacumq; materia, tam pictas, quàm fictas, atque excultas appendi, seu affigi, & lampades siue alia quacumque lumina accendi, sine recognitione, ab Ordinario omninò, prout supra faciendã, Sedique Apostolicæ referenda, ac probanda.

Declarans, quòd per supra scripta præiudicari in aliquo non vult, neque intendit iis, qui aut per cõmunem Ecclesiæ consensũ, vel immemorabilẽ temporis cursum, aut per patrum, virorumque sanctorũ scripta, vel longissimi temporis scientia, ac tolerantia Sedis Apostolicæ; vel Ordinarij coluntur.

Vt

tat cum pœnis transgredientibus infligendis.

Vt autem præmissa diligentiùs obseruentur, vniuersis, & singulis, tam Ordinarijs, quàm hæretica prauitatis inquisitoribus districtè præcipit, vt in sua quisque Diœcesi, vel Prouincia sedulò peruigilet, ne sine approbationibus prædictis imagines cum memoratis signis exponantur, aut miracula, reuelationes, ac beneficia prædicta publicentur, aliàve contra superius disposita fiant. Transgressores verò, si regulares fuerint, priuationis suorum officiorum, ac vocis actiuæ, & passiuæ, necnon & suspensionis à diuinis; si verò Clerici sæculares, priuationis pariter suorum officiorum, suspensionis à diuinis, & ab administratione sacramentorum, executionéque suorum ordinum respectiuè, alijsque arbitrio prædictorum Ordinariorum, seu Inquisitorum pro modo culpæ infligendis pœnis plectendo. Qui autem libros impresserint, aut imagines pinxerint, sculpserint, seu quoquomodo affixerint, vel formauerint, cæterique artifices circa præmissa qualitercumque delinquentes, prædicta omnia amittant, & insuper pecuniarijs, alijsque, etiam corporalibus pœnis, iuxta criminis grauitatem, eorundem Ordinariorum, seu Inquisitorum arbitrio afficiantur, contrarijs quibuscumque non obstantibus.

Hoc decretum publicari mandat. Et transumptis fidem adhiberi iubet.

Et, ne præmissorum ignorantia possit ab aliquo prætendi, voluit, vt decretum huiusmodi, seu illius exemplum ad valuas, Basilicæ Principis Apostolorum Vrbis, ac in acie Campi floræ affixum, omnes proinde arctet, atque afficiat, ac si vnicuique personaliter intimatum fuisset. Quódque præsentium transumptis, etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, ac sigillo alicuius personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides habeatur, quæ præsentibus haberetur, si forent exhibita, vel ostensa.

Tabellæ oblatæ, vel offerendæ dictis viris cum attestationibus, & Ordinarij approbationibus recipiantur, & in aliquo loco secreto custodiantur.

Postmodum verò idem S.D.N. à quibusdam reuocari in dubium accepit, an tabellas, & imagines, quas in posterum offerri contigerit, recipere, & antea oblatas conseruare liceret. Sanctitas sua, quæ tantummodò voluit, occurrendo abusibus, qui irrepere videbantur, certiorem parare viam ad eorum in terris gloriam, quorum sanctimoniam diuina clementia placuerit admirandis operibus illustrare, re prius cum Illustriss. & reuerendiss. DD. Cardinalibus contra hæreticam prauitatem generalibus Inquisitoribus communicata, præsenti decreto declarauit, quòd sicut nunquam prohibuit, nec suæ intentionis fuit prohibere oblationem, receptionémque tabellarum, & imaginum huiusmodi, ita vt nulli deinceps hæsitationi locus relinquatur, statuit in præsentiarum, & decernit, vt quoties ad aliquam Ecclesiam, aut Oratorium, locúmue alium publicum sæcularem, seu regularem, tabellas, & imagines, aliudve simile quispiam detulerit, ac intercessione hominum inter Sanctos, vel Beatos non adscriptorum, quamvis cum martyrij, vel sanctitatis fama demortuorum, optata se impetrauisse dixerit, liceat Ecclesiasticis personis, Ecclesiarum, locorúmve prædictorum curæ præpositis, tabellas, & imagines, siue pictas, siue ex quavis materia fictas, atque alia quæcumque collata gratia fidem facientia, simul cum deferentis, aliorúmque qui conscij fuerint, attestationibus, recipere, atque approbantibus Ordinarijs, ad quas referre statim omnia teneantur, in secreto aliquo, seorsum ab Ecclesia, loco custodire, ibidémq; tam amota collocare, & asseruare, vt, si quando Dominus talium virorum merita beatificationis, seu canonizationis honore in terris decorare voluerit, extent huiusmodi sanctitatis qualescumque probationes, Apostolicæ Sedis iudicio tunc examinandæ; contrarijs quibuscumque non obstantibus.

Ita in generali Congregatione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & vniuers. Inquisit. habita in Palatio Apostolico montis Quirinalis, coram Sanctissimo Domino Nostro D. Vrbano diuina prouidentia Papa VIII. ac Illustrissimorum, & Reuerendissimorum Dominorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinal. aduersus hæreticam prauitatem Inquisitor. general. à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis. Feria 5. die 2. Octobris 1625.

2. Si quæras, an Sanctos non canonizatos, neque beatificatos, qui scilicet cum opinione sanctitatis vixerunt & decesserunt, liceat priuatim colere.

Respondeo. Affirmatiuè Bellarm. *tom. 2 contr. 4. de Eccles. triumph. lib. 1. cap.* 10. Sanch. *l. 2. in decal. c. 43. num. 3* licere, per *cap. 2. de reliq. & ven. Sanct.* quatenus ibi prohibetur publicus cultus, & publicum cultum vocant, non eum, qui coram aliis exhibetur, sed qui nomine totius Ecclesiæ, & tanquam ab Ecclesia institutus exhibetur. Facit etiam Trident. *Sessione 25. de inuocatione Sanctorum*, quatenus prohibet, poni in Ecclesiis, & locis, intellige publicis, vllam insolitam imaginem.

3. Si quæras vlteriùs, an liceat eis septem illos honores deferre, qui Sanctis canonizatis deferuntur, de quibus *constitut. 16. huius Pontificis, num. 2.*

Respondeo. Quoad 1. licèt non canonizatum, nec beatificatum credere, & vocare Sanctum, non licèt tamen prædicare eum tanquam ab Ecclesia in Sanctorum catalogo inscriptum. Quoad 2. licèt inuocare non canonizatum, etiam aliis audientibus, vt patet ex Hieron. *in vita Paulæ*, & præterea oramus viuentes, etiamsi nesciamus esse Sanctos; at non liceret in publicis litaniis, etiam quando priuatim dicuntur, & sacro officio id facere. Quoad 3. & 4. nullo modo licet eis templa, & altaria erigere, atque sacrificia offerre; quia hæc sunt publici cultus. Quoad 5. non licèt publicum festum celebrare, liceret tamen in die natalis eius peculiariter lætari, & Deo vacare in illius memoriam. Quoad 6. licèt imaginem eorum pingere, non tamen cum splendoribus, laureolis, radiis, aut aliis signis sanctitatis, post hoc decretum; licèt etiam venerari, sicut enim possum pingere imaginem patris, vel amici, eámque venerari, ita & illius quem ex eius peracta vita cognosco, seu coniecto, in æterna beatitudine esse collocatum: non licèt tamen dictam imaginem in altari domus priuatæ, vbi nulla alia esset Sanctorum imago, collocare cum lampade, quia ad hic etiam vetatur. Quoad 7. non licet reliquias hominis non canonizati in templo constituere publicè honorandas; licet tamen eas habere, & venerari, etiam aliis videntibus, modò scandalum absit; id enim habet praxis Ecclesiæ; mox enim ac martyres defuncti erant, currebant fideles ad reliquias rapiendas; & similiter quando moriuntur homines clari sanctitate, multi deuotè osculantur manus, & pedes illorum, & de vestibus eorum pro reliquiis seruant, nec id vnquam prohibitum fuit. Præterea si licet

honorare viuentes, quos credimus Sanctos, cur non mortuos? Vnde Innoc. *cap.* 1. *de reliq. & ven. Sanct. n.* 4. & Azor. *p.* 2 *lib.* 5. *cap.* 6 *quæst.* 8. dicunt, quòd cuius licet priuatim, & secretè preces offerre ei, quem credit in patria cœlesti perpetua beatitudine perfrui, at verò non licet ei solemnes, & publicas preces, nec publicè laudes, & diuina officia persoluere.

4. Neque his obstat decretum relatum *n.* 1. nam non dicit, quòd non possit quilibet in particulari credere, aliquem esse Sanctum, & in paradiso, ac propterea cum inuocare, offerréque preces, atque auxilium petere, & in die mortis eius se totum Deo dedere, mundanis curis abiectis, ac imaginem eius tenere, & reuereri, illámque in veneratione habere (modò non sit picta cum aliquo signo, cultum, & venerationem præseferente, & Indicante) & de illius vestibus, atque reliquiis, aliquid pro deuotione retinere, cum hæc non prohibeantur fieri, iis viuentibus, quos Sanctos existimamus, imo hæc omnia posse fieri, insinuatur *dicto numer.* 1. *versu postmodum* quatenus conceditur, licere recipere tabellas oblatas dictis viris non canonizatis; vnde supponit, licere eos priuatim colere, & inuocare, precesque ad eos fundere: Sed tantummodò vetatur, quòd non possint dictorum imagines cum insignibus sanctitatis in Templis, vel Oratoriis etiam priuatis, vbi statis temporibus solent deuoti sæculares, ac etiam Ecclesiastici conuenire ad exercitia spiritualia peragenda, vel solæ collocari, vt clarè patet ex eodem decreto. Vbi etiam est aduertendum, quòd imagines Sanctorum non canonizatorum non prohibentur simpliciter pingi, & in Templis, atque Oratoriis collocari, sed solummodò cum insignibus sanctitatis. Quare sine istis insignibus poterunt tam in Ecclesiis, quàm Oratoriis adhuc reponi, non tamen solæ in altaribus. Sicut non prohibentur in dictis locis poni imagines Imperatorum, atque Regum Christianorum, & dictorum Templorum Fundatores.

5. Nota hic etiam, quòd antiquæ reliquiæ Sanctorum non possunt extra capsam ostendi, *c. fin. de reliq. & ven. SS.* Rationem reddit Abbas ibique quia cum ostenduntur extra causam ossa nuda; multorum deuotio tepescit, & datur detractoribus causa obloquendi. Nec licèt reliquias furtiuè subtrahere, etiam vt honorabiliùs collocentur, est enim oblatio rei sacræ, inuito domino, & consequenter furtum sacrilegum; nec paruitas materiæ excusat à mortali; nam hic non spectatur sola rei quãtitas, sed dignitas & raritas. Ita Sanch. 2. *in decal. cap* 43. *num.* 23. ab infideli tamen liceret auferre; quia est iniustus possessor. Nulla tamen adest excommunicatio contra reliquias surripientes, Sanch. cit. *num.* 24. Nec item vllum peccatum committit Clericus in minoribus ordinatus, aut etiam laicus, qui reliquias piè, & reuerenter tangit, ac in vasa includit: nullibi enim inuenitur vetitum; Sanch. *loco cit. num.* 26. Agnos autem Dei tangere non licet, nisi Subdiaconis; quia oleo sancto consecrantur; non est tamen culpa, nisi venialis, & leuis, eos reuerenter tangere, & absque contemptu, etiamsi laicus sit. Sanch *loco cit. n.* 27. Contra miniantes autem adest excommunicatio Greg. XIII. latæ sententiæ, de qua Sanch. *num.* 29. Vide Azor. *tom.* 1 *lib.* 9. *cap.* 8. *&* 9.

CONSTITVTIO IV.

Quâ confirmat omnia priuilegia concessa à suis prædecessoribus, & approbat de nouo Regulas fratrum suorum, & tertij Ordinis; ac concedit, quòd famulis inseruientibus in nostris Monasteriis in habitu sæculari possimus ministrare Eucharistiam, etiam tempore Paschatis, & in articulo mortis, ac reliqua sacramenta præstare, & in nostris Ecclesiis sepelire.

LEO EPISCOPVS SERVVS Seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.

His, quæ pro fidelium omnium, & Religiosorum animarum salute à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris prouide processerunt, vt eò firmiùs maneant, quò sæpiùs fuerint Apostolicæ Sedis munimine roborata, libenter, cum à nobis petitur, adijcimus nostri muniminis firmitatem, ac alia desuper ordinamus, prout pro earundem animarum salute in Domino conspicimus salubriter expedire.

Memorat constit. 1. Iulij II. §. 15. & § 39.

§. 1. Dudum siquidem fel. rec. Iulius Papa II. prædecessor noster inter alia Ordini fratrum Minimorum B. Francisci de Paula concessit, quòd famuli domorum dicti Ordinis, necnon cæteri eiusdem Ordinis habitum portantes, & in articulo mortis in dictis domibus sepulturam eligentes, omnibus, & singulis priuilegiis, dicto Ordini quomodolibet concessis, gaudere liberè, & licitè possent; Quódque dicti Ordinis fratres, & sorores, ac oblati, necnon vtriusque sexus tertiarij, seu Ordinis huiusmodi, & nonnulla alia persona tunc expressè semel in vita, & in mortis articulo plenariam omnium peccatorum suorum veniam, & indulgentiam consequi possent, & valerent, concessit: Ac tam præfatus Iulius, quàm piæ mem. Sixtus IV. Innoc. VIII. Alex. VI. Romani Pontif. prædecessores nostri nonnulla alia priuilegia, concessiones, & indulta Ordini Minimorum huiusmodi, ac illius pro tempore existenti Generali, Vigilibus, ac Prouincialibus, & eorum Vices gerentibus, cæterísque dicti Ordinis fratribus concesserunt: Ipseque Iulius prædecessor dicti Ordinis fratrum, sororum, & vtriusque sexus tertiariorum huiusmodi Regulas, per præfatum Franciscum de Paula dicti Ordinis Institutorem vltimo editas, tanquam eiusdem Francisci vltimam voluntatem, nouissimè approbauit, & confirmauit.

Supplicatio.

§. 2. Quare pro parte dilecti filij Germani Liones moderni dicti Ordinis Correctoris Generalis, nobis fuit humiliter supplicatum, vt omnibus, & singulis priuilegiis, concessionibus, & indultis, eidem Ordini, ac illius pro tempore Generali, Vigilibus, ac Prouincialibus, & eorum Vices gerentibus, & aliis dictis Ordinis fratribus concessis necnon tribus Regulis nouissimè per eundem

dem Iulium prædecessorem approbatis, & confirmatis, pro illorum substantia firmiori, robur Apostolicæ confirmationis adijcere, ipsáque priuilegia, & indulta, quoad vt fratres dicti Ordinis domorum huiusmodi famulorum, pro tempore in habitu sæculari eis seruientium, quoties opus fuerit, etiam paschali tempore, & in mortis articulo, in eorum domibus, & Ecclesiis huiusmodi confessiones audire, ipsisque & eorum cuilibet Eucharistiæ, & vnctionis extremæ sacramenta ministrare, ac inhumationis, & sepulturæ beneficia impendere possint: Ita quòd singula persona huiusmodi, & prout dicti fratres, priuilegiis, & indulgentiis huiusmodi in eorum mortis articulo frui, & gaudere valeant, ac si eis expressè concessa fuissent, extendere, & ampliare, aliásque in præmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

Confirmat priuilegia & concedit quod famulis possimus ministrare sacramenta, &c.

§. 3. *Nos itaque præfatum Germanum Correctorem à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, prædicta, ac omnia, & singula Ordini Minimorum huiusmodi, ac illius pro tempore existentibus Generali, Vigilibus, ac Prouincialibus, & eorum vices gerentibus, cæterisque singulis fratribus per præfatos prædecessores sub quacumque verborum serie, tum in genere, quàm in specie hactenus quomodolibet concessa priuilegia, & indulta quæcumque: Necnon eiusdem Ordinis fratrum, sororum, & vtriusque sexus tertiariorum Regulas huiusmodi per præfatum Iulium prædecessorem, tanquam præfati Francisci vltimam voluntatem, nouissimè approbatas, Apostolica auctoritate, tenore præsentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illáque omnia, & singula adhoc vt fratres Ordinis Minimorum huiusmodi dictarum domorum famulorum pro tempore in habitu sæculari eis deseruientium, quoties opus fuerit, etiam Paschatis tempore, & in mortis articulo, in eorum domibus, & Ecclesiis huiusmodi confessiones audire, ipsisque, & eorum cuilibet Eucharistiæ, & extremæ vnctionis sacramenta ministrare, ac illis, & cuilibet eorum inhumationis, & sepulturæ beneficia, cuiusuis licentia super hoc minimè requisita, impendere licitè valeant: Ita quòd singula persona huiusmodi, & prout dicti fratres, priuilegiis, & indultis huiusmodi in eorum mortis articulo frui, & gaudere valeant, ac si eis expressè concessa fuissent eisdem auctoritate, & tenore extendimus, & ampliamus.*

Vide supra in constit. 2. Iulij II. § 25. à num. 1 . & 26. huius, § 8

Derogat contrariis & transumptis fidem adhiberi iubet.

§. 4. *Non obstantibus ordinationibus, & constitutionibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Et quia difficilè foret præsentes literas ad singulaque loca, vbi illæ forent necessaria, deferre volumus, & præfata auctoritate Apostolica decernimus, quòd earum transumptis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo Cameræ Apostolicæ, vel alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus in iudicio, & extra illud illis fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo, &c.*

Datum Romæ, apud S. Petrum, anno Incarn. Domini 1513. Nonas Iulij, Pontific. nostri anno 1.

CONSTITVTIO V.

Quâ confirmat, & de nouo concedit priuilegium, quòd nouem collecta dicta ad beneplacitum, & deuotionem sacerdotis, valeant pro totidem missis de Requiem.

LEO PAPA X. VNIVERSIS & singulis præsentes literas inspecturis, salutem, & Apostolicam benedictionem.

Procemium.



Xposcit dilectorum filiorum fratrum Ordinis Minimorum deuotionis sinceritas, & religionis promeretur honestas, vt eorum piis petitionibus libenter annuamus.

Memorat const. 5. Iulij II. § . 5.

§. 1. *Licèt aliàs fel. rec. Iulius Papa II. prædecessor noster dilecto filio Francisco Binet tunc Correctori generali dicti Ordinis per suas in forma Breuis literas concesserit, quòd si ipse in visitatione domorum dicti Ordinis, quam iuxta illius regularia instituta, facere tenebatur, vel aliàs in aliquibus domibus, vel locis dicti Ordinis, tam pro Ecclesiarum fabricis, quàm aliis fratrum necessitatibus, missarum multitudinem copiosam inueniret, & cognosceret, quòd illæ per fratres locorum, & domorum huiusmodi in Ecclesiis eorum, iuxta obligationem per eosdem fratres factam, aut relinquentium ordinationem, celebrari non possent prout in Ianuen. & Parisien. domibus per illorum fratres factum esse cognouerat vt cum fratribus locorum, & domorum huiusmodi, aut etiam ibidem pro tempore degentibus, & cum eorum quolibet dispensare posset; Ita quòd dispensatio super his per eundem Franciscum facta ab eodem prædecessore facta censeretur cum eisdem fratribus; Ac nouem collecta per eos, aut eorum quemlibet in vnaquaque missa recitata, pro nouem missis, ac septem collecta pro septem missis, atque ita de aliis descendendo, seu citra dictum numerum, cum omnium, & singulorum locorum, & domorum huiusmodi fratrum, ac etiam totius Ordinis Minimorum huiusmodi suffragiorum, orationum, sacrificiorum, ieiuniorum, vigiliarum, disciplinarum, & aliorum quorumcumque bonorum generalitate, singulis eiusdem Ordinis benefactoribus, & benefactricibus, qui missas ipsas in Ecclesiis domorum, & locorum*

huiusmodi

huiusmodi recitandas dederint adeò plenè, & integrè valerent, & sufficerent, ac si missæ huiusmodi pro eis, & eorum quolibet, iuxta piam eorum deuotionem, & intentionem; particulariter separatim recitatæ fuissent, prout in dictis literis pleniùs continetur.

Dubitat Generalis an possit priuilegio collectarum vti.

§.2. Cum autem, sicut nobis nuper dilectus filius Germanus Lionet modernus Corrector generalis dicti Ordinis exponi fecit, pro eo quòd officium Correctoriatus præfati Francisci expirauit, antequam domos dicti Ordinis partium Boëmiæ, & Alemanniæ visitaret, quarum fratribus pro illorum sustentatione, aut aliàs deuotionis causa duo baiochi, seu septem quatrini monetæ Iuliæ, pro celebratione vnius missæ per Christi fideles communiter dari consueuerunt, & adeò pauci fratres in iisdem domibus existunt, quòd non possunt singulas missas pro singulis eleemosynis celebrare, dubitauerit ipse generalis Corrector, vigore earum literarum eiusdem Francisco tunc Correctori concessarum posse cum dictis, ac aliis fratribus domorum Boëmiæ, & Alemanniæ huiusmodi, necnon Regni Neapol. ac Siciliæ, Terræ laboris, ac Calabriæ dispensare, vt singuli fratres dictarum domorum in celebratione vnius missæ vnius Sancti, vel fractæ, vel aliàs quomodocumque ad eorum fratrum deuotionem recitatæ, seu etiam mortuorum, dicendo septem vel nouem commemorationes, satisfacerent pro septem, vel nouem particularibus, & integralibus missis, etiamsi missæ huiusmodi specialiter de Requiem, vel de quocumque Sancto, vel Sanctis, vel aliàs integraliter recitatæ forent, pro quibus etiam tanquam pro missis specialiter de Requiem, vel de quibuscumq; Sanctis integraliter celebrandis, eleemosynas vndecumque receperant, satisfacere valeant, ac commemorationes huiusmodi per eosdē fratres ad eorum deuotionem in vnica eorū missa taliter facta, illis plenè valeant, & eis, qui missas huiusmodi celebrare mandauerint, suffragentur, ac super illis taliter recitatis fratres ipsi exonerentur, proinde ac si iidem fratres septem, aut nouem missas specialiter de Requiem, vel de quocumque Sancto, seu de diuersis Sanctis, vel aliàs, iuxta quorumcunque benefactorum huiusmodi piam deuotionem, & intentionem, integraliter diuersis diebus celebrassent. Quare pro parte eiusdem Germani nobis fuit humiliter supplicatum, vt in præmissis pro eorum conscientiæ pace prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nouem collectæ valent pro nouem missis.

§. 3. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati, omnibus fratribus domorum dicti Ordinis in partibus Alemanniæ, & Boëmiæ pro tempore consistentium, vt de cætero perpetuis temporibus in celebratione vnius missæ, septem, vel nouem commemorationes ad eorum deuotionem pro tempore recitata pro septem, vel nouem specialibus, & integralibus missis, etiamsi illæ specialiter de Requiē, vel de quibuscumq; Sanctis recitādæ forent, vel aliàs quomodocumq; etiamsi pro illis recitandis eleemosynas recepissent, seu in posterū reciperēt, plenè satisfacere valeant: Ac commemorationes huiusmodi de quibuscumque Sanctis vel etiam defunctorum, vel aliàs ad eorūdem fratrum deuotionem taliter factæ, eisdem fidelibus qui eleemosynas huiusmodi pro ipsis missis celebrandis, eisdem fratribus pro eorum sustentatione dederint, seu in posterum eos dare contigerit, plenè suffragentur: Ipsique fratres super singulis missis huiusmodi, cum septem vel nouem collectis ad eorum deuotionem taliter recitatis, integraliter in eorum conscientiis exonerentur, proinde ac si fratres ipsi singulas missas huiusmodi, & earum quālibet specialiter de Requiem, vel de ipsis Sanctis, aut eorum quolibet, vel aliàs quomodocumq; iuxta piam benefactorum huiusmodi, & cuiuslibet eorum deuotionem, & intentionem, diuersis diebus integraliter celebrassent: Quodq; dicti Ordinis generalis Corrector pro tempore existens, cum omnibus fratribus quarumcunque domorum dicti Ordinis Minimorum, in dictis, & aliis quibusuis Regnis, & locis consistentium, super dictis missis modo præmisso celebrandis dispensare liberè, & licitè valeat, auctoritate Apostolica, tenore præsentium licentiam concedimus, pariter & indulgemus.

§.4. Non obstantibus constitutionibus, ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscat. die 23. Iulij, anno. 1523. Pontif. nostri anno 1. Derogat Contrariis.

CIRCA CONSTITVTIONEM.

1. VIde quæ dico supra in constitut. 5. Iulij II. 6. 5. à. *n.* 10. Et quia hic Pontifex concedit, quòd nouem collectæ dictæ in celebratione vnius missæ ad deuotionem sacerdoris, seruiant pro nouem missis de Requiem. Potest quæri, an ex natura sua, absque priuilegio, vna missa de Sancto seruiat pro vna missa de Requiem, ita vt sacerdos, cui mandatur vna missa de Requiem, satisfaciat dicendo vnam missam de Sancto illo die occurrenti.

Respondeo. Hanc dubitationem resoluere Fraxin. *in disp. de hac re.* Et breuiter dico, quòd si consideretur valor Missæ ex parte operis operati, idem est in omnibus missis, siue de Sancto, siue de feria, siue de Requiē. Si autem consideretur ex parte operantis, valor missæ potest esse æqualis pro defunctis in missa de Sancto, aut de feria, sicut in missa de Requiem: Deuotio enim sacerdotis in missa de Sancto, virtutibus, & meritis ipsius Sancti excitata, potest compensare orationes, & preces ab Ecclesia institutas, quæ vi institutionis illius non parum defunctis proficiunt. Adde, quòd intercessio Sancti, de quo dicitur missa, prodest animæ in Purgatorio existenti, pro qua celebratur, loco particularium orationum, quæ in missa de Requiem reperiuntur.

2. Verum quidem est, quòd si sacerdos non afficitur maiori deuotione in dicenda Missa de Sancto, aut de feria, quàm de Requiem, si accepit stipendium pro dicenda missa de Requiem, eam celebrare tenetur, quia, cæteris paribus, illæ orationes ordinatæ ab Ecclesia in missa de Requiem, magis prosunt animabus defunctorum, quàm aliæ. Quòd si etiam sacerdos accipiendo stipendium se obligasset ad dicendum specialiter missam de Requiem, ratione promissi, ad quod

de

de iure naturali tenetur, deberet missam de Requiem celebrare.

3. Si autem, non obstante promissione de dicenda missa speciali de Requiem, diceret de Sancto, an satisfaceret dictæ obligationi, posset controuerti. Puto, quòd sic, quia valor missæ ex opere operato est idem in omnibus. Peccaret tamen mortaliter contra virtutem fidelitatis in re graui, & valorem missæ de Requiem, consistentem in orationibus, & precibus ab Ecclesia institutis quatenus etiam virtute Ecclesiæ, independenter à sacerdote ministrante, proficiunt defunctis, teneretur dictus celebrans compensare aliis orationibus cosimiliter, v.g. officio defunctorum, &c. Citat Frax. pro hic dictis infinitos Doctores.

4. Nota hic tandem amplissimum priuilegium concessum Monasterio S. Benedicti Vallisol. anno Domini 1477. à Nicolao Franco Nuntio Sixti IV. cum potestate Legati de latere in partibus Hispaniarum, nimirum quòd dicti fratres possent liberè, & licitè recipere quascumque eleemosynas, vel quæcumque legata, relicta pro perpetuis capellaniis, eáque habere, & retinere sine prædicto onere; dummodò ipsi benefactores, vel defuncti participes sint benefactorum communiom in dictis Monasteriis fiendorum. Ita refert Rodriq. *in suo bull. in Sixto IV. bull. 44. n. 4.* De quo Graff. *p. 1. decis. lib. 2. cap. 45. num. 23.* Sed istud priuilegium pro nunc dormit cum aliis multis, per decretum Congreg. de mandato Vrb. VIII. *infrà in Vrb. const. 9.*

CONSTITVTIO VI.

Quâ mandat sub pœna excommunicationis maioris latæ sententiæ, sibi absolutionem reseruando, ne fratres Minimi possint transire ad alium quantumvis priuilegiatum Ordinem; Quam etiam vult incurrere retinentes, & retentos non dimittentes.

LEO PAPA X. DILECTO Filio F. Francisco Binet Ordinis Minim. generali Correctori salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Memorat constit. 5. Iulij II §. 4. Nostra Regula strictior omnibus.



Vamuis aliàs fel. rec. Iulius Papa II. prædecessor noster ad Minimorum Ordinem, qui tanquam vitis in vinea Domini palmites vberes, & fructuosos in dies producere non cessat, singularem gerens deuotionis affectum, & prouidè considerans, quòd vita, & obseruantia, Ordinis Minimorum huiusmodi, cum sit continuè quadragesimalis tam in Conuentibus, & domibus Ordinis huiusmodi, quàm extra, cæterorum quatuor Mendicantium Ordinum, & aliorum Religiosorum sit arctior, & strictior, tibi, & pro tempore existenti dicti Ordinis Minimorum generali Correctori, & Ordinis huiusmodi per quasdam suas in forma Breuis literas concessus; quòd nulli eiusdem Ordinis Minimorum fratres ad alium quemcunque etiam priuilegiatum Ordinem prætextu quorumcunque priuilegiorum, eutcunque alteri Ordini, etiam sub quibuscumque verborum formis quomodolibet concessorum, absque sua, suique aut generalis Correctoris pro tempore existentis speciali licentia transire possent, aut deberent, etiam sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, quam tam recipientes, quàm receptos, & concedentes ipso facto incurrere voluit, inhibuerit: Quódque tu fratres contrafacientes auctoritate Apostolica, quoties opus foret, excommunicare, necnon, iteratis vicibus, aggrauare, ac per alias censuras Ecclesiasticas, aliáque iuris remedia compescere, & ad Ordinem Minimorum huiusmodi reuocare, & reducere, seu reuocari, & reduci facere posses, & valeres, indulserit, prout in dictis Iulij prædecessoris literis plenius continetur.

Motiua.

§. 2. Nihilominus, indulto, & literis huiusmodi non obstantibus, accepimus, quòd nonnulli aliorum Ordinum fratres, non verentes, contra indulti, & literarum huiusmodi tenorem venire, plures dicti Ordinis Minimorum fratres, Ordinis huiusmodi expressè professores, ad eorum Ordinem, & habitum præsumpserunt, in dictorum fratrum recipientium, & receptorum animæ periculum, & dicti Ordinis, & Religionis tuæ graue præiudicium, & scandalum plurimorum, recipere.

Prohibet Minimos ad alios Ordines transire.

§ 3. Nos itaque ipsius Iulij prædecessoris in hac parte vestigiis inhærentes, ac literas, & indultum Iulij prædecessoris huiusmodi harum serie Apostolica etiam auctoritate confirmantes, & approbantes, ac Ordinem Minimorum huiusmodi, qui his nouissimis, & nostris temporibus incepit, & quotidie per eorum vita, & morum salubria exempla, Domino Benedicente, crescit, pro debito pastoralis officij confouere, ac præmissis, ne in enervationem eiusdem Ordinis Minimorum vlteriùs serpant, obuiare volentes, dictis fratribus, & aliis quibuscumque quarumvis Religionum fratribus quantumcunque priuilegiatis, eorumque Superioribus, & Prælatis auctoritate Apostolica, tenore præsentium sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, quam contrafacientes eo ipso incurrere volumus, & à qua, nisi à nobis, & Romano Pontifice canonicè intrante, præterquam in mortis articulo constituti, absolui non possint, districtè inhibemus, ne à modo in antea aliquos fratres Ordinis Minimorum huiusmodi ad eos confugientes, seu venientes sub prætextu quorumcunque priuilegiorum, & indultorum Apostolicorum eis desuper concessorum, in eorum domibus, seu Conuentibus recipere, aut eis ipsorum habitum concedere, seu exhibere audeant, vel præsumant.

Decernit receptiones irritas.

§. 4. Decernentes nihilominus, quascumque receptiones, & habitum exhibitiones factas, & faciendas, nullius existere roboris, vel momenti, nullumque tibi, & generali Correctori pro tempore existenti, & Ordini huiusmodi Minimorum præiudicium propterea generari potuisse, aut in futurum posse.

Mandat reditum Ordini nostro fratres in alijs receptos.

§. 5. Et nihilominus eisdem fratribus, prædictos Religiosos, & professos Ordinis Minimorum huiusmodi penes se, seu in eorum domibus, locis, & Conuentibus tenentibus, sub dicta excommunicationis pœna modo præmisso incurrenda, præcipimus, & in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, quatenus

quatenus dictos Fratres per eos receptos huiusmodi infra nouem dierum spatium, à die præsentium intimationis computandorũ, cum eorum priori habitu, tibi, & Ordini tuo huiusmodi restituere habeant; de cæteráq; à simili Fratrũ Ord. huiusmodi Minimorum receptione abstineant; Sed ad eos accedere volentes cum omni humilitate, & in spiritu patiẽtiæ, & charitatis ipsos de indulto, & inhibitione huiusmodi certificantes, ad omnẽ tuam, & pro tempore existentis generalis Correctoris, tuique ac sui Vicesgerentis petitionem restituant. Nos enim tibi, & pro tempore existenti dicti Ord. generali Correctori, vestrisque Vicesgerentib. quoscumq; Fratres, & Religiosos dicti Ord. Minim. corrigendi, puniẽdi, & eos ad Ordinẽ, & habitum huiusmodi, etiam sub excõmunicationis, & aliis pœnis, & censuris reuocãdi, & reducendi, easdémque pœnas, & censuras, iteratis vicibus aggrauandi plenam, & omnimodam Apostolica auctoritate prædicta, tenore præsentium concedimus facultatem.

Derogat cõtrariis. *§. 6. Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac priuilegiis, indultis, & literis Apostolicis, Fratribus, & Religiosis quorumvis aliorum Ordinum concessis, & pro tempore concedendis, quæ quoad hoc eis nolumus in aliquo suffragari, cæterisque aliis in contrariũ facientibus, non obstantibus quibuscumq; Dat. Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscat. die 18. Aug. 1516. Pontif. nostri anno 4.*

§. VI.

1. NOta, quòd derogat omnibus priuilegiis concessis, & concedendis; ita vt si modò concederetur aliquod priuilegium alicui Religioni, vt posset recipere quoscumque Fratres aliorum Ordinum, non posset tamen per hoc priuilegium recipere nostros, quia hoc nostrum priuilegium fundatur etiam in iure communi, in quo determinatur, quòd non liceat transire, nisi ad arctiorem. *Cap. Licet, de regul. cap. Statuimus, & cap. Mandamus, 19. quæst.* 3. & supponit Trid. *sess.* 14. *de reform. cap.* 11. *& sess.* 25. *cap.* 19. Arctior autem Religio nostra hucvsque non est adinuenta. Quòd si Religio strictior nostra de nouo fundaretur (quod vix fieri posse reor) tunc puto, quòd ista nostra priuilegia, quæ in sola maiori arctitudine fundantur, deberent cessare.

CONSTITVTIO VII.

Quâ confirmat indulgentias concessas ab ipso supra, in constit. eius 2. cum omnibus clausulis in ea contentis. Et addit, quòd per bullam Cruciatæ dictæ indulgentiæ nunquam intelligantur suspensæ; Quapropter concedit, vt possint liberè, & licitè vbique publicari.

LEO PAPA X. VNIVERSIS, & singulis Christi fidelibus præsentes literas inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionem.

§. 1. *SOlet Sedes Apostolica petentium piis precibus, per quas animarum salus procuratur, fauorem beneuolum impertiri. Cum itaque nos ad Ordinem Minimorum, quem B. Franciscus de Paula piè, & religiosè instituit, singularem gerentes deuotionis affectum, per diuersas nostras, tàm sub plumbo, quam in forma Breuis confectas literas, in fauorem dicti Ordinis, & domorum eiusdem in diuersis Regnis, & Prouinciis constructarum, omnibus, & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus, qui aliquam ex dicti Ordinis domibus huiusmodi. Vbilibet constructis, vel pro tempore construendis, Ecclesiam certis festis, & diebus, in dictis literis respectiuè expressis, à primis vesperis cuiuslibet festorum, & dierum huiusmodi, vsque ad Solis occasum eiusd. visitarent; & ibi quinquies Orationẽ Dominicam, & totidem salutationem Angelicam in Christi passionis memoriam recitarent, decem annorum, & totidem quadragenarum indulgentiam in Domino misericorditer elargiti fuerimus, cum facultate confessores deputandi, qui in festiuitatibus, & diebus huiusmodi, eorundem Christi fidelium ad Ecclesias Ord. Minim. huiusmodi confluentium confessionibus diligenter auditis, eis pro commissis per eos peccatis, etiam in singulis casibus Episcopalibus, absolutionis beneficium impendere, & salutarem pœnitentiam iniungere, necnon vota quæcumque per eos pro tempore emissa (Religionis, & castitatis, ac vltramarino, ac visitationis liminum Apostolorum Petri, & Pauli, & S. Iacobi in Compostella, votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare valerent, licentiam, & facultatem concesserimus; & nihilominus voluerimus, decreuerimus, & declarauerimus, quòd si cõtigerit, nos, aut Sedem Apostolicam in posterum huiusmodi indulgentias, & facultates cassare, reuocare, & annullare, seu suspendere, quòd huiusmodi per nos dicto Ordini, & eius Fratribus, ac domibus, & Ecclesiis huiusmodi concessa literæ, ac in eis contenta quæcumque nullatenus in reuocationibus aut cassationibus huiusmodi includerentur, nec per tales, aut alias reuocationes, cassationes, declarationes, decreta, & suspensiones, sublata, aut cassata quomodolibet intelligerentur, etiamsi de huiusmodi intentione nostra, & mente non derogandi specialis expressio, & non per generales clausulas, quæ huiusmodi specificam mentionem importare viderentur, fieret, prout in huiusmodi sub plumbo, quas perpetuò valere decreuimus, & aliis singulis respectiuè confectis literis, quarum tenores, ac si de verbo ad verbum inserti essent, præsentibus pro sufficienter expressis haberi volumus, plenius continetur.*

§. 2. Quia tamen à nonnullis verti posset in dubium, an indulgentiæ, per nos, vt præmittitur, Ordini Minimorum, ac illius domibus, & Ecclesiis concessa huiusmodi, per indulgentiam ad effectum Cruciatæ, necnon fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, ac etiam fabricæ, seu reparationis Turris Eccles. Vienn. Archiducat. Austriæ, per nos, vel prædecessores nostros quomodolibet etiam cum derogatione aliarum indulgentiarum, etiam annullata fuerunt. Nos attendentes, quòd indulgentias huiusmodi Ordini Minimorum, ac illius domibus, & Ecclesiis libenter concessimus, & Motiua.

illas

illas sub quibusvis reuocationibus, cassationibus, & annullationibus, quæ à nobis, & Sede Apostolica pro tempore emanarent, comprehendi nullo pacto voluimus, & decreuimus, vt præmittitur, ad effectum, quòd Fratres Ordinis Minimorum huiusmodi, qui nostris temporibus, Domino famulantes, cœperunt, Domino benedicente, multiplicari, possent Christi fidelium piis suffragiis, & eleemosynis, cum ipsi vitam quadragesimalem intùs, & foris agant, pro eorum necessitatibus, & pro eorum sustentatione aliquod subleuamen suscipere, & habere: Et ne Christi fideles à bonis operibus abstrahantur, quinimò feruentiores ad lucrandum indulgentias, Ordini, & domibus, ac Ecclesiis Minimorum huiusmodi vt præmittitur, vel alias quovis modo concessas, reddantur, dignum duximus eisdem Christi fidelibus notam facere mentis nostræ intentionem.

Nostræ indulgentiæ non plenariæ non reuocantur.

§. 3. *Quocirca auctoritate Apostolica, tenore præsentium, per concessionem indulgentiarum dictæ fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum, ac Cruciatæ, necnon fabricæ, seu reparationi dictæ turris Eccles. Viennens. huiusmodi, aut quibusvis aliis fabricis, Ecclesiis, siue locis per prædecessores nostros, vel nos hactenus factam, seu fiendam, mentis nostræ non fuisse, neque in futurum esse, velle non plenarias indulgentias, & literas singulas, Fratribus, & Ecclesiis domorum Minimorum huiusmodi sub quibusvis verborum formis concessas, plenarias indulgentias non continentes, reuocare, cassare, & annullare, vel eis contenta quæcumque iuxta illarum formam, & tenorem, præterquam quoad plenarias indulgentias, harum serie innouantes, & confirmantes, Fratribus, Ordini, & Ecclesiis huiusmodi pro•t concessa sunt, & omnia in eis contenta in suo robore permanere, & sic ab omnibus obseruari debere volumus, &c.*

Dictas indulgentias possumus vbique publicare.

§. 4. *Et nihilominus Fratres Ordinis Minimorum huiusmodi, eorum indulgentias prædictas in eorum Ecclesiis, & domibus publicando, etiam post concessionem prædictarum, seu aliarum indulgentiarum, vt præmittitur. concessarum, & inhibitionem de non publica•do vbilibet factam nullas pœnas, seu censuras, seu excommunicationis sententias mereri debuisse, aut potuisse, eadem auctoritate decernimus; Ac eosdem Fratres suas indulgentias præmissas, quibuscumque non obstantibus, liberè, & licitè publicare posse, & debere volumus, & pari auctoritate indulgemus. Per præsentes tamen non intendimus in aliquo præiudicare indulgentiæ pro futuri proximi Capituli generalis in Vrbe celebratione concessæ, quominus illa in locis in literis Breuis desuper expeditis expressis liberè publicari valeat.*

Derogat contrariis.

§. 5. *Non obstantibus præmissis, & quibusvis aliis suspensionibus, & reuocationibus similium indulgentiarum, sub quacumque verborum forma, per nos, vel prædecessores nostros ad effectus prædictos, seu alias sub quibusvis verborum formis, & clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, concessis hactenus, & in posterum concedendis, seu factis, & fiendis, sub quibus præsentes nullo modo comprehendi posse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.*

Transumptis fidem adhiberi iubet.

§ 6. *Cæterùm quia difficile foret præsentes literas ad singula loca vbi expediens fuerit, deferri, volumus, & dicta auctoritate decernimus, quod literarum huiusmodi transumpto, manu publici Notary subscripto, & alicuius Archiepiscopi, Episcopi, aut alterius Ecclesiæ Prælati, vel personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ sigillo munito, vbicumque illud exhiberi contigerit, ea prorsus & indubitata fides in iudiciis, & extra vbicumque locorum adhibeatur, ac si præsentes forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 5. Septembris anno 1516. Pontificatus nostri anno quarto.*

§. III.

1. NOta, quòd indulgentiæ concessæ ab hoc Pontifice, quæ plenariæ non sunt, non suspenduntur per bullam Cruciatæ, nec per alias bullas. Imò neque etiam huiusmodi indulgentiæ non plenariæ suspenduntur per bullam Iubilæi, quolibet vigesimo-quinto anno solitam publicari. A Sorbo *in comp. verb Cruciata, pag.* 180. *versu Et hinc*, Nauarr. *tom.* 3. *com. de sub. not.* 25. *num.* 2. *& seq* Alphons. Leo *tract. de sub. p.* 1. *q.* 6. *num.* 226. nisi Pontifex exprcssè suspendat, dicendo: *Suspendimus omnes indulgentias plenarias, & non plenarias.*

2. Neque per bullam Cruciatæ suspenduntur indulgentiæ etiam plenariæ quoad Fratres. Ita A Sorbo *in comp. verb. Cruciata, pag. mihi* 179. *versu Ex quo primo.* Casar. *in comp. verb. Priuilegia Fratrum, q.* 4. Et in suspensione priuilegiorum, & gratiarum, &c. dictæ bullæ habetur. *Exceptis concessis Ordinum Mendicantium Prælatis quantum ad suos Fratres solùm.* In anno verò Iubilæi suspenduntur priuilegia, gratiæ, indulgentiæ, &c. etiam pro Fratribus, quoad quinque tantùm. 1. Quoad indulgentias plenarias. 2. Quoad potestatem commutandi vota. 3. Quoad potestatem dispensandi super eis. 4. Quoad potestatem dispensandi, vel componendi super malè ablatis incertis, vel ea certo modo remittendi. 5. Quoad potestatem deputandi confessores cum potestate absoluendi, etiam in casibus Apostolicæ Sedi reseruatis. Ita Nauarr. *tom.* 3. *comm. de Iub. not.* 28. *num.* 1. A Sorbo *in comp. verb. Cruciata, pag.* 181. *versu Notent autem.*

3. Si quæras, an anno Iubilæi suspendantur indulgentiæ plenariæ concessæ pro articulo mortis.

Respondeo, Licèt Nauarr. *loc. cit. num.* 6. & alij ipsum secuti affirment. Contrarium tamen fuisse declaratum hoc anno S. Iubilæi, quo hæc scriho, à Papa Vrbano VIII. Quam declarationem fuisse Romæ publicatam à Vicegerente Pœnitentiariæ, affirmat Alphons. Leo *tract. de Iubil. part.* 1. *q.* 6. *num* 242. *versu Etiamsi hæc opinio.* Vnde sequitur, remanere firmas hoc anno indulgentias concessas Regularibus pro illo articulo. Remanent etiam firmæ pro illo articulo indulgentiæ concessæ rebus benedictis, nempè coronis, granis, imaginibus, Quod in specie etiam declarauit idem Vicepœnitentiarius ex mente dicti Sanctiss. vt testatur dictus Alphons. Leo *loc. cit.*

4. Neque etiam suspenduntur anno Iubilæi indulgentiæ pro defunctis; dictus Alphons. *num.* 246. Neque altaria priuilegiata; idem *ibid. num.* 248. Non sunt enim eæ indulgentiæ contra finem suspensionis indulgentiarum, qui solùm est, ne retardenent fideles ire Romam hoc anno, quo modo retardarentur, si haberent in suis partibus commoditatem plenarias indulgentias consequendi.

§. IV.

5. NOta, quòd dictas indulgeotias non plenarias in nostris Ecclesiis possumus, non obstante quacumque prohibitione, liberè, & licitè publicare, per concessionem huius Pontificis. Sed obstat Decretum Concilij Trident. *sess. 21. de reform. cap. 9.* vbi habetur. *Indulgentias verò, aut alias spirituales gratias, quibus non ideo Christi fideles decet priuari, deinceps per Ordinarios locorum, adhibitis duobus de Capitulo, debitis temporibus populo publicandas esse decernit*; Intellige. Neque etiam in Ecclesiis propriis. Quod tamen de indulgentiis post Concilium concessis intelligendum esset, non de concessis ante illud, & quæ vsu receptæ sunt, hæ enim publicari possunt, nullo verbo cum Episcopis facto, dicitur sacram Coogregationem declarasse, & refert Franc. Leo 4. *p. thesau. for Eccles. cap. 2. num.* 119. Sed consultius est.vt omnes indulgentiæ cum licentia Ordinariorum publicentur, qui hanc licentiam denegare non possunt, vt per decretum Congregationis apud Naldum *verb. Indulgentia, num.* 16. constat; & nos etiam diximus *tom* 1. *Relig. pag.* 687. Notat tamen Rodrig. *tom.* 1. *q reg. q.* 98. *art.* 1. quòd si Papa concedat aliquas indulgentias alicui Superiori pro suis Subditis, & familiaribus, potest eas Superior Conuentualis in suo Conuentu promulgare, absque licentia Episcopi. Nec io hoc casu loquitur Tridentin.

CONSTITVTIO VIII.

Quâ concedit indulgentiam plenariam visitantibus Ecclesiam Sanctissimæ Trinitatis de Vrbe omnibus Dominicis Quadragesimæ, & diebus Ascensionis, &c. Et omnibus diebus à media Quadragesima vsque ad octauam Pascha indulgentias S. Mariæ de Populo. Et omnibus diebus Dominicis totius anni concedit triginta annos, & totidem quadragenas, cum potestate deputandi confessoreo dictis diebus, qui absoluant ab omnibus casibus, etiam Papæ reseruatis, exceptis contentis in bulla Cœnæ.

LEO EPISCOPVS, SERVVS seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.



T si cuncta orbis Ecclesiæ sub Sanctorum fandatæ vocabulis, sint pia deuotione fidelium veneranda; illas tamen, quæ in honorem, & sub vocabulo Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis dedicatæ noscuntur, eo celebriori memoria conuenit venerari, quo ipsa Sancta Trinitas immediatiùs, & perfectiùs vota fidelium dirigit, & ad gratias exauditionis admittit.

Indulgentias elargitur cum proposito confitendi.

Nota pro ædificatione Conuentus S Trinit. de Vrbe.

§. 1. *Cupientes igitur, vt claustrum domus eiusdem SS. Trinitatis in monte Pinceo de Vrbe Ord. Minim. à Beato Francisco de Paula instituti, & à fel. rec. Alex. VI. & Iulij II. Romanis Pontif. prædecessorib. nostris, ac nobis approbati, ac plurib. priuilegiis, & diuersis decorati, commoda Fratrum dictæ domus habitatione construi ceptum, celeriùs perfici valeat, ac Ecclesia eiusd. domus, ad quam Romanus Populus, & etiam Curiales, ac alij Christi fideles diuersarum nationum singularem gerunt deuotionis affectum, congruis frequentetur honoribus, ac Christi fideles ipsi eò libentiùs deuotionis causa confluant ad eandem, quò ex hoc ibid. dono cælestis gratiæ conspexerint se refectos. De omnipotentis Dei misericordia; & BB. Petri, & Pauli Apostolorũ eius auctoritate confisi, omnibus, & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus verè pœnitentibus, & confessis, seu firmum confitendi propositũ habentibus, qui prædictã Ecclesiam SS. Trinitatis singulis diebus Dominicis cuiuslibet Quadragesimæ, & in Resurrectionis, & Ascensionis D.N. Iesu Christi, Pentecostes, & eiusd. SS. Trinitatis, ac Natiuitatis eiusd D.N. Iesu Christi festiuitatum diebus, à primis vesperis singularum Dominicarum, & festiuitatum, seu dierum huiusmodi, vsque ad occasum Solis cuiuslibet ipsarum, deuote visitauerint, & ibidem in honorem SS. Trinitatis ter orationem Dominicam, & totidem salutationem Angelicam recitauerint annuatim, singulis earundẽ Dominicarum, & festiuitatum diebus huiusmodi, plenariã, & veram omnium peccatorum suorũ remissionem, & indulgentiam concedimus. Eisdem verò Christi fidelibus vniuersis, qui Ecclesiam prædictã à media cuiuslibet anni Quadragesimæ. vsque ad octauas Pascha inclusiuè annuatim similiter visitauerint, dictásque Dominicas orationes, & salutationes Angelicas ibidem similiter recitauerint, similes omninò indulgentias, quas consequuntur, seu pro tempore consequentur singuli Ecclesiam B. Mariæ de Populo visitantes, auctoritate Apostolica, tenore præsentium in Domino concedimus, & elargimur.*

§. 2. *Aliis verò singulis Dominicis diebus cuiuslibet respectiuè anni Ecclesiam ipsam modo prædicto visitantibus, triginta annos, & totidem quadragenas de iniunctis eis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus.* Indulgentias non plenarias elargitur.

§. 3. *Et vt Christi fideles ipsi indulgentiarum huiusmodi commodiùs participes esse possint, Correctori dictæ domus pro tempore existenti, confessores religiosos dicti Ordinis, qui eosdem Christi fideles ad eandem Ecclesiam pro huiusmodi indulgentiis consequendis, dictis singulis diebus Dominicis Quadragesimæ cuiuslibet anni, & à medio Quadragesimæ, vsque ad octauam Paschæ inclusiuè, etiam cuiuslibet anni, diebus singulis accedentes, eorum confessiones audire, eorumque confessionibus, diligenter auditis, eosdem à quibuscumque casibus etiam Apostol. Sedi reseruatis (exceptis contentis in bulla Cœnæ Domini) absoluere possint, & valeant, deputandi, auctorit. Apostol. tenore præsentium de vberiori gratia licentiam, & facultatem etiam concedimus, pariterque indulgemus.* Cõcedit auctoritatem confessores deputandi. Vide const. 2. eiusdem à num. 3. & nota hic, quod per istã const. confessores debent esse nostri Ord.

§. 4. *Non obstantibus constitutionibus, ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis etiam suspensionibus similium, vel dissimilium indulgentiarum pro tempore factis, cæterisq; contrariis quibuscumque præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Dat. Romæ, apud S. Petrum, anno Incarnat. Dom. 1518. Kal. Iulij, Pontif. nostri anno 6.* Derogat contrariis.

§. 1.

I.

1 NOto primò circa illa verba *Verè pœnitentibus, & confessis*, quòd ad lucrandam indulgentiam requiritur in primis status gratiæ, ita Cord. *in quæstione theol. lib. 5. q. 23. prop. 1.* Suar. *tom. 4. in 3. part. disp. 52 sect. 2. num. 4.* Et ratio est, quia, secundum D. Th. *in 4. dist. 20. quæst. 1. art. 5. q. 1. & in addit. ad 3. part. quæst. 27. art. 1.* & communiter Doctores, indulgentia solùm valet ad remissionem pœnarum temporalium Deo debitarum pro peccatis iam quoad culpam dimissis, homini enim inimico Dei, quamdiù in peccato existit, nulla fit remissio, neque quoad culpam, neque quoad pœnam, quia indignus est tali remissione. Ergo manente culpa mortali, non prodest remissio pœnarum per indulgentias; Patet conseq. quia opera satisfactoria Christi, & Sanctorum non possunt, communicari nisi in vtilitatem eorum, pro quibus ea operati sunt, sed Christus, & Sancti non fecerunt illa opera sua bona pro vtilitandis membris Diaboli, quales sunt peccatores, sed solùm pro vtilitandis membris Christi, qui sunt fideles existentes in gratia.

2. Si quæras, quo tempore requiratur gratia ad lucrandam indulgentiam, an scilicet illo quo fiunt opera ad eam requisita, nimirum ieiunium, eleemosyna; an verò illo, quo indulgentia consummatur, & effectus illius confertur. Videri potest pro hac quæstione Suar. *tom 4. in 3. p. disp. 52. sect. 2. num. 7.* Cord. *loc. cit. q. 24.* Filliuc. *tom. 1 tract. 8. cap. 6. num. 138.* Breuiter dic, sufficere, quòd sit in gratia, quando consummatur indulgentia, id est quando fit vltimum opus ad indulgentiam requisitum, verbi gratia, pro lucrandis aliqua indulgentia, requirit Papa ieiunium, eleemosynam, & visitationem per quatuor vices alicuius Ecclesiæ, dico, quòd non est necesse, quòd sit in statu gratiæ quando ieiunat, neque quando dat eleemosynam, neque quando visitat, 1. 2. 3. Ecclesiam, sed sufficit, quòd sit, quando 4. vice visitat Ecclesiam, in qua suppono quòd consummetur indulgentia: Et in nostra indulgentia, in qua requiritur visitatio Ecclesiæ, & recitatio trium *Pater noster*, & totidem *Aue Maria*, non est necesse ex vi talis operis, quòd sit in gratia, quando pergit ad visitandum, neque quando visitando diceret 1. & 2. aut 3. *Pater noster*, &c. sed sufficit, quòd conteratur, & sit in gratia, quando dicit vltimum *Aue Maria*, in quo supponitur dictæ indulgentiæ consummatio, & collatio eius effectus. Et ratio est, quia etiam opera facta in peccato mortali satisfactoria sunt, licèt non meritoria, vt Nauarr. *comm. de Iubilæo; not. 32. num. 46. versu 3. quòd ea, tom. 3.*

3. Sed quid, si quis manens in mortali faciat omnia opera requisita ad consequendam indulgentiam, licèt tunc non consequatur illius effectum, propter defectum gratiæ omnino requisita, vt dixi, consequetur-ne saltem per contritionem, vel Sacramentalem confessionem gratis supraueniente? Affirmat Henriq. *lib. 7. de indulg. cap. 9. num. 3.* alios citans. Probabile putat Filliuc. *loc. cit. num. 140.* quia sicuti datur Sacramentum pœnitentiæ validum, sed informe; in quo, fictione sublata, confertur gratia, ita & hic. Probabilius, & tutius ast contrarium, nimirùm, indulgentiam. Ita Suar. *tom. 4. in 3. p. disp 52. sect. 2. num. 13 & seq.* Filliuc. *loc. cit. num. 141.* quia communiter indulgentiæ conceduntur verè pœnitentibus, & confessis.

4. Noto 2. quòd maxima controuersia est inter Doctores, an per illa verba, *verè pœnitentibus & confessis*, præcipiatur confessio in actu, an solummodo in voto, de qua videri potest Cord. *loc. cit. quæst. 27.* Suar. *tom. 4 in 3. p. disp. 52. sect. 3. num. 10.* Alphons. Leo *de Iub. p. 1. q. 1. à num. 56.* Breuiter dic, quòd licèt multi velint, quòd vi illorum verborum non requiratur actualis confessio, sed quòd sufficiat contritio, quæ illam includit in voto, & exponant illam particulam & distributiuè, id est, tam contritis, quàm confessis, quomodo sumitur in c. 2. de cleric. ibi, *arma deferentes, & vsurarij excommunicentur*; seu quòd confessio requiratur, quatenus ad iustificationem est necessaria, vnde si aliter iustificatio possit haberi, verbi gratia, per contritionem, confessio necessaria non sit, vt Suar. *loco cit. num. 13.* Comitol. *l. 1. resp. mor. q. 39. num. 3.* Quia aiunt, ad participandum Ecclesiæ thesaurum, sufficit status gratiæ. Licèt, inquam, isti cum multis aliis, quos citant, ita sentiant, tutior tamen, & communior opinio est, quòd per dicta verba præcipiatur actualis confessio. Ita Caiet. Adrian. Durah. apud Suar. *loc. cit. n. 10.* & in praxi dicit hanc esse consulendam Alphon. Leo *loco citato num. 65.* Et ratio est, quia cum Papa præcipere possit in hoc casu actualem confessionem, non solùm mortalium, sed etiam venialium, aut etiam reconfessionem mortalium, iam ritè confessorum, & remissorum, vt Cord. *loc. cit. prop. 1.* Filliuc. *loc. citat. num. 144.* Suar. *loc. cit. num. 5.* tanquam conditionem necessariam ad lucrandam indulgentiam, præcipere videtur, cum vtitur verbis, quæ communi omnium sensu actualem confessionem dicunt. Et quòd communiter existimentur illa verba actualem confessionem importare, neminem inficiari puto. Addo, quòd Pontifices quando nolunt obligare ad actualem confessionem, addunt illa verba; Propositum confitendi habentibus, vt in nostra hac indulgentia; quæ verba superflua essent, si pro prima propositum confitendi sufficeret. Adde, quòd particula & in proprio, & primario significatu, copulatiuè sumitur; quare impropriãda non est sine necessitate; & licèt fatendum sit, quòd ad participandum Ecclesiæ thesaurum sufficiat status gratiæ, hic tamen sufficiens non censetur, quando thesauri dispensator aliam conditionem requirit.

5. Aduerto tamen, quòd qui non haberet nisi venialia, non teneretur confiteri. Ita Alphons. Leo *de Iub. part. 1. q. 1. num. 75.* Suar. *loc. cit. num. 5.* Filliuc. *tom. 1. tract. 8. cap. 6. num. 145.* Ratio est, quia communiter loquendo, confessio solùm de necessitate exigitur, quando adest materia mortalis. Posset quidem Papa exigere etiam confessionem venialium, vt dixi *num. 4.* sed communiter non faciat, ideo dicimus, hanc venialium confessionem non prærequiri ad indulgentiam lucrandam, vigore illorum verborum *verè pœnitentibus, & confessis.*

6. Aduerte etiam, quòd in nostro priuilegio hæ omnes quæstiones cessant; nam Pontifex expresè declarat, actualem confessionem non requiri ad nostras indulgentias lucrandas in nostris Ecclesiis dictis diebus, cum dicat, se eam concedere verè pœnitentibus, & confessis, seu propositum confitendi habentibus.

7. Noto 3. circa illa verba *deuotè visitauerint*, quòd deuotè visitare dicitur ille, qui accedit ad Ecclesiam, seu altare visitandum piè, modestè, & religiosè; ad colendum in tali loco Deum, vel in se ipso, vel in alio Sancto, qui propter ipsum ibi afficitur honore. Ita Suar. *tom. 4. in 3. p. disp. 52. sect. 1. num. 4.* Nau. *tom. 5. in comm. de Iub. not. 32. n. 46. vers. 2.* quòd fieri potest, sine, quem sequitur. Rodr. *tom. 1. q. reg. q. 98. ar. 6. d. 1.* dicunt enim quòd ille deuotè dicitur visitare quoad indulgentiam lucrandam, qui modestè, ac deuotè ingreditur, precatur, & exit Ecclesiam, etiamsi reliquum itineris immodestè faciat. Alphon. Leo *p. 1. q. 2. n. 143.* dicit, quòd ad hoc vt quis dicatur deuotè visitare, oportet, vt ille actus visitandi sit moraliter bonus, & probat ex definitione deuotionis, quam affert D. Th. *2. 2. q. 82. art. 1.* quòd sit voluntas promptè faciendi, quòd ad seruitium Dei pertinet. Cum quo bene stat, vt quis possit deuotè Ecclesias visitare, etiamsi sit in peccato mortali, nam existens in mortali potest actum bonum moralem, seu opus ho-

nestum facere, vt probat Nauarr. *loc. cit. versu Tertio quòd ea*, & Diu. Thom. 2. 2. *quaestione* 19. *art.* 4. & Azot. *tom. primo instit. moral. lib.* 8. *cap.* 25. *qu.* 14. & colligitur ex Trid. *sess. sext. can. septim. de iustif.*

8. Si quæras, an peccatum veniale factum in ipsa visitatione possit causare, quominus dicta visitatio dicenda sit deuotè facta. Graue dubium dicit Nau. *loc. cit. n.* 44. *versu Deuotè* Ex quo *in n.* 45. sic breuiter.

Respondeo, Sermonem hic esse de peccato veniali concomitante actum, nam de antecedente certum est, quòd non solùm veniale, sed neque etiam mortale, vt dictum est, impedit deuotam visitationem: Peccatum autem veniale concomitans potest considerari tripliciter in ordine ad ipsum actum visitationis. 1. extrinsecè, vt verbi gratia, visitat quis Ecclesiam, siue in statu gratiæ, siue non, bono fine, & bono modo, tempore opportuno, sed durante visitatione, vel aliqua eius parte, peccat venialiter, inordinatè intra se irascendo concupiscendo honorem, voluptatem, vel aliud malum venialiter volendo. 2. ita vt peccatum veniale contingat solùm circunstantiam actus visitationis, verbi gratia, visitatio ad hoc vt sit deuota, debet fieri tempore, & modo debito: iste licèt visitet bono fine, & ad lucrandam indulgentiam, non visitat tamen tempore decenti, nec modo debito, sed ridendo, aspiciendo per Ecclesiam, loquendo, &c. 3. potest considerari istud peccatum veniale, quatenus contingit substantiam actus ipsius visitationis, verbi gratia, quia visitat, non ex deuotione, neque ad indulgentias lucrandas, sed ob vanam gloriam venialem, vel ad alteri, vel sibi venialiter complacendum. Peccatum veniale 1. modo non impedit, quominùs visitatio dicenda sit deuotè facta, quia opus illud intrinsecè moraliter bonum est. Peccatum veniale 2. modo neque etiam impedit deuotionem visitationis, nam circunstantia mala non impedit, quin actus sit bonus. Peccatum veniale. 3. modo communiter dicunt quòd impedit deuotam visitationem, & per consequens effectum indulgentiæ. Nauar. *loc. cit.* Alphons. Leo *loco citat. n.* 141. quia actus moraliter malus ineptus est, vt per ipsum Christi merita, & Sanctorum applicentur.

9. Verùm dico, quòd qui actum istum visitationis facit cum peccato veniali tangente ipsam substantiam actus, si habeat intentionem lucrandi indulgentiam, licèt ex alia parte habeat intentionem peccaminosam, verbi gratia, inanem gloriam, ostentationem, &c. quæ non solùm concomitanter se habeat ad ipsum actum, sed etiam in illum influat, ita vt illi communicet malitiam, non hoc impeditur, quin ipsa visitatio dicenda sit deuota sufficienter ad indulgentiam lucrandam; nam ista intentio peccaminosa non excludit necessariò intentionem lucrandi indulgentiam. Videatur Suarez *tom. quarto in tertio parte, disputat.* 52. *sectione sexta, numero tertio.* Secus autem esset, si intentio illa venialiter peccaminosa omnino excluderet intentionem indulgentiam lucrandi, nam tunc actus ille esset omninò malus.

10. Aduerte etiam hic, quòd, quæ dicta sunt de peccato veniali, pariformiter dicenda sunt de mortali, nimirùm quòd peccatum mortale concomitans dictam visitationem, non impedit, quominùs ipsa visitatio dicenda sit deuota, nisi quando contingit ipsam substantiam actus, modo prædicto.

11. Noto 4. quòd visitantes nostras Ecclesias à medio Quadragesimæ vsque ad octauam Paschæ, cōsequuntur omnes indulgentias, quas consequuntur illo tēpore visitantes Sanctam Mariam de Populo, & non solùm eas, quæ tempore datæ huius priuilegij erant dictæ Ecclesiæ concessæ, sed etiam illas, quæ concessæ sunt postea, & conceduntur in posterum, quovsque duret hoc priuilegium. Indulgentias autem concessas dictæ Ecclesiæ vide apud Albericum *in tract. de Ecclesia S. Mariæ de Populo, à pag.* 79. *& pag.* 90. Sed Paulus III. *infra, in const. eius* 2. §. 1. ait, quòd Leo X. concessit non solùm hoc tempore visitantibus nostras Ecclesias indulgentias S. Mariæ de Populo, sed etiam illas, quas consequuntur visitantes Ecclesias, tam intra, quam extra muros Vrbis tempore Stationum. Quod ipse Paulus confirmauit, & de nouo concessit §. 4.

§. II.

12. NOto primò quòd indulgentia est duplex, plenaria, & temporalis; seu totalis, & partialis. 1. est, quæ remittit totam pœnam peccatis debitam. 2. quæ partem. Hæc solet multis modis concedi.

13. Primò, cum limitatur quoad tertiam, vel quartam partem peccatorum, & tunc sensus est, concedi indulgentiam, & remissionem pœnæ, quæ tertiæ, vel quartæ parti peccatorum debetur coram Deo, & in Purgatorio.

14. Secundò, cum limitatur quoad tempus mille, verbi mille annorum, & tunc sensus est remitti totam illam pœnam, quæ remitteretur, si homo secundùm Canones pœnitentiam ageret toto illo tempore, & consequenter remittitur etiam pœna Purgatorij, illi tempori correspondens.

15. Tertiò, cum tempori limitato additur numerus quadragenæ, seu quarantenæ, aut etiam carenæ, & septennæ. Pro quorum terminorum intelligentia nota, quòd secundùm Canones pro peccatis mortalibus grauioribus antiquitus imponebantur septem anni pœnitentiæ, & dicebatur septenna, siue septennis pœnitentia, vt cuius pœnitens tenebatur singulis sextis feriis, verbi gratia, ieiunare, toties recitare psalmos pœnitentiales; aliquando etiam imponebatur quarantena, & erat ieiunium quadraginta dierum, & si ieiunium tali quarantena impositum commune erat, dicebatur quarantena; si autem ieiunium erat rigidius in pane, & aqua, & cum separatione à consortio hominum, dicebatur carena à carendo cibis, & hominum consortio; & ista forma significabatur, per eiusmodi indulgentiam tolli omnem pœnam Purgatorij, quæ corresponderet, si tot annis pœnitentia, cum tot quarantenis, & carenis peracta fuisset, ita vt quarantenæ debeant computari intra tempus prædictorum annorum.

16. Quartò, cum indulgentiæ tot annorum, vt centum, vel mille, adiungitur etiam remissio tertiæ, vel quartæ partis peccatorum, & tunc est indulgentia quædam composita, nam vltra pœnam, quæ remitteretur tot annis, etiam additur remissio tertiæ, vel quartæ partis, ita vt remissio annorum tantùm cadat super alias duas, vel tertias partes peccatorum remanentes. Ita Fillive. *tom.* 1. *tract.* 8. *cap.* 7. *num.* 190. Suar. *tom.* 4. *in part. disp.* 50. *sect.* 5. *num.* 14.

17. Quintò aliquando conceditur limitata indulgentia de pœnitentiis iniunctis, vt est ista nostra. Et tunc graue dubium est, de quibus pœnitentiis intelligenda sit, an scilicet de iniunctis solùm in Sacramentali confessione, an verò non solùm de ibi iniunctis, sed etiam de iis, quæ non sunt iniunctæ, sed sunt iniungendæ à Deo, vel essent iniungendæ à Sacerdote secundùm Canones. Primùm tenet Cord. *in q. theol. lib.* 5. *q.* 9. *prop.* 3 *& q.* 27. *prop.* 4. Secundùm tenet Suar. *loc. cit. sect.* 3. *num.* 14. *& seq.* quem sequitur Fillivc. *loc. cit. num.* 173. Casar. *in comp. vers. Indulgentia, not.* 1. qui dicunt, esse opinionem D. Thom. & mihi probabilior videtur; nam particula illa *de pœnitentiis iniunctis* non est restrictiua, sed ampliatiua, quia maius quid videtur esse remittere pœnas, pro quibus iam Sacramentalis pœnitentia iniuncta est; quàm reliquas pœnas, vnde in foro exteriori facilius est iudici remittere delictum, aut pœnam eius ante sententiam latam, quàm post illam; & difficilius est tollere duplex vinculum, delicti scilicet, & sen-

tentiæ,

tentiæ, quàm vnum. Quare in alia particula *de pœnitentiis iniunctis* subintelligitur hæc dictio, Etiam, de pœnitentiis iniunctis. Sed concesso maiori, minùs etiam concessum esse videtur, vt habetur *in cap. Ex parte, el 3. de decim.* Et patet etiam, quia si concedatur alicui, vt possit absoluere à reseruatis, multò magis intelligitur esse concessum, vt etiam à non reseruatis absoluat; Et dicteriom illud io materia de indulgentiis commune, quòd tantùm valeant, quantum sonant, huic sententiæ non repugnat, nam particula illa *de pœnitentiis iniunctis* ampliatiua est, vt dixi, & ideo ad omnes pœnas, quoquo modo iniunctas extendi debet, sunt autem aliquo modo impositæ pœnæ, quæ iure aliquo taxatæ, & iniunctæ sunt, & à Deo pœnas peccatis taxatas esse fatendum est: sensus ergo illorum verborum est, Concedo visitantibus Ecclesiæ Sanctissimæ Trinitatis triginta annos indulgentiæ de pœnitentiis iniunctis, idest de tali pœnitentia, quæ, claue non errante, deberet iniungi, ita vt triginta anni lucrati de indulgentia tantum valeant dictis visitantibus, quantum illis valerent illi triginta anni, qui eis debebant imponi, si impositi fuissent; vel valeant ad delendam tantam pœnam imponendam à Deo in Purgatorio quæ huic numero correspondeat.

18. Noto 2. quòd indulgentia plenaria remittit non solùm temporalem pœnam à confessario impositam, ita vt qui lucratur indulgentiam, ab ea soluenda sit liber; Sed etiam pœnam luendam io Purgatorio; Ita Nauarr. *tom. 3. de Iub. not. 31. num. 43* Regin. *in praxi. lib. 7. num. 149.* Suar. *loco cit. disp. 50. sect. 2. num. 5.* Probat Nauarr. *ex cap. Cum ex eo, de pœnis. & remiss.* quatenus in eo dicitur, per indulgentiam eneruari pœnitentialem satisfactionem, quod non contingeret, nisi tolleret obligationem eam implendi; Notat tamen ibi Nauarr. *num. 44.* semper esse consulendam pœnitentiæ impletionem, quia homo quandoque plus debet, quàm credat. Nota etiam, quòd per indulgentiam non relaxatur pœnitentia à confessario iniuncta in medicinam, & tanquam necessaria ad vitanda peccata in posterum, quia hoc cederet in præiudicium pœnitentis Regin. *loco cit. num. 147.*

CONSTITVTIO IX.

Quâ præcipit sub pœna excommunicationis maioris latæ sententiæ, absolutionem sibi reseruando, quòd nullus audeat habitum nostri coloris deferre.

LEO PAPA X. DILECTIS FILIIS Correctoribus, Vice-Correctoribus, & aliis Fratribus Ordinis Minimorum Beati Francisci de Paula vbilibet constitutis, & eorum cuilibet salutem, & Apostolicam benedictionem.

Ille Pontifex per alias suas, quas hic non habes, prohibuerat gestari habitum coloris nostri.

§. 1.  *Licèt alias, cum B. Franciscus de Paula Ordinis Minimorum Fundator, Regulam strictissimam instituisset, & eam sub perpetua quadragesimali vita per Fratres Ordinis huiusmodi obseruari, ac habitum, ab habitibus aliorum Religiosorum differentem, videlicet ex lana naturaliter nigra, & sine tinctura contextum, quem assumpserat, per eosdem Fratres gestari voluisset: ac, sicuti nobis tunc innotuerat, nonnulli Fratres tertij Ordinis Sancti Francisci, contra Regulam, & votum vitæ quadragesimalis Religionis vestræ, carnes, & lacticinia quæcumque, à quibus vos omnino abstinere debetis, comedebant, habitum coloris per vos gestari solitum in nonnullis Prouinciis, & præsertim Hispaniarum degentes, sibi assumpserant, in graue præiudicium Ordinis vestri, & Religionis, huiusmodi scandalum, cum diuersæ personæ vtriusque sexus illorum partium viderent eosdem tertiarios, seu Fratres huiusmodi carnibus, & lacticiniis vesci, ex delatione dictorum habitus, & coloris, illos esse veros Religiosos Beati Francisci de Paula existimantes, murmurassent, eos Regulam, & votum vitæ quadragesimalis non seruare, ob quod grauia scandala in Ordine vestro huiusmodi potuissent suscitari; Per alias nostras in forma Breuis literas decreuerimus, & declarauerimus, eosdem Fratres tertiarios, & quosuis alios Religiosos, non habitum coloris illius, sed ipsorum solitum, & Religionis Minimorum S. Francisci, albi scilicet coloris, gestare debere; Iniungentes, & præcipientes eisdem tertiariis, & aliis Religiosis quibuscumque sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, à qua nisi à nobis, & à Romano Pontifice, pro tempore existente, prætetquàm in mortis articulo constituti, absolui non possent, quatenus à susceptione habitus coloris vestri, & illius gestatione omnino desisterent, ac in eorum, & solito Fratrum Minorum habitu, dictique coloris albi, in ea, qua vocati erant, vocatione degerent; & propterea venerabili Fratri Episcopo Malaginen. eiusque officiali commiserimus, & mandauerimus, quatenus vobis in præmissis opportunæ defensionis præsidio assisterent, & non permitterent, per eosdem tertiarios, & alios quosuis Religiosos habitum vestrum, & coloris vestri huiusmodi quoquo modo gestari.*

Supplicatio.

§. 2. Tamen, sicut nobis exponi fecisti dilecti filij Gienensis & Corduben. Matris Dei, ac Hispalen. S. Ioannis de Alfaraxo nuncupatorum Monasteriorum, Conuentuum, necnon nonnulli alij Fratres tertiarij, & Eremitæ, ac mulieres etiam habitum vestrum, seu coloris vestri deferre nituntur, & præsumunt; eleemosynas etiam nomine Fratrum Minimorum petendo, & Ordinem suum Ordine vestro priorem fore asserendo, in graue præiudicium dicti Ordinis vestri, & scandalum plurimorum. Quare nobis humiliter supplicari fecistis, vt vobis in præmissis de opportuniori remedio prouidere benignè dignaremur.

Prohibet de nouo gestari habitum coloris nostri, eandem prohibitionem fecit Paulus V. in sua const. 6. infra.

§. 3. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, auctore Apostolic. tenore præsentium decernimus iterum, & declaramus, eorundem Gienensis, & Cordubensis, ac Hispalensis Conuentuum, necnon alios tertiarios Fratres, & Eremitas, ac mulieres, habitum vestrum, seu coloris vestri deferre, & gestare præsumentes, non habitum vestrum, & coloris ipsius, sed ipsorum solitum, & Religionis Minimorum Sancti

Francisci, albi coloris, seu ad albedinem potiùs, quàm ad nigredinem tendentem gestare debere. Iniungentes, & præcipientes eisdem tertiariis, Eremitis, mulieribus, & aliis Religiosis quibuscumque sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, eo ipso absque alia declaratione incurrenda, à qua nisi per nos, & Romanum Pontificem pro tempore existentem, præterquam in mortis articulo constituti, absolui non possint, vt à susceptione, & delatione habitus coloris vestri huiusmodi penitùs, & omninò desistant, & abstineant.

§. 4. *Et nihilominùs ven. Fratri Episcopo de Marrucos nuncupato, & dilectis filiis Priori domus S. Dominici Ciuitatis Astigia, & officiali Granaten. nunc, & pro tempore existentibus harum serie committimus, & mandamus, quatenus ipsi, & eorum quilibet vobis in præmissis opportunæ defensionis præsidio assistentes, non permittant dictorum Gienen. & Corduben. ac Hispalen. Conuentuum, necnon alios Fratres tertiarios, & Eremitas, ac mulieres, & alios Religiosos quoscumque habitum vestrum, & coloris vestri huiusmodi, sed ad albedinem potiùs, quàm ad nigredinem tendentem deferre, vel gestare. Contradictores quoslibet, & rebelles per censuram Ecclesiasticam, & alia iuris remedia, appellatione postposita, compescendo. Inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.*

Derogat cōtrariis.

§. 5. *Non obstantibus præmissis, & constitutionibus, ac ordinationibus Apostolicis, statutisque & consuetudinibus Ordinis huiusmodi iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, necnon priuilegiis, & indultis Apostolicis, illis, ac Fratribus præfatis forsan concessis, confirmatis, & innouatis, quibus omnibus, illorum tenores pro sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie specialiter & exter, pressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Dat. Romæ, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris 20. Martij, 1519. Pontif. nostri anno 7.*

CONSTITVTIO X.

Quâ mandat Archidiacono, & Cantori Ecclesiæ maioris Consentinen. ne sinant, Fratres nostros molestari à Parochis super quarta funeralium, &c.

LEO PAPA X. DILECTIS FILIIS Archidiacono, & Cantori Ecclesiæ Consentinen. vel eorum alteri salutem, & Apostolicam benedictionem.

Supplicatio. §. 1.



Xponi nobis nuper fecerunt dilecti filij Franciscus de Terano, modernus Prouincialis, & alij Fratres Ordinis Fratrum Minimorum B. Francisci de Paula Prouinciæ Calabriæ, quòd licèt in priuilegiis, & indultis per fel. record. Iulium Pap. II. prædecessorem nostrũ dicto Ordini, & illius Fratribus, tunc, & pro tempore existentibus concessis, ac per nos confirmatis, & approbatis, inter alia caueatur expressè, quòd Fratres prædicti tunc, & pro tempore existentes, de hortis, virgultis, & aliis quibuscumque bonis, Ord. Minimorum domibus, & illarum Ecclesiis huiusmodi pro tempore relictis, & legatis, ac de luminaribus, & aliis rebus diuino cultui pro tempore dedicatis, decimas, aut oblationes aliquas, etiam ex noualibus, vel quartam portionem ex funeralibus soluere minimè teneantur, nec ad id à quoquam, cuiuscumque status, nobilitatis, conditionis, vel dignitatis existat, valeant quomodolibet coarctari: Tamen nonnulli parochialium Ecclesiarum Rectores, seu illarum Vicarij, ac in ipsis perpetui Beneficiati, auaritiæ cupiditate obcæcati, & quidam alij Clerici, & laici dictæ Prouinciæ, eosdem Prouincialem, & Fratres ad soluendum sibi quartam portionem huiusmodi delegatis pro tempore decedentium, vel aliis bonis eisdem Prouinciali, & Fratribus, siue pro Missis, siue pro fabricis, vel ornamentis Ecclesiasticis, aut aliàs quomodolibet relictis, per se, vel alios exigere, seu extorquere temerè præsumentes, & interdum illos, qui in domibus dictorum Fratrum Ecclesiasticam sibi eligere sepulturam deliberato animo proposuerant, persuasionibus, & inductionibus, eorum propositum, ac vltimas voluntates desuper factas mutare, & variare procurantes, dictos Fratres in eiusmodi bonis relictis, & legatis defraudari, ac damnum, & iacturas pati procurant, nonnulláque ab ipsis Fratribus contra huiusmodi priuilegia eis concessa extorquere præsumpserunt, in animarum suarum periculum, & priuilegiorum huiusmodi contemptum, ac Fratrum prædictorum non modicum præiudicium, & grauamen. Quare pro parte dictorum Prouincialis, & Fratrum, nobis fuit humiliter supplicatum, vt sibi super iis opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 2. *Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati, per præsentes mandamus, quatenus vos, aut alter vestrum, si, & postquam, vobis de præmissis legitimè constiterit, vniuersis & singulis Rectoribus, Vicariis, Beneficiatis, Plebanis, & aliis Clericis, ac laicis dictæ Prouinciæ, cuiuscumque status, Ordinis, conditionis, aut præeminentiæ fuerint, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, ac aliis censuris Ecclesiasticis præcipiatis, ne ipsi contra dicta priuilegia quicquam ab eisdem Fratribus, occasione quartæ portionis huiusmodi, directè, vel indirectè, quouis quæsito colore per se, vel per alios, contra tenorem priuilegiorũ prædictorum, exigere, aut extorquere, ac aliàs ab ipsis Fratribus extorta, & indebitè exacta retinere; Nec defunctorum huiusmodi parentes, vel hæredes, aut etiam executores suarum vltimarum voluntatum, præmissorum occasione, aliquatenus molestare, seu inquietare, aut impedire: Nec testatores intendentes apud dicti Ordinis domus eorum sepulturas eligere,*

Eximit à solutione quartæ, &c. Vide supra, in cōst. Pyrrhi, num 54. & 1. Iul. II. §. 33. & 2. Iul. § 19. 20. 28. & 30.

eligere, ab eorum proposito persuasionibus retrahere, aut ipsorum voluntates reuocari, aut mutari facere præsumant; inuocato etiam ad hoc, quatenus opus sit, auxilio brachij sæcularis.

Derogat contrariis.

§. 3. *Non obstantibus præmissis, ac piæ mem. Bonifacij Papæ VIII. etiam prædecessoris nostri de vna, & Concilij generalis de duabus dietis, dummodo vltra tres dietas aliquis vigore præsentium ad iudicium non trahatur, ac aliis constitutionibus Apostolicis, priuilegiis quoque, & indultis illis concessis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Viterbij, sub annullo Piscatoris, die 27. Septembris* 1518. *Pontific. nostri anno* 6.

§. II.

1. QVæres, nunquid persuadentes, ne defunctorum parentes vocent fratres ad associandum corpus defuncti ad sepulturam, hac const. comprehendantur.

Respondeo. Sine dubio quòd sic. Tum propter rationis identitatem; Tum quia, concesso maiori, minus etiam concessum esse videtur, *cap. ex parte, el.* 3. *de dec.* Et maius quid est persuadere, ne quis sepulturam eligat, quàm ne aliquid ad sepulturam associent. Puto itaque posse Conseruatores contra Rectores procurantes retrahere fratres, ne corpora defunctorum associent, procedere censuris Ecclesiasticis, per istam const. Potest etiam ad id adduci dicterium illud egregium iuris, Quòd quando aliquid est prohibitum, præsumitur etiam prohibitum omne illud, quoad id perueniri potest: de quo Menoch *tom.* 2. *de præsumpt. lib.* 6. *præsumpt.* 93. Si enim prohibiti sunt Curati retrahere à sepultura eligenda, sunt etiam prohibiti retrahere ab associatione corporum, qua ad ipsam sepulturam peruenitur.

2. Si quæras etiam, quid sentiendum sit de illo nouo inuento, quòd obseruatur in aliquibus Ecclesiis, vt nolint Curati leuare corpora defunctorum, nisi tot Clerici vocentur ad associandum corpus defuncti, quot Regulares.

Respondeo. Meo videri illud statutum habere radices in auaritia: audio enim solùm esse & obseruari in iis locis, in quibus associantibus datur magna aliqua intorcia, seu aliquid, quod sit quid, & cogit fideles ad eleemosynam faciendam; illa enim intorcia datur pro eleemosyna. Et videtur contra priuilegia Regularium, quibus libera sepultura conceditur, quomodo enim libera erit sepultura, si parentes defuncti non possunt vocare speciem monopoli. Ad quæ vellem aduerterent dicti Clerici, & quòd iniustum est locupletari cum alterius iniuria, vel iactura, vt dicitur *in regul. Locupletari*, quæ est 48. *de reg. iuris in* 6. Nec mirentur, quòd eos auaros dixerim; nam de temerarietate argui non potest, qui sequitur maiorum sensum, *c. Ne innitaris, de const.* at Clericos esse auarissimos, docet Glossa *in c. Si pluribus, verbo maioris, de præb. & in c. Quia Nonnulli de Cler. non resid.* Plura Masch. *conclus.* 150. *num.* 2. qui etiam refert quinque, quæ habent Clerici puto prouenire ex turba nepotum; dicitur enim.

Cum factor rerum priuasset fœmina Clerum,
Ad Satana votum successit turba nepotum.

Et taliter dementantur ab istis, vt vix aliquando comedere audeant, vt illos impinguent.

CONSTITVTIO XI.

Quâ concedit, quòd tempore interdicti ordinaria auctoritate appositi, possimus, ianuis apertis, diuina celebrare.

LEO PAPA X. DILECTIS Filiis Correctori generali, & fratribus Ordinis Minimorum, B. Francisci de Paula vbilibet constitutis salutem, & Apostolicam benedictionem.

Supplicatio.

§. 1.  *Vamvis in priuilegiis, & indultis Apostolicis, vobis, & Ordini vestro concessis, inter alia caueatur expressè, & indultum existat, quòd vos omnibus, ac singulis priuilegiis, & gratiis omnibus quatuor Mendicantium Ordinibus quomolibet concessis vti, frui & gaudere liberè, & licitè possetis, & valeretis: & in dictis Mendicantium Ordinum, & præsertim fratrum Minorum priuilegiis inter cætera, vt accepimus, expressè contineatur, quòd ipsi fratres Mendicantes, præsertim Minores, in eorũ Ecclesiis tempore interdicti ordinaria auctoritate pro tempore appositi, etiam ianuis apertis, celebrare possint, & valeant: Et licèt vobis dicta priuilegia Ordinum Mendicantium, concessa, communicata, & ad vos extensa fuerint, vt præfertur; ipsique Mendicantes & præsertim fratres Ordinis Minorum consueuerint, & soliti sint tempore interdicti huiusmodi in Ecclesiis domorum suarum, ianuis apertis, celebrare, & propterea idem vobis iure merito licere minimè dubium sit, cupitis tamen id vobis specialiter denuò concedi, & indulgeri.*

Tempore interdicti, ianuis apertis, possumus diuina officia celebrare.

§. 2. *Nos igitur, qui Ordinem vestrum huiusmodi, illiúsque religiosas personas in visceribus charitatis complectimur, vos specialibus fauoribus & gratiis prosequi volentes. Motu proprio, & ex nostra certa scientia, vobis, vt in quibusvis Ecclesiis domorum vestrarum, nunc, & pro tempore in quibusvis locis consistentibus, tempore interdicti, ordinaria auctoritate appositi, etiam ianuis apertis, diuina officia celebrare libere, & licitè possitis, & valeatis, auctoritate Apostolica, tenore præsentium licentiam, & facultatem concedimus, pariter, & indulgemus.*

Impedientibus pœnas apponit.

§. 3. *Et insuper omnibus, & singulis locorum quorumcunque Ordinariis, quacunque etiam Archiepiscopali, Episcopali, vel alia inferiori dignitate præfulgeant, sub interdicti Ecclesiarum suarum, ac suspensionis à diuinis, necnon quibusvis personis aliis Ecclesiasticis, etiam laicis, ac Parlamentis regiis, vel aliorum DD. temporalium, seu Principum vbilibet constitutis, quamvis auctoritate, & dignitate præfulgeant, sub excommunicationis lata sententia pœnis harum serie expressè inhibemus, ne vos, quominùs in Ecclesiis vestris*

tempore interdicti huiusmodi, etiam ianuis apertis, celebrare possitis, ac vos, & res vestras quascumque quæ sub speciali Apostolicæ Sedis protectione immediatè consistunt, quovis quæsito ingenio, vel colore, perturbare, seu molestare, aut de vobis, & rebus vestris ex quavis causa sese quomodolibet intromittere audeant, vel præsumant; Decernentes nihilominus, eos, qui huiusmodi excommunicationis sententiam incurrere non formidaverint, ab illa absolui non posse, nisi à nobis, aut Sede præfata, præterquam in mortis articulo constitutis.

Decretum irritans. §. 4. *Et insuper irritum, & inane fore quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

Derogat contrariis. §. 5. *Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis literis, etiam Apostolicis, adversus præmissa forsan concessis, quibus, illarum tenorem, ac si de verbo ad verbum insertus esset præsentibus pro expresso habentes, harum serie specialiter, & expressè derogamus, ac quibusvis frivolis appellationibus, etiam desuper forsan interponendis, per quas, & alia quæcumque contraria, literas huiusmodi, & illarum effectum impediri aut suspendi nullo modo volumus, cæterisque aliis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscat. die 6. Sept. 1516. Pontif. nostri anno 4.*

CIRCA CONSTITVTIONEM.

1. NOto, quòd Cafar. *in comp. priuil. ver. Interdictum primum n. 22. versu Circa supradictam const.* putat quòd supradictum priuilegium sit subreptitium; *Nam,* inquit, *ego, qui exactissimam diligentiam apposui circa collectionem priuilegiorum fratrum Mendicantium, & præsertim Minorum, nunquam vidi, nec audiui Romæ, nec alibi (quamvis diligenter quæsierim à patribus doctissimis in huiusmodi) quod tale priuilegium haberent fratres Mendicantes, nec quòd vnquam istud fuerit in vsu.* Et subdit, quòd *super hoc consultus vir doctus, respondit, illud esse subreptitium.*

2. Et verè si hoc priuilegium numquam fuit aliquibus Mendicantibus concessum, non potuit à Pontifice confirmari; nam quod non est, confirmari non potest. Sed huiusmodi priuilegium fuisse concessum Ordini Equitum Ierosolymitanorum à multis summis Pontificibus, quos refert A Surbo *in compend. verbo Interdictum 3. p. 387. versu. Sed aliis Doctoribus*, docent Rodriq. Miran. & alij, de quibus *supra in const. 2. Sixti IV. § 11. num. 52.* Vnde potest esse, quòd error fuerit, non in substantia rei, sed in priuilegiatis, qui error per dispositionem motu proprio suppletur, vt dixi *supra, in const. 4. Sixti IV. §. 3. num. 2.*

3. Deindè quòd non sit hoc priuilegium subreptitiũ probatur. Nam narratiua non est causa finalis illius, sed impulsiua tantùm, licèt enim fortè cum maiori difficultate concessisset, non erat tamen negaturus, ea falsitate non expressa; vt patet ex illa clausula *Motu proprio,* qua indicatur, quòd Papa in eo concedendo, non se fundauit in narratiua, sed in sua mera liberalitate, vt dixi supra *in const. 4. Sixti IV. § 3. n. 1.* Et quòd causa impulsiua falsa non vitiet priuilegium, docent Henriq. *l. 12. c. 3. n. 7.* Syl. *verb. Rescriptum, q. 6. versu Secunda, & qu. 7. versu Primò si;* Couar. *lib. 1. var. cap. 20. n. 5. versu falsitas,* & alij, quos refert, & sequitur Sanctarell. *p. 1. var. resol. q. 51. n. 1.* Non fuit itaque hoc priuilegium subreptitiũ, est tamen reuocatum per Concil. Triden. *sess. 25. de Reg. cap. 12.* iuxta dicta supra *in const. 2. Sixti IV. § 11. num. 50.*

CONSTITVTIO XII.

Quâ conceditur, quòd tempore interdicti, etiam Apostolica auctoritate appositi, possint nostri fratres, non solùm in propriis, sed etiam in alienis Ecclesiis, & etiam in itinere ianuis clausis, celebrare diuina, exclusis excommunicatis, & interdictis, non pulsatis campanis.

LEO PAPA X. DILECTIS Filiis F. Francisco Binet Correctori Generali, ac eius sociis, singulisque fratribus Ordinis Minimorum sancti Francisci de Paula vbilibèt constitutis, & eorum cuilibet salutem, & Apostolicam benedictionem.

Supplicatio. §. 1. *ETsi in priuilegiis, ac indultis Apostolicis, vobis, & Ordini vestro Minimorum concessis, inter alia caueatur expressè, ac indultum existat, quòd vos in Ecclesiis vestris tempore interdicti ordinaria auctoritate pro tempore appositi, etiam ianuis apertis, celebrare possitis, & valeatis: Quia tamen, sicut accepimus, & exhibita nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, summoperè etiam cuperetis, vobis, & vnicuique vestrum per Sedem Apostolicam concedi, vt tempore interdicti, etiam Apostolica auctoritate pro tempore vbilibet appositi, seu apponendi, nedum in vestris, verum etiam in aliis Ecclesiis, & deuotis locis, tam in itinere, quàm alibi, vbicumque vos pro tempore reperiri contigeris, voce tamen submissa, clausis ianuis, & exclusis excommunicatis, ac interdictis, campanisque non pulsatis, admissis singulis vestris sociis, ac fratribus, missas, & alia diuina officia celebrare, ac recitare possitis, & valeatis; ea propter humiliter petiistis, vobis per Sedem Apostolicam huiusmodi prouideri, desuperque salubre remedium adhiberi.*

Tempore interdicti, etiam Apostolica auctoritate appositi possumus diuina celebrare ianuis clausis. §. 2. *Nos igitur, qui ordinem vestrum huiusmodi, ac illius personas in visceribus charitatis amplectimur, vos omnes spiritualibus fauoribus, & gratiis prosequi volentes, vobis, & vnicuique vestrum, vt nedum in vestris, verumetiam in quibusvis aliis Ecclesiis, ac deuotis locis, vbicumque vos pro tempore reperiri contigeris, tempore interdicti, licèt Apostolica auctoritate, sub quacunque etiam verborum forma, nunc, & pro tempore vbilibet appositi, seu apponendi, voce tamen submissa, clausis ianuis, & exclusis excommunicatis, ac interdictis, campanisque non pulsatis, admissis vestris singulis sociis, ac fratribus, in Christi passionis memoriam, ad vestram deuotionem, missas, & alia diuina officia celebrare, ac recitare liberè, & licitè possitis, & valeatis, auctoritate Apostolica, tenore præsentium licentiam, & facultatem concedimus.*

Impedientibus apposuit pœnas. §. 3. *Et nihilominus omnibus, & singulis locorum quorumcunque Ordinariis, quacumque etiam*

Archiepiscopali, Episcopali, vel alia inferiori dignitate præfulgeant, sub suspensionis à diuinis, & ingressus Ecclesiæ, necnon quibusuis personis, etiam Parlamentis regiis, cuiusuis nobilitatis, & præeminentiæ existentibus, videlicet Archiepiscopis, sub interdicti ingressus Ecclesiæ, & suspensionis à diuinis; inferioribus verò sub excommunicationis latæ sententiæ pœnis, harum serie inhibemus, ne vos, quominùs tempore dicti interdicti Apostolici missas, & alia diuina officia modo præmisso celebrare possitis, quouis modo impedire audeant, vel præsumant. Decernentes, eos, qui huiusmodi excommunicationis sententiam incurrere non formidauerint, ab ea, nisi à nobis aut Sede Apostolica, præterquam in mortis articulo constituti, absolutionis beneficium obtinere non posse.

Decretum irritans. §. 4. *Irritum quoque, & inane, si secus super iis à quoquam, quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

Derogat contrariis. §. 5. *Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus, ac quibusuis literis Apostolicis aduersùs præmissas forsan concessis, & concedendis, quibus, illarum tenores præsentibus pro expressis habentes, harum serie specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die 20. Maij, anno 1521. Pontific. nostri anno 9.*

CIRCA CONSTITVTIONEM.

1. Nota, quòd hoc priuilegium, quatenus concedit, quòd tempore interdicti possimus in nostris Ecclesiis, ianuis clausis, excommunicatis, & interdictis exclusis, diuina celebrare, nihil concedat præter ius commune, *cap. Quod in te, de pæn. & rem. & cap. Alma mater, de sent. excomm. in 6.* & dixi *supra in constit. 2. Sixti IV. num. 55.* Quatenus autem concedit, quòd non solùm in Ecclesiis, sed etiam in deuotis locis, & in itinere, admissis sociis, & fratribus nostris ea celebrare possimus, priuilegium est. Et aduerte, quòd per socios intelligo, non fratres, nam hi exprimuntur expressè, sed socios sæculares, vel Ecclesiasticos, nobiscum itinerantes: Et per deuota loca, intelligo Oratoria priuata, & cultui diuino ab habente auctoritatem dicata, vt in eis diuina celebrari possint. Et est in suo robore, nec reuocatum per Concil. Trid. *sess. 25. de Reg. cap. 12.* quod solum prohibet, ianuis apertis, & in publico diuina celebrari, modo dicto *supra in const. 2. Sixti IV. num. 50.*



CONSTITVTIO XIII.

Quâ concedit facultatem Generali, & Prouinciali, ac aliis Superioribus Ordinis Minimorum capiendi Apostatas, & fugitiuos, & mandat excommunicari eos retinere præsumentes.

LEO PAPA X. DILECTIS Filiis Francisco Binet Correctori generali, ac Augustino Cotronen. Prouinciali Calabriæ Prouinciæ, cœterisque singulis Superioribus, nunc, & pro tempore existentibus Ordinis Minimorum Sancti Francisci de Paula, & eorum cuilibet, salutem & Apostolicam benedictionem.

§. 1. *Exhibita nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, quòd cum quandoque contigant, fratres Ordinis vestri Minimorum S. Francisci de Paula debitam correctionem suscipere nolle, & illos, absque licentia Correctoris generalis, seu Prouincialium, aut aliorum Superiorum suorum, à domibus dicti Ordinis recedere, & ad sæcularium domos se conferre, & in eis degere, ac vitam vagabundam ducere, recusantes ad domos vestras cum humilitate redire, ac reuerentiam, & obedientiam debitas suis Superioribus exhibere, excommunicationis, & alias sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas; in tales, tam à iure, quam etiam iuxta dicti Ordinis instituta promulgatas incurrendo, in opprobrium dicti Ordinis, & animarum suarum periculum non modicum, & grauamen; ea propter humiliter petiistis, per Sedem Apostolicam prouideri, desuperque salubre remedium adhiberi.* Supplicatio.

Facultas capiendi apostatas. §. 2. *Nos itaque salutaribus petitionibus vestris libenter annuere, & ita prouidere volentes, quòd excessus huiusmodi non remaneant impuniti, vobis ac singulis vestrum, dicti Ordinis fratres, talia pro tempore perpetrantes, per vos, & familiares vestros, Clericos, & laicos, inuocato adhoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis, capiendi, & ad dictum Ordinem seu ad aliquam domorum eius deducendi, seu deduci, & mancipari faciendi, liberam concedimus tenore præsentium licentiam, & facultatem; Ita quòd, propter captionem fratrum per vos, vel laicos faciendam huiusmodi nullus ex fauentibus censuras, aut aliquam excommunicationis sententiam incurrat.*

Deputat Commissarios. §. 3. *Et nihilominus venerabilibus fratribus Melfiten cæterisque singulis Archiepiscopis, necnon Licien. & sancti Marci, ac aliis Episcopis, Prælatis Ecclesiasticis per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut vnus eorum, per se, vel alium, seu alios F. aliàs I. de Truno, & eius socios tanquam dicti Ordinis Protectori, & generali Correctori huiusmodi inobedientes, & contumaces, ac omnes, & singulos alios dicti Ordinis professores fugitiuos, & apostatas extra dicti Ordinis*

demos

domos per saeculum, seu aliàs, absque dicti Generalis obedientia vagantes, in eorum domibus, vel aliàs occultare præsumentes, aut de illis quovis modo notitiam habentes, ex parte, & auctoritate nostris publicè in Ecclesiis coram populo moneant, quatenus ipsi infra certum terminum, quem ad hoc eis præfixerint, dictum F. aliàs ac eius socios, aliosque singulos dicti Ordinis apostatas, & fugitiuos huiusmodi, vobis seu alicui vestrum, cum omnibus, & singulis libris, literis, instrumentis, ac mulis, cæterisque quibuscunque dicti Ordinis, quæ secum detulere, bonis, etiam cum fauore regio, seù brachij sæcularis auxilio, cum effectu restituant, & reuelent. Quòd si forsan ipsi taliter moniti non adimpleuerint, infra alium competentem terminum, quem ad hoc eis peremptoriè duxerint præfigendum, ex tunc in eos generalem excommunicationis sententiam auctoritate nostra publicè proferant, & eam faciant vbi, quoties, & quando id expedire viderint, vsque ad omnium prædictorum restitutionem, & condignam reuelationem, solemniter publicari.

Derogat contrariis.

§. 4. Singulis etiam literis Apostolicis, ac indultis per præfatum F. aliàs I. dicti Ordinis professorem, ac eius socios, seu quoscumque fugitiuos, & apostatas huiusmodi sub plumbo, vel aliàs à nobis, seu Sede Apostolica, sub qualibet etiam verborum forma subreptitiè, vel obreptitiè forsan impetratis, seu pro tempore impetrandis, quibus singulis, eorum totos tenores hic pro expressis haberi volentes, ac si de verbo ad verbum præsentibus insererentur, etiamsi de ipsis, ac eorum quolibet specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum, & non per generales clausulas, fieri deberet mentio in literis, pro hac vice expressè derogamus; easque F. aliàs I. ac eius sociis, vel aliis quibuscunque dicti Ordinis fugitiuis, & apostatis huiusmodi nullatenus suffragari debere decernimus: Necnon fel. rec. Bonif. Papæ VIII. prædecessoris nostri de vna, & de duabus dietis in Concilio generali editis, dummodò vigore præsentium aliquis vltra tres dietas ad iudicium non trahatur, ac aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis non obstantibus quibuscumque.

Transumptis fidem adhiberi iubet.

§. 5. Cæterùm quia, difficile foret præsentes literas, ad singula loca, vbi expediens fuerit, deferri volumus, & dicta auctoritate decernimus, quòd literarum huiusmodi transumptis, manu publici Notarij subscriptis, & alicuius Cardinalis, Archiepiscopi, Episcopi, aut alterius Prælati Ecclesiastici, vel personæ in dignitate Ecclesiastica constituta, aut dicti Correctoris generalis sigillo munitis, vbicumque illa exhiberi contigerit, ea prorsus, & indubitata fides in iudicio, & extra, vbique locorum adhibeatur, ac si præsentes forent exhibita, vel ostensa. Datum in Villa nostra Manliana, sub annulo Piscat. die 4. Maij 1521. Pontif. nostri anno 9.

§ I.

1. NOto 1. quòd extat huius Pontificis aliud omnino simile priuilegium, quod incipit, *Exhibita, datum Viterbij, sub annulo Piscat. die 26. Sept. anno 1518. Pontif. sui anno 6.* directum F. Michaëli de Comitis Vicegenerali, ac etiam moderno Viceprouinciali Prouinciæ Aquitaniæ, cæterisque Superioribus Ordin. Minim. Quod quia est ferè eiusdem tenoris cum isto, consultò omitto. Habetur tamen *in Archiuio nostro Romano, apud P. Zelosum.*

2. Noto 2. quòd similem facultatem, concessit Iulius II. *in eius constit.* 1. §. 38. Vide quæ noto ad dictum *6. n. 95.* Et pro intelligentia huius const. vide quæ dico *tom. 1. Relig. qu. 1. cap. 26.* vbi declaro, qui dicantur apostatæ, qui fugitiui.

3. Noto 3. vltra notata ibi, quòd qui non iniustè grauatus fugam arripit, peccat omnino mortaliter, tum quia est petra scandali fratribus, & sæcularibus, tum quia subtrahit se à potestate, & dominio Prælati, cui vi status obedire tenetur; tum quia Trid. *sess. 25. de Reg. cap* 4. hos fugitiuos tanquam sui Instituti desertores puniri iubet. Ita Suar. *tom. 4. de Relig. tract. 1. lib. 3. c. 1. n. 2.* Quod Conc. decretum Sixtus V. ampliauit in sua bulla, quæ incipit, *Cum de omnibus*, quam refert Cherub. tom. 2. bull. in constit. eius 71. §. 7. pag. 601. *Præcipiendo vniuersis, & singulis locorum Ordinariis, eorumque Vicariis in spiritualibus generalibus, vt per suos officiales ministros, vel executores curent ab omnibus personis regulari habitu indutis, quas per suas Ciuitates, vel Diœceses iter facere, vel transire, & ad quocumque hospitia, vel diuersoria se recipere contigerit, diligenter perquiri, num literas commendatitias, seu obedientias secum deferant. Quòd si eos dictas literas non habere, vel ignotos esse deprehenderint, possint contra ipsos etiam tanquam dictorum criminum suspectos procedere, & tandiu illos sub custodia detinere, donec certa notitia de eisdem habeatur.* Et Regulares, qui alterius Prouinciæ fratres ignotos sine prædictis literis recipiunt, etiam prætextu pietatis, & hospitalitatis, incurrunt priuationem vocis actiuæ, & passiuæ, & officiorum, ac dignitatum, quas obtinent, & inhabilitationem in futuro. Quod deinde extendit ad recipientes etiam qui de vno in aliud Monasterium eiusdem Prouinciæ proficiscuntur, tam sui, quàm alterius Ordinis, si scilicet ignoti sint. Et aduerte, quòd ista bulla Sixti, & eius declaratoria non sunt reuocatæ per constit. Greg. XIV. quæ incipit, *Circumspecta* apud Cherub. *tom. 2. bullar. in Gregor. XIV. constit. eius* 3. hic enim Pontifex solùm moderauit constit. Sixti quoad illegitimos. Neque etiam sunt reuocatæ per const. Clem. VIII. quæ incipit, *In suprema*, & refert idem Cherub. *to. 3. bull. in Clem. VIII. constit.* 83. solùm enim moderauit quoad nullitatem professionum.

4. Sed quid, si literæ sint in itinere amissæ? Tunc, ait Scort. *in select. bull theor.* 374. quòd satis erit, si secum peregrinantes fide digni de amissione testentur, vel alterius viri grauis scriptum testimonium aliunde afferant, vel aliquod aliud signum, quo vagabundos non esse demonstretur. Et aduerte hic de passu, quòd virum grauem voco: vel qui in dignitate aliqua constitutus est de præsenti: vel aliquando fuerit aliqua dignitate honorificè functus: vel qui honestos habet mores ab adolescentia sua: vel tandem qui ab omnibus persona grauis reputatur. Videatur Men. *lib. 2. de arbitr. cas. 69. & c. Miramur. d. 61.*

5. Noto 4. esse propriè apostatam eum Religiosum, qui vagatur animo ad Religionem non reuertendi, etiamsi habitum eius non deserat, nec habeat animum deserendi. Ita Syl. *vers. Apostasia, q. 4. n. 9.* Armil. *nu. 11.* Angel. *n. 4* Suar. *tom. 4. de Relig. tract. 1 lib. 3. cap. 1. n. 13.* Et constat ex decreto Clem. VIII. de cas. qui possunt reseruari à Superioribus regularibus: quod habes infra, *in Vrb. VIII. constit.* 10 *n. 63.* vbi ponitur apostasia à Religione,

ligione, siue habitu dimisso, siue retento; Et patet, quia qui sic vagatur, non vult ampliùs sub obedientia Prælati manere, ergo simpliciter retrocedit, & consequenter est apostata, quia habitus non facit Monachum, nec est de Religionis substantia. *cap. Porrectum de regular.* Et apostatam esse excommunicatum, dixi cum multis *to. 1. Relig. q. 1. cap. 26. concl.* 1. licèt alij ibi negent, vltra quos Suar. *loco citat. n.* 17.

6. Noto 5. quòd Religiosus, qui exit Monasterio, & absque habitu vagatur, animo tamen ad Religionem reuertendi, etiamsi ad longum tempus vagetur, apostata non est, vt dixi *in Relig. loc. cit. pag.* 314. & DD. ibi adductis adde Bannem, & Aragon. 2. 2. *q.* 12. *art.* 1. licèt contrarium doceat Suar. *loco cit. num.* 21.

7. Noto 6 quòd etiam sine priuilegio possunt Prælati Regulares suos Subditos fugitiuos, & apostatas capere. Ita Nauarr. *comm.* 3. *de Reg. num.* 50. Suar. *tom* 4. *de Relig tract.* 1. *lib.* 3. *cap.* 2. *dub* 2. *num* 16. Anton. Gabr. *comm. op. tom.* 1. *lib.* 3. *tit. De iurisd. num.* 75. Et hoc non solùm, quia illorum iurisdictioni subsunt, sed etiam ratione dominij, vi cuius potest quilibet rem propriam, vbicumque inuenerit, recuperare. Et Dominus potest fugientem seruum propria auctoritate capere, & Religiosus in multis æquiparatur seruo: vt Nau. *loc. cit.*

8. Noto 7. quòd recipientes in domibus suis apostatas, & fugitiuos, vel illos occoltare præsumentes, possunt per hanc const. excommunicari. Et multa similia refert Cruz *lib.* 1. *de statu Relig. cap.* 6. *dub.* 3. *concl.* 2. sed per alias const. pontificias esse eo ipso excommunicatos, probaui *tom.* 1. *Relig. cit. concl.* 5. vbi etiam explicaui, quinam dicendi sint receptatores, ad effectum hanc excommunicationem incurrendi.

9. Noto 8. quòd fugitiui, & apostatæ debent priuari libris, & alijs rebus omnibus suo vsui concessis, vt colligitur ex §. 3. *huius const* & expressè concessit Paul. II. Congreg. Lombardiæ, Ordin. S. Augustin. in quadam constit. relata in eius priuileg. quæ incipit, *diuina dispositione*, data Romæ, apud S. Petrum, *anno* 1469. *Non. Ian. Pontif. eius anno* 6. in quâ etiam concedit, quòd dicti fugitiui, & apostatæ, si quæstuauerint, quæsitus huiusmodi priuentur, & Conuentui, in cuius territorio quæstuauerint, restituantur. Et probari posse puto *ex cap. Abbates* 18. *q.* 2.

CONSTITVTIO XIV.

Quâ concedit, quòd Generalis possit deputare quoscumque Visitatores cum plenaria potestate. Resistentes excommunicat, absolutionem sibi reseruando.

LEO PAPA X. DILECTO FILIO Francisco Binet Ord. Minim. Beati Francisci de Paula generali Correctori, salutem, & Apostolicam benedictionem.

Memorat constit. 5. Iul. II. §. 3. §. 1. *Licèt alias fel. rec. Iul. Papa II. prædecessor noster ad Ordinem Minimorum, illiusque Religionẽ singularem gerens deuotionis affectum, illius propagationem cupiens, tibi, tuisque successoribus dicti Ordinis generalibus Correctoribus per suas in forma Breuis literas benignè concesserit, & indulserit, quatenus super omnes, & singulos dicti Ordinis Fratres, tam Prælatos, quàm Subditos, omnimodam potestatem, & iurisdictionem haberes, & exerceres, illasque iuxta Ordinis Regulæ per ipsum Iulium approbatæ, & confirmatæ tenorem, per tuos Vicegerentes, seu oculatos Visitatores, vbicumque existerent, quoties opus foret, cum plenaria auctoritate tua visitare, ac eos per te, vel Visitatores tuos huiusmodi corrigere, punire, castigare, incarcerare, & excommunicare, ac iteratis vicibus, aggrauare, & reaggrauare posses, & valeres, prout in eisdem literis plenius continetur. Quia tamen, sicut non sine magna animi nostri perturbatione accepimus, modernus Prouincialis dicti Ordinis Prouinciæ Hispaniæ, literis Iulij prædecessoris, ac tua per illas tibi concessæ auctoritati temerè contrauenire non formidant, tuis mandatis, ac literis authenticis, manu etiam tua propria subsignatis, magnóque dicti Ordinis sigillo sigillatis parere, specialémque tuum Vicegerentem, seu Visitatorem oculatum, dilectum filium Hieronymum de S. Ella Hispanum Presbyterum, ac Ordinem huiusmodi expressè professum, per te specialiter deputatum, iuxta dictarum authenticarum literarum tuarum, dictique Ordinis Regulæ tenorem, tuam veluti personam acceptare, ipsique reuerentiam, & obedientiam, vt decebat, exhibere noluit, & contumaciter recusauit, aliáque indebita contra dictum tuum Vicegerentem, & Visitatorem committere non est veritus, in animæ suæ præiudicium, dictique Ordinis scandalum non modicum, & malum exemplum plurimorum.*

§. 2. *Nos attendentes, præcipuum quarumuis Religionum fundamentum obedientiam existere, qua sublata, non Religio, sed confusio potiùs dicenda esset; volentes pro debito pastoralis officij, quo vniuersas Religiones, & potissimum hanc, quæ nostris temporibus, Domino concedente, florere, & vberes fructus producere in agro Domini cœpit, paterna charitate amplectimur, præmissis, ne in deterius serpant, & Ordinem ipsum, ac Regulam labefactare incipiant, opportunè prouidere, ac duram ceruicem ipsius Prouincialis, vt alijs cedat in exemplum, contundere. Motu proprio, & ex nostra certa scientia, auctoritate Apostolica, tenore præsentium dicto Prouinciali Hispaniæ, ac omnibus alijs, & singulis eiusdem, & aliarum quarumuis Prouinciarum vbilibet constitutarum Fratribus Ordinis Minimorum huiusmodi, tam Prælatis, quàm Subditis, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, quam tam impedientes, & contradicentes, quàm consensum, auxilium, vel fauorem directè, vel indirectè præbentes, eo ipso incurrere volumus à qua, nisi à nobis, vel Sede præfata, præterquã in mortis articulo constituti, absolui non possint, districtè præcipimus, & mandamus, quatenus ipsi, & eorum singuli dictum Hieronymum Vicegerentem tuum, cæterosque Vicegerentes, & oculatos Visitatores, per te, & successores tuos dicti Ordinis generales Correctores pro tempore deputatos, iuxta tuarum, tuorum vel successorum huiusmodi literarum tenorẽ, recipere,* Visitatores à Generali missos tenentur Fratres recipere. Vide const. 2. §. 2. Gregor. XIII. infra.

recipere, ac illis, veluti personæ tuæ, parere, & obedire, ac debitam reuerentiam exhibere habeant, & teneantur.

Commissarios deputat. §. 3. *Omnes, & singulos Archiepiscopos, Episcopos, & quasvis alias Ecclesiasticas personas, tam in Regno Hispaniæ, quàm alibi constitutas, quacumque præfulgeant dignitate, harum serie hortantes in Domino, vt præfata Hieronyma Vicegerente tuo, cæterisque tuis, dictorúmque tuorum successorum huiusmodi, opportuno defensionis præsidio assistentes, eum, seu eos, per te, vel successores tuos generales Correctores pro tempore deputatos, seu deputandos iuxta earundem tuarum, vel successorum tuorum huiusmodi literarum tenorem, tuis, dictorúmque tuorum successorum huiusmodi literis, & contentis in eis frui, & gaudere, ac officia Vicegerentis, & Visitatores huiusmodi vti faciant, & permittant; ac ipsum Prouincialem, si quod absit, contumax, & rebellis fuerit, vincula excommunicationis huiusmodi irretitum, per Fratres, & Religiosos, & alios, quibus tu per literas tuas duxeris committendum, capi, & incarcerari, & si opus fuerit ad huiusmodi, auxilium brachij sæcularis inuocari faciant, & procurent, vt de ea per te, vel deputandos à te debita iustitia ministrari possit, & ipse Prouincialis tandem ad cor reuersus, mandatis Apostolicis, & tuis, ac Regulæ, & Ordinis huiusmodi institutis parere discat.*

Derogat contrariis. §. 4. *Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis literis, etiam per nos forsan in contrarium concessis, & concedendis, quas quoad præmissa nolumus Prouinciali huiusmodi, vel cuicumque alteri suffragari, & quibus, illarum tenorem præsentibus pro expresso habentes, harum serie derogamus, cæterisque aliis in contrarium facientib. non obstantibus quibuscumque.*

Transumptis fidem adhiberi iubet. §. 5. *Cæterùm quia difficile foret, præsentes literas in quibusvis locis, vbi opus fuerit, ostendere, vel exhibere, volumus, & eadem auctoritate decernimus quòd transumptis ipsarum, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo dictæ Religionis, vel alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ sigillatis, ea prorsus fides vbique adhibeatur, sicut originalibus literis adhiberetur, & adhiberi deberet, si essent in medio exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 3. Septembris, 1516. Pontificatus nostri anno quarto.*

§. II.

1. NOto primò, quòd obedientia est præcipuum Religionis fundamentum, & ea sublata, non remanet Religio, sed confusio. Vide quæ dico *in dedic. ad Lect. tom. 1. Relig. versu Et quoniam inter.*

2. Noto 2. quòd *tom. 1. Relig. quæst. 1. cap. 18. §. 1.* quæsiui, an posset P. Generalis, semel visitata aliqua Prouincia, eam ad libitum iterum, & quoties illi visum fuerit, visitare. Et respondi, quòd non; non obstantibus istis constit. Iul. Greg. & Leon. quas dixi esse intelligendas, quando vtile, expediens, & necessarium fuerit.

3. Noto 3. quòd aliqui verterunt in dubium, an vigore harum constit. possit P. Generalis instituere Vicarium generalem in partibus Hispaniarum, verbi gratia, qui residendo ordinariam eius haberet auctoritatem. Et non posse, videtur certum; hæ enim constit. solùm loquuntur de Visitatoribus, quibus licèt Generalis possit concedere plenariam suam auctoritatem, vt hic dicitur, est tamen plenaria solùm ad effectum visitationis faciendæ, non ad effectū residendi cum ordinaria potestate, quæ sunt omnino diuersa: Aliud enim est constituere Vicarium generalem ordinariū, qui vices Generalis gerat tempore pacis, & belli, vt ita dicam, & aliud instituere Visitatorem, qui Prouincias visitando, plenariam, seu etiam pro illo tempore ordinariam habeat auctoritatem; & à diuersis non sit illatio; *c. Audientiam de decim.*

4. Si autem quæras, an aliundè habeat P. Generalis potestatem instituendi Vicarium ordinarium cum plenaria, vel limitata facultate.

Respond. De iure communi non esse dubium, iudicem ordinarium, qualis est Generalis, posse suam auctoritatem, vel plenariè, vel limitatè alteri committere; *cap. Pastoralis, de off. iud. ord. & cap. Cum Episcopus, de off. Ord. in 6.* Panot. *in d. cap. Pastoralis, n. 3. & cap. Ex literis, de consang. & aff. num.* 8. Hostien *in summ. lib. 1. de off. deleg. n. 2.* facit reg. *Potest*, quæ est 68. *de Reg. iur. in 6.* in qua dicitur. *Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum.* De iure Regulæ nostræ id etiam est mihi constantissimum; nam in Correct. *num.* 106. statuitur, quòd *P. Generalis, & Prouinciales possint suo loco delegare aliquem Fratrem idoneum ad cuncta sibi subdita loca, pro emergentibus ibidem negotiis.* Deinde additur, *Prædictus etiam Generalis poterit, quoties opus fuerit, ad quascumque voluerit Prouincias, cum sua omnimoda potestate delegare aliquem Fratrum idoneum, suæ potestatis plenitudinem habentem*; illa enim dictio, *Etiam*, est implicatiua, & ampliatiua. *leg. Etiam, ff. de minor. Clem. Religiosus, de procur.* vbi Cardin. *num. 1. & Clem. 1. de testament. §. In quibus, de suppl. negl. Prælat.* vbi etiam Card. atque ita denotat, aliam esse facultatem à iam concessa, vt Nauarr. *in cap Si quando, de rescr. except. 2. n. 2. & 4.* Panot. *in cap. vn. de comm. n* 3. Vnde cum in principio capitis fecerit legislator pares Generalem, & Prouincialem in constituendis Vicariis pro emergentib. negotiis, volens P. Generali maiorem facultatem tribuere, addit, *Prædictus etiam Generalis, &c.* Et quòd talis debeat necessariò esse sensus dicti textus Correct. patet; vt quid enim addit dicta verba *Prædictus etiam*, si per ea non datur Generali amplior potestas? cum potestas pro emergentibus iam data sit ei in Superioribus. Addo, quòd consuetudo, quæ est optima legum interpres, vt dicitur *c. Cum dilectus, de consuetud §. Dictus*, ita semper interpretata est dictum locum Correct. Semper enim Generales post discessum ab Italia instituerunt Vicarium generalem absolutum. Id etiam frequenter, & à multis annis factum est in Hispania, & fieri poterat in Gallia. Quod in facti contingentia, contrariū contendente Prouinciali Neapolitano, *anno* 1626. Romæ fuit decisum hoc pacto videlicet. *Cum anno præterito 1625. mense Nouembris, P. Corrector generalis Ord. Minim. S. Franc. de Paula deputauerit in Vicarium generalem Prouinciæ Neapolitanæ F. Bartholomæum Rosa cum facultatibus, de quibus in eius literis patentibus; & F. Steph. de S. Seuerino Prouincialis eiusd. Prouinciæ, prædictæ deputationi inter cætera obiecerit, Generali non competere hanc facultatem deputandi Vicarios generales. Re ad S.D.N. delata, atque à Sanctitate sua illustriss. Cardinalib. S. Susannæ, S. Sixti, & Bissia commissa; Iidem Cardinales, partibus auditis, ac re diligenter discussa, censuerunt, & decreuerunt, Correctori generali competere eiusmodi facultatem deputandi Vicarios generales in Prouinciis sui Ordinis, quoties expedierit, & ita obseruari mandarunt. Quibuscumque in contrarium non obstantibus. Datum Romæ, die 17. Martij, 1626. Ost. Card. Bandinus. P. Fagnanus Secret.*

5. Noto 4. occasione huius const. quòd visitare Religionem pertinet ad Prælatos ordinarios; *cap. fin. de statu Monach.*

Monachi; nimirum ad Prouincialem, qui tenetur singulis annis suam Prouinciam visitare secundùm laudabilem Religionis consuetudinem, & sacros Can. *cap. Decrevimus*, & *cap. Episcopum*, 10. *q.* 1. *cap. Mandamus, de off. Arch.* Facit Trident. *sess.* 24. *de reform. cap.* 3. *in princ.* & ad Generalem, qui tenetur secundùm eandem consuetudinem de sexennio in sexennium, licèt enim antea de triennio in triennium visitaret; cum tamen Religio, benedicente Domino, creuisset, & non posset Generalis in triennio totam Religionem visitare, extendit Paulus V. ad hunc finem, Generalatum ad sexennium, per suam const. 4. infra, & dixi *tom.* 1. *Religiosi, quæst.* 1. *cap.* 18. §. 1. Si autem necessitas postulauerit, potest Prouincialis, & Generalis, non solùm semel in anno, & in sexennio, sed toties, quoties opus fuerit, Religionem visitare. Anton. 3. *part. tit.* 20. *cap.* 5. *ante* §. 1. Goffred. *in summ. tit. De censibus fino*; & habetur in *cap. Mandamus, de off. Arch.* Postulabit autem necessitas quoad Prouinciales, si, visitatione ordinaria peracta, talis causa emergat, quæ ipsum cogat denuo Conuentum visitare, postulantibus Fratribus illius, vel delicti publicitate. Quoad Generales verò, si maior pars Correctorum, imò maior pars Fratrum Prouinciæ petierit, iuxta dicta *tom.* 1. *Relig. cap.* 18. *concl.* 2. His casibus exceptis, non potest Prouincialis, neque Generalis, semel visitato Conuentu, vel Prouincia, ea ampliùs visitare. Dicunt præfati DD. & habetur expresè in dicto *cap. Mandamus.* Quòd si dicti Prælati, infirmitate, vel aliquo alio negotio impediti, prædictam visitationem per se ipsos facere non possent, poterunt alicui personæ ad id idoneæ id munus committere. Habetur *dicto cap. Episcopum*, & *cap. Inter cætera, de off. Ordin.*

6. Noto 5. quod quando Prælatus ordinarius per aliam Religionem, seu Conuentum, vel Prouinciam visitat, tenentur visitati facere expensas ad talem visitationem consuetas, & necessarias Visitatori. Habetur *in cap. Romana, de cens.* & *in cap. Si Episcopus, de offic. Ordin. in* 6. & tunc non tenentur visitati dare aliquid Prælato ordinario. Habetur *dicto cap. Si Episcopus.* Etsi Prælatus ordinarius, verbi gratia, Generalis, haberet aliquos redditus ad hunc effectum visitationis, tunc visitati non tenerentur prouidere Visitatori, nisi de victualibus, idest de esu, & potu pro Visitatore, & eius familia, ac equis: Cætera autem necessaria, vt equos, vestes, expensas pro itinere pro dicto Visitatore, & sociis teneretur tribuere Generalis ipse, qui ad hunc effectum habet dictos redditus. Habetur *dicta cap. Si Episcop.*

7. Cauere autem debent dicti Visitatores in primis à munerum receptione; *cap. Romana*, §. *Procurationes, de cens. in* 6. vbi dicitur, *Caueat insuper*, Visitator, *ne ipse, vel quisquam suorum aliquod munus, quodcunque sit, & qualitercunque offeratur, præsumant recipere, vt non quæ sua sunt videatur quærere, sed quæ sunt Iesu Christi; Quòd si fuerit contra præsumptum, recipiens maledictionem incurrat, à qua nunquam nisi duplum restituat, liberetur.* Et in Trid. *sess.* 24. *de reformat. cap.* 3. habetur *Nec munus, quodcunque sit & qualitercunque offeratur suscipiant. Non obstante quacunque consuetudine, etiam immemorabili, exceptis victualibus.* Et paucis interpositis, ait: *Quòd si quisquam, quod absit, aliquid ampliùs in supradictis omnibus casibus accipere præsumpserit, is, præter dupli restitutionem, intra mensem faciendam, aliis etiam pœnis, iuxta const. Concilij generalis Lugdunen quæ Incipit, Exigit, cap.* 2. *de cens. in* 6. *mulctetur*: idest inferiores Prælati remaneant suspensi ab officio, quousque de duplo plenariam satisfactionem impendant, nulla eis in hoc dantium remissione, liberalitate, seu gratia valitura. Et peccant etiam mortaliter, vt constat ex illis verbis *maledictionem incurrat*: Et dicit Glossa *in c.* 1. *de decim. in* 6. *in princ.* Excipimus tamen parua esculenta, & poculenta, & etiã xenia, seu eulogias, vt ait Anton. 3. *p. t.* 20. *c.* 5. §. 5. *not.* 19. Nomine autem xeniorum intelliguntur illa munuscula, quæ dantur Prælatis humanitatis, vel vrbanitatis gratia, vt declarant Turrect. & Archid. *in cap. De eulogiis, dist.* 18. Hæc autem munuscula quærere minime debent Prælati, oblata tamen sponté recipere possunt, vt dicitur *dicto cap. De eulogiis.*

8. Cauere etiam debent Visitatores, ne nimis grauent visitatos, in cibo, & potu, quærendo ab eis cibos delicatos, & pretiosa vina, sed debent mediocritate esse contenti, vt aduertit Glossa *in c. Cum Apostolus, verb. Sumptuosè, de de cens.* Vnde Glossa *in c. Cum instantia, verbo Prægrauari, de cens.* dicit, Potum ad tertiam dumtaxat vicem, non ad septimam, vel ad sextam deberi. Videatur Azor. *p.* 2. *lib.* 3. *cap.* 42. Aduerte etiam, quòd si Conuentus aliquis sit adeo pauper, vt non possit prouidere de victualibus dictis Visitatoribus, possunt isti auocare Superiorem, & Fratres illius successiuè in Conuentum commodiorem, Ita refert Anton. *loc. cit. not.* 24. sensisse Hostiens. & ita seruatur in praxi in nostra Religione. Et habetur expresè *in cap. Romana, de censibus in* 6. §. 1.

9. Aduerte etiam, quòd Visitatores debent, quàm citiùs possunt, se expedire, ne grauent subditos in expensis. Quòd præcipitur in Trid *sess.* 24. *de reform. cap* 3. vbi dicitur, *Studeant quamcelerrimè, debita tamen diligentia, visitationem ipsam absoluere, interimque caueant, ne inutilibus sumptibus cuiquam graues, onerosique sint.* Et aduertit Zerola *in praxi, p.* 1. *verb Visitatio, quæst.* 5. *versu Præterea*, quòd non debent Visitatores se occupare in aliis negotiis ad visitationem non pertinentibus: sed debent assiduè laborare, ad hoc vt quam citiùs visitatio terminetur, alioqui ad restitutionem tenerentur, si subditi plusquam solitum expenderent.

10. Aduerte etiam, quòd taxæ, quæ debentur Generali pro expensis, quæ fiunt ab illo inter visitandum, illi non debentur, nisi actu visitet; *cap. Relata* 10. *q.* 1. *c. Procurationes de cens.* Et *in cap. Romana*, § *Deinde de censib. in* 6. Sum. *lib* 5. *de legib. cap.* 15. §. 5. quatenus probat, quod tributa debita Regi propter defensionem Reipublicæ, ei non debentur, nisi Rempublicam defendat. Ex quo probatur, quòd non debentur pitantiæ neque alia donatia Lectoribus, si suo muneri non satisfaciant. Nec potest plus velle sibi dari, quam à Cap. Generalibus determinatum sit Anchar. *d. cap. Procurationes, num* 8. vbi Abbas *num* 6. Quòd si Conuentus velit plus dare, eo quia quantitas determinata temporum, vel locorum varietate vix sufficiat, vel aliqua alia iusta ratione, potest recipere; Anchar. *loc. cit.* modò additum determinatum plus iusto non excedat.

11. Neque dicas, hæc intelligi debere de visitatione, quæ fit ab Episcopis vel aliis Visitatoribus Apostolicis. Nam respondeo, proportionaliter etiam esse applicanda visitationi Regularium, & ab illorum Visitatoribus obseruanda: tum quia Regulares Canones obseruare tenentur: *cap. finali de statu Monach.* §. *Porro*, vbi Abbas *num. primo*, ait: quod Canones simpliciter loquentes, extendunt etiam ad Religiosos. Glossa *in cap. Moniales, de purg. can.* & habetur in nostris constit. *Cap. Genuen.* 5. *n* 8. tum quia id expresè præcipitur in Trid. *sess.* 25. *de Reg. cap.* 8 vbi dicitur. *Teneantur Visitatores suæ Congreg. Monasteria frequenter visitare, & illorum reformationi incumbere, & ea obseruare, quæ in sacris Canonibus, & in hoc sacro Concilio sunt decreta.*

12. Postremò aduerte, quòd dicti Visitatores in singulis domibus Religionis, visitatione absoluta, possunt Religiosis illius Conuentus concedere benedictionem & indulgentiã plenariam, per concessionem Leonis X. f. & Minoribus, de qua Pereg. 1. *p. sui comp. verbo Visitatores*, qui etiam refert viuæ vocis oraculũ, concessum à Greg. XIII. Soc. Iesu: quod tamen nescio, an sit firmatũ ab aliquo Cardinali, iuxta 3. *const Greg XV. infra* Aduertit autem, & bene, dictus Pereg. quòd hæc facultas non videtur reuocata per const. 8. Pauli V infra: nam facultas

concedendi indulgentias non est indulgentia, & ex diuersis non fit unio: cap. ad Audientiam de decimis.

CONSTITVTIO XV.

Quâ concedit quòd Fratres possint se obligare ad suffragia perpetua in genere.

Dilectis filiis Fratribus Ordinis Minimorum B. Francisci de Paula, salutem & Apostolicam benedictionem.

Supplicatio. §. 1.  Vm, sicut nobis exponi fecistis, ex Regola vestra, per nos nuper, cum accumulatione; & concessione quamplurimorum priuilegiorũ, & indultorum, Apostolica auctoritate confirmata, & approbata, caueri dicatur expresse, quòd vos, qui sub perpetua quadragesimali vita, & ex mendicatis eleemosynis viuitis perpetuas Missas, seu aliqua perpetua suffragia pro aliquibus in vestris domibus, & Conuentibus nunc, & pro tempore existentibus, recipere non possitis: Et, sicut eadem expositio subiungebat, nonnulli, ex Fratribus Minimorum Ordinis huiusmodi, forsan dictæ Regulæ ignari, vel eis id licere arbitrantes, nonnullas perpetuas Missas, seu responsoria, & alia huiusmodi suffragia perpetua, pro certis personis, quæ eis pro eorum sustentatione certam pecuniæ summam, vel aliquid aquiuolens erogarunt, acceperint, & in eadem expositione subiuncto, quòd cum Ordo ipse nuper institutus, & approbatus adeo, benedicente Domino, creuerit, & in dies crescat, cumque nihil proprij vobis liceat habere, Christi fidelium prosata suffragia pro sustentatione vestra plurimùm necessario propterea fore noscantur; & in Regula vestra huiusmodi contineantur, quod vltra quinquaginta annos Missas, & suffragia huiusmodi particulariter, & in specie suscipere non debeatis; nobis propterea humiliter supplicari fecistis, vt super iis vobis dè opportuno remedio prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

Fratres possunt se obligare ad suffragia perpetua in genere. Vide supra, in const. 4. Iul. II. §. 4 nu. 18. §. 2. Nos itaque vt Regula vestra huiusmodi illibata seruetur, & animarum saluti Christi fidelium, pia suffragia huiusmodi vobis pro tempore largientium consulatur, prouidere volentes, auctoritate Apostolica, tenore præsentium decernimus, quòd Missas, ac suffragia quæcumque huiusmodi, per vos in quibuscumque domibus, & Conuentibus vestris pro quibusuis personis, & in quauis parte mundi, à quibuscumque & cum quacumque etiam obligatione hactenus recepta, ad quinquaginta dumtaxat annos proximè futuros, particulariter, & in specie recitare teneamini: Finito verò dicto rum quinquaginta annorum spatio in genere Missæ, ac suffragia quæcumque per vos, & pro tempore vbilibet existentes dicti Ordinis Fratres recitanda, eisdem benefactoribus suffragentur, & animarum ipsorum saluti prosint, ac si pro eisdem benefactoribus, tam viuis, quam defunctis, Missas, & suffragia huiusmodi particulariter, & in specie dietim perpetuò recitaretis, ac celebraretis.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die 26. mensis Iunij, 1517. Pontif. nostri anno quinto.

CONSTITVTIO XVI.

Quæ est Canonizatio Sancti Francisci de Paula Ordinis Minimorum Fundatoris.

LEO EPISCOPVS, SERVVS seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

 Xcelsus Dominus militantem Ecclesiam pretiosorum lapidum viuorum, ipsi summo angulari lapidi Christo Iesu vnitorum ornatissima varietate decoratam, structura mirabili fondare disposuit. Deus Ecclesiam fecit pretiosissimis lapidibus constructam.

§. 1. Hinc processere Beati Patriarchæ, qui fide præclari, sanctorum etiam Angelorum susceptores effecti, facie ad faciem Deum videre meruerunt. Hos sequuti sunt sancti Prophetæ, quibus ostendit Deus secreta sua, vt ventura quasi præsentia, Spiritu Sancto illuminati, atque enuntiare potuerint. Cuius primi fundatores fuerunt Patriarchæ.

§. 2. Postquam autem venit plenitudo temporis, & nos in assumpta sibi humanitate, oriens ex alto visitare, nostràque salutis mysteria (iuxta quod prædixerant Prophetæ) adimplere dignatus est, constituti fuere Beati Apostoli, diuinæ legis promulgatores, & prædicatores, qui per orbem vniuersum genus humanum, quod sub diabolica iugo potestatis tenebatur, ad salutem excitantes, Dei verbum in omnibus terræ finibus prædicarunt. Apostoli deinde.

§. 3. Hos subsequuti sunt Martyres splendidi, qui fidei loricam induti; & inconcussa stabilitatis balteo succincti, stolas suas in sanguine innocentis agni lauantes, candidato exercitu Christum Iesum imitati, superna Ciuitatis Hierusalem, hoc est triumphantis Ecclesia cum gloriosa victoriæ palmas manibus gestantes, se dicto viuo lapidi Christo adiunxerunt, sempiternam sui memoriam, & exemplum venerabile militanti Ecclesiæ relinquentes. Martyres.

§. 4. Progressi sunt, & Doctores lucidi, qui suis doctrinis, & exemplis catholicam, & orthodoxam fidem defensantes, falsisque prophetis, ac iniquis doctoribus, fidem ipsam subuertere satagentibus se opponentes, dictam militantem Ecclesiam multipliciter illustrarunt, quibus eadem Ecclesia coniuncta progreditur quasi Aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata. Doctores postea.

§. 5. Sequuntur postea sancti Confessores, qui virtutum gemmis coruscantes, Domino rationem de talentis creditis reposcenti, vtpote fideles, & boni serui Confessores etiam.

serui multiplicatum de suis laboribus fructum attulerunt; & in arcam cælestem reposuerunt, omniaque mundi blandimenta, vt venenum aspidum, fugientes, latibula in terris petierunt, antris abditi, rudi, victu, & scaturientis aquæ leui potu carnem macerantes, tegmine hircino amicti, iunceo, vel stramineo cubili fessis membra somno fouentes, nudis pedibus Dominum quæsierunt æternamque patriam inuenerunt.

Virginesque & Viduæ.

§. 6. *Adsunt & Virgines nitidæ, mundo corpore, sincero corde, sanctaque mente, cum oleo in lampadibus suis sponso, qui est præ filiis hominum speciosus, obuiam venientes: Deuotæ tandem, continentesque Viduæ & alia quam plurima sexus vtriusque persona, piis, ac sanctis operibus semper intenta, cum plenis etiam manipulis, eidem cælesti sponso se repræsentant, cum Angelis gloriam in altissimis Deo, & in terra pacem hominibus bonæ voluntatis mirificè depromentes. Hæc omnia vnus, atque idem Spiritus admirando plurimum operatur ministerio; & sicut Altissimus ab initio vineam suam talibus piis cultoribus, iuxta sanctam promissionem suam, visitauit, firmauit, & auxit, sic semper ad illam suæ protectionis auxilium multipliciter impertitur.*

S Franciscus Religionem fundauit.

§. 7. *Nouissimè verò diebus nostris, cælestis ille agricola vineam suam more solito visitans, virum fortem ad huiusmodi vineæ culturã adduxit, gloriosum scilicet Confessorem B. Franciscum de Paula, superno cætui meritò sociandum. imò veriùs sociatum, qui inter cæteros Christi athletas suis meritis, & exemplis ipsam sanctam Ecclesiam, diuina cooperante gratia, multipliciter decorauit, præsentisq; temporis caliginem suæ lampadis fulgore mirabiliter illustrauit; ipse enim aduersùs mundum, carnem, & dæmonem fortiter dimicauit. ac in odorem suauitatis Altissimi currens, copiosam vtriusque sexus fidelium multitudinem salubriter post se traxit, ac velut effusam super faciẽ terræ religiosã professionis suæ generationem dereliquit, vt ad illuminationem gentium celebris sui memoria, tanquã rutilum sydus, in Ecclesiæ firmamento seruaretur.*

Origo sancti Francisci de Paula.

§. 8. *De cuius quidem origine, vita, moribus, & fama, nec non mirabilibus, quæ in præmium sanctitatis eius Deus mundo multipliciter ostendere dignatus est, ne de tam celebri viro etiam posteritas ipsa remaneat ignara, pauca ex multis duximus recensenda. Constat siquidem in Regno Neapolitano inter Brutios, & Lucanos Paulæ Oppidum situm esse, quod itinere vnius diei à Consentia illius Prouinciæ Metropoli distat. Inde originem traxit Iacobus Martolilla. Illi proximum est castrum Fuscaldi vbi nata est Vienna, quondam ambo in fide Christi baptizati, & confirmati, ac, vt veri Catholici, educandi, qui inuicem secundùm ritum S R.E. matrimonium contrahentes, & vt fideles decet coniuges, mutuam charitatem, vitaque honestatem seruantes, diu cohabitarunt, ex hoc matrimonio B. Franciscus de Paula procreatur.*

A puerilibus annis Religionem diligit.

§. 9. *Qui sacri baptismatis fonte lauatus, & chrismatis sacramento confirmatus, ab eisdemque parentibus sub Dei timore, & amore educatus, insigne specimen sanctitatis futuræ præseferens, solitudinem, & religionem diligere, ac orationibus, & ieiuniis assiduè vacare cœpit; quæ cum eius parentes animaduertissent, ipsum, annum circiter decimum tertium agentem, iuxta votum per eos emissum, domui S. Francisci Ciuitatis S. Marci obtulerunt; in qua puer in sortem Domini electus, anno per eum exacto, nullaque professione emissa, vocatis parentibus, eos, vt se ad Ecclesiam sancti Francisci de Assisio, & sanctæ Mariæ de Angelis deuotionis causa ducere vellent, enixè rogauit, qui pio eius desiderio annuentes, se se itineris comites præbuerunt, quibus Ecclesiis deuotè visitatis in patriam reuersus, idem Beatus, S. Spiritu inspirante, ad Ecclesiam construendam animum adduxit, ipseque primus fundamenta effodere cœpit, quo inter vicinos diuulgato, vndique ad opus iuuandum concurritur, alij operi incumbebant, nonnulli calcem, lapides, cæmenta, & alia id genus futuro ædificio necessaria deportabant. Fertur etiam tunc fratrem quendam S. Francisci habitu indutum, ex improuiso B. Franciscum de Paula increpasse, quòd tam angustam ædem facere incepisset, eamdemque demoliri sibi mandasse, ac aliam maiorẽ designasse, Beatoque Francisco de Paulà asserenti sibi vires ad tam ingens opus perficiendum non sufficere, diuinitùs respondisse, Deum omnipotentem ei nullo pacto defuturum, è vestigioque diruptis muris, euanuisse; vnde non immeritò plerique illum B. Franciscum fuisse existimarunt. Postridie verò nobilis quidam Consentinus superuenit, qui eidem B. pro ædificanda Ecclesia, magnum auri, atque argenti pondus obtulit, vnde iuxtà situs designationem Ecclesiam notabili forma, non paruo sumptu construere cœpit.*

Semper orabat, aut laborabat.

§. 10. *Neque vnquam à laboribus cessabat, nisi cum orationi, diuinisque rebus intendebat, qui etsi vigiliis, continuisque ieiuniis maximè esset attritus, lapides tamen, calcem, & ligna, aliaque ad fabricam necessaria, propriis etiam humeris deferre non desinebat.*

Affabilis erat.

§. 11. *Erat adeo in loquendo humanus, atque affabilis, vt nullus vnquam ad eum accesserit, qui mellifluis eius verbis delectatus, & incredibili quadam sermonis dulcedine captus, & quasi diuino Spiritu repletus ab eo non recesserit.*

Ordinem suum appellauit Minimorum.

§. 12. *Humilitatem eius etiam instituti, per eum Ordinis cognomentum ostendit, quòd vt is omnium minimus esse volebat, ita Minimorum dici censuit & instituit: eiusdem etiam Ordinis Institutor, & generalis Corrector existens, omnium se infimum, quoad poterat, exhibebat, & ad omnia etiã seruilia opera, vt & cæteris humilitatis præberet exemplum, descẽdere non dedignabatur; quippe discipulis suis discumbentibus ministrabat, sæpeq; Ecclesiã & alia verrebat, & mundabat, ac paramenta, & alia ad diuinum cultum necessaria componebat, aliorumque fratrum, etiam nouitiorum, indumenta propriis manibus abluebat.*

§. 13. *Et cum iuuenis adhuc esset Calabriamque incoleret,*

Super ignem spinas &c. ambulabat.

incoleret, nunquam nudis pedibus etiam per glacies, niues, montes, & acuta saxa, vepres, spinasque incedebat, nullámque ex eo, etiam grauissimo sæpe pondere pressus, læsionem in pedibus patiebatur. Ipsum sæpius ignem nudis pedibus conculcasse, ac ignotos, candentesque lapides manibus portasse, liquido constat. Admirabilis erat vita eius austeritas, quæ propterea admirabilior censenda est in pueritia, adolescentia, iuuentute, senecta, & decrepita eius ætate, inter labores, vigilias, ieiunia, abstinentias, innumerásque corporis mactrationes, eundem pene viuendi modum seruauit.

Claruit miraculis, mortuos suscitauit.

§. 14. Horum, & plurimorum aliorum sanctorum operum ratione habita, adeo S. Spiritus gratia hominem complexa est, vt piis eius meritis, & precibus, in Christi nomine dæmones à corporibus humanis sæpius eiecti, pluresque infirmi diuersis morborum generibus oppressi, & iam à medicis destituti, ac morti propinqui pristinæ sanitati restituti fuerint; idemque Beatus aliis compluribus, qui memoria, & sensibus capti, seu intelligentia debilitati erant, sanitatem præstiterit ac multis claudis incessum, surdis auditum, mutis loquelam, cæcisque lumen restituerit, & leprosos mundauerit, nonnullosque mortuos, vel pro mortuis habitos ad vitam, pristinamque lucem reduxerit.

Paulus II. suum Cubicularium ad se inscemandum mittit.

§. 15. Quorum quidem miraculorum fama cum iam per totum ferè orbem vagaretur, & ad aures fel. recor. Pauli II. prædecessoris nostri peruenisset, Cubicularium quendam suum ad bona mem. Pyrrhum Archiepiscopum Consentinensem misit mandauitque, vt ipse super miraculis huiusmodi se diligenter informaret, ac deinde ipsum de veritate certiorem efficeret. Qui quidem Archiepiscopus Pontificis mandato parere desiderans, ac neminem habens, qui talia melius, quam ipsemet Cubicularius, explorare, fideliúsque referre posset, eidem suasit, vt is cum socio, quem ei adiunxit, ad dictum beatum virum se conferret, ac de illius vita, miraculis, & fama huiusmodi plenam informationem caperet.

Cubiculario Papæ præsente ignem manibus accepit.

§. 16. Cubicularius Archiepiscopi fretus consilio, hominem adyt, & cum inter salutandum dicti beati viri manum deosculari vellet, ille omnino renuit, eumque rogauit, vt sibi potiùs manum deosculandã porrigeret, asserens, id multò iustius, & cõuenientius fore, eo quod ipse Cubicularius triginta tres annos iam Presbyter esset; quod Cubicularius memoria repetens, vbi id verum esse cognouit, miratus est hominis spiritum, & cum eo ad colloquiũ in cameram concessit, vbi cum primus sermo de tam ardua, difficilique vita fuisset, vt eam nulli, nisi robusto, ac valido, tolerabilem fore, Cubicularius asseueraret; B. P. audito illius verbo, igni appropinquans, ardentes prunas absque læsione manibus arripiens, dixit; Qui perfecto corde Domino seruiunt, omnia creata illis obtemperant, exterritus ille eo miraculo veniam petijt, cúmque eius pedes humiliter osculari vellet, ipseque vir beatus id recusasset, etiam tunc vestem manu apprehensam deuotè osculans, & ab eo recedens, ad Pontificem rediit, eique miracula, quæ viderat, enarrauit.

Apostema incurabile Iacobi de Tarsia sanauit.

§. 17. Olim etiam vir nobilis Iacobus de Tarsia Baro terræ Bellimontis Consentin. Diœcesis cum grauissimo, & pene insanabili apostemate longo tempore in crure laborasset, insignesque medici, & chirurgi in eo nihil proficerent, quin vlcus illud quotidie ingrauesceret, omnibusque remedijs adhibitis, iam in desperationem salutis res adducta esset, tandem dictus Iacobus fama sanctitatis, & miraculorum beati viri, qui tunc Paulæ degebat, adductus, ad eum non sine magno labore accessit: illique plagam detexit, & se deuotissime commendauit. Primùm siquidem ipsi Beato, & omnibus, qui astabant, vlcus graue, & miserabile, ac penè insanabile visum est: illum tamen Beatus admonuit, vt in Deo firmam fidem, & certam spem haberet, quia sanitatis gratiam consequeretur; ac statim vnum ex suis fratribus misit, qui aliqua folia herbæ, quæ vngula caballina dicitur, & inibi nascitur, colligeret, & cum ipsis foliis certos pulueres, quos in cella sua ipse Beatus retinebat, sibi afferret. Dum frater ille mandata exequitur, beatus vir ad propinquam Crucifixi imaginem conuersus orauit, vt Baroni in sua diuinitatis gratia confidenti, misericordiam suam aperiret, nec multò post foliis, ac pulueribus huiusmodi sibi, vt iusserat, apportatis, facto signo Crucis, aliquantulum de dictis pulueribus vlceri imposuit, illudque tribus ex foliis prædictis cooperuit, & omnia circumligauit, in Domino spem reponens, quòd sanitatem recuperaret; illi ergo benedicens, iussit, vt illicò suam repeteret domum, ad quartumdecimum fermè lapidem inde distantem. Qui cum aliquandiu equitasset, ad vxorem suam Ioannam, quæ illum semper in eo itinere comitata fuerat, conuersus, mihi videtur, inquit, quòd sim sanus, quia acerbum dolorem, & pessimum fætorem ampliùs non sentio, & cum iam certum monticulum superassent, Iacobus auidè cupiens intelligere, an posset ambulare, ex equo descendens, proprijs pedibus ambulare cœpit, & calce terram percutiens, nec aliquid doloris sentiens, se liberum, & sanum intellexit. Deo igitur, & B. Francisco de Paula gratias agentes coniuges, voti compotes ad propria rediere.

Paralyticum & leprosum curauit.

§. 18. Iisdem fermè diebus, in Ciuitate Consentin. fuit quidam Marcellus de Cardilla, pedibus, & manibus contractus, ac totus leprosus, adeò vt iam vocem quasi omnem amisisset, eiusque loquela vix audiretur, qui cum per consanguineos suos ad Paulæ Monasterium adductus, & beato viro præsentatus fuisset, ille misericordia motus, parum secretò orauit, mox verò rediens, eum manu subleuauit, & ab omni membrorum contractu, & lepra incolumem reddidit. Guidonem quoque Lipantum nobilem Consent. grauissima infectum lepra in domo Paterni, quam vir beatus tunc ædificabat, ad se venientem sanitati restituit.

Mutum à natiuitate liberauit.

§. 19. Cum idem beatus vir fabricam domus iuxta Paulæ Oppidum incepisset, adductus est ei quidam à natiuitate mutus, quem cum parentes

parentes eius iuxta Ecclesiam posuissent, dixit eis vir beatus, vt altè secum ter Iesum acclamaret, & ita aperiretur illi sensus; beatò viro inchoante, dictisque parentibus prosequentibus, mutus similiter alta voce dixit Iesus, & inde liber, atque integer vsque ad eius obitum in loquela permansit.

Puellæ cæcæ visum reddidit.

§. 20. *Rursus Iulia Antonij Catalani in dicto Oppido Paula habitantis filia ab ortu cæca, & nihil prorsus videns, cum à parentibus ad beatum virum, qui fortè tunc in horto domus erat, adducta fuisset, idem beatus vir herbam quandam euulsit, eamque signo Crucis facto, super ipsius puellæ oculos apposuit, quæ statim videre cœpit, ac sensu visus tandiu, quandiu postea vixit, freta est.*

Obrutos illæsos reperit.

§. 21. *In fabrica dictæ domus Paterni, cum duo laborantes, terram effodiendo, obruti fuissent, ita vt iam pro mortuis haberentur, ad succurrendum inuocatus vir beatus, à duabus partibus terram effodi fecit, quo facto, dicti laborantes viui, & illæsi sua, vt creditur, gratia sunt reperti.*

Fabas sine igne coxit.

§. 22. *Cum quidam Antonius Architectus ad dictæ domus Paterni fabricam accessisset, & beatus vir, vt pro cibo illi ministrando nonnullæ fabæ coquerentur, cuidam Fratri iuniori inibi existenti mandasset, Frater ille ollam cum dictis fabis, & aqua frigidis in coquina cinerib. superposuit, oblitusq; ignem, quo coquina carebat, aliunde afferre discessit; sed cum vir beatus dictas fabas iam coctas esse credens, vnà cum hospite in coquinam venisset, nullúsq; ibi ignis adesset, dictus Antonius subrisit de dicti Beati præcepto, & eius ferculo, quod nondum coqui cœpisset, cui vir beatus ferculū ipsū paratum esse respondit, tetigitque manu ollā, quæ illicò feruere visa est, statimq; fabæ coctæ fuere, ita vt inde Antonius ipse prandium sumere potuerit, qua de re dictus Antonius, & nonnulli alij tunc præsentes, maxima sunt admiratione affecti.*

Lampadem absque igne accendit.

§. 23. *Idem etiam beatus vir die quadam, more solito Missam audire cupiens, Ecclesiam ingressus est, cumque tunc Ecclesiæ lampas accensa non esset, & aliqui ex his, qui inibi Missæ audiendæ causa aderant, ignem foras quæsitum iuissent, illúmque ipsum afferreat, vir beatus chordam lampadis accepit, vt eam deduceret, illa verò in medio descensu, absque aliquo igne miraculosè accensa, effulsit, ex quo circunstantes candelas, pro Missa tunc celebranda necessarias, deuotissimè accenderunt.*

Filiū viduæ mortuū ferè sanauit.

§. 24 *Cum in terra Montis alti dictæ Consent. Diœcesis, quidam Franciscus ipsius terræ incola, febri adeo vexaretur, vt de eius salute nullam Medici spem promitterent, laboraretque in extremis, ac omnibus Ecclesiæ Sacramentis deuotè susceptis, & candela benedicta more solito accensa, in eiusque manibus posita, à circunstantibus iam pro mortuo haberetur: Tunc Ioanna mater eius ad B. Franciscum de Paula specialem gerens deuotionis affectum, illum lachrymans deprecata est, vt filium suum sanare, ac vitæ restituere dignaretur, vt illius ope tribus suis ex dicto eius filio nepotibus prouideri posset; præterea, si voti compos fieret, se statim huius sæculi vanitatibus omninò renunciaturam, & in habitu tertiæ Regulæ eiusdem Beati Deo perpetuò famulaturā, deuotè vouit, ac promisit; quo voto emisso, statim eius filius, quasi à morte resurgens, circunstātes aspicere, seque melius habere incepit, nec multis postea diebus, pristinæ fuit saluti restitutus, & per triginta ferè annos idem superuixit.*

Oculū albuginem abstulit.

§. 25. *Cum in dicto Oppido Paterni idem beatus vir moram traheret, quidam oculi albuginem patiens, ad eum accessit, humilitérque rogauit, vt sibi opem afferret, cuius precibus motus vir beatus, bombycem sacro latice aspersam super virginem, calcem, quæ fortè pro Ecclesiæ fabrica ibi aderat, conuoluit, & ea oculum macula huiusmodi infectum abstersit, signóque Crucis desuper facto, ab omni albugine, & macula statim liberauit.*

Mortuū in sepulchrū immittendū incolumem reddidit.

§. 26. *Cum quidam dicti Oppidi venatores hyemis tempore, in montibus niuibus repletis, hominem nullum viuentis signum præseferentem inuenissent, illum sepeliendum ad locum detulerunt, vbi tunc beatus vir morabatur, qui in illum respiciens, per charitatem, ait, viuit homo iste; & ad eum conuersus, surge, inquit, & ambula, ad cuius verba homo in sepulchrum mittendus illicò surrexit, ac pedetentim ambulare cœpit, moxque hospitij domum ingressus, ac cibo, & potu refectus, pristinaque valetudini restitutus, ad propria saluus, & incolumis remeauit.*

In fornacem ignis intrauit, & exinde incolumis exiuit.

§. 27. *Præterea in dicto Oppido Paula, dum sui Ordinis domus ædificaretur, & calx in fornace coqueretur, accidit, quòd, vel propter nimium ignem, vel aliam causam fornax ipsa ruinam minaretur, tunc illius magistri, nullum penitus remedium adhibere scientes, ad beatum virum pro auxilio recurrerunt, eique periculum exposuerunt, qui illis, per charitatem, inquit, ad collationem, seu prandium eatis, mihique curam fornacis relinquatis; quibus descendentibus, ipse statim, signo Crucis facto, intrepidè dictā fornacem ardentem intrauit, ac illam solus reparauit, idemque absque læsione aliqua incolumis exiuit.*

Iulium ab euidenti mortis periculo liberauit.

§. 28. *Iulius Bartuchius etiam de Paula, iuuenum multitudine adiutus, post beati viri obitum, è Consentia Castro Paulam versùs eximiæ magnitudinis bombardam transportari curans, additis etiam ad laborem viginti boum iugis, apud quendam decliuem locum, non longè à Paula distantem, Lamachia nuncupatum, funem maximū cuiusdam nauis onerariæ, quo bombarda ipsa alligata erat, cuidam arbori, vt paulatim laberetur, inuoluit, quam cum nec Iulius ipse, neque tot socij propter impetum velocem, qui ex magna molis lapsu ferebatur, retinere valerent, vbi dum idem Iulius, vltra quam eius vires ferebant, nititur, iuxta arborem, cui circumligatus erat funis, prostratus cecidit, pedésque suos intra eiusdem funis orbes inuoluit; vnde cum nullo pacto, nisi munere diuino, quin eius crura frangerentur, euadere posset, arborem amplectens, summa cum deuotione clamauit, ò B. Francisce de Paula, opem*

fer mihi misero, his dictis, mirabile dictu, currus, cui bombarda ipsa imposita erat, in loco præcipiti statim restitit, apparuitque eidem Iulio quidam Frater Ordinis Beati Francisci de Paula, qui tunc funem ipsum manibus retinuit. Idem verò Iulius tanto periculo ereptus omnésque qui illuc, quasi ad spectaculum, conuenerant, miraculum exclamantes omnipotenti Deo, Beatóque Francisco de Paula immensas illicò gratias egerunt, ipséque Iulius ante alios omnes nudis pedibus ad eiusdem Beati viri Monasterium profectus, imaginem suam ceream, fune pedibus implicito, præ deuotione in tanti miraculi memoriam obtulit.

Ardentes titiones manibus propriis ad proximi salutẽ accepit.

§. 29 Cum à quodam F. Antonio Ordinis Minorum professore, viro doctissimo, integerrimæque vitæ, idem beatus vir, etiam in publicis prædicationibus, carperetur, quòd videlicet tam impudens esset, vt simplex laicus, & literarum penitus ignarus, quibusdam herbis ægrotis salutem promitteret; acidit, vt idem F. Antonius ab aliis dicti Ordinis Minorum Fratribus ad eundem Beatum virum missus fuerit, quatenus eum de præmissis redargueret, qui cum ad eum venisset, & magnis illum contumeliis affecisset, increpassétque eius ignauiam, & crassitudinem, vir Dei constantissimus, patientissimúsque tot conuiciis, & iniuriis fractus, ac nec commotus quidem fuit, sed foco appropinquans, ardentes titiones nudis manibus accepit, eosque strictè compressit, ac manifestè ostendit, in Dei virtute omnia fieri posse. At ille prudentissimè prospiciens hominis simplicitatem, & fidem, omniáque ab eo diuina gratia, & ardentissimo fidei spiritu fieri, eius pedibus aduolutus, illos arctè complectens, osculari que satagens, veniam ab ipso humillimè postulauit, neque inde surrexit, donec ab eodem B. P. benediceretur; quod factum est, vt qui antea in illum publicè maledicta plurima congesserat, proprium confessus errorem, beati viri sanctitatem dignis, verísque postea laudibus meritò efferret.

Iussu Sixti IV. ad Regem Franciæ accessit, qui benignè eum recepit, & ei Ecclesiam ædificauit.

§. 30. Quæ omnia cum mirabilem quandam, & rarè auditam viri sanctitatem arguerent, eorúmque celebris fama tum ad claræ mem. Ludouicum XI. huius nominis, Francorum Regem Christianissimum perlata esset, Rex viri beati sanctitate motus, ac ipsum coram videre cupiens, à piæ mem. Sixto Papa IV. etiam prædecessore nostro impetrauit, vt eidem beato viro in virtute sanctæ obedientiæ mandaret, vt ex Calabria in Franciam se conferret, dictumque Ludouicum Regem visitaret, quibus iussis Dei famulus obediens, in Franciam iuit, vbi eum præfatus Rex singulari deuotione suscipiens, seque ab eo benedici postulans, illi tanquam viro Dei magnum honorem, & reuerentiam exhibuit; Cognita deinde viri sanctitate, ei, eiusque Fratribus sedem propè Ciuitatem Turonensem, & Regium Palatium assignauit, amplumque, & magnificam domum cum Ecclesia, quæ in hanc vsque diem extat, pro ipsius Beati Francisci de Paula, suorúmque Fratrum vsu, & habitatione construi fecit.

Regulas tres B. Franciscus instituit.

§. 31. Tanta insuper continentia fuit idem Beatus vir, vt non curæ, sed solo spiritu compactus esse videretur; prius enim, quam ab hac luce discederet, ad omnipotentis Dei laudem, & gloriam, suæque Religionis propagationem, diuina, vt piè creditur, inspiratione instructus, tres Regulas, Fratrum scilicèt, ac sororum, & vtriusq; sexus fidelium tertiariorum nuncupatorum instituit, & vt humilitatis amator erat, illamque à suis etiã coli desiderabat, Fratres sui Ord. Minimos, & Sorores Minimas vocari debere ordinauit, iniunxitque illis, vt decem mandata diuina, & Ecclesiæ præcepta salutaria vigilanter obseruantes, Romano Pontifici pro tempore existenti fideliter obedirent, ac sub obedientiæ, castitatis, & paupertatis, quadragesimalisque vitæ sacris votis, perseueranter viuere profiterentur, nonnullis ad Regularum Fratrum, ac sororum huiusmodi, tam circa personarum ipsarum directionem, & informationem, quàm diuini cultus augmentum, debitam obseruationem, & institutionem, opportunis adiectis capitulis.

Romani Põtifices plurima illi priuilegia concesserunt.

§. 32. Ipsas verò Fratrum, ac Sororum cum decem, dictorum autem vtriusque sexus tertiariorum Regulas cum septem capitulis, per eum piè institutas, reuerendiss. mem. Iulius Papa II. similiter prædecessor noster, eodem beato viro tunc in humanis agente, matura præhabita deliberatione, tanquam Religioni consonas, postquam idem Sixtus prædecessor, ac sanctæ commem. Innocent. VIII. & Alexand. VI. Roman. Pontifices etiam prædecessores nostri, eidem beato viro, eiusque Ordini, ac eius personis, & domibus quamplura priuilegia concesserant, per suas primò, & deinde nos per alias nostras literas approbauimus, & cõfirmauimus, diuersisq; priuilegiis, gratiis, & indultis Ordinẽ ipsum multipliciter communiuimus, prout in ipsorum prædecessorum, & nostris inde confectis literis pleniùs continetur.

Is, præuiso suæ mortis die, sacris susceptis, obdormiuit in Domino in die Veneris Sancto.

§. 33. Cumq; vita sua finẽ iam proximũ diuina inspiratione prospiceret, idem Beatus vir pridie quam decederet, qui fuit dies Cœnæ Domini, pluribus è Fratribus suis, qui ex variis Prouinciis, & Regnis tunc ad eum venerant, astantibus, in Missa Conuentuali, post pœnitentiæ Sacramentum deuotè susceptum, cum profundissima humilitate, vberrimáque lachrymarum effusione, pectus suum percutiendo, Sacrosanctum Eucharistiæ viaticum è manibus vnius ex sui Ordin. presbyteris magna cum deuotione suscepit; postea Domino nostro Iesu Christo, Beatæque Mariæ Virgini, & Sanctis omnibus deuotè peractis gratiarum actionibus, Missaque huiusmodi celebrata, ad cellam suam propriis pedibus, licèt præ senectute debilis, & infirmus, baculo, quem more solito gestabat, innixus rediit. Postero autem die, cum idem Beatus, fidelisque Dei seruus tempus instare videret, quo sibi ex hac lachrymarum valle migrandum erat, dictos Fratres suos ad se conuocari iussit, eosque ad Fraternam pacem, mutuámque charitatem dulcissimis verbis, ac salutaribus monitis charitatiuè exhortatus est, illisque benedictione more solito impertita, cum iam nonagesimum primum, vel circa,

annum

annum feliciter impleuisset, anno à partu virgineo 1507. Aprilis verò die secunda, qua tunc fuit Parasceues, Veneris sancta nuncupata, circa horam qua pro nobis Christus passus est, signo sancta Crucis deuotè signatus, omnibusque sacramentis Ecclesiasticis debitè communitus, perlecta coram eo Dominica Passione, iunctis deuotè manibus, erectisque in cœlum oculis, sancta Crucis triumphum piè amplectens, reuerenterque osculans, ac sapius: In manus tuas Domine commendo spiritum meum, aliásque pias orationes deuotissime repetens, dimissa huius carnis sarcina, quasi viuens, absque aliquo doloris, aut mortis notabili signo migrauit ad Christum.

Miracula post eius obitum Deus edidit.

§. 34. *Cumque tunc per vndecim dies eiusdem Beati corpus insepultum remanserit, illucque maxima virorum & mulierum, ac religiosarum personarum multitudo accesserint, vt sanctum virum, quem viuentē summa fuerant veneratione prosequuti, etiā defunctū viderent, & illius apud Deum suffragia mererentur; mirum omnibus fuit, quòd eius caro per tot dies incorrupta permanserit, nec vllum prorsus fœtorem emiserit, quia potius odor quidem suauiter fragans ab ea manauerit. Post ipsius etiam obitum, multis eius suffragia deuotè implorantibus omnipotens Deus quam plures gratias elargiri, magnaque miracula palam operari dignatus est.*

Rex Franciæ ac alij instíterunt pro Canonizatione.

§. 35. *Propter qua charissimus in Christo filius noster Franciscus, huius nominis primum Francorū Rex Christianissimus, charissimáque in Christo filia Claudia Regina eius consors, qua aliàs coram dicti Ordinis tunc Generali, ac aliis nobilibus personis emisso voto, quòd si gratiam pro masculo assequeretur, in B.P. honorem, Francisci nomen ei imponeret, fulgentissimum puerum in lucem edidit, illique iuxta dictum eius votum Francisci nomen imponi fecit; necnon dilecta etiam in Christo filia nobilis mulier Aloysia de Sabaudia Andegauensis, & Angolismensis Ducissa, Cenomanensisque Comitissa, eiusdem Francisci Regis genitrix, nobis per venerabil. fratrem nostrum Dionysium Episcopum Maclouensem generalem, ac dilectos filios Iacobum Lucam Decanum Ecclesia Aurelianensis, & nobilem virum Antonium Raphi, aliàs de Potom Dominum tēporalem loci de Podio caluario Agenensis Diœcesis, pro nonnullis particularibus ipsius Christianissimi Regis negotiis Nuntios, & Oratores ad nos destinatos, humiliter supplicari fecerunt, vt, pramissis diligenter inquisitis, & exploratis, ad eiusdē B. viri Canonizationem procedere dignaremur.*

Hic ergo Pontifex annuens Canonizationi petitæ. examen & processum fieri mandauit.

§. 36. *Quorum quidem precibus licet libenter annuere vellemus summoperéque gauderemus, huiusmodi Canonizationem nostris temporibus diuino quodam mysterio contigisse, ac nobis aquum videretur; vt idem B. Franciscus de Paula, quē iam Deus in cœlesti gloria Sanctorum Choro dignum fecisse, pluribus, ac manifestis indiciis, & miraculis ostenderat, in terris etiam sibi debito Sanctorum honore non defraudaretur: Ac super eo maximè nobis instaret venerab. frater noster Bernardinus Episcopus Sabinensis, Cardin. S. Crucis nuncupatus, in dicti Ordinis Protectorem ab eodem Beato viro nondum tunc ab humanis egresso assumptus, cumulatissimaque preces nobis, ac venerabil. fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus, per dicti Ordinis tunc Zelosum totius Minimorum Ordin. nomine, super hoc sapius porrecta fuissent, non statim rem tanti ponderis, ac momenti faciendam, sed iuxta veterem, ac laudabilem consuetudinem, cunctanter, maturéque considerandam duximus. Post complures igitur commissiones aula Palatij nostri Aduocato Consistoriali, & Auditoribus causarum eiusdem Palatij super hoc debitè factas, tandem tribus etiam S.R.E. Cardinal. ex tribus illorum Ordinibus videlicet venerab. fratri Nicolao Episc. Albanensi de Flisco, & dilectis filiis nostris Dominico tit. Sancti Bartholomai in Insula Presbytero de Iacobatiis ac Ioannis SS. Cosma & Damiani, (nostro secundùm carnem nepoti) Diacono de Saluiatis, respectiue nuncupatis Cardinalibus, de fratrum nostrorum consilio, & assensu commisimus, vt ipsi, visis, & examinatis processibus editis super eiusdem Beati viri vita, moribus, fama, & miraculis, ante, & post ipsius obitum eius intercessionibus à Deo factis, aliisque cunctis ad Sanctorum Canonizationem huiusmodi necessariis; se super omnibus, ac singulis diligenter informarent, & per eos compertam nostro secreto Consistorio, vt moris est, fideliter referrent. Cumque ipsi Cardinales, visis, ac diligenter examinatis diuersis processibus in partibus Calabria, & Francia, de Sedis Apostolica commissione habitis, & ad Curiam nostram transmissis, testiumque fide dignorum depositionibus pro tanta rei dignitate debitè ponderatis de supradictis miraculis, ac vita sanctimonia, & aliis à iure requisitis, fidelem nobis relationem, in pluribus etiam secretis Consistoriis, iam fecissent, nobisq; ipsorum, & omnium aliorum Cardinalium vota pro facienda dicta Canonizatione, conuenientia, & conformia inuenissimus.*

Eiusque relatio facta fuit in publico Consistorio.

§. 37. *Et pro vlteriori executione dilectus filius Angelus de Casis, vtriusque iuris Doctor, & dicta Aula nostra Consistorialis, Aduocatus, in publico Consistorio omata de ipsius Beati viri vita, moribus, fama, & miraculis, copiosè recensuisset, nobisque humiliter supplicasset, vt ad eiusdem Beati canonizationem, matura deliberatione prahabita, procedere dignaremur. Nos de relatis coram nobis inprimis humiliter Deo gratias agentes, rogauimus omnes in eodem publico consistorio tunc astantes, vt suis orationibus, & ieiuniis Ecclesiam Dei iuuarent, vt, ne eum Altissimus modo aliquo in huiusmodi canonizationis officio errare permitteret, instanter orarent.*

Papa preces ad Deū emitti præcipit & deinde vota pro canonizatione recipit.

§. 38. *Demum post aliquot dies, conuocatis de nouo in Aula nostra consistoriali, in Palatio Apostolico, vniuersis, & singulis, qui tunc aderant in nostra Romana Curia, Ecclesiarum Pralatis, Patriarchis videlicet, Archiepiscopis, ac Episcopis, in prasentia eorundem fratrum nostrorum prafata S.R.E. Cardinalium, eosdem processus super ipsius*

Beati vita, moribus, fama, & miraculis editos, per eundem Angelum breuiter, summariéque repeti fecimus; Qua cum ex serie per Cardinales, ac alios, quibus id munus per nos iniunctum fuerat, enarrata, & exposita fuissent, omnesque astantes Prælati, quid sibi super huiusmodi negotio videretur, interrogati, vnanimi consensu, nullo penitus discrepante, respondissent, sibi videri, quòd idem beatus vir inter Sanctos meritò adscriberetur, & connumeraretur.

Et modò B. Franciscũ Sanctorum catalogo adscribit.

§. 39. Nos iterum humiles omnipotenti Deo gratias agentes, quòd ad beatum seruum suum debitis honoribus prosequendum, corda nostra illuminare dignatus esset; ipsius canonizationis diem Dominicam in Albis nuncupatam, qua in Ecclesia cantatur, Quasi modò geniti infantes, qua tunc occurrebat. 1. die Maij, anno Domini 1519. in qua etiam tunc BB. Apost. Philippi, & Iacobi festum contingebat, deputauimus, ac in Basilica Principis Apostolorum de Vrbe amplum suggestum ligneum de more parari, & exornari iussimus: Super quo quidem hodie, astante populo, ac vniuerso Clero, de vita, miraculis, & fama eiusdem B. Francisci de Paula, humili, deuotionéque pleno sermone per nos, vt moris est, habito, deindeque litania, & hymno, Veni creator Spiritus, per omnia deuotè decantatis: Necnon à Procuratoribus causa ipsius canonizationi, & à Christianissimi Francorum Regis Oratoribus huiusmodi, eiusdemque Ordinis Minimorum tunc vicegenerali Correctore, à nobis magna cum instantia petito, pronuntiari, adscribi inter Sanctos eundem B. Franciscum de Paula. Cum iam omnia consummata essent, omnesque consuetas Ecclesiæ caremonias super ea ritè, seruauissemus, Deum præ oculis habentes, ad canonizationem eiusdem Beati sub his verbis procedendum duximus, & processimus. Ad honorem omnipotentis Dei, Patris, & filij, & Spiritus sancti, ad exaltationem fidei Catholicæ, Christianæq; Religionis augmentum, ac Ordinis Minimorum consolationem, & incrementum, auctoritate D.N. Iesu Christi, beatorumque Petri, & Pauli Apostolorum eius, & nostra, de fratrum nostrorum speciali consilio, & assensu, decernimus, & definimus, bonæ mem. Franciscum de Paula, eiusdem Ordin. Minim. Institutorem, in cælesti Hierusalem inter Beatorum choros iam receptum, æternaque gloria condonatum fuisse, ac SS. Confessorum catalogo adscribendum fore, ipsumque huiusmodi catalogo in præsentiarum adscribimus, & eum tanquam Sanctum publicè, priuatimque colendam esse declaramus, atque mandamus.

Festumque die 2. Aprilis celebrari iubet.

§. 40. Statuentes, eius festum die 2. mensis Aprilis ab vniuersali Ecclesia annuatim celebrandum fore, & ab eo suffragia à Christi fidelibus implorari, & expectari posse, omnesque ac singulos honores illi meritò præstandos, & exhibendos esse, qui cæteris etiam SS. Confessoribus in huiusmodi catalogo descriptis, conuenire noscuntur.

Orationes proprias de Sancto decreuit.

§. 41. Quibus debitè peractis, inchoatoque per nos, ac decantato, & ad finem vsque à Cantoribus prosequuto hymno, Te Deum laudamus, in illius etiã fine, Cardinali Diacono in cantu dicente, Ora pro nobis B. Francisce de Paula, à choroque responso, Vt digni efficiamur promissionibus Christi, nos illicò propriam orationem de eodem Sancto alta voce decantauimus, dicentes.

Oratio prima.

§. 42. Seruitutis nostra tibi, Domini, iura soluentes, quæsumus, vt B. Brancisci de Paula Confessoris tui patrocinio suffragante, in nobis tua dona multiplices, & ab omnibus tuearis aduersis. Per Christum Dominum nostrum; Deinde verò à dicto choro responso Amen, solemnem illic Missam nos ipsi celebrauimus dicta tunc currente Dominica in Albis, collectas singulas sub vna conclusione terminantes, additis etiam prædicta cæterisque specialibus eiusdem S. Francisci de Paula collectis immediatè sequentibus, pro secreta videlicet.

Secreta.

§. 43. Hostias, Domine, tuorum suscipe populorum, quas tibi in B. Francisci de Paula festiuitate dicamus, vt nobis conferant tua propitiationis auxilium; cum sua conclusione, videlicèt Per Dominum, &c. Deinde verò post communionem subiunximus dicentes.

Post communionem.

§. 44. Cælesti, Domine, sacramento consolati, te supplices deprecamur, vt intercedente B. Francisco de Paula ab omni nos mentis, & corporis labe custodias, & per ipsum tua sentiamus indulgentia largitatem; cum simili conclusione. Et ita Missam ipsam ad finem vsque cum solitis caremoniis, iuxta ordinarium Apostolicum, illic debitè terminauimus, indulgentiamque plenariam omnibus officio huiusmodi tunc assistentibus deuotè concessimus, ac etiam in loco sepulturæ eiusdem S. Francisci de Paula, in depositionis sua die, videlicet 2. Aprilis huiusmodi perpetuò duraturam, quadraginta annorum, totidemque quadragenarum indulgentiam annuatim condonauimus, ad laudem, & gloriam omnipotentis Dei: qui in Sanctis suis mirabilis, & gloriosus viuit, & regnat benedictus in sæcula sæculorum.

Transumptis fidem adhiberi iubet.

§. 45. Cæterùm quia difficile foret præsentes originales literas ad omnium notitiam deferri, volumus, & decernimus, quòd earundem transumptis, manu Notarij publici subscriptis, sub sigillo venerab. fratris nostri Paridis moderni, & pro tempore existentis Episcopi Pisaurensis, ac caremoniarum Magistri, vel alicuius alterius Prælati Ecclesiastici, fides adhibeatur indubia in omnibus, ac per omnia, & illis vbique stetur, ac si originales literæ huiusmodi essent exhibitæ, vel ostensæ.

Apponit pœnas.

§. 46. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum processus, voluntatis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ, apud S. Petrum anno Incarn. Dom. 1519. 1. Maij Pontif. nostri anno 7.

CIRCA

CIRCA CONSTITVTIONEM.

1. NOto primò, quòd canonizatio propriè dicta est publicũ Ecclesiæ testimonium de vera sanctitate & gloria alicuius hominis iam defuncti, & simul est iudicium, ac sententia, qua ei decernuntur honores illi, qui debentur cum Deo feliciter regnantibus. Ita Bellarm. *tom. 2. contron. 4. de Eccles. triumph. lib. 1. c. 7.* & D. Thom. *quodlib. 9. art. 6.* dicit, canonizatio Sanctorum & honor quem Sanctis exhibemus, & quædam professio fidei. Differt autem canonizatio à beatificatione in quatuor, nimirum tanquam prius, & posterius, tanquam particulare, & generale, tanquam totum, & pars, & tanquam solemne, & minùs solemne. Beatificatio enim propriè dicta est antecedens ad canonizationem, & exhibitio particularis, non omnium honorum debitorum Sancti, sed aliquorum, & omni loco, sed alicubi tantùm, & multò minorem solemnitatem requirit, quàm canonizatio; In reliquis quando aliquis declaratur Beatus à Papa, iam etiam Sanctus est, sicut enim omnis, qui decedit in gratia, apud Deum Sanctus est: Vnde Sanctus, & Beatus sæpius in scriptura confunduntur, vt patet in confessione, quæ fit quotidie à Sacerdotibus, vbi dicitur, Confiteor Deo omnipotenti, Beatæ Mariæ semper Virgini, Beato Michaëli Archangelo, Beati Ioanni Baptistæ, Sanctis Apostolis Petro & Paulo, &c.

2. Noto 2. quod honores, qui debentur Sanctis canonizatis ab Ecclesia, sunt septem, vt Bellarm. *loc. citato* 1. est quòd qui canonizantur, inscribuntur in catalogo Sanctorum, idest statuitur ac iubetur, vt ab omnibus publicè habeantur, & dicantur Sancti. 2. Inuocantur in publicis Ecclesiæ precibus. 3. Templa, & aræ in eorum memoriam dicantur Deo. 4. Sacrificia, tam Eucharistiæ, quam laudum & precum, quod vulgo officium, siue horæ canonicæ nuncupantur, in honorem eorum Deo publicè offeruntur. 5. Dies Festi in eorum memoriam celebrantur. 6. Pinguntur eorum imagines, addito certo quodam lumine, in signum gloriæ, quam habent in cœlis. 7. Eorum reliquiæ speciosis thecis includuntur, & publicè honorantur.

3. An autem per canonizationem acquiratur Sanctis maior gloria. Dico, acquiri maiorem, non essentialem, qua incapaces sunt ratione status, sed multam accidentalem.

4. Si quæras, cuius est Sanctos canonizare. Respondeo, canonizare Sanctos vniuersaliter, ita vt in tota Ecclesia habeantur pro Sanctis, ad solum Summum Pontificem pertinet. Habetur *in cap. Audiuimus, & in cap. Cum ex eo, de reliq. & ven. Sanct.* vbi Innoc. Io. Andr. Panorm. & cæteri Canonistæ. Canonizare autem particulariter Sanctos, itavt solùm in vna Prouincia, aut Diœcesi habeantur pro Sanctis, olim poterat quilibet Episcopus, vt docet Thom. Valdens. *lib. de Sacrament. tit. 14. cap. 122. num. 2.* Sed hodie hæc facultas est Episcopis ablata, vt patet ex *dictis cap. de reliq. & ven. Sanct.* Ita Bellar. *tom. 2. contron. 4. de Eccl. triumph. lib. 1. cap. 8.*

5. Si quæras vlteriùs, quæ debeant concurrere, ad hoc vt aliquis in Sanctorum numerum per canonizationem adscribatur.

Respondeo, Id expressisse Summum Pontificem Gregorium IX. in canonizatione S. Antonij de Padua, in sua constit. quæ incipit, *Cum dicat Dominus*, & refert Cherub. *tom. 1. bull. in const. eius 4. in cuius §. 3.* ait: *Nos attendentes, quòd licèt adhoc vt aliquis Sanctus sit apud Dominum in Ecclesia triumphante, sola sufficit finalis perseuerantia, iuxta illud: Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Adhoc tamen vt Sanctus habeatur apud homines in Ecclesia militante, duo sunt necessaria; Virtus morum, & veritas signorum, merita videlicet, & miracula, vt hæc, & illa sibi adinuicem contestentur, cum nec merita sine miraculis, nec miracula sine meritis plenè sufficiant ad perhibendum inter homines testimonium sanctitatis: Sed cum merita sana præcedunt, & clara succedunt miracula, tunc certum præbent indicium sanctitatis, vt nos ad ipsius venerationem inducant, quem Deus ex meritis præcedentibus, & signis subsequentibus exhibet venerandum; quæ duo ex verbis Euangelistæ plenius colliguntur, illi autem profecti prædicauerunt vbique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Hæc dictus Greg.*

6. Noto 3. quòd merita Sancti canonizandi probantur 1. laboribus multis, castis moribus, strenuis actibus, & præconiis bonæ famæ, vt definitur in *c. Miramur, dist. 61.* ibi: *Pro laboribus multis, &c.* deinde simplicitate, & humilitate; Iacobi enim 4. dicitur: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Tertio pluribus persecutionibus, *cap. Omnis, qui 7. q. 5. Et cap. Quærendum, de pœnit. d. 2.* dicitur, quòd: *Sanctitas manet in sanctis, quamdiu mortale corpus gestant, vt bonis insistant actibus, voluntariam paupertatem diligant, mansuetudinem sequantur, pro æternorum desiderio lugeant, esuriant, & sitiant iustitiam, misericordiam, munditiam cordis, tranquillitatem pacis amplectantur, & pro obseruatione persecutionem pati non vereantur, eleemosynis, orationibus, cæterisque fructibus spiritus insistere desiderent.*

7. Noto 4. quòd miracula, quæ requiruntur ad aliquem Sanctum canonizandum, debent habere quatuor conditiones. 1. quòd ex Deo, non ex arte, contingant, nec ex diabolo, nam miracula fiunt quandoque per malos, *cap. Teneamus, 1. q. 1. & cap. Prophetauit, 2. quæst. 7. §. Item Balaam*, 2. quòd sint supra naturam, sicut de virga Mosi mutata in colubrum, & de asina loquente ad Balaam; *cap. Cum ex iniuncto, §. Cum igitur, de hæreticis.* 3. quòd non ex vi verborum, sed hominis merito contingant, nam panis, & vinum virtute verborum miraculosè transsubstantiantur in corpus, & sanguinem, vt *in cap. Quia corpus, de consecr. dist. 2.* Quarta, quòd sint ad corroborationem fidei; nam & herba transit in vitrum ministerio hominis, sed propter hoc fides non corroboratur. Ita Hostiens. *in summ. tit. De reliq. & ven. Sanct. lib. 3. num. 3.*

8. Quòd si quæras, quare bona vita sine miraculis non sufficiat, nec miracula sine bona vita. Respondeo, hoc 2. non sufficere, quia miracula possunt etiam fieri virtute dæmonum, & à malis hominibus, vt dixi. Primum autem fore sufficeret quoad virtutem, sed non sufficit quoad Ecclesiam: Quia tales in secreto potuerunt laxiorem vitam ducere. Innoc. *in cap. Audiuimus, de reliq. num. 1. fine.*

9. Noto 5. quòd catholica veritas est, Ecclesiam non posse errare in canonizatione Sanctorum. Ita Bellarm. *tom. 2. contron. 4. lib. 1. cap. 9.* Garcia *in digress. de canonizat. Sanct. §. 13.* Azor. *p. 2. lib. 5. cap. 6. quæst. 5.* D. Thom. *quodlib. 9. art. 16.* qui in arg. *Sed contra*, ait: *In Ecclesia non potest esse error damnabilis, sed hic error esset damnabilis, si veneraretur tanquam Sanctus, qui fuit peccator, quia aliqui scientes peccata eius, crederent hoc esse falsum, & si ita contingeret, possent ad errorem perduci. Ergo Ecclesia in talibus errare non potest.* Illud dicterium, quòd Augustino tribuitur, Multorum corpora honorantur in terris, quorum animæ torquentur in gehenna: ait Bellarm. nunquam in operibus Augustini se illud potuisse reperire. Potest nihilominus intelligi de impiis, qui honorantur superbissimis sepulchris, cum tamen eorum animæ torqueantur in gehenna. Vel de corporibus fraude aliqua suppositis pro corporibus Sanctorum. Vel denique de martyribus Donatistarum, qui honorabantur ab hæreticis vt martyres, cum eorum animæ reuera torquerentur in inferno.

CONSTI

CONSTITVTIO XVII.

Quâ mandat celebrari Festum S. Francisci de Paula sub ritu duplici, & in Ecclesiis Ordinis nostri cum Octaua.

LEO PAPA X.

Institutio festiuitatis cum Octaua.

LIcèt per alias nostras literas S. Francisci de Paula Ordinis Fratrum Minimorum Institutoris festum ab vniuersali Ecclesia die 2. Aprilis annuatim celebrandum fore statuerimus; Quia tamen de cætero eiusdem S. Francisci de Paula festum huiusmodi etiam cum octaua celebrari volumus, idcirco vniuersis, & singulis Archiepiscopis, Episcopis, & aliis quibuscumque Prælatis Ecclesiasticis, quatenus ipsi, & eorum singuli S. Francisci de Paula festum huiusmodi cum officio proprio, cum illud de Sedis Apostolicæ mandato ordinatum fuerit, alias cum officio vnius confessoris non Pontificis, cum propria oratione, in eius canonizatione à nobis edita die 2. Aprilis huiusmodi; nisi tunc occurrat maior hebdomada, vel octaua Paschæ, & tunc 2. feria post octauam Paschæ huiusmodi, in suis solemniter, in dictorum verò Fratrum Minimorum Ecclesiis singulis sub ritu festi duplicis, & cum octaua annuatim celebrent, seu celebrari faciant, & mandent expressè Apostolica auctoritate committimus, & mandamus per præsentes.

Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 25. Martij, 1521. Pontificatus nostri anno nono.

CIRCA CONSTITVTIONEM.

1. NOto 1. quòd circa celebrationem officij Sancti Francisci de Paula dixi multa *in nostro Rituali*, ante dictum officium.

2. Noto 2. quòd in orationibus dicti Sancti non est necesse addere, De Paula, vt constat *ex Breuiario reformato à Clem. VIII.* Et fuit nouissimè declaratum à sacra rituum Congreg. sub hac forma. *Cum Religiosi Ordinis S. Francisci de Paula in Litaniis, Orationibus, versiculis, cæterisque actibus inter diuina officia occurrentibus, quotiescumque nomen ipsius Sancti inuocandum sit, aliqui patriam ipsius, nempè, De Paula, apponant, aliqui verò nequaquam. Vt vniformis in eadem Religione, cultus appareat, suppliciter à sacra rituum Congregat. petierunt, declarari, an prædicta verba, De Paula, debeant in huiusmodi precibus apponi Sacra Congregat. respondit, non debere. 23. Decemb. 1624. Francisc. Card. à Monte, Io. Bapt. Rinuccinius Secretarius.*

CONSTITVTIO XVIII.

Quâ concedit, quòd, si requisitus Episcopus Diœcesanus pro nostrarum Ecclesiarum consecratione recusauerit; eas consecrari facere possimus à quocumque Episcopo, & quòd Superiores possint Ecclesias, & ornamenta pro eis necessaria benedicere, & Ecclesias, & cœmeteria reconciliare.

LEO PAPA X. DILECTIS FILIIS Generalibus, & Prouincialibus, Vicariis, necnon Guardianis, Fratribus Ordinis Minorum de Obseruantia nuncupatis, salutem, & Apostolicam benedictionem.

REligionis honestas suadet, & deuotionis vestræ promeretur affectus, vt vos Apostolici fauoris suffragio prosequendo, precibus vestris, præsertim commodum, & decorem Ordinis vestri concernentibus, prout possumus, fauorabiliter annuamus. Procemium.

§. 1. *Cum ita sicut nobis nuper exponi fecistis, dudum fel. rec. Sixtus Papa IV. prædecessor noster, vobis, vt paramenta, & ornamenta Ecclesiastica, & corporalia, & alia, in quibus chrisma non interuenit, benedicere possitis, gratiosè concesserit, & ab illo tempore in possessione benedicendi paramenta, & corporalia huiusmodi, secundùm limitationem inter vos in Capitulis vestris factam, fueritis; Ac in diuersis etiam remotis partibus, & insulis de nouo ab infidelibus recuperatis, diuersæ domus Ordinis vestri constructæ existant, & in dies construantur, & ordinarii locorum non semper in suis Ciuitatibus, & Diœcesibus resideant, & interdum in remotis agant, & sæpius contingat, loca, & cœmeteria earundem domorum sanguinis effusione, seu alias populi, ac illarum Fratres non semper Ordinarios locorum pro illis reconciliandis adire possint, imò quandóque illis graue, seu dispendiosum existat, ad illos, quandóque per tres dietas ab eorum domibus distantes, accedere: Nobis humiliter supplicari fecistis, vt, cum piæ memoriæ Iul. Papa II. etiam prædecessor noster dilectis filiis Fratribus Ordinis Minimorum indultum Ecclesias, & cœmeteria sua benedicendi, & reconciliandi concesserit, ac interdum aliqui ex iis, præsertim in remotis agentes, quandóque per duas dietas distantes adiri nequeant, vobis super his opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.* Supplicatio.

§. 2. *Nos igitur, qui religiosarum personarum vota, per quæ eorum dispendiis obuiatur, ac commodis, & profectibus prouidetur, studio charitatis libenter prosequimur, huiusmodi supplicationibus inclinati, vobis, & pro tempore existentibus Generalibus, & Prouincialibus, ac Guardianis, & Fratribus vestri Ordinis, & obseruantiæ, vt Ecclesias, Oratoria, & loca quacumque recepta, & recipienda, nondum consecratas, seu consecrata,*

Recusante Diœcesano Episcopo, possumus nostras Ecclesias ab alio quocumque consecrari facere. Vide constit. 2. Iul. II. §. 1. à num. 44.

ſecrata, facta prius requiſitione ab Epiſcopis locorum, eiſque recuſantibus, vel negligentibus, per quemlibet alium Catholicum Epiſcopum, gratiam, & communionem dictæ Sedis habentem, conſecrari facere.

Superiores poſſunt cœmeteria Eccleſiæ benedicere, & cœmeteria reconciliare. Vide 2. par. noſtri Ritual. notab. 4. 7. 8. & 9.

§. 3. *Ac veſtri Ordinis Generalibus, & Prouincialibus, Vicariis, & Cuſtodibus, ac Guardianis pro tempore exiſtentibus præfatis, vt omnia, & ſingula eiuſdem Ordinis & Obſeruantiæ Eccleſias cœmeteria, ac Capitula, & Oratoria vbicumque exiſtentia, receptas & recepta, & recipiendas, ſeu recipienda, ac paramenta, & ornamenta, ac alia quæcumque ad diuinum cultum, & vſum veſtrum neceſſaria, in quibus chriſma non interuenit, pro veſtro vſu tantum, ſolemni benedictione, ac etiam per Vicarium, ſeu Guardianos, ſeu alios ad hoc à vobis in veſtris Capitulis generalibus prouidè deputandos, benedicere, ac illas, ſeu illa, & eorum quodlibet ſanguinis, ſeu ſeminis effuſione, ſeu aliàs quomodolibet pollutas, ſeu polluta, quoties opus fuerit, aqua per vos, præſertim in locis remotis, vbi Epiſcopum aquam benedicentem per duas dietas diſtantem adire non poteritis, benedicta, reconciliare liberè, & licitè valeatis, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus, & indulgemus.*

Derogat contrariis.

§. 4. *Non obſtantibus quibuſuis Apoſtolicis, ac in prouincialibus, & ſynodalibus Conciliis editis generalibus, particularibus conſtitutionibus & ordinationibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.*

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 3. Febr. 1514. Pontif. noſtri anno 2.

CONSTITVTIO XIX.

Quâ concedit, quòd poſſint expelli ab Ordine, qui fuerunt maculati in ſæculo grauibus delictis, & moniti in profeſſione, ea tacuerunt.

LEO PAPA X. DILECTIS filiis Vicariis, generalibus, & Prouincialibus, ac fratribus, vniuerſis familiæ, fratrum Minorum de Obſeruantia vbilibet conſtitutis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Supplicatio.

§. 1. *CVM, ſicut nobis exponi feciſtis, vos ab illis, qui Ordinem veſtrum Minorum de Obſeruantia ſuſcipere, & ad illum ingredi cupiunt, inquirere, antequam à vobis recipiantur, ſoleatis, videlicèt ſi ſint fideles, & Catholici, de nullo errore ſuſpecti, matrimonio non ligati, corpore ſani, animo prompti, debitis expediti, conditione liberi, ætatis ſaltem ſexdecim annorum, nulla infamia vulgari maculati, competenter literati, vel ad labores fratribus honeſtos, & vtiles aut talis conditionis exiſtant, quòd eorum receptio Clero, & populo non modicam ædificationem, afferat. Et, ſicut eadem expoſitio ſubiungebat, contingat ſæpius, quòd aliqui in eorum ad huiuſmodi Ordinem ſuſceptione, quod maius eſt, profeſſione, dolosè, & fraudulenter reticeant ſeſe criminoſos, vel ſcandaloſos fore, licèt in rei veritate aliter exiſtant, & eorum receptio, & profeſſionis emiſſio propter grauia, & vulgaria, quibus maculati exiſtunt, delicta, de quibus vos recognitionem, & notitiam tunc habere non potestis, graue ſcandalum, & perturbationem Religioni veſtræ huiuſmodi nonnunquam afferunt. Quare cum ex taciturnitate delictorum, & grauium exceſſuum huiuſmodi, veſtræ Religionis, & animarum, & conſcientiarum veſtrarum puritatibus, vitaq; veſtra exemplaris norma, grauis nonnunquam etiam in Chriſti fidelibus populis murmuratio de perceptione talium virorum facinoroſum, ſcandaloſorum, de quibus vos, vt præmittitur, tunc nullam notitiam habeatis, ſcandala, & murmurationes, & bonorum operum ſubtractiones ſubſequantur; nobis propterea humiliter ſupplicari feciſtis, vt vobis in præmiſſis; ad obuiandum tot, & tantis ſcandalis, pro Religionis veſtræ, & animarum veſtrarum puritatis conſeruatione prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.*

Diffamari ſcandaloſis delictis à Religione expelli poſſunt.

§. 2. *Nos itaque veſtram Religionem, quæ, Domino concedente, inter alias vberrimos bonorum operum fructus exhibere conſueuit, in ſua puritate manere, ac tot murmurationibus, & ſcandalis obuiare volentes, vobis, quòd omnes, & ſingulos ad veſtram Religionem confugientes, etiam profeſſos, qui grauiſſimis, & ſcandaloſis delictis notati, & diffamati fuerunt, quæ fraudulenter, & dolosè in eorum receptione, ſeu profeſſionis emiſſione (monitione ſuper his per vos præmiſſa) tacuerunt, non obſtante, quòd iam per vos recepti, & profeſſiones per eos emiſſæ fuerunt, ne morbida, & infecta pecus ouile Domini corrumpat, aliiſque cedat in exemplum, à domibus & Conuentibus veſtris, prout conſcientiæ veſtræ, quam ſuper hoc oneramus, viſum fuerit, & iuſtum, & honeſtum fore decreueritis, expellere, & remouere liberè, & licitè poſſitis, & valeatis, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam, & facultatem concedimus, paritérque indulgemus.*

Derogat contrariis.

§. 3. *Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, & Ordinis veſtri huiuſmodi iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcat. die 15. Martij, 1516. Pontif. noſtri anno 4.*

§. II.

1 NOto 1. circa illam clauſulam, *Prout conſcientiæ veſtræ*, &c. quòd per iſtam clauſulam non tollitur facultas Superioribus cauſam ſubdelegandi alteri, quia non relinquit deciſionem cauſæ conſcientiæ Superiorum

tiorum, quo eam subdelegare non possent, sed illa clausula est apposita super toto negotio; unde satis est, quòd in eligendo Vicarium ad illam causam, non faciat contra conscientiam propriam. Ita Panorm. *in cap. Cum in veteri, de elect. num. 4. & in cap. Quoniam, §. Is autem, de off. deleg. num. 7.*

2. Noto 2. quod ubicunque super aliquo actu oneratur per Superiorem conscientia Commissarij, non potest de iustitia, vel iniustitia referri ei quæstio, & si appellatur, non tenetur Commissarius appellationi deferre, ex quo enim conscientiæ suæ relictum est, appellatio nec causam ad Superiorem devoluit, nec Commissarij potestatem suspendit. Superior tamen, ad quem est appellatum, emendare tenebitur, quod malè factum est. Quo pacto potest impugnari processus iniustus factus ab illo, cuius conscientiæ negotium commissum est. Ita Panorm. *in Clem. Ut constitutio, de iure patron. num. 4.* Et nota hic, quòd si dictis delictis diffamati sua crimina non tacerent in professione, sed ea manifestarent, vel Fratribus essent nota, non possent per istam const. à Religione expelli, quia Papa hanc facultatem concedit solùm pro his, qui interrogati tacuerunt, ut constat *ex isto §.*

§. III.

3. NOta circa illam claus. *non obstantibus quibuscumque consuetudinibus*, quòd per illud signum universale *quibuscumque* putant aliqui, derogati non solùm consuetudini viginti, aut centum annorum, sed etiam immemorabili; nam signum universale valet ac si singulas expressisset. Ita Henriq. *lib. 7. de indulg. c. 27. num. 5.* Sed per hanc eandem clausulam positam in Concil. Trid. *sess. 24. de reform. cap. 20.* declaravit sacra Congreg. *anno 1575. & 1580.* non derogari immemorabili consuetudini; refert Henriq. *loco cit.* & Gonzal. *ad reg. 8. Cancell. glossa 33. num. 5.* Quare neque etiam per similem clausulam positam in constitutionibus Pontificum, immemorabili consuetudini derogatur, nisi de ea expressa fiat mentio. Pro ista const. videnda sunt, quæ dixi *tom. 1. Relig. cap. 25. §. 3. versu Advertendum tamen.*

CONSTITUTIO XX.

Quâ concedit, quòd dicendo unam missam, satisfaciant Regulares omnibus eleemosynis acceptis pro pluribus celebrandis, si hæ summam unius Iulij papalis non excedant.

LEO PAPA X. DILECTIS filiis Vicariis generalibus, & universis fratribus Ordinis Minorum de familia, seu observantia, nunc, & pro tempore ubicumque degentibus, salutem, & Apostolicam benedictionem.

Supplicatio. §. 1. CUm, sicut accepimus, propter devotionem, quam utriusque sexus Christi fideles ad Ordinem fratrum Minorum de Observantia gerunt, contingat sæpius, ut fideles ipsi plures Missas per eosdem fratres celebrandas, elargita eis aliqua eleemosyna, committant, & in aliquibus regionibus in eleemosynam celebrationis unius Missæ certa pecuniæ quantitas valde parua, & tenuis dari consueuerit, adeo quòd vos, ob eleemosynam, quæ singulariter à pluribus elargitur, tot missas, quot sunt largientes, pro singulis celebrare non valentis; unde dubitatis super his conscientias vestras prægrauari. Quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum ut vobis, & pro tempore existentibus fratribus Ordinis, & Obseruantiæ prædictorum, & conscientiarum vestrarum puritati, paterna cura, de benignitate Apost. prouidere dignaremur.

§. 2. *Nos itaque qui Ordinem vestrum propter uberes, & salutiferos fructus, quos Ordo ipse in agro Domini in dies producere non cessat, in visceribus charitatis gerimus; vestrisque in hac parte supplicationibus inclinati, vobis, ac pro tempore existentibus fratribus Ordinis, & obseruantiæ prædictorum; quòd celebrando unam Missam dumtaxat (si eleemosina æquivalens unius Iulij non elargitur) etiamsi duas tres, aut quatuor, vel plures Missas celebraturi occasione diuersarum, vel plurium eleemosynarum huiusmodi essetis, & in dicta celebranda Missa, pro omnibus, qui pro dictis Missis in eleemosynam usque ad summam huiusmodi contribuerint in futurum, commemorationem in genere faciendo in genere faciendo in hoc conscientiarum vestrarum puritati satisfactum sit, auctor. Apost. decernimus, pariter & indulgemus.* Concedit prout in summario.

§. 3. *Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apost. ac quibusuis literis Apost. per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores nostros prædicto Ordini sub quibusuis verborum formis, & expressionibus, aut clausulis, quantumcunque fortissimis, & insolitis concessis, & concedendis, quibus, tenores illarum, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, in quantum præmissis contrariari viderentur, specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.* Derogat contrariis.

§. 4. *Cæterùm quia difficile foret præsentes ad singula loca, in quibus opus esset, deferri, volumus, & dicta auctoritate decernimus, quòd illarum transumptis, manu alicuius publici Notarij subscriptis, & sigillo alicuius Vicarij Prouincialis Ordinis huiusmodi communitis, tanta fides adhibeatur, quanta adhiberetur præsentibus, si essent exhibita, vel ostensa in medium. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscat. die 23. Martij, 1517. Pontif. nostri anno 5.* Transumptis fidem adhiberi iubet.

§. II.

1. NOta, quòd Cæsar. *in comp. priuil. verb. Missa 3. §. 14.* putat, quòd ista constitut. sit subreptitia, & quòd non debent ea uti fratres, & quod nullius est valoris. Rodriquez tamen *tom. 1. q. reg. q. 43. art. 17. concl. 3.* valere probat. Nam, inquit, Papa potest rationabili de causa concedere, ut pro una Missa recipiantur plura stipendia, etiam sufficientia, ergo multò magis potest concedere

concedere, vt possint sumi plura non sufficientia. Antecedens est Arag. 2. 2. q 85 *art. 5. versu Dico 2. pag.* 659. Cordub. *q. theol. q. 4. dub. 3.* Et probatur, sicut enim potest ex causa rationabili relaxare obligationem iuramentorum, votorum, pactorum, & promissorum inter homines ad hæc teneantur, *cap. 1. de decim. in 6.* ita etiam potest hoc casu absoluere ab obligatione, & promissione celebrandi plures Missas, & pro illis concedere, vt vna tantùm, vel pro Missis collectæ celebrentur. Causa autem rationabilis, quæ semper supponitur, nisi contrarium constet, potest esse paupertas aliquorum Religiosorum, ex quorum recollectione in Conuentibus magna vtilitas, & bonorum exemplorum, & literarum Ecclesiæ Dei proueniat. Imò potest dici, quòd etiam sine priuilegio id possit fieri, quando stipendium Missæ est taxatum, vel speciali statuto, vel consuetudine, modò recipiens specialiter, & expresè non promisisset pro illo paruo stipendio Missam celebrare: nam tunc teneretur ratione promissi.

CONSTITVTIO XXI.

Quâ concedit, quòd vtriusque sexus fideles satisfaciant præcepto Ecclesiæ, audiendo Missam in Ecclesiis Fratrum Mendicantium.

LEO PAPA X. VNIVERSIS, & singulis præsentes literas inspecturis, salutem & Apostolicam benedictionem.

Declarat prout in summario.

§. 1. *Intelleximus, quosdam in dubium reuocare, & proinde timoratis conscientiis scrupulum inijcere, si Christi Fideles qui Dominicis, & festis diebus extra Ecclesias suas Parochiales Missas audiunt in Ecclesiis Fratrum Ordinis Mendicantium, Ecclesiæ præcepto de Missa audienda satisfaciant. Nos enim ambiguitatem huiusmodi penitùs tollere volentes, vt cum sinceriori conscientia fideles quique Deo creatori suo seruiant, auctoritate Apostol. tenore præsentium notum facimus, omnes Christi fideles vtriusque sexus, qui (non contempto proprio Sacerdote Parochiali) in Ecclesiis Fratrum Ordinis Mendicantium, Dominicis, & festis diebus Missas audiunt, satisfacere præcepto Ecclesiæ de Missa audienda, nec aliquam labem mortalis peccati, pœnamve propterea incurrere. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.*

Transumptis fidem adhiberi iubet.

§. 2. *Et quia difficile foret præsentes literas nostras originaliter ad loca omnia, vbi opus fuerit, deferri, volumus, & decernimus, vt earum transumptis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Prælati in dignitate Ecclesiastica constituti munitis, ea fides, vbi opus fuerit, detur, quæ originalibus ipsis daretur, si exhibita forent, vel ostensa. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die 13 Nouembris, 1517. Pontificatus nostri anno quinto.*

§. I.

1 Noto 1. quòd similem declarationẽ fecit Pius V. *in sua const. 7. §. 10. infra*, quibus non est derogatum per Concil. Trid. *sess. 24 cap. de reform.* quatenus, ait: *Moneat Episcopus populum diligenter, teneri vnumquemque Parochiæ suæ interesse, vbi commodè id fieri potest, ad audiendum verbum Dei.* Nam præterquam quòd Concilium non loquitur de Missa, sed de concione, verbum illud *moneat* videtur correspondere simili monitioni, quæ fieri præcipitur *sess. 22 decr. de obseru. & euit. in celebrat. Miss.* vbi dicitur: *Moneant Episcopi populum, vt frequenter, saltem Dominicis diebus, & maioribus festis ad suas Parochias accedant* vbi non includitur præceptum aliquod; quod etiam annuitur *dicta sess. 24.* quando dicitur *vbi commodè id fieri potest*, verbum autem illud *teneri*, hoc loco potest optimè explicari de honestate non de necessitate, sicut explicatur aliquando verbum, *Debeat*, quod habet eandem significationem, vt Panor. *in c. 1. de dol. & cont. num. 7.* Adde, fuisse declaratum à sacra Congreg. Concilij, quòd non potest Episcopus vigore Concilij Trid. mulctis, & pœnis etiam in casu notabilis negligentiæ, & contumaciæ; cogere populum ad audiendam Missam, & sacram concionem in Ecclesia parochiali, nec pueros ad discendam doctrinam Christianam, etiamsi hoc fieri voluerit in Oppidis, Villis, aut aliis locis extra Ciuitatem. Refert ex parte Zer. *1. p. prax. verb. Prædicatio, num. 4.* Adde denique consuetudine generali introductum esse, vt Christi fideles censeantur satisfacere Ecclesiæ præcepto audiendi diebus festiuis Missam, quocumque loco audiant; quam consuetudinem Episcopus tollere non potest; cum vim legis generalis habeat vnde excommunicatio; quam ferret contra eam, esset nulla. Nau. *in sum. cap. 21. n. 5.* Rodr. *tom. 1. quæst. regul. q. 43. art. 7.* Regin. *in praxi, lib. 19. num. 22.* Gutier. *lib. 1. canon. quæst. c 30 num. 22.*

2. Noto 2. circa illa verba *non contempto proprio Sacerdote*, quòd tunc solum censetur contemptus proprius Sacerdos, quando expresè, & formaliter contemnitur, & planè deseritur Parochia, scilicèt quando quis non vult audire Missam in sua Parochia, quia sua Parochia est, nec vult eam audire à proprio Parocho, quia præ sè Parochus est alioquin auditurus. Cæterum etiamsi nunquam audiat Missam in propria Parochia, non peccat, quacumque occasione, etiam leuissima, id faciat; imò etiamsi nulla; sed solùm quia sic videt esse in consuetudine: In foro tamen exteriori quandoque poterit censeri proprij Parochi contemptor, qui sine causa debita, aut longitudinis, aut difficultatis, aut maioris aliarum Ecclesiarum commoditatis, frequenter, aut semper Parochiam deserit. Ita Azor. 1 *part. lib. 7. c 6 q 4. versu Deinde quæres*, Gutier. *loc. cit. n 8. & 15.*

CONSTITVTIO XXII.

Quâ declarat, quod sorores tertij Ordinis vouentes etiam simplicem continentiam, gaudeant priuilegiis, etiamsi in propriis domibus habitent.

LEO PAPA X. AD FVTVRAM rei memoriam.

§. 1. *Nuper in sacro Lateranens. Concilio, in reformatione priuilegiorum Religiosis concessorum, inter alia statuimus, quod Fratres, & Sorores tertij Ordinis, necnon Mantellati,* Memorat const suam in § 1. Vide sup in const. 4 Sixti IV. § 7. à n. 31.

Corrigiati, Pizochara, Cordellati, & quocumque nomine nuncupati, in propriis domibus habitantes, sepulturam, vbi voluerint, eligere valeant; sed dte Paschatis tantùm Eucharistiam, ac extremam-vnctionem, ceteráque Ecclesiastica Sacramenta (pœnitentia Sacramento dumtaxat excepto) à proprio Sacerdote recipere, & ad onera, qua laicis incumbunt, perferenda teneantur. Et, ne censura vilescat Ecclesiastica, & minoris auctoritatis interdicti sententia reputetur, iidem dicti tertij Ordinis ad diuina audienda nullatenus admittantur, si causam dederint interdicto, vel ipsam causam nutriant, aut foueant, aut damibus auxilium, consilium, vel fauorem quoquo modo praestiterint. Collegialiter verò viuentes, seu cum claustralibus habitantes, ac mulieres virginalem, seu cælibem, aut castam vidualem, expresso voto, & sub dicto habitu vitam ducentes, priuilegiis, quibus Fratres Ordinis, cuius tertia Regula habitum gestant gaudere debeant, prout in constitutione dicti Lateranen. Concilij, eodem approbante Concilio, desuper edita plenius continetur.

Vide Clem. Cum ex eo. de sent. exc.

Declarat prout in summario.

§. 2. Cum autem, sicut accepimus à quibusdam nimium curiosis vertatur in dubium, an votum praedictum de voto solemni Religionis intelligatur, cum illud tria substantialia comprehendat, obedientiam scilicet, paupertatem, & castitatem, & circa dictas mulieres virginalem, seu castam, & vidualem vitam ducentes, de virginitate, & castitate tantummodo mentio fiat. Nos ad tollendum omne dubium, motu proprio, & ex certa nostra scientia, ac de Apostolica potestatis plenitudine, harum serie decernimus, & declaramus, quòd in praemissis de voto solemni Religionis minimè intelligi debeat, ita vt mulieres virginalem, aut cælibem vitam simpliciter vouentes, etiam in sanguineorum, & affinium suorum, aut propriis domibus, vel seorsum habitantes, priuilegiis, & immunitatibus praedictis in omnibus, & per omnia frui, & gaudere debeant.

Derogat contrariis.

§. 3. Non obstantibus omnibus illis, quæ in dicta constitutione nostra volumus non obstare, caterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscat. die 1. Martij, 1518. Pontific. nostri anno sexto.

CONSTITVTIO XXIII.

Quâ prohibet sub pœna excommunicationis ipso facto, ne Religiosi possint conueniri coram iudice, qui de Ordine suo non sit, & quòd non possint appellare à correctione suorum Praelatorum.

LEO PAPA X. VNIVERSIS, ET singulis præsentes literas inspecturis, salutem, & Apostolicam benedictionem.

Proœmium.

Romani Pontificis, in quo, diuina dispositione, potestatis plenitudo consistit, prouidentia circunspecta, statum personarum quarumlibet, præsertim sub Religionis iugo degentium, diligenter intendens, ad ea partes sua sollicitudinis interponit, per quæ earundem personarum paci, quieti, & tranquillitati valeat prouideri, & ad ea, quæ propterea proinde statuta, & ordinata dicuntur fuisse, vt firma perpetuò, & illibata persistant, Apostolici muniminis adiicit firmitatem, aliásq; desuper ordinat, & disponit, prout, personarum, & temporum qualitate pensata, id conspicit in Domino salubriter expedire.

Supplicatio.

§. 1. Sanè per dilectum filium nostrum Thomam tit. S. Sixti Presbyterum Cardinalem, ac Magistrum generalem totius Ordinis Prædicatorum nobis expositio, quòd licèt olim Bonif. I X. In sua obedientia nuncupatus, statuerit, & ordinauerit, quòd nullus ex Fratribus Ordinis Prædicatorum, aut Sororibus sub obedientia eorundem Fratrum degentibus, aliquem, seu aliquam ex Fratribus dicti Ordinis, vel sororibus sub dicta obedientia coram aliquo iudice, qui de dicto Ordine non esset, ex quacumque causa conuenire, seu conueniri facere, nec à correctione quacumque seu alias ab aliquo Prælato, seu Fratre dicti Ordinis, quauis occasione, vel causa appellare, aut contra eos querelam proponere posset, aut deberet, nisi priùs causam Prouinciali, seu Conuentuali Priori, & Magistro, & successiuè in Capitulo generali dicti Ord. causam, vel querelam suam verbo, vel in scriptis proposuerit, prout in literis desuper confectis plenius contineri dicitur. Nihilominùs nonnulli Fratres, & Sorores Ordinis, & obedientiæ huiusmodi eorum priuilegiorum suarum Prouinciar. m, personarum, vel totius Ordinis Conseruatoribus, vel Camera Apostolica Ciuitatis nostræ Auenion. vel aliis Ecclesiasticis, aut sæcularibus iudicibus, seu Curiis conuenire; Nonnulli etiam à correctione, vel absolutione suorum officiorum appellare non formidant, vnde Ordo prædictus laboribus, & impensis plurimis grauatur, obedientia, & vita regularis eneruatur, pluráque alia inconuenientia sequuntur.

Fratres non possunt appellare à Superiorum sententia, nec alios conuenire, &c.

§. 2. Nos, qui ad Ordinem prædictum illiusque personas singularem gerimus deuotionis affectum, eiusque statum tranquillum plurimùm desideramus, literarum prædictarum tenorem præsentibus pro sufficienter expresso, & inserto habentes, statutum, & ordinationem huiusmodi, prout concernunt omnia, & singula in dictis literis contenta, auctorit. Apostol. motu proprio, & ex certa scientia, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere, & inuiolabiliter obseruari decernimus; supplentes omnes, & singulos defectus, si qui forsan interuenerint in eisdem: Ac pro potiori cautela omnia, & singula etiam sub excommunicationis latæ sententia pœna eo ipso incurrenda, auctoritate præfata, tenore præsentium statuimus, & ordinamus.

Iudices Ecclesiastici non possunt recipere querelas Fratrum

§. 3. Inhibentes sub eadem pœna quibusuis iudicibus Ecclesiasticis, & sæcularibus, etiam Conseruatoribus priuilegiorum dicti Ordinis, aut quarumcunque personarum, Congregationum, aut domorum, & Monasteriorum huiusmodi, &

Camera

Camera Apost. Auenionen. ne querelas huiusmodi fratrum, & sororum contra alios fratres dicti Ordinis suscipiant, vel de eis cognoscant.

Annullat causas, & processus. *§. 4. Et causas coram eis pendentes ad ordinarios iudices dicti Ordinis remittant, ac quoscunque processus inter fratres, & sorores praefatos coram aliis, quàm iudicibus ordinariis dicti Ordinis habendos, & sententias faciendas, nullas, & inualidas, nulliusque roboris, vel momenti fuisse, & esse, sicque per quoscunque iudices, & Commissarios, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, in qualibet instantia pronunciari, & definiri debere, sublata eis, & cuilibet eorum aliter interpretandi, & iudicandi facultate, & auctoritate; ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.*

Commissarios deputat. *§. 5. Et nihilominus uniuersis, & singulis venerab. fratribus nostris Archiepiscopis, Abbatibus, & aliis personis in dignitate Ecclesiastica constitutis, nec non metropolitanarum, & aliarum cathedralium Ecclesiarum Canonicis committimus, & mandamus, quatenus ipsi, aut eorum quilibet, dum, & quoties pro parte singulorum Prouincialium, & Priorum, ac aliorum Superiorum dicti Ordinis fuerint requisiti, literas nostras, ac omnia, & singula praemissa, quibusuis iudicibus Ecclesiasticis, & saecularibus, etiam Conseruatoribus priuilegiorum dicti Ordinis, aut cuiuscumque eius Prouinciae, vel Congregationis inuiolabiliter obseruari faciant; contradictores per censuras Ecclesiasticas, & alia iuris remedia compescendo, inuocato, si opus fuerit, auxilio brachij saecularis.*

Derogat contrariis. *§. 6. Non obstantibus fel. rec. Bonifacij Papae VIII. praedecessoris nostri, quibus inter alia cauetur expressè, ne quis extra suam Ciuitatem, vel Diaecesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis ultra unam dietam à fine Diaecesis, ad iudicium euocetur, seu ne iudices à Sede praefata deputati, extra Ciuitatem, vel Diaecesim in quibus deputati fuerint, contra quoscunque procedere, aut alij vices suas committere, praesumant; Et de duabus dietis in Concilio generali editis, necnon de personis ultra certum numerum ad iudicium non vocandis, & aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, priuilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis praedicto, & quibusvis aliis Ordinibus, Prouinciis, Congregationibus, & personis, cuiuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint, concessis, confirmatis, & approbatis, quibus, tenores illorum, ac si de verbo ad verbum praesentibus insererentur, pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè, motu proprio & scientia praemissis derogamus, ac nulli in praeiudicium missorum suffragari volumus; aut si aliquis communiter, vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.*

Transumptis *§. 7. Et quia difficile foret praesentes literas originaliter ad omnia loca, in quibus opus esset, deferri, volumus, & praedicta auctoritate decernimus; quòd earum transumptis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius in dignitate Ecclesiastica constituti munitis, ea fides indubia, in iudicio, & extra, vbicunque opus fuerit, adhibeatur, quae originalibus ipsis adhiberetur, si essent exhibita, vel ostensa. Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscat. die 29. Aprilis 1518. Pontif. nostri anno 6.* fidem adhiberi iubet.

§. I.

1. NOto primo, quòd constitutio Bonifacij IX. de qua hic, refertur à Conf. *in Bonif. IX. const. 1.* quae incipit, *Sacra Religionis.* Et circa id, quod prohibetur, ne fratres possint recurrere ad tribunalia, quibus non subduntur, etiamsi Ecclesiastica sint, vide quae dixi *tom. 1. Relig. quaest. 1. cap. 26. concl. 3.*

2. Noto 2. circa id, quod dicitur, quòd Fratres non possint appellare à correctionibus suorum Praelatorum, id intelligi, quando secundùm Regulam corriguntur, iuxta ea, quae dixi *tom. 1. Relig. citat. concl. 2.*

3. Noto 3. quòd non possunt Fratres appellare seu quoquo modo Superiores, aut alios confratres trahere ad tribunalia saecularia, sub poena excommunicationis latae sententiae Pontifici reseruatae, & poena priuationis vocis actiuae, & passiuae, per const. Greg. XIII. quae incipit, *Ex pastoralis officij*, quam habes infra, *in eius constit. 2. §. 3.* vide quae ibi noto.

§. IV.

4. NOto primo, circa illam clausulam. *Sic per quascunque sublata eis aliter iudicandi, &c.* quòd constitutio data cum ista clausula, facit, quòd iudices aliter iudicare non possint. Tusch. *verb. Clausula, concl. 344 num. 7.* quòd si contrarium fiat, processus est ipso iure nullus, Tusch. *ibidem concl. 345.*

5. Noto 2. circa illam clausulam *Irritum, ac inane, &c.* quòd ista clausula ex natura sua, etiamsi non ponerentur ibi ista duo aduerbia Scienter, vel Ignoranter, etiam ignorantes ligat; Ant. Gabr. *lib. 6. concl. tit. De clausu. cap. 3. num. 1.* & habetur *cap. 1. versu Adijciebatur, de concess. prob. in 6.* vnde solùm ponuntur ad omnem dubitationem tollendam; idem Gabr. *num. 2.* & hoc procedit, siue constitutio sit facta motu proprio, siue non, siue iustè, siue iniustè, siue causa cognita, siue causa non cognita. Idem Gabr. *n. 7.* Qui tamen *n. 8.* eam limitat quoad poenas; quia tunc ignorantes non ligat. *cap. Si beneficia, de praeb. & dig. in 6.* Tollit etiam ista clausula vires sententiae & eius executionem impedit; Gabr. *num. 51.* & quidquid fit contra istam clausulam, est ipso iure nullum. Gabr. *num. 57.* vnde si Papa in confirmatione statutorum hanc clausulam apponat, statuentes non possunt dicta statuta sic confirmata reuocare, nec interpretari, aut declarare. Gabr. *num. 58. & 59.* Aduerte etiam, quòd priuilegio habenti istam clausulam non potest renuntiari, etiam de consensu partium. Mandos. *in tract. de monit. num. 46. verb. Exemptum à iurisd.*

CONSTITVTIO XXIV.

Quâ concedit facultatem alienandi de consensu duarum partium Conuentus in euidentem vtilitatem.

LEO PAPA X. DILECTIS filiis Generali, ac vniuersis prouincialibus Ministris Ordinis Minorum regularis Obseruantię, nunc & pro tempore existentibus, sal. & Apost. bened.

Facultas alienandi cum consensu maioris partis Conuentus.

§. 1.  *VM sæpe numero accidat, quòd pro vrgenti necessitate, aut aliqua euidenti vtilitate, bona immobilia Conuentuum, locorum, ac Monasteriorum monialium Prouinciarum vestrarum respectiuè commissarum, alienare, vel permutare expedit, & ea se offert opportunitas, quæ semel prætermissa magnam affert iacturam. Nos hoc paterno affectu considerantes, indemnitati, & vtilitati Monasteriorum, Conuentuum, & locorum huiusmodi, quantum cum Deo possumus opportunè consulere cupientes, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, vobis, vt pro emergentibus necessitatibus, & euidentibus vtilitatibus Conuentuum, & locorum vestri Ordinis, & Monasteriorum monialium Ordinis S. Claræ, necnon tertij Ordinis B. Francisci de pænitentia nuncupati, in dictis Prouinciis consistentium, vendere, alienare, ac permutare qualibet bona immobilia de consensu duarum partium Conuentuum, domorum, & Monasteriorũ, quorum dicta bona fuerint & de consensu maioris partis eorundem etiam vltra triennium locare (vltimis testatorum voluntatibus non obstantibus) dummodo id in Conuentuum, locorum, & Monasteriorum ipsorum euidentem vtilitatem, habita diligenti informatione à duobus, aut tribus bonis viris locorum, in quibus bona consistent, cedere dignoscatur, super quo prudentiam vestram, & bonorum virorum huiusmodi requirimus, & conscientiam oneramus, licentiam, & facultatem harum serie vobis concedimus. Insuper & locationes in præiudicium domorum, & Monasteriorum ipsorum factas retractare. Permutationes, & venditiones, quæ per ignorantiam constit. fel. rec. Pauli Papæ II. prædecessoris nostri, in euidentem tamen vtilitatem, & necessitatem factæ fuerint (dum id constet coram Vicario Episcopi loci) confirmare, & approbare possitis, & valeatis, præsentium tenore eadem auctoritate indulgemus.*

Derogat contrariis.

§. 2. *Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, præsertim dicti Pauli nostri prædecessoris, alijsque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque.*

Transumptis fidem adhiberi iubet.

§. 3. *Volumus autem, quòd præsentium transumptis, manu publici Notarij subscriptis, & sigillo alicuius Curiæ episcopalis munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio, quàm extra adhibeatur, præsentibus adhiberetur, si illa essent exhibita vel ostensa. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscat. die 27. Nouembr. 1519. Pontif. nostri anno 8.*

§. I.

1. NOta circa illam clausulam *super quo prudentiam vestram requirimus*, quòd non possunt fieri alienationes pro libito, sed debent Superiores, ad quos pertinet licentiam concedere, sequi in hoc Regulam prudentiæ, non solùm secundùm iudicium proprium, sed etiam secundùm iudicium prudentum, & bonorum virorum, alioquin si passione, vel interesse ducantur, non euitabunt pœnas positas contra alienantes: Nam priuilegium conditionatum, conditione non seruata non valet, præsertim quando conditio cadit super substantiam facti. Vide quæ dico supra, *in constit. 9. Iulij II.* §. 1. *à num.* 1. & scias hoc priuilegium cum multis aliis esse derogatum per decretum Congregat. sub Vrb. VIII. infra, *in eius const.* 8.

CONSTITVTIO XXV.

Quâ declarat, quòd indulgentiis S. Mariæ de Populo possint gaudere fratres Mendicantes, ac Moniales, & Tertiarij, ac eorum familiares, non autem sæculares.

LEO PAPA X. VNIVERSIS, ET singulis Christi fidelibus præsentes literas inspecturis sal. & Apostolicam benedictionem.

Omnia priuilegia ab aliis Pontificibus diuersis Religionibus concessa hic Pontifex omnibus in commune communicauit.

§. 1.  *VDVM per nos accepto, quòd Romani Pontifices prædecessores nostri, aliqui ad Minorem, alij verò ad Eremitarum S. Augustini, alij ad B. Mariæ de Monte Carmelo, reliqui ad Prædicatorum Ordinum fratres, & domos, iuxta ipsorum vota deuotionis affectum gerentes illorum singulis nonnullas gratias, concessiones, indulgentias, peccatorum remissiones, prærogatiuas, fauores, immunitates, exemptiones, facultates, priuilegia, indulta, ac dona, tam spiritualia, quàm corporalia per vniuersas ipsorum literas respectiuè concesserunt. Nos ad singulos Ordines prædictos, singulásque ipsorum Ordinum domos, vbi religiosè viuitur, indifferenter, absque acceptione personarum deuotionis affectum æqua lance gerentes, omnes, & singulas gratias, concessiones, indulgentias, peccatorum remissiones, prærogatiuas, fauores, immunitates, exemptiones, facultates, priuilegia, indulta, tam spiritualia, quàm temporalia, qualiacunque illa essent, quæ Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Augustini, Carmelitarum, Seruorum B. Mariæ, ac Minimorum fratrum in domibus, & illorum Ecclesiis, Oratoriis, ac Ecclesias ipsas, & Oratoria pro tempore visitantibus, cuiuscunq; status, aut sexus existerent, seu pro eorum manutentione, & ornatu contribuentibus, necnon domibus, & Præsidentibus,*

non

non solùm Generalibus, sed & Prouincialibus, fratribusque & sororibus, necnon monialibus, & conuersis, & oblatis, ac vtriusque sexus personis de pœnitentia, seu tertij habitus nuncupatis, à dictis prædecessoribus, aut à nobis ipsisque successoribus, aut aliàs auctoritatem habentibus, coniunctim, vel diuisim, in genere, vel in specie concessa fuerunt, aut in posterum concedentur, illa, & omnia singula, ac si nominatim exprimerentur, pro sufficienter expressis tunc habentes, singulis Ordinibus prædictis, illorumque singulis Ecclesijs, Oratorijs, & Ecclesias, ac Oratoria visitantibus cuiuscunque status, aut sexus existerent, seu pro eorum manutentione, & ornatu contribuentibus, necnon domibus, & conuentualibus fratribus, & etiam sororibus, vel monialibus, conuersis quoque, & oblatis, ac vtriusque sexus personis de pœnitentia nuncupatis, & alijs singulorum Ordinum prædictorum, motu proprio, & ex mera nostra scientia, & liberalitate, de Apostolicæ Auctoritatis plenitudine communicauimus: Illaque omnia, & singula inter dictorum Ordinum personas pariformiter communia esse, fuisse, & esse volumus; prout in singulis literis prædictis pleniùs cōtinetur.

Indulgentiæ communes inter Fratres non communicantur sæcularibus.

§. 2. *Et deinde, sicut accepimus, nonnulli fratres dictorum Ordinum volentes sapere plusquam oportet, atque ad ipsorum nutum verba ipsa interpretantes, diuersis, tam sæcularibus, quàm etiam alijs personis publicè, & priuatè suggesserunt, quod ipsi sæculares visitando vnam dictorum Ordinum domum, omnes, & singulas indulgentias, & remissiones peccatorum, tam per dictos prædecessores nostros, quàm per nos domui B. Mariæ de Populo de Vrbe concessas consequi poterant perinde, ac si dictam domum S. Mariæ de Populo visitarent; quod præter ipsorum prædecessorum, & nostram mentem fuisse, & esse dignoscitur. Attendentes igitur, quòd indulgentiis intuitu Religionis concessa, ad sæculares extendi non debet, volentes mentem dictorum prædecessorum, & nostram declarare, & omnem ambiguitatem, & occasionem tollere; motu proprio, & ex certa nostra scientia, volumus, & auctoritate Apostolica declaramus, quòd vniuersi, & singuli dictorum Ordinum fratres, & moniales tertij Ordinis vtriusque sexus, & familiares dumtaxat, omnibus, & singulis indulgentiis, & gratiis per eosdem prædecessores, & nos domui B. Mariæ de Vrbe, vt præfertur, concessis, & concedendis, vtantur, potiantur, & gaudeant, ac vti, potiri, & gaudere possint quomodolibet in futurum perinde, ac si ipsi dictam domum B. M. de Populo his diebus, & festiuitatibus, quibus indulgentia huiusmodi concessa fore dignoscuntur, personaliter visitarent; quodque vigore prædictarum literarum sæculares gratiis, & indulgentiis huiusmodi vti, & gaudere non possint.*

Non possunt Fratres publicare indulgentias de Populo esse sæcularibus com.

§. 3. *Inhibentes nihilhominus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis lata sententiæ pœna eo ipso per contrafacientes incurrenda, omnibus, & singulis fratribus cuiuscunque Ordinis existentibus, & quibuslibet alijs personis, ne deinceps indulgentias, & gratias huiusmodi S. Mariæ de Populo de Vrbe ad sæculares extendi prædicent, aut publicè vel priuatè publicent.* munes eum ipsis.

Derogat contrariis.

§. 4. *Non obstantibus præmissis, aut quibusuis alijs literis Apostolicis, priuilegijs quoque, & indultis dictis Ordinibus concessis, quæ quo ad præmissa reuocamus, cassamus, & annullamus, cæterisque in contrarium facientibus quibuscunque.*

Transumptis fidem adhiberi iubet.

§. 5. *Volumus autem, & auctoritate Apostolica decernimus, quòd præsentium transumptis, manu Notarij publici signatis, & alicuius Prælati, aut persona in Ecclesiastica dignitate constituta sigillo munitis, ea fides prorsus in iudicio, & extra adhibeatur, quæ adhiberetur, si præsentes literæ essent, exhibita, vel ostensa. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscat. die 20. Decembr. 1519. Pontif. nostri anno 7.*

§. II.

1. NOta, quòd per istam const. non derogatur indulgentiis, expressè; & specialiter ab eodem Pontifice concessis, visitantibus Ecclesiam nostram SS. Trinit. de Vrbe, & consequenter alias omnes Ordinis, nam Papa clarè mentem suam explicat, dum dicit, quòd vigore suarum literarum, quibus æqua lance indulgentias, & priuilegia inter Mendicantes communicauerat, nunquam intellexit concedere, vt sæculares visitantes vnam ex Ecclesiis Mendicantium, gauderent, & fruerentur indulgentiis, ac si personaliter Ecclesiam S. Mariæ de Populo visitassent. Quare alij Mendicantes vigore prædictarum literarum Leonis non habent in suis Ecclesiis dictas indulgentias Sanctæ Mariæ de Populo, sicut nos habemus à media quadragesima singulis diebus vsque ad octauam Paschæ inclusiuè. Quod est magnoperè aduertendum, propter aliquos, qui solam illam primam constitutionem communicationis inspicientes, dicunt easdem se habere in suis Ecclesiis, quas nos Minimi in nostris. Quod etiam dixi *supra, in constit. 2. huius Pontif. §. 1. num. 2.*

CONSTITVTIO XXVI.

Quæ est moderatio priuilegiorum Mendicantium facta in Concilio Lateranensi.

LEO EPISCOPVS, SERVVS seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Sacro approbante Concilio.

Dignitas Episcopalis est cæteris eminentior, & Mendicantium opera fructuosa nimis sunt.

§. 1. D*Vm intra mentis arcana reuoluimus, & diligenti consideratione pensamus operosa sollicitudinis studia, continuosque labores pro diuini nominis gloria, exaltatione Catholicæ fidei, Ecclesiæ vnitate seruanda, & institutione, ac salute fidelium animarum, per Episcopos, eorumque Superiores, in diuersis orbis partibus ad regimen suarum Ecclesiarum à Sede Apostolica constitutos; necnon per fratres diuersorum Ordinum, præsertim Mendicantium indefessè, & indesinenter impensos, tanta ex eorum in vinea Domini fructuosis operibus, & opportunè, ac laudabiliter gestis cordi nostro prouenit satisfactio, vt ijs, qua* ad

ad pacem, & quietem inter eos conseruandam conducere cognoscimus, omni studio intendamus. Nouimus enim Episcopos ipsos in partem sollicitudinis nostrae assumptos fuisse, quorum honor, & sublimitas, testante Ambrosio, nullis potest comparationibus adaequari; Religiosos etiam in agro dominico pro Christianae Religionis defensione, & ampliatione complura fecisse, ac vberes fructus protulisse, & in dies singulos proferre, ita vt eorundem Episcoporum, ac Religiosorum bonis operibus orthodoxam fidem incrementa sumpsisse, & per orbem terrarum vndique dilatatam fuisse, fidelium nullus ignoret. Et sicut ipsi saepenumerò vigilantissima, & solerti cura schismata in Dei Ecclesia extinguere, & Ecclesiae vnitatem reddere, & vt eidem Ecclesiae pacis tranquillitas daretur, innumeros labores subire non dubitarunt; ita quoque par est, eos inter se nostris prouisionis, pacis vinculo, ac fraterna charitate, & vnitate coniungi; vt eorum concordi doctrina, & mutuis operibus vberiores in Ecclesia Dei fructus proueniant.

Moderat priuilegia Mendicantium pro concordia inter ipsos, & Episcopo.

§. 2. Sanè cupientes, vt iura spiritualia, quae ad Dei laudem, & Christi fidelium animarum salutem pertinent, & quorum exercitium praefatis Episcopis, & eorum Superioribus in suis Dioecesibus (cum ipsi in partem sollicitudinis, vt praefertur assumpti, ac Dioeceses distinctae cuilibet eorundem Episcoporum assignatae fuerint) commissum existit, per ipsos Episcopos exerceantur, & ius illa liberè exercendi, quantum fieri potest, eis illaesum praeseruetur. Et si aliqua dictis fratribus Mendicantibus in eorundem Episcoporum laesionem, per Romanos Pontifices praedecessores nostros, & Sedem Apostolicam concessa fuerint, concessiones huiusmodi, eisdem Religiosis factas in subsequentibus duximus moderandas, vt ipsi fratres potiùs ab eisdem Episcopis omni cum charitate foueantur, quam aliquo modo molestentur, & inquietentur. Vna enim est Regularium, saecularium, Praelatorum, & subditorum, exemptorum, & non exemptorum vniuersalis Ecclesia, extra quam nullus omnino saluatur, eorumque omnium vnus Dominus, vna fides: & propterea decet, eos, qui eiusdem sunt corporis, vnius etiam esse voluntatis. Et sicut fratres nexu inuicem charitatis adstricti sunt, sic non conueniat, alterum in alterius iniuriam, seu iacturam prosilire, dicente Saluatore. Hoc est praeceptum meum, vt diligatis inuicem sicut dilexi vos. Ad conseruandam igitur inter Episcopos, & eorum Superiores ac Praelatos, & fratres huiusmodi mutuam charitatem, & beneuolentiam, diuini quoque cultus augmentum, pacemque & tranquillitatem vniuersalis Ecclesiae statum; Quod ita demum fieri posse cognoscimus, si vnicuique quantum fieri potest, sua iurisdictio conseruetur.

Episcopi visi-tent Ecclesias parochiales Mendicantibus subiectas.

§. 3. Sacro approbante Concilio, statuimus, & ordinamus, quod Episcopi, & alij Praelati praefati, parochiales Ecclesias ad eosdem fratres ratione locorum suorum legitimè spectantes, quoad ea, quae ad parochianorum curam, & sacramentorum conseruationem, administrationemque pertinent, sine tamen visitatorum insolito grauamine, vel impensa, visitare, & illarum curam gerentes, & circa illam delinquentes, si Religiosi fuerint, iuxta ipsius Ordinis regularia instituta, intra septa regularis loci; saeculares verò presbyteros, & fratres huiusmodi beneficia obtinentes, liberè tanquam sua iurisdictioni subiectos punire.

Quisque in eorum Ecclesiis celebrare possit.

§. 4. Ac tam Praelati, quam presbyteri saeculares, qui vinculo excommunicationis ligati non fuerint, missas in Ecclesiis domorum eorundem deuotionis causa celebrare volentes, celebrare possint. Ipsique fratres tales celebrare volentes libenter recipere debeant.

Ad processiones tre coguntur Vide supra in constit. Sixti IV à n. 17.

§. 5. Ac ab eisdem Praelatis ad processiones solemnes pro tempore faciendas requisiti, dummodò eorum loca suburbana vltra vnum milliare à ciuitatibus respectiuè non sint remota, accedere.

Confessores ab Ordinariis approbentur.

§ 6. Necnon Superiores eorundem fratrum, fratres, quos ad audiendas confessiones subditorum eorundem Praelatorum pro tempore elegerint eisdem Praelatis personaliter exhibere, ac praesentare. si eos sibi exhiberi, & praesentari petierint, alioquin eorum Vicariis, dummodo ad Praelatos vltra duas dietas accedere non cogantur, omnino teneantur; possintque illi per eosdem Episcopos & Praelatos super sufficienti literatura, & aliqua saltem huiusmodi sacramenti peritia dumtaxat examinari, talibusque praesentatis admissis vel etiam indebitè recusatis confidentes constitutioni, quae incipit, Omnis vtriusque sexus, quoad confessionem dumtaxat, satisfecisse censeantur.

Forensium confessiones audire & sacramenta ministrare quomodò possint.

§. 7 Ipsique fratres etiam forensium confessiones audire valeant, Laicos tamen, & clericos saeculares à sententiis ab homine latis nullatenus absoluere possint, Eucharistia verò, & extrema vnctionis, aliaque Ecclesiastica sacramenta illis, quorum etiam infirmorum, ac decedentiũ confessiones audierint, dicentibus propriũ sacerdotẽ illa sibi dare denegasse, dare nequeant, nisi denegatio sine legitima causa facta, vicinorum testimonio probata, aut requisitio coram publico Notario facta doceretur.

Famulis Sacramenta ministrare quomodò possint Vide const. 1. Iul. II. §. 15. n. 11.

§. 8. Eorundem verò fratrum obsequio insistentibus sacramenta huiusmodi nullatenus ministrare valeant, nisi illorum durante obsequio.

Pacta inita inter Episcopos, & Mendicantes seruentur. Vide sup. const. 4. Iul. II. §. 3. n. 6.

§. 9. Pacta autem, & conuentiones inter eosdem fratres, & Praelatos, atque Curatos pro tempore inita valeant, nisi per subsecutum Capitulum proximum generale, vel prouinciale refutata, & per eos refutatio huiusmodi intimata debito tẽpore fuerit.

Mendicantes quando mortuos leuare possunt.

§. 10. Parochias autem cum Cruce ad leuanda funera eorum, qui apud Ecclesias domorum, & locorũ eorundem suam elegerint sepulturam intrare non possint, nisi prius praemonito, & requisito, ac recusante parochiano Presbytero, & tunc sine eius, ac Ordinarij praeiudicio. Nisi eisdem fratribus super hoc antiqua consuetudo, quae sit in viridi obseruantia, & cum pacifica possessione, suffragetur.

Volentes sepeliri cum habitu, sepulturã eligere possũt. Vide sup. in

§. 11. Volentes quoque sepeliri in habitu eorundem fratrum in claustro non degentes, sed in propriis domibus habitantes, in eorum vltima voluntate sepulturam sibi liberè eligere possint.

§. 12. Quod

conſt.4 Sixti IV §.9. Ordines ab Epiſcopo recipiant Diœceſano.

§.12. *Quodque fratres ipſi ad Ordines promouendi, per Ordinarios grammatica, & ſufficientia examinati, & dummodò competenter reſpondeant, per eoſdem Ordinarios liberè admitti: Ac nullatenus in eorum Eccleſiis, ſeu domibus, aut aliis eorum locis, ab alio, quàm à diœceſano Epiſcopo, niſi prius ipſo diœceſano Epiſcopo, vel eius Vicario ſuper hoc cum debita reuerentia requiſito, & abſque rationabili cauſa contradicente, vel eo à Diœceſi abſente, ad dictos Ordines promoueri debeant.*

Et Eccleſiarum conſecrationes à Diœceſanis Epiſ. petant. Vide conſt.2. Iulij II §.21. num. 46.

§.13. *Nec ab alieno Epiſcopo conſecrationem Eccleſiæ, vel altaris, aut cœmeterij benedictionem petere, ſeu in Eccleſiis per eos pro tempore ædificandis primum lapidem per alienum Epiſcopum poni facere poſſint, niſi vbi Ordinarius, bis, aut ter cum debitis reuerentia, & inſtantia requiſitus, ſine legitima cauſa id recuſauerit.*

Sponſos non benedicant.

§.14. *Etiam abſque Curatorum conſenſu ſponſum, & ſponſam benedicere nequeant.*

Campanam die Sabbathi ſancti poſt cathedralem pulſent.

§.15. *Et vt debitus honor matrici Eccleſiæ reddatur, tam ipſi fratres, quàm alij Clerici ſæculares, etiam ſuper hoc Apoſt. Sedis priuilegio muniti, die Sabbati maioris hebdomadæ antequam campana cathedralis, vel matricis Eccleſiæ pulſauerit, cāpanas in Eccleſiis ſuis pulſare minimè poſſint; contrafacientes pœnam centum ducatorum incurrant.*

Cenſuras Ordinariorum ſeruent, & publicent.

§.16. *Cenſuras autem per eoſdem Ordinarios latas, & promulgatas, ac in matrice Eccleſia Ciuitatum, necnon in Collegiatis, & parochialib. Eccleſiis Caſtrorum, & Oppidorum reſpectiuè ſolemniter publicatas, quandò ſuper hoc ab eiſdem Ordinariis requiſiti fuerint; in Eccleſiis domorum ſuarum publicare ac ſeruare.*

Decimarum ſolutionem ſuadeant.

§.17. *Et, vt animarum vtriuſque ſexus Chriſtifidelium ſaluti vberius conſulatur, illos, quorum confeſſiones pro tempore audierint, cuiuſcunq; ſtatus, & conditionis fuerint, ad ſoluendum decimas, ſiue aliam bonorum, ſeu fructuū quotam in locis, in quibus decimæ ipſæ, aut ſimilia ſolui conſueuerunt etiā ſub onere conſcientiarum ſuarum monere, & hortari, ipſiſq; etiam illas ſoluere recuſantibus abſolutionem denegare, & ſuper hoc requiſiti, id populo etiam publicè prædicare, & perſuadere teneantur.*

Conſeruatores habeant. Vide infra, conſtit. 5. Greg. XV.

§.18. *Conſeruatores autem eiſdem fratribus pro tempore à Sede Apoſtolica deputandi, doctrina, & probitate præſtantes, & in Eccleſiaſtica dignitate conſtituti eſſe debeant, & coram eis per eoſdem fratres, quibus dati fuerint, vltra duas dietas à loco ſuæ ſolitæ habitationis nullus trahi poſſit, priuilegijs ſuper hoc alias eis conceſſis nullatenus ſuffragātib.*

Excommunicati ad religionem nō recipiantur.

§.19. *Excommunicatos quoque Ordinem Mendicantium profiteri volentes, vbi de intereſſe tertij agetur, abſolui nō poſſint, niſi præuia ſatisfactione.*

Famuli quomodo poſſint ex communicari. Vide ſup. in conſt.1. Iul. 2.§ 15 n.12.

§.20. *Procuratores quoque, & negotiorum geſtores, ac operarij eorundem fratrum ſeruitiis inſiſtentes, ſententiis excommunicationis promulgatis illaqueati ſint, & eſſe cenſeantur ſi illis cauſam dederint, aut dantibus conſilium, auxilium, vel fauorem præſtiterint.*

Tertiarij in propriis domibus degē-tes vti laici reputentur. Vide ſup in conſt 4 Sixti IV §. 7. à num 30.

§. 21. *Fratres autem, & ſorores tertij Ordinis, necnon Mantellati, Corrigiati, Pizochari, Cordelati, & alij quocunque nomine nuncupati in propriis domibus habitantes, ſepulturam vbi voluerint, eligere valeant. Sed in die Paſchatis tantum Euchariſtiam, necnon extremam vnctionem, cæteraque Eccleſiaſtica ſacramenta (pœnitentiæ ſacramento dumtaxat excepto) à proprio ſacerdote recipere, & ad onera, quæ laicis incumbunt, præferenda teneantur, ac in foro ſæculari coram iudicibus ſæcularibus conueniri poſſint. Et, ne cenſura vileſcat Eccleſiaſtica, & minoris auctoritatis interdicti ſententia reputetur, ijdem dicti tertij Ordinis diuina audienda in Eccleſiis ſuorum Ordinum tempore interdicti nullatenus admittantur, ſi cauſam dederit interdicto, vel cauſam ipſam nutriāt, ſeu foueant, aut dantibus auxilium, conſilium, vel fauorem, quoquomodo præſtiterint. Collegialiter autem viuentes, ſeu cum clauſtralibus habitantes, ac, mulieres, virginalem, ſeu cælibem, aut caſtā vidualem, expreſſo voto, & ſub dicto habitu vitam ducentes, priuilegiis, quibus fratres Ordinis, cuius tertiæ Regulæ habitum geſtant, gaudere debeant.*

Vide conſtit. eiuſdem 12. ſupra.

Hæc moderatio omnes Religioſos tangit.

§.22. *Omnia etiam, & ſingula ſupradicta ad reliquos Religioſos Ordinum quorumcunque extendi, & per eos etiam ſeruari debere volumus, atque decernimus. Saluis tamen in reliquis deſuper non expreſſis, tum Epiſcoporum, quàm fratrum, & aliorum Religioſorum prædictorum iuribus, quibus per præmiſſa in aliquo præiudicare, ſeu quicquam innouare non intendimus.*

Derogat contrariis.

§.23. *Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus dictorum Ordinum, iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis; priuilegiis quoque, & indultis, ac literis Apoſtolicis contra præmiſſa, ſeu aliquod præmiſſorum eiſdem Ordinibus conceſſis, etiā in Mari magno contentis: Quibus, etiamſi ad illorum derogationem, de eis, eorúmque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per generales clauſulas idem importantes, mentio, ſeu quæuis alia expreſſiō habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſeruanda eſſet, illorumque tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Decernentes ex nunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

Ordinarij & Mendicantes benignè ſe tractent.

§.24. *Eoſd. inſuper fratres in virtute ſanctæ obedientiæ monemus, vt eoſdē Epiſcopos loco SS. Apoſtolorum ſubrogatos, pro debita, & noſtra ac Apoſtolicæ Sedis reuerentia, congruo honore, & cōuenienti obſeruantia venerentur: ipſos quoq; Epiſcopos hortamur, ac per viſcera miſericordiæ Dei noſtri requirimus, vt fratres ipſos affectu beneuolo proſequētes charitatiuè tractent, ac benignè foueant, ſeque illis minimè difficiles, aut duros, vel moroſos, ſed potiùs faciles, mites, propitios, piaq; munificētia liberales exhibeāt; ac in omnib. prædictis tanquam in agro dominico cooperatores, eorumq; laborum participes prōpta benignitate recipiant, eorumq; iura cum*

omni charitate custodiant, atque defendant. Vt tam Episcopi, quàm Fratres præfati, quorum opera, veluti lucernæ ardentes supra montem posita, omnibus Christi fidelibus lumen præbere debent, ad Dei laudem, fidei catholicæ exaltationem, populorùmque salutem, de virtute in virtutem proficiant, ac exinde à largissimo bonorum omnium retributore Domino perennis vitæ præmium consequi mereantur.

§. 25. *Nulli ergo, &c. Datum Romæ in publica sessione in Lateran. sacrosancta Basilica solemniter celebrata anno Incarn. Domini* 1516. *die* 19. *Decemb. Pontif. nostri anno quarto.*

§. I.

1. NOto primo, quòd nostra, & cæterorum Mendicantium priuilegia fuerunt, & ab eodem Leone, & ab aliis Pontificibus confirmata, non obstante ista modificatione, vt dixi supra, *in constit.* 4. *Iulij II. num.* 9 *&* 13.

2. Noto 2. quòd non minora fecerunt Religiosi pro augmento Ecclesiæ, & catholicæ fidei defensione, quàm Sancti Episcopi. Nec minora nunc faciunt nostri temporis Religiosi, quàm fecerint antiqui illi, quorum intuitu sanctissimi Pontifices tot, tantáque priuilegia sacris Religionibus concesserunt. Quinam enim, quæso, sunt illi, qui quotidie se mille mortibus exponunt pro defensione, & propagatione catholicæ fidei? Qui sunt illi, qui inter hæreticos occulti manent ad catholicos confirmandos, hæreticósque ipsos reducendos, ærumnis, & laboribus incredibilibus pressi, morte semper illorum vitas insidiante? Quinam gentibus Christi fidem sanguine proprio disseminant? Qui vastissima maria fluctibus, procellisque plenissima propter sanctam Romanam Ecclesiam dietim tranant? Qui terras ignotas siti, & fame, labore, & nuditate propter catholicam fidem penetrant? Qui hæreticorum superbiam scriptis, & disputationibus retundunt? Qui catholicos ipsos concionibus, & exemplis in dies confirmant? Hi certè Regulares sunt, præsertim Mendicantes. Vnde sanctissimus Pontifex Pius V. in quadam constit. quæ incipit, *Romanus Pontifex*, in quo potestatis; apud Rodrig. *in bull. in Pij V. const.* 2. hæc habet; *Nos attendentes Fratres ipsos, qui onus diei, & æstus, tam in prædicationibus, quàm in cæteris spiritualibus muneribus quotidie sustinent.* Et idem Pontifex *in const. eius* 7. *infra, in princ.* ait: *Facere non possumus, quin eos* (Regulares Mendicantes) *propensiori charitate, & paterno affectu amplectamur, ac exinde pro suis sanctis studiis, honestisque laboribus, proque salute animarum ab Apostolica Sede, cuius continue pacem, & dignitatem Ordines ipsi fortiter tutati sunt*, &c. Et in § 2. dictæ const. ait: *Attendentes etiam illos, qui onus diei, & æstus, tam in prædicationibus, quàm in cæteris spiritualibus muneribus quotidie sustinent*, &c. Si non; dicat illustrissima Prædicatorum Familia: Sanctissima Franciscanorum Religio. Antiquissimus Augustiniensium Ordo: Deuotissimus Carmelitarum Cœtus; Doctissima Iesuitarum Societas: Et Minimorum Grex pusillus. Quare non est mirum, si sanctissimi Pontifices, quorum est de Ecclesia benemeritos remunerari, tot priuilegia Regularibus, & antiqui concesserint, & moderni confirment. Vnde prægrauari non deberent DD. Episcopi, nec tam difficiles, & asperos quandoque se in illis obseruandis ostendere, cum omni iure strenuè certantibus præmium debeatur: Quod licèt sit quid extrinsecum (præmium namque suorum laborum à Domino in Paradiso Religiosi expectant) dat tamen vires, augetque animum ad fortiùs propugnandum. Vt enim ait Cicero 3. de Natur. Deorum, *Nec domus, nec Respublica stare potest, si in ea nec rectè factis præmia extent vlla, nec supplicia peccatis:* Et 1. de Orat. *Iustus, atque honestus labor præmiis, ac splendore decoratur.* Vnde Abraham Gen. 15. dicebat: *Domine Deus, quid dabis mihi?* Et Matth. 19. Petrus: *Quid ergo erit nobis?* Et nota etiam, quòd priuilegia in remunerationem laborum concessa, dicuntur irreuocabilia (quia scilicèt non sine grauissima causa reuocari debent) à Rom. *consil.* 436. *num.* 14. Fel. *in cap. Nouit, de iud. num.* 7. & aliis multis, quos refert Sanctac. *variar. resol. q.* 19. Vnde si clarissimè non constat, ea esse reuocata, in suo robore permanere dicenda sunt.

§. II.

3. NOta, quòd istam moderationem fecit Pontifex in gratiam Episcoporum, ne ampliùs de Regularibus conquererentur, sed eos magis fouerent, & adiuuarent, & desinerent eos inquietare, ac molestare; Quod intentum an obtinuerit Pontifex, non discutio. Quod non mortalium pectora cogis regni infausta fames? Non satiatur auarus auro, nec iurisdictione Præpositus. Hydropicorum sitis cupiditas regni. Sciendum tamen, quòd imperij dilatandi auiditas, imperium quandóque destruit. Et se malè cum subditis gerere, expulsionem à regno causat. Vt contigisse Episcopis cum Regularibus, dicunt multi, vt refert Rodrig. *tom.* 2. *quæst. reg. quæst.* 63. *art.* 2. his verbis. *Putant quidam, Papam in pœnam iustam priuasse Episcopos iurisdictione, eo quòd Regularibus, quos fauore prosequi debuissent, cum sibi sint dati coadiutores, & nullus præter illos meliùs, & præstantiùs Sacramenta fidelibus administret, erant infesti, &c.* Atque ita potestatem, & priuilegium à Papa deriuata meruerunt Episcopi, illis abutentes, amittere, vt constat ex traditis per Gregorium IX. *de excess. Prælat. cap. Nimis* iniqua, vbi ponit 15. *& cap. Nimis praua*, vbi ponit 12. grauamina, & *Clem. Ad nostrum. de cens. & Clem* 1. *de excess. Prælat.* vbi ponuntur 30. & const. 7. Pij V. infra, vbi ponuntur 40. grauamina, quæ Episcopi Regularibus faciebant.

§. III.

4. VIde quæ dico supra, *in const.* 2. *Sixti IV. à num.* 24. Et nota hic, quòd Fratres Parochi Ecclesiarum parochialium, nobis Minimis subiectarum, sunt omnino subditi Correctoribus Conuentuum, nec possunt, sub obedientiæ præcepto formali, eleemosynas, seu prouentus, decimas, seu primitias, & quæ pro Missis celebrandis dantur, atque alia iura, ad Parochos quomodocúmque spectantia directè, vel indirectè, per se recipere, neque de iis disponere absque Correctorum licentia. Et qui secus fecerint, pro prima vice debent ipso iure priuari per triennium voce actiua, & passiua, & pro secunda officio Parochi in perpetuum, & in alios Conuentus per Prouinciales amandari. Quòd si huic mutationi parochiani se opposuerint, dicti Parochi suo Superiori obedire teneantur, & dicto muneri renuntiare sub pœna priuationis vocis actiuæ, & passiuæ in perpetuum, & incarcerationis per annum. Quibus pœnis etiam subiacent dicti Parochi, si à Conuentu exierint sine licentia, & socio, à Superiore habitis. Et Correctores in Parochos assumi non valent, sub pœna priuationis vtriusque officij. Ita statutum est *in Capitulo Auenionen.* 2. *num.* 26.

§. IV.

5 NOta, quòd Trident. *sess.* 22. *decr. de obseruat. & euitan. in celebrat. Miss.* præcipit Episcopis vt in suis Diœcesibus interdicant, ne cui vago, & ignoto Sacerdoti Missas celebrare liceat. Et *sess.* 23. *de reform.*

cap

cap. 16. mandat, quòd nullus Clericus peregrinus sine commendatitiis sui Ordinarij literis ab vllo Episcopo ad diuina celebranda, & Sacramenta administranda admittatur. Quæ decreta, tenentur etiam Prælati Regulares obseruare. Verum quidem est, quòd peregrinus, qui non haberet tales literas testimoniales, celebrando, nullam incurreret irregularitatem, nec qui eum ad celebrandum admitteret: Quia nulla talis in iure reperitur, prout ad id requiritur, *cap. Is, qui de sent. excom. in 6.* Vnde faciens fidem iustam de sua ordinatione, potest admitti ad secretò celebrandum; arg. *cap. Tua fraternitatis, de Cler. pereg.* Ita Nauarr. *lib. 3. consil. de celebrat. Miss. consil.* 5. Regin. *in praxi, lib. 29. num. 42. vers. Tantoperè.* Henriq. *lib.* 10. *cap.* 34. *num. 6. in com. lit. I.* Sylu. *verb. Pereg. quæst.* 4. Religiosis autem peregrinis sufficit ostendere literas suorum Superiorum ad iter peragendum, Rodrig. *tom. 5. q. regul. quæst.* 43. *art.* 18. Qui addit, posse etiam admitti peregrinum ad celebrandum publicè, quando est notus, aut etiam quando bonis coniecturis creditur, quòd non sit impeditus, arg. *dicti cap. Tua fraternitatis.* Et aduerte quod per hanc declarationem moderatur priuilegium regularibus concessum *in cap. Luminoso* 18. *quæst.* 2. & ab Eugenio IV. vt refert Rodrig. *in bullo. 7. Eugenij IV. num.* 3. innouatum sub pœna excommunicationis ipso contradicentibus post habitam notitiam priuilegij quo conceditur quod non possint Episcopi, vel alij Prælati in Ecclesiis Regularium celebrari facere. Videatur Rodrig. *tom. 3. quæst. regul. quæst. 4. art.* 1. Portel. *in addit ad dub. reg. verb. Missa, num.* 3. Nisi velis dicere, quod ista declaratio Leonis est consultiua non præceptiua vt indicant illa verba, *libenter recipere debeant.* Et alioqui sæpiùs declaratum est officia defunctorum à regularibus, non à Clericis fieri debere.

§ VI.

Vide quæ dico supra, *in const. 2. Sixti IV. à num.* 41. *& tom. 1. Relig. quæst. 2. cap.* 21. Et circa præsentationem Regularium ad audiendas confessiones, vide *in Relig. loc. cit. §. 2. versu Circa autem, pag.* 43. Et quando censeatur Episcopus immeritò Regulares vexare quoad dictam approbationem, vide *ibidem verb. Sed inquies.*

7. Nota 1. circa illam clausulam *indebitè recusatis.* Quòd videtur confirmare decretum factum in Concilio Viennen. sub Clem. V. & habetur *in Clem. Dudum, de sepul. §. Statuimus*, vbi Regulares præsentatos Episcopis iuxta formam ibi traditam, perperam tamen, & sine causa ab eis reiectos, approbat Papa de plenitudine potestatis. Quare si Episcopus Regularem debitè præsentatum, & examinatum indebitè reprobauerit, poterit nihilominus per hoc priuilegium licitè, & validè confessiones audire, Nec hoc est contra Trident. *sess.* 23. *cap.* 15. Nam credendum est, Concilium voluisse tantùm idoneis ministris facultatem concedere confessiones audiendi per examen Episcoporum rectè, & rationabiliter iudicantium, non autem confouere aliquos eorum in suis passionibus, & odiis contra Regulares, & quandoque cum maximo Christi fidelium scandalo, Cum fraus, & dolus nemini debeat suffragari, *c. Sedes Apostolica de rescr. cap. Sicut de consec. d.* 1. Quare si quis Regularis cum licentia sui Prælati examinatus, & iudicio Examinatorum, vel maioris partis ipsorum fuerit idoneus iudicatus, & tamen propter passiones suas fuerit ab Episcopo reprobatus, saluo saniori, & meliori iudicio, puto, quòd licitè, & validè poterit confessiones audire, si nihil aliud obstet, verbi gratia, quòd non sit malæ famæ, nec scandalosè viuat. Quod tamen præsumendum non est, quando adest legitimi Superioris licentia. In cuius doctrinæ confirmationem adduco Nauarr. *in summ. cap.* 27. *numero* 264. *præsertim in summa Hispanica*; Mirandam *tom. 1. man. quæst.* 45. *art.* 6. Vegam 1. *part. summ. cap.* 62. *casu* 4. Rodrig. *tom. 1. quæst. Regul. quæst. art.* 2. quatenus dicunt quòd *Clem. Dudum, de sepult.* per dictum Concilij decretum non est reuocata. Expressè Henriq. *lib. 6. de pœnit. cap. 6. num.* 4.

8. Nota 2. quòd hoc examen debet solùm fieri super sufficienti literatura, idest, an sciant studere libris de hoc Sacramento tractantibus, siue conscripti sint latina, siue vulgari lingua, hoc nihil refert: Et super aliqua saltem huius Sacramenti peritia; Vnde non est necesse, quòd habeant exactam, & consummatam peritiam illius; nec requiritur, quòd sint Theologi; aut Canonistæ. Super vita autem, & bonis moribus examinandi non sunt, dictio enim illa, *Duntaxat*, taxatiua est, & omnia alia excludit, vt dixi pluries; hanc enim semper præsupponit Papa adesse quando adest legitimi Superioris licentia, & præsentatio. Quæ non sunt reuocata per Trident. *loco citat.* cum solùm dicat Regulares esse admittendos per examen; de quibus autem sit examen faciendum non dicit. Vnde linquit antiquos Canones, & antiquas constitutiones Apostolicas in suo vigore. Et vsus communis obtinuit, vt Regulares non examinentur ab Episcopis, nisi super sufficienti literatura, & peritia Sacramenti Pœnitentiæ.

§. VII.

9. Nota primò, circa illam clausulam, *Fratres possint forensium confessiones audire*, quòd in foro exteriori receptum est, vt ratione criminis commissi quis forum sortiatur, & in loco, vbi delictum commiserit, puniatur; licèt aliàs ibi ex ea causa non posset in iudicium vocari, nec forum sortiretur; maximè enim congruit Reipublicæ, scelera in eo loco publicè puniri, in quo fuerint perpetrata, propter exemplum. Ita Couarr. *practic. quæst.* 11. *numero tertio.* At in foro conscientiæ nemo ratione delicti forum sortitur, nec illius subditus ea ratione fit, cuius alioquin iure non esset. Vnde si quis in vna Parochia delicta committit, non potest ea confiteri Parocho illius, si subditus eius non est, sed debet ea confiteri proprio Parocho. Decet enim Parochum oues sibi commissas diligenter etiam interiùs agnoscere, vt valeat ægris adhibere medelam. Couarr. *loco citato, numero* 4. Rodrig. *tom. 1. quæst. regul. quæst.* 60. *art.* 6. A Sorbo *in comp. verb. Absolutio* quoad sæculares 2. pag. 42. Summi tamen Pontifices Leo X. hic, Nicol. IV. Sixtus IV. Vrb. IV. Paul. III. apud Rodrig. *loco citato* concesserunt, vt possent Regulares quorumcunque vndecunque venientium confessiones audire, tam exemptorum, quàm non exemptorum, tam sæcularium, quàm Ecclesiasticorum.

10. Aduerte tamen, quòd huius priuilegijs vigore non poterunt dicti confessores Regulares forensium vota commutare, ac dispensare; Nam ad id requiritur specialis concessio, quæ hic non habetur; confessiones enim communiter solùm sunt de peccatis; Poterunt tamen per aliud priuilegium Pauli III. concessum Presbyteris Societatis Iesu, de quo dico *tom. 1. Relig. quæstione prima, cap. 11. §. 1. conclus.* 5. & per aliam constit. Eugen. IV. apud Rodriguez *loco citat. versu Ex quibus infertur.* Vnde patet, quòd Regulares habent maiorem auctoritatem, quàm Episcopi, qui vota forensium commutare, ac dispensare non possunt, vt communis habet sententia, de qua Syluest. *verb. Domicilium, in fine*; & dixi etiam *loc. cit.* Et multò minùs poterunt dicta vota extraneorum commutare, ac dispensare Parochi, seu Presbyteri sæculares, à dictis Episcopis ad confessiones audiendas approbati.

11. Nota 2. circa illam clausulam *laicos tamen, & Clericos*

Clericos seculares à sententiis ab homine latis nullatenus absoluere possint, quòd per istam clausulam moderatur Papa, priuilegium Eugen. IV. concessum Monachis S. Benedicti, de quo Casarub. *verb. Absolutio 2. quoad seculares, num.* 19. in quo concedebatur facultas absoluendi à quibuscunque Ecclesiasticis censuris, & pœnis etiam ab homine latis, cum satisfactione tamen partis. Et quòd non possint absolui, etiam satisfacta parte, indicat dictio illa *Nullatenus*, quæ cum vniuersalitatem importet, excludit quemcunque casum Tusch. *verb. Dictio concl.* 315. Vnde, siue censura sit lata generaliter ab homine, siue particulariter, puto, quod per hoc priuilegium non possit absolui. Rodr. *tom.* 1. *q. regul. q.* 61. *art.* 6. contendit, quòd etiam nominatim excommunicati possunt absolui à confessariis Regularium, satisfacta parte, ad cuius petitionem excommunicantur. Et idem ait dicendum, non satisfacta realiter parte, sed præstita cautione legitima de satisfaciendo. Fundatur in quadam declaratione Pij V. quam affert. Fundatur etiam in Concil. Trid. *sess.* 25. *cap.* 12. *de reform.* vbi dicitur quod, *excommunicati nominatim, ex quo subtrahunt decimas, vel ne soluantur impediunt, non absoluantur, nisi plena restitutione secuta.* Confirmat ex sententia, quam dicit communem (licèt alij, quos citat, contrarium sentiant) nimirum, quòd absolutus ab excommunicatione nominatim lata ad supplicationem alicuius partis, concedente ipsa parte prorogationem vsque ad certum tempus, finito tali tempore, statim ipso iure reincidit in excommunicationem, etiamsi ipsa prorogatio auctoritate iudicis facta non sit; nam cum excommunicatio à iudice lata sit ad instantiam partis, iudex in ea ferenda, vel termino assignando, nihil aliud videtur intendere, quàm partis satisfactionem; vnde si pars terminum proroget, censebitur iudicis auctoritate prorogate, & sic absolutus, si intra terminum à parte prorogatum non satisfaciat, incidet iterum in excommunicationem, pro qua sententia multos citat. Ergo, ait, à censura nominatim lata possunt confessores regulares absoluere, satisfacta parte, aut præstita sufficienti cautione. Nam cum iudex excommunicationem solùm tulerit ad supplicationem partis, quando hæc est satisfacta, censetur dare auctoritatem à dicta excommunicatione absoluendi iis, qui alias habent auctoritatem absoluendi ab excommunicatione à iure, vel ab homine quocunque modo lata. Insuper ait Rodriguez, quòd vigore suorum priuilegiorum, iuxta dictam declarationem Pij V. possunt confessarij Regulares absoluere nominatim excommunicatos, satisfacta parte, non solum in foro interiori, sed etiam exteriori. Et verè declaratio Pij V. prout eam ipse refert, id non obscurè indicat, dicens, *Non autem in foro fori, aut contentioso; nisi satisfecerint vllatenus suffragari*; ergo, si satisfecerint suffragabitur.

12. Suar. *tom.* 4. *de Relig. tract.* 3. *lib.* 9. *cap.* 2. *numero* 21. & 22. probat ex priuilegio Pauli III. concesso Societati Iesv, quòd possunt confessarij Regulares absoluere ab excommunicatione, non solùm generaliter, sed etiam specialiter lata, quando pars est satisfacta. Nam ait: Pontifex concedit facultatem absoluendi à quibusvis sententiis, censuris, & pœnis; ergo cum sit fauor, & priuilegium Principis, limitandum non est; verba enim simpliciter posita, generaliter intelligenda sunt, *cap. Quia circa, de priuileg.* Glossa *in cap. Præterea, verb. Simpliciter, de off. deleg.* Videatur Guttier. *lib.* 1. *can. quæst. cap.* 2.

13. Sed prima opinio, quòd confessores Regulares non possint absoluere vigore priuilegiorum particulariter, & nominatim excommunicatos, stante præsertim modificatione huius Pontificis, securior est, & eam tenet Casarub. *in comp. verb. Absolutio* 2. *quoad secul. numero* 19. *Opinio tamen* Rodrig. & Suar. probabilis est, secluso præsertim scandalo & stante confirmatione nostrorum priuilegiorum facta à Paulo III. non obstante Concilio Lateran.

14. Noto 3. quòd possunt confessores regulares confessiones infirmorum in propriis domibus habitantium audire, vt hic supponitur, & expressè concessit Paulus IV. in sua const. 2. quæ incipit, *Cum sicut*, quam refert Rodriguez *in suo bull.* vbi dicitur: *Indulgemus, declaramus, & Apostolica auctoritate decernimus, vt confessores Regulares à suis Superioribus deputati, possint confessiones etiam infirmorum vbilibet, etiam extra domos, & habitacula eorundem Fratrum audire, ac omni tempore, præterquam in die Resurrectionis Dominicæ, Sacramentum Eucharistiæ, tam illis quàm aliis quibusvis personis licitè ministrare.* Ex qua const. etiam colligitur, quòd hospitibus in nostris domibus infirmantibus possimus Eucharistiam ministrare. Vide quæ dico *tom.* 1. *Relig. cap.* 21. *§.* 2. *versu, Sed nota.*

15. Noto 4. circa illam clausulam *eodem* §. positam, *Eucharistia verò, & extremæ vnctionis*, &c. quòd, recusante Parocho, sine causa legitima, possunt Regulares infirmis Eucharistiæ, & extremæ vnctionis Sacramenta ministrare, cum circumstantiis hic positis. Si autem Parochus non adsit in periculo mortis, necessitate vrgente, putant Rodrig. *tom.* 1. *quæst. regul. quæst.* 56. *art.* 5. Henriq. *lib.* 8. *de Eucharist. cap.* 55. *§.* 1. *in comm. litt. H.* Suar. *loco citat. capite tertio, numero* 15. (licèt alij apud Rodriguez negent) posse quemlibet simplicem Sacerdotem, siue Regularis, siue sæcularis sit, viaticum infirmo dare ex præsumpta voluntate, vel Parochi, vel Episcopi, vel Summi Pontificis. Regularibus verò expressè id concessit ad omne dubium tollendum Paulus IV. cit. *numero præcedent.* & Paulus III constit. data Societati Iesv, vbi concedit, quòd possint Sacerdotes dictæ Societatis ministrare Sacramentum Eucharistiæ quocunque anni tempore, præterquam in Festo Paschatis Resurrectionis Dominicæ, & mortis articulo, nisi necessitas vrgeret, parochialium Ecclesiarum Rectorum licentia minimè requisita. Ita refert Suar. *tomo quarto, de Relig. tractat. tert. lib.* 9. *capite tertio, numero secundo.* Quæ verba, *Nisi necessitas vrgeret*, declarans Suarez, ait: quòd intelliguntur de necessitate graui, ad quam requiruntur duo. 1. vt proximus sit in probabili periculo mortis, neque est necessarium, vt sit iam desperatus, sed sufficit probabilis coniectura. 2. verò, vt Parochus absit vel non possit, aut nolit Eucharistiam indigenti dare, nam tunc proximus constituitur in vera necessitate. Et quod dixi de Eucharistia, intellige etiam de extrema vnctione; in casu enim necessitatis si ægrotus indigeat, & sit in vero periculo constitutus, & Parochus non adsit, aut nolit hoc Sacramentum ministrare, potest illi conferri à quolibet simplici Sacerdote. Quia licèt hoc Sacramentum non sit absolutæ necessitatis, est tamen magnæ vtilitatis, & aliquando potest esse valdè necessarium. Ideóque ex voluntate interpretatiua Superiorum Prælatorum in eo casu legitimè confertur à quocunque Sacerdote idoneo, cui semper erit præferendus Regularis propter hoc priuilegium, quod licèt non loquatur de simplici necessitate, sed de graui tantummodo, pro qua propterea requirit tot circumstantias, multò melius intelligitur de simplici. Quare concludo, quòd in simplici necessitate potest quilibet Sacerdos idoneus etiam sine priuilegiis, dicta Sacramenta ministrare. Neque his obstat *Clem.* 1. *de priuil.* Nam non loquitur in casu simplicis necessitatis, verisimile enim non est, Concilium illud Viennen. voluisse, vt Religiosi non subuenirent proximis extremè indigentibus, sed solùm vt iura Parochorum non vsurparent; tunc autem non vsurpant, quia ipsi rationabiliter sunt inuiti. Ita Suar. *loc. cit. c.* 4. *num.* 9. In graui autem necessitate possunt soli Regulares per dicta

dicta priuilegia Pauli III. & IV. & etiam per hoc priuilegium, cum circunstantiis his requisitis, dicta Sacramenta ministrare. Et aduertant Regulares in hoc casu, ad vitandas lites, vt semper idoneos testes adhibeant, præsertim quando Parochi nollent ista Sacramenta ministrare.

§. X.

16. NOto primò, quòd moderat priuilegium Sixti IV. apud Rodrig. *tom. 3. quæst. reg. quæst. 58. art. 3.* quo declarauit, quid significaretur per liberam sepulturam, quam Mendicantibus concesserat; sic enim declarauit debere intelligi, vt fratres prædicti, nullius super hoc petita licentia, possent cum Cruce processionaliter ingredi Parochias, in quibus fuerint corpora defunctorum, ac corpora ipsa ad eorum Ecclesias sepelienda deferre, vbi hoc fieri consuetum foret, vel quando Presbyteri Parochiales requisiti, id facere recusauerint.

17. Noto 2. quòd per Parochiam hic non intelligitur Ecclesia Parochialis, sed locus; in quo degit populus, alicui Ecclesiæ baptismali deputatus, & certis finibus limitatus. Illa verba, *Sine eius, & Ordinarij præiudicio*; intelliguntur de præiudicio non solùm decimarum, & primitiarum, sed etiam quartæ funeralis. Ita Rodrig. *tom. 3. q. reg. q. 28. art. 2.*

18. Noto 3. quod Crux, quæ defertur per Sacerdotes ante funus tempore sepulturæ, quo portatur ad Ecclesiam, portatur solùm causa deuotionis, & memoriæ Passionis Christi, in signum quòd funus est illius hominis, qui dum vixit, & moriens fuit dicto signaculo sanctæ Crucis insignitus; non autem defertur causa alicuius præeminentiæ. Quare intrare Parochias cum Cruce alta, & ire per viam publicam ad domum alicuius defuncti, per eandémque vel aliam viam domum redire, nihil præiudicat Parochiis, per quas transitur. Ita Bonif. *de Vital. super Clem. Archiepiscopo, de priuil. num. 5. & 6.*

19. Noto 4. quòd corpora defunctorum in Ecclesiis Mendicantium sepelienda, non debent primò deferri ad Ecclesias Parochiales. Ita concessit Pius V. in sua constit. quæ incipit, *Romanus Pontifex*, quam refert Rodrig. *in bull. in Pio V. const. eius 2.* Non obstantibus quibuscumque consuetudinibus in contrarium.

20. Noto 5. quòd extat Decretum sacræ Congregat. apud Quar. *in summ. bull. verbo, Priuilegia Regul. pag. 512.* huius tenoris: *Licet in sacro generali Lateranen. Concilio statutum, & ordinatum fuerit, vt Fratres Ordinum Mendicantium, cæterique Religiosi Regulares non possint intrare Parochias cum Cruce, ad leuanda funera eorum, qui apud Ecclesias domorum, & locorum eorundem suam elegerint sepulturam, nisi priùs præmonito, & requisito ac recusante Parochiano Presbytero, & tunc sine eius, & Ordinarij præiudicio. Significatum tamen est sacræ Congregationi S. R. E. Cardinalium negotiis Episcoporum, & Regularium præposita, nonnullos Fratres, præsertim Ordinis Minorum de obseruantia, cuiusdam consuetudinis prætextu, quam neque antiquitate vallari, neque obseruantia viridi inniti, neque pacifica, & non interrupta possessione firmatam esse constat, contendere sibi licere defunctorum funera; proprio eorum Parocho absente, eoque irrequisito, efferre, & leuare, idque haud leues controuersias, & altercationes aliquibus in locis non sine populi scandalo, & Dei offensione excitasse. Ideo volens eadem sacra Congregatio omnem huiusmodi dissensionem; & scandalorum materiam, & occasionem præcidere, atque in futurum prouidere, vt tam Parochi, quàm Fratres ipsi vnanimi inter se voluntate, & ea, qua par est, charitate vltima hæc Christiana pietatis officia defunctis præstent, declarat, & huius decreti tenore statuit, prædictis Fratribus Ordinis Minorum de obseruantia, aliisque quibusuis Regularibus, quorumcumque Ordinum, & Congregationum, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium existant, nullo modo licere, etiam specialis alicuius consuetudinis prætextu; Parochias cum Cruce processionaliter, aut aliàs ad efferenda, & leuanda defunctorum funera intrare, vel illa leuare, & efferre, nisi vocato, & expectato proprio defuncti Parocho, eoque ibidem præsente, si tamen ipse aliter fieri non consentiat, & permittat: Vel nisi requisitus venire, expressè omnino recuset. Atque ita obseruari mandat, & districtè præcipit; firmis de cætero, & in suo robore permanentibus iis omnibus, quæ super quarta funerum, & canonica portione, aliisque iuribus ad sepulturas pertinentibus, à sacris Canonibus, & Conciliorum decretis, summorúmque Pontificum constitutionibus hactenus sancita, & ordinata sunt, vel aliàs ex particulari consuetudine, vel alio iure obseruantur. Romæ die 12. Ianuar 1604. Alex. Card. Floren.*

21. Quæres, an locus sepulturæ in Ecclesia, vel cœmeterio vendi possit. Negat Suar. *tom. 1. de Relig. lib. 4. cap. 14. num. 19.* & probat *ex cap. Quæsta est, cum tribus seq. 13. quæst. 2. & cap. Abolenda, de sepult.* Et hoc etiam ratione terræ. Affirmat ratione terræ Azor. *p. 3. lib. 12. cap. 17. q. 2.* Probat *ex cap. Cum in Ecclesia; cap. Ad nostram, cap. Ad Apostolicam, de Simon.* Sicut enim possunt vendi vestes, calices, &c. non ratione benedictionis, sed ratione materiæ, vt communiter docent DD. quos refert Suar. *loco cit. num. 6.* ita etiam sepulturæ. Cui opinioni libenter adhæreo, eo præsertim quia vendere fundum in Ecclesia, vel cœmeterio, non ratione benedictionis, vel consecrationis, sed ratione materiæ, pro fabricanda sepultura, non est malum ex se, sed solùm quia prohibitum, vt ipse Suar. fatetur. Vnde consuetudine tolli potuit, vt in multis locis sublatum est, in quibus idem iam licitè fieri potest, non obstante humana prohibitione; & hoc præcipuè in Ecclesiis, vel cœmeteriis Regularium exemptorum. Tum quia *dictum cap. Abolenda*, in quo principaliter fundatur opinio contraria, solùm præcipit Episcopis, vt inhibeant suis Clericis Diœcesanis, ne aliquid præsumant exigere pro sepultura. Regulares autem exempti non sunt de iurisdictione Diœcesum Episcoporum, sed extra illam; vnde Episcopi id illis præcipere non possunt, vt bene Panorm. *dicto cap. Abolenda, num. 4.* Tum quia etiamsi Diœcesani Episcopi id Regularibus exemptis præcipere possent, dum tamen non præcipiunt, possunt dicti Regulares consuetudinem seruare. Illa *cap. Quæsta, cum seq.* loquuntur potiùs consulendo, quàm præcipiendo; & sicut potuerunt tolli quoad prohibitionem sepeliendi mortuos in Ecclesiis, ita quoad terram pro sepultura vendendi. Poterit itaque vendi in Ecclesia, vel cœmeterio modo prædicto terra pro fabricanda sepultura, quòd si ea sit fabricata, poterit etiam exigi quod in ea expensum est; & ius sepeliendi; ita vt in tali loco, qui emit, & sui sepeliantur, & non alij. Ita Panorm. *loco citato, num. 5.* Non potest tamen vendi ius sepulturæ, quatenus quid spirituale est; licèt etiam quoad hoc possint Religiosi accipere quicquid pro eo à laicis datum fuerit; exigere autem nequaquam; *dicto cap. Quæsta, 13. quæst. 2.* Imò si sit consuetum dari aliquid pro officio sepulturæ, possunt compelli laici id obseruare, *cap. Ad Apostolicam, de simon.* Glossa *in cap. Abolenda, verb. Exigere*, vbi Panorm. *num. 6.*

22. Si quæras etiam, an possit Prælatus sepelire aliquem in alterius sepulchro, eo inuito. Dico, quòd sic, si iusta aliqua adsit causa, puta, si sepeliendus non haberet propriam sepulturam, vel non esset in Ecclesia, vel cœmeterio sepultura communis; quia faceret eleemosynam extremè indigenti, quæ potest fieri de bonis alterius, inuito Domino. Ita Archidiac. *in c. Præcipiendum, 12. q. 2.* Romanus *singul. 692.* Panor. *in cap. Abolenda, de sepult. num. 5.*

23. Non

23. Nota etiam, quòd sepulti in aliero sepulchro, etiam sine iosta causa, non debent exhumari, nisi sint publici excommunicati, nominatim interdicti, seu vsurarij manifesti. Ita Zabarel. *in clem.* 1. *de sepult.* 4. 30. *num.* 32. Irrogatur enim illis maxima iniuria sine sua culpa.

24. Nota etiam, quòd habens capellam cum sepultura in Ecclesia, in quibus sua insignia, seu arma in sui memoriam reposuerit, licèt iste per proditionem è Ciuitate fuerit expulsus, non possunt tamen dicta insignia posita in capella deleri; imò delentes possunt puniri iudicis arbitrio. Roman. *sing.* 480 *&* 673. Probatur *ex leg. Quæ liberalitate, & leg. Opus nouum, ff. de oper. publ.*

§ XII.

25. Limitat priuilegia Regularibus concessa, vt possent ordines recipere à quocumque Antistite, gratiam, & communionem Apostolicæ Sedis habente, vt supra *In Iulio II. const.* 2. §. 6. Vide quæ dico, & noto ibi à *num.* 21. Et hic nota vnum particulare, quòd licet Episcopo initiate sacris, & Sacerdotio Regularem, qui bene legit, & cantat, quamvis minùs sit literatus, sic enim in aliorum societate, & pro officiis Religionis sit idoneus minister. Ita Henriq. *lib.* 10. *cap.* 16. *n.* 2. Nauarr. *cap.* 1. §. *Caueat, num.* 19. *de pœnit. d. tom* 3. Maiol. apud Henriq. *in com. lit. V. lib.* 1. *de irreg. cap.* 31. *num.* 5. *&* 10. Neque obstat Trident. *sess.* 23. *de reformat. cap.* 11. Quatenus generaliter requirit in ordinandis scientiam saltem linguæ Latinæ. Nam finis legis potiùs, quàm ipsius verba, attendendus est, *cap. Marcion.* 1. *q.* 1. Adde, quod Concilium id relinquit Episcoporum arbitrio; ait enim *minores ordines ijs, qui saltem linguam Latinam intelligant, per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo expedire magis videretur, conferantur:* arbitrium enim illud Episcopi non solùm est super interstitiis, ita vt, iis non seruatis, si Ecclesiæ vtilitas postulet, possit ordines conferre, sed etiam super Grammatica, ita vt nescienti Grammaticam, si alioquin bonæ indolis sit, & docilis, vel possit optimè inseruire ministerio, ad quod ordinatur, sine Grammatica possit ordines quoscumque conferre. Neque enim ex verbis Concilij colligi potest ratio, quare arbitrio Episcopi relinquatur potiùs dispensatio super interstitiis, quam super Grammatica, cum verbum *conferantur*, sub quo stant illa duo, post arbitrium collocetur, atque ita interpretatur Concil. Menoch *lib.* 2. *de arbitr. casu* 415. *num.* 58. Et videtur dictum Trident. fauere *sess.* 14. *cap. secund. reform.* ibi, *nec diuina officia peragere.*

§. XIV. & XV.

26. Nota, quòd *in clem.* 1. *de priuil.* prohibetur Religiosis sub pœna excommunicationis ipso facto, quam sibi Pontifex reseruat, ne matrimonia solemnizent sine Parochi licentia. Et Trident. *sess.* 24. *cap.* 1. *de reformat. matrim.* declarat nulla ea matrimonia, quæ fiunt non præsente Parocho, aut altero Sacerdote de eius licentia.

27. Sed an hæc licentia debeat esse expressa, vel sufficiat quòd sit tacita, & an sit in scriptis prœstenda, vel sufficiat verbo. Et vtrum Sacerdos debeat credere dicentibus se habere licentiam à Parocho, vt possint coram eo contrahere, & an talis licentia dolo, vel metu extorta valeat, disputant Doctores. Ego breuiter.

28. Ad 1. Respondeo, Licentiam debere esse expressam. Menoch. *de arbitr. casu* 453. *num.* 13. *&* 14. Henriq. *lib.* 11. *cap.* 3. §. 5. & dicunt sacram Congregationem in hæc verba id declarasse, *Non sufficit tacita licentia, quæ resultat ex tolerantia; requiritur verò vel commissio generalis ad administrandum Sacramentum, vel, si hæc absit, expressa, vel specialis licentia.*

29. Ad 2. dico, quòd non est necesse, quòd detur in scriptis. Henriq. *loc. cit.* Sanch. *lib.* 3. *de Matrim. disputat.* 36. *numero nono*, quia id non exprimitur in Concilio.

30. Ad 3. dic quòd credere non debet faciliter, nisi certa signa afferant, vel testes producant. Sanch. *loco citato, disput.* 37. *num.* 2. Rodrig. *tom.* 3. *quæst. regul. quæst.* 2. *art.* 1. in iis enim quæ pertinent ad forum externum, non creditur parti interessatæ, nisi probet, ad lites dirimendas. Facit *cap. Sicut de sentent. excommunic.*

31. Ad 4. dic, quòd valet, nisi sit circa substantiam. Sanch. *lib.* 3 *disp.* 39. *num.* 13. *&* 14. Nam licentia hoc casu metu extorta licentia est.

32. Nota circa §. 15. quòd sacra Congregatio Concil. apud Quar. *in summ. bull. verb. Confessor. pag.* 235. *verb. Quartò*, declarauit; quòd: *Ordinarij non impediant Fratres pulsare campanas ad matutinum, ad horas, & ad Missam, antequam pulsetur campana maioris Ecclesiæ, præterquam in die Sabbathi Sancti.*

§. XVI.

33. Noto primò, quòd Trid. *sess.* 25. *de Reg. cap.* 12. præcipit, vt censuræ, & interdicta nedum à Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinariis promulgata; mandata Episcopo, à Regularibus in eorum Ecclesiis publicentur, atque seruentur; Et *in clem.* 1. *de sent. excom. sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda*, præcipitur omnibus Religiosis, vt interdicta, tam Ordinarij, quàm Sedis Apostolicæ auctoritate posita omninò seruent, quando illa seruat Ecclesia cathedralis, aut matrix, seu Parochialis. Quam excommunicationem declarat Nauarr. *in summ. capite* 27. *num.* 146.

34. Noto 2. quòd tenentur dicti Regulares obseruare dicta interdicta, siue valeant, siue non, quando ea seruat Ecclesia matrix. Ita Nauarr. *in cap. Cum contingat, de rescr. remed.* 2. *num.* 39. *tom.* 4. Rodr. *tom.* 2. *quæst. reg. quæst.* 108. *art.* 4. in quo aiunt differre interdictum ab excommunicatione, quia hæc, si est inualida, seruanda non est; secus illud.

35. Et aduertit vlterius Nauarr. *num.* 40. & Rodrig. *art.* 5. & Sylu. *verb. Excommunicatio* 9. *casu* 47 *num.* 90. quòd quandò interdictum est nullum, etiamsi matrix Ecclesia illud seruet, & seruent etiam omnes Regulares, illud tamen seruare non tenentur Clerici sæculares, vt etiam aduertit Glossa *in dicta clem.* 1. *verb. Religiosi.*

36. Nota etiam, quòd ad hoc, vt Religiosi teneantur seruare dicta interdicta, & alias censuras, non est necesse per dictam Clem. quòd illis intimentur, sed sufficit, quòd ad illorum notitiam perueniant per auditum probabilem. Sylu. & Rodrig. *loco citato.* Secùs verò videtur dicendum per hoc priuilegium, cui congruit Trident. *loc. cit.* Si autem Ecclesia matrix seruat interdictum, quia ipsa est specialiter interdicta, tunc ad illud seruandũ non tenentur Religiosi. Sylu. & Rod. cit.

37. Nota vlteriùs circa hoc, quòd si interdictum sit appositum in Prouincia, licèt Ecclesia Metropolitana seruet interdictum, Religiosi totius Prouinciæ illud seruare non tenentur; solùm enim loquitur Clem. de Religiosis non seruantibus interdictum, quod seruat Ecclesia matrix loci, vt aduertit Rodrig. *loc. cit. fine.* Vide supra, *in const.* 2. *Sixti IV. à num.* 50.

§. XVII.

38. Nota, quòd in Concil. Trid. *sess.* 25. *de reform. cap.* 12. habetur, quòd impedientes soluere decimas

decimas excommunicentor. *In Clem. Cupientes, de pœnis*, §. 1. excommunicantur ipso facto Religiosi, qui in sermonibus, vel alibi proferunt aliqua, vt retrahant à solutione decimarum. Ad quam excommunicationem incurrendam secundùm Cajet. *in summ. verb. Excommunicatio, cap. 65.* requiruntur tria. 1. quòd sint Religiosi. 2. quòd habeant intentionem retrahendi. 3. quòd decimæ debeantur Ecclesiæ, quibus quartum addit Nauarr. *in summ. cap. 27. n. 145.* vt scilicet audientes, sint, qui eas debent.

39. Excommunicantur etiam in dicta Clem. Religiosi, qui de industria nullum conscientiæ scrupulum incutiunt in confessionibus pœnitentibus de solutione decimarum, & postea, non expiata hac negligentia, cum commodè possent præsumunt concionari. Ad quam incurrendam, ait Nau. *loc. cit.* quòd quinque requiruntur, 1. quòd sit Religiosus. 2. quòd fuerit negligens in oneranda scrupulis conscientia pœnitentis in confessione, vt solueret decimas. 3. quòd faciat hoc scienter, & non purget illam negligentiam, cum commodè possit. 4. quòd concionetur absque purgatione illius, si autem non prædicet, nunquam incurret istam pœnam, vt bene Cajet. *verb. Excommunicatio, cap. 66.* 5. quòd non sit Religiosus Monasterij, quod accipit decimas. Notant etiam Cajet. & Nauarr. quòd ad incurrendam istam excommunicationem non est necesse, quòd confessarij sint requisiti ab Ecclesiarum Prælatis. Contrarium tamen requiri, nimirum requisitionem Prælatorum, ait Sylu. *verb. Excommunicatio 9. casu 45. n. 89.* & Eugen. IV. vt refert Rodr. *tom. 2. q. reg. q. 44. art. 8.* concessit, quòd Fratres omittentes facere conscientiam de decimis, si non fuerint requisiti à Prælatis, non cadunt in excommunicationem. Hic etiam requiritur requisitio. Ista autem requisitio debet fieri quando prædicabunt in prima, quarta, & vltima Dominica Quadragesimæ, & in festis Ascensionis, Pentecostes, Natiuit. S. Ioannis Baptistæ, Assumptionis, & Natiuitatis. Beatæ Mariæ Virginis, vt habetur *in dicta clem. §. Et quia.* Quòd si in aliis festiuitatibus requirantur, & nolint prædicare pro decimis, modò contra illas non prædicent, non incurrunt. Sylu. & Rodrig. *loc. cit.* Quo pacto intelligendus est etiam hic textus.

40. Quò verò ad illud, quod dicit hic Pontifex quod absolutionem denegent soluere recusantibus, intelligit Rodrig. si ter admoniti fuerint, iuxta Trid. *sess. 25. de reformat. cap. 12 de pœnis, & censuris contra non soluentes*, noluerint soluere. Et sic ille, qui iussus à suis confessoribus semel, iterum, atque iterum soluere, si soluat, potest absolui, non obstante hac prohibitione, quæ in hoc casu locum non habet.

41. Aduerte etiam circa hoc, non posse confessores absolutionem denegare illi, qui decimas non solùm nullo modo potest soluere, sed qui non potest commodè. Ita cum multis Sanch. *lib. 3. in decal. cap. 10. num. 19.*

§. XIX.

42 NOta, quòd moderat priuilegium Iul. II. sup. *in eius const.* 2. §. 9. in quo licet dicatur, quòd adstricti debitis satisfaciant, etiam postquam habitum sumpserint, vel professionem emiserint, data videlicèt cautione debita. Hic autem Pontifex non vult, vt ad professionem admittantur, à censurisque absoluantur, nisi præuia satisfactione.

43. Sed quid, si non habuerint, vnde soluant. Gutiert. *lib. 1. can. q. cap. 5. num. 29.* Sotus *in 4. d. 22. q. 2. art. 3. versu Praterea*, Suar. *tom. 5. in 3. p. d. 23. sect. 5. num 27.* dicunt, quòd non possunt absolui, quia illud arbitramentum, verùm debitor possit soluere, necne, Papa non committit nisi soli iudici excommunicanti. Med *lib. 2. sum. cap. 12. pag. mihi* 203. Sanch. *lib. 2. in decal. cap. 20. num. 19.* cum multis, quos citat, contrarium censent. Ratio potest esse, quia nemo ad impossibile tenetur: *leg. Impossibilium, ff. de reg. iuris, cap. Olim, el 2. de rest. spol.* tantum enim bonum, quale est Religionis ingressus, non est propter realem impotentiam omittendum. Hoc casu dicendum puto, quòd, si impossibilitas est euidens, probabilis est 2. opinio, quia tunc pars est irrationabiliter inuita, Facit *cap. Cum tu usur.* ibi: Euidenter excuset, & Glossa *in c. Quanquam, versu, facultates eod. tit. in 6.* quando autem non est euidens, veram puto primam propter fraudes, quæ in hoc fieri solent. vniuersaliter autem quando ante absolutionem requiritur realis satisfactio partis, censeo, quòd, si adsit impossibilitas, possit excommunicatus absolui. In casu autem huius textus Papa non requirit nisi præuiam satisfactionem, ad quam non est necesse realis restitutio, seu debiti solutio, sed sufficit iuratoria cautio, vel fideiussio.

XXIV.

44. NOto primò, quòd Regulares debent Episcopos venerari sub pœna peccati mortalis, verbum enim illud, Moneo, hic interpretor pro, Præcipio, verba namque deseruiunt intentioni, non intentio verbis, vt Panorm. *in cap. Nam concupiscentiam, de const. num. 3,* Facit Cors. *ad repert.* Panorm. *verb. Clausula, Moneas, & inducas.* Inde autem videtor intentio Pontificis constare, cum in virtute obedientiæ moneat, eosque ducat Apostolorum loco subrogatos, ac pro reuerentia, quam Pontifici, & Sedi Apostolicæ debemus, eos venerari moneat. Seu sic possumus interpretari; Monemus, vt Fratres Episcopos venerentur, & hoc in virtute sanctæ obedientiæ: quæ verba licèt non semper peccatum mortale inducant, pro subiecta tamen materia inducunt quandoque vt hic; Pro quo adduco textum *in cap. Re vera 3. q. 8.* vbi expresè Glossa *verbo, monemus.* Venerari itaque debemus DD. Episcopos, sed absque læsione nostrorum priuilegiorum. Vide Rodriguez *tom. 2. quest. reg. quest. 63. art. 9.* Et exemptum a iurisdictione, non esse exemptum à iure reuerentiali, docet Rom. *sing.* 486.

45. Noto 2. quòd dictum honorem Episcopis exhibendum pertinet, vt reuerenter eos recipiant Regulares, quando ad celebrandum in eorum Ecclesiis venerint. Et aduerte, quòd in Ecclesiis Mendicantium possunt Episcopi diuina officia priuatim, & publicè audire, & ea etiam in Pontificalibus ibidem celebrare, & solemniter populo ibidem benedicere per illa verba. *Sit nomen Domini benedictum*, & ibidem facere coram se celebrari, sed sine Pontificalibus. Ita habetur *in Clem. Archiepiscopo, de priuil. &c.* Non possunt tamen propter hoc in dictis Mendicantium Ecclesiis ea, quæ iurisdictionem dicunt, exercere, vt chrismate, ordinare, confirmare, degradare, &c. *dicta Clem. §. Si tamen*, vbi expresè Glossa *verb. Etiam celebrare*, & Card. *verb. Simili, num. 6. & §. Si tamen, num. 2. & 3.* Et possunt etiam dicti Episcopi in dictis Mendicantium Ecclesiis Baldachino vti, & contradicentes Fratres ad id possunt pœnis, & censuris Ecclesiasticis cogi, per nouum Decretum Congreg. quod refert Quar. *in summ. bull. verb. Priuilegia Regul. pag. 515.* & Pias. *in praxi Epis. p. 2. c. 3. pag. 191.* quod sic habet. *Decet Episcopis pro eo quod in Ecclesia Dei excellunt dignitatis gradu, in quocumque suarum Diœcesum loco, quoties eos ibi Pontificalia exercere, aut in Pontificalibus adesse, & assistere contigit, eam, quam par est, reuerentiam, & honorem decoro cultu, & ornatu exhiberi. Quare non sine graui animi dolore auditum est nonnullos Regulares vano quorundam immunitatum, & priuilegiorum prætextu, Episcopis in eorum Ecclesiis in Pontificalibus interessentibus, non modo renuisse in eis supra locum Episcopalis solij Baldachinum erigere, verùm id etiam iussu ipsorummet Episcoporum curantes, prohibere & arcere ausos fuisse, atque*

ideo sacra Congreg. S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praposita, facto verbo cum S. D. N. Papa Clem. VIII. ac de Sanctitatis sua speciali, & expresso, hoc prasenti decreto perpetuis futuris temporibus valituro, declarat, statuit, decernit, & mandat, vt de catero Episcopi, vbi tam ex consuetudine, & priuilegio, quàm ex sacrorum Canonum constitutionibus, & Pontificalis Romani prascripto, aut alio iure, Pontificalia exercere, aut Pontificalibus paramentis cum mitra, vel etiam sola cappa indutis, in quibusuis Regularium, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Monachorum, etiam Cassinensium, Clericorum, Presbyterorum, & Cuiusuis alterius Ordinis, & Religionis, Militia, Societatis, aut Congregationis Ecclesiis interesse possunt, ipsi Regulares, quoties opus fuerit, teneantur ibi, & debeant in loco ad solium Episcopi constituendam opportuno, & congruo Baldachinum attollere. Eis autem id facere negligentibus, aut nolentibus, liceat eisdē Episcopis illud asportare, & in quacumque earundem Regularium, aut alia quantumuis exempta Ecclesia, supra Episcopale solium, seu Pontificale faldistorium erigi facere, atque sub eo sedere, & stare, quemadmodum in propriis & cathedralibus coram Ecclesiis stare, & sedere solent, eo tamen dumtaxat tempore, quo Pontificales huiusmodi functiones exercebunt, vel dum actui ipse, cui in Pontificalibus aderunt, peragetur. Si qui verò Regularium huic declarationi, statuto, decreto, & mandato inobedientes, & contumaces fuerint, sciant se ab eisdem Episcopis ad id per censuras, & pœnas Ecclesiasticas huius decreti virtute cogi, & compelli posse, aliisque pœnis, tam spiritualibus, quàm temporalibus arbitrio summi Romani Pontificis subiacere, & obnexios fore. Non obstantibus quibusuis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac dictorum Ordinum, Religionum, Militiarum, Societatum, & Congregationum, quocumque nomine censeantur, statutis, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, & cum quibuslibet etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in contrarium pramissorum hactenus quomodolibet concessis, confirmatis, & approbatis; quibus omnibus, & singulis, etiamsi talia essent, qua sub generali expressione, & derogatione non venirent, sed de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & indiuidua mentio habenda foret, eorum tenores prasentibus pro expressis, & ad verbum insertis habens eadem Sanctitas sua, hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogat, caterisque in contrarium facientibus quibuscumque. Roma die 10. Iunij 1603. Alexan. Card. Flor. Epis. Pranest. Hier. Agucchius Secret.

46. Si quæras, an possit in dictis Ecclesiis processionem solemnem, & generalem ordinare. Dico, quòd non. Quia hoc iurisdictionis actus est potiùs, quam honoris. Vital. *super Clem. Archiepiscopa, num. 55.*

47. An autem possit prædicare dubitant aliqui, quia actus videtur honoris. Sed credo, quòd non, per doctrinam Card. *in dicta Clem. §. Si tamen, num. 2. & 3.* Nam exemptis, & priuilegiatis non præiudicatur in suo priuilegio, nisi quatenus exprimitur, & priuilegiatus in aliquo non potest ad aliud extendere suum priuilegium. Si tamen concedatur, quod prædicare possit, non tamen poterit indulgentias concedere. Card. *num. 4.*

48. Noto 2. quòd Episcopi tenentur etiam Fratres affectu beneuolo prosequi, charitatiuè tractare, benignè fouere. Vide quàm paternè, quàm sanctè Episcopos moneat sanctissimus, & optimus Pontifex, de tali equidem dignitate bene meritissimus.

CONSTITVTIO XXVII.

Quâ statuit, Correctorium esse addendum Regula, secundùm illud, & istam omnia in Religione debere definiri: Et concedit quòd in Capitulis generalibus possint fieri statuta, non tamen contra Regulam, nec contra Correctorium, qua tamdiu durent, quò fuerint per sequens Capitulum generale reuocata.

IO. DOMINIC. CZIATIVS.

I.V.D. Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Therdon. & Comes, Vniuersis, & singulis præsentes literas inspecturis, lecturis, visuris, & legi audituris, salutem in Domino, & præsentibus fidem indubiam adhibere.

§. 1. *Vniuersitati vestra notum facimus, qualiter, nobis prasentibus, necnon pro R. D. Cardinali S. Crucis Ord. Fratrum Minimorum Protectore vices gerentibus, ac prasidentibus Roma in 4. Capitulo generali dicti Ord. B. Francisci de Paula, apud domum SS. Trinitatis eiusd. Ordinis celebrato anno Domini 1517. die verò 22. mensis Maij ad Ecclesiam S. Trinitatis huiusmodi accessit pradictus Reu. in Christo P. & D. D. Bernardinus Caruaczal Episcop. Sabin. Card. S. Crucis, Patriarcha Ierosolimitan. Et ibidem primùm audita Missa, accessit ad locum deputatum pro dicti 4. generalis Capituli eorundem Fratrum celebratione, & inibi incipiendo à diuinis, dictis orationibus solitis, proposuit causam aduentus sui, vt scilicèt videret, & consolaretur eosdem Patres, & rogaret, vt ipsi instanter bona directioni Ordinis sui, & Regula, ac Correctorio, per bona mem. Iulium II. approbatis intenderent, & vt deinceps super eisdem B. Patris eorum Fundatoris Regula, atque Correctorio huiusmodi per sanctam Sedem Apostolicam sub dicto Iulio II. confirmatis, nulla inter eos in futurum esset discordia, sed, sicut bonos decebat filios obedientia, vniformiter Regulam, & Correctorium huiusmodi omnes in perpetuum acceptarent, & fideliter obseruarent, ita quòd ipsi Regula in aliquo non derogetur, sed semper, vt iacet, illibata permaneat.* Exhortatio pro pace Capituli.

§. 2. *Dictum verò Correctorium, quòd pradictus B. P. eiusdem Ordinis Institutor edidit, & pradictus fel. rec. Iulius Papa II. confirmauit, primitùs siquidem qua bona memoria Cardinalem Senogallen. seu eiusdem literarum vigore, in primo eiusdem Ordinis generali Capitulo Roma similiter per eundem auctoritate Apostolica celebrato, in quinque dumtaxat articulis, tandem verò in hoc 4. generali Capitulo in viginti quinque articulis, primò siquidem per dictum Reuerend. D. Protectorem visis, & deinde per Reuerendiss. D. Cardinalem SS. quatuor Coronatorum, eiusdem etiam Ord. Protectorem reuisis, & per eosdem iustis* Correctoriū addendum Regulæ, quibus generale Capitulum derogare non potest.

iustis repertis, & similiter per eorum quemlibet, & postmodùm per prædictum S.D.N. pro totius Ordinis vniuersali pace, & consolatione vnanimiter admissis, necnon per totum generale Capitulum huiusmodi tandem vniformiter acceptatis, auctoritate Apostolica modificatum, & emendatum, præfatæ Regulæ maneat annexũ; ita quòd Regulæ, & Correctorio huiusmodi per sequentia generalia Capitula quæcumq; nullo modo derogari possit: Sic etiã, quòd iuxta dicti B.P. Institutoris vltimam voluntatem, cui semper standũ erit, vnica sit ipsorũ Fratrum Regula cũ vnico eius Correctorio huiusmodi: Et similiter eiusd. Ord. sororũ sit vnica Regula: Ac pariformiter Ord. huiusmodi vtriusq; sexus tertiariorũ vnica sit Regula, prout idẽ B.P. Institutor vltimò statuit, & ordinauit, & Apostolica Sedes sub prædicto Iulio Papa II. approbauit, & confirmauit.

Regula & Correctoriũ, non emendentur.

§. 3. Insuper etiã, nobis præsentib. eadẽ auctoritate Apostolica ibid. statuit, & ordinauit præfatus R.D. Protector, quòd de cætero per quæcũq; sequentia generalia Capitula de Regula, & Correctorio huiusmodi nil penitùs emẽdari, aut subtrahi possit.

In Capitulis generalibus possunt fieri statuta, non tamen contrà Regulam & Correctorium, & quæ durent, vsque per aliud generale. Cap. fuerint derogata.

§. 4. In dictis tamen sequentib. generalibus Capitulis de communi totius generalis Capituli pro tempore celebrandi, aut saltem duarum eiusdem Capituli partium consensu ad decorem, & quietem Ordinis licitè poterunt fieri aliqua noua statuta, & Ordinationes, quæ non sint contra Regulam, & Correctorium huiusmodi. Quæ quidem taliter statuta, & ordinata vsque ad aliud pro tempore immediatè sequens generale Capitulum durare, & stare debeant. Quæ etiam, nisi aliquo sequenti generali Capitulo reuocentur, firma semper remaneant. In ipsis etiam generalibus Capitulis, & non alibi, per Patres inibi pro tempore capitulares reuocari, aut moderari poterunt statuta huiusmodi. Talis autem naturæ aliquãdo esse possent prætacta statuta, quòd ipsa ob eorum vtilitatem, & grauitatem, Apostolicam confirmationem obtinere mererentur, & deberent, & tunc iuxta dictorum respectiuè Capitulorum generalium determinationem, similiter illibata permaneant statuta huiusmodi.

Contra Regulam, & Correctoriũ nullus potest recalcitrare.

§. 5. Tandem verò, nobis similiter præsentibus, per dictum R. D. Protectorem eadem auctoritate Apostolica inibi conclusum extitit, ac definitum, quòd vlteriùs in quibuscumq; sequentib. generalib. Capitulis huiusmodi contra Regulam, & Correctorium huiusmodi nullatenus recalcitrare, neque multum in statutis abundare liceat, sed de cætero, & in antea iuxta Regulam, & Correctorium huiusmodi, cæteráque dictorum respectiuè generalium Capitulorum statuta maturè prouidéque definiantur singuli pro tempore emergentes casus.

Constitutionis firmatio.

§. 6. In quorum omnium, & singulorum fidem, & testimonium præmissorum præsentes literas exinde fieri, & per Notarium publicum infrascriptum subscribi, & publicari mandauimus, sigillique nostri iussimus, & fecimus appensione communi. Datum, & actum Romæ, in domo habitationis nostræ, sub anno à Natiuit. Domini 1517. indictione 5. die verò 28. mensis Iunij, Pontific. SS. in Christo P. & D.N.D. Leonis diuina prouidentia Papæ X. anno 5. præsentibus ibid. ven. viris DD. Iacobo Rossero Clerico, & Christophoro Prauido laico Lunen. & Therdon. Diœcesis, testibus ad præmissa vocatis specialiter, atque rogatis. Et ego Nicolaus Remigij de Vlmis, Clericus Therdon. Diœcesis, publicus Apostolica, & Imperialibus auctoritatibus Notarius, quia præmissis omnibus, & singulis vnà cum prænominatis testibus præsens fui, ideo hoc præsens publicum instrumentum manu alterius fideliter scriptum subscripsi, & publicaui, signóque & nomine meis solitis, & consuetis vnà cum prædicti Reuerend. P. D. Io. Dominici Episcopi sigilli appensione signaui, in fidem, & testimonium præmissorum rogatus, & requisitus.

CONSTITVTIO XXVIII.

Quâ statuit, quòd Fratres, non obstante calendario Ordinis, possint festa municipalia celebrare; & quòd Capitula Prouincialia possint anticipari, & differri.

BERNARDINVS, MISERATIONE diuinâ Episcopus Sabinen. S. R. E. Cardin. S. Crucis in Hierusalem, Patriarcha Ierosolim. Ordinis Fratrum Minimor. S. Francisci de Paula Protector, vniuersis, ac singulis Fratribus dicti Ord. nunc, & pro tempore vbilibet degentibus salutem in Domino.

Debent Fratres celebrare Missam de Sanctis municipalibus cum cõmemoratione Sanctorũ proprij calendarij.

§. 1. VObis, ac vestrum cuilibet præsentium tenore significamus, qualiter à S.D.N.D. Leone diuina prouidentia Papa X. viua vocis oraculo obtinuimus, quòd in quibuscumque respectiuè Prouinciis, terris, & locis, vbi vos pro tempore residere, seu moram trahere habebitis, aliquo solemne festum, quod etiam iuxta dicti vestri Ordinis calendarij, vestrarúmque rubricarum tenorem, & continentiam tali die celebrare non deberetis, solemniter celebrabitur, vos etiam singuli per totum vestrum prætactum Ordinem de dicto festo in Prouincia, seu terra huiusmodi tunc taliter celebrando ad minus tali die Missam vnam celebrare debeatis, vnà cum commemoratione festi in dicto vestro calendario pro tali die annotati, quòd videlicèt tunc iuxta dicti vestri calendarij, vestrarúmque rubricarum huiusmodi tenorem vos celebrare continget.

In celebratione officij Conceptionis se consuetudini locorum forment.

§. 2. Insuper circa gloriosissimæ semper Virginis Mariæ, Conceptionis celebrationem à præfato S. D. N. simili viua vocis oraculo pariformiter obtinuimus, quòd cuique laudabili consuetudini vniuscuiusque respectiuè Prouinciæ, seu terræ, vbi vos pro tempore resideb itis, & licitè vos conformare possitis, & debeatis.

In celebratione festorũ municipaliũ

§. 3. Vlterius ab eodem S. D. N. eodem viuæ vocis oraculo obtinuimus, quòd quotiescumque in aliqua

Fiat commemoratio festi proprij calendarij.

aliqua Prouincia, seu terra, vbi vos pro tempore moram pertrahere contingeret, aliquod inibi solemne festum, etiam in dicti vestri Ordinis calendario minimè annotatum, communiter, ac solemniter celebrabitur; illud etiam idem festum apud dictam Prouinciam, seu terram taliter solemnizandum, vos similiter singuli vno, eodemque die vestris in Ecclesiis more vestro pariformiter celebrare valeatis; ita tamen, quod, si festum ipsum, tunc in Prouincia, seu terra huiusmodi per saeculares, ac Regulares quoscumque, & vt praefertur, vestris in praefatis Ecclesiis per vos taliter celebrandum, in dicto vestro calendario minimè annotatum foret, vltra dicti festi celebrationem huiusmodi per vos, vt praefertur, tunc taliter faciendam, vos, ac vestrum singuli dictum festum pro tempore taliter celebrantes, in vtrisque vesperis, ac matutinis, & Missa in vestris diuinis officiis de quocumque tunc ab huiusmodi respectiuè relicto festo, in dicto vestro calendario specialiter annotato, aliisque per vos iuxta supradicti vestri calendarij, vestrarumque rubricarum huiusmodi continentiam tali die celebrando, specialem commemorationem peragere debeatis. Ita etiam, vt attenta talis festi commemoratione huiusmodi per vos tali die, vt praefertur, facta, dictum festum in praefato vestro calendario taliter annotatum, & alias illa die per vos iuxta dicti vestri calendarij, vestrarumque rubricarum huiusmodi continentiam celebrandum, iterum eodem anno nullatenus celebrare debeatis.

Capitula Prouincialia possunt anticipari, & differri. Est derogatũ per const. 4. Pauli III. infra §. 4.

§. 4. Tandem à praefato S. D. N. simili viuae vocis oraculo obtinuimus, attento, quòd Prouincialium Capitulorum celebrationis locus, & tempus non sunt essentialia Regulae, neque Correctorio, sed dumtaxat ipsa Capitulorum huiusmodi celebratio, cum etiam nonnunquam, vrgente necessitate, interueniente Sedis Apostolicae; totiusque generalis Capituli consensu, mutari, differri, vel anticipari possit dictorum Capitulorum celebrationis locus, & tempus huiusmodi, quod interueniente super huiusmodi Capitulorum celebrationis loci, vel temporis mutatione, dilatione vel anticipatione, Ordinis vestri capituli generalis consensu speciali, absque Regulae Correctoriique transgressione aliqua, iuxta praefati vestri Ordinis cuiusque respectiua Prouinciae varietates, multiplicesque necessitates, etiam per integrum mensem vestrorum respectiuè Capitulorum Prouincialium celebrationem huiusmodi iuxta dicti vestri Correctorij tenorem facere debeatis, & teneamini.

Constitutionis firmatio.

§. 5. In quorum omnium, & singulorum fidem, & testimonium praemissorum praesentes literas extende fieri, & per Secretarium nostrum infrascriptum subscribi, & publicari mandauimus, sigilloque nostri iussimus, & fecimus appensione communiri.

Datum, & actum Romae in domibus nostrae solitae residentiae sub anno à Natiuit. Dom. 1519. *Indict.* 5. *die verò* 1. *mensis Iun. Pontif. in Christo Patris, & D. N. D. Leonis Papae X. praefati anno* 5. *praesentibus ibidem vener. viris DD. Matthaeo Granata, & Vasco de Carnaial. Clericis Tirasonen. & Placentin. Diaecesis, Camerariis, & familiaribus nostris, testibus ad praemissa vocatis specialiter, atque rogatis. De mandato praefati Reuerendissimi Dom. mei Cardinalis, Andreas de Beuilla eius Secretarius, &c. locus O sigilli.*

CIRCA CONSTITVTIONEM.

1. PRo intelligentia huius const. noto primò, quòd in Ordine nostro erat ante reformationem breuiarij calendarium particulare, secundùm quòd tenebantur Fratres officium diuinum celebrare, vt patet *ex Capitulo Bonon.* 1. *n* 2. Imò ex Regula, *num.* 13. Quod erat ab Ecclesia approbatum, vt ex dicta Regula constat, vnde cum contingeret aliquando in Prouinciis, & terris, quibus degebant Fratres, festum aliud celebrari ab eo, quod in ipso tum calendario descriptum erat, populorum deuotioni pro voto non satisfaciebant. Quare gratias, de quibus hic, impetrauerunt.

2. Noto 2. quòd Concilium Trid. *sess.* 25. *de Regul. cap.* 12. statuit quòd *dies festi, quos in Diaecesi sua Episcopus seruandos praeceperit, ab exemptis omnibus, etiam Regularibus seruentur.* Quod declarans sacra Congregatio Concilij statuit, intelligendum solùm esse quoad conciones & lectiones, quas iidem Regulares ad populum habuerunt, vt refert Quar. *in summ bull. verb. Priuileg. Regul. pag.* 513. & Rodrig. *in bull. in Clem. VII. pag.* 547. in haec verba. *Congregatio Concilij censuit decretum, c.* 12 *vers. Dies etiam festi, sess.* 25. *de regul. ita esse intelligendum, vt Regularium ritus illis festis semper permaneat quoad Missas celebrandas, & caetera diuina officia tam publicè, quam priuatim ab ipsis Regularibus in eorum Ecclesiis persoluenda, nec circa haec ab Episcopis quoquo modo quicquam in contrarium eisdem Regularibus praecipi posse; quod si de facto praeceperint, Regulares nequaquam ipsis Episcopis obedire teneri. Verum quoad conciones, & lectiones, quas iidem Regulares ad populum habuerint, debere se conformare Euangeliis, & Epistolis, quibus Clerus saecularis vtitur illis diebus festis.*

3. Noto 3. quòd post reformationem Breuiarij Romani, factam à Pio V. nostra Religio in omnibus illud Breuiarium acceptauit, & secundùm illud semper diuinum officium celebrauit, illo antiquo calendario relicto, licèt ad id nõ teneretur, vt videri potest in dicta constitutione, quae habetur in principio Breuiarij Quia nostrũ illud calendariũ fuerat ex sua prima institutione ab Apostolica Sede approbatum, vt patet *ex c. Barc.* 1. *num.* 5.

4. Quaeres 1. an officium diuinum per aliquod priuilegium possit à Fratribus mentaliter persolui.

Respondeo, Secundùm communiorem opinionem non esse necesse, quòd officium diuinum recitans priuatim, ita verba proferat, vt seipsum audiat: sed sufficit formare verba intra labia, & dentes, eaque distinctè ibi proferre siue seipsum audiat, siue non. Ita Nauarr. *tom.* 4. *comm. de or. cap.* 20. *n.* 14 Leo verò X. viuae vocis oraculo facto Laurentio Cardinali SS. quatuor: *Concessit, ne Fratres se mutuò impediant in officio diuino, aut aliis sint fastidiosi, quod illa, quae in ordinario iubentur dici secretè sub silentio, tam in horis canonicis, quam etiam in Missa, non teneantur proferre vocaliter, sed satisfaciant dicendo mentaliter, aut legendo intra se per librum, quia aliquid deuotius sic dicũt, & absque impedimento, & fastidio aliorum. Et eodem modo possit facere, qui dicit officium per se solus, cum prolatio verbalis sit praecipuè, vt ab aliis intelligatur.* Ita refert Rodr. *in suo bull. in viuae vocis oraculis Leon. X. n.* 12. *& to.* 1. *q reg. q.* 42. *ar.* 4. Et Caesar. *in comp. verb. Officiũ diu.* 1. *n.* 9. Circa quod priuilegium Nau. *loco cit. c.* 19 *n.* 88. *versu Sextum est eiusd. Papa, & c.* 20. *n.* 14. ait, quòd licèt disputando defendi posset, hoc non esse priuilegium, & iure communi officium diuinum possit

mentaliter

mentaliter dici, quia verba solùm videntur principaliter requiri, quò alij audiant consulendo tamen ait, id esse priuilegium. Cruz *lib. 2 de statu Relig. cap.* 8. *dub.* 2. absolutè docet, Religiosos posse, mentaliter legendo intra se per librum, recitare horas, & alia, quæ in officio diuino præcipiuntur dici secreto sub silentio, quam opinionē ait esse reiciendā Scott. *in selectas bullas, theor.* 3 aa. cùm solùm Leo X tantùm concessetit, vt submissè dicerent. Certè priuilegium Leonis plus concedit, quàm dicat Scottia, vt patet ex illis verbis *satisfaciant dicendo mentaliter*, & minùs, quàm dicat Cruz, sic siccè intellectus. Considerando itaque finem illius priuilegij Leonis, qui fuit mederi Fratribus scrupulosis, dico, quòd reperiuntur aliquādo aliqui Fratres, & ego cognoui plures, ita timoratæ conscientiæ, & agitati scrupulis, vt, cum est dicendum aliquid secretè in choro, non sibi satisfecisse putent, nec officij diuini persolo, nisi ita illud proferant, vt ipsi clarè audiant (bonarum enim mentium est ibi culpam timere, vbi etiam culpa non est; *cap. Consilium* §. *Cum autem, de obseru. ieiun. cap. Ad eius*, *d.* 5. *fine*) ex quo sequitur, quod alij viciniores, mirmur illud audiendo, fastidium graue sentiant, & minùs deuotè dicant, quod dicendum secretè est. Concedit itaque Papa, quod isto casu scrupulosi illi possint id, quod secretè dicendum est, mentaliter recitare, vel legere intra se per librum: Quòd si hoc modo mentaliter dicta recitando, sentiant interiùs deuotionem maiorem, vt etiam idem possint facere, cum priuatim recitant. Non sequitor ergo, quòd totum officium diuinum possit dici mentaliter, quod non dicit Papa: Sed solùm, quòd mentaliter possint dici ea, quæ in officio, vel Missa dicenda sunt secretè, emo conditione si maior deuotio sentiatur. Ex quo minùs sequitur, quòd consecratio possit fieri mentaliter, super hac enim Papa nullam habet potestatem, cum ex instituto Christi proferenda sint vocaliter verba consecrationis, & ad saluandum Sacramentum, quod est sensibile signum, est omnino necessarium. Vt D. Thom. 3. *part. q.* 60. *art.* 6. Sayr. *de Sacrament. in gen. lib.* 1. *cap.* 3. *art.* 5. Poterunt ergo dici mentaliter in Missa, ea, super quibus habet Papa auctoritatem, si inde Missam maiorem sentiat deuotionem.

5. Quæres 2. an possit dici matutinum sequentis diei, antequam sit omnino persolutum officium præsentis diei.

Respondeo, Non posse sine peccato saltem veniali, quia inuertitur maximè ordo ab Ecclesia institutus, & ab vsu communi approbatus; si tamen iusta aliqua causa adsit excusabit etiam à veniali, quia quoad substantiam impletur præceptum. Ita Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 4. *cap.* 24. *num.* 3. Molfes. *tom.* 1. *summ. tract.* 5. *cap.* 2. *num.* 37.

6. Quæres 3. an in officiis diuinis celebrandis possint Regulares vtentes Breuiario Romano conformari Ecclesiæ matrici illius Ciuitatis, & Diœcesis in qua habitant.

Respondeo, In quadam constitut. Gregorij XIII. data *Romæ* 30. *Decembris* 1573. quæ incipit, *Pastoralis officij*, vt refertur in principio officiorum propriorum Ecclesiæ Genuensis, ita habetur: *Et quo die celebrabitur festiuitas Patroni vnius Diœcesis, Religiones omnes teneantur eodem die in suis Ecclesiis intra limites illius Diœcesis existentibus eandem festiuitatem celebrare, & in hoc cum Ecclesia matrice se conforment.* In aliis autem Festis Sanctorum, qui Patroni non sunt, posse nos conformari Ecclesiæ matrici, constat ex ista *constit.* §. 1. & 3. & sic consueuit fieri in isto nostro Genuensi Conuentu, & tota Prouincia, & ita etiam puto fieri in reliquis Prouinciis nostræ Religionis.

7. Quæres 4. an habeant Regulares aliquod priuilegium pro supplendis defectibus in officio diuino commissis.

Respondeo, Quòd Innoc. VIII. & Alex. VI. concesserunt, quòd quando Regulares aliquid dimittunt in diuino officio non ex dolo, possint supplere cum aliquo Psalmo, vel dicendo orationem Dominicam, vel Aue Maria. Quæ priuilegia intelligit Nauarr. *tom.* 4. *com. de orat. cap.* 19. *num.* 84. *versu Secundùm est, de parte non notabili.* Et Sixtus IV. concessit Regularibus, non valentibus persoluere diuinum officium bene, ac diligenter in choro, prout tenentur, quòd si per defectum visus, vel auditus aliquid prætermiserint, non teneantur illud omissum iterum persoluere, sed dicant vnum psalmum in fine horarum, & sufficiat. Quod similiter Nauarr. *loc. cit. versu Quod aliqua*, intelligit de defectibus paruis. Innoc. VIII. concessit, quòd Fratres professi nescientes per se plenè persoluere officium diuinum, non teneantur ad id sub pœna peccati mortalis, donec sciuerint illud, dummodò faciant quod in se est, & dicant sicut sciunt, & vltra dicant horas Fratrum laïcorum. Alia etiam priuilegia Clem. V. & Leonis X. circa defectuum suppletionem refert Casarub. *in comp. verb. Offic. diu.* 2. *num.* 1. 5. & 6.

8. Quæres 5. an Regularibus recitantibus officium diuinum aliquæ concedantur indulgentiæ.

Respondeo, Leo X. concessit, quòd Religiosi soluentes officium diuinum per librum, consequantur remissionem dimidiæ partis peccatorum commissorum illa die, qua prædictum officium in choro cum aliis pro qualibet hora centum dies indulgentiæ. Et Ioan. XXII. concessit inclinantibus, quando nominatur nomen Iesu, quadraginta dies indulgentiæ, & totidem similiter inclinantibus, cum in fine Psalmorum dicitur Gloria Patri. Et totidem dicentibus Aue Maria ad pulsum campanæ. Ita refert Casarub. *in comp. verb. Off. diu.* 3. *num.* 2. & 3.

9. Quæres 6. an Regulares habeant aliquod priuilegium, per quod excusentur à recitatione officij diuini.

Respondeo, Clem. VII. concessisse, quod Regulares prædicationi verbi Dei, audientiæ confessionum, & sacræ Theologiæ, ac sacrorum Canonum studiis insistentes ad suam, & animarum fidelium vtilitatem, & qui occupantur infirmitate propria, aut infirmorum Fratrum curatione, satisfaciant pro horis canonicis, recitantes certum numerum Psalmorum, per Priorem eis assignandorum, numero non minus septem, aut sex cum deuotione, aut orationem Dominicam septies, & symbolum Apostolorum bis. Grauiter etiam ægrotantes orationem Dominicam septies in die recitando, septem horis canonicis similiter satisfaciant. Ita refert A Sorbo *in comp. verb. Offic. diu pag.* 449. *versu Fratres Ordinis.* Circa autem occupatos in studiis, confessionibus, & prædicationibus aduerte, quòd illod intelligo de occupatis in casu aliquo particulari, qui iudicio Prioris maius bonum censeatur, quàm solutio officij diuini, & quando simpliciter, aut vix potest aptè proximi, aut propriæ vtilitati satisfieri. Nec demitteris. Nam hæc priuilegia non conceduntur Regularibus ad laxamen, sed ad solamen, scrupulosque tollendos, vnde strictè interpretari debent, iuxta *cap. Porro, de Priu.* Ita Nau. *tom.* 4. *com. de orat. cap.* 19. *num.* 86.

ADRIANI VI.

Germani, ex Ciuitate Traiecto in Germania inferiori, Florentij de Forentijs filij, anno Domini 1522. die 9. Ianuarij ad Pontificatum assumpti, qui Ordini nostro concessit infrascripta.

CONSTITVTIO VNICA.

Quæ est viuæ vocis oraculum, in quo conceditur Fratribus nostris, vt tartarucas, seu testudines comedere licitè possint.

LAVRENTIVS, MISERATIONE diuina titul. SS. quatuor Coronatorum S.R.E. Presbyter Cardinalis, ac maior Pœnitentiarius, Ordinis Minimorum Protector.

Concedit provt in summario. §. 1. *Vniuersis, & singulis præsentes literas nostras patentes inspecturis fidem facimus, & attestamur, quatenus, cum à nonnullis nimiùm curiosis in dubium reuocaretur, an Fratribus Ordinis Minimorum, quibus, præterquam in infirmitate constitutis, iuxta Regulam per Sanctum Franciscum de Paula dicti Ordinis primum Institutorem ordinatam, ac per Sedem Apostolicam approbatam, & confirmatam, esus carnium, & ouorum, ac casei, & aliorum lacticiniorum est prohibitus, testudines, tartarucas, nuncupatas comedere licere, ac quondam F. Franciscus Binet tunc dicti Ordinis Generalis, medico iubente, illo tartarucarum, seu testudinum cibo vesci noluerit, asserensque id sibi, & aliis Fratribus non licere, dicto medico parere, ac Fratribus licentiam propter conscientiæ scrupulum dare nollet; bonæ mem. Bernardinus Cardinalis S. Crucis, tunc dicti Ordinis Protector, eorundem Fratrum conscientiæ serenitati consultum esse cupiens, fel. rec. Adriano Papæ VI. nobis præsentibus, atque instantibus, humiliter supplicauit, vt sua declaratione huiusmodi dubium enucleare dignaretur: Ipséque Adrianus Papa attendens Fratres Ordinis Carthusiensis, quibus carnium esus, etiam infirmitatis tempore, perpetuò est interdictus, eas comedere, testudinum, seu tartarucarum huiusmodi cibo, quolibet etiam quadragesimali tempore, liberè, & licitè absque aliquo conscientiæ scrupulo vesci licere, viuæ vocis oraculo declarauit; ipséque Bernardinus Cardinalis eidem Generali, vt medico iubenti pareret, ac tartarucas comederet, aliisque Fratribus licentiam concederet, in virtute sanctæ obedientiæ iussit, atque mandauit, prout etiam nos per præsentes moderno Generali iubemus, atque mandamus.*

Firmatio constitut. §. 2. *In quorum fidem dictas patentes literas fieri, ac parui sigilli nostri impressione per infrascriptum Secretarium nostrum communiri fecimus, manùque nostra propria subscripsimus. Dat. Romæ, in Palatio Apostolico in Camera nostra solita residentiæ, die 14. Aprilis, 1524. Pontif. S. in Christo P. & D. N. D. Clementis diuina prouidentia Papæ VII. anno 1. Ita est. Laurentius titul. SS. quatuor Coronatorum Presbyter Cardinalis manu propria. P. Bombasius.*

CIRCA CONSTITVTIONEM.

1 NOta 1. quòd *in Cap. gener. Tholos. num. 32.* dubitatum fuit, an liceret Fratribus nostris testudines, seu tartarucas comedere, propter dubium, an sint natu piscis, vel caro; Et quia dubium non potuit *in dicto Cap.* definiri, illud definiendum distulerunt in aliud cap. iubentes interim Patres, quòd Fratres sani nullatenus eis vterentur.

2. Nota 2. quòd semper de hoc, & adhuc est sub iudice lis, fuit apud curiosos dubitatum. Quòd enim non sint pisces, probatur ratione principij, quia vti gallinæ oua edunt, colore, ac substantia, & cortice ferè eadem. Deinde nec generatio est diuersa, cum perfricatione pisces nascantur. Spirant quoque, quod pisci non tribuit Aristoteles. Ambulant item, squammas non habent, sed ossa. Insigniter porro nutriunt, & vitulinæ carni nonnulli conferre audent. Ex piscibus alimentum lædere nemo dubitat. Ita Cælius *lib. 10. cap. 3.*

3. Dicunt alij, testudines esse serpentes, præter quod testa perduta includuntur. Maiolus *canic. tom. 1. coll. 8. pag. 313.* Vnde in Lombardia vocantur viperæ testaceæ.

4. Ego pisces puto, sed apostatas, mari natos, qui fortè cutis duritiam pertæsi, vel aliquid aliud, ad aquas transierint fluuiales dulces; quas etiam pertæsi, ad paludes, inde ad nemora, vt de Testeo pisce scribit Maiol. *loco citat. coll. 9. pag. mihi 365.* A qua sententia non videtur abhorrere Plinius *lib. 9. hist. cap. 10. & 57.* eo præsertim quia testudinum aquatilium oua in sicco maturari dicit. Propter hæc itaque & alia Patres illius Cap. de earum comestione dubitarunt: Et quia bonarū mentium est ibi culpam timere, vbi culpa non est; *c. Consilium, §. Cum autem, de obseru. ieiun.* ideo ab illarum comestione censuerunt esse abstinendum, & abstinuerunt de facto, quousque per Apost. Sedē concederetur.

5. Nota 3. ex abundanti, quòd testudinum quatuor sunt genera. 1. & cœteris melius, terrestre. 2 fluuiale. 3. marinum. 4. lutarium. Testudines terrestres sunt contra venena salutares, ex iure in cibo sumptæ strumas discutiunt, lienem tollunt, item & comitiales morbos. Sanguis earum recens valet ad tabem curandam, claritatem visus facit, suffusionésque oculorum tollit. Tegumenti

menti cinis,vino,& oleo subactus,pedum rimas,vlceraque sanat. Squammæ è summa parte derasæ, in potu datæ venerem cohibent. Oua durata illinuntur strumis, & vlceribus, frigore, aut adustione factis. Sorbentur in stomachi doloribus. Marinarum carnes admixtæ ranarum carnibus, contra salamandras præclarè auxiliantur. Sanguine alopeciarum inanitas, & porrigo, omniaque capitis vlcera curantur; Inarescere autem eum oportet, lentéque ablui. Instillatur & dolori aurium cum lacte mulierum. Si dentes per annum colluantur testudinum sanguine, immunes à dolore fiunt. Fel earum claritatem oculorum facit, cicatrices extenuat, tonsillas sedat, & anginas, ac omnia oris vitia. Plinius *nat. hist. lib. 32. cap. 4.*

6. Nota 4. quòd testudinum tegumento ad ornandos lectos, & repositoria, vtebantur antiqui, vt modò officula ligno affabrè iniungunt & eetostrota opera faciunt, maximè hic Genuæ ad cultorum manubria conficienda. Plin. lib. 9. cap. 11. *Testudinum*, ait, *putamina secare in laminas, lectosque & repositoria his vestire, Carbilius Pollio instituit.* Et lib. 16. cap. 43. *Modò*, ait: *luxuria non fuerat contenta ligno, tam lignum emi testudinem facit.* Et Seneca lib. 7. de benef. cap. 9. *Video*, inquit, *elaboratam scrupulosa distinctione testudinem.* Et Martialis.

Gemmantes prima fulgent testudine lecti.

Et Iuuenalis

Qualis in Oceani fluctu testudo nataret,
Clarum Troiugenis factura, ac nobile fulcrum.

7. Nota 5. quòd à Pierio *lib. 2. ex addit. capite* 34. ponitur testudo in prudentiæ symbolum, eo quod pedetentim, & maxima tarditate incedat. Ponitur etiam in symbolum silentij. Cæl. *lib. 10. cap. 3.* & in signum pigritiæ ponitur à Plauto *Testudinum hunc tibi grandibo*, inquiens in aulul. *gradum, si fusiem sumpsero.* Ad quod facit Diogenianum illud. *Prius testudo leporem praterierit.* Vnde etiam creditum est, quòd si pes eius dexter inferatur nauigio, id ire tardius. Nec illud hic reticendum Anthistenis dictum, de quo Laërtius *in eius vita*, qui Atheniensibus gloriantibus, se nunquam solo, in quo nati essent, excessisse, *Commune*, respondit, *hoc habetis cum testudine, & cochlea.*

8. Noto 6. quod nos Minimi testudinibus vtimur, quando possumus, non ad lasciuiam, sed ad naturæ solamen; sunt enim cibaria multùm confortantia, & gustui suauia; omnium meliores terrestres, & fœminæ. Marinæ, si non excedant libras 25. sunt rationabiles, si excedant, bestiales. Occidimus autem eas hoc pacto. Terrestres in succensa sarmenta coniectæ, diuidentibus se tegumentis, dirripiuntur. Marinæ, amputato collo, sanguinéque in vas stillato, cultro deglubuntur. Tum euulsæ carnes, in cacabum, seu ollam fictilem, cum aquæ congiis sufficientibus, addito sale, coniiciuntur. Paramus autem, iuxta magnitudinem, & partium diuersitatem, variis modis. Nam marinæ elixantur cum cœpis, petroselinis, pipere; & aromatibus, & in iure concoquitur pulmentum. Assantur etiam in olla cum cœpis, petroselino, vua passa, granis pineis, pipere, & aromatibus. Quo eodem modo parantur terrestres, fluuiales, & intartiæ. Et sanguine cum adipe, pipere, fœniculo, & sale farcimen facimus, quod hæmatiam vocant. Intestina in frusta concisa, cum petroselino, cœpis, vua passa, granis pineis, oleo, sale, pipere, & aromatibus comedimus. Hepar, quod non minoris est saporis, quam vitulinum, porcinum, seu etiam caprinum, frigimus in sartagine. Oua partim assata, partim elixata, partim frixata comedimus; elixata etiam cum cortice sorbentur. Ecce igitur, quomodo ex vna testudine multis patopsidibus paratur conuiuium in quadragesima. Sed aduerte in comedendo, quòd paucitas strophos, idest tormina facit, copia verò detergit, atque expurgat; vnde paræmia, *Testudinea carne aut vescendum, aut non omnino vescendum.* Cæl. *lib. 10. cap. 3.*

CLEMENTIS VII.

Itali Florentini; Iuliani de Medicis filij, ad Summum Pontificatum assumpti ann. 1523. die 19. Nouembr. qui Ordini nostro concessit infrascripta

CONSTITVTIO I.

Quâ mandat Ordinariis, & aliis in dignitate Ecclesiastica constitutis, vt electi in Conseruatores assistant defensioni Fratrum aduersus molestatores, & tradit eis modum procedendi.

CLEMENS PAPA VII.

Vniuersis, & singulis venerab. Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Priorib. & aliis personis in dignitate Ecclesiastica constitutis, ac metropolitanarum, & aliarum Cathedralium Ecclesiarum Canonicis, necnon eorundem Archiepiscoporum, & Episcoporum Officialibus, seu Vicariis in spiritualibus generalibus vbilibet constitutis, salutem, & Apostolicam benedictionem.

Supplicatio. §. 1.  *Onquestionem dilectorum filiorum Generalis & Prouincialium, ac aliorum Correctorum, & vniuersorum Fratrum Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula percepimus, quod nonnulli Archiepiscopi, & Episcopi, aliique Ecclesiarum Prælati, & Rectores, eorumque Vicarij; & Officiales, ac Clerici, & alia Ecclesiastica personæ, tam religiosæ, quàm sæculares, necnon laici, communia Ciuitatum, & Diœcesum, ac aliarum diuersarum partium, qui nomen Domini in vanum recipere non formidant, à prædictis Correctoribus, & Fratribus quartam canonicam, seu alias portiones ex rebus, & bonis eis ratione funeralium, & Christi fidelium piorum legatorum etiam ad certos, & determinatos vsus, præsertim ad fabricam Ecclesiarum, domorum, & locorum suorum, seu in eleemosynam, aut alias sibi piè relictis, vel erogatis, ac decimas fructuum ex possessionibus, & petiis terrarum, ad eos legitimè spectantibus, & pertinentibus prouenientium, con-*

 tra

tra priuilegia, & indulta Apostolica, eis, & Ordini, ac domibus prædictis concessa exigunt, & in dies exigere conantur, ac relicta, & erogata huiusmodi indebitè accupata detinent, seu ea detinentibus, aut decimas, & portiones huiusmodi exigentibus præstant auxilium, consilium, vel fauorem, & alias ipsis super his, ac aliis libertatibus, priuilegiis, & indultis, domibus, & Ordini prædictis, illorúmque personis, tam à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, quàm alias ritè à Regibus, & aliis Principibus sæcularibus concessis; necnon bonis, rebus & aliis iuribus ad dictas domos, illarúmque sacristias spectantibus multiplices molestias, iniurias, & iacturas inferunt, eosque coram diuersis, tam Ecclesiasticis, quàm sæcularibus iudicibus ad iudicium trahunt. Nonnulli etiam dictum Ordinem professi post emissam ab eis regularem professionem apostatantes, ad aliorum Ordinum loca se transferunt, & sæpiùs per sæcularium habitationes secundùm vana sui cordis desideria vagando, insolentérque & scandalosè viuendo, se ab obedientia, & subiectione suorum Prælatorum, etiam prætextu indultorum, seu literarum à Sede Apostolica subreptitiè impetratarum, subtrahant, in contemptum Religionis, & animarum suarum periculum, & scandalum plurimorum. Quare Generalis, & Prouincialis, & alij Correctores, & Fratres prædicti nobis humiliter supplicari fecerunt, vt, cum eis valdè reddatur difficilè pro singulis querelis ad Sedem prædictam habere recursum, prouidere ipsis super hoc paterna diligentia curaremus.

Conseruatorum potestas. Vide constit. 5. Greg. XV. infra.

§. 2. Nos igitur, qui pro debito pastoralis officij, religiosarum personarum quarumlibet dispendiis occurrimus, & profectibus libenter intendimus, aduersùs exactores, occupatores, detentores, præsumptores, molestatores, & iniuriatores, ac subtrahentes se ab obedientia huiusmodi, illo volentes eisdem Correctoribus, & Fratribus remedio subuenire, per quod illorum compescatur temeritas, & aliis aditus committendi similia præcludatur Discretioni vestræ per hæc scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut vnus vestrum, per vos, vel alium, seu alios, etiamsi sint extra loca, in quibus deputati estis Conseruatores, & iudices, prædictis Generali, Prouincialibus, & aliis Correctoribus, & Fratribus efficacis defensionis præsidio assistentes, non permittatis, eosdem super libertatibus, priuilegiis, indultis, rebus, & bonis prædictis, ab eisdem, & quibuslibet aliis indebitè molestari; vel eis grauamina, vel damna, seu iniurias irrogari, aut coram quibuscumque iudicibus ordinariis, vel delegatis etiam Apostolicis, quauis occasione, vel causa, etiam criminali, eosdem Fratres trahi, facturi Generali, Prouincialibus, & aliis Correctoribus, ac Fratribus prædictis, cum ab eis, vel Procuratoribus suis, aut eorum aliquo fueritis requisiti, de prædictis, & aliis personis quibuslibet super restitutione bonorum, ac rerum, & iurium prædictorum, necnon libertatum, priuilegiorum, & indultorum prædictorum, & aliorum eis pro tempore concessorum obseruatione, necnon professorum, & se ab obedientia subtrahentium huiusmodi ad regularia loca dicti Ordinis reuocatione, & reductione, ac de quibuslibet molestiis, iniuriis, atque damnis præsentibus, & futuris, in illis videlicèt, quæ iudicialem requirunt indaginem, summariè, simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura iudicij; in aliis verò, prout qualitas eorum exegerit, iustitiæ complementum. Inhibendo etiam quibuscumque iudicibus prædictis, tam in principio, quàm in medio, vel in fine causæ, ne in causis dictorum Fratrum, etiam criminalibus, eisdem inuitis, se quomodolibet intromittant; ac occupatores, seu detentores, exactores, præsumptores, molestatores, ac iniuriatores huiusmodi; necnon inobedientes, & rebelles, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis extiterint, quandocumque, & quotiescumque expedierit, auctoritate nostra per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis. Et nihilominus, legitimis super his habendis seruatis processibus, illos, quos censuras, & pœnas per vos pro tempore latas, incurrisse constiterit, eas incurrisse declarare, & quoties opus fuerit, etiam iteratis vicibus, aggrauare curetis.

Citationes locis publicis affigendæ, vbi tutus non patet accessus.

§. 3. Cæterùm si per summariam informationem super his per vos habendam etiam vobis constiterit, quòd ad loca, in quibus occupatores, detentores, exactores, præsumptores, molestatores, & iniuriatores huiusmodi, ac alios, quos præsentes literæ concernunt, pro tempore morari contigerit, pro monitionibus ipsis, & citationibus de eis faciendis tutus non pateat accessus. Nos vobis citationes, & monitiones quaslibet per edicta publica locis affigenda publicis, & partibus illis vicinis, de quibus sit verisimilis coniectura, quòd ad notitiam citandorum, & monendorum huiusmodi peruenire valeant, faciendi plenam, & liberam concedimus tenore præsentium facultatem, ac volumus, & dicta auctoritate decernimus, quòd monitiones huiusmodi sic factæ, perinde eosdem citatos, & monitos arctent, ac si eis personaliter intimatæ extitissent.

Derogat contrariis.

§. 4. Non obstantibus, tam felic. rec. Bonifac. Papæ VIII. prædecessoris nostri de vna, & Concilij Generalis de duabus dietis, dummodò vltra tres dietas aliquis auctoritate præsentium non trahatur, quàm aliis quibuscumque constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, tam de iudicibus delegatis, & Conseruatoribus, quàm personis vltra certum numerum ad iudicium non vocandis; Necnon quibusvis priuilegiis, & indultis Apostolicis quibusvis personis sæcularibus, vel regularibus, Militiis, Communitatibus, Vniuersitatibus, Capitulis, Castris, Villis, Terris, & locis prædictis, ac quibusvis cathedralibus, etiam metropolitanis, vel collegiatis, aut aliis Ecclesiis, Capitulis, Conuentibus, Monasteriis, Hospitalibus, & aliis piis locis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, etiam de

non

non trahendis eorum Subditis, vel personis ipsarum Ecclesiarum, Ciuitatum, Vniuersitatum, Castrorum, Villarum, & locorum respectiue extra eas, aut coram aliis iudicibus, & personis, quàm eis etiam vigore quarumcunque literarum Apostolicarum, aut alias quibusuis modis, & qualitercumque ac sub quibusuis verbarum formis, & clausulis, etiam per nos, & Sedem prædictam, etiam iteratis vicibus concessis, innouatis, & confirmatis; quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illarum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus plena, expressa, specialis, specifica, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda foret, tenores huiusmodi, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dũtaxat specialiter, & expresse derogamus; Quòdque vos filij Canonici, Officiales, & Vicarij, de personis, quæ deputari possunt, Conseruatores non sitis; seu si aliquibus communiter, vel diuisim à prædicta sit Sede indultum, quòd excommunicari, suspendi, vel interdici non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto, & earum personis, locis, & ordinibus, & nominibus propriis mentionem, cæterisque contrariis quibuscumque.

Conseruatores prosequi valent articulum ab aliis inchoatum.

§. 5. *Cæterùm volumus; & Apostolica auctoritate decernimus, quòd quilibet vestrum prosequi valeat articulum etiam per alium inchoatum, quãuis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico præpeditus: Quòdque à datis præsentium sit vobis, & vnicuique vestrum in præmissis omnibus, & singulis cœptis, & non cœptis, præsentibus, & futuris perpetua potestas, & iurisdictio attributa, vt eo vigore, eaque firmitate possitis in præmissis omnibus cœptis, & non cœptis, præsentibus, & futuris, & pro prædictis procedere, ac si prædicta omnia, & singula coram vobis cœpta fuissent, & iurisdictio vestra, & cuiuslibet vestrum in prædictis omnibus, & singulis per citationem, & modum alium perpetuata legitimè extitisset, constitutione prædicta super Conseruatoribus, & alia qualibet in contrarium edita non obstantibus.*

Transumptis fidem adhiberi iubet.

§. 6. *Volumus etiam, & dicta Apostolica auctoritate decernimus, quòd ipsarum transumptis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Curiæ Ecclesiasticæ, aut personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, in iudicio, & alibi, vbi opus fuerit, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 19. Martij, 1524. Pontificatus nostri anno primo.*

CONSTITVTIO II.

Quâ approbat, & confirmat ex certa scientia officium, & Missam S. P. N. Francisci, & concedit indulgentias illud recitantibus, & Missam propriam celebrantibus.

CLEMENS PAPA VII.

Dilectis filiis Fratribus Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula, salutem & Apostolicam benedictionem.

§. 1. *Libenter ad ea concedenda inducimur, quæ deuotionis respiciunt incrementum. Cum itaque postquam felic. rec. Leo Papa X. prædecessor noster vniuersis, & singulis Archiepiscopis, Episcopis, & aliis quibuscumque Prælatis Ecclesiasticis, quatenus ipsi, & eorum singuli festum S. Francisci de Paula cum officio proprio, cum illud de Sedis Apostolicæ mandato ordinatum foret, alias cum officio vnius confessoris non Pontificis, cùm propria oratione in eius canonizatione ab eodem prædecessore edita die 2. Aprilis annuatim, nisi tunc occurreret maior hebdomada, vel octaua Paschæ huiusmodi, in suis solemniter, in vestris verò Ecclesiis sub ritu festi duplicis, & cum octaua annuatim celebrarent, seu celebrari facerent, & mandarent, expressè per suas in forma Breuis literas commiserat, & mandauerat.*

Memorat const. 17. Leonis X. Vide quæ dico 3. part. Ric. ante officium S. P. N. notab. 1.

§. 2. *Vos de Sedis præfatæ mandato Missam, & officium eiusdem S. Francisci de Paula in dictis Ecclesiis, vt præfertur, deuotè celebranda & recitanda piè, & laudabiliter ordinari, & institui procuraueritis. Nobis humiliter supplicari fecistis, vt ordinationi, & institutioni Missæ, & huiusmodi officij potestatis nobis creditæ auctoritatem impertiri de benignitate Apostolica dignaremur.* Supplicatio.

Concedit indulgentiam 100. dierum recitantibus officium, & Missam Sancti Francisci.

§. 3. *Nos igitur, qui piis deuotarum personarum, præsertim religiosarum votis libenter annuimus, huiusmodi supplicationibus inclinati, ordinationem, institutionem officij huiusmodi (quod diligenter inspici, & examinari fecimus) auctoritate Apostolica, tenore præsentium approbamus, & confirmamus. Ac vobis, necnon omnibus, & singulis aliis Christi fidelibus, qui pro sua deuotione voluerint, vt Missam, & officium S. Francisci de Paula huiusmodi dicere, & recitare liberè, & licitè valeatis, & alij prædicti valeant, cuiusvis licentia super hoc minimè requisita, auctoritate, & tenore præsentium concedimus, pariter & indulgemus. Et nihilominus de omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, tam vestrum singulis, quàm omnibus, & aliis singulis Christi fidelibus præfatis, qui Missam, & officium huiusmodi in festo, & octaua prædictis deuotè celebrauerint; pro singulis festi, & octauæ huiusmodi diebus, quibus id fecerint, centum dies de iniunctis eis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus.*

§ 4.

Derogat contrariis.

§. 4. *Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque praesentibus perpetuis, & futuris temporibus valituris. Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die 17. Maij, 1528. Pontif. nostri anno 6.*

CONSTITVTIO III.

Quâ declarat, & de nouo concedit, quòd concessa vni domui, intelligantur concessa omnibus constructis, & construendis.

CLEMENS PAPA VII.
Dilectis filiis Fratribus Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula, salutem & Apostolicam benedictionem.

Memorat. const. 2. Iulij II §. 18 & 30. & Leonis X. 25. § 1.

§. 1. *Deuotionis augmentum vobis, Deo propitio, prouenire confidimus, si in his, quae status vestri tranquillitatem concernunt, nos vobis gratiosos, & fauorabiles exhibuerimus. Cum itaque sicut nobis nuper exponi fecistis, licèt dudum fel. rec. Iulius II. & Leo X. Romani Pontifices praedecessores nostri, omnia, & singula priuilegia, immunitates, & indulgentias, exemptiones, & indulta alicui domui vestri Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula particulariter, seu domibus alicuius Prouinciae eiusdem Ordinis specialiter concessa, ad omnes, & singulas domos ipsius Ordinis extendi voluerint; Ac idem Leo praedecessor omnibus, & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus Ecclesias vestrarum domorum in Pentecostes, & Annuntiationis, ac Assumptionis gloriosae V. M. festiuitatibus, necnon in festiuitate omnium Sanctorum deuotè visitantibus, decem annorum, & totidem quadragenarum indulgentiarum misericorditer elargitus fuerit. Necnon Correctoribus earundem domorum, sex, aut plures idoneos confessores pro dictorum Christi fidelium confessionibus audiendis deputandi facultatem concesserit. Nihilominus nimium curiosis haesitetur, an domus post praedictam concessionem de nouo constructae, seu susceptae, eisdem priuilegiis gaudere, & Correctores praefati tempore indulgentiarum huiusmodi tot confessores, quot necessary fuerint, deputare possint.*

Vide const. 2. Leonis X.

Concessa vni domui intelligantur concessa omnibus. Vide sup. in const. 4. Iulij II. §. 7.

§. 2. *Nos dicti vestri Ordinis vberes fructus in militanti Ecclesia afferentis, prosperum, & tranquillum statum, ac felicem successum paterno Zelantes affectu, ac, ne super praemissis aliquod haesitationis inuolucrum exoriri possit, prouidere volentes, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, omnia, & singula priuilegia, immunitates, indulgentias, exemptiones, & indulta, vni, aut pluribus domibus Ordinis huiusmodi specialiter concessa, ad omnes, & singulas ipsius Ordinis domos de nouo susceptas, & suscipiendas auctoritate Apostolica per praesentes de nouo extendimus, & ampliamus, ipsasque domos susceptas, & suscipiendas eisdem priuilegiis, immunitatibus, gratiis, indulgentiis, & indultis aliis domibus specialiter concessis, pariformiter, & aequè principaliter potiri, & gaudere, ac si singulis domibus susceptis, & suscipiendis, & Christi fidelibus illarum Ecclesias visitantibus specialiter concessa fuissent.*

Correctores tempore indulgentiarũ possunt deputare omnes confessores, qui erunt necessarij.

§. 3. *Ac tempore ipsarum indulgentiarum Correctores domorum huiusmodi tot, quot iuxta multitudinem populi necessarij fuerint, confessores deputare posse, & sic ab omnibus censeri debere, auctoritate, & tenore praedictis decernimus, & declaramus.*

Derogat cõtrariis.

§. 4. *Non obstantibus quibusuis Apostolicis, ac in Prouincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, & specialibus constitutionibus, & ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.*

Transumptis fidem adhiberi iubet.

§. 5. *Et quia difficile foret praesentes literas ad singula quaeque loca, vbi de illis fides facienda fuerit, deferri; volumus, & eadem auctoritate Apostolica decernimus, quòd ipsarum transumptis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Praelati, seu Curiae Ecclesiasticae munitis, in iudicio, & extra eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si exhibitae forent, vel ostensae. Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscat. die 22. Septemb. 1532. Pontif. nostri anno nono.*

CONSTITVTIO IV.

Quâ concedit visitantibus Ecclesiam S. Ludouici de Neapoli sextis feriis cuiuslibet hebdomadae centum dies de indulgentia.

CLEMENS PAPA VII.
Vniuersis & singulis Christi fidelibus praesentes literas inspecturis, salutem, & Apostolicam benedictionem.

Proœmium.

Saluatoris nostri D. N. Iesu Christi, qui pro Redemptione generis humani de summis coelorum ad huiusmodi infima descendere, & in ara Crucis temporalem mortem sponte subire dignatus est, vices, licèt immeriti, gerentes in terris, oues gregis sui cura nostra diuinitùs commissas, ad sinceritatis deuotionem, ac piae meritoria opera exercenda, spiritualibus muneribus, indulgentiis videlicet, & peccatorum remissionibus inuitamus, vt per illa redemptionis suae fructum, salutem videlicet ab omnibus desideratam, consequi, & ad aeternae beatitudinis gaudia feliciter peruenire mereantur.

Visitantibus nostras Ecclesias singulis feriis sextis concedit centum dies de iniunctis poenitentiis. Vide sup cõst. 8. Leo. X. num. 11.

§. 1. *Cupientes igitur, vt Ecclesia domus Sancti Ludouici Neapolis Ordinis Fratrum Minimorum Sancti Francisci de Paula, ad quam, sicut accepimus, sextis feriis magnus Christi fidelium concursus habetur, & in debita veneratione habeatur, & à Christi fidelibus congruis frequentetur honoribus, & ipsorum Christi fidelium ad Ecclesiam*

Ecclesiam ipsam confluentium deuotio feruentius inualescat, & animarum salus per ampliùs propagetur: De omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus, & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus vndequaque existentibus, verè pœnitentibus, & confessis, seu confitendi propositum habentibus, qui singulis sextis ferijs cuiuslibet hebdomada totius anni Ecclesiam prædictam deuotè visitauerint, & inibi semel orationem Dominicam, & tantundem salutationem Angelicam recitauerint, pro singulis sextis ferijs, quibus id fecerint, centum dies de iniunctis eis pœnitentijs misericorditer in Domino relaxamus.

Hæ indulgentiæ per nullas reuocatas intelliguntur.

§. 2. *Præsentibus, quas sub quibusuis reuocationibus, suspensionibus, & derogationibus similium, vel dissimilium indulgentiarum, per nos, & Sedem prædictam, etiam in fauorem expeditionis contra infideles, aut fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, seu aliarum Ecclesiarum, vel piorum locorum, seu Ordinum quocumcunque & ex quibusuis causis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, & aliàs quomodolibet factis, & faciendis nullatenus comprehensas, sed semper ab illis exceptas existere, & quoties illa emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, & de nouo concessas esse, & censeri debere, ac Christi fidelibus præfatis suffragari debere decernimus, perpetuis futuris temporibus valituris.*

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die 26. Iunij, 1533. Pontificatus nostri anno decimo.

CONSTITVTIO V.

Quâ concedit, quòd Generalis, & Prouincialis possint concedere licentiam alienandi res, quæ non excedunt valorem centum ducatorum auri de Camera, cum consensu duarum portium Conuentus, cuius sunt bona.

CLEMENS PAPA VII.

Dilectis filiis Magistro generali, & Prouinciali Romano reformato Ordinis Prædicatorum salutem, & Apostolicam benedictionem.

Supplicatio.

§. 1. *Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Thomas de Strozijs, Ord. Prædicatorum Professor, quòd licèt aliàs fel. rec. Leo Papa X. prædecessor noster per suas in forma Breuis literas, tam Magistro generali, quàm Vicario Congregationis Sancti Marci de Florentia Ordinis prædicti pro tempore existentibus, facultatem sibi Subditis in Italia Conuentibus, Fratribus, Monasterijs, sororibus, seu Monialibus, necnon Collegijs, ac personis vtriusque sexus de pœnitentia dicti Ordinis nuncupatis, bona immobilia pro euidenti vtilitate ipsorum locorum, ac personarum permutare, & vendere possent, licentiam dandi, sub datis die 25. Iulij, Pontific. eiusdem anno secundo concesserit. Quia tamen à nonnullis in dubium reuocari possit, an literæ prædictæ censeantur reuocatæ, eo quod nos nuper certis ex causis tunc expressis, Congregationem ipsam Sancti Marci suppresserimus, ac penitus extinxerimus domósque ac loca, necnon vtriusque personas quascumque Congregationis suppressæ, & extinctæ huiusmodi sub Prouincia Romana perpetuò existere, ac per Prouincialem dictæ Prouinciæ Romanæ reformatum perpetuò regi, per nostras sub plumbo literas, sub datis 6. Calend. Nouemb. Pontific. nostri anno 7. instituimus, & voluimus.*

Concedit prout in summario. Vide sup. const. 9. Iul. II & 14. Leon. X. & 5. Gregor. XIII.

§. 2. *Nos ad huiusmodi dubium tollendum, auctoritate Apostolica, tenore præsentium concedimus, vt pro tempore existens, tam Magister generalis, quàm Prouincialis Prouinciæ Romanæ reformatæ huiusmodi, sibi subditis in Italia Conuentibus, Fratribus, Monasterijs, Sororibus, seu Monialibus, necnon Collegijs, ac personis vtriusque sexus de pœnitentia dicti Ordinis nuncupatis, dicta facultate vti possint, videlicèt licentiam concedendi bona Conuentuum, & locorum huiusmodi ad certum tempus, ac in perpetuum locandi, vel in emphyteusim ad lineam masculinam concedendi, siue commutandi, aut vendendi, vel quomodocumque alio titulo alienandi bona immobilia, & pretiosa mobilia minùs vtilia, quæ nunc habent, & in posterum iusto titulo habituri sunt, tam pro satisfactione debitorum aliàs pro necessitate, seu vtilitate Conuentuum, & locorum prædictorum contractorum; aut, eadem vtilitate suggerente, contrahendorum, quam alia euidenti vtilitate ipsorum Conuentuum, Monasteriorum, vel Collegiorum. Proviso tamen, quòd pretium ipsorum bonorum immobilium, si vendantur, vel aliàs quouis modo alienentur, centum ducatorum auri de Camera secundum communem æstimationem valorem annuum non excedat, & in emptionem, reparationem, aut augmentum aliorum immobilium, aut necessariorum bonorum, seu præfatorum debitorum realem solutionem cum effectu conuertatur. Et ad hoc accedat consensus duarum partium vocalium Conuentus, Monasterij, vel Collegij, cuius sunt.*

Derogat contrariis.

§. 3. *Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, specialiter fel. rec. Pauli II. prædecessoris nostri contra alienantes res Ecclesiasticas, cæterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 25. Febr. 1531. Pontific. nostri anno octauo.*

CONSTI

CONSTITVTIO VI.

Quà concedit facultatem Superioribus damnandi Fratres scandalosos ad triremes.

CLEMENS PAPA VII.

Dilecte fili, salutem, & Apostolicam benedictionem.

Supplicatio.

§. 1. *Exponi nobis nuper fecisti, quòd nonnulli tui Ordinis Fratrum Minimorum S. Francisci de Paula professores, Dei timore postposito, eorumque salutis immemores, habitum suum regularem abiecerunt, seu eum illo hic inde per abrupta saeculi vagando discurrunt, & vitam à Regularibus ipsius Ordinis institutis plurimum alienam ducentes, aliorum facinorosorum persuasionibus, ac propria malitia ducti, diversis quaestionibus, & aliis illicitis actibus, necnon diversorum generum malis se immiscere non expavescunt, in ipsius propria salutis perniciem, & aliarum dicti Ordinis professorum malum exemplum, ac dicti Ordinis dedecus, & maximum scandalum. Quare pro parte tua fuit nobis humiliter supplicatum, vt scandalis, quae ex praemissis, & aliis similibus oriri possent, ac pro ipsorum Fratrum disculorum compescenda malitia, & effrenata voluntate, in praemissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.*

Concedit prout in sũmario. Vide tom. 2. Relig. cap. 27. sub concl. 1.

§. 2. *Nos igitur scandalis huiusmodi, ne eveniant, celeri passu occurrere, & dicti Ordinis, quem in visceribus charitatis gerimus, felici successui paternè consulere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi, & pro tempore existenti generali, ac Zeloso, necnon aliis Superioribus dicti Ordinis, omnes, & singulos dicti Ordinis Fratres, quos in quibusvis Civitatibus, & locis tam S.R.E. quam quorumvis Regum, Ducum, & aliorum Principum ditioni subiectis, inhonestè, & praeter Regularium institutorum eorundem observantiam viventes, & scandalum generantes, & incorrigibiles repereritis, ac vobis de eorum pravo vivendi modo per vos, vel testes fide dignos constiterit, corporaliter capiendi, seu capi, eosque iuxta criminum, & delictorum per eos perpetratorum qualitates, ad triremes perpetuò, vel ad tempus, absque aliqua iudicum Ecclesiasticorum, vel saecularium super eisdem criminibus, & delictis cognitione, vel sententia prolatione, detrudendi, & condemnandi, seu detrudi, & condemnari faciendi, sine conscientia scrupulo, omni tamen malitia, & specie vindictae ex parte vestra, & vobis in hoc assistentium cessantibus, plenam & liberam auctoritate Apostolica, tenore praesentium licentiam & facultatem concedimus.*

Capitanei triremium teneutur Fratres ad triremes damnatos recipere, & retinere.

§. 3. *Mandantes triremium earundem Capitaneis in virtute sanctae obedientiae, vt eosdem Fratres, quos iuxta conscientiam vestram, & de vobis assistentium consensu huiusmodi poena digños iudicaveritis, eis pro tempore consignatos, inibi delictorum suorum poenitentiam facturos recipiant & retineant.*

Derogat contrariis.

§. 4. *Non obstantibus quibusvis Apostolicis, & in Provincialibus, ac Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 29. Augusti, 1529. Pontific. nostri anno sexto.*

CONSTITVTIO VII.

Quà prohibet sub poena excommunicationis, cum reservatione, mulieribus ingressum in nostra Monasteria, & declarat, quanam debeant dici Fundatrices.

LAVRENTIVS, MISERATIONE diuinâ Episcopus Praenesten. S.R.E. Card. tit. SS. quatuor Coronatorum, ac maior Poenitentiarius, necnon Ordinis Minim. S. Francisci de Paula Protector, salutem.

Motiua.

§. 1. *Conquesti sunt nobis Provincialis, & Fratres Provinciae Calabriae Ordinis Minim. S. Francisci de Paula, quòd licèt in eorum Regula per summos Pontifices approbata, & confirmata, expressè caveatur, quod nullae mulieres eorum Monasteria, & septa ingredi possint, nec debeant, nisi fuerint dictorum Monasteriorum Fundatrices, aut de sanguine Regio procreatae. Fuerunt tamen nonnullae praedictas conditiones non habentes, quae solo praetextu, quòd Fratres huiusmodi habent Conventus in eorum, aut maritorum, sive parentum dominio, dicunt se Fundatrices, & curiositate magis, quàm devotione ductae, dictos Conventus in Ordinis praeiudicium, vi, & violentia, etiam contra Fratrum voluntatem ingressae sunt, ac in futurum ingredi comminantur.*

Nullę mulieres possunt nostros Cõventus ingredi. Vide sup. in cõst. 6. Iul. II. §. 1. num. 7. & const. 4. §. 1.

§. 2. *Nos igitur dictam Regulam illibatam, & in sui vigore tanquam sanctam permanere desiderantes, auctoritate S. D. N. Papae, nobis in hac parte tanquam dicti Ordinis Protectori, & maiori Poenitentiario expressè commissa, inhibemus sub excommunicationis latae sententiae poena quibusvis à praedictis Fundatricibus, aut de sanguine Regio procreatis mulieribus quacumque auctoritate, aut dignitate praefulgeant, ne Monasteria, aut septa quaecumque Fratrum Ordinis huiusmodi contra eorum Regulam, praesentium publicatione eis priùs facta, nisi à Sede Apostolica desuper licentiam obtinuissent, ingredi praesumant, aut attentent; alias sciant, se excommunicationis sententiam incursuras, à qua nullus sine nostra licentia, praeterquam in mortis articulo, eas absolvere possit, nisi Provincialis, in cuius Provincia hoc facere attentaverint, aut aliquis per eum deputatus, etiam praemissa iniuriae sibi factae satisfactione.*

§. 3

Mulieres, quæ dicuntur Fundatrices.

§. 3. *Insuper declaramus, iuxta factam per Capitulum generale fratrum huiusmodi expositionem, nullas mulieres debere vocari Fundatrices, nisi locum, siue fundum situs Monastery concesserint, aut Monasterium propriis sumptibus fabricari fecerint, siue redditibus ad vestitum fratrum dotauerint. In quorum omnium fidem præsentes nostra manu propria subscriptas, sigillo nostro communiri iussimus. Datum Romæ, in ædibus nostræ solitæ residentiæ anno Domini* 1527. *die* 15. *mensis Martij, Pontific. S.D.N.D. Clementis Papæ VII. anno* 4.

§. III.

1. NOto 1. quòd approbat statutum factum *in Capitulo Tholos. num.* 21. in quo determinatur, quod vnius Conuentus possint esse tres fundatores, vt dixi supra, *in const.* 1. *Iulij* §. 24. *numero* 50. Et habetur in Trid. *sess.* 25. *de reform. c.* 9. ibi, *vt igitur debita in omnibus*. Vbi in fundatione includit ædificationem, quæ sine fundo esse non potest, licèt ab alio fiat, vt Zerola 1. *p. prax. verbo. Ius patronatus, n.* 2.

2. Aduerte, quòd non repugnant, vnius Conuentus esse plures Fundatores, quàm tres. Nam possunt duo conuenire ad emendum fundum, & duo ad fabricandum, & duo ad dotandum, præsertim si Conuentus sit magnus. Colligitur *ex clem. fin. de iure patr.*

3. Sed qui? Sunt duæ Fundatrices vnius Conuentus, quæ reliquerunt duas filias, singulæ vnam; istæ filiæ sunt etiam Fundatrices, per statutum *Capituli Rom.* 4. *sess.* 9. Deinde istæ filiæ relinquunt post se decem filias, singulæ quinque, istæ decem filiæ nepotes primarum duarum Fundatricum, erunt-ne omnes Fundatrices, ita vt possint ingredi Monasteria nostra?

Respondeo. Verum quidem esse: duas filias relictas à duabus primis Fundatricibus esse Fundatrices, & gaudere priuilegiis, per dictum statutum, quod congruit *dicta clem.* At decem illæ neptes non sunt omnes Fundatrices, sed duæ solùm: nam Fundatricibus succedunt omnes filiæ, quas relinquunt per capita, ita vt si vna Fundatrix haberet decem filias, illæ omnes essent Fundatrices: filiæ verò istarum filiarum, seu neptes primarum Fundatricum succedunt per stirpes: Vnde duæ solùm primogenitæ filiæ filiarum, seu primarum neptes, Fundatrices erunt dicendæ. Colligitur *ex declaratione arboris iuris patronatus dicta clem. notab.* 5. Habet etiam Zerona 1. *p. prax. verbo Ius patronatus*, §. 8. *dub.* 11.

4. Noto denique, quòd in illo statuto Tolosan. *num.* 21. quòd hic approbatur, statuitur etiam, quod Fundatrices possint ingredi, non solùm in illos Conuentus, quorum sunt Fundatrices, sed etiam in omnes alios Conuentus Ordinis; quod vsus, & consuetudo ab illo tempore vsque nunc approbauit. Quam applicationem optimè admittit hoc priuilegium, quod est omnino fauorabile.

CONSTITVTIO VIII.

Quâ indulget, vt moniales possint cantare, & quòd in earum Monasteria possint intrare Generales causâ visitationis, confessarius causâ administrationis sacramentorum, medicus, & chirurgus causâ infirmitatis, & cæmentarij causâ ædificij.

ANTONIVS MISERATIONE diuina tit. SS. quatuor Coronatorum, Presbyter Cardinalis. Dilectis in Christo monialibus sub curia fratrum Minim. Ordinis S. Francisci de Paula, vbicumque degentibus salutem in Domino.

Proœmium.



INiunctam nobis ab Apostolica Sede seruitutis officium nos admonet, & inducit, quod ad ea libenter intendamus, per quæ Monasteriorum, & Religiosorum locorum omnium, & personarum, præsertim fœminei sexus, in illis regulari castimonia deditarum, felici regimini consulatur, & ex hoc populi erga illa deuotio augeatur.

Supplicatio. Vide infra in constit. 4. Pauli III. §. 4. à n. 1.

§. 1. *Sanè pro parte vestra nuper fuit expositum coram nobis, quòd licèt in Regula, & statutis vestris inter alia expressè caueatur, quòd vos in missis coram vobis in Monasteriorum vestrorum Ecclesiis solemniter celebrandis, introitum, & cætera officia per moniales aliarum Religionum decantari solita decantare non possitis; Nec aliquas personas in vestra Monasteria, præterquam ad Ecclesiam, & crates quovis modo ingredi permittatis, prout in Regula, & statutis prædictis dicitur pleniùs contineri. Quia tamen ex talibus statutis deuotio populi ad Ecclesias prædictas pro solemni missa audienda confluentis in dies minuitur, & quamplures virgines ab ingressu Ordinis huiusmodi retrahuntur, necnon visitationes Monasteriorum vestrorum à vestris Superioribus, & vestri curam gerentibus debita fieri nequeunt, propter quod à sincera vestra Regula obseruantia vos, vel aliæ pro tempore moniales vestri Ordinis in posterum declinare facilè posset contingere, cupitis, statuta, & Regulam huiusmodi circa præmissa moderari, super quibus supplicare fecistis humiliter, vobis per Sedem Apostolicam de opportuno, & salubri remedio misericorditer prouideri.*

Moniales possunt alta voce in missis respondere.

§ 2. *Nos igitur auctoritate D. Papæ, cuius Pœnitentiaria curam gerimus, & de eius speciali, expresso mandato super hoc viua vocis oraculo nobis facto, vt vos, & pro tempore moniales Ordinis prædicti in missis coram vobis in vestrorum Monasteriorum Ecclesiis solemniter celebrandis, etiam alta voce, sine tamen notulis, prout alia officia tam diurna, quàm nocturna simpliciter decantatis, respondere.*

Generalis causa visitationis potest Monasteria monialium ingredi licet confessarius tempore infirmitatis.

§. 3. *Necnon modernum, & pro tempore existentem dicti Ordinis fratrum Minimorum Generalem, vel ab eo Visitatorem deputandum causa visitationis semel tantùm quolibet triennio.*

§. 4. *Ac tempore maxima infirmitatis confessorem pro Eucharistia, & extrema-vnctionis sacramentis vobis administrandis, cum vestimentis sacerdotalibus, prout Superiores Ordinis fratrum Minorum S. Francisci Monasteria monialium S. Clara visitantes facere consueuerunt.*

Item medicus, & chirurgus, & artifices.

§. 5. *Necnon physicum, aut medicum pro flebotomia, apostemate, peste, incisura, aut alia vrgentissima causa, & artifices pro domus, vel Monasterij constructione, & necessaria reparatione ingredi permittere, liberè, & licitè possitis, & valeatis; ipsique Generalis, & Visitator ingredi absque alicuius Ecclesiastica censura incursu possint, & valeant, tenore prasentium indulgemus, ac vobiscum desuper misericorditer dispensamus, vobisque, & Generali, ac Visitatori pradictis, & confessori, physico, & artificibus prafatis licentiam, & liberam concedimus facultatem.*

Derogat contrariis.

§. 6. *Non obstantibus Regula, & statutis prafatis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, quibus quoad pramissa dumtaxat, illa in melius reformante, specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Roma, apud S. Petrum, sub sigillo officij Pœnitentiaria, tertio idus Iuly, Pontific. D. Clementis Papa VII. anno 9. Iulius Cardellus, locus sigilli.*

CONSTITVTIO IX.

Quà concedit, quòd Generalis quolibet triennio possit indulgentiam plenariam fratribus, & sororibus, tertiarys, ac Fundatoribus, Procuratoribus, & Conseruatoribus concedere, & quòd dicti possint sibi eligere confessorem in Ordine professum, qui eos absoluat à casibus Episcopis reseruatis.

LAVRENTIVS MISERATIONE diuina tit. SS. quatuor Coronatorum, S.R.E. Presbyter Cardinalis, ac maior Pœnitentiarius, & Ordinis Minimorum Protector.

Concedit prout in summario.

§. 1. *VNiuersis, & singulis prasentes literas nostras patentes inspecturis fidem facimus, & attestamur, quatenus S. in Christo P. & D. N. D. Clemens diuina prouidentia Papa VII. moderno, & pro tempore existenti Generali Ordinis fratrum Minim. vt omnibus, & singulis fratribus, & sororibus, tertiarijs, necnon singulis Fundatoribus, Conseruatoribus, & Procuratoribus singularum domorum dicti Ordinis, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem semel dumtaxat singulo quoque triennio elargiri, & concedere possit.*

Tertiarij, &c. vt in summario confessorem possunt eligere.

§. 2. *Ipsique fratres, & sorores, tertiarij, necnon Fundatores, Conseruatores & Procuratores de licentia dicti Generalis eligere possit vnum confessorem idoneum Ordinem professum, qui eos ab omnibus casibus, etiam Episcopalibus, & censuris Ecclesiasticis absoluere, & pœnitentiam salutarem pro modo culpa iniungere valeat, viua vocis oraculo desuper nobis facto concessit, pariter atque indulsit.*

Constitutionis firmatio.

§. 3. *In quorum fidem dictas patentes literas fieri, ac parui sigilli nostri impressione per infrascriptum Secretarium nostrum communiri fecimus, manuque nostra propria suscripsimus. Datum Roma, in Palatio Apostolico, in Camera nostra solita residentia, die 8. Aprilis 1524. Pontific. pradicti S. D. N. anno 1. Ita est. Laurentius tit. SS. quatuor Coronatorum Presbyter Cardin. manu propria, locus sigilli. P. Bombasius Secretarius.*

§ I.

1. QVæro 1. an istam indulgentiam possit nunc Generalis concedere. 2. An possit concedere quolibet triennio.

Ad 1. Respondeo. Posse optimè nunc Generalem dictam indulgentiam concedere; non enim vidi huius constit. aliquam reuocationem. Vide quæ dixi *suprà in const. 14. Leonis X. n. 12.*

Ad 2. Licèt videri possit alicui, mentem Papæ fuisse concedere, vt singuli Generales semel tantùm, suo officio durante, possent talem indulgentiam concedere; & cum Generalatus tunc non duraret, nisi ad triennium, & modò fuerit ad sexennium extensus, posset dici, quòd hanc facultatem non habeant singuli Generales, nisi semel in toto sexennio. Tamen quia nulla particula hic est, quæ mentem Papæ talem fuisse demonstret, ideo, cum priuilegium hoc sit omnino fauorabile, & nemini præiudiciale, puto quòd possit P. Generalis etiam nunc singulo quoque triennio hanc indulgentiam concedere, *Cap. cum dilecti, de donat.*

§. II.

2. QVæro 1. an ista facultas eligendi confessorem modò duret. 2. An dictos confessarius debeat esse approbatus ab Ordinario.

Ad. 1. Puto durare, sed non posse dictum confessarium absoluere à casibus Episcopis reseruatis de iure, vel consuetudine, per decreta Congregat. *sub Clem. VIII. sæpius cit.* & probabile est, posse etiam ab ipsis absoluere, per ea, quæ dico infra *in const. 2. Pauli III. §. 5. num. 6.*

Ad 2. dico, dictum confessorem quoad personas seculares debere nunc esse approbatum ab Ordinario, per Concil. Trident. *sess. 23. cap. 15. de reformat.*

CONSTI

CONSTITVTIO X.

Quâ concedit Superioribus Ord. Minimorum, & primis eorum Sociis, & specialiter Fratribus omnibus domus Sanctissima Trinitatis de Vrbe in certis diebus facultatem celebrandi Missas ad liberandum animas de Purgatorio.

LAVRENTIVS, EPISCOPVS Albanensis S. R. E. Card. SS. quatuor, ac maior Pœnitentiarius.

Concedit prout in summario.

§. 1. *VNiuersis, & singulis Christi fidelibus, præsentes literas nostras inspecturis fidem facimus, & attestamur, qualiter S. in Christo P. & D. N. D. Clemens diuina prouidentia Papa VII. ad humiles preces nostras, dilectis nobis in Christo venerab. Religiosis, Correctori domus Sanctissimæ Trinitatis de Vrbe, Ord. Minim. S. Francisci de Paula, ac aliis Fratribus domus Sanctissimæ Trinitatis dumtaxat; Generali verò, ac Zeloso, necnon Prouincialibus, & localibus Correctoribus, & aliis Superioribus Ordinis, etiam pro tempore existentibus, ac vni cuiuslibet ipsorum secundùm Religionis ingressum antiquiori Socio, vbicumque se transferre ex merito obedientiæ contigerit, vt singulis secundis, & quartis feriis cuiuslibet hebdomadæ totius anni, Missas pro animabus defunctorum celebrare volentes, easdem indulgentias pro animabus defunctorum huiusmodi consequantur, ac si in Ecclesiis SS. Sebastiani, Laurentij, & Scalæ Cœli, ac etiam Gregorij, & Potentianæ, extra, & intra muros almæ Vrbis celebrassent, ac pari modo Missæ huiusmodi animabus defunctorum, pro quibus eas celebrandas duxerint suffragentur perinde, ac si in præfatis, & aliis quibuscumque etiam qualitercumque priuilegiatis Ecclesiis intra, & extra muros Vrbis celebrassent, facto nobis desuper viuæ vocis oraculo, concessit, pariter atque indulsit, præsentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.*

Derogat contrariis.

§. 2. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. In quorum omnium fidem literas nostras fieri, nostrique sigilli oblongi iussimus appensione communiri. Datum Romæ, in ædibus nostris, sub anno à Natiuitate Domini 1524. die verò 10. mensis Iulij, Pontific. S. D. in Christo P. & D. N. D. Clementis diuina prouidentia Papæ VII. anno primo.

§ I.

1. NOto, quòd omnes Sacerdotes Conuentuales in Conuentu SS. Trinitatis de Vrbe Correctores locales, Prouinciales, ac Generales, necnon primus Senior Correctoris, & primus Collega Prouincialis, ac Generalis, singulis secundis, ac quartis feriis cuiuslibet hebdomadæ totius anni celebrantes Missas pro animabus Purgatorij, consequuntur pro dictis animabus omnes indulgentias, quas consequerentur, si celebrarent in Ecclesia S. Sebastiani, &c.

2. His occurrunt aliqua dubia. 1. An Fratres Sacerdotes hospites in dicto Conuentu SS. Trinitatis possint Missam dictis diebus cum prædictis indulgentiis celebrare. 2. An hoc priuilegium concessum Fratribus dicti Conuentus, extendatur ad omnes Conuentus Religionis. 3. An Superiores, & alij dicti, qui habent hoc priuilegium, illo fruantur si celebrent extra Ecclesias Ordinis. 4. An Vicarij Generales, & Conuentuales fruantur hoc priuilegio. 5. An Socius primus P. Zelosi hoc priuilegio fruatur. 6. An Vicarij generalis Hispaniæ primus Collega hoc priuilegio fruatur.

3. Ad 1. Respondeo, Meo videri posse, Tum quia per nostras constitutiones hospites, sunt subditi illi Correctori, in cuius Conuentu sunt hospites, *Cap. Val. 3. n. 47.* Tum quia quoad Fratres illos hoc priuilegium videtur locale, non personale, sicut quoad alios: Tum denique quia hoc priuilegium est summè fauorabile, & fauores ampliandi sunt.

4 Ad 2. Respondeo, Non extendi, nam conceditur Fratribus domus SS. Trinitatis dumtaxat, quæ dictio est taxatiua, de cuius natura est negare non expressa, quia habet annexam negatiuam implicitam. Tuschus *verbo Taxatiua concl.* 23. Ad quod non aduerterunt quidam qui existimauerint, posse omnes Fratres Minimos celebrando dictis diebus frui hoc priuilegio, & fortè id practicauerunt. Nec hic valet illud, Quod est concessum vni in specie, est concessum omnibus in communi; nam intelligitur, quando aliter non constat de mente concedentis, vt constat hic per illam dictionem, *dumtaxat*, quæ si non esset apposita, extenderetur hoc priuilegium ad omnes Sacerdotes Ordinis.

5. Ad 3. dico, frui, vt patet ex illis verbis *Vbicumque se transferre ex merito obedientiæ contigerit.*

6. Ad 4. dico, quòd gaudent; nam ibi dicitur, *Et aliis Superioribus Ordinis*, per quos, cum Prælati ordinarij expressè nominati sint, non possunt intelligi, nisi Vicarij ordinarij Conuentus, & Vicarij generales ad aliquod negotium deputati.

7. Ad 5. dico, quòd sine dubio fruitur, dicitur enim ibi, nominatis Superioribus, inter quos P. Zelosus, *ac vni cuiuslibet ipsorum secundùm Religionis ingressum antiquiori Socio*: At P. Zelosum habere vnum, vel plures Socios, constat ex nostris constitutionibus.

8. Ad 6. puto, quòd fruatur; quia hoc priuilegium, vt summè fauorabile, amplè est interpretandum. Et patet, quia Vicarij generales dicti sunt Superiores, & habent Socios, & priuilegium conceditur antiquiori Socio.

9. Solùm posset esse difficultas de Socio P. Zelosi, & Socio Vicarij generalis. Quia non eliguntur per electionem canonicam, sicut Socij aliorum Prælatorum. Sed Respondeo, Quòd electio Seniorum non est necesse quòd sit canonica, & audiui, in Capitulo generali Romæ vltimò celebrato ita declaratum fuisse à Prælatis visitationis tempore Clementis VIII. sicut neque etiam dixerunt esse canonicam electionem Commissorum. Ad quod confirmandum habetur *in Correctorio num.* 70. bonus textus, in quo electio Seniorum remittitur discretioni Superiorum Prælatorum, & tamen nullus dicet, quòd primus Senior ex electis à Prælato non gaudeat hoc priuilegio. Quare etiam puto; posse Prouincialem, quando deputat aliquem in Vicarium alicuius Conuentus, etiam ad suum nutum amouibilem, illi deputare suos Seniores, quorum primus hac potestate fruatur, quia hoc priuilegium, vt simpliciter fauorabile, est latè interpretandum. Quod vt meliùs intelligatur.

10. Noto, quòd priuilegia sunt duplicis generis. Alia, quæ sunt puri fauores, & pura beneficia, nulli præiudicium afferentia, neque iuri communi derogantia. Alia, quæ rigorosius priuilegia appellantur, quæ derogant iuri communi, vel alicuius tertij. Priora priuilegia sunt latè interpretanda, quantùm scilicet recta ratio, & pruden-

tia permittit, quia sunt mera beneficia Principis, & fauores ampliandi sunt in fauorem eorum, quorum fauores sunt, iuxta *cap. Olim de verb. signif.* Posteriora, priuilegia odiosa reputanda sunt in ordine ad interpretationem, & ideo restringenda potiùs, quàm extendenda. Ita Sanch. 8. *de matrim. disp.* 1. *n.* 1. *&* 4. Nauarr. *in summ. cap.* 12. *n.* 79. & habetur *in cap. Sanè, & cap. Porro, de priuil.* Et ratio est, tum quia derogatio iuris communis ex eo capite odiosa est, ideo vitanda quoad fieri potest, quòd si vitari omnino non possit, ne priuilegium reddatur inutile, erit restringenda. Tum quia priuilegium derogans iuri communi est iuris dispensatio, dispensatio autem est stricti iuris.

11. Ab hac autem Regula excipienda sunt priuilegia motu proprio, seu ex certa scientia concessa; nam hæc semper, etiamsi sint contra ius commune, latè sunt interpretanda. Abbas *in cap. Cum in cunctis*, §. *Cum verò, de elect. num.* 8. Fel. *in c. Ex parte, de rescript. num.* 13. *lim.* 6.

12. Excipienda etiam sunt ab hac regula priuilegia, quæ sunt in fauorem causæ piæ, seu Religionis, quæ etiam latè interpretanda sunt, vt Suar. *lib.* 8. *de leg. cap.* 27. *num.* 7.

13. Priuilegia autem, quæ inferunt præiudicium tertiæ personæ contra ius iam acquisitum, etiam strictè interpretanda sunt, quantum fieri potest, modò priuilegium inutile non reddatur: *cap. In his, de priuileg. & c.* 1. *de rescript.* Sylu. *verb. Priuil. q.* 3. Nauarr. *in sum. cap.* 12. *n.* 79. *versu illud autem*, quia simpliciter non est præsumendum, Principem velle alteri ius suum auferre, nisi id expressè declaret: sumitur ex *cap. Licet in corrig. de off. ord. c. Suarum, de auct. & vsu pall.* Ita Panorm. *in cap. Certificari, de sepult. n.* 9. & Suar. *c.* 27. *cit.*

14. Cum igitur nostrum hoc priuilegium non sit contra ius commune, neque in præiudicium tertij, sed sit merum beneficium Papæ in fauorem Religionis, ex omni capite latè interpretandum est, quantùm scilicèt recta ratio, & prudentia permittit: quæ mihi visa est permittere extensionem ad casus dictos.

15. Ad quæ magis corroboranda, nota, quòd quando personæ nostræ Religionis in re aliqua redduntur ancipites super priuilegiis, & gratiis concessis, & concedendis, possunt dicta priuilegia intelligere secundùm æquitatem in fauorem salutis animarum (non solum suarum, sed etiam aliorum proximorum, etiam quæ in Purgatorio existunt) iuris rigore, & Doctorum subtilitatibus relictis. Ita concessit Sixtus IV. Canonicis regularibus S. Saluatoris, vt refert Pereg. 1. *p. sui comp. n. Declarare*, §. 2.

CONSTITVTIO XI.

Quâ concedit, quòd Fratres possint se obligare ad suffragia perpetua.

ANTONIVS, MISERATIONE
Diuina tit. SS. quatuor Coronatorum
Presbyter Cardinalis.

Dilectis in Christo Generali, & Prouincialibus, ac localibus Correctoribus, & Fratribus Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula vbique locorum degentibus salutem in Domino.

Supplicatio. §. 1. *EX parte vestra fuit propositum coram nobis, quòd cum ex institutione vestri Ordinis ad aliqua suffragia in specie, sed dumtaxat in genere, ac sub generalitate omnium Missarum, & suffragiorum dicti Ordinis, aut solùm pro quinquaginta annis, vel citra, obligari nequeatis, & temporibus istis, solita fidelium charitate plurimum tepescente, vos sub vita quadragesimali Deo famulantes, & mendicitate vobis permissa, victui necessaria vix inuenire, & habere possitis; ac vobis, & locis vestris eleemosynas, & pia legata largiri, & concedere volentes, illa sub aliquo certo onere libentiùs, quàm sub generalitate Missarum, & suffragiorum prædictorum facerent, si certum pro eorum animarum salute suffragium post mortem eorum fundatum, & stabilitum reliquisse conspicerent, ex quo vestris, & locorum vestrorum commoditatibus non parum consuleretur. Quare nobis humiliter supplicari fecistis, vobis super his per Sedem Apostolicam de opportuno remedio misericorditer prouideri.*

§. 2. *Nos igitur auctoritate D. Papæ, cuius Pœnitentiariæ curam gerimus, & de eius speciali mandato super hoc viuæ vocis oraculo nobis facto, vt quæcumque legata, & relicta, vobis, & locis vestris hactenus, & in posterum pro tempore facta, etiam cum onere recitandi certas Missas seu alia certa suffragia, perpetuò, vel ad tempus, etiam vltra quinquaginta annos, prout pia fidelium voluntas ordinauerit, de licentia tamen, & consensu Capituli generalis, vel Prouincialis vestri Ordinis acceptare, & retinere, ac vos, & successores vestros pro executione, & implemento talium onerum obligare, absque alicuius conscientiæ scrupulo, aut censuræ Ecclesiasticæ incursu, liberè, & licitè valeatis, tenore præsentium perpetuò indulgemus, ac nobiscum desuper, quatenus opus sit, misericorditer dispensamus.* Concedit prout in sũmario. Vide sup. in const. 4 Iul. II. §. 4. à num. 18.

§. 3. *Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis statutis, & consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, cæterisque in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub sigillo officij Pœnitentiariæ, Idibus Octobris, Pontific. D. Clementis Papæ VII. anno nono.* Derogat contrariis.



ADDI

ADDITAMENTA
AD PRIMVM TOMVM
PRIVILEGIORVM MENDICANTIVM, PRÆSERTIM MINIMORVM.

CAPVT PRIMVM.

Circa Constitutionem Pyrrhi.

NOTO primo, quod in hisce rebus motabilibus semper aliquid occurrit addendum, vt constat ex huiusmodi auctoribus, producit enim semper noua germina intellectus nostri fœcunditas; Vnde dixerunt quidam viuentium auctorum opera non esse comparanda. Ast ego ita addere decreui, vt qui primos tomos coëmerint, hunc emere non necessitentur; nec similiter illos, qui hunc: Habet enim & hic propriam materiam, eiusdem quidem Generalis cum illa, sed ita diuidsam, vt sine illis intelligi, & capi possit. Quia verò, & ibi Priuilegia sum interpretatus, & hic sum interpretaturus, ideò non inutile futurum putaui, si aliqua breuiter dicerem de modo leges, & priuilegia interpretandi.

2. Noto 2. quod lex ex duabus partibus constat, nimirum ex verbis, & intellectu; *cap. Intelligentia, capite Propterea, de verb. signif.* Sed intellectus potior est. Tum quia à sensu legis recedendum non est; vt proprietas verborum obseruetur; *d. capite Propterea.* Tum quia non in foliis, sed in ratione, & sensu leges consistunt; *capite Marcion. 1. quæst. 1.* Tum quia potior est finis, quàm ea, quæ sunt ad finem, & verba homini data sunt ad exprimendam mentem, non è contra; *cap. Secundò requiris, de appel. cap. Intelligentia cit.*

3. Noto tertiò, quòd verba, & mens tripliciter se habere possunt ad inuicem. Primo, vt verba omnino menti respondeant; & tunc dubium non est, vtrumque obseruandum esse. Secundo, vt verba sint ita menti repugnantia, vt nulla possint distinctione componi; & tunc neutrum obseruandum est; nam qui alter dicit, quàm vult, neque id dicit, quod vox sonat, quia illud non vult neque id, quod vult, quia illud non eloquitur: & habetur in *l. Vbi repugnantia, ff. de reg. iur.* Colligitur *ex cap. Cum dilectus, de fide instr. §. Cæterum.* Tertio, ita, vt plus, vel minus verba dicant, quàm legislator voluerit; quo casu si clarè comprehendi possit, plus, vel minus esse intellectum, quàm scriptum, tunc verbà legis amplianda, vel restringenda sunt ita, vt menti respondeant: nam non solum dicitur esse secundum legem, quod scriptum est, sed etiam, quod est ex legis mente, vt dicit text. *in l. Nominis, & rei, §. Verbum, ff. de verb. signif.* & tunc non dicitur lex extendi, sed declarari iuxta implicitum, & occultum sensum, & qui legem declarat, nihil addit, *l. Hæredes palam, §. sed si notam, ff. de testam.*

4. Noto quarto, quòd verba duo plerumque significant, vnum directè, aliud indirectè per relationem, siue per coniunctionem ad rem directè, & apertè expressam. Directè significant, prout ex constitutione, vel consuetudine hominum nostris auribus sonare videntur, veluti cum dicimus, Petrum esse Religiosum regularem, intelligimus illum viuere in aliqua Religione: indirectè verò per coniunctionem intelligimus ipsum professionis vota emisisse, sub obedientia Prælati viuere, nec proprium, nec vxorem habere posse, quia hæc cum statu Religioso essentialiter coniuncta sunt, *cap. Cum ad Monasteriũ, de stat. Monach. §. Abbas verò, & §. seq.*

5. Noto 5. quòd vbi lex prohibet aliquem actum, ex mente legis dicitur prohibitus omnis modus, per quem in fraudem legis peruenitur ad illum actum, vnde non effugit pœnam legis, qui in fraudem legis committit; *l. Non dubium. C. de leg.* Nec interest, an vi, vel dolo legi fiat iniuria, *l. Fraus ff. eod.* Vnde, qui prohibitus est facere testamentum, prohibitus est etiam facere codicillum, vt colligitur *ex cap. Quamquam, de vsur. in 6. §. fin.* vbi Gloss. *verb. Aliter facta.* Quibus autem modis fiat fraus legi, vide Stephanom de Feder. *de iur. interpret. prima p. num. 47. & 512.*

6. Noto 6. quòd multis modis potest cognosci plus esse intellectum in lege, quam dictum, de quibus dictus de Feder. *loco cit. à num. 14.* I. ex definitione; si enim alicui rei in lege non comprehensæ conuenit definitio rei in lege comprehensæ, lex eodem modo de ea intelligitur. II. ea partibus, nam lex disponens de toto, intelligitur disponere de partibus eius, vnde qui potest facere testamentum, potest instituere, exhæredare, tutorem dare, &c. III. ex natura, nam videntur omnia expressa, quæ sont de natura rei, de qua loquitur tex. v. gr. qui tenenur vendere rem certam, tenetur stare de euictione, & qui locat domum potest locatarium eiicere, si ipse indigeat domo. IV. ex præsumptione consuetudinis, vel legis, nam hæc præsumnot aliqua esse dicta, licet dicta non sint, *c. 2. de rescrip.* vbi dicitur, qood hæc clausula, *si preces veritate nitantur*, intelligitur in rescriptis ex mente Papæ apposita, licet apposita non sit. V. ex origine & principio ipsius rei, de qua lex loquitur, nam lex disponens de origine alicuius rei intelligitur esse expressa etiam quoad ea, quæ exinde naturaliter oriuntur, *c. Translato, de consuet. c. Non debet, de consang. & aff.* vnde statum contrarium iuri communi non debet secundum ius commune interpretari, nam correcto iuri communi quoad principale, intelligitur etiam correctum quo ad consequentia. VI. ex fine, & effectu ipsius rei, nam vbi lex prohibet aliquem effectũ, & finem, prohibet etiam omnem modum, per quem peruenitur ad illum. VII. ex antecedente præparatorio, vel necessario ad id, de quo disponitur, vbi enim lex disponit rem quampiam ad aliquem pertinere, sequitur, quod ad eundem pertinere debeant præambula

præparatoria, vel necessaria, nam qui vult consequens, vult etiam antecedens necessarium ad illud: *leg. Illud, ff. acq. her.* Multis vero modis dicitur antecedens, de quibus dictus de Feder. *à num.* 72. v. g. Episcopus tenetur concedere licentiam suis subditis confessiones audiendi; sed ad id præexquiritur examen; ergo etiam examinare tenetur, *cap. Venerabilem, de elect.* ibi [ad cum examinatio personæ pertineat, ad quem manus impositio,] *cap. Inter corporalia, de transl. ep.* §. *sicut, ibi,* [expressum non fuerat] VIII. ex accessorio eius, nam cum accessorium sine principali non existat, naturale est, quod prohibito, siue concesso principali, intelligatur prohibitum, siue concessum eius accessorium, *regul. Accessorium, quaest.* 42. *de reg. iur. in* 6. Accessorium autem, & principale multis modis dicitur, de quibus dictus de Feder. *loco cit. à num* 61. IX. à consequenti, nam cui datur antecedens, videtur esse concessum consequens, sine quo antecedens esse non potest. Vnde cui concessum pacem inire, videtur concessum posse apponere pœnam pro pace seruanda. X. ea subrogatis, nam quæ disponuntur de aliqua re, intelliguntur esse disposita in re, quæ loco eius succedit, & subrogatur, *c. Maiores, de baptismo,* §. *ad id autem.* Quot modis dicatur subrogatum dictus de Feder. *à n.* 79. XI. ex adiunctis, nam concesso vno, videtur etiam concessũ adiunctum, sine quo concessum esse non potest, *leg. Cõtinuus,* §. *illud verò, ff. de verb. oblig.* vbi dicitur, quod quando aliquid indistinctè permittitur, intelligitur esse permissum tantum temporis, & loci, siue tante dilatio, qua res fieri possit. Et qui facit iniuriam subdito, dicitur facere iniuriam Prælato illius, & è conuerso, *leg.* 1. *ff. de inia. leg.* 1. *C. de in ius vocando,* vbi gloss. XII. ab vnione eius, de quo disponitur, scilicet in quo vnita sunt, cum enim duæ res voice factæ sunt, vt si duo monasteria vniantur, non debent diuerso iure censeri, *cap. Recolentes de statu Monach.* §. *Si enim.* XIII. à purificatis, siue commensuratis, nam quoties aliqua ita sunt paria, vt quod statuitur in vno, intelligatur statutum in alio, tunc, si lex noua aliquid disponit in eo, in quo sunt paria, extenditur ad aliud. v. g. solent aliqui Regulares pro vestuario singulis fratribus dare annuatim decem scuta, & Priori quindecim, si fiat statutum, quo determinetur pro singulis vestuariis fratrum quindecim scuta, vestuarium Prioris eodem statuto intelligitur auctum vsque ad scuta viginti duo cum dimidio. XIV. à correlatiuis; nam lex statuens aliquid in vno correlatiuo, intelligitur idem statuere in alio, in eo scilicet, in quo sunt correlatiua; vnde, si res aliqua prohibetur vendi, intelligitur etiam esse prohibita emi. XV. à contrariis, quæ medio carent, cum enim lex vnum ex contrariis permittit, videtur aliud contrarium, in eo, in quo sunt contraria, denegare, & è contra; vt si fides seruanda est, ergo perfidia, non est committenda, Sed multis modis possunt aliqua esse contraria, de quibus dictus de Feder. *à num.* 194. XVI. ex repetitione, vel subauditione, quæ fit per aliam legem interpretantem, vel interpretatam, vel per aliam legem loquentem circa illam materiam; quando scilicet lex noua non destruit veterem, sed confirmat, & corrigit in aliqua parte, vel renouat. Hæc tamen omnia intelligenda sunt, quando lex est rationabilis, nam si talis non est, & nihilominus temporum iniuria cogarit obseruare, stringenda semper est interpretatio, quod etiam faciendum in legibus odiosis.

7. Noto 7. ex dicto de Feder. *loc. cit. à num.* 118. quòd etiam multis modis cognosci potest in lege esse minus comprehensum ea mente legislatoris, quam verba sonare videantur; nam sicut sub verbis specialibus per coniunctionem, vel relationem ad expresse quædam comprehenduntur, etiamsi non exprimantur, ita in verbis generalibus propter distinctionem quædam intelliguntur esse excepta, licet expresse non excipiantur, *leg. Obligationes Generali ff. de pigner.* Vt cum dicimus, solus faber gladium facit, non excludimus malleum, & ignem, quo fit. Tripliciter autem restringuntur verba legis. I. per aliam legem. II. per antecedentia, & consequentia ipsius legis. III. ex mente ipsius legislatoris. Mens verò legislatoris multipliciter colligitur. I. ex natura vocabuli; nam hoc nomen consensus v. g. ea propria significatione excludit errorem, vim, & metum, *lege Error, ff. de iurisd. omn. ind.* Item verbum arbiter ex propria significatione excludit dolum, & iniquum iudicium. *leg. Si libertus, ff. de op. liber.* vnde sequitur, quod quibuscumque verbis, etiam latissimis, data sit potestas arbitratoribus, tamen semper videtur exceptus dolus, & enormis læsio; *cap. Quintavallis, de iur. iur.* II. ex consuetudine loquendi, & agendi, nam consuetudo dat significationem vocabulis, *leg. Anniculus amittitur, de verb. signif.* vnde dicimus ab omnibus dici, quod solum dicitur ab his, qui de materia tractant, & dicitur ab omnibus fieri, quod à maiori parte fit, *leg. Maiorem, ff. de pactis,* & dicitur quotidie fieri, quod frequenter fit, *leg.* 1. *ff. solut. matrim.* ibi non semper; & cum consuetudo vim legis obtineat, *cap. Cum dilectus, de consuet.* non est mirum, si habeat vim legem declarandi, ampliandi, & restringendi, *leg. Minimè, iuncta gloss. ff. de legib.* III. ex natura rei, siue negotij, v. g. de natura transactionis est, vt fiat super rebus dubiis; *cap. Super eo, de transact. l.* 1. *ff. de trans.* vnde quibuscumque verbis fiat transactio, non intelligitur facta super decisis. Item si alicui delegata est aliqua potestas, quibuscumque verbis id fiat, non potest excedere terminos naturales illius dignitatis, vel officij; *capite Quod translationem, de offic. leg.* Item de natura contractus conductionis, & pignoris est, vt conductor, & creditor non teneatur de casu fortuito; quare licet conductor, & creditor obliget se ad omnem custodiam, tamen videtur exceptus casus fortuitus, *l. Quæ fortuitis, ff. de pignoratitia act.* IV. ex præsumptione legis, v. gr. in quolibet iuramento semper intelligitur esse excepta auctoritas sui maioris, *cap. Venientes, de iur. iur.* V. ex iusta, & inopinata causa, de qua verisimiliter non erat cogitatum, v. gr. elapso termino à Iudice assignato ad excipiendum, excipi amplius non potest, nisi aliquid de nouo emergat, quod eo tempore nesciebatur, vt *in cap. Pastoralis de except.* Vnde stante lege, v. gr. quod Nouitij nullo vnquam tempore egrediantur Conuentu, nisi cum suo magistro, vel socio, si necessitas exitus insurgat, & magister, ac socius non possint præ infirmitate, aut alio impedimento notabili exire, poterit superior absque fractione talis legis dictos nouitios mittere cum alio fratre, & stante statuto, quod Regentes, vel Lectores non teneantur ire ad associandum corpora defunctorum, si necessitas fratrum, vel multitudo mortuorum exposcat, absque læsione legis cogi possunt ad associandum; nam quæ de nouo emergunt, nouo indigent auxilio; *cap. Insinuante, de offic. deleg.* VI. ex comparatione expressorum antecedentium, sequentium, vel coniunctorum. Vnde si rescriptum vilioribus personis committatur cum clausula Generali, in ea non comprehenduntur digniores personæ; *cap. Sedes de rescrip.* & donatis temporalibus, non intelliguntur donata spiritualia; *cap. Ex literis, de iur. patr.* nisi sint annexa, vt in iure patr. VII. ex ratione, & causa legis manifestè cessante restringitur lex, *lege Adigere,* §. *quamvis ff. de iure patron.* nam quemadmodum causa, & ratio legis illam extendit, ita, si cessat, debet illam restringere; nam contrariorum eadem debet esse disciplina. VIII. ex contrario fine, & effectu à legislatore intento; nam inducta ad vnum finem non debent operari contrarium, puta inducta ad augmentum non debent operari diminutionem, nec è contra, *regul. indultum, quæ est* 17. *reg. iur. in* 6. &

quæ

quæ inducta sunt in odium, non possunt retorqueri in fauorem ; arg. *legis Cum profitearis, C. de reuocand. don.* IX. restringitur lex, vt seruetur paritas, nam licet testis domesticus, vel coniunctus sanguine prohibeatur ; *cap. Postremo, de appell.* fallit tamen, vbi esset coniunctus vtrique parti, Gloss. *dicto cap. verb. Consanguineus.* X. restringitur lex ad improprietatem vitandam, & propter rationem naturalem, nam ratio naturalis pro lege scripta seruanda est, *leg. Scire oportet, §. sufficit, ff. de excus. tut.* nam ratio vincit legem, vincit consuetudinem, æquiualet canoni, & præponitur examplis ; *cap. Veritate, d.* 8. Io, à Capistrano, *in specul. conf. p. 2. num. 9.* cum enim lex fiat consilio pendentium, non debet dici, quod lex Generalis comprehendat casum, quem vir prudens non statuisset. Vnde lex Generalis non præsumitur comprehendere casum inhonestum, vel turpem, aut sapientem delictum, vel dolum, aut duli occasionem præstantem, *l. Quòd seruus, ff. de acq. poss.* vbi dicitur quod seruus acquirens aliquid ex turpitudine, vel illicito quæstu, non acquirit Domino ; quanquam regula sit, quod quicquid acquirit seruus, acquirit Domino, *leg. Placet, ff. de acquir. her.* Item, si conductor promisit ignem in domo locata non habere, non intelligitur de igne necessario ad victum se obligasse, *leg. Videamus, §. 1. ff. locat.* Item, si loco tibi villam, ita quod de damno dato stetur meo simplici iuramento, potest nihilominus Iudex tale iuramentum moderari, si vltra mensuram iurasse constet. arg. *leg. Qui restituere, iuncta gloss. verb. sine vlla taxatione, ff. de rei vendic.* Item dic, quod lex Generalis ita restringi debet, ne quis lucrum ex dolo, vel culpa sua capiat, *l. 1. §. 1. ff. de dolo* Item ne quis ex bono opere damnum patiatur, vel pœnam, *l Graccus, ff. de adult.* Item ne, melioris sint conditionis mali, quam boni, aut stulti, quam sapientes, aut contumaces, quam obedientes ; *cap. Contingit, de dolo, & contum.* Item dic, quod in lege Generali non comprehenditur casus, qui esset contra pietatem parentum, vel proprij sanguinis vnde si imponeretur pœna non denuntianti aliquod delictum, eam non incurrit, qui non denuntiat delictum patris, aut filij, vel fratris, arg. *l. 2. ff. de receptator.* Item debet restringi lex, ne quis alienum lucrum proprio præponat. *leg. Præses, ff. de seruitutibus, & aqua.* Item restringitur propter casum necessitatis : *capite Quod non est licitum, de reg. iur.* Item restringitur, ne fiat captiosa interpretatio, *cap. Constituimus, de concess. preb.*

8. Noto 8. quòd leges, & canones videntur aliquando contrarij, cum tamen re vera tales non sint ; nam multoties vna lex declarat aliam, putà noua veterem quæ erat obscura, seu ad maiorem cautelam noua lex inducitur, aut vna lex aliam legem distinguit, aut aliam supplet, aut limitat. Cum autem prædictis modis non possunt leges inuicem concordari, tunc dicendum est vnam legem alteram abrogare, & esse sibi contrarias, & tunc vna præualet alteri ; Primo ratione materiæ ; Secundo ratione modi ; Tertio ratione qualitatis, Ratione materiæ lex disponens de Religione, vel de rebus sacris, ita semper intelligenda est, vt potius deroget legi disponenti de rebus profanis, quàm è contra ; nam maxima est ratio, quæ pro Religione facit. *l. Sunt personæ, ff. de relig. & sumpt. fun.* Item lex disponens de bonis animæ præfertur legi disponenti de bonis corporis, nam anima est multo pretiosior corpore, *cap. Cum infirmitas, de pœnit. & remiss.* & lex disponens de bonis corporis præfertur legi disponenti de rebus exterioribus, cum illa dicantur esse de iure naturali, *l. Vt vim, ff. de iust. & iur.* & lex statuens, quod quis bona sua tueatur, derogat legi disponenti, quod tueatur aliena, nam ordinata charitas incipit à se ipso, *l. Præses, C. de seruit. & aqua.* Item lex continens ius publicum derogat legi continenti bonum priuatum, *l. Veluti, iuncta gl. ff. de iust. & iur.* Item lex fauorabilis derogat legi odiosæ cæteris paribus, *regul. Odia, quæ est 15. de reg. iur. in 6.* Item lex continens æquitatem derogat legi continenti rigorem, *l. placuit C. de iud.* Item lex disponens in casu necessitatis derogat legi non continenti casum necessarium ; *cap. Si quis per necessitatem, de furtis.* Ratione verò modi vna lex multipliciter derogat alteri, nam lex præcipiens, vel vetans derogat legi permittenti, vel toleranti, & lex vetans derogat legi præcipienti, & aduerte, quod lex annullans, vel imponens pœnas, dicitur vetare, *l. Prætor ait. §. Primo, ff. de nou. op. nunt.* vbi Gloss. *verb. expressum.* Item lex disponens principaliter de aliqua re propter se, præualet legi disponenti de re, quæ tendit ad aliud, puta de præparatoriis incidentibus, vel venientibus in consequentiam. Item lex procedens super veritate disponendo derogat legi disponenti super præsumptione. Item lex iubens, vel vetans, aut permittens derogat legi consulenti. Item lex iubens aliquid statim fieri derogat legi disponenti aliquid fieri in tempus, vel sub conditione. Ita de Feder. *de interp. iur. p. 2. n.* 83. 88. 89. & 90. Ratione qualitatis vna lex derogat alteri etiam multipliciter, nam lex iudicialis derogat legi conscientiæ in foro iudiciali, *cap. Tua nos, de sponsal.* Item lex canonica disponens de rebus profanis derogat legi ciuili in terris Ecclesiæ, lex vero ciuilis derogat legi canonicæ in terris imperij, *cap. Per venerabile, § primo qui filij sint legit. cap. 1. de nou. op. nunt. cap. final. de præscript.* Item lex municipalis derogat legi communi in suo municipio, sicut lex noua derogat legi veteri, & lex particularis derogat vniuersali, *cap. 1. de const. in 6. leg. Omnes populi, ff. de iust. & iur. leg. Non est nouum, l. Nam & posteriores, ff. de leg. cap. Si aduersus, de hær. reg. Generi,* quæ est 34. *de reg. iur. in 6.* Item lex inclusa in corpore iuris derogat legi extrauaganti incertæ fidei ; *cap. Pastoralis, de fide instrum.* Item lex obseruata de consuetudine derogat legi de consuetudine non obseruatæ, *leg. Minime, & leg. De quibus, ff. de legat.* Item lex habens clausulam derogatoriam derogat legi talem clausulam non habenti, licet hæc sit posterior, *leg. Nam & posteriores, ff. de leg.* si tamen neutra lex hanc habeat clausulam, posterior semper tollit priorem, etiam si de ea mentionem non faciat ; *cap. 1. de const. in 6.* quod intellige modo nulla possint distinctione concordari ; *cap. Cum expediat, de elect. in 6.* Quod tam verum est, quod licet in posteriori lege apposita sit clausula derogatoria, non tamen intelligitur abrogari prior, si possunt distinctione concordari, Gloss. *in Clement. prima de præb.* de Feder. *loc. cit. numero* 113. nam correctio legis, quantum fieri potest, vitanda est ; *capite, Cum dilectus, de consuet. cap. Si Papa, de priuileg. in 6.*

9. Noto 9. quòd quando legis verba sunt dubia, sensus ille capiendus est, qui vitio caret, & est secundum iustitiam, & rationem ; *l. Si serui vestri, iuncta, Glossa, C. de noxal.* vnde verba sententiæ debent intelligi secundùm quod iudex debebat pronuntiare ; *l. Miles, iuncta Gloss. §. 1. ff. de re iud.* Item ille sensus est eligendus, qui est potius conformis iuri communi, quam iuri particulari ; *l. Intestam. Cod. de testam. mil.* Item ille sensus eligendus est, qui non est captiosus ; *l. Aquiliana, ff. de transf.* Item ille sensus eligendus est, per quem legis sortiatur effectum ; *l. Cum quidam, C. de verb. sign.* & hoc etiamsi oporteat verba impropriare ; *cap. Petitio, de procur.* vbi Gloss. *verb. Intentio.* Item ; cum lex debeat esse de casu dubitabili, ille sensus capiendus est, qui fuerat dubitabilis, *l. Dominus labeo, ff. de testam.* Item, qui est fauorabilior : *l. In obscuris, ff. de regul. iur.* Item, qui est tutior : *l. Semper in obscuris, ff. eod.* Item verba de-

bent intelligi ſecundum ſubiectam materiam,de qua loquitur lex,quia verba rebus ſeruire debent, non è contra: *cap. Intelligentia, de verbor. ſignif.* Item quando verba legis poſſunt ſumi tam in bonam, quam in malam partem, ſi lex prohibeat, debeot ſumi in malam partem, ſi iubeat, vel permittat, in bonam: quia lex prohibet illicita, & iubet, & communiter permittit licita: *l. 1. ff. de iuſt. & iur.* Item ille ſenſus eſt eligendus, qui diſponit de rebus,prout communiter accidunt; *l. Nam ea, ff. de leg.* Item verba ambigua debent referri ad eam perſonam, ad quam res magis pertinet, *leg. Si ſeruus legatus, §. Qui margaritam, ff. de leg. 1.* Item ille ſenſus eſt eligendus, qui eſt magis proportionabilis rei; *reg. 45. Inſpicimus, de regul. iur. in 6.* Item verba intelliguntur ſecundùm qualitatem perſonæ. Item ille ſenſus eſt eligendus, qui magis ordinatur ad finem negotij. Item lex magis intelligenda eſt ſecundùm eum locum, in quo res per ipſam diſpoſita faciendaeſt, quàm ſecundum eum, in quo lex lata eſt. Item exceptuata eſſe debent de genere conteotorum. Ita de Feder. *part. 3. de iur. interp. à num. 21.* Item coniuncta vno iure determinati debent; *cap. Maiores, §. Caterum, de baptiſ.* Item qualitas adiecta verbo, debet intelligi ſecundum naturam verbi ſibi adiuncti, *l. In delictis §. Extraneus, ff. de noxal. act. l. Verbum erit, de verb. ſignific.* Item ille ſenſus accipiendus eſt, qui magis congruit in eo genere cum opulato, vel disiuncto: *l. Seruus mit; & leg. Quiſquis, ff. de verb. ſignific.* Item clauſula generalis in dubiis comprehendit caſus ſimiles expreſſis; *cap. Sedes, de reſer.* Item verba dubia ad vnum finem diſpoſita, ad alium contrarium trahi non debent *l. Nulla ratio, ff. de leg.* & hoc etiamſi oportet à proprietate verborum recedere: *l. Inſtrato, ff. de verbor. ſignific.* Item verba legis ita interpretanda ſunt quoad acceſſoria, ſicut quoad principalè. Item ille ſenſus eſt accipiendus, ex quo non ſequitur aliquid repugnans cum antecedenti. Item, ex quo non ſequitur abſurdum. Item lex interpretans debet intelligi ſecundum legem interpretatam. Item ſubrogata debent intelligi ſecundum qualitatem eorum, in cuius locum ſuccedunt. Item verba debent intelligi gradatim ſecundum gradum affectionis.Item verba debent trahi ad eum ſenſum, qui conueniat officio, dignitati, & poteſtati loquentis. Item verba debent intelligi ſecundum qualitatem loquentis v. gr. hoc nomen, *ſpecies*, ſi proferatur à Iuriſta debet intelligi de indiuiduo: ſecus, ſi proferatur à logico. Ita de Feder. *loc. cit. à num. 32.* Vnde conclude,quod illa eſt efficax legis interpretatio, quæ primo conuenit intellectui; ſecundo, quæ rei ſubiectæ: tertio, quæ verbis intellectis in propria ſignificatione, ideſt, ſecundum ſenſum maiorum noſtrorum, vel ſaltem ſecundum communem vſum hominum doctiorum, Nam in hoc bene Horatius de art. Poët.

Multa renaſcentur, quæ iam cecidere, cadentque,
Quæ nunc ſunt in honore, vocabula, ſi volet vſus.

Ex quibus autem locis colligatur propria vocabulorum ſignificatio, vide de Feder. *loc. cit. à num. 69.*

10. Noto 10. in opinionibus DD. eligendis, quod primo illa opinio eſt magis eligenda, quæ conſuetudine approbatur: nam conſuetudo eſt optima legum interpres: *cap. Cum dilectus, de conſuet.* Secundo, vbi de conſuetudine non conſtat, illa opinio eſt magis eligenda, quæ altero iure comprobatur. Tertiò, vbi de conſuetudine, vel altero iure non conſtat, tunc illa opinio eſt eligenda,quæ efficacioribus rationibus comprobatur, etiamſi plures in contrarium ſentiant: *clem. prima in fine de ſum. Trin. cap. Suborta, de re iud. §. Iudicibus autem: cap. Ego ſolis, d. 9. cap. 1. de decim.* Illa vero ratio dicitur efficacior, quæ eſt ſecundum ius naturale, quàm quæ eſt ſecundum ius ciuile: *cap. Conſuetudo diſtinc. prima*, & quæ eſt ſecundùm ius diuinum, quàm quæ ſecundum ius canonicum: *cap. Licet ex quadam, in fine, de teſt.* Item, quæ eſt ſecundum æquitatem ſcriptam, quàm quæ ſecundum rigorem? *leg. Si ſeruum, §. Sequitur, ff. de verb. obl.* Item quæ eſt ſecundum mentem, quàm quæ ſecundùm verba; *l. Scire leges, ff. de leg.* Item,quæ ſecundum verba, quàm quæ ſecundùm ſimilitudinem, vel rationem incertam, *cap. Per venerabilem, qui fil. ſint legitimi §. Si vero.* Item illa eſt ratio efficacior, quæ eſt per regulas iuris, quam ea, quæ tenet, vt ſit ſpeciale, iuxta Gloſſ. *in l. Omnis definitio, ff. de reg. iur.* Quartò vbi de euidentioribus rationibus non conſtat, tunc illa eſt eligenda opinio, quæ eſt tutior, *cap. Iuuenis, de ſpeuſ. cap. Significauit, de homicid.* Quintò illa opinio eſt eligenda, quæ eſt fauorabilis, & magis benigna,& propter quam res valet, & non perit; *l. In obſcura voluntate, l. Quoties dubia, de reg. iur. cap. Si vir, de cognat. ſpirit. cap. 1. eod. tit. cap. fin. de reiud.* Illa autem opinio eſt magis benigna, quæ fauet iuramento, matrimonio, libertati, teſtamento, Religioni, ſiue reo. Vide Io. Andr. *in cap. 1. ad fin. de ſum. Trin.* & Hoſtien. *& dicto cap. Si vir.* Et hoc, etiamſi opinio communis ſit contraria, vt ait De Feder. *de interp. iur. p. vlt. num. 111.* Sexto illa opinio eſt magis eligenda, quæ eſt approbata à prudentioribus, licet in contrariam partem ſint plures. *cap. In canonicis, d. 19. cap. Decretales, d. 20.* prudentiores verò in iure ciuili æſtimantur Bartol. Baldus, Azor. In canonico, Innoc. Io. Andr. Abbas, quibus tamen omnibus ſemper ſunt anteponendæ gloſſæ, In moralibus, & ſcholaſticis omnibus præferendus eſt D. Thomas. Ego Syluestrum, Angelum, & Vegam plurimi facio. In dubiis autem circa quæſtiones ciuiles magis credo Legiſtis, quàm Canoniſtis. Circa quæſtiones canonicas magis canoniſtis, quam Legiſtis; & quando agitur de rebus pertinentibus ad ſalutem, & fidei veritatem, magis credendum Theologis, quàm aliis; quia ipſi plus norunt diſcernere inter leptam, & lepram & magis vacant ſtudio rerum ad æternam ſalutem pertinentium. Et ſic quando agitur de mente S. Thomæ,magis credo Thomiſtis naturalibus, quàm aliis,& quando agitur de mente Scoti,magis credo Scotiſtis naturalibus,& ſic de cæteris;nam vnuſquiſque præſumitur peritus in arte ſua; *cap. Propoſuiſti, de prob.* & omne artificium per continuum exercitium ſuſcipit incrementum, *leg. Legatis ſeruis, §. Ornatricibus, ff. de legatis*, 3. & ea quæ ſunt in domo à nullo melius poſſunt explicari, quam ab iis, qui ſunt de domo, *l. Conſenſu, C. de rep.* Tandem illa opinio eſt magis eligenda, quæ à pluribus comprobatur, *l. Maiores, ff. de pactis*: ſeu,quæ magis eſt probabilis;probabilis autem ſententia eſt illa, quæ iuri, & rationi innititur, *cap. Conſuetudo, d. prima*, nec DD. quantumuis magnæ auctoritatis credendum, ſi ſine lege, aut ratione loquantur, vt ait Archid. *in cap. Nolite timere, 11. quæſt. 3.* erubeſcibile enim eſt, aliquid dicere,& per legem non probare, vt multis probat Paulus Rolellus *in floribus legum,verbo Erubeſcimus.* Et tandem hic nota, quod ſequens opinionem probabilem non ſolum non peccat, ſed etiam valide operatur, etiamſi opinio illa alias ſit falſa, confert enim tunc Eccleſia iuriſdictionem agenti ad validandum actum. Ita Leſſius *lib. 2. c. 29. dub. 8. n. 68.* & alij multi apud Dianam, *tom. 3. tract. 2. reſol. 3.*

11. Noto 11. quòd in num. 2. conſtit. Pyrrhi dicebam, quòd antiquitùs approbare Religiones, ad Epiſcopos pertinebat pro ſua diœceſi; & DD. ibi ad hoc adductis addendi ſunt, Suar. *tom. 3. de Relig. libr. 2. c. 17. num. 2.* Leſſius *lib. 2. de iuſt. cap. 41. n. 12.* Mirand. *tom. 1. man. q. 3. art. 6.*

12. Noto 12. circa *eandem conſt. in fine num. 10.* quod tunc dicitur ſtatutum eſſe contra ius commune, quando diſponit aliquid contra aliquem canonem, vel legem

legem Pontificiam, Primo positiuè, Secundo negatiuè; seu Prima contra ius prohibens, Secundo contrarius concedens, vel non auferens aliquid. Statutum positiuè contrarium iuri communi, vbi scilicet aliquid fieri mandatur, vel prohibetur, per inferiorem Summo Pontifice fieri non potest. Statutum verò, quod solum est negatiuè contrarium iuri communi, fieri potest per inferiorem Summo Pontifice, verbi gratia, Concilium Tridentinum præcipit, quod nulla professio facta ante 16. annum sit valida, si statutum iuri illi Trident. contrarium positiuè, quia Canon Trident. prohibet ante illud tempus professiones fieri; si autem fieret statutum in aliqua religione, quòd nullus ad professionem reciperetur, nisi in ætate 18. annorum, illud non esset iuri Trid. contrarium, nisi negatiuè quia Trid. prohibens, ne ante dictam ætatem professio fiat, in dicta ætate fieri concedit. Atque ita Suar. *tom. 4. de Relig. tract. 5. lib. 2. cap. 2. num. 5.* qui ex hoc concludit, quod statutum aliquarum Religionum, quòd descendentes ex genere Iudæorum non possint in eis ad professionem admitti, non est contra ius commune, quia *cap. eam te, de rescript.* non præcipit tales esse habiles ad omnem Religionem, quod etiam sensit Cajet. *tom. 1. opusc. tract. 31. resp. 6.* & Vechius *de Nouit. disp. 4. dub. 1. num. 5.* E contra verò statutum factum in nostra Religione *cap. Val. 5. num 17.* quod fratres professi alterius Religionis ad nostram Religionem recepti, in ea non præficiantur, videtur contra ius commune; quia *in cap. Ad decorem, de instit.* expresse mandat Papa, quod idonei, vndequaque originem ducerint, ad dignitates præficiantur. Ego tamen *tom. 1. relig. q. 1. cap. 15. §. 3. vers. Itaque*, existimaui illud statutum de descendentibus esse contra ius commune, quod nunc etiam confirmo, dicitur enim, *in dicto cap. Eamte, Pro eo, quòd Iudæus extiterit, ipsum dedignari non debes.* Ex quibus verbis constat, mentem Pontificis fuisse, vt origo non debeat nocere conuersis. Atque ita hanc sententiam amplectitur cum multis DD. Barbof. *de potest. Episc. p. 1. tit. 2. gloss. 17. n. 27.* quod in nostra religione est certum per *const. 3. Gregor. 13. tom. 2. nostr. priuil.*

13. Solùm posset dubitari, an hæc Constitutio Gregor. habeat locum in aliis Religionibus. Puto habere, nam est in fauorem Religionis Christianæ, & ex contrariis statutis damnum sequeretur in Ecclesia Dei, possent enim ex hoc solùm multi retrahi ab amplectenda nostra fide, atque ita illi, qui sunt instituti ad dictam fidem propugnandam, illam impediunt. Adde, quòd multæ Religiones huiusmodi constitutiones in specie habent, ad tollenda diuerticula, vt dixi *tomo 2. priu. in const. 3. Greg. 13. num. 1.*

14. Noto 14. circa *eandem const. post num. 36* quòd Missas nouas celebrantes possunt se tantùm ad populum vertere in medio altaris, & sic oblationes sponte factas accipere, non autem Ecclesiam ob eam causam circuire. Ita declarasse Sacram Congregationem, refert Riccius *1. p. praxis, decis. 749.* Sed hic Gennæ per Decretum eiusdem Congreg. prohibitæ sunt omnino huiusmodi oblationes directè, vel indirectè, ob turpem negotiationem, quæ in ipsis fiebat. Vbi tamen præfata turpis negotiatio non adest, non improbo inueteratam consuetudinem.

15. Quæres hic primo, an in festo duplici possit dici Missa votiua, quæ non sit de Festo? Respondeo, Posse, quia Rubrica de non dicenda Missa votiua in festo duplici, directiua est, quæ secundum communem DD. non obligat ad culpam, vt Fagund. *in primo precepto Eccles. lib. 3. cap. 21. num. 8.* præsertim quando adest aliqua causa, puta deuotio magna petentis, vel Sacerdotis obligatio pro implenda defunctorum mente. Atque ita Suarez *tom. 3. in 3. p. disp. 83. sect. 3 concl. 1.* Pottel. *in addit. ad dub. regular. verbo Missa, numero septimo*, Henriquez *lib. 9. cap. 13. numero 5.* vbi *in commo. liter. H.* multos citat Scotia *de Sacrif. Missa, libro secundo, cap. 17. numero secundo.* Diana *part. secund. tract. 14. resol. 30.* apud quem alij, Gloss *in summa in cap. Quidam laicorum, de celebrat. Missarum.* Angel. *verb. Missa, §. 33.* Rosel. *eodem §. finali*, qui duo expresse dicunt, quod quando in vna Ecclesia sunt plures Sacerdotes, sufficit, quòd vnus celebret Missam correspondentem officio, cæteri possunt Missas votiuas pro deuotione petentium celebrare. Quibus suffragari visa est Sacra Congregat. Rituum, quando *anno 1626. die 20. Iunij* declarauit in festis duplicibus, quæ non sunt de præcepto, posse celebrari Missas pro defunctis ad implendam ipsorum defunctorum, non hæredum, voluntatem, vt refert Gauantus *in rubr. Miss. 1. part. tit. 5. versu Sacra tamen.* In Festis verò duplicibus, quæ sunt de præcepto, habet consuetudo, quod Missæ votiuæ non celebrentur, nisi pro graui, & publica causa, vt pro electione Pastoris, &c. In his tamen diebus adhuc potest celebrari Missa pro defunctis, etiam in Dominicis, & festis, quantumvis solemnibus, corpore in sepulto. Ita declarauit eadem Sacra Congregatio 23. *Maij*, 1603. vt refert idem Gauantus *loco citat. versu Nisi in die depositionis*, except. tamen die Parasceue, & Paschæ, vt idem Gauant. *loco citat.* Colligitur etiam *ex Ritual. Roman. tit. de exeq. in princip. & fine*

16. Quæres secundo. An in Ecclesiis collegiatis sit quotidie dicenda Missa? Respondeo, Affirmatiuè. Ita Suar. *tom. 3. in 3. part. disp. 80. sect. 2. conclus. 2.* Fagund. *in 1. præcept. Eccles. lib. 3. cap. 15. numero 9.* Ledesm. *1. part. sum. de Sacram. Eucharist. capite 19. conclus. 2. pag. mihi 179* Probatur *ex cap. Cum creatura, de celebrat. Miss.* & hoc sub pœna peccati mortalis secundum præfatos Doctor. & communem. Limita tamen, vt possit propter grauem, & vrgentem necessitatem omitti seclusio scandalo: Nam humana præcepta humano modo intelligenda sunt.

17. Quæres tertio. An in dictis Ecclesiis Collegiatis in feriis Quadragesimæ, Quatuor Temporum, Rogationum, Vigiliarum, in quibus festum aliquod nouem lectionum occurrit, sint cantandæ duæ Missæ, vna de Feria, altera de Sancto; an verò sufficiat, eas priuatas, seu bassas dicere? Respondeo Gauantus in Rubricis Missalis, *part. 3. tit. 11. num. 7.* prætendit, quod duæ omnino sint cantandæ, sub mortali, & pro se *num. 11.* adducit Decretum Sacræ Congregat. Rituum, quod aufert consuetudinem in contrarium. Aliis tamen dura nimis videtur hæc sententia, vnde aiunt, sufficere, quòd vna cantetur, & altera dicatur bassa. Decretum Congregat. solùm dicit, quòd cantetur Missa de Feria, & ita seruari video in praxi.

18. Quæres quarto. Quæ Ecclesiæ dicantur Collegiatæ? Respondeo, Rodrig. *tom. 1. q. regul. quæst. 43. art. 12.* putat quòd ad constituendam Ecclesiam Collegiatam non sufficiat residere in ea Collegium, sed quod sit necesse, quòd in prima sui fundatione Collegium io co institutum sit; quando autem id constare non potest, id colligi ait, si Ecclesia consueuerat constituere Syndicum, ac per eum iutare, & lites mouere, sigillùmque commune habere, Prælatum eligere, &c. Ratione Sacerdotum Collegium dicitur, cui ad minus tres seruiunt Sacerdotes, iuxta Glossam *in cap. Nullus de elect.* vbi ait, quod duo faciunt Congregationem, tres Collegium, & decem populum.

19. Quæres quinto. An Ecclesiæ Regulares, in quibus habitat multitudo Sacerdotum, dicantur collegiatæ, ad effectum, vt curat obligatio in diebus Quadragesimæ, &c. cantandi duas Missas de Sancto, & Feria. Respondeo, Alcozer *in rubr. Missalis, tract. 1. textu 3. gloss. 3. versu Las Ferias, in fine* ait, quòd sic, & affirmat, ita à Rom. fuisse responsum, putat tamen, non esse necesse, vt dictæ duæ Missæ iis temporibus cantentur,

cantentur, sed sufficere, quod dicantur priuatim. Rodrig. *loc. cit.* ait, quòd Monasteria, & Ecclesiæ, licèt collegia sint, non veniunt tamen nomine Ecclesiæ collegiatæ, quoad effectum celebrandi dictis diebus in eis duas Missas, quia cum hoc odiosum sit, ad Regulares non est extendendum; cui doctrinæ adhæret Gauant. *loc. cit. num.* 4. & Rodericus *in resolut. quæst. regul. resolut.* 25. *de celebrat. Missæ, num.* 10. & fauet multum *clem.* 1. *de celebrat. Miss.* §. *Ne igitur*, in qua Ecclesiæ cathedrales, regulares, & collegiatæ ponuntur tanquam membra distincta: ergo si Rubrica Missalis solùm loquitur de Ecclesiis cathedralibus, & collegiatis, cum sit odiosa non est extendenda ad Ecclesias Regulares, cum à disputatis in odiosis non rectè fiat illatio, *leg. Papinianus exul*, *ff. de min.* Et ratio etiam suadet maiorem obligationem currere Ecclesiis cathedralibus, & collegiatis, quàm Regularibus, nam clerici, & canonici ratione stipendij tenentur Missas, & diuina officia celebrare, ac Regulares solùm ratione consuetudinis ad maiorem Dei gloriam. Præterea Rodrig. *loco cit.* adducit ad hoc priuilegium Martini V. quo conceditur Regularibus, vt sufficiat iis temporibus dicere Missam de Feria cum Commemoratione Sancti, de quo sit Festum, vel si Festum sit duplex, vel semiduplex, sufficiat dicere Missam de Sancto, cum commemoratione feriæ, si in iis Ecclesiis non sit multitudo Fratrum.

20. Existimo itaque, quòd in Ecclesiis Regularium dictis diebus sufficiat dicere vnam Missam de Sancto, vel de feria modo dicto, præsertim si in iis non sint ad minus decem Sacerdotes. Si autem sint ibi decem Sacerdotes, & consuetudo sit dicendi duas Missas, hæc consuetudo, cum sit conformis Missali, & laudabilis, seruanda omnino est. Existimo etiam, quod in dictis Ecclesiis pro Missa Conuentuali etiam in festo duplici, quod tamen non sit de præcepto, vbi adest numerus competens Fratrum, sufficiat canere Missam defunctorum, præsertim vbi voluntas testatoris implenda est, & vbi consuetudo ita obtinuit, & pietas benefactorum ita deposcit. Colligo expressè *ex cap. Cum creatura, de celebrat. Miss.* quod in hoc casu puto locum habere. Existimo quoque, quòd in dictis Ecclesiis Regularium, vbi adsunt ad minus tres Sacerdotes, quotidie est celebranda Missa sub mortali, nec possunt Fratres vnius Conuentus omnes vno die ire ad dicendas Missas extra suam Ecclesiam, nec multo minùs ad recreationem, propria Ecclesia sine Missa relicta. Ita Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. disp.* 80. *sect.* 2. *conclus.* 2. Fagund. *in* 1. *præcept. Eccles. lib.* 3. *cap.* 15. *num.* 9. Henriq. *lib.* 9. *cap.* 24. *num.* 3. *in com. lit. A.* Ledesm. 1. *part. sum. de Sacram. Eucharist. cap.* 19. *conclus.* 2. Rodrig. *tom.* 1. *quæst. regul. quæst.* 43. *art.* 14. & alij communiter, hoc enim & habet consuetudo, & pertinet ad commune bonum Ecclesiæ, & colligitur *ex dicto c. Cum creatura, de celebr. Miss.* Dicunt tamen Suarez, Ledesma & Fagund. quòd in aliquo casu propter vrgentem necessitatem posset omitti; humana enim præcepta humano modo intelligenda sunt. Existimo etiam, quòd dicta Missa quotidie celebranda in dictis Ecclesiis, vbi adsunt saltem tres Sacerdotes, sub mortali, debet esse sub eodem peccato correspondens officio. Ita Angel. *verb. Missa*, §. 33. Roscl. *eodem*, §. *fin.* Cordub. *in comp. priuileg. mendic. verb. Moniales*, *part.* 2. Rodriguez *tom.* 3. *quæst. regul. quæst.* 6. *art.* 7. qui duo extendunt etiam ad Monasteria Monialium. Colligitur expressè *ex cit. cap. Cum creatura*, *de celebrat. Miss.* Non est tamen necesse, vt dicta Missa cantetur, vt innuit Gauantus *in rubric. Miss. part.* 3. *tit.* 11. *num.* 4. quatenus quoad hoc ponit differentiam inter Ecclesias Regulares, collegiatas; & dicunt Corduba, & Rodriguez, quod potest dicta Missa propter aliquam vrgentem rationem omitti, verbi gratia, si sit celebrandum pro defuncto in die depositionis suæ, vel ex tribus Sacerdotibus vnus eo die celebrare non possit. Sunt enim hæc humana præcepta. Existimo denique, quòd dicta Missa Conuentualis possit applicari pro quocumque voluerit Prælatus. Ita Cordub. *loc. cit. part.* 3. Rodrig. *cit. art.* 8. non enim apparet vllum præceptum, neque diuinum, neque humanum in contrarium, vnde intrat Regula, Quòd omnia sunt concessa, quæ non reperiuntur prohibita, quam probat Glossa *in cap. Cum Ecclesia Sutrina, verb. Ne veniret de causa possess.* Et ita etiam tenet R. P. Fr. Hieronymus Trimarchi Sacræ Theologiæ Lector, & iuris Pontificij Professor in Conuentu Messanensi Ordinis nostri in reuisione istius libri. Et tandem existimo, quod omissio Missæ solemnis in nostris Ecclesiis, etiam solitæ celebrari in diebus festiuis, etiam ex negligentia, non sit peccatum mortale secluso scandalo, quia consuetudo dictas Missas solemnes celebrandi non habet maiorem vim, quam Regula id præcipiens, quæ tamen ad nullam culpam obligat. Ita Dian. *tom.* 3. *tract.* 2. *resol.* 8.

21. Quæres 6. An alicui liceat facere sibi celebrari officium, vel Missas defunctorum dum viuit? Respondeo, Affirmatiuè; & est magis proficuum, quàm relinquere post mortem; nam dum celebrantur pro mortuis, solùm illis possunt prodesse quoad satisfactionem, at verò dum celebrantur pro viuis prosunt non solum quoad satisfactionem, sed etiam quoad impetrationem. Atque ita Nauarr. *lib.* 3. *cons. de celeb. Miss. cons.* 6. Fraxinell. *de Sacerd. oblig. sect.* 3. *prænot.* 4. §. 3. Homob. *de exam. Sacerd. tract.* 4. *cap.* 14 *quæstione* 128. *tom.* 1.

22. Quæres 7. An Sacerdos liber ab obligatione celebrandi Missam, dicendo Missam, possit eam applicare pro illo, qui primò stipem dederit? Respondeo, Affirmatiuè, quia apud Deum omnia tempora sunt præsentia. Ita Vega 2. *part. summ.* 28. *casu quinto*, apud quem multi, Bariol. *in aphor. lit. M. verb. Missa commendanda.* Negant tamen id posse fieri Henriq. *lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 1. & *lib.* 9. *c.* 21. *n.* 2. Fraxinell. *loc. cit. prænotion.* 5 §. 5. Fagundez *in* 1. *præcep. Eccles. lib.* 3. *cap.* 9. *num.* 10. qui tamen *n.* 8. concedit, quod potest Sacerdos celebrare pro intentione Sacristæ, Homob. *loc. cit. q.* 130. & dicunt, ita fuisse declaratum à Sacra Congregat. approbante Paulo V. *anno* 1605. *die* 5. *Nouemb.* Sosa *in tract.* quem facit, quòd non conuenit, quod Capuccini recipiantur in regno Castellæ, *pag.* 2. *vers. Lo sexto digo*, & declarationem ipsam refert Barbos. *de potestat. ep. p.* 2. *alleg.* 24. *num.* 12. qui tamen in eo venit corrigendus (nisi sit error impressoris, vel datæ) quòd dicit, hanc declarationem emanasse sub Clemente VIII. nam hic Pontifex mortuus est *die* 3. *Martij, anno* 1605. & Paulus V. creatus est *eodem anno die* 16. *Martij.*

23. Quæres 8. An obligatus ad quotidie celebrandum, possit singula hebdomada semel vacare? Respondeo affirmatiuè. Ita Nau. *in man. cap.* 25. *num.* 135. & *lib.* 3. *consil. de præb. cons.* 6. *num.* 5. vbi vnam continuam vacationem concedit, & aliquando duas; Henriq. *in sum. lib.* 9. *cap.* 24. *num.* 4. Fraxinel. *de sacerd. oblig. sect.* 4. *concl.* 4. §. 2. & 3. Sa *in aphor. verb. Missa, num.* 46. Homob. *in Exam. tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 23. *quæst.* 124. *vers. Ad* 2. *q.* Azor. *tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 24. *quæst.* 7. Rodriq. *in sum. p.* 1. *cap.* 42. *concl.* 2. qui vnam, & aliquando duas vacationes concedit; Fagund. *in p. præcept. Eccles. libr.* 3. *cap.* 15. *num.* 11. Barbos. *de potest. ep. p.* 2. *alleg.* 24. *num.* 28. Obligatio namque ad quotidie Missandum intelligitur salua honestate, prout declaratur *in cap. Significatum, de præb.* Honestum, verò est, vt possit singula hebdomada capellanus quiescere. Verum tamen est, quòd si obligaretur capellanus per se, vel per alium quotidie celebrare, vel obligatio esset annexa alicui altari, ita, vt teneretur singulis diebus in illo altari celebrare, tunc non posset vacationem sumere, sed teneretur per se, vel per alium celebrare,

&

& pacta seruare. Ita idem DD. qui etiam affirmans, quòd quando licitè potest capellanus vacationem sumese, non potest tempore vacantiæ, accepta stipe, pro aliis celebrare. Sed an possit dictus capellanus tempore dictæ vacantiæ ex charitate pro se, vel parentibus, aut amicis celebrare, non discutiunt. Ego puto, quòd sic, nam dura nimis esset captiuitas, obligare pauperem Sacerdotem, vt nullo vnquam tempore posset pro se, vel suis vnam Missam dicere. Et colligo clarè ex *d.c. Significatum*, ibi: *Salua honestate*, idest, æquitate; at honestas & æquitas talem indulgentiam concedunt. Colligo etiam ex illa clausula eiusdem cap. *Nec sibi liceat hoc illi subtrahere, siue causa voluptatis*. Ergo si non licet talem vacantiam assumere causa voluptatis corporalis, & temporalis, licebit quidem causa deuotionis, & charitatis, ac voluptatis spiritualis. Idem intellige, si Prælatus mihi quotidie celebrare præcipiet in genere, nam hoc præceptum etiam humano modo intelligendum est, cum sit humanum; humanitas autem, seu æquitas, vacationem concedit.

24. Sed quid, si capellanus obligatus ad quotidie celebrandum, infirmetur? Frazinell. *loc. cit.* §. 13. Barb. *loc. citat. num.* 31. Homob. *quæst.* 122. Genuen. *in prax. cap.* 47. *de capell. infirm. num.* 2. dicunt; quòd post quindecim dies tenetur per alium celebrare: Bonac. *de Sacram. disp.* 4. *quæst. vlt. p.* 8. *num.* 17. ait: quòd post quindecim dies tenetur per alium celebrare: Petrus verò Nauarr. *lib.* 2. *de rest. cap.* 2. *num.* 211. Rodriguez *in summ. part.* 1. *cap* 250. *concl.* 3. Bariol. *in aphorism. lit. C. verb. Capellanus ægrotans*, dicunt, quod si infirmitas est breuis, puta vnius, vel duorum mensium, non tenetur Capellanus per alium celebrare, nec ipse factus sanus relictas Missas dicere, quia cum fundator mentem suam non explicauerit, se non intendere stipendium dare, nisi quotidie celebranti, quacumque causa exclusa, non est credendum, quod voluerit tam strictè obligare, nec est rationabile tantùm emũgere. Vnde enim viuet pauper Capellanus infirmus, qui nihil habet præter stipendium Missæ, si eo paruo tempore; quo plus indiget, tenetur alteri stipendium elargiri. Hanc opinionem tenent etiam Gonzal. *ad reg.* 8. *cancell. gloss.* 5. *num.* 71. Camp. *in diuers. iur. rubric.* 7. *cap.* 6. *num.* 14. quatenus secuti dictum Nauarr. dicunt, non teneri dictum Capellanum per alium celebrare, quando breui tempore infirmatur: vnde per breue tempus intelligunt spatium duorum mensium, quod tempus etiam breue putat ad hunc effectum Tridentin. *sess.* 23. *cap.* 1. *de reform.* Quæ omnia quadrant Regularibus habentibus obligationes Missarum. Sed caue, quod idem dicas de Missis manualibus; nam hæ debent omnes celebrari, sicuti promissæ sunt.

25. Quæres 9. An Sacerdos possit alteri applicare valorem Missæ sibi competentem? Respondeo, aliqui affirmant, quia hic fructus non est gradus aliquis sanctitatis, neque remissio alicuius culpæ, sed solùm remissio alicuius pœnæ, qua non est inconueniens, quòd aliquis velit se priuare, etiamsi indigeat; potest enim alia via velle sibi prouidere. Ita Nauarr. *in manu. cap.* 25. *num.* 92. Henriquez *libr.* 9. *cap.* 21. *num.* 7. Scortia *de Sacrif. Missæ, lib.* 1. *cap.* 9. *versu, At si sermo*. Molfes. *tom.* 1. *summ. tract.* 3. *cap.* 15. *num.* 40. Mirand. *tom.* 1. *man. quæst.* 41. *art.* 17. Io. Suar. *in Enchiridion. lib.* 5. *verbo Missa, vers. Sacerdos*. Ex quo deducunt, posse Sacerdotem etiam regularem, priuare se valore Missæ sibi debito, & alteri applicare, ac pro tali applicatione aliam stipem recipere. Negant Bonacin. *de Sacrament. disput.* 4. *quæst. vltima, part.* 8. *num.* 16. Homobon. *de exam. tract.* 4. *cap.* 13. *quæst* 125. *tomo* 1. Rodrig. *part.* 1. *summ. cap.* 250. *num.* 2. quia talis valor personale priuilegium est, & nemini applicabile. Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. disput.* 79. *sect.* 9. *dub. vltimo*, distinguit de valore Missæ prouenienτe ex opere operantis, & de valore prouenienτe ex opere operato. De 1. concedit, quod applicari possit, & non est dubium. De 2. negat: quia sicut non potest applicari alteri remissio aliqua pœnæ, quæ ex Baptismo proueniat baptizato, neque indulgentiæ fructus potest alteri concedi, nisi de speciali facultate concedentis; ita neque potest hic valor alteri applicari. Mihi certè 1. sententia non displiceret, nisi foueret auaritiam, qua obcæcati aliqui pecuniam solam venerantur, & adorant, vnde transeo cum 2. sententia, & 1. admitto in casu, in aliquo Monasterio paupere creuisset adeò Missarum numerus, vt ei satisfacere non possent Sacerdotes ibi habitantes, nec haberet vnde posset dictas Missas aliis, data stipe, commendare.

26. Quæres 10. An quando in aliquo loco est assignatum stipendium pro celebranda Missa, possit pauper Sacerdos, qui nihil habet vnde viuat, nisi ex Missa, minus taxati stipendij accipere, & deinde ad iusti stipendij rationem Missas celebrare? Respondeo, Affirmatiuè. Nam qui minus taxati stipendij dat, & pro eo Missam celebrari pro se solo postulat, rem iniustam postulat: ergo quamvis Sacerdos paupertate coactus promittat absque iuramento, non tenetur talem promissionem implere, sed potest se indemnem seruare. Sicut famulus, aut operarius, cui condigna merces non tribuitur, potest damnum suum quo melius potuerit resarcire, etiamsi in principio ob paupertatem coactus sit pacisci pro iniusto, & inæquali stipendio, & similiter qui ob necessitatem cogitur triticum emere iniusto pretio, potest sine iniustitia alia via se indemnem seruare. Ita Suar. *tom* 3. *in* 3. *part. disputat.* 86. *sect.* 4 *vers. Vnde consequenter infero*; Mirand. *tom.* 1. *man. quæst.* 41. *art.* 23. *conclus.* 3. Tambur. *de iur. Abbat. tom.* 2. *disp.* 5. *quæst.* 9. *num.* 9. Neque his videtur obstare Decretum Sacræ Congreg. *de celebr. Miss.* §. 2. quod habes *tom.* 2. *huius op. in const.* 9. *Vrb. VIII.* vbi Congregat. sub obtestatione diuini iudicij mandat, vt tot Missæ dicantur, quot fuerunt præscriptæ, quamvis recepta stipendia sint exigua, & incongrua. Nam debet intelligi, quando omnino voluntariè, non coactus paupertate, contentus fuit oblato stipendio, & expresè promisit se tot Missas integras dicturum; quo modo etiam limitauit suam sententiam Suarez. Et tunc tenebitur magis ratione fidelitatis & præcepti, quam iustitiæ.

27. Sed pone, quod cuidam Sacerdoti commendatæ sint centum Missæ, verbi gratia, promisso iusto stipendio statim post earum celebrationem, iis celebratis, non potuit Sacerdos sine lite, & aliis incommodis lites concomitantibus, stipendium recuperare; si ab eodem deinde, qui primò commendauit dictas centum Missas, commendentur aliæ centum, poteritne sibi compensare minuendo has centum Missas, id quod consumpsit in priori stipendio recuperando? Respondeo, Affirmatiuè. Nam sicut Sacerdos accepto stipendio, tenetur ratione iustitiæ Missas celebrare, ita commendans Missas tenetur ratione iustitiæ in vtroque foro stipendium tribuere, vt bene Suar. *loc. citat. sect.* 1. *in princip.* & Henriquez *libr.* 9. *cap.* 21. *num* 4. sed in obligationibus iustitiæ datur compensatio, ergo & hic Sacerdos potest sibi damnum datum præcisè certum, & liquidum, iuxta communem taxationem, quod alia via recuperare non potest, compensare, iuxta ea, quæ de compensatione dicunt DD. & in specie Petrus Nauarr. *lib.* 3. *de restit. cap.* 5. *à num.* 397.

28. Quæres 11. An quando quis absque stipendio promittit alicui Missam se pro illo oblaturum, teneatur eam offerre? Respondeo, Non semper teneri, nam sæpè dicta promissio tantùm est simplex declaratio animi, & propositi, quod tunc habet, sine intentione se obligandi ad non morandum illud, sed omnino implendum, & tunc non manet rigorosa obligatio, sed solum ex quadam decentia, vt sine graui causa animus non

non mutetur. Ita Suar. *tom.* 3 *in* 3. *part. disp.* 86. *in princip.* Sanchez 1. *de sponsal. disputat.* 5. *numero* 23. Poyel. *in dubitat. regular. verb. Missa numero* 10. Si autem promittendo habuit animum se obligandi, adhuc tenet Diana cum multis *tract.* 17. *var. resolut. resolut.* 9. *in fine*, quòd non est mortale non obseruare: nam omissio sacri ex liberalitate promissi non est in genere damnorum spiritualium, quod possit constituere peccatum mortale. Si autem promittar sacrum ad soluendum gratitudinis debitum putat N. Trimarchi, quod celebrare tenetur; nam tunc iustitiæ, & naturalis debiti est talis promissio non simplicis liberalitatis.

29. Quæres 12. An sit aliquod remedium minuendi Missarum numerum? Respondeo, Olim Summos Pontifices volentes benemeritos de Sede Apostolica Mendicantes recognoscere, illis multis multa priuilegia concessêre, supplentes de thesauro Ecclesiæ, si quid fortè per hoc intentioni fidelium (quam Papam posse rationabiliter immutare, & stipem pro Missa datam in vim eleemosynæ conuertere, docet Henriq. *lib.* 9. *cap.* 22. *num.* 7.) detractum fuisset, nec in hoc dictos Pontifices errasse dici potest, neque minus quidquam intentioni fidelium detraxisse; nam quantum ad valorem Missæ impetratorium hic valor non minuitur ex eo, quòd pro pluribus offeratur, secundum communem sententiam, de qua Henriquez *loc. cit. cap.* 17. §. 5. & dicit claré Hieron. telaius *in Non mediocriter, de consecrat. d.* 5. quantum verò ad valorem satisfactorium cum Papa habeat vnde possit aliter soluere, parum refert, an soluat in aurea, vel argentea moneta, modo plenè debito satisfiat. Sed hæc priuilegia dormiunt hoc tempore: ad alia igitur remedia recurrendum. Et primum, & principale esset, non recipere Missas de nouo, nisi prius celebratis antiquis, neque recipere, nisi tot, quibus possit satisfieri. Sed inquiunt Mendicantes, Refrignit charitas fidelium: gratis eleemosynas absque onere Missarum qui tribuat, vix reperies: non possumus Fratres alere; disciplina Regularis euertitur, cum coguntur Monachi sibi necessaria perquirere: Monasteria, & Ecclesias reparare non possumus, nec debitas, & communes expensas pro Religione sustentanda supplere: & licèt mendicare non erubescamus, fodere tamen non valemus. At vos, inquam, in culpa estis, qui tot ad habitum recipitis, quos nequitis sustentare. Sed replicant. At id vitio tribui nobis non debet: sic enim hoc, vt Ecclesiis nostris; quas supra nos zelamus, & quibus fidelium deuotio gignitur, & nutritur, meliùs inseruiatur. Et esto, quod non nisi necessarios ad habitum recipiamus, antequam ad Sacerdotium ascendant, alendi nonne sunt? & lacte disciplinæ imbibendi tenelli? Egemus Religiosis ad Fratrum seruitia deputatis, qui tamen Missas non celebrant. Et esto, quòd in posterum nulli ampliùs Fratres essent recipiendi, nisi qui sustentari possent, de receptis quid faciendum? Cogimur itaque deuotos sæculares indecentissimè importunare, & claustrum pro victu quæritando relinquere potiùs, quàm diuinum iudicium, & omnipotentis Dei indignationem incurrere. Sed in his non est immorandum. Quando ergo excreuisset in aliqua Ecclesia tantus numerus Missarum, cui Sacerdotes illius satisfacere non possent, nec haberent vnde eas celebrari facere possent, peccassent quidem recipiendo, & ad restitutionem tenerentur; si autem non haberent, iam non tenerentur, quia ad impossibile nemo tenetur. Vnde sicut qui verè decoxerunt, possunt tuta conscientia soluere vnum solidum pro vna libra, dato quòd plus non possint, & sic ex vna libra 20. creditoribus soluunt, & creditores illum solidum libenter accipiunt, dicentes, illum solidum potius esse, quam nihil, à decocto debitore, hordeum, vel paleas; & meliùs esse cadere è medio scalæ, quàm è principio. Sic in casu possunt facere illi Religiosi, proponendo pr[illegible] futurum abstinere. Secundo, omnes alias orationes, disciplinas, abstinentias, & satisfactiones applicare, supplicantes Deo, vt per suam infinitam misericordiam ipsorum defectum suppleat. Tertio, cantare, præsente toto conuentu, vnam Missam pro nouem, vel decem, vel pluribus, iuxta maiorem, vel minorem numerum Missarum. Quarto, possent se priuare valore illo speciali Missæ sibi debito, de quo *num.* 2. & sic cum vna Missa satisfiet duobus petentibus. Sed hic dubitari potest, an possint Regulares à Prælato cogi ad hunc valorem aliis applicandum? Videtur quòd sic, modò eleemosynæ receptæ pro Missis, sint in vtilitatem Monasterij, & Fratrum conuersæ; nam qui sentit commodum, debet sentire & onus; nec solus Prælatus restituere tenetur, sed totus Conuentus, idest omnes, & singuli Fratres. Quinto, possent petere relaxationem ab iis, qui Missas commendauerunt, si fieri sine scandalo posset. Habes vestigium huius doctrinæ apud Palud. *in* 4. *d.* 45. *quæst.* 2. *art.* 2. *concl.* 5. Videatur Nauarr. *lib.* 3. *consil. de celebr. Miss. cons.* 11. *num.* 2. vbi probat, quòd diminutio redditaum, & augmentum pretij rerum ad victum, & vestitum necessarium causam præstat, vt numerus Missarum in fundatione appositus minuatur. Et colligitur *ex cap. Quoniam, de vita, & hon. cler.* ibi: [prouentibus, & expensis diligenter inspectis:] Et *ex cap. Ex parte, de const.* ibi: [licèt non sint eius diminuti redditus.] vbi Glos. *verb. Diminuti*, ait: quòd tunc talis diminutio potest fieri auctoritate Episcopi, & consequenter Prouincialis, auctoritatem quasi Episcopalem habentis. Audio etiam, in regno Siciliæ practicari, quòd pro Missis receptis ante Decretum Congregat. de celebratione Missarum satisfiat per priuilegium collectarum, &c. & quod cum ista limitatione fuit ibi acceptatum, receptis verò post dictum decretum integrè satisfit.

30. Noto 14. quòd in *num.* 63. eiusdem constitut. dicebam, Episcopum non posse in totum eximere Ecclesiam à sua iurisdictione. Pro quo vide Barbos. *in addit. ad* 3. *part. de potest. ad alleg.* 115. *num.* 73. *vers.* 38. Tambur. *tomo* 1. *de iur. Abb. disp.* 15. *quæst.* 13. vbi refert per extensum hoc priuil. Pyrrhi, Cochier *part.* 1. *de exemp. quæst.* 3. *à num.* 3. qui hanc concl. limitat *num.* 5. vt non intelligatur initio fundationis, nam tunc nondum est acquisitum Episcopatui ius superioritatis. Et sic bene potuit Pyrrhus initio fundationis primæ nostræ Ecclesiæ eam relaxare sub immediata cura Romani Pontificis.

31. Noto 15. quod circa *eandem const. Pyrrhi, numero* 54. probaui, quod Regulares erant exempti à quarta funeralium per priuil. Summorum Pontificum, quæ quidem priuil. cum fuerint illis concessa in recompensationem laborum, quos passi sunt, & quotidie patiuntur in Ecclesia Sancta Dei ad propagationem fidei, etiam cum proprij sanguinis effusione, censentur irreuocabilia, non quòd per absolutam Papæ potentiam reuocari non possent sed quod de ordinaria non debeant reuocari sine grauissima, & vrgentissima causa, quæ adæquet causam, propter quam concessa sunt. Atque ita Gonzalez *ad regul.* 8. *cancell. gloss.* 9. §. 2. *num.* 49. Gratian. *discept. forens. tom.* 5. *cap.* 925. *num* 4. Et retulit mihi Trimarchi, quò pro hac quarta exierunt Bullæ Vrbani VIII. ad instantiam Correctoris nostri Syracusani, & quòd pendente lite in Monarchia dicti Regni Religio nostra erat in possessione.

CAPVT

CAPVT II.

De addendis circa constitutionem Sixti IV.

1. NOto primò circa numerum 10. primæ constit. Sixti IV. quòd licèt communiter DD. vt Llamas 4. *p. meth. capite* 3. §. 8. Sigismund. *de elect. dub.*87. Vech. *de nouit. disp.*9. *à num.* 13. concedant, quòd infamis infamia iuris, cuius delictum occultum est, possit per Prælatum regularem dispensari, negant tamen id posse facere, quando delictum notorium est; & multo minus, quando delinquens talis declaratus est per iudicis sententiam. Sed cum ego probauerim *tom.* 2. *Relig. Prel. quæst.* 2. *cap.* 5. §. 4. *num.* 50. hanc iuris infamiam nullo modo incurri, nisi post iudicis sententiam, puto, quòd priuilegium Eugenij IV. concedentis, quòd possint nostri Prælati infamiæ maculam abolere, habeat locum in foro exteriori, & in infamia per iudicem declarata; alioquin secundùm nostram sententiam, quæ communissima est, nihil valeret, & priuilegia semper ita sunt interpretanda, vt aliquid operentur. Et vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus: & leges absolutè loquentes in vtroque foro intelligendæ sunt, cum priuilegia amplianda sint.

2. Noto 2. quod *in const.* 2. *Sixti IV. num.* 9. dicebam, quòd Clericus prohibitus à suo Episcopo ludere sub pœna excommunicationis, si luderet in monasteriis Regularium, non incideret in dictam censuram, & DD. ibi ad hoc adductis addendi sunt Riccius 2. *p. praxis, resolut.* 177. *& resolut.* 181. *in princ. & resolut.* 206. *num.* 2. Reginald. *in praxi lib.* 13. *num.*170. Auila *de cens. p.* 2. *cap.* 3. *disp.* 2. *dub.* 5. Bonacin. *de cens. dis.* 1. *quæst.* 1. *p.* 11. *num.* 8. Henriquez *lib.* 13. *cap.* 26. *num.* 2. Saytus *de censur. lib.* 1. *cap.* 6. *n.*39. *&* 40. Et probatur *ex cap. Vt animarum, de const. in* 6. nam monasteria exempta extra diœcesim dicenda sunt esse, vt colligitur ex Trid. *sess.* 14. *c.* 2. *de reform.* ibi, [aut aliquo monasterio cuiusvis Ordinis.]

3. Sed quid, si Episcopus declaret, intendere se ligare etiam extra territorium, & in hoc loco exempto ludentes? Putat Bonac. *loc. cit. numero* 6. quod non per hoc ligat. Nam ad ligandum hoc pacto non sufficit intentio, sed requiritur iurisdictio, at extra territorium ius dicenti non paretur impunè, *leg. fin. ff. de iurisd. omnium Ind.* Ita etiam Diana *tom.* 3. *tract.* 5. *resolut.* 73. Contrarium tamen sentit Probus *in capite Vt animarum, de const. num.* 14. quando subditus non intenderet domicilium mutare, nam tunc ratione obedientiæ à qua se subtrahere non intendit, obligaretur? Azor. *tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 33. *quæst.* 3. putat, quòd posset puniri ad Episcopo pœna extraordinaria. Suarez *lib.* 3. *de legib. cap.* 32. *num.* 5. putat, quod si sententia esset solùm ferenda, posset Episcopus dictum Clericum, quando iam à loco exempto recessisset, excommunicare, qui tamen meo videri non bene concludit *tomo* 5. *in* 3. *p. disp.* 5. *sect.* 4. *num.* 6. monasteria Regularium non esse exempta quò ad huoc effectum; quia solùm, inquit, sunt exempta ratione personarum; Suarez sequuntur Coninck. *disput.* 13. *de cens. dub.* 7. *num.* 63. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 11. *num.* 149. non concludit, inquam, bene; quia dicta monasteria sunt exempta non solum ratione personæ, sed etiam ratione sui, vt constat ex tenore priuilegiorum diuersis Ordinibus concessorum, & in specie ex priuilegio huiusmodi nobis concesso à Sixto 4. *in constitut. eius* 2. §. 7. *tom.* 1. *nostr. priuil.* Vide Saytum *loc. cit. à num.* 41. Coninck. *loc. cit. à num.* 49. Filliuc. *cit. à num.* 148. Salas *de leg. disp.* 14. *sect.* 5. *num.* 78.

4. Noto 3. quòd num. 11. eiusdem 2. const. Sixti IV. dicebam, quòd Papa eximens nos à iurisdictione omnium iudicum, subiicit Romano Pontifici canonicè intranti; canonicè autem dicitur ille Pontifex intrare, qui per electionem Cardinalium canonicè electus est, *capite Alienationes, iuncta glossa eodem verb.* 12. *quæst.* 2. *cap. Ego N. de iur. capite Hinc ergo, de consecr. d.* 1. Et in quibus casibus exempti subiiciantur Ordinario, vide Cochier. *de exempt. p.* 2. *quæst.* 45.

5. Noto 4. circa *eandem* 2. *const. Sixti IV. num.* 15. *in fine*, quòd si dubitetur, an Regularis citatus ab Episcopo sit exemptus in illo casu, pro quo eum citat, comparere tenetur, & suum priuilegium, & rationes allegare. Ita Baldus *Perus. de Statutis, verbo Comparere, numero* 3. *tom.* 2. *tract.* Sylu. *verb. Citatio, numero* 3. Si verò certò sciatur, quòd sit exemptus, iam, vt dixi, non tenetur comparere, nisi velit; *leg.* 2. *ff. Si quis in ius vocetur*: Armilla *verbo Exemptio, num.* 1. *fine*, Vancius *de nullit. tit. De nullit. ex defectu tit. numero* 28. Cochier *de exempt. p.* 2. *quæst.* 6. *numero* 23. quem vide *quæst.* 12. *à numero* 1. vbi ait, quòd in dubio non potest Ordinarius cognoscere, an sibi in exemptos iurisdictio competat. Vide etiam eundem *p.* 1. *quæst.* 8. *num.* 11. vbi ait, quod exemptus non tenetur priuilegium exemptionis Ordinario exhibere, sed viris probis vtrinque assumptis: & si non compareat, & nihilominus Episcopus processum formet, processus nullus est. Ita idem Bald. cit.

6. Noto 5. quòd *eadem const. num.* 18. dicebam, non posse Episcopos vllo modo Ecclesias Regularium visitare. Sed quid, si à Papa accipiat Episcopus de nouo aliquam facultatem supra Regulares. Respondeo prout dixi *tom.* 1. *Religiosi, quæst.* 1. *cap.* 18. §. 2. *in fine*; quòd tunc tenetur priùs ostendere literas suæ commissionis, & postea visitare; quòd si eas nolit ostendere, & de facto procedat, possunt Regulares de facto etiam illi resistere; nam de facto procedentibus, de facto est resistendum; *leg.* 1. §. *& hoc edictum ff. Si mulier ventris nomine*; & dicit Marcus de Mantua *singul.* 446.

7. Sed pone, quòd Episcopus prætendat visitare parochiam monasterio annexam, vbi non residet Prælatus, qui sit caput Ordinis, & intimata visitatione, prætendant Regulares ipsum non posse, & se offerant probare, & videntes Episcopum velle eos excommunicare, appellent, quid faciet Episcopus. Respondeo Camp. *in diuers. iur. rubr.* 12. *cap.* 13. *à numero* 52. quod tunc potest Episcopus de facto procedendo, in Ecclesiam irruere, ostia, & muros frangere; ac humi prosternere, Fratresque ipsos excommunicare, nulla monitione præmissa, nec vlla appellatione admissa. Sed ista indigent temperamento. Abbas igitur *in cap. Venerabili, de cens. num.* 3. ait, quod si constat omnino de iurisdictione Episcopi, potest ad suam iurisdictionem defendendam armis materialibus, & spiritualibus vti, quod etiam docet Innoc. *in cap.* 1. *de immunit. Eccles. num.* 3. *& eod. cap. Venerabili, num.* 3. nec tenetur in hoc casu admittere appellationem in præiudicium sui iuris cum sit in possessione, nec etiam probationem recipere, quia procedit vt pars ad ius proprium sustentandum, non vt iudex, & sic ablatio probationis non habet iustificare appellationem. Quæ omnia habent fundamentum *in cap. Dilecto, de sent. excom. in* 6. tenetur tamen ante excommunicationem monere Fratres, vt dicit Abbas *loc. cit.* & Innoc. *in cap. Venerabili cit. num.* 4. vbi relata prima opinione dicente, quòd monitio in hoc casu non est necessaria;

ta permittit, quia sunt mera beneficia Principis, & fauores ampliandi sunt in fauorem eorum, quorum fauores sunt, iuxta *cap. Olim de verb. signif.* Posteriora, priuilegia odiosa reputanda sunt in ordine ad interpretationem, & ideo restringenda potiùs, quàm extendenda. Ita Sanch. 8. *de matrim. disp.* 1. *n.* 1. *&* 4. Nauarr. *in summ. cap.* 12. *n.* 79. & habetur *in cap. Sanè, & cap. Porro, de priuil.* Et ratio est, tum quia derogatio iuris communis ex eo capite odiosa est, ideo vitanda quoad fieri potest, quòd si vitari omnino non possit, ne priuilegium reddatur inutile, erit restringenda. Tum quia priuilegium derogans iuri communi est iuris dispensatio, dispensatio autem est stricti iuris.

11. Ab hac autem Regula excipienda sunt priuilegia motu proprio, seu ex certa scientia concessa; nam hæc semper, etiamsi sint contra ius commune, latè sunt interpretanda. Abbas *in cap. Cum in cunctis, §. Cum verò, de elect. num.* 8. Fel. *in c. Ex parte, de rescript. num.* 13. *lim.* 6.

12. Excipienda etiam sunt ab hac regula priuilegia, quæ sunt in fauorem causæ piæ, seu Religionis, quæ etiam latè interpretanda sunt, vt Suar. *lib.* 8. *de leg. cap.* 27. *num.* 7.

13. Priuilegia autem, quæ inferunt præiudicium tertiæ personæ contra ius iam acquisitum, etiam strictè interpretanda sunt, quantum fieri potest, modò priuilegium inutile non reddatur: *cap. In his, de priuileg. & c.* 1. *de rescript.* Sylu. *verb. Priuil. q.* 3. Nauarr. *in sum. cap.* 12. *n.* 79. *versu illud autem*, quia simpliciter non est præsumendum, Principem velle alteri ius suum auferre, nisi id expresè declaret: sumitur ex *cap. Licet in corrig. de off. ord. c. Suarum, de auct. & vsu pall.* Ita Panorm. *in cap. Certificari, de sepult. n.* 9. & Suar. *c.* 27. *cit.*

14. Cum igitur nostrum hoc priuilegium non sit contra ius commune, neque in præiudicium tertij, sed sit merum beneficium Papæ in fauorem Religionis, ex omni capite latè interpretandum est, quantùm scilicèt recta ratio, & prudentia permittit: quæ mihi visa est permittere extensionem ad casus dictos.

15. Ad quæ magis corroboranda, nota, quòd quando personæ nostræ Religionis in re aliqua redduntur ancipites super priuilegiis, & gratiis concessis, & concedendis, possunt dicta priuilegia intelligere secundùm æquitatem in fauorem salutis animarum (non solum suarum, sed etiam aliorum proximorum, etiam quæ in Purgatorio existunt) iuris rigore, & Doctorum subtilitatibus relictis. Ita concessit Sixtus IV. Canonicis regularibus S. Saluatoris, vt refert Pereg. 1. *p. sui comp. n. Declarare, §.* 2.

CONSTITVTIO XI.

Quà concedit, quòd Fratres possint se obligare ad suffragia perpetua.

ANTONIVS, MISERATIONE Diuina tit. SS. quatuor Coronatorum Presbyter Cardinalis.

Dilectis in Christo Generali, & Prouincialibus, ac localibus Correctoribus, & Fratribus Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula vbique locorum degentibus salutem in Domino.

Supplicatio. §. 1. *X parte vestra fuit propositum coram nobis, quòd cum ex institutione vestri Ordinis ad aliqua suffragia in specie, sed dumtaxat in genere, ac sub generalitate omnium Missarum, & suffragiorum dicti Ordinis, aut solum pro quinquaginta annis, vel citra, obligari nequeatis, & temporibus istis, solita fidelium charitate plurimum tepescente, vos sub vita quadragesimali Deo famulantes, & mendicitate vobis permissa, victui necessaria vix inuenire, & habere possitis; ac vobis, & locis vestris eleemosynas, & pia legata largiri, & concedere volentes, illa sub aliquo certo onere libentiùs, quàm sub generalitate Missarum, & suffragiorum praedictorum facerent, si certum pro eorum animarum salute suffragium post mortem eorum fundatum, & stabilitum reliquisse conspicerent, ex quo vestris, & locorum vestrorum commoditatibus non parum consuleretur. Quare nobis humiliter supplicari fecistis, vobis super his per Sedem Apostolicam de opportuno remedio misericorditer prouideri.*

Concedit prout in sūmario. *§. 2. Nos igitur auctoritate D. Papæ, cuius Pœnitentiariæ curam gerimus, & de eius speciali mandato super hoc viuæ vocis oraculo nobis facto, vt quæcumque legata, & relicta, vobis, & locis vestris hactenus, & in posterum pro tempore facta, etiam cum onere recitandi certas Missas seu alia certa suffragia, perpetuò, vel ad tempus, etiam vltra quinquaginta annos, prout pia fidelium voluntas ordinauerit, de licentia tamen, & consensu Capituli generalis, vel Prouincialis vestri Ordinis accepture, & retinere, ac vos, & successores vestros pro executione, & implemento talium onerum obligare, absque alicuius conscientiæ scrupulo, aut censura Ecclesiastica incursu, liberè, & licitè valeatis, tenore præsentium perpetuò indulgemus, ac nobiscum desuper, quatenus opus sit, misericorditer dispensamus.* Vide sup. in const. 4 Iul. II. §. 4. à num. 18.

Derogat contrariis. *§. 3. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis statutis, & consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, cæterisque in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub sigillo officij Pœnitentiariæ, Idibus Octobris, Pontific. D. Clementis Papæ VII. anno nono.*



ADDI

ADDITAMENTA
AD PRIMVM TOMVM
PRIVILEGIORVM MENDICANTIVM, PRÆSERTIM MINIMORVM.

CAPVT PRIMVM.

Circa Constitutionem Pyrrhi.

NOTO primo, quod in hisce rebus moralibus semper aliquid occurrit addendum, vt constat ex huiusmodi auctoribus, producit enim semper noua germina intellectus nostri fœcunditas; Vnde dixerunt quidam viuentium auctorum opera non esse comparanda. Ast ego ita addere decreui, vt qui primos tomos coëmerint, hunc emere non necessitentur; nec similiter illos, qui hunc: Habet enim & hic propriam materiam, eiusdem quidem Generalis cum illa, sed ita dimissam, vt sine illis intelligi, & capi possit. Quia verò, & ibi Priuilegia sum interpretatus, & hic sum interpretatutus, ideò non inutile futurum putaui, si aliqua breuiter dicerem de modo leges, & priuilegia interpretandi.

2. Noto 2. quod lex ex duabus partibus constat, nimirum ex verbis, & intellectu; *cap. Intelligentia, capite Propterea, de verb. signif.* Sed intellectus potior est. Tum quia à sensu legis recedendum non est, vt proprietas verborum obseruetur; *d. capite Propterea.* Tum quia non in foliis, sed in ratione, & sensu leges consistunt; *capite Marcion. 1. quæst. 1.* Tum quia potior est finis, quàm ea, quæ sunt ad finem, & verba homini data sunt ad exprimendam mentem, non è contra; *cap. Secundò requiris, de appel. cap. Intelligentia cit.*

3. Noto tertiò, quòd verba, & mens tripliciter se habere possunt ad inuicem. Primo, vt verba omnino menti respondeant; & tunc dubium non est, vtrumque obseruandum esse. Secundo, vt verba sint ita menti repugnantia, vt nulla possint distinctione componi; & tunc neutrum obseruandum est; nam qui alter dicit, quàm vult, neque id dicit, quod vox sonat, quia illud non vult neque id, quod vult, quia illud non eloquitur: & habetur in *l. Vbi repugnantia, ff. de reg. iur.* Colligitur *ex cap. Cum dilectus, de fide instr. §. Cæterum.* Tertio, ita, vt plus, vel minus verba dicant, quàm legislator voluerit; quo casu si clarè comprehendi possit, plus, vel minus esse intellectum, quàm scriptum, tunc verba legis amplianda, vel restringenda sunt ita, vt menti respondeant: nam non solum dicitur esse secundum legem, quod scriptum est, sed etiam, quod est ex legis mente, vt dicit text. *in l. Nominis, & rei, §. Verbum, ff. de verb. signif.* & tunc non dicitur lex extendi, sed declarari iuxta implicitum, & occultum sensum, & qui legem declarat; nihil addit, *l. Hæredes palam, §. sed si notam, ff. de testam.*

4. Noto quarto, quòd verba duo plerumque significant, vnum directè, aliud indirectè per relationem, siue per coniunctionem ad rem directè, & apertè expressam. Directè significant, prout ex constitutione, vel consuetudine hominum nostris auribus sonare videntur, veluti cum dicimus, Petrum esse Religiosum regularem, intelligimus illum viuere in aliqua Religione: indirectè verò per coniunctionem intelligimus ipsum professionis vota emisisse, sub obedientia Prælati viuere, nec proprium, nec vxorem habere posse, quia hæc cum statu Religioso essentialiter coniuncta sunt, *cap. Cum ad Monasteriũ, de stat. Monach. §. Abbas verò, & §. seq.*

5. Noto 5. quòd vbi lex prohibet aliquem actum, ex mente legis dicitur prohibitus omnis modus, per quem in fraudem legis peruenitur ad illum actum, vnde non effugit pœnam legis, qui in fraudem legis committit; *l. Non dubium C. de leg.* Nec interest, an vi, vel dolo legi fiat iniuria, *l. Fraus ff. eod.* Vnde, qui prohibitus est facere testamentum, prohibitus est etiam facere codicillum, vt colligitur *ex cap. Quanquam, de vsur. in 6. §. fin.* vbi Gloss. *verb. Aliter facta.* Quibus autem modis fiat fraus legi, vide Stephanum de Feder. *de iur. interpret. prima p. num. 47. & 112.*

6. Noto 6. quòd multis modis potest cognosci plus esse intellectum in lege, quam dictum, de quibus dictus de Feder. *loco cit. à num. 14.* I. ex definitione; si enim alicui rei in lege non comprehensæ conuenit definitio rei in lege comprehensæ, lex eodem modo de ea intelligitur. II. ex partibus, nam lex disponens de toto, intelligitur disponere de partibus eius, vnde qui potest facere testamentum, potest instituere, exhæredare, tutorem dare, &c. III. ex natura, nam videntur omnia expressa, quæ sunt de natura rei, de qua loquitur tex. v. gr. qui tenetur vendere rem certam, tenetur stare de euictione, & qui locat domum potest locatarium ejicere, si ipse indigeat domo. IV. ex præsumptione consuetudinis, vel legis, nam hæ præsumunt aliqua esse dicta, licet dicta non sint, c. 2. *de rescrip.* vbi dicitur, quod hæc clausula, *si preces veritate nitantur*, intelligitur in rescriptis ex mente Papæ apposita, licet apposita non sit. V. ex origine & principio ipsius rei, de qua lex loquitur, nam lex disponens de origine alicuius rei intelligitur esse expressa etiam quoad ea, quæ exinde naturaliter oriuntur, *c. Translato, de consuet. c. Non debet, de consang. & aff.* vnde statum contrarium iuri communi non debet secundum ius commune interpretari, nam correcto iuri communi quoad principale, intelligitur etiam correctum quo ad consequentia. VI. ex fine, & effectu ipsius rei, nam vbi lex prohibet aliquem effectũ, & finem, prohibet etiam omnem modum, per quem peruenitur ad illum. VII. ex antecedente præparatorio, vel necessario ad id, de quo disponitur, vbi enim lex disponit rem quampiam ad aliquem pertinere, sequitur, quod ad eundem pertinere debeant præambula

præparatoria, vel necessaria, nam qui vult consequens, vult etiam antecedens necessarium ad illud: *leg. Illud, ff. acq. her.* Multis vero modis dicitur antecedens, de quibus dictus de Feder. *à num.* 72. v. g. Episcopus tenetur concedere licentiam suis subditis confessiones audiendi; sed ad id prærequiritur examen; ergo etiam examinare tenetur, *cap. Venerabilem, de elect.* ibi [ad eum examinatio personæ pertineat, ad quem manus impositio,] *cap. Inter corporalia, de transl. ep. §. sicut, ibi,* [expressum non fuerat] VIII ex accessorio eius, nam cum accessorium sine principali non existat, naturale est, quod prohibito, siue concesso principali, intelligatur prohibitum, siue concessum eius accessorium, *regul. Accessorium, quæst.* 42. *de reg. iur. in* 6. Accessorium autem, & principale multis modis dicitur, de quibus dictus de Feder. *loco cit. à num* 61. IX. à consequenti, nam cui datur antecedens, videtur esse concessum consequens, sine quo antecedens esse non potest. Vnde cui concessum pacem inire, videtur concessum posse apponere pœnam pro pace seruanda. X. ex subrogatis, nam quæ disponuntur de aliqua re, intelliguntur esse disposita in re, quæ loco eius succedit, & subrogatur, *c. Maiores, de baptismo, §. ad id autem.* Quot modis dicatur subrogatum dictus de Feder. *à n.* 79. XI. ex adiunctis, nam concesso vno, videtur etiam concessũ adiunctum, sine quo concessum esse non potest, *leg. Cõtinuus, §. illud verò, ff. de verb. oblig.* vbi dicitur, quod quando aliquid indistinctè permittitur, intelligitur esse permissum tantum temporis, & loci, siue tanta dilatio, qua res fieri possit. Et qui facit iniuriam subdito, dicitur facere iniuriam Prælato illius, & è conuerso, *leg. 1. ff. de iniu. leg. 1. C. de in ius vocando,* vbi gloss. XII. ab vnione eius, de quo disponitur, scilicet in quo vnita sunt, cum enim duæ res vnica factæ sunt, vt si duo monasteria vniantur, non debent diuerso iure censeri, *cap. Recolentes de statu Monach. §. Si enim.* XIII. à purificatis, siue commensuratis, nam quoties aliqua ita sunt paria, vt quod statuitur in vno, intelligatur statutum in alio, tunc, si lex noua aliquid disponit in eo, in quo sunt paria, extenditur ad aliud. v. g. solent aliqui Regulares pro vestuario singulis fratribus dare annuatim decem scuta, & Priori quindecim, si fiat statutum, quo determinetur pro singulis vestuariis fratrum quindecim scuta, vestuarium Prioris eodem statuto intelligitur auctum vsque ad scuta viginti duo cum dimidio. XIV. à correlatiuis; nam lex statuens aliquid in vno correlatiuo, intelligitur idem statuere in alio, in eo scilicet, in quo sunt correlatiua; vnde, si res aliqua prohibetur vendi, intelligitur etiam esse prohibita emi. XV. à contrariis, quæ medio carent, cum enim lex vnum ex contrariis permittit, videtur aliud contrarium, in eo, in quo sunt contraria, denegare, & è contra; vt si fides seruanda est, ergo perfidia, non est committenda, Sed multis modis possunt aliqua esse contraria, de quibus dictus de Feder. *à num.* 104. XVI. ex repetitione, vel subauditione, quæ fit per aliam legem interpretantem, vel interpretatam, vel per aliam legem loquentem circa illam materiam, quando scilicet lex noua non destruit veterem, sed confirmat, & corrigit in aliqua parte, vel renouat. Hæc tamen omnia intelligenda sunt, quando lex est rationabilis, nam si talis non est, & nihilominus temporum iniuria cogaris obseruare, stringenda semper est interpretatio, quod etiam faciendum in legibus odiosis.

7. Noto 7. ex dicto de Feder. *loc. cit. à num.* 118. quòd etiam multis modis cognosci potest in lege esse minus comprehensum ex mente legislatoris, quam verba sonare videantur; nam sicut sub verbis specialibus per coniunctionem, vel relationem ad expressa quædam comprehenduntur, etiamsi non exprimantur, ita in verbis generalibus propter disiunctionem quædam intelliguntur esse excepta, licet expressè non excipiantur, *leg. Obligationes Generali ff. de pignor.* Vt cum dicimus, solus faber gladium facit, non excludimus malleum, & ignem, quo fit. Tripliciter autem restringuntur verba legis. I. per aliam legem. II. per antecedentia, & consequentia ipsius legis. III. ex mente ipsius legislatoris. Mens verò legislatoris multipliciter colligitur. I. ex natura vocabuli; nam hoc nomen consensus v. g. ex propria significatione excludit errorem, vim, & metum, *lege Error, ff. de iurisd. omn. iud.* Item verbum arbiter ex propria significatione excludit dolum, & iniquum iudicium. *leg. Si libertus, ff. de op. liber.* vnde sequitur, quod quibuscumque verbis, etiam latissimis, data sit potestas arbitratoribus, tamen semper videtur exceptus dolus, & enormis læsio; *cap. Quintauallis, de iur. iur.* II. ex consuetudine loquendi, & agendi, nam consuetudo dat significationem vocabulis, *leg. Anniculus amittitur, de verb. signif.* vnde dicimus ab omnibus dici, quod solum dicitur ab his, qui de materia tractant, & dicitur ab omnibus fieri, quod à maiori parte fit, *leg. Maiorem, ff. de pactis,* & dicitur quotidie fieri, quod frequenter fit, *leg. 1. ff. solut. matrim.* ibi non semper; & cum consuetudo vim legis obtineat, *cap. Cum dilectus, de consuet.* non est mirum, si habeat vim legem declarandi, ampliandi, & restringendi, *leg. Minimè, iuncta gloss. ff. de legib.* III. ex natura rei, siue negotij, v. g. de natura transactionis est, vt fiat super rebus dubiis; *cap. Super eo, de transact. l. 1. ff. de trans.* vnde quibuscumque verbis fiat transactio, non intelligitur facta super decisis. Item si alicui delegata est aliqua potestas, quibuscumque verbis id fiat, non potest excedere terminos naturales illius dignitatis, vel officij; *capite Quod translationem, de offic. leg.* Item de natura contractus conductionis, & pignoris est, vt conductor, & creditor non teneatur de casu fortuito; quare licet conductor, & creditor obliget se ad omnem custodiam, tamen videtur exceptus casus fortuitus, *l. Quæ fortuitis, ff. de pigneratitia act.* IV. ex præsumptione legis, v. gr. in quolibet iuramento semper intelligitur esse excepta auctoritas sui maioris, *cap. Venientes, de iur. iur.* V. ex iusta, & inopinata causa, de qua verisimiliter non erat cogitatum, v. gr. elapso termino à Iudice assignato ad excipiendum, excipi amplius non potest, nisi aliquid de nouo emergat, quod eo tempore nesciebatur, vt *in cap. Pastoralis de except.* Vnde stante lege, v. gr. quod Nouitij nullo vnquam tempore egrediantur Conuentu, nisi cum suo magistro, vel socio, si necessitas exitus insurgat, & magister, ac socius non possint præ infirmitate, aut alio impedimento notabili exire, poterit superior absque fractione talis legis dictos nouitios mittere cum alio fratre, & stante statuto, quod Regentes, vel Lectores non teneantur ire ad associandum corpora defunctorum, si necessitas fratrum, vel multitudo mortuorum exposcat, absque læsione legis cogi possunt ad associandum; nam quæ de nouo emergunt, nouo indigent auxilio; *cap. Insinuante, de offic. deleg.* VI. ex comparatione expressorum antecedentium, sequentium, vel coniunctorum. Vnde si rescriptum vilioribus personis committatur cum clausula Generali, in ea non comprehenduntur digniores personæ; *cap. Sedes de rescrip.* & donatis temporalibus, non intelliguntur donata spiritualia; *cap. Ex literis, de iur. patr.* nisi sunt annexa, vt in iure patr. VII. ex ratione, & causa legis manifestè cessante restringitur lex, *lege Adigere, §. quamvis ff. de iure patron.* nam quemadmodum causa, & ratio legis illam extendit, ita, si cessat, debet illam restringere; nam contrariorum eadem debet esse disciplina. VIII. ex contrario fine, & effectu à legislatore intento; nam inducta ad vnum finem non debent operari contrarium, puta inducta ad augmentum non debent operari diminutionem, nec è contra, *regul. indultum, quæ est 17. reg. iur. in. 6.* &

quæ

quæ inducta sunt in odium, non possunt retorqueri in fauorem ? arg. *legis Cum professaris*, *C. de reuocand. don.* IX. restringitur lex, vt seruetur patitas, nam licet testis domesticus, vel coniunctus sanguine prohibeatur ; *cap. Postremo*, *de appell.* fallit tamen, vbi esset coniunctus vtrique parti, Gloss. *dicto cap. verb. Consanguineus.* X. restringitur lex ad improprietatem vitandam, & propter rationem naturalem, nam ratio naturalis pro lege scripta seruanda est, *leg. Scire oportet*, *§. sufficit*, *ff. de excus. tut.* nam ratio vincit legem, vincit consuetudinem, æquiualet canoni, & præponitur exemplis ; *cap. Veritate*, *d.* 8. Io, à Capistrano, *in specul. conf. p.* 5. *num.* 9. cum enim lex fiat consilio prudentum, non debet dici, quod lex Generalis comprehendat casum, quem vir prudens non statuisset. Vnde lex Generalis non præsumitur comprahendere casum inhonestum, vel torpem, aut sapientem delictum, vel dolum, aut doli occasionem præstantem, *l. Quòd seruus*, *ff. de acq. poss.* vbi dicitur quod seruus acquirens aliquid ex turpitudine, vel illicito quæstu, non acquirit Domino ; quanquam regula sit, quod quicquid acquirit seruus, acquirit Domino, *leg. Placet*, *ff. de acquir. her.* Item, si conductor promisit ignem in domo locata non habere, non intelligitur de igne necessario ad victum se obligasse, *leg. Videamus*, *§.* 1. *ff. locat.* Item, si loco tibi villam, ita quod de damno dato stetur meo simplici iuramento, potest nihilominus Iudex tale iuramentum moderari, si vltra mensuram iurasse constet. arg. *leg. Qui restituere*, *iuncta gloss. verb. sine vlla taxatione*, *ff. de rei vendic.* Item dic, quod lex Generalis ita restringi debet, ne quis lucrum ex dolo, vel culpa sua capiat, *l.* 5. *§.* 5. *ff. de dolo* Item ne quis ex bono opere damnum patiatur, vel pœnam, *l. Graccus*, *ff. de adult.* Item ne, melioris sint conditionis mali, quam boni, aut stulti, quam sapientes, aut contumaces, quam obedientes ; *cap. Contingit*, *de dolo*, *& contum.* Item dic, quod in lege Generali non comprehenditur casus, qui esset contra pietatem parentum, vel proprij sanguinis vnde si imponeretur pœna non denuntianti aliquod delictum, eam non incurrit, qui non denuntiat delictum patris, aut filij, vel fratris, arg. *l.* 5. *ff. de receptator.* Item debet restringi lex, ne quis alienum lucrum proprio præpunat. *leg. Præses*, *ff. de seruitutibus*, *& aqua.* Item restringitur propter casum necessitatis : *capite Quod non est licitum*, *de reg. iur.* Item restringitur, ne fiat captiosa interpretatio, *cap. Constitutus*, *de concess. preb.*

8. Noto 8. quòd leges, & canones videntur aliquando contrarij, cum tamen re vera tales non sint ; nam multoties vna lex declarat aliam, putà noua veterem quæ erat obscura, seu ad maiorem cautelam noua lex inducitur, aut vna lex aliam legem distinguit, aut aliam supplet, aut limitat. Cum autem prædictis modis non possunt leges inuicem concordari, tunc dicendum est vnam legem alteram abrogare, & esse sibi contrarias, & tunc vna præualet alteri ; Primo ratione materiæ ; Secundo ratione modi ; Tertio ratione qualitatis, Ratione materiæ lex disponens de Religione, vel de rebus sacris, ita semper intelligenda est, vt potius deroget legi disponenti de rebus profanis, quàm è contra ; nam maxima est ratio, quæ pro Religione facit. *l. Sunt personæ*, *ff. de relig. & sumpt. fun.* Item lex disponens de bonis animæ præfertur legi disponenti de bonis corporis, nam anima est multo pretiosior corpore, *cap. Cum infirmitas*, *de pœnit. & remiss.* & lex disponens de bonis corporis præfertur legi disponenti de rebus exterioribus, cum illa dicantur esse de iure naturali ; *l. Vt vim*, *ff. de inst. & iur.* & lex statuens, quod quis bona sua tueatur, derogat legi disponenti, quod tueatur aliena, nam ordinata charitas incipit à se ipso, *l. Præses*, *C. de seruit. & aqua.* Item lex continens ius publicum derogat legi continenti bonum priuatum, *l. Veluti*, *iuncta gl. ff. de iust. & iur.* Item lex fauorabilis derogat legi odiosæ cæteris paribus, *regul. Odia*, *quæ est* 15. *de reg. iur. in* 6. Item lex continens æquitatem derogat legi continenti rigorem, *l. placuit C. de iud.* Item lex disponens in casu necessitatis derogat legi non continenti casum necessarium ; *cap. Si quis per necessitatem*, *de furtis.* Ratione verò modi vna lex multipliciter derogat alteri, nam lex præcipiens, vel vetans derogat legi permittenti, vel toleranti, & lex vetans derogat legi præcipienti, & aduerte, quod lex annullans, vel imponens pœnas, dicitur vetare, *l. Prætor ait.* *§. Primo*, *ff. de nou. op. nunt.* vbi Gloss. *verb. expressum.* Item lex disponens principaliter de aliqua re propter se, præualet legi disponenti de re, quæ tendit ad aliud, puta de præparatoriis incidentibus, vel venientibus in consequentiam. Item lex procedens super veritate disponendo derogat legi disponenti super præsumptione. Item lex iubens, vel vetans, aut permittens derogat legi consulenti. Item lex iubens aliquid statim fieri derogat legi disponenti aliquid fieri in tempus, vel sub conditione. Ita de Feder. *de interp. iur. p.* 2. *n.* 83. 88. 89. & 90. Ratione qualitatis vna lex derogat alteri etiam multipliciter, nam lex iudicialis derogat legi conscientiæ in foro iudiciali, *cap. Tua nos*, *de sponsal.* Item lex canonica disponens de rebus profanis derogat legi ciuili in terris Ecclesiæ, lex vero ciuilis derogat legi canonicæ in terris imperij, *cap. Per venerabile*, *§ primo qui filij sint legit. cap.* 5. *de nou. op. nunt. cap. final. de præscript.* Item lex municipalis derogat legi communi in suo municipio ; sicut lex noua derogat legi veteri, & lex particularis derogat vniuersali, *cap.* 1. *de const. in* 6. *leg. Omnes populi*, *ff. de inst. & iur. leg. Non est nouum*, *l. Nam & posteriores*, *ff. de leg. cap. Si aduersus*, *de her. reg. Generi*, quæ est 34. *de reg. iur. in* 6. Item lex inclusa in corpore iuris derogat legi extrauaganti incertæ fidei ; *cap. Pastoralis*, *de fide instrum.* Item lex obseruata de consuetudine derogat legi de consuetudine non obseruatæ, *leg. Minime*, *& leg. De quibus*, *ff. de legat* Item lex habens clausulam derogatoriam derogat legi talem clausulam non habenti, licet hæc sit posterior, *leg. Nam & posteriores*, *ff. de leg.* si tamen neutra lex hanc habeat clausulam, posterior semper tollit priorem, etiam si de ea mentionem non faciat ; *cap.* 1. *de const. in* 6. quod intellige modo nulla possint distinctione concordari ; *cap. Cum expediat*, *de elect. in* 6. Quod tam verum est, quod licet in posteriori lege apposita sit clausula derogatoria, non tamen intelligitur abrogari prior, si possunt distinctione concordari, Gloss. *in Clement. prima de preb.* de Feder. *loc. cit. numero* 113. nam correctio legis, quantum fieri potest, vitanda est ; *capite*, *Cum dilectus*, *de consuet. cap. Si Papa*, *de priuileg. in* 6.

9. Noto 9. quòd quando legis verba sunt dubia, sensus ille capiendus est, qui vitio caret, & est secundum iustitiam, & rationem ; *l. Si serui vestri*, *iuncta*, *Glossa*, *C. de noxal.* vnde verba sententiæ debent intelligi secundùm quod iudex debebat pronuntiare ; *l. Miles*, *iuncta Gloss. §.* 1. *ff. de re iud.* Item ille sensus est eligendus, qui est potius conformis iuri communi, quam iuri particulari ; *l. In testam. Cod. de testam. mil.* Item ille sensus eligendus est, qui non est captiosus ; *l. Aquiliana*, *ff. de transf.* Item ille sensus eligendus est, per quem legis sortiantur effectum ; *l. Cum quidam*, *C. de verb. signi.* & hoc etiamsi oporteat verba impropriare ; *cap. Petitio*, *de procur.* vbi Gloss. *verb. Intentio.* Item, cum lex debeat esse de casu dubitabili, ille sensus capiendus est, qui fuerat dubitabilis, *l. Dominus labeo*, *ff. de testam.* Item, qui est fauorabilior : *l. In obscuris*, *ff. de regul. iur.* Item, qui est tutior : *l. Semper in obscuris*, *ff. eod.* Item verba debent

bent intelligi secundum subiectam materiam, de qua loquitur lex, quia verba rebus seruire debent, non è contra: *cap. Intelligentia, de verbor. signif.* Item quando verba legis possunt sumi tam in bonam, quam in malam partem, si lex prohibeat, debent sumi in malam partem, si iubeat, vel permittat, in bonam: quia lex prohibet illicita, & iubet, & communiter permittit licita: *l. 1. ff. de iust. & iur.* Item ille sensus est eligendus, qui disponit de rebus, prout communiter accidunt; *l. Nam ea, ff. de leg.* Item verba ambigua debent referri ad eam personam, ad quam res magis pertinet, *leg. Si seruus legatus, §. Qui margaritam, ff. de leg. 1.* Item ille sensus est eligendus, qui est magis proportionabilis rei; *reg. 45. Inspicimus, de regul. iur. in 6.* Item verba intelliguntur secundùm qualitatem personæ. Item ille sensus est eligendus, qui magis ordinatur ad finem negotij. Item lex magis intelligenda est secundùm eum locum, in quo res per ipsam disposita facienda est, quàm secundum eum, in quo lex lata est. Item exceptuata esse debent de genere contentorum. Ita de Feder. *part. 3. de iur. interp. à num. 21.* Item coniuncta vno iure determinari debent; *cap. Maiores, §. Cæterum, de baptis.* Item qualitas adiecta verbo, debet intelligi secundum naturam verbi sibi adiuncti, *l. In delictis §. Extraneus, ff. de noxal. act. l. Verbum erit, de verb. signific.* Item ille sensus accipiendus est, qui magis congruit in eo genere cum copulato, vel disiuncto: *l. Seruus ait; & leg. Quisquis, ff. de verb. signific.* Item clausula generalis in dubiis comprehendit casus similes expressis; *cap. Sedes, de rescr.* Item verba dubia ad vnum finem disposita, ad alium contrarium trahi non debent *l. Nulla ratio, ff. de leg.* & hoc etiamsi oportet à proprietate verborum recedere: *l. In strato, ff. de verbor. signific.* Item verba legis ita interpretanda sunt quoad accessoria, sicut quoad principale. Item ille sensus est accipiendus, ex quo non sequitur aliquid repugnans cum antecedenti. Item, ex quo non sequitur absurdum. Item lex interpretans debet intelligi secundum legem interpretatam. Item subrogata debent intelligi secundum qualitatem eorum, in cuius locum succedunt. Item verba debent intelligi gradatim secundum gradum affectionis. Item verba debent trahi ad eum sensum, qui conueniat officio, dignitati, & potestati loquentis. Item verba debent intelligi secundum qualitatem loquentis v. gr. hoc nomen, *species*, si proferatur à Iurista debet intelligi de indiuiduo: secus, si proferatur à logico. Ita de Feder. *loc. cit. à num. 32.* Vnde conclude, quod illa est efficax legis interpretatio, quæ primo conuenit intellectui; secundo, quæ rei subiectæ: tertio, quæ verbis intellectis in propria significatione, idest, secundum sensum maiorum nostrorum, vel saltem secundum communem vsum hominum doctiorum. Nam in hoc bene Horatius de art. Poët.

Multa renascentur, quæ iam cecidere, cadentque,
Quæ nunc sunt in honore, vocabula, si volet vsus.

Ex quibus autem locis colligatur propria vocabulorum significatio, vide de Feder. *loc. cit. à num. 69.*

10. Noto 10. in opinionibus DD. eligendis, quod primo illa opinio est magis eligenda, quæ consuetudine approbatur; nam consuetudo est optima legum interpres: *cap. Cum dilectus, de consuet.* Secundo, vbi de consuetudine non constat, illa opinio est magis eligenda, quæ altero iure comprobatur. Tertiò, vbi de consuetudine, vel altero iure non constat, tunc illa opinio est eligenda, quæ efficacioribus rationibus comprobatur, etiamsi plures in contrarium sentiant: *clem. prima in fine de sum. Trin. cap. Suborta, de re iud. §. Iudicibus autem: cap. Ego solis, d. 9. cap. 1. de decim.* Illa vero ratio dicitur efficacior, quæ est secundum ius naturale, quàm quæ secundum ius ciuile: *cap. Consuetudo distinc. prima*, & quæ est secundùm ius diuinum, quàm quæ secundom ius canonicum: *cap. Licet ex quadam, in fine, de test.* Item, quæ est secundum æquitatem scriptam, quàm quæ secundùm rigorem: *leg. Si seruum, §. Sequitur, ff. de verb. obl.* Item quæ est secundum mentem, quàm quæ secundùm verba; *l. Scire leges, ff. de leg.* Item, quæ secundum verba, quàm quæ secundùm similitudinem, vel rationem incertam, *cap. Per venerabilem, qui fil. sint legitimi §. Si verò.* Item illa est ratio efficacior, quæ est per regulas iuris, quam ea, quæ tenet, vt sit speciale, iuxta Gloss. *in l. Omnis definitio, ff. de reg. iur.* Quartò vbi de euidentioribus rationibus non constat, tunc illa est eligenda opinio, quæ est tutior, *cap. Iuuenis, de spons. cap. Significasti, de homicid.* Quintò illa opinio est eligenda, quæ est fauorabilis, & magis benigna, & propter quam res valet, & non perit; *l. In obscura voluntate, l. Quoties dubia, de reg. iur. cap. Si vir, de cognat. spirit. cap. 1. eod. tit. cap. fin. de re iud.* Illa autem opinio est magis benigna, quæ fauet iuramento, matrimonio, libertati, testamento, Religioni, siue reo. Vide Io. Andr. *in cap. 1. ad fin. de sum. Trin.* & Hostien. *& dicto cap. Si vir.* Et hoc, etiamsi opinio communis sit contraria, vt ait De Feder. *de interp. iur. p. vlt. num. 111.* Sexto illa opinio est magis eligenda, quæ est approbata à prudentioribus, licet in contrariam partem sint plures. *cap. In canonicis, d. 19. cap. Decretales, d. 20.* prudentiores verò in iure ciuili æstimantur Bartol. Baldus, Azor. In canonico, Innoc. Io. Andr. Abbas, quibus tamen omnibus semper sunt anteponendæ glossæ, In moralibus, & scholasticis omnibus præferendus est D. Thomas. Ego Syluestrum, Angelum, & Vegam plurimi facio. In dubiis autem circa quæstiones ciuiles magis credo Legistis, quàm Canonistis. Circa quæstiones canonicas magis canonistis, quam Legistis; & quando agitur de rebus pertinentibus ad salutem, & fidei veritatem, magis credendum Theologis, quàm aliis; quia ipsi plus norunt discernere inter lepram, & lepram & magis vacant studio rerum ad æternam salutem pertinentium. Et sic quando agitur de mente S. Thomæ, magis credo Thomistis naturalibus, quàm aliis, & quando agitur de mente Scoti, magis credo Scotistis naturalibus, & sic de cæteris; nam vnusquisque præsumitur peritus in arte sua; *cap. Proposuisti, de prob.* & omne artificium per continuum exercitium suscipit incrementum, *leg. Legatis seruis, §. Ornatricibus, ff. de legatis, 3.* & ea quæ sunt in domo à nullo melius possunt explicari, quam ab iis, qui sunt de domo, *l. Consensu, C. de rep.* Tandem illa opinio est magis eligenda, quæ à pluribus comprobatur, *l. Maiores, ff. de pactis*: seu, quæ magis est probabilis; probabilis autem sententia est illa, quæ iuri, & rationi innititur, *cap. Consuetudo, d. prima*, nec DD. quantumuis magnæ auctoritatis credendum, si sine lege, aut ratione loquantur, vt ait Archid. *in cap. Nolite timere, 11. quæst. 3.* erubescibile enim est, aliquid dicere, & per legem non probare; vt multis probat Paulus Rosellus *in floribus legum, verbo Erubescimus.* Et tandem hic nota, quod sequens opinionem probabilem non solum non peccat, sed etiam valide operatur, etiamsi opinio illa aliàs sit falsa, confert enim tunc Ecclesia iurisdictionem agenti ad validandum actum. Ita Lessius *lib. 2. c. 29. dub. 8. n. 68.* & alij multi apud Dianam, *tom. 3. tract. 2. resol. 3.*

11. Noto 11. quòd in num. 2. constit. Pyrrhi dicebam, quòd antiquitùs approbare Religiones, ad Episcopos pertinebat pro sua diœcesi; & DD. ibi ad hoc adductis addendi sunt, Suar. *tom. 3. de Relig. libr. 2. c. 17. num. 2.* Lessius *lib. 2. de iust. cap. 41. n. 12.* Mirand. *tom. 1. man. q. 3. art. 6.*

12. Noto 12. circa *eandem const. in fine num. 10.* quod tunc dicitur statutum esse contra ius commune, quando disponit aliquid contra aliquem canonem, vel

legem

legem Pontificiam, Primo positiuè, Secundo negatiuè; seu Prima contra ius prohibens, Secundo contra ius concedens, vel non auferens aliquid. Statutum positiuè contrarium iuri communi, vbi scilicet aliquid fieri mandatur, vel prohibetur, per inferiorem Summo Pontifice fieri non potest. Statutum verò, quod solum est negatiuè contrarium iuri communi, fieri potest per inferiorem Summo Pontifice, verbi gratia, Concilium Tridentinum præcipit, quod nulla professio facta ante 16. annum sit valida, si statutum istud illi Trident. contrarium positiuè, quia Canon Trident. prohibet ante illud tempus professiones fieri; si autem fieret statutum in aliqua religione, quòd nullus ad professionem reciperetur, nisi in ætate 18. annorum, illud non esset iuri Trid. contrarium, nisi negatiuè quia Trid. prohibens, ne ante dictam ætatem professio fiat, in dicta ætate fieri concedit. Atque ita Suar. *tom. 4. de Relig. tract. 3. lib. 2. cap. 2. num. 5.* qui ex hoc concludit, quod statutum aliquarum Religionum, quòd descendentes ex genere Iudæorum non possint in eis ad professionem admitti, non est contra ius commune, quia *cap. eam te, de rescript.* non præcipit talès esse habiles ad omnem Religionem, quod etiam sensit Cajet. *tom. 1. opusc. tract. 31 resp. 6.* & Vechius *de Nouit. disp. 4. dub. 1. num. 5.* E contra verò statutum factum in nostra Religione *cap. Val. 5. num 17.* quod fratres professi alterius Religionis ad nostram Religionem recepti, in ea non præficiantur, videtur contra ius commune; quia *in cap. Ad decorem, de instit.* expresè mandat Papa, quod idonei, vndequaque originem duxerint, ad dignitates præficiantur. Ego tamen *tom. 1. relig. q. 1. cap. 25. §. 3. vers. Itaque*, existimaui illud statutum de descendentibus esse contra ius commune, quod nunc etiam confirmo, dicitur enim, *in dicto cap. Eam te, Pro eo, quòd Iudæus extiterit, ipsum dedignari non debes.* Ex quibus verbis constat, mentem Pontificis fuisse, vt origo non debeat nocere conuersis. Atque ita hanc sententiam amplectitur cum multis DD. Barbos. *de potest. Episc. p. 1. tit. 2. gloss. 17. n. 27.* quod in nostra religione est certum per *const. 3. Gregor. 13. tom. 2. nostr. priuil.*

13. Solùm posset dubitari, an hæc Constitutio Gregor. habeat locum in aliis Religionibus. Puto habere, nam est in fauorem Religionis Christianæ, & ex contrariis statutis damnum sequeretur in Ecclesia Dei, possent enim ex hoc solùm multi retrahi ab amplectenda nostra fide, atque ita illi, qui sunt instituti ad dictam fidem propugnandam, illam impedirent. Adde, quòd multæ Religiones huiusmodi constitutiones in specie habent, ad tollenda diuerticola, vt dixi *tomo 2. priu. in const. 3. Greg. 13. num. 1.*

14 Noto 14. circa *eandem const. post num. 36* quòd Missas nouas celebrantes possunt se tantùm ad populum vertere in medio altaris, & sic oblationes sponte factas accipere, non autem Ecclesiam ob eam causam circuire. Ita declarasse Sacram Congregationem, refert Riccius *1. p. praxis, decis. 749.* Sed hic Genuæ per Decretum eiusdem Congreg. prohibitæ sunt omnino huiusmodi oblationes directè, vel indirectè, ob turpem negotiationem, quæ in ipsis fiebat. Vbi tamen præfata turpis negotiatio non adest, non improbo inueteratam consuetudinem.

15. Quæres hic primo, an in festo duplici possit dici Missa votiua, quæ non sit de Festo? Respondeo, Posse, quia Rubrica de non dicenda Missa votiua in festo duplici, directiua est, quæ secundum communem DD. non obligat ad culpam, vt Fagund. *in primo præcepto Eccles. lib. 3. cap. 21. num. 8.* præsertim quando adest aliqua causa, puta deuotio magna petentis, vel Sacerdotis obligatio pro implenda defunctorum mente. Atque ita Suarez *tom. 3. in 3. p. disp. 83. sect. 3 concl. 1.* Portel. *in addit. ad dub. regular. verbo Missa, numero septimo*, Henriquez *lib. 9. cap. 23. numero 5.* vbi in *comm. liter. H.* multos citat Scottia *de Sacrif. Missa, libro secundo, cap. 17. numero secundo.* Diana *part. secund. tract. 14. resol. 30.* apud quem alij, Glossa *in summa in cap Quidam laicorum, de celebrat. Missarum.* Angel. *verb. Missa, §. 33.* Rosel. *eodem §. finali*, qui duo expresè dicunt, quod quando in vna Ecclesia sunt plures Sacerdotes, sufficit, quòd vnus celebret Missam correspondentem officio, cæteri possunt Missas votiuas pro deuotione petentium celebrare. Quibus suffragari visa est Sacra Congregat. Rituum, quando *anno 1626. die 20. Iunij* declarauit in festis duplicibus, quæ non sunt de præcepto, posse celebrari Missas pro defunctis ad implendam ipsorum defunctorum, non hæredum, voluntatem, vt refert Gauantus *in rubr. Miss. 1. part. tit. 5. versu Sacra tamen.* In Festis verò duplicibus, quæ sunt de præcepto, habet consuetudo, quod Missæ votiuæ non celebrentur, nisi pro graui, & publica causa, vt pro electione Pastoris, &c. In his tamen diebus adhuc potest celebrari Missa pro defunctis, etiam in Dominicis, & festis, quantumuis solemnibus, corpore in sepulto. Ita declarauit eadem Sacra Congregatio 23. *Maij*, 1603. vt refert idem Gauantus *loco citat. versu Nisi in die depositionis*, except. tamen die Parasceue, & Paschæ, vt idem Gauant. *loco citat.* Colligitur etiam *ex Ritual. Roman. tit. de exeq. in princip. & fine*

16. Quæres secundo. An in Ecclesiis collegiatis sit quotidie dicenda Missa? Respondeo, Affirmatiuè. Ita Suar, *tom. 3. in 3. part. disp. 80. sect. 2. conclus. 2.* Fagund. *in 1. præcept. Eccles. lib. 3. cap. 15. numero 9.* Ledesm. *1. part. sum. de Sacram. Eucharist. capite 19. conclus. 2. pag. mihi 179* Probatur *ex cap. Cum creatura, de celebrat. Miss.* & hoc sub pœna peccati mortalis secundum præfatos Doctor. & communem. Limita tamen, vt possit propter grauem, & vrgentem necessitatem omitti secluso scandalo: Nam humana præcepta humano modo intelligenda sunt.

17. Quæres tertio. An in dictis Ecclesiis Collegiatis in feriis Quadragesimæ, Quatuor Temporum, Rogationum, Vigiliarum, in quibus festum aliquod nouem lectionum occurrit, sint cantandæ duæ Missæ, vna de Feria, altera de Sancto; an verò sufficiat, eas priuatas, seu bassas dicere? Respondeo Gauantus in Rubricis Missalis, *part. 4. tit. 11. num. 7.* prætendit, quod duæ omnino sint cantandæ, sub mortali, & pro se *num. 11.* adducit Decretum Sacræ Congregat. Rituum, quod aufert consuetudinem in contrarium. Aliis tamen dura nimis videtur hæc sententia, vnde aiunt, sufficere, quòd vna cantetur, & altera dicatur bassa. Decretum Congregat. solùm dicit, quòd cantetur Missa de Feria, & ita seruari video in praxi.

18. Quæres quarto. Quæ Ecclesiæ dicantur Collegiatæ? Respondeo, Rodrig. *tom. 1. q. regul. quæst. 45. art. 12.* putat quòd ad constituendam Ecclesiam Collegiatam non sufficiat residere in ea Collegium, sed quod sit necesse, quòd in prima sui fundatione Collegium in eo institutum sit; quando autem id constare non potest, id colligi ait, si Ecclesia consueseat constituere Syndicum, ac per eum iurare, & lites mouere, sigillùmque commune habere, Prælatum eligere, &c. Ratione Sacerdotum Collegium dicitur, cui ad minus tres seruiunt Sacerdotes, iuxta Glossam *in cap. Nullus de elect.* vbi ait, quod duo faciunt Congregationem, tres Collegium, & decem populum.

19. Quæres quinto. An Ecclesiæ Regulares, in quibus habitat multitudo Sacerdotum, dicantur collegiatæ, ad effectum, vt currat obligatio in diebus Quadragesimæ, &c. cantandi duas Missas de Sancto, & Feria. Respondeo, Alcozer *in rubr. Missalis, tract. 1. textu 3. gloss. 3. versu Las Ferias, in fine* ait, quòd sic, & affirmat, ita à Rom. fuisse responsum, putat tamen, non esse necesse, vt dictæ duæ Missæ iis temporibus

cantentur,

cantentur, ſed ſufficere, quod dicantur priuatim. Rodrig. *loc. cit.* ait, quòd Monaſteria, & Eccleſiæ, licèt collegia ſint, non veniunt tamen nomine Eccleſiæ collegiatæ, quoad effectum celebrandi dictis diebus in eis duas Miſſas, quia cum hoc odioſum ſit, ad Regulares non eſt extendendum; cui doctrinæ adhæret Gauant. *loc. cit. num.* 4. & Rodericus *in reſolut. quaſt. regul. reſolut.* 25. *de celebrat. Miſſa, num.* 10 & fauet multum *clem.* 1. *de celebrat. Miſſ.* §. *Ne igitur*, in qua Eccleſiæ cathedrales, regulares, & collegiatæ ponuntur tanquam membra diſtincta: ergo ſi Rubrica Miſſalis ſolùm loquitur de Eccleſiis cathedralibus, & collegiatis, cum ſit odioſa non eſt extendenda ad Eccleſias Regulares, cum à diſparata in odioſis non rectè fiat illatio, *leg. Papinianus exul, ff. de min.* Et ratio etiam ſuadet maiorem obligationem currere Eccleſiis cathedralibus, & collegiatis, quàm Regularibus, nam clerici, & canonici ratione ſtipendij tenentur Miſſas, & diuina officia celebrare, ac Regulares ſolùm ratione conſuetudinis ad maiorem Dei gloriam. Præterea Rodrig. *loco cit.* adducit ad hoc priuilegium Martini V. quo conceditur Regularibus, vt ſufficiat iis temporibus dicere Miſſam de Feria cum Commemoratione Sancti, de quo ſit Feſtum, vel ſi Feſtum ſit duplex, vel ſemiduplex, ſufficiat dicere Miſſam de Sancto, cum commemoratione feriæ, ſi in iis Eccleſiis non ſit multitudo Fratrum.

20. Exiſtimo itaque, quòd in Eccleſiis Regularium dictis diebus ſufficiat dicere vnam Miſſam de Sancto, vel de feria modo dicto, præſertim ſi in iis non ſint ad minus decem Sacerdotes. Si autem ſint ibi decem Sacerdotes, & conſuetudo ſit dicendi duas Miſſas, hæc conſuetudo, cum ſit conformis Miſſali, & laudabilis, ſeruanda omnino eſt. Exiſtimo etiam, quod in dictis Eccleſiis pro Miſſa Conuentuali etiam in feſto duplici, quod tamen non ſit de præcepto, vbi adeſt numerus competens Fratrum, ſufficiat canere Miſſam defunctorum, præſertim vbi voluntas teſtatoris implenda eſt, & vbi conſuetudo ita obtinuit, & pietas benefactorum ita depoſcit. Colligo expreſsè *ex cap. Cum creatura, de celebrat. Miſſ.* quod in hoc caſu puto locum habere. exiſtimo quoque, quòd in dictis Eccleſiis Regularium, vbi adſunt ad minus tres Sacerdotes, quotidie eſt celebranda Miſſa ſub mortali, nec poſſunt Fratres vnius Conuentus omnes vno die ire ad dicendas Miſſas extra ſuam Eccleſiam, nec multo minùs ad recreationem, propria Eccleſia ſine Miſſa relicta. Ita Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. diſp.* 80. *ſect.* 2. *concluſ.* 2. Fagund. *in* 1. *præcept. Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 15. *num.* 9. Henriq. *lib.* 9. *cap.* 24. *num.* 3. *in com. lit. A.* Ledeſm. 1. *part. ſum. de Sacram. Euchariſt. cap.* 19. *concluſ.* 2. Rodrig. *tom.* 1. *quaſt. regul. quaſt.* 43. *art.* 14. & alij communiter, hoc enim & habet conſuetudo, & pertinet ad commune bonum Eccleſiæ, & colligitur *ex dicto c. Cum creatura, de celebr. Miſſ.* Dicunt tamen Suarez, Ledeſma & Fagund. quòd in aliquo caſu propter vrgentem neceſſitatem poſſet omitti; humana enim præcepta humano modo intelligenda ſunt. Exiſtimo etiam, quòd dicta Miſſa quotidie celebranda in dictis Eccleſiis, vbi adſunt ſaltem tres Sacerdotes, ſub mortali, debet eſſe ſub eodem peccato correſpondens officio. Ita Angel. *verb. Miſſa*, §. 33. Roſel. *eodem*, §. *fin.* Cordub. *in comp. priuileg. mendic. verb. Moniales, part.* 2. Rodriguez *tom.* 3. *queſt. regul. quaſt.* 6. *art.* 7. qui duo extendunt etiam ad Monaſteria Monialium Colligitur expreſsè *ex cit. cap. Cum creatura, de celebrat. Miſſ.* Non eſt tamen neceſſe, vt dicta Miſſa cantetur, vt innuit Gauantus *in rubric. Miſſ. part.* 3. *tit.* 11. *num.* 4. quatenus quoad hoc ponit differentiam inter Eccleſias Regulares, collegiatas; & dicunt Corduba, & Rodriguez, quod poteſt dicta Miſſa propter aliquam vrgentem rationem omitti, verbi gratia, ſi ſit celebrandum pro defuncto in die depoſitionis ſuæ, vel ex tribus Sacerdotibus vnus eo die celebrare non poſſit. Sunt enim hæc humana præcepta. Exiſtimo denique, quòd dicta Miſſa Conuentualis poſſit applicari pro quocumque voluerit Prælatus. Ita Cordub. *loc. cit. part.* 3. Rodrig. *cit. art.* 8. non enim apparet vllum præceptum, neque diuinum, neque humanum in contrarium, vnde inferat Regula, Quòd omnia ſunt conceſſa, quæ non reperiuntur prohibita, quam probat Gloſſa *in cap. Cum Eccleſia Sutrina, verb. Ne veniret de cauſa poſſeſſ.* Et ita etiam tenet R. P. Fr. Hieronymus Trimarchi Sacræ Theologiæ Lector, & iuris Pontificij Profeſſor in Conuentu Meſſanenſi Ordinis noſtri in reuiſione iſtius libri. Et tandem exiſtimo, quod omiſſio Miſſæ ſolemnis in noſtris Eccleſiis, etiam ſolitæ celebrari in diebus feſtiuis, etiam ex negligentia, non ſit peccatum mortale ſecluſo ſcandalo, quia conſuetudo dictas Miſſas ſolemnes celebrandi non habet maiorem vim, quam Regula id præcipiens, quæ tamen ad nullam culpam obligat. Ita Dian. *tom.* 3. *tract.* 2. *reſol.* 8.

21. Quæres 6. An alicui liceat facere ſibi celebrari officium, vel Miſſas defunctorum dum viuit? Reſpondeo, Affirmatiuè; & eſt magis proficuum, quàm relinquere poſt mortem; nam dum celebrantur pro mortuis, ſolùm illis poſſunt prodeſſe quoad ſatisfactionem, at verò dum celebrantur pro viuis proſunt non ſolum quoad ſatisfactionem, ſed etiam quoad impetrationem. Atque ita Nauarr. *lib.* 3. *conſ. de celeb. Miſſ. conſ.* 6. Fraxinell. *de Sacerd. oblig. ſect.* 3. *prænot.* 4. §. 3. Homob. *de exam. Sacerd. tract.* 4. *cap.* 14 *queſtione* 128. *tom.* 1.

22. Quæres 7. An Sacerdos liber ab obligatione celebrandi Miſſam, dicendo Miſſam, poſſit eam applicare pro illo, qui primò ſtipem dederit? Reſpondeo, Affirmatiuè, quia apud Deum omnia tempora ſunt præſentia. Ita Vega 2. *part. ſumm.* 28. *caſu quinto*, apud quem multi, Bariol. *in aphor. lit. M. verb. Miſſa commendanda.* Negant tamen id poſſe fieri Henriq. *lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 1. *& lib.* 9. *c.* 21. *n.* 2. Fraxinell. *loc. cit. prenotion.* 5 §. 5. Fagundez *in* 1. *præcep. Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 9. *num.* 10. qui tamen *n.* 8. concedit, quod poteſt Sacerdos celebrare pro intentione Sacriſtæ, Homob. *loc. cit. q.* 130. & dicunt, ita fuiſſe declaratum à Sacra Congregat. approbante Paulo V. *anno* 1605. *die* 5. *Nouemb.* Soſa *in tract.* quem facit, quòd non conuenit, quod Capuccini recipiantur in regno Caſtellæ, *pag.* 2. *verſ. La ſexta digo*, & declarationem ipſam refert Barboſ. *de poteſtat. ep. p.* 2. *alleg.* 24. *num.* 12. qui tamen in eo venit corrigendus (niſi ſit error impreſſionis, vel datæ) quòd dicit, hanc declarationem emanaſſe ſub Clemente VIII. nam hic Pontifex mortuus eſt *die* 3. *Martij, anno* 1605. & Paulus V. creatus eſt *eodem anno die* 16. *Martij.*

23. Quæres 8. An obligatus ad quotidie celebrandum, poſſit ſingula hebdomada ſemel vacare? Reſpondeo affirmatiuè. Ita Nau. *in man. cap.* 25. *num.* 135. *& lib.* 3. *conſil. de præb. conſ.* 6. *num.* 5. vbi vnam continuam vacationem concedit, & aliquando duas; Henriq. *in ſum. lib.* 9. *cap.* 24. *num.* 4. Fraxinel. *de ſacerd. oblig. ſect.* 4. *concl.* 4. §. 2. *&* 3. Sa *in aphor. verb. Miſſa, num.* 46. Homob. *in Exam. tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 13. *quaſt.* 124. *verſ. Ad* 2. *q.* Azor. *tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 24. *quaſt.* 7. Rodriq. *in ſum. p.* 1. *cap.* 42. *concl.* 2. qui vnam, & aliquando duas vacationes concedit; Fagund. *in p. præcept. Eccleſ. libr.* 3. *cap.* 15. *num.* 11. Barboſ. *de poteſt. ep. p.* 2. *alleg.* 24. *num.* 28. Obligatio namque ad quotidie Miſſandum intelligitur ſalua honeſtate, prout declaratur *in cap. Significatum, de præb.* Honeſtum, verò eſt, vt poſſit ſingula hebdomada capellanus quieſcere. Verum tamen eſt, quòd ſi obligaretur capellanus per ſe, vel per alium quotidie celebrare, vel obligatio eſſet annexa alicui altari, ita, vt teneretur ſingulis diebus in illo altari celebrare, tunc non poſſet vacationem ſumere, ſed teneretur per ſe, vel per alium celebrare,

&

& pacta seruare. Ita idem DD. qui etiam affirmant, quòd quando licitè potest capellanus vacationem sumere, non potest tempore vacantiæ, accepta stipe, pro aliis celebrare. Sed an possit dictus capellanus tempore dictæ vacantiæ ex charitate pro se, vel parentibus, aut amicis celebrare, non discutiunt. Ego puto, quòd sic, nam dura nimis esset captiuitas, obligare pauperem Sacerdotem, vt nullo vnquam tempore posset pro se, vel suis vnam Missam dicere. Et colligo clarè ex d. c. *Significatum*, ibi: *Salua honestate*, idest, æquitate; at honestas & æquitas talem indulgentiam concedunt. Colligo etiam ex illa clausula eiusdem cap. *Nec sibi liceat hoc illi subtrahere, sine causa voluptatis*. Ergo si non licet talem vacantiam assumere causa voluptatis corporalis, & temporalia, licebit quidem causa deuotionis, & charitatis, ac voluptatis spiritualis. Idem intellige, si Prælatus mihi quotidie celebrare præcipiet in genere, nam hoc præceptum etiam humano modo intelligendum est, cum sit humanum; humanitas autem, seu æquitas, vacationem concedit.

24 Sed quid, si capellanus obligatus ad quotidie celebrandum, infirmetur? Frazinell. *loc. cit.* §. 13. Barb. *loc. citat. num.* 31. Homob. *quæst.* 122. Genuen. *in prax. cap.* 47. *de capell. infirm. num.* 2. dicunt; quòd post quindecim dies tenetur per alium celebrare: Bonac. *de Sacram. disp.* 4. *quæst. vlt. p.* 8. *num.* 17 ait: quòd post quindecim dies tenetur per alium celebrare: Petrus verò Nauarr. *lib.* 3. *de restit. cap* 2. *num.* 211. Rodriguez *in summ. part.* 1. *cap.* 250. *concl.* 3. Bariol. *in aphorism. lit. C. verb. Capellanus ægrotans*, dicunt, quod si infirmitas sit breuis, puta vnius, vel duorum mensium, non tenetur Capellanus per alium celebrare, nec ipse factus sanus relictas Missas dicere, quia cum fundator meorem suam non explicauerit, se non intendere stipendium dare, nisi quotidie celebranti, quacumque causa exclusa, non est credendum, quod voluerit tam strictè obligare, nec est rationabile tantùm exigere. Vnde enim viuet pauper Capellanus infirmus, qui nihil habet præter stipendium Missæ, si eo paruo tempore; quo plus indiget, tenetur alteri stipendium elargiri. Hanc opinionem tenent etiam Gonzal. *ad reg.* 8. *cancell. gloss.* 5. *num.* 71. Camp. *in diuers. iur. rubric.* 7. *cap.* 6. *num.* 14. quatenus secuti dictum Nauarr. dicunt, non teneri dictum Capellanum per alium celebrare, quando breui tempore infirmatur: vnde per breue tempus intelligunt spatium duorum mensium, quod tempus etiam breue putat ad hunc effectum Tridentin. *sess.* 23. *cap.* 1. *de reform.* Quæ omnia quadrant Regularibus habentibus obligationes Missarum. Sed caue, quod idem dicas de Missis manualibus; nam hæ debent omnes celebrari, sicuti promissæ sunt.

25. Quæres 9. An Sacerdos possit alteri applicare valorem Missæ sibi competentem? Respondeo, aliqui affirmant, quia hic fructus non est gradus aliquis sanctitatis, neque remissio alicuius culpæ, sed solùm remissio alicuius pœnæ, qua non est inconueniens, quòd aliquis velit se priuare, etiamsi indigeat; potest enim alia via velle sibi prouidere. Ita Nauarr. *in manu. cap.* 25. *num.* 92. Henriquez *libr.* 9. *cap.* 21. *num.* 7. Scortia *de Sacrif. Missæ, lib.* 1. *cap.* 9. *versu, At si fermo*. Molfes. *tom.* 1. *summ. tract.* 3. *cap.* 15. *num.* 40. Mirand. *tom.* 1. *man. quæst.* 41. *art.* 17. Io. Suar. *in Enchiridion. lib.* 5. *verbo Missa, vers. Sacerdos*. Ex quo deducunt, posse Sacerdotem etiam regularem, priuare se valore Missæ sibi debito, & alteri applicare, ac pro tali applicatione aliam stipem recipere. Negant Bonacin. *de Sacrament. disput.* 4. *quæst. vltima, part.* 8. *num.* 16. Homobon. *de exam tract.* 4. *cap.* 13. *quæst* 125. *tomo* 1. Rodrig. *part.* 1. *summ. cap.* 250. *num.* 2. quia talis valor personale priuilegium est, & nemini applicabile. Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. disput.* 79. *sect.* 9. *dub. vltimo*, distinguit de valore Missæ prouenient ex opere operatis, & de valore proueniente ex opere operato. De 1. concedit, quod applicari possit, & non est dubium. De 2. negat: quia sicut non potest applicari alteri remissio aliqua pœnæ, quæ ex Baptismo prouenit baptizato, neque indulgentiæ fructus potest alteri concedi, nisi de speciali facultate concedentis; ita neque potest hic valor alteri applicari. Mihi certè 1. sententia non displiceret, nisi fouetet auaritiam, qua obcæcati aliqui pecuniam solam venerantur, & adorant, vnde transeo cum 2. sententia, & 1. admitto in casu, in aliquo Monasterio paupere creuisset adeò Missarum numerus, vt ei satisfacere non possent Sacerdotes ibi habitantes, nec haberet vnde posset dictas Missas aliis, data stipe, commendare.

26. Quæres 10. An quando in aliquo loco est assignatum stipendium pro celebranda Missa, possit pauper Sacerdos, qui nihil habet vnde viuat, nisi ex Missa, minus taxati stipendij accipere, & deinde ad iusti stipendij rationem Missas celebrare? Respondeo, Affirmatiuè. Nam qui minus taxati stipendij dat, & pro eo Missam celebrari pro se solo postulat, rem iniustam postulat: ergo quamvis Sacerdos paupertate coactus promittat absque iuramento, non tenetur talem promissionem implere, sed potest se indemnem seruare. Sicut famulus, aut operarius, cui condigna merces non tribuitur, potest damnum suum quo melius poterit resarcire, etiamsi in principio ob paupertatem coactus sit pacisci pro iniusto, & inæquali stipendio, & similiter qui ob necessitatem cogitur triticum emere iniusto pretio, potest sine iniustitia alia via se indemnem seruare. Ita Suar. *tom.* 3. *in* 3. *part. disputat.* 86. *sect.* 4 *vers. Vnde consequenter infero*; Mirand. *tom.* 1. *man. quæst.* 41. *art.* 23, *conclus.* 3. Tambur. *de iur. Abbat. tom.* 2. *disp.* 5. *quæst.* 9. *num.* 9. Neque his videtur constare Decretum Sacræ Congreg. *de celebr. Miss.* §. 2. quod habes *tom.* 2. *huius op. in const.* 9. *Vrb. VIII.* vbi Congregat. sub obtestatione diuini iudicij mandat, vt tot Missæ dicantur, quot fuerunt præscriptæ, quamvis recepta stipendia sint exigua, & incongrua. Nam debet intelligi, quando omnino voluntariè, non coactus paupertate, contentus fuit oblato stipendio, & expresè promisit se tot Missas integras dicturum; quo modo etiam limitauit suam sententiam Suarez. Et tunc tenebitur magis ratione fidelitatis & præcepti, quam iustitiæ.

27. Sed pone, quod cuidam Sacerdoti commendatæ sint centum Missæ, verbi gratia, promisso iusto stipendio statim post eorum celebrationem, iis celebratis, non potuit Sacerdos sine lite, & aliis incommodis litem concomitantibus, stipendium recuperare; si ab eodem deinde, qui primò commendauit dictas centum Missas, commendentur aliæ centum, poterit ne sibi compensare minuendo has centum Missas, id quod consumpsit in priori stipendio recuperando? Respondeo, Affirmatiuè. Nam sicut Sacerdos accepto stipendio, tenetur ratione iustitiæ Missas celebrare, ita commendans Missas tenetur ratione iustitiæ in vero que foro stipendium tribuere, vt bene Suar. *loc. citat. sect.* 1. *in princip.* & Henriquez *libr.* 9. *cap.* 21. *num* 4. sed in obligationibus iustitiæ datur compensatio, ergo & hic Sacerdos potest sibi damnum datum præcisè certum, & liquidum, iuxta communem taxationem, quod alia via recuperare non potest, compensare, iuxta ea, quæ de compensatione dicunt DD. & in specie Petrus Nauarr. *lib.* 3. *de restit. cap.* 1. *à num.* 397.

28. Quæres 11. An quando quis absque stipendio promittit alicui Missam se pro illo oblaturum, teneatur eam offerre? Respondeo, Non semper teneri, nam sæpè dicta promissio tantùm est simplex declaratio animi, & propositi, quod tunc habet, sine intentione se obligandi ad non mutandum illud, sed omnino implendum, & tunc non manet rigorosa obligatio, sed solum ex quadam decentia, vt sine graui causa animus non

non mutetur. Ita Suar. *tom.* 3 *in* 2. *part. diſp.* 86. *in princip.* Sanchez 1. *de ſponſal. diſputat.* 5. *numero* 23. Poſſel. *in dubitat. regular. verb. Miſſa numero* 10. Si autem promittendo habuit animum ſe obligandi, adhuc tenet Diana cum multis *tract.* 17. *var. reſolut. reſolut.* 9. *in fine*, quòd non eſt mortale non obſeruare: nam omiſſio facti ex liberalitate promiſſi non eſt in genere damnorum ſpiritualium, quod poſſit conſtituere peccatum mortale. Si autem promittat ſacrum ad ſoluendum gratitudinis debitum putat N. Trimarchi, quod celebrare teneatur; nam tunc iuſtitiæ, & naturalis debiti eſt talis promiſſio non ſimplicis liberalitatis.

29. Quæres 12. An ſit aliquod remedium minuendi Miſſarum numerum? Reſpondeo, Olim Summos Pontifices volentes benemeritos de Sede Apoſtolica Mendicantes recognoſcere, illis moltis multa priuilegia conceſsêre, ſupplentes de theſauro Eccleſiæ, ſi quid fortè per hoc intentioni fidelium (quam Papam poſſe rationabiliter immutare, & ſtipem pro Miſſa datam in vim eleemoſynæ conuertere, docet Henriq. *lib.* 9. *cap.* 21. *num.* 7.) detractum fuiſſet, nec in hoc dictos Pontifices erraſſe dici poteſt, neque minus quidquam intentioni fidelium detraxiſſe; nam quantum ad valorem Miſſæ impetratorium hic valor non minuitur ex eo, quòd pro pluribus offeratur, ſecundum communem ſententiam, de qua Henriquez *loc. cit. cap.* 17. §. 5. & dicit clarè Hieron. relatus *in Non mediocriter, de conſecrat. d.* 5. quantum verò ad valorem ſatisfactorium cum Papa habeat vnde poſſit aliter ſoluere, parum refert, an ſoluat in aurea, vel argentea moneta, modo plenè debito ſatisfiat. Sed hæc priuilegia dormiunt hoc tempore: ad alia igitur remedia recurrendum. Et primum, & principale eſſet, non recipere Miſſas de nouo, niſi prius celebratis antiquis, neque recipere, niſi tot, quibus poſſit ſatisfieri. Sed inquiunt Mendicantes. Refrigiut charitas fidelium: gratis eleemoſynas abſque onere Miſſarum qui tribuat, vix reperies: non poſſumus Fratres alere; diſciplina Regularis euertitur, cum coguntur Monachi ſibi neceſſaria perquirere: Monaſteria, & Eccleſias reparare non poſſumus, nec debitas, & communes expenſas pro Religione ſuſtentanda ſupplere: & licèt mendicare non erubeſcamus, fodere tamen non valemus. At vos, inquam, in culpa eſtis, qui tot ad habitum recipitis, quos nequitia ſuſtentare. Sed replicant. At id vitio tribui nobis non debet: fit enim hoc, vt Eccleſiis noſtris; quas ſupra nos zelamus, & quibus fidelium deuotio gignitur, & nutritur, meliùs inſeruiatur. Et eſto, quod non niſi neceſſarios ad habitum recipiamus, antequam ad Sacerdotium aſcendant, alendi nonne ſunt? & lacte diſciplinæ imbibendi tenelli? Egemus Religioſis ad Fratrum ſeruitia deputatis, qui tamen Miſſas non celebrant: Et eſto, quòd in poſterum nulli ampliùs Fratres eſſent recipiendi, niſi qui ſuſtentari poſſent, de receptis quid faciendum? Cogimur itaque deuotos ſæculares indecentiſſimè importunare, & clauſtrum pro victu quæritando relinquere potiùs, quàm diuinum iudicium, & omnipotentis Dei indignationem incurrere. Sed in his non eſt immorandum. Quando ergo creuiſſet in aliqua Eccleſia tantus numerus Miſſarum, cui Sacerdotes illius ſatisfacere non poſſent, nec haberent vnde eas celebrari facere poſſent, peccaſſent quidem recipiendo, & ad reſtitutionem tenerentur; ſi autem non haberent, iam non tenerentur, quia ad impoſſibile nemo tenetur, Vnde ſicut qui verè decoxerunt, poſſunt tota conſcientia ſoluere vnum ſolidum pro vna libra, dato quòd plus non poſſint, & ſic ex vna libra 20. creditoribus ſoluunt, & creditores illum ſolidum libenter accipiunt, dicentes, illum ſolidum potius eſſe, quam nihil; à decocto debitore, hordeum, vel palea; & meliùs eſſe cadere è medio ſcalæ, quàm è principio. Sic in caſu poſſunt facere illi Religioſi, proponendo primò ab his in futurum abſtinere. Secundo, omnes alias orationes, diſciplinas, abſtinentias, & ſatisfactiones applicare, ſupplicantes Deo, vt per ſuam infinitam miſericordiam ipſorum defectum ſuppleat. Tertio, cantare, præſente toto conuentu, vnam Miſſam pro nouem, vel decem, vel pluribus, iuxta maiorem, vel minorem numerum Miſſarum. Quarto, poſſent ſe priuare valore illo ſpeciali Miſſæ ſibi debito, de quo *num.* 2. & ſic cum vna Miſſa ſatisfiet duobus petentibus. Sed hic dubitari poteſt, an poſſint Regulares à Prælato cogi ad hunc valorem aliis applicandum? Videtur quòd ſic, modò eleemoſynæ receptæ pro Miſſis, ſint in vtilitatem Monaſterij, & Fratrum conuerſæ; nam qui ſentit commodum, debet ſentire & onus; nec ſolus Prælatus reſtituere tenetur, ſed totus Conuentus, ideſt omnes, & ſinguli Fratres. Quinto, poſſent petere relaxationem ab iis, qui Miſſas commendauerunt, ſi fieri ſine ſcandalo poſſet. Habes veſtigium huius doctrinæ apud Palud. *in* 4. *d.* 45. *quæſt.* 2. *art.* 2. *concl.* 5. Videatur Nauarr. *lib.* 3. *conſ. de celebr. Miſſ. conſ.* 11. *num.* 2. vbi probat, quòd diminutio redditum, & augmentum pretij rerum ad victum, & veſtitum neceſſarium cauſam præſtat, vt numerus Miſſarum in fundatione appoſitus minuatur. Et colligitur *ex cap. Quoniam, de vita, & hon. cler.* ibi; [prouentibus, & expenſis diligenter inſpectis:] Et *ex cap. Ex parte, de conſt.* ibi: [licèt non ſint eius diminuti redditus.] vbi Gloſ. *verb. Diminuti*, ait: quòd tunc talis diminutio poteſt fieri auctoritate Epiſcopi, & conſequenter Prouincialis, auctoritatem quaſi Epiſcopalem habentis. Audio etiam, in regno Siciliæ practicari, quòd pro Miſſis receptis ante Decretum Congregat. de celebratione Miſſarum ſatisfiat per priuilegium collectarum, &c. & quod cum iſta limitatione fuit ibi acceptatum, receptis verò poſt dictum decretum integrè ſatisfit.

30. Noto 14. quòd in *num.* 63. eiuſdem conſtitut. dicebam, Epiſcopum non poſſe in totum eximere Eccleſiam à ſua iuriſdictione. Pro quo vide Barboſ. *in addit. ad* 3. *part. de poteſt. ad alleg.* 115. *num.* 73. *verſ.* 38. Tambur. *tomo* 1. *de iur. Abb. diſp.* 15. *quæſt.* 13. vbi refert per extenſum hoc priuil. Pyrrhi, Cochier *part.* 1. *de exemp. quæſt.* 3. *à num.* 3. qui hanc concl. limitat *num.* 5. vt non intelligatur initio fundationis, nam tunc nondum eſt acquiſitum Epiſcopatui ius ſuperioritatis. Et ſic bene potuit Pyrrhus initio fundationis primæ noſtræ Eccleſiæ eam relaxare ſub immediata cura Romani Pontificis.

31. Noto 15. quod circa *eandem conſt. Pyrrhi, numero* 54. probaui, quod Regulares erant exempti à quarta funeralium per priuil. Summorum Pontificum, quæ quidem priuil. cum fuerint illis conceſſa in recompenſationem laborum, quos paſſi ſunt, & quotidie patiuntur in Eccleſia Sancta Dei ad propagationem fidei, etiam cum proprij ſanguinis effuſione, cenſentur irreuocabilia, non quòd per abſolutam Papæ potentiam reuocari non poſſint ſed quod de ordinaria non debeant reuocari ſine grauiſſima, & vrgentiſſima cauſa, quæ adæquet cauſam, propter quam conceſſa ſunt. Atque ita Gonzalez *ad regul.* 8. *cancell. gloſſ.* 9. §. 2. *num.* 49. Gratian. *diſcept. forenſ. tom.* 5. *cap.* 925. *num.* 4. Et retulit mihi Trimarchi, quò pro hac quarta exierunt Bullæ Vrbani VIII. ad inſtantiam Correctoris noſtri Syracuſani, & quòd pendente lite in Monarchia dicti Regni Religio noſtra erat in poſſeſſione.

CAPVT

CAPVT II.

De addendis circa constitutionem Sixti IV.

1. NOto primò circa numerum 10. primæ constit. Sixti IV. quòd licèt communiter DD. vt Llamas 4. *p. meth. capite* 3. §. 8. Sigismund. *de elect. dub.* 87. Vech. *de nouit. disp.* 9. *à num.* 13. concedant, quòd infamia infamia iuris, cuius delictum occultum est, possit per Prælatum regularem dispensari, negant tamen id posse facere, quando delictum notorium est; & multo minus, quando delinquens talis declaratus est per iudicis sententiam. Sed cum ego probauerim *tom.* 2. *Relig. Pral. quast.* 2. *cap.* 5. §. 4. *num.* 50. hanc iuris infamiam nullo modo incurri, nisi post iudicis sententiam, puto, quòd priuilegium Eugenij IV. concedentis, quòd possint nostri Prælati infamiæ maculam abolere, habeat locum in foro exteriori, & in infamia per iudicem declarata; alioquin secundùm nostram sententiam, quæ communissima est, nihil valeret, & priuilegia semper ita sunt interpretanda, vt aliquid operentur. Et vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus: & leges absolutè loquentes in vtroque foro intelligendæ sunt, cum priuilegia amplianda sint.

2. Noto 2. quod *in const.* 2. *Sixti IV. num.* 9. dicebam, quòd Clericus prohibitus à suo Episcopo ludere sub pœna excommunicationis, si luderet in monasteriis Regularium, non incideret in dictam censuram, & DD. ibi ad hoc adductis addendi sunt Riccius 2. *p. praxis, resolut.* 177. *& resolut.* 181. *in princ. & resolut.* 206. *num.* 2. Reginald. *in praxi lib.* 13. *num.* 170. Auila *de cens. p.* 2. *cap.* 3. *disp.* 2. *dub.* 5. Bonacin. *de cens. dis.* 1. *quast.* 1. *p.* 11. *num.* 8. Henriquez *lib.* 13. *cap.* 26. *num.* 2. Saytus *de censur. lib.* 1. *cap.* 6. *n.* 39. *&* 40. Et probatur *ex cap. Vt animarum, de const. in* 6. nam monasteria exempta extra diœcesim dicenda sunt esse, vt colligitur ex Trid. *sess.* 14. *c.* 2. *de reform.* ibi, [aut aliquo monasterio cuiusvis Ordinis.]

3. Sed quid, si Episcopus declaret, intendere se ligare etiam extra territorium, & in hoc loco exempto ludentes? Putat Bonac. *loc. cit. numero* 6. quod non per hoc ligat. Nam ad ligandum hoc pacto non sufficit intentio, sed requiritur iurisdictio, at extra territorium ius dicenti non paretur impunè, *leg. fin. ff. de iurisd. omnium Iud.* Ita etiam Diana *tom.* 3. *tract.* 5. *resolut.* 73. Contrarium tamen sensit Probus *in capite Vt animarum, de const. num.* 14. quando subditus non intenderet domicilium mutare, nam tunc ratione obedientiæ à quase subtrahere non intendit, obligaretur? Azor. *tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 33. *quast.* 3. putat, quòd posset puniri ad Episcopo pœna extraordinaria. Suarez *lib.* 3. *de legib. cap.* 32. *num.* 5. putat, quod si sententia esset solùm ferenda, posset Episcopus dictum Clericum, quando iam à loco exempto recessisset, excommunicare, qui tamen meo videri non bene concludit *tomo* 5. *in* 3. *p. disp.* 5. *sect.* 4. *num.* 6. monasteria Regularium non esse exempta quò ad hunc effectum; quia solùm, inquit, sunt exempta ratione personarum; Suarez sequuntur Coninck. *disput.* 13. *de cens. dub.* 7. *num.* 63. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 11. *num.* 149. non concludit, inquam, bene; quia dicta monasteria sunt exempta non solum ratione personæ, sed etiàm ratione sui, vt constat ex tenore priuilegiorum diuersis Ordinibus concessorum, & in specie ex priuilegio huiusmodi nobis concesso à Sixto 4. *in constitut. eius* 2. 6. 7. *tom.* 1. *nostr. priuil.* Vide Saytum *loc. cit. à num.* 41. Coninck. *loc. cit. à num.* 49. Filliuc. *cit. à num.* 148. Salas *de leg. disp.* 14. *sect.* 5. *num.* 78.

4. Noto 3. quòd num. 11. eiusdem 2. const. Sixti IV. dicebam, quòd Papa eximens nos à iurisdictione omnium iudicum, subiicit Romano Pontifici canonicè intranti; canonicè autem dicitur ille Pontifex intrare, qui per electionem Cardinalium canonicè electus est, *capite Alienationes, iuncta glossa eodem verb.* 12. *quast.* 2. *cap. Ego N. de iur. capite Hinc ergo, de consecr. d.* 1. Et in quibus casibus exempti subiiciantur Ordinario, vide Cochier. *de exempt. p.* 2. *quast.* 45.

5. Noto 4. circa *eandem* 2. *const. Sixti IV. num.* 15. *in fine*, quòd si dubitetur, an Regularis citatus ab Episcopo sit exemptus in illo casu, pro quo eum citat, comparere tenetur, & suum priuilegium, & rationes allegare. Ita Baldus *Perus. de Statutis, verbo Comparere, numero* 3. *tom.* 2. *tract.* Sylu. *verb. Citatio, numero* 3. Si verò certò sciatur, quòd sit exemptus, iam, vt dixi, non tenetur comparere, nisi velit; *leg.* 2. *ff. Si quis in ius vocetur*: Armilla *verbo Exemptio, num.* 1. *fine*, Vancius *de nullit. tit. De nullit. ex defectu cit. numero* 28. Cochier *de exempt. p.* 2. *quast.* 6. *numero* 23. quem vide *quast.* 12. *à numero* 1. vbi ait, quòd in dubio non potest Ordinarius cognoscere, an sibi in exemptos iurisdictio competat. Vide etiam eundem *p.* 2. *quast.* 8. *num.* 11. vbi ait, quod exemptus non tenetur priuilegium exemptionis Ordinario exhibere, sed viris probis vtrinque assumptis: & si non compareat, & nihilominus Episcopus processum formet, processus nullus est. Ita idem Bald. cit.

6. Noto 5. quòd *eadem const. num.* 18. dicebam, non posse Episcopos vllo modo Ecclesias Regularium visitare. Sed quid, si à Papa accipiat Episcopus de nouo aliquam facultatem supra Regulares. Respondeo prout dixi *tom.* 1. *Religiosi, quast.* 1. *cap.* 18. §. 2. *in fine*, quòd tunc tenetur priùs ostendere literas suæ commissionis, & postea visitare; quòd si eas nolit ostendere, & de facto procedat, possunt Regulares de facto etiam illi resistere; nam de facto procedentibus, de facto est resistendum; *leg.* 1. §. *& hoc edictum ff. Si mulier ventris nomine*; & dicit Marcus de Mantua *singul.* 446.

7. Sed pone, quòd Episcopus prætendat visitare parochiam monasterio annexam, vbi non residet Prælatus, qui sit caput Ordinis, & intimata visitatione, prætendant Regulares ipsum non posse, & se offerant probare, & videntes Episcopum velle eos excommunicare, appellent, quid faciet Episcopus. Respondeo Camp. *in diuers. iur. rubr.* 12. *cap.* 13. *à numero* 52. quod tunc potest Episcopus de facto procedendo, in Ecclesiam irruere, ostia, & muros frangere; ac humi prosternere, Fratresque ipsos excommunicare, nulla monitione præmissa, nec vlla appellatione admissa. Sed ista indigent temperamento. Abbas igitur *in cap. Venerabili, de cens. num.* 3. ait, quod si constat omnino de iurisdictione Episcopi, potest ad suam iurisdictionem defendendam armis materialibus, & spiritualibus vti, quod etiam docet Innoc. *in cap.* [illegible] *de immunit. Eccles. num.* 3. *& eod. cap. Venerabili, num.* 3. nec tenetur in hoc casu admittere appellationem in præiudicium sui iuris cum sit in possessione, nec etiam probationem recipere, quia procedit vt pars ad ius proprium sustentandum, non vt iudex, & sic ablatio probationis non habet iustificare appellationem. Quæ omnia habent fundamentum *in cap. Dilecto, de sent. excom. in* 6. tenetur tamen ante excommunicationem monere Fratres, vt dicit Abbas *loc. cit.* & Innoc. *in cap. Venerabili cit. num.* 4. vbi relata prima opinione dicente, quòd monitio in hoc casu non est necessaria,

ait, [Monitio tamen semper videtur necessaria,] & ita sensisse Innocentium, disertis verbis testatur Felin. *in cap. Cum sit Romana, num. 16. de appel.* vbi ait, Innocentium recessisse ab opinione negante monitionem in hoc casu necessariam non esse. Quare mirandum est, quomodo Camp. pro sua sententia hos tres Doctores adducat; Monitio itaque trina necessaria est, antequam Episcopus possit in hoc casu Regulares excommunicare, & præter dictos DD. docent Couarr. *in cap. Alma mater, p. 1. §. 9. num. 6. vers. Hinc denique;* Suarez *de cens. disp. 2. sect. 8. num. 9.* Sayrus *de censur. lib. 1. cap. 12. num. 20.* vbi saltem vnam monitionem prærequirit? Quæ monitio etiam prærequiritur, si Episcopus velit procedere per ostiorum fractionem; nam potest esse, quòd tali monitione territi pareant, & sic omnia fiant sine scandalo, & rumore, vt inter Religiosos decet. Deinde si monitio requiritur ante excommunicationem, quæ est gladius spiritualis, & formidabilissimus, quare non requiretur ante vsum gladij temporalis, qui maiorem rumorem, & scandalum quandoque excitat? Si autem Episcopus velit visitare aliquod monasterium, & constet euidenter, quòd non potest propter exemptionem, nec vllam talis actus habeat possessionem, & per hoc resistens Fratres excommunicet, tunc illa excommunicatio nullius valoris est, vtporè lata à iudice non suo; *cap. Cum dilectus, de Relig. domibus,* vnde cùm exemptio Regularium tunc notoria sit, nec possit Episcopus se ignorantia, & errore probabili tegere, puniendus erit tanquam publicus pacis perturbator, & tanquam manum mittens audacter in alienam messem; arg. *capite Sacro, de sent. excom.* Si autem dubium sit, an Episcopus sit in possessione, & prætendens visitare, Fratres recusent, ipse autem eos excommunicet, talis excommunicationis valor pendebit à futura causæ decisione, facienda à Superiore: interim poterunt Fratres, sua iura tuendo, resistere, & de facto procedenti de facto respondere. Et ex his collige, quid faciendum, quando Episcopo esset commissa aliqua facultas de nouo. Nam, ostensis literis commissionis authenticis, si omnino constet de mente Superioris concedentis, tunc Regulares parere debent, alioquin ipse procedet iuxta literarum tenorem: Si verò constet, Superiorem fuisse malè informatum, & motiuum, propter quod talis facultas concessa est Episcopo, sit euidenter falsum, tunc non tenentur parere, sed tenetur Episcopus expectare, quovsque Superior meliùs informetur. Si autem dubium sit melius esset parere cum protestatione; sed si magnum præiudicium timeatur, possunt etiam resistere, & expectare Superioris determinationem.

8. Noto 6. quòd circa *eandem 2. const. Sixti, numero 20. & 25.* aliqua dixi circa Regulares quò ad munus prædicandi. Quibus *post numero 21.* addenda sunt nunc infrascripta. Et primo quæritur, an possit Episcopus prohibere Regulari, ne in Ecclesiis sui Ordinis prædicet? Secundo, An possit Episcopus Regulares concionari volentes, de vita, & scientia examinare? Tertio, An teneatur Regularis in propria Ecclesia concionaturus, personaliter se præsentare coram Episcopo benedictionem ab eo petiturus, an verò sufficiat id facere per literas, vel per nuntium? Quarto, Ad quem pertineat Prædicatorem eligere? Quinto, An Regulares extra claustra, & obedientiam suorum prælatorum viuentes possint ab Episcopis ad prædicandum admitti?

9. Ad primum, affirmatiuè respondent Alph. Leo *in suo thesaur. p. 1. cap. 8. num. 9.* Camp. *in diuers. iur. rubr. 12. capite 13. num. 8.* per textum in Concil. Trident. *sess. 24. cap. 4. de reform.* vbi dicitur, quòd [Nullus etiam Regularis in Ecclesiis sui Ordinis, contradicente Episcopo, prædicare præsumat.] Sed ego existimo, quòd approbati à suo Prouinciali possint in suis Ecclesiis ad suum libitum prædicare cum sola benedictione petita, non obstante expressa prohibitione Episcopi, nisi fortè Episcopus vellet ea hora ipse per se prædicare, iuxta ea, quæ dixi *tom. 1. Relig. quæst. 1. capite 22. vers. Circa 7.* Atque ita, præter DD. ad id ibi allatos docet Henriq. *lib. 7. cap. 28. §. 8. in com. lit. E.* & ita disertis verbis declarauit Pius V. *in sua constit. 7. tom. 2. nostr. priuil. §. 3.* quas declarationes nullo modo esse reuocatas, dixi *ibid. numero 3.* Dixi, cum sola benedictione petita, nam non est necesse, vt ea obtineatur, vt docent Barb. *de potestat. Epis. p. 3. alleg. 76. numero 19.* Tambur. *de iur. Abbat. tom. 2. disp. 11. quæst. 4. numero 3.* qui duo scripserunt Romæ post *constit. Greg. XV. de exemptorum priuil.* Et ratio est, quia quando licentia obtineri debet, expressè ponitur verbum *Obtinere,* vel aliud æquiualens, vt *in capite Omnis vtriusque sexus, de pœnis. & remiss.* ibi [postulet, & obtineat,] *in capite 2. de testam. in 6.* vbi dicitur, quod Religiosus non potest esse procurator, nisi à Superiore suo licentiam petat, & obtineat: *& in capite super cathedram, §. in Ecclesiis, extra de sepult.* ibi, [seu petita licentia fuerit, & obtenta,] & *in Clem. Dudum, §. In Ecclesiis, de sepul.* Vnde prætendere, quòd dicta benedictio debeat obtinere, est expressè contradicere sacris canonibus, & mentem Trident. peruertere, quod *sess. 5. cap. 2. de reformat.* tradens formam, qua possunt Regulares prædicationis munus obire, facit differentiam inter prædicandum in Ecclesiis sui Ordinis, & in iis, quæ sui Ordinis non sunt; & ait, quod ad prædicandum in Ecclesiis sui Ordinis, sufficit habere licentiam suorum Prælatorum, & petere benedictionem Episcopi, in aliis verò Ecclesiis vltra licentiam dictorum Prælatorum requirit etiam licentiam Episcopi; vnde, vt constat, facit differentiam inter habere licentiam, & petere benedictionem, sed habere licentiam dicit illam esse obtinendam, vt colligitur expressè ex *Auth. Licentiam, C. de episc. & cler. & ex leg. Si quis mihi bona, §. Iussum, ff. de acquir. hæred.* docet Rota coram Seraph. *decis. 338. numero 2.* & determinauit Sacra Congr. vt patebit *ex num. seq.* ergo, vt prædicta differentia subsistat dicendum est, sufficere quod benedictio petatur. Trident. *sess. 24. cap. 4.* intelligitur, quando eadem hora Episcopus vellet ipse prædicare. Sed hic punctus iam caret difficultate propter *constitut. Vrbani VIII. datam Romæ die 30. Ianuarij 1629.* ad Episcopum Giennensem, vbi inter alia hæc habet. [Ad hæc quod in eisdem præinsertis literis dicitur, Regulares non posse verbum Dei prædicare sine Episcopi licentia, id locum sibi vendicare in his tantùm Ecclesiis, quæ sui Ordinis non sunt, cum in aliis Ecclesiis sui Ordinis sufficiat Episcopi benedictio petita, licet non obtenta, ita tamen, vt si Episcopus non modo benedictionem simpliciter non concesserit verum etiam Regularibus prohibuerit quominus prædicent, tunc illo contradicente, in sui quidem. Ordinis Ecclesiis liceat illis prædicare, quemadmodum sacri Trid. Concilij decretis salubriter est cautum,] hanc constit. refert Barbosa *de iure Ecclesiastico vniuerso, lib. 5. cap. 43. à num. 210.*

10. Ad 2. Attentiùs consideratis verbis Concilij *sess. 5. capite 2. de reform.* [Regulares cuiuscumque Ordinis, nisi à suis Superioribus de vita, & moribus, & scientia examinati, &c.] dicendum est, non posse prædicatores regulares ab Episcopis examinari, sed sufficere quòd sint examinati à suis Prælatis, & ab Episcopis vel benedictionem petant, vel licentiam obtineant, iuxta Ecclesiam, in qua prædicare volunt. Quod etiam fuit expressè statutum in Concil. Lateran. sub Leone *in constit. 21.* apud Cherub. *Superna maiestatis,*

maiestatis, §. 3. *tom.* 1. *bull. pag.* 508. Atque ita tenent Camp. *in diuers. iur. rub.* 12. *cap.* 13. *num.* 9. & Barbos. *de potestat. Episc. alleg.* 76. *p.* 3. *num.* 23. Mirand. *tom.* 1. *man. quæst.* 50. *art.* 2. Diana *tom.* 3. *tract.* 2. *resolut.* 112. & ita video stylari in hoc dominio Genuensium. Et licèt circumferatur declaratio Sacræ Congr. facta 21. *Ianuarij anno* 1628. in qua ad quæsitum, An Episcopus possit examinare Regulares volentes prædicare in Ecclesiis, quæ non sunt sui Ordinis? respondeat posse, cum adsit differentia inter benedictionem, & licentiam, nihil tamen authenticum vidi. Verum quidem est, quòd mortaliter peccant Prælati regulares, qui subditos, vel ignorantes, vel non bene audientes, prædicare permittunt, vt dixi *tom.* 1. *Relig. quæst.* 1. *cap.* 22. *vers. Peccant etiam*, & constat ex dicta const. Leonis, in qua dicitur, [Nullus ad hoc munus admittatur, nisi prius per Superiorem suum respectiuè diligéter examinatus, (in qua re conscientiam ipsius Superioris oneramus) ac morum honestate, doctrina, probitate, prudentia, ac vitæ exemplaritate, ad illud aptus, & idoneus reperiatur, & hic quocumque postea prædicaturus accesserit, de huiusmodi examine, & idoneitate sua per literas authenticas, seu aliàs sui examinatoris, approbatorisque Episcopo, & aliis locorum Ordinariis fidem legitimè faciat.]

11. Ad tertium dic, quòd tenetur se personaliter præsentare, ad ostendendum humilitatis, & reuerentiæ signa. Ita expresè Trid *sess.* 5. *cap.* 2. *de refor.* & dicunt Zerola *in praxi, p.* 1. *verbo Prædicatio*, §. 3. Franc. Leo *in thes. for. Eccl. p.* 1. *c.* 8. *n.* 10. Quod tamen limito, nisi sit graui aliquo impedimento detentus, nam tunc potest se præsentare per alium Fratrem eiusdem Ordinis iuxta dicta ab Anchar. *in Clem. Dudum, de sepult. num.* 10.

12. Sed quid, si Episcopus sit extra diœcesim, & Vicarium non habeat? Tunc dicunt dictus Anchar. *loc. cit. numer.* 12. & Cardin. *in eod. Clem.* §. *Statuimus, numer.* 8. quòd benedictio potest peti extra territorium per literas, & sede vacante, potest peti à capitulo.

13. Sed quid etiam, si Episcopus, & eius vicarius malitiosè nolint dictam benedictionem largiri, vnde se occultent, & verbis dilatoriis protrahant, quovsque tempus transeat prædicandi? Tunc dicunt dicti DD. quòd recurrendum est ad Superiorem, si commodè possit; quòd si non, prædicare possunt, per priuilegium *dicto Clem.* §. *Si verò*, vt dixi *tom.* 1. *Relig. q.* 1. *cap.* 22. *vers. Circa* 2. aduerto, nam licentia, seu benedictio iure petita, si iniustè negetur, videtur ipso iure concedi, vt habetur *ex cap.* 1. *de suppl. negl. Prel.* & colligitur *ex cap. licet, de regul.* Notat autem bene Panorm. *in dicto Clem. Dudum, numero* 22. quòd ad hoc, vt possint dicti Regulares prædicare absque dicta benedictione, vel licentia, non sufficit illam vnica vice petiisse, sed debent illam petere per tres vices. Quod etiam notauit Nau. *in sum. Hispan. cap.* 27. *num.* 163. Ex his collige, quòd si aliquis Regularis debeat in Ecclesia sui Ordinis, vel alia parochiali distante vltra duas diætas à loco, vbi residet Episcopus prædicare potest per nuntium, etiam non suæ Religionis, vel etiam per literas, dictam licentiam, vel benedictionem petere. Quod etiam colligi potest ex *const.* 16. *Leonis X.* §. 6. *tom.* 1. *nostr. priuil.* vbi loquendo de personali præsentatione, quam debent facere Prælati regulares Episcopis pro approbatione confessariorum iuxta *Clem. Dudum, de sepul.* ait. [Dummodo ad Prælatos vltra duas dietas accedere non cogantur.]

14. Ad 4. hic punctus quotidie lites parit. De eo tractant Camp. *in diuers. iur. rubr.* 12. *cap.* 13. *n.* 16. Franc. Leo 1. *p. thes. cap.* 8. *à num.* 4. Riccius 1. *p. praxis, decis.* 546. Barb. *de pot. Episc. p.* 3. *alleg.* 76. *à numero* 5. Sed lites resoluit in magna parte Sacra Card. Congreg. per declarationem factam *anno* 1596. *die* 11. *Iunij*, in qua sic habetur. *Congregatio Concilij censuit, esse in electione Episcopi, vel deputare in sua cathedrali Prædicatorem, etiam quòd populus illum ab immemorabili tempore eligere consueuisset, vel prateritam nominationem ipsi populo relinquere, ita vt si Episcopus Prædicatorem eligat, populum ad eleemosynas Prædicatori erogendas non compellat. Verum si populum prædictum facultate eligendi Prædicatorem vti permiserit, tunc populum ad solitas eleemosynas præstandas Episcopus cogere poterit. In aliis Ecclesiis ad Episcopum similiter pertinet electio, & deputatio Prædicatorum, impensis eorum, qui illas præstare, vel tenentur, vel solent. Concilium tamen non sustulit immemorabilem consuetudinem, qua facultas nominandi Prædicatorem in Ecclesiis non Cathedralibus alteri, quam Episcopo, competeret in sua diæcesi*, Si itaque Episcopus velit auferre à communitate facultatem; quam habet per consuetudinem immemorabilem nominandi Prædicatorem, non potest deinde ipsam communitatem compellere ad expensas Prædicatori debitas, sed ipse tenebitur ad dictas expensas: quòd si soluere recusaret, potest cogi per Superiorem suum; nam cum ad ipsum pertineat prædicationis munus obire, si ipse nolit, impensis suis per alium id peragere debet, *cap. Inter cætera, de offic. ord.* vt habetur in Trident. *sess.* 24. *de reform. cap.* 4. & maximè cum aufert facultatem eum deputandi à communitate. Cum est dubium, quorum expensis sit conducendus Concionator pro quadragesima, debet Episcopus, proprio sumptu illum conducere; Camp. *loc. cit.* Barb. *loc. cit. num.* 15. Franc. Leo *n.* 6. si constat de solito, decisum est in Trident. *loc. cit.* quòd dictas expensas facere tenentur qui solent: Si non adest solitum, nec consuetudo, soluat Parochus, vel Episcopus, si possunt; Barb. *num.* 16. Franc. Leo, *loc. cit.* Si non possunt, quia pauperes, tenetur communitas, cui verbum Dei prædicatur, *cap. Cum ex officij, circa finem, de præscript.* Videatur Diana *tom.* 3. *tract.* 5. *resol.* 71.

15. Si quæras, quid dicendum, si in aliquo oppido nolit Parochus, vt prædicetur in aliquo die festo, vt die Dominico, quo prædicari solet, & potestas sæcularis velit, vt prædicetur, cuinam obediet Prædicator Regularis? Puto, quòd in hoc casu obediendum sit potestati sæculari. Nam cum Trident. *sess.* 24. *cap.* 4. *de reform.* præcipiat, vt prædicetur ad populum, saltem omnibus Dominicis diebus, & festis solemnibus, tunc videtur potestas sæcularis executrix dicti decreti Concilij, per concessionem particularem Pij V. de qua Portel. *in dub. reg. verb. Prædicatores, num.* 13.

16. Ad 5. Respondeo nequaquam admitti posse, cum id prohibeatur expresè in Trid. *sess.* 5. *de refor. cap.* 2. vbi dicitur. *Caueant præterea Episcopi, ne aliquem, vel eorum, qui, cum sint nomine Regulares, extra claustra tamen, & obedientiam Religionum suarum viuunt, in sua ciuitate, vel diœcesi prædicare permittant.* Quare apostatæ, vel fugitiui admittendi non sunt ad prædicandum. Ita Rodrig. *tom.* 3. *q. reg. q.* 32. *art.* 9 & dixi *tom.* 1. *Relig. q.* 1. *c.* 22. *vers. Circa* 1. quòd Religiosi prædicantes absque licentia suorum Prælatorum, sunt ipso facto excommunicati. Vnde scienter illos admittentes ad tale munus, vltra peccatum mortale, incurrunt etiam pœnas contra fautores excommunicatorum.

17. Noto 7. circa eandem constitut. 2. Sixti IV. quòd *num.* 22. dicebam, decretum Concilij Trident. *sess.* 6. *num.* 22. *de reform.* quo conceditur Episcopis facultas puniendi Regulares delinquentes, si extra claustra degant, (quæ potestas fuit illis confirmata ab Vrbano VIII. vt patet *ex eius constit.* 10. §. 3. *tom.* 2. *nostr priu.*) non intelligi de Regularibus degentibus extra claustra cum licentia Superiorum. Atque ita fuisse declaratum

ratum à Sacra Congr. refert Barb. *de potest. Episc. p. 3. alleg.* 105. *num.* 16. & Camp. *in diuers. iur. rubr.* 12. *cap.* 13. *num.* 22. *fin.* Coehier *de consecr. Eccles. p.* 2. *q.* 102. *num.* 7. Neque etiam intelligitur de iis Regularibus extra claustra degentibus absque licentia, quos ad Religionem reducere procurant Prælati Regulares. Nam tunc licèt extra obedientiam sint, cum tamen procurent eos ad obedientiam reducere, signum est, quòd eos non deseruerunt, nec à sua iurisdictione eiecerunt, & quòd ouem deperditam, & infirmam reducere, & sanare curant; vnde tenentur tunc Episcopi Prælatos Regulares adiuuare ad eos reducendos in suum ouile. Prædictum itaque Decretum meo videri intelligitur solùm de iis Regularibus, qui extra claustra viuunt absque licentia suorum Prælatorum, & quos Prælati tanquam infectas oues, ne aliàs inficerent, expulerunt, & de quibus, non habentes spem emendationis, nec curant, ne volunt ad Religionem reducere, qui, cum non sit iustum vt sine Prælato viuant, subduntur Episcopis.

18. Noto 8. circa *eandem constitut. Sixti IV. num.* 27. quòd licèt Episcopus immediatè possit *post constit. Gregor. XV. de exempt. priuil.* punire Parochum regularem delinquentem circa munera parochialia, non potest tamen eum punire, si delinquat in aliquo ad parochiam non pertinente, sed tunc punitur à suo Superiore, vt patet ex dicta constit. §. 9. ibi, *c[illegible]ra delinquentes in tali cura*, & ita fuisse declaratum à Sacra Congreg. Concilij refert Riccius 1. *part. praxis, decis.* 736. *num.* 2.

19. Noto 9. circa *eandem constit. num.* 28. quòd per Decretum Concilij Trident. *sess.* 7. *cap.* 14. in nullo casu possunt Regulares intra claustra degentes coram locorum Ordinariis conueniri. Ita Camp. *in diuers. iur. rubr.* 12. *cap.* 13. *num.* 29. Tambur. *tom.* 1. *de iur. Abbat. disp.* 15. *quæst.* 7. *num.* 10. quod tamen defectu iustitiæ possint conueniri coram Episcopis, dicunt Barb. *de pot. Episc. p.* 3. *alleg.* 105. *num.* 67. Tamb. *loc. cit. num.* 43. modo tamen facilè adiri non possit Summus Pontifex, vel ipsorum Conseruatores.

20. Noto 10. circa *eandem constitut.* 2. *Sixti IV. num.* 44. me ibi dixisse, quòd Mendicantes habent licentiam confessiones audiendi à Papa, mediante approbatione Episcopi; & DD. ad hoc ibi adductis addendi sunt, Gloss. *in cap. Si Episcopus, verb. Item tertiò, de pænitent. & remiss. in* 6. Portel. *in addit. ad dub. reg. verb. Licentia, num.* 4. Henriq. *lib.* 6. *cap.* 6. *num.* 5. & 6. Vasq. *tom.* 4. *in* 3. *p. q.* 93. *art.* 3. *dub.* 3. *num.* 2. Suar. *tom.* 4. *in* 3. *p. disp.* 28. *sect.* 4. *num.* 22. Confect. *in summ. priuileg. Mendic. tit.* 17. *cap.* 5. *vers. Septima.* Graff. *in append. suar. decis. lib.* 2. *capite quinto, num.* 15. Bera 4. *p. casuum, cas.* 20. *vers. Non placet mihi* Ioan. Suarez *in Enchiridion. lib.* 5. *verb. Confessor, versu Confessores Regulares.* Ex quo eliciebam, quòd approbatio data Regularibus ab Episcopis ad audiendas confessiones ad beneplacitum, non poterat ab Episcopis reuocari, cum habeat vim sententiæ; Et DD. ad hoc ibi adductis adde Portel. *loc. cit.* Conink. *disp.* 8. *de Sacr. pænit. dub.* 7. *num.* 59. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 9. *num.* 267. qui id colligit *ex cap. Accepimus, de ætat. & qualit.* ibi, *nisi fortè*, &c. Colligitur etiam *ex cap. Si delegatus, de offic. deleg. in* 6. citari etiam potest Bart. *in leg. De pupillo*, §. *Si quis ipsi Pistori, num.* 13. *ff. de non. oper. nunt.* quatenus ait, quòd quæ conceduntur ad beneplacitum, in dubio censentur perpetuæ. Quod si nihilominus Episcopi reuocarent absque causa legitima, & ad Sacramentum pœnitentiæ pertinente, dicebam, non teneri confessarios Regulares obedire. Quod nunc confirmo *ex const.* 26. *Leonis X.* §. 6. *tom.* 1. *nostr. priuil.* vbi hæc formalia verba habentur. *Confitentes Regularibus indebitè ab Episcopis recusatis, constitutioni, quæ incipit, Omnis vtriusque sexus, quod ad confessionem dumtaxat, satisfecisse censentur*; clara enim est cōsequentia, Si validè bis confitentur pœnitentes; Ergo validè illis ministratur pœnitentiæ Sacramentū. Quod etiam asserit Io. Suar. *loc. cit.* Sed hæc iam claudicant, propter constit. Vrbani VIII. de qua hic *supra num.* 9. Et tandem in fine *num.* 45. addebam, quòd Regularis approbatus ad confessiones audiendas, licèt exeat à loco approbationis, etiam per longum tempus, dum tamen reuertitur, non indiget noua approbatione. Ita Nauarr. *in man. cap.* 27. *num.* 226. Camp. *in diuers. iur. rubr.* 12. *cap.* 13. *num.* 68. Quod tamen intelligo, dum viuit Episcopus, qui approbauit, vel, si est mortuus, dum successor circa hoc Sacramentum nihil innouauit, sed confirmauit omnia facta à suo prædecessore, approbando ad confessiones, quos approbauit prædecessor.

21. Quær. 1. Quid sentiendum, quando Episcopus absque causa rationabili limitat approbationem Regularibus ad certum oppidum, vel locum, seu casus, vel prohibet audire fœminas? Respond. Henriq. *lib.* 6. *c.* 6. *n.* 8. Cruz *de stat. relig. lib.* 2. *c.* 6. *concl.* 1. *dub.* 3. quòd talis restrictio debet intelligi rationabiliter, vt scilicet locum habeat quantùm ad iurisdictionem ab Episcopo delegatam, non quantum ad eam, quam habent Regulares ex priuilegio Papæ, vt v.g. quòd possint, quando terra, aut mari iter faciunt, confessiones audire, si sint ab aliquo Episcopo approbati. Sed certè, si Regulares indebitè recusati, possunt nihilominus confessiones audire, vt dictum est *numero præcedenti*, ita eodem modo dicendum est, si indebitè sint restricti, cum præsertim facultatem, & iurisdictionem confessiones audiendi habeant, vt dixi, à Papa, & Episcopi nudum ministerium circa hoc exerceant. Et quod limitationes quoad locum, v.g. in propriis Ecclesiis, non valeāt, constat ex priuilegio Pauli IV. quod refert Portel. *id addit. ad dub. regul. verb. Sacramenta*, vbi expressè concedit, quòd quovis tempore possint ægrotis sæcularibus extra suos conuentus Sacramentum pœnitentię ministrare. Atque ita cum multis id docet Fagund. *in* 2. *præcepto Ecclesiæ lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 16. & *num.* 55. probat, quòd si Episcopi ex odio nolint viros planè idoneos regulares ad examen admittere, cum eis à suis Prælatis debitè præsentantur, possunt nihilominus per Prælatos ad confessiones admitti. Vide Dian. *tom.* 3. *tract.* 2. *resol.* 25. vbi citat Villalob. *in sum. tom.* 1. *tract.* 9. *diffic.* 53. *n.* 2. nobiscum sentientem, qui *num.* 5. asserit, vt refert idem Diana *ibid. num.* 27. quòd non possunt Episcopi successores suspendere omnes licentias confessiones audiendi datas Regularibus, sed solùm possunt suspendere aliquos cum vrgenti causa.

22. Quær. 2. An, si Episcopus limitet approbationem Regularibus ad certum tempus, eo elapso, absque noua approbatione, vel confirmatione, possint validè, & licitè confessiones audire? Respond. affirmatiuè. Cum enim iurisdictionem non habeant ab Episcopo, sed à Papa, cuius iurisdictio limitari non potest ab inferioribus, statim ac Episcopi ministerium suum expleuerint approbandi, non habent se amplius immiscere cum Regularibus in isto puncto. Atque ita Mirand. *tom.* 1. *man. q.* 45. *art.* 10. *concl.* 2. Confect. *in summ. priu. Mendic. tit.* 17. *cap.* 4. *vers. finem.* Sorbus *in comp. verb. Absolutio quoad Fratres, & sæculares, in fine, vers. Ex quo infertur, pag. mihi* 63. Nauarr. *in man. cap.* 27. *n.* 264. Portel. *in dub. regul. verb. Confessor regularis, num.* 3. Vide Naldum *in sum. verb. Absolutio à peccatis, num.* 7. Sed hæc iam vacant propter const. citatam *supra, n.* 9. Si autem Regulares examinati, & admissi essent iuuenes, & non ita idonei, possent Episcopi eos limitatè approbare pro certis personis, vel locis, & si Episcopi bono zelo ducti, ad tenendum aliquos confessarios regulares semper exercitatos in studio, eos admitterent ad annum, tunc etiam obedire tenerentur, sed quando sine

ne causa tales restrictiones imponerent, puto quod non. Quomodò autem cognoscatur, Episcopum tales restrictiones apponere absque causa, dixi *tom. 1. relig. q. 1. cap. 21. §. 2. vers. Sed inquies*: scilicet quando omnes doctos, & minùs doctos eodem modo admittit: deinde quando non eodem modo se gerit cum Regularibus, ac cum Presbyteris sæcularibus, vel non eodem modo cum omnibus Regularibus se gerit: & denique, vt aduertit Fagundez *loc. cit. num. 6.* quando contra Religionem iurgia, aut conuicia iacit, si institutum Religionis vituperet, si Religiosis publicè, aut secreto detrahit. Pro hoc puncto, quòd admissi ad tempus, eo transacto, possint confessiones audire absque noua confirmatione, vide Bariolam *consil. 1.* qui tenet contra nos, quæ opinio in praxi securior est, & ad tollendas lites aptior.

23. Sed quid, si Episcopus approbando confessarium regularem, diceret, Approbo pro tuis Ecclesiis, & pro aliis de licentia Parochi, si Parochus contra diceret, possetne confessarius, non obstante illa contradictione, confessiones audire? Respondeo affirmatiuè Tambur. *de iur. Abb. tom. 2. disput. 6. quæst. 13. num. 2.* vbi alios citat. Et ratio est. Quia regularium confessariorum iurisdictio pendet à Papa, qui est supremus Dominus omnium Ecclesiasticorum, vnde illa restrictio est indebitè apposita, & sine ratione à Parocho facultas petita denegatur; id tamen passim fieri non consulo, ad tollendas lites, & ne parochi conquerantur.

24. Hic vnum monendos esse duxi Dominos Episcopos, quòd approbare Regulares ad confessiones audiendas, non est gratuitum munus, sed est opus iustitiæ, quod Episcopus debet Regularibus impendere, per decreta Conciliorum, *Clem. Dudum, de sepult.* Trid *sess. 23 cap. 15. de reform.* Quare tenentur idoneos sub pœna peccati mortalis approbare. Nam ferre sententiam, quòd aliquis idoneus non sit ad aliquam actionem, cum tamen sit idoneus, iniustitia est proximo præiudicialis in re graui. Atque ita docent Suarez *tom. 4. in 3. disp. 28. sect. 4. num. 22.* Conineb. *disp. 8. de Sacr. dub. 7. num. 49. vers. Patet quinto.* Sed quid dicemus de illis Episcopis, qui hac facultate vtuntur, seu potius abutuntur, ad iniurias sibi illatas vindicandas, seu potius ad iniurias gratis Regularibus inferendas, seu ad vlciscendum Regulares, quoties hi in omnibus, & per omnia, per fas, & nefas illis non obsequuntur? vnde cum petunt aliquid à Regularibus, quod hi per suas constitutiones facere nequeunt, statim eos priuant confessionum audientia; & quos volunt, admittunt, & quos nolunt, excludunt, nullo habito respectu, an sint idonei, necne. Ex quo duo sequuntur grauissima incommoda, perniciem gregi Domini afferentia, quibus vellem per Superiores prouideri; ad hoc enim hic indico. 1. est, quòd cum viri regulares probi curias non sequantur, gratiam Principum non venentur, sola gratia Dei contenti, isti, qui apti essent huius Sacramenti ministri, cum gratiam aliquorum Episcoporum (saluis quamplurimis sanctissimis) non habeant, non admittuntur; autem peruersi, & discoli, qui fauoribus externis ad id aspirant: cui malo quandoque prouidere non possunt Prælati regulares, ne suas Ecclesias ministris huiusmodi spolient. Secundum incommodum est, quòd plerique non boni Religiosi videntes, quòd acquiritur ista approbatio per fauores, literas negligunt, & fauoribus acquirendis student, & peiora quandoque faciunt, ne semel admissi iustè priuentur, imaginantes in hoc sibi quò ad honorem præiudicari, seu potiùs desiderio obsequendi filiis spiritualibus, quos sine teneritudine relinquere non possunt. Prætereo multa, quæ manu longa Prælaturæ experientia tetigi, ne has membranas cum scandalo lectorum inquinem. Quid inquam, de his dicendum? Dicant alij. Ego scio, quòd propter multo minora his Sanctissimi Pontifices tot priuilegia, & exemptiones Regularibus concessere.

25. Aduertant hic etiam Examinatores Episcoporum, quòd sicut peccant mortaliter admittendo ad confessiones audiendas personas non idoneas, & rei sunt omnium peccatorum, quæ ab istis in exercitio confessionum admittuntur, vt dicebat bene Petrus Damian. *lib. 2. epi. 3. versu, Sed hoc est prætereundum: Nam quisquis Ecclesiam Dei non regulariter, sed potentialiter ordinari, in premouentis caput omnia illius, qui promotus est, mala redundant; (& infra,) Alienis quippe peccatis communicare conuincitur, qui indignum, & improbum, atque ideo cupidum ad regimen prouehere non veretur.* Ita etiam peccant, mortaliter, si ex odio, vel alia passione aliquem idoneum non admittant; priuant enim Ecclesiam idoneis ministris, ipsosque ministros reprobatos contristant, valdeque lædunt in existimatione. Et aduertant etiam Domini Examinatores, quòd plus potest asinus proponere, quàm Philosophus soluere. Ex quo colligant, quòd si examinati, qui parati, & imparati ad omnia accedunt, multùm perturbati, vt solet, non respondeant præcisè ad mentem examinantium, qui punctis propositis priùs bene studuere, modo capacitatem ostendant, non sunt statim eiiciendi, sed animandi, adiuuandi, & hilari vultu fouendi, & circa alia examinandi, O charitas sancta, Beati, qui te charam habent? Scient etiam Examinatores, peccare se omnino mortaliter, si examinandos præmoneant de punctis, de quibus in examine eos interrogabunt, fraudulenter enim exercent officium sibi commissum. Verùm si aliàs examinandi essent euidenter idonei, & præ timore, vel alia naturali verecundia, aspectu Examinatorum turbarentur, non putarem mortaliter peccare, qui huiusmodi de punctis præmonerent. Ita Nauarr. *de orat. misc. 41. num. 1. & 2.* & addit. *num 3.* quòd Examinatores peccant etiam illis modis, quibus iudices Ecclesiastici, de quibus *in capite 1. de sent. & re iud. in 6.* sic dicitur. *Caueant Ecclesiastici iudices, & prudenter attendant, vt in causarum processibus nihil vendicet odium, vel fauor vsurpet, timor exulet, præmium, aut expectatio præmij iustitiam non euertat, sed stateram gestent in manibus, lances appendant æquo libramine.*

26. Aduerte etiam circa Examinatores ex Ledesma *2. p. sum. tract. 7. cap. 2. concl. 7. diff. 13. à pag. 250.* quod in concursu beneficiorum Examinatores tenentur semper proponere Episcopo digniores, sunt enim instrumenta conferendi dignitates, quæ solis dignioribus debentur; durant verò ipsi examinatores synodales vsque ad nonam synodum, sic Ledesm. *cit. concl. 8. dub. 1.* Franciscus Leo *in thes. for. Eccl. p. 2. cap. 3. num. 25.* etiamsi interim contingat, mori Episcopum, Ledes. *dub. 2.* quia sic habet consuetudo. Mortuis verò Examinatoribus synodalibus, potest Episcopus alios eligere extra synodum de consensu capituli, & cum illis de Ecclesia parochiali vacante prouidere iuxta decretum Clem. VIII. quod referunt Franciscus Leo *in thes. loc. cit.* & Garcia *de benef. p. 9. cap. 2. num. 72.* Imo Riccius *in praxi, p. 1. decis. 418.* de mente Rotæ videtur sentire, quòd id possit Episcopus facere per se ipsum absque consensu capituli. Possunt item in Examinatore eligi Regulares tales dignitates habentes, v. gr. Corrector localis, Ledesm. *diff. 3.* & ita etiam habet consuetudo. Sed contrarium, quòd scilicet non possint eligi talem habentes dignitatem, ait Barbos. *de offic. Parochi, p. 1. cap. 2. num. 56.* fuisse determinandum à Sacra Congr. Concilij, quæ declaratio tamen potest intelligi, vbi talis consuetudo non est. Et pro Examinatoribus vide eundem Barbos. *ibid. à num. 54. vsque ad 94. & num. 75.* ait, quòd non possunt eligi in Examinatores, siue sint Clerici sæculares, siue regulares, qui non sunt Doctores, seu Magistri,

gistri, aut licentiati in Theologia, modò tales extent in diœcesi; quòd si non extent, magis idonei eligendi sunt; & *num.* 56. ait, quod ad hoc, vt Examinator dicatur probatus à Synodo, debet habere dimidiam partem suffragiorum eorum, qui vocem habent in Synodo. Sed quid; si Synodus sit per aliquos corrupta, nec velit ex odio vllum Regularem, quantumvis euidenter idoneum, in Examinatorem admittere, sed postulet minùs idoneos, modò Regulares non sint? Tunc puto, quod, non obstante Concilio Trident. *sess.* 24. *de reformat. cap.* 18. possit solus Episcopus cum consensu; seu potiùs consilio capituli, imò & absque eo, ex se solo dumtaxat sibi bene visos & idoneos Regulares in examinatores eligere, præsertim si Synodo fuerint ab ipso propositi. Moueor; Tum quod malitiis hominum non est indulgendum, *iuxta l. In fundo*, §. *penult. ff. de rei vendic.* Tum quòd si iuxta declarationem Concilij, quam refert Ioan. Suarez *in Enchir. verbo Papa*, ad confirmanda decreta Synodi Diœcesanæ non requiritur consensus Cleri, sed sufficit consensus capituli, imo neque huius consensus requiritur, sed sufficit solius Episcopi, vt docet Castrus Palans *tom.* 1. *op. mor. tract.* 3. *disp.* 5. *p.* 2. §. 2. *num.* 11. *ad* 4. neque etiam consensus Cleri, aut capituli requiretur ad constituendos Examinatores. Tum quia potest Episcopus; inconsultæ Synodo, constitutiones synodales, si id viderit expedire, abrogare, vt probat Palaus *loc. cit. num.* 10. ex Nauarr. Azor. Sanchez Barb. nam Clerici, & Parochi in Synodo congregati non faciunt constitutiones, sed solùm præbent consilium ad illas faciendas, non ex necessitate, sed ex vtilitate, & conuenientia, vt prudentius Episcopus procedat. Tum quod solus Episcopus Synodum subscribit, vt Palaus *loc. cit. num* 11. *ad primum*, ergo potest solus, Synodi malitiæ resistendo, Examinatores à se propositos, & à Synodo recusatos constituere. Ad Concilium Trid. dicitur, quod non requirit ad constituendos Examinatores consensum Cleri, sed solum, quod illi satisfaciant, & ab eo probentur, idest, quod ab eo acceptentur; sicut etiam populus legem Principis acceptat, ab eo tamen Princeps non necessario dependet, neque in constitutione legis, neque in illius abrogatione, vnde non dicit Concilium, quod Examinatores eligantur, vel constituantur à Clero, sed solum quod ab Episcopo propositi, à Clero acceptentur. Ex quo non sequitur, quod si Clerus Examinatores ab Episcopo propositos probare noluerit, per hoc reprobati existant; nam si Clerus votum decisiuum haberet in Synodo, & ab illa dependeret, contra dicta. Sufficit ergo ad hoc vt aliquis in Examinatorem sit constitutus, quod sit ab Episcopo propositus in Synodo, quod Trid. necessario requirit, siue deinde hæc illum acceptet, siue non nihil refert, quia Episcopus in illis constituendis à Synodo non pendet, vt dixi, & quia potestas Episcopi à iure diuino deriuat. Quæ doctrina habet semper locum, & præcipuè in casu proposito, quando per surdes Regulares, quos Tridentinum admittit, reprobantur. Pro huiusmodi Examinatoribus vide Concilium Tridentinum, *sess.* 24. *de reform. cap.* 18. Barb. *de post. Episc. p.* 3. *alleg.* 60. *à num.* 48. & in addit. *ad dictam alleg. pag.* 887. Massobr. *in praxi habendi concursum, à requisito* 12.

27. Noto 11. circa eandem 2. const. Sixti IV. post *num.* 57. quòd Greg. XIII. declarauit per suam constit. *Exposcit*, quam refert Quaranta *in summ. bull. verb. Præcedentia*, quòd in processionibus illi Fratres mendicantes præcedere debeant, qui sunt in quasi possessione, seu iure præcedendi; si verò id constare non possit, illi præcedant, qui sunt in loco antiquiores, & priores, quæ prioritas attenditur, etiamsi esset solùm vnius diei imò vnius horæ, vel quadrantis, imò etiam puncti, vel momenti, vt probat Riccius 2. *p. praxis, resol.* 503.

28. Et aduerte, quòd ista præcedentia inter Mendicantes intelligitur in diuersis Religionibus. Vnde si controuersia esset inter fratres eiusdem Religionis, v.g. inter Capuccinos, & Conuentuales, tunc deberent præcedere, qui fuerunt 1. instituti, & approbati, vt iure communi statuitur, Gloss. *in cap. Quorundam, verb. Prædicator, de elect. in* 6. Cassanæus *in catalog. glor. mund. p.* 4. *consid.* 52. *verb. Ergo modo*; priuilegiati enim, quando nullum ex vtra parte apparet speciale statutum, iure communi vtuntur, & sic Conuentuales præcederent Capuccinos, etiamsi Capuccini prius fuissent in loco, quàm Conuentuales. Ita in terminis Riccius *loc. cit. resol.* 101. *num.* 5.

29. Aduerte etiam, quòd si in aliquo loco esset consuetudo, quòd Regulares non accederent ad aliquas processiones, etiam publicas, non possent ad id cogi per Episcopum, vt v.gr. hic Genuæ, vbi adest consuetudo non accedendi ad processiones Rogationum, quæ tamen publicæ, & vniuersales sunt, & præceptæ *in capite, Rogationes de consecr. d.* 3. Atque ita declaratum fuisse à Sacra Congreg. Rituum, testatur Campan. *in diuers. iur. rub.* 12. *cap.* 13. *n.* 118. Nec similiter tenentur accedere, si processiones instituantur ex leui causa, idest, non communi. Cokier *de exemp. p.* 2. *quæst.* 45. *num.* 109.

30. Noto 12. circa *eandem* 2. *const. Sixti IV. num.* 61. quod Ordinarius in casu, quo Regularis notoriè delinquens non puniretur ab illius Superiore, priusquàm ipse deueniat ad prædicti Regularis punitionem, debet saltem summariè probare ipsum notoriè deliquisse; & cum scandalo, nam alioquin sententia sua, quæ super notorio fundari debet, esset nulla. Ita Bart. & Bald. *in leg. Præscriptione, C. Si contr. ius, vel vtil. publ.* Innoc. *in cap. Super literis de rescrip.* Felin. *in capite Si clericus, de for. comp.* Riccius 5. *p. praxis, decis.* 654. *num.* 2.

31. Aduerte autem circa hoc punctum quasdam declarationes factas à Sacra Congreg. Concilij *anno* 1625. *sub die* 19. *Septembris*, quas refert Barbos. *in addit. ad* 3. *p. de potest. Episc. alleg.* 105. *num.* 20. quarum I. est. An Episcopus, statim habita notitia delicti, possit capere informationem, & illam ad Superiorem Regularis delinquentis mittere, vt nequeat de eodem delicto ignorantiam præsumere? Congregatio respondit, posse. Per id tamen non intelligas, posse Episcopum processum iuridicum contra dictum Regularem formare, sed solùm posse summariam facti informationem capere, eamque Superiori regulari mittere, ad hoc, vt hic facti informationem habens, possit contra suum subditum iuridicè procedere. Ita Aldrete *de disciplina Relig. cap.* 3. *num.* 39. II. declaratio, An sufficiat, quod Episcopus vnica vice Superiorem regularem moneat, eique terminum præfigat ad castigandum subditi delictum, an verò necesse, sit, quòd duabus, vel tribus vicibus instet? Congregatio respondit, satis esse, vt Episcopus semel instet Superiori regulari, eique tempus præfigat, ad eiusdem Concilij præscriptum. Sed nihil malè faciet Episcopus, si in casu negligentiæ instet 2. & 3. magis enim iuri communi se conformabit; nam verbum Instare quandam importunitatem importat, vt notat Aldrete *loc. citat. num.* 37. ex Bald. *in leg. eos*, §. *Apostolos, num.* 3. *C. de appell.* III. declaratio circa id, quòd requiritur *in eod. cap.* 14. *Concilij, sess.* 25. *de reform.* vt Prælatus regularis certiorem faciat Episcopum de punitione intra tempus ab eodem illi præfixum. An sufficiat, quòd Superior regularis ad Episcopum mittat copiam sententiæ, an verò debeat remittere acta omnia super delicto actitata, ad effectum, vt Episcopus videre possit, si in hoc adimpleta fuerint verba Concilij. Congregatio respondit, non sufficere, vt Superior regularis Sententiam, aut etiam acta ad Episcopum transmittat, sed opus esse, vt de punitione ipsa, & sententiæ

execu

executione Episcopum certiorem faciat. Quod intellige, si Episcopus postulauerit de prædictis certiorari. IV. declaratio. Dubitatur, An quod conceditur Episcopo in præfato capite super Regulari, qui intra claustra monasterij degit, & extra ea cum scandalo delinquit, intelligatur etiam, cum delictum commissum fuerit intra Ecclesiam, vel claustra? Congregatio respondit facultatem Episcopo attributam in Regulares notoriè, & cum scandalo extra claustra delinquentes, vendicare sibi locum etiam cum Regulares notoriè, & cum scandalo intra Ecclesiam delinquunt; non ita, si intra claustra. Si autem intra Ecclesiam delinquat Regularis absque scandalo non potest ab Episcopo puniri.

32. Si quæras, An Prælatus Regularis cum solo processu ab Episcopo formato circa notorium delictum sui subditi, possit ipsum punire, an verò debeat per se ipsum alium processum facere? Respondeo posse Prælatum regularem cum solo processu Episcopi delinquentem punire, supposito quòd Episcopus per dictam declarationem Congreg. acquisierit facultatem processum iuridicum formandi, vt contendunt aliqui; non enim est nouum, vt Iudex cum processu ab alio Iudice formato, delinquentem puniat, vt patet quando iudex Ecclesiasticus Clericum degradatum iudici laico puniendum tradit. Atque ita Portel. *in addit. ad dub. regul. verb. Punitio Religiosi.* Si tamen per dictam declarationem non est tributa Episcopo facultas sumendi, nisi solam summariam facti informationem, vt dictum est, tunc, cum processus ab Episcopo formatus, non sit iuridicus, vt potè factus à iudice incompetente, non poterit Prælatus cum eo solo delinquentem punire. Atque ita existimant Rodriguez *in resol. regul. resol.* 62. *num.* 8. Vt vt sit, nunquam tenetur Prælatus regularis cum processu Episcopi subditum delinquentem punire.

33. Noto 13. circa *eandem constit. 2. post. num.* 82. quòd in Ordine nostro, qui prius in Religione recipitur; præfertur aliis iuxta *cap. Statuimus, de maior. & ob. cap. Si quis, de elect. in 6.* ibi, [Is, qui primo.] Sed quid, si duo reperti fuerint recepti eodem die? Tunc dico, attendendum esse ad horam diei. Riccius 2. *p. praxis, resol.* 101. *num.* 2. & si reperti fuerint recepti eadem hora, tunc attendendum est ad quadrantes horæ. Et si reperti fuerint recepti eodem quadranti, attendendum est ad momenta, vt Gloss. *in cap. Duobus, de rescript. in 6.* Et aduerte, quòd hora habet quatuor quadrantes, seu puncta, singuli autem quadrantes habent quindecim momenta, seu minuta, vt Riccius *loc. cit. resol.* 103. *num.* 2. Sed quid, si aliqui reperiantur recepti eodem die, hora, & momento. Tunc dico quod debet attendi ordo qualitatis, iuxta textem *in l.* 1. *C. de consul. lib.* 12. *leg.* 1. *in fino, Cod qui accusari possunt, cap. Placuit, el primo d.* 18. Gloss. *in cap. Statuimus, d.* 61. Tiraquell. *in præfat. de iur. primig. num.* 215. & sic per Superiorem determinabitur genitura illi, qui fuerit, vel doctior, vel Religiosior, vel senior. Quòd si nec hoc discerni possit, ad vitandas lites, statuet Superior quicquid sibi fuerit placitum, secundùm prudentiæ regimen.

34. Quæres. Quidam Regularis factus Episcopus, deinde Episcopalem curam fastidiens, Episcopatui renuntiat, & ad Religionem reuertitur, nullo sibi seruato titulo. Quæres, inquam, quem locum obtinebit in Religione, & an tempus, quo in Episcopatu permansit, debeat in eius professione computari? Respondeo quòd debet ei dari locus immediatus post Prælatum, etiamsi alij sint ipso antiquiores, ob reuerentiam primæ dignitatis; arg. *leg. fin. ff. de Decur.* arg. *leg. Seruos, C. de quæst.* Colligitur ex Io. Andr. *cap. Cum ad monasterium, num.* 21. *de stat. monach.* Ita Petrus de Baysio *in direct. elect. p.* 1. *cap.* 30 *num.* 8. Nec potest esse dubium, quin debeat in eius genitura computari tempus, quo in Episcopatu fuit, cum in Religione dicatur esse Monachus, qui est extra de licentia Superioris, Vnde etiam *tom.* 1. *Relig. quæst.* 1. *cap.* 27. *concl.* 8. dixi, quòd damnatus ad triremes, si finito suo tempore, ad Religionem reuertatur, non amittit genituram.

35. Noto 14. circa const. 4. eiusdem Sixti, quòd *num.* 10. dixi, posse Prælatos regulares absoluere suos subditos à casibus Bullæ Cœnæ, & DD. ibi ad hoc adductis adde Molfesium 1. *part. sum. tract.* 7. *cap.* 21. *num.* 19. & 20. Vegam 1. *p. summ. c.* 49. *casu* 1. Llamam 4. *p. meth. cap.* 3. §. 8. Portel. *in addit. ad dub. regul. verb. Abbas, num.* 10. Potest etiam citari Naldus *in summa verbo Reseruatio, vers. Et cum de hac*; quatenus ait, Sacram Congr. declarasse decretum Congreg. de reseruatione quinque casuum prohibere absolutionem, quoad sæculares tantùm, non quo ad regulares.

36. Et in confirmationem huius sententiæ reperi in archiuio nostro Romano apud P. Zelosum speciale priuilegium nobis Minimis concessum, quod sic habet: *Ad instantiam deuotorum vestrorum pauperum Fratrum Minimorum humilis supplicatio propter omnes timorata conscientia tollendos scrupulos hactenus causata. Dignetur igitur Reuer. Dominus meus huiusce paruulæ Minimitanæ plantulæ benignus Protector, & Fautor præcipuus impetrare viuæ vocis oraculo à Sanctissimo Domino Nostro, vt Generalis noster per vniuersum Ordinem, Prouinciales solummodo in suis Prouinciis, quibus præsunt, necnon nostri Ordinis Zelosus, alio nomine Commissarius vocatus in Romana Curia residens, undecumque venientes ad monasterium nostrum Romanum Fratres nostri Ordinis, vel etiam quibus commiserit, à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quauis occasione, vel causa latis, si quibus, quomodolibet innodati existant, etiamsi tales forent, propter quas Apostolica Sedes meritò esset consulenda, etiam de contentis in Bulla Cœna Domini, demptis solummodo illis quatuor, quæ piæ memoriæ Sixtus IV. in bulla, quæ dicitur MARE MAGNVM excipere voluit, pro expressis huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, possint absoluere, etiamsi absque expresso, & specifica declaratione aliquorum forsan casuum, pro quibus prætaxatas incurrissent sententias, cum plerique iuris comprobentur inscij, nisi aliàs ipsi Fratres specificè, nominatim fuissent per competentem iudicem declarati, denuntiati, & publicati. Necnon Officiales præfati, Superiores, Zelosus, & cæteri, quibus ab hac Sede istiusmodi auctoritas pro iusta, & rationabili causa, commissa fuerit, possint cum suis Fratribus dispensare, super quacunque irregularitate per eosdem Fratres suos quomodolibet aliquando contracta, etiamsi talis foret, ob quam Apostolica sedes meritò veniret consulenda, vt ipsi Deo liberius, & quietiùs inseruire valeant. Et posteaquam sic absoluti, & dispensati ab iisdem fuerint, ad omnes sacros, etiam presbyteratus, ordines promoueri, ac eisdem tam susceptis, quam postmodum suscipiendis vti, & dominicum corpus*

conficere liberè poſſint : niſi tanta , & talis , & adeo enormis huiuſmodi irregularitas cenſeretur, quòd perſeuale voluntarium homicidium inde obſecutum foret : & tunc in tali enormi caſu nullatenus iam memorati Superiores, neque etiam Zeloſus , neque alij quique ab eiſdem deputati cum ſuis Fratribus ſuper huiuſmodi tanta irregularitate diſpenſare poſſent. Et iſta in foro conſcientia dumtaxat de gratia ſpeciali concedi expoſcimus. Laurentius miſeratione diuina Sacroſancta Romana Eccleſia titul. Sanctorum quatuor Coronatorum Preſbyter Cardinalis. Vniuerſis , & ſingulis præſentes noſtras viſuris , lecturis , pariter , & audituris fidem facimus , & atteſtamur , qualiter S. D. N. Leo diuina prouidentia Papa Decimus hodierna die ad interceſſionem noſtram conceſſit viua vocis oraculo Fratribus præmemoratis omnia , & ſingula in ſuppoſita ſupplicatione petita , & contenta iuxta eius tenorem , & continentiam. In quorum fidem præſentes fieri , & per Secretarium noſtrum infraſcriptum ſubſcribi , ac ſigilli noſtri parui impreſſione muniri mandauimus , Datum Romæ in Palatio Apoſtolico , die vltima menſis Martij 1515. Pontificatus præfati S. D. N. anno tertio. Ita eſt, Laurentius Cardinalis Sanctorum quatuor, Petrus Stella Secretarius mandato.

37. Ad illud argumentum , quod erat fortiſſimum contra hanc ſententiam , quòd ſcilicet ſingulis annis in die cœnæ hæc priuilegia reuocentur , dupliciter reſpondi in *dicta conſtitut. 4. Sixti Quarti numero 14. & 15.* Nunc addo 3. quòd reuocatio priuilegiorum , quæ fit in die Cœnæ , intelligitur de caſibus publicis, non de ſecretis. Nam cum deceat priuilegium principis eſſe manſurum , fruſtra Religiones priuilegiorum confirmationem peterent à Summo Pontifice , ſi ſtatim illa ſingulis annis debent reuocari. Atque ita Soſa apud Portel, *in addit. ad dub. reg. verb. Abbas , numero 10.*

38. Sed nouiſſimè exiit decretum Sacræ Congreg. ſub hac forma. *Sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium , negotiis , & conſultationibus Epiſcoporum , & Regularium præpoſita cenſuit , per confirmationes priuilegiorum , quas Regulares à Sede Apoſtolica poſt Sacr. Concilium Tridentinum obtinuerunt , nequaquam reuixiſſe priuilegia , prius ab eodem Concilio , ac deinde etiam ipſius Congregationis decretis ſublata , atque extincta, ſi quæ habebant , abſoluendi à caſibus contentis in bulla , quæ in die Cœna Domini legi conſueuit , vtpote ſublata per annuam ipſius bulla publicationem , vires , aut robur acquiſiuiſſe ex ſubſequentibus priuilegiorum confirmationibus ; Ac proinde Regulares cuiuſuis Ordinis , Congregationis , Societatis , & inſtituti , etiam neceſſario exprimendi , nec intra , nec extra Italiam in vim priuilegiorum , aut confirmationum huiuſmodi , quas vel hactenus obtinuerant , vel deinceps fortè obtinebunt , poſſe quemquam abſoluere ab eiſdem caſibus in Bulla Cœna , aut Ordinario loci reſeruatis , ac ſi ſecus egerint , abſolutione nullas , atque irritas fuiſſe , ac fore. Ab aliis verò caſibus , & cenſuris Sedi Apoſtolica reſeruatis , ſiquidem Regulares habeant à Sede Apoſtolica abſoluendi facultatem , illam extra Italiam minimè ſublatam fuiſſe , iiſdem Sacr. Congregationis decretis hac de re editis iuſſu San. mem. Clem. VIII. Quam Sacra Congregationis ſententiam Sanctitas ſua ad ſe relatam approbauit , mandauitque ab omnibus , ad quos pertinet, inuiolabiliter obſeruari. Romæ 17. Nouemb. 1628. F. A. Card. S. Onufrij. Proſper Fagnanus Secr.*

Sed hoc decretum videtur intelligendum , vt alia , nimirum vt prohibitio abſoluendi ſit in ordine ad ſæculares , non in ordine ad Regulares , & in dubio ſemper pronuntiandum eſt , quòd priuilegia non ſint reuocata , vt Grat. *diſcept. for. tom. 5. cap. 893. num. 57.* qui id multis probat. Cochier *de confer. Eccleſ. q. 502. num. 2.* Cenſeo tamen ſemper ſtandum eſſe ſtylo Curiæ.

39. Noto 15. quod *eadem conſtit. 4. num. 28.* dicebam , quòd confeſſor idoneus pro Prælato poterat non eſſe idoneus pro aliis. Atque ita docent Nauar. *in man. cap. 4. num. 4.* Gutier. *canon. qq. cap. 27. num. 18. & 19.*

40. Hic quæres , qua pœna puniatur confeſſarius audiens ſæcularium , vel etiam Fratrum confeſſiones abſque licentia , & approbatione Superioris ? Reſpondeo, In Ordine noſtro talis debet priuari per biennium audientia confeſſionum , vel grauiùs puniri ad libitum Prælatorum, vt ſtatuitur in Correct. *num. 79.* ſed cum grauiſſimum ſit hoc delictum , vt conſtat ex Trid. *ſeſſ. 23. de refor. cap. 15. & ſeſſ. 14. cap. 7. de ſacr. pœnit.* vbi nullius momenti dicitur abſolutio , quam ſacerdos in eum profert , in quem ordinariam , aut ſubdelegatam non habet iuriſdictionem , ideo *in cap. Placuit , de pœnit. d. 6.* tales debent perpetuò ſuſpendi poteſtate habituali , quam ſacerdotio receperunt , confeſſiones audiendi. Et Regulares , vtpotè inobedientes aliis pœnis ſecundum ſuas conſtitutiones , vel arbitrio Prælatorum puniri debent. Aldrete *de diſcip. Relig. lib. 2. cap. 19. §. 2. num. 10.* Riccius *5. p. praxis, deciſ. 644.* Quibus eiſdem pœnis ſubiacent hi , qui audiunt confeſſiones eorum , v. gr. Clericorum , vel Oblatorum, qui habent confeſſorem à Superiore aſſignatum. Eſt enim tunc abſolutio nulla perinde , ac ſi ſecularium confeſſiones abſque approbatione Epiſcopi audiſſent. Atque ita Confect. *in ſumm. priu. Mendic. tit. 17. cap. 7.* Aldrete *num. 12.* Peregrinus *in conſtit. Cler. reg. p. 1. cap. 9. lit. C. §. 6.* Portel *in dub. reg. verb. Nouitij abſolutio num. 36.* licet contrarium doceat Diana *tom. 3. tract. 2. de dub. reg. reſol. 5.* Quibus verò pœnis ſubiaceant , qui non ordinati Sacerdotes miſſas celebrant, aut confeſſiones audiunt , vide *tom. 2. noſtr. priuil. in conſt. 9. Pauli V. num. 22.* & Aldrete *num. 14. & 15.* Præterea ſciendum , quod præſumentes abſoluere à caſibus Papæ , vel Epiſcopo reſeruatis abſque legitima facultate , ſunt ipſo facto excommunicati , & inhabiles in perpetuum ad confeſſiones audiendas , ac priuati officiis, & dignitatibus, iuxta decretum Congreg. de mandato Clem. VIII. *anno 1601. die 9. Ianuar.* quod refert Quaranta *in ſum. bull. verb. Caſus reſeru.* Vide quæ dico *tom. 2. Relig. quaſt. 3. cap. 2. num. 18. & 19.*

41. Noto 16. circa *eandem 2. conſtit. Sixti IV. num. 43.* quod dicebam Parochos non teneri admittere quæſtores eleemoſynarum ſine literis teſtimonialibus Epiſcoporum , quod nunc confirmo *ex capite Cum ex , de pœnit. & remiſſ.* & docent Roſell. & Angelus *verb. Quaſtuarij.* Aduerte tamen , quòd *anno 1622.* exiit declaratio Sacræ Congreg. Concilij ſub hac forma. *Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi Domini, Generales Procuratores Ordinum Mendicantium conqueruntur, quòd*

Fratres

Fratres eorum a nonnullis Episcopis, & locorum Ordinariis interpellantur, quo minus eleemosynas quærant in ipsamet diœcesi, vbi quis illorum conuentus existit. Insuper aliqui ex ipsis etiam prohibent, quin iidem Fratres eleemosynas in sua diœcesi extra conuentus locum, nisi per quinque, aut sex milliaria petant. Cum autem id priuilegiis Apostolicis aduersari videatur, cedatque in graue Religionum detrimentum, supplicant iidem Procuratores, vt declaretur, an hæc fieri possint ab Episcopis, necne? Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum censuit, Fratres Ordinum Mendicantium nequaquam posse ab Episcopis prohiberi, quominus possint per se ipsos in diœcesibus, vbi habent conuentus, eleemosynas quærere, sed tantum, si extra loca, vbi monasteria existant, quæritare voluerint, teneri suorum Superiorum licentiam Ordinario ostendere. R. Card. Vbaldinus. Prosper Fagnanus Sacra Congr. Concil. Secret. Et est impressa Romæ in Typographia Cam. Apost.

CAPVT III.

De addendis circa Constitutiones Iulij II.

1. NOto primò, quòd in const. prima Iulij II. *n.* 12. dicebam, quòd familiares Fratrum poterant absolui à confessariis Regularium, à solo suo Prælato, non Episcopo approbatis. Atque ita docent Rodrig. *tom.* 1. *qq. regul. q.* 56. *art.* 14 Tambur. *tom.* 2. *de iur. Abbatum, disp.* 6. *q.* 16. *num.* 4.

2. Noto 2. circa eandem const. post *numerum* 47. quòd fabricata noua Ecclesia, ligna Ecclesiæ dirutæ non sunt ad profanos vsus applicanda, vt dicitur *in cap. Ligna, de consecr. d.* 1. bene tamen possunt applicari in fabrica, seu vsu dormitorij, vel capituli, seu alterius loci honesti, & Religiosi, non verò in vsu coquinæ, aut alterius loci sordidi, neque in vineis pastinandis, vt declarat Glossa *in dicto cap. Lignea.* An verò dictis lignis possint Monachi vti in coquina ad coquendos cibos, putat Portel *in addit. ad dub. reg. verb. Ecclesiæ reconciliatio, num.* 5. quòd non, sed solùm quod possit Sacrista iis vti ad faciendas hostias; & idem dicit de imaginibus ligneis Sanctorum. Syln. *verb. Ecclesia* 2. *quæst.* 7. existimat, quòd sic. Sed de imaginibus ligneis sanctorum censeo, quòd non possint comburi, neque ad coquendos cibos, neque ad faciendas hostias, sed quòd debeant comburi, & cineres in sacrarium reponi, est enim grandis irreuerentia; & quod dico de lignis, intellige de aliis rebus. Nam tobaleæ, seu albæ prohibentur etiam in profanos vsus conuerti *in cap. Altaris, d. eadem*; vbi dicitur, quod quando sunt vetustate consumpta, debent comburi, & cineres in sacrarium reponi, seu ex illis possunt fieri flores pro ornamentis altarium. An autem petiis, seu fragmentis tobalearum, &c. possimus vti ad medicanda vulnera, puto quod sic, præsertim in Ecclesiis pauperibus, non tamen ad medicanda vlcera, nec alias fistulas, aut plagas ordinarias, nam ista fœdum vsum dicunt, illa non. Putat tamen Sà *verbo Ecclesia, num.* 2. quòd cum dispensatione Episcopi, vel Prælati regularis, possint dicta in vsus etiam profanos conuerti. Item aduerte, quòd ex vestibus alicuius dominæ non debent fieri paramenta sacerdotis, vel altaris; *cap. Ad nuptiarum, iuncta Gloss. de consecr. d.* 1. Sed video aliter passim fieri, iure credo paupertatis; quod potest etiam habere fundamentum *in capite Vt calix, de consecr. d. eadem.* Sed melius esset, eas vestes vendere, & ex pretio noua paramenta construere. Putat tamen Fagund. *in* 1. *præcept. Eccles. lib.* 3. *c.* 24. *n.* 23. id licitè fieri sicut templa Deorum, quæ passim Deo consecrata leguntur.

3. Noto 3. *circa eandem const. num.* 49. vbi dicebam, quòd hospitibus infirmantibus in nostris monasteriis, possumus omnia sacramenta ministrare, & si decedant, eorum cadauera sepulturæ tradere, nullo Curatorum assensu requisito; quod hoc idem intelligitur de iis nouitiis, qui nondum habitu Religioso sunt induti, sed de breui erant induendi. Tum propter rationes ibi tactas. Tum quòd ij gaudent omnibus priuilegiis Fratrum, & Nouitiorum; vnde dicti nondum induti, etiamsi non sint infirmi, possunt confiteri confessariis à suo Prælato regulari approbatis, vt probat vtrumque Vech. *de nouitiis, disp.* 9 *dub.* 1. Et confirmatur; tum quia Archidiac. *in cap. Si quis suadente,* 17. *q.* 4. *num.* 8. dicit, quòd ille, qui nullum ordinem habet, sed tantum coronam portat, & est clericus animi destinatione, gaudet priuilegio illius canonis: ad quod etiam facit *lex* 4. *iuncta gloss. ff. de fundo dotali*, vbi fundus destinatus ad dotem, dicitur ante matrimonium fundus dotalis, & inalienabilis: Tum quia Bald. *in leg. Ex facto proponebatur, ad finem, ff. de her. instit.* dicit, quòd si quis legat vestes, quas habet in domo, veniunt etiam, quæ erant extra domum factæ de nouo, postquam erant destinatæ ad vsum vxoris, cui legabantur, quia videntur esse in domo propter destinationem, & propter finale propositum testatoris. Ad quod facit tex. *in leg. Et si non sunt, §. Quid ergo, ff. de aur. & arg. leg.* vbi appellatione argenti venit argentum aptum fabricari, licèt nondum fabricatum. Tum quia Rota *decis.* 1. *tit. de testam.* in antiquioribus, tenet, quòd pro bonis destinatis ad ædificationem Ecclesiæ potest peti restitutio in integrum iure Ecclesiæ, licet nondum sit Ecclesia ædificata, sicut partus conceptus in his, quæ concernunt eius præseruationem, vt producatur in esse, gaudet priuilegio iam natorum, ad quod facit *lex Prægnantis, ff. de pœnis, & l. Qui in vtero, ff. de stat. hom.* Tum quia licèt laïco beneficium Ecclesiasticum conferri non possit, *cap. In Ecclesia, de inst.* Gloss. tamen ibi *verb. Tales*, dicit, quòd potest conferri beneficium laïco, qui animi destinatione clericus fieri vult. Et denique de breui accingendus in Finotabilibus habetur pro accincto; *leg. penult. ff. de mil. test.* Vide plura huiusmodi apud Gonzal. *regul.* 8. *cancel. Gloss.* 5. §. 7. *à num.* 92.

4. Noto 4. quod *in const.* 2. *Iulij II. num.* 3. dicebam, posse Generalem in tribus casibus ab officio deponi, quando scilicet dilapidat bona monasterij, scandalosè viuit, & regulam destruit. Quod postea reperi fuisse definitum in Concilio Later. sub Alex. *p.* 5. *cap.* 10. vt refert Crespet. *in sum cathol. fid. verb. Prior,* his verbis, *Priores cum in conuentualibus Ecclesiis fuerint constituti, nisi pro manifesta causa, & rationabili non mutentur: videlicet si fuerint dilapidatores, nec continenter vixerint, aut aliquid tale egerint, pro quo amouendi merito videantur, aut si etiam pro necessitate maioris officij de consilio Fratrum fuerint transferendi.*

5. Noto 5. quod *in eadem const.* 2. *num.* 5. dicebam, quòd quando dies electionibus faciendis statuta est, ea elapsa, electio ad Superiorem deuoluitur. Et constat *ex Clem. Exiui, §. Ceterum, de verb. signif. cap. Si compromissarius, de elect. in* 6 *leg. Si vnus, §.* 1 *ff. de pactis; leg. Imperator, ff. de postuland.* Ex quibus textibus constat, quòd concessum ad tempus, post illud censetur denegatum.

6. Sed pone casum, quòd electio Prouincialis per discordiam, vel negligentiam electorum, die statuta non fiat, & sic ad Generalem deuoluatur, tenebiturne Generalis eligere Prouincialem de corpore Prouinciæ? Respondeo, Si in Religione esset statutum, quòd Prouinciales non eligerentur, nisi de corpore Prouinciæ, tunc duæ sunt opiniones. Prima est affirmatiua, quando ibi reperitur idoneus; Panormit. *in cap. Ne pro*

defectu

deſectu de elect. num. 7. per cap. Cum inter Canonicos, de elect. qui addit, quod electio aliter facta eſſet nulla, ſi fratres illius Prouinciæ reclamarent; *per cap. Nullus inuitis, d.* 61. Et ratio eſt, quia electio ad Superiorem deuoluta, debet ab eo fieri cum eiſdem qualitatibus, quibus debebat fieri à principio, vt multis DD. adductis, probant Sigiſmund. *de elect. dub. 7. num.* 3. & Lanot. *de elect. cap.* 21. *num.* 91. Boër. ad Mandag. *de elect. p.* 1. *cap.* 1. *lit. D. verſ. Adde.* 2. ſententia ait, teneri quidem Superiorem eligere de corpore Prouinciæ, ſi autem extra Prouinciam eligat, electionem non eſſe nullam. Ita Gloſſ. *in capite, Ne pro deſectu, verb. Ipſius, de elect.* quam ſequitur Sigiſm. *loc. cit. dub.* 106. *num.* 3. In noſtra autem Religione, in qua tale ſtatutum non eſt, liberum erit Superiori ex gremio Religionis eligere, quem maluerit. Conſulo tamen ſemper, vt eligat ex eadem Prouincia, ſi adſint idonei; nam ſic magis conſeruabitur pax, & meliùs illi Prouinciæ remanebit prouiſum; cognoſcunt enim naturales paſtores meliùs oues proprias, quàm extranei, qui vt diſceſſuri deglubunt pecus, non tondent. Collige etiam, quòd in noſtra Religione, quando deuoluuntur ad Generalem electiones Prouincialium, quæ fiunt in die S. Michaëlis Archangeli, ipſe poteſt prouidere pro toto triennio, quando autem deuoluuntur electiones per mortem, quia ſcilicet electores non poſſunt conuenire, tunc non poteſt prouidere, niſi vſque ad proximius capitulum. Et ratio vtrobique eſt, quia electiones deuoluuntur ad Superiorem cum ſuis qualitatibus. Vnde quia in 1. caſu electores poterant eligere pro toto triennio, Generalis, ad quem electio fuit deuoluta, eliget pro toto triennio; & quia in 2. caſu electores non poſſunt eligere, niſi vſque ad proximius capitulum, ideò Generalis non poteſt eligere, niſi vſque ad proximius capitulum. Et de his habentur ſtatuta *in cap. Auenion.* 2. *num.* 14. *& Roma* 6. *num.* 14. quæ congruunt *Clem.* 1. *de ſuppl. neglig. Prał.*

7. Sed pone caſum, quod electio facta à Generali per deuolutionem, non ſortiatur effectum, quia nimirum electus mortuus eſt, vel renuntiauit, vel electio propter occultum electi vitium caſſata eſt, deuoluetur ne noua ad Generalem? Reſpondeo quòd deuoluitur ad Generalem, ſed ad priores electores. Ita Gloſſ. *in cap. Si electio, verbo Integrum, de elect. in* 6. Anchar. *in d. cap. Si electio, verſ. Quartò notat,* Sigiſm. *de elect. dub.* 12. *à num.* 3. Barboſ. *in dicta cap. Si electio, num* 6 ſicut enim per negligentiam priorum electorum electio ad Superiorem deuoluta fuit, *cap. Cum Vintonienſis, de elect.* ita per negligentiam Superioris electio ad priores electores deuoluitur; non eſt enim cur negligentia potiùs puniatur in ſubditis, quàm in Superiore.

8. Si quæras, an electores poſſint reiicere totum negotium electionis in Superiorem? Dico quòd ſic. Tum quia poſſunt nolle eligere pro illa vice, & ſic linquere, vt electio deuoluatur, ergo & conuenire, vt electio in Superiorem reiiciatur. Tum quia poſſunt compromittere *per cap. Quia propter, de elect. in* alium inferiorem, ergo & in Superiorem, Atque ita Abbas *in cap. Bonæ memoriæ, el* 1. *n.* 8. *de pot. Prał.* Guillel. Bened. *in quæſt. de Epiſc. à num.* 49. & habetur *in cap. Cauſam, quæ, de elect.*

9. Sed quæres an facto tali compromiſſo, antequam Generalis prouideat, poſſint electores reuocare mandatum? Dic quòd non. Gloſſ. *in dicta cap. Cauſam, quæ, verbo Prouideret.* Sed quid, ſi Generalis intra tempus præfixum electionem non faciat, deuoluetur ne electio ad primos electores, an verò adhuc poterit Generalis eligere? Dic quòd nec poterit Generalis eligere; nec primi electores, ſed electio deuoluetur ad proximum Superiorem, nimirùm ad Papam. Ita expreſsè habetur *in cap. Si compromiſſarius, de elect. in* 6. Si autem compromiſſarius eligat indignum, vel aliquem, qui nolit acceptare, tunc electio deuoluitur ad primos electores. Ita habetur *in dicta cap. ſi compromiſſarius, §. Si verò.*

10. Noto 3. quòd *in eadem conſt.* 2. *Iulij II. num.* 9. dicebam, poſſe capitulum Generale renuntiare priuilegiis in fauorem Religionis conceſſis, quando ſcilicet renuntiatio non eſt in præiudicium tertij, nec in dedecus Religionis, & quando Papa priuilegium tribuit non per modum præcepti, ſed per modum conceſſionis. Atque ita docent Sigiſm. *in addit. ad dub.* 120. *de elect.* Sanchez 6. *in decal. c.* 8. *n.* 13. Suarez *tom.* 3. *de Relig. tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 15.

11. Noto 4. quòd *in eadem conſt.* 2. *n.* 19. referebam conſt. Pauli V. quæ mandabat omnibus Regularibus, vt ſtudiis linguarum Hæbraïcarum, Græcarum, Arabicarum incumberent, quod ſtudium cum refriguiſſet, ſacra Congregatio de propaganda fide iterum inculcauit per ſuum decretum factum *coram S. D. N. P. Vrbano VIII. die* 16. *Octobris, anno* 1623. quod ſic habet:

Quoniam à Concilij Viennenſis, (quod habetur clem. 1. de magiſtris) celebratione vſque ad præſens experientia comprobauit, Regulares, etiamſi multoties fuerint commoniti, linguarum ſtudia, aut non inſtituiſſe, ſicut illis præceptum fuerat, aut inſtituta deſeruiſſe: & nouiſſimè hoc idem compertum eſt ex iis, quæ poſt conſtitutionem fel. record. Pauli Papæ V. & Sacra Congreg. de P.F. decreta contigere. Eadem ſacra Congregatio dolens, opus ad animarum ſalutem neceſſarium tam facile negligi ab iis, qui ad illam procurandam præcipuè à Sanctis regularium Ordinum Fundatoribus à primæua eorum inſtitutione mancipati ſunt, cupienſque Concilium, conſtitutionem, & decreta præfata omnino executioni demandari, vt Euangelicos operarios linguis inſtructos habeat, quos cum neceſſe fuerit, ad meſſem Domini ampliſſimam Dei verbum ſitientem mittere poſſit. Præſenti decreto de ſpeciali S. D. N. Vrbani VIII. mandato iterum Regularium, & cuiuſuis Inſtituti, Societatum, & Congregationum Generalibus, aliiſque eorum Superioribus præcipit, vt linguarum, videlicet Hebraïcæ, Græcæ literalis, & communis, Latinæque ac Arabicæ, Chaldaicæ & Illyricæ ſtudia, iuxta Concilij conſtitutiones, & decretorum præfatorum præſcriptum, omnino inſtituant, inſtitutaque conſeruent, & vbi fieri poteſt, ampliora efficiant; alioquin, ſi poſt trium menſium ſpatium in Italia, vel poſt ſex menſes in aliis Europæ prouinciis, in monaſteriis, & conuentibus almæ Vrbis, & earum ciuitatum, quibus celebriora gymnaſia, ſeu vniuerſitates conſtituta ſunt, vt Bononiæ, Patauij, Pariſiis, Toloſæ, Valentiæ, Viennæ, Ingolſtadij, Salamanchæ, & Compluti, & denique in iis, in quibus Generalia, & inſigniora Regularium ſtudia erecta ſunt, mandatum hoc non impleuerint, in eiuſque obſeruatione non perſeuerauerint, ſi Generales fuerint, eo ipſo ſuſpenſionem à diuinis Sedi Apoſtolicæ reſeruatam incurrant, & ſi per tantundem temporis ab exequendo hoc mandato deſtiterint, ipſo iure, & facto etiam ab officio priuati exiſtant, & interim

officium

officium ipsum à Procuratoribus Generalibus, ad Summi Pontificis, ac eiusdem Sedis Apostolicæ beneplacitum administretur: Si verò Generalibus inferiores Prælati in exequendo hoc mandato negligentes, vt supra, fuerint, primò suspensionem à diuinis, vt præfertur, reseruatam, deinde pœnam inhabilitatis ad maiores Religionis gradus, & dignitates eo ipso incurrant, à qua inhabilitate non nisi per Sedem Apostolicam absolui possint. Verùm quia non satis est, Superiores Regularium suum in hac re præstare officium, si qui linguis studere debent opus hoc vere pium detrectent, & negligant, eadem Sacra Congregatio de eiusdem Sanctissimi speciali mandato præcipit, ut elapso biennio, de quo infra, Regulares ad magisteria, vel alios gradus suarum Religionum, seu vbi non sunt magisteria, & gradus, ad dignitates à Superioribus eorum admittantur, nisicum Theologia per biennium, & vni saltem ex præfatis linguis operam dederint, eamque sufficienter calluerint, super qua à persona per Congregationem deputanda examinari debeant, priusquam ad ea eas, easve assumantur. Quòd si contra præsentis decreti dispositionem, ad magisteria, seu gradus, vel dignitates præfatas admissi fuerint, magisteriorum, seu graduum, vel dignitatum præfatarum collatio nulla sit, & Superiores, qui transgressi fuerint, passiua voce sint perpetuò priuati.

Quoniam autem multi præmio magis ad virtutes incitantur, quàm pœnis, eadem Sacra Congregatio mandauit, eos, quos præter Theologiam vni etiam ex dictis linguis per biennium operam dedisse, sufficienterque callere, experimento, vt supra, facta, constiterit, ad magisteria, seu alios gradus suarum Religionum, ad quamlibet ipsorum petitionem, statim, nisi aliud obstet, promoueri, & in electionibus ad officia, & dignitates regulares, cæteris paribus, iuxta dictam Pauli V. constitutionem, aliis omnino præferri debeant; alioquin electio aliter facta irritetur. Cæterum ne decretum hoc vetustas vnquam infringat, aut obliuio aboleat, eiusque ignorantiam quisquam prætendere possit, eadem Sacra Congregatio de eiusdem Sanctissimi similiter mandato præcipit, vt in singulis capitulis generalibus, & prouincialibus, quæ in posterum congregabuntur, illud semper legatur, & super eius obseruatione, à Generalibus, & Prouincialibus ante soluta capitula inretur, sub pœna priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, si alterutrum horum omittatur, ipso facto incurrenda. Non obstantibus quibuscunque &c.

12. Noto 5. quòd *in eadem const. 2. Iulij II. numero* 28. dicebam, posse Prælatos regulares suos subditos absoluere ab excommunicatione contra ipsos particulariter, & nominatim ab Episcopis, vel etiam Legatis lata, satisfactione tamen præmissa. Quod nunc confirmo *ex constit. 26. Leonis X. §. 7. tom.* ¶. dictorum priu. ibi, [laicos tamen, & clericos (seculares) à sententiis ab homine latis nullatenus absoluere possint,] ergo suos subditos poterunt absoluere, exceptio namque fit mat regulam in contrarium *cap. 2. de consing. lepros.* & cum Papa indefinitè loquatur non determinans de qua sententia ab homine intelligat, intelligendus est vniuersaliter de sententia particulariter, & nominatim lata; nam beneficia Principis sunt amplianda; & verba simpliciter posita generaliter intelligenda sunt, *capite Quia circa, de priuil.* Gloss. *in capite Præterea, verbo simpliciter, de offic. deleg.*

13. Noto 6. quòd circa *eandem const. numero* 34. *fine* dicebam, nouitios nondum habitu Religionis indutos non posse absolui à confessariis Regularium, nisi iuxta decreta Congreg. sub Clemente VIII. Sed nunc re melius perpensa, cum dicta decreta loquantur solùm de confessariis Regularium in ordine ad seculares, & tales nouitij licèt nondum habitu Religionis induti, seculares tamen non sint, sed Religiosi, vt probatum est *hic sup. num.* 3. ideo censeo, quòd possint absolui tanquam Religiosi, idest, ab omnibus illis casibus, à quibus possunt Religiosi nouitij. Et ita fuisse declaratum à Clemente VIII. refert Verbius *de nouit. disp. 9. dub. 7. num. 5.* ex quo Diana *tom. 3. tract. 2. resol. 46.*

14. Noto 7. quòd *in eadem constit. num.* 42. dicebam, non teneri nos obedire in præiudicium nostrorum priuilegiorum Legatis Papæ, nisi literas suæ delegationis ostenderent. Quia cum omnis iurisdictio spiritualis penes Papam resideat, *cap. 1. d. 22.* & iurisdictio ordinaria non præsumatur collata, nisi publica scriptura appareat, vt potè quæ sit, quædam qualitas accidentalis, quæ naturaliter homini non inest, sed ita competat vni, vt non alteri, ideò necessariò probanda est, iuxta Gloss. *in capite Si fortè; de elect. in 6. verbo Scientia.* Abbas *in cap. Postquam, de elect. numero* 7. & est textus clarus *in capite Iniuncta, de elect. extr.* vbi dicitur. [Asserenti cum mandatis Principis se venisse, credendum non est, nisi hoc scriptis probauerit. Nec similiter creditur se asserenti Legatum, &c.] Videatur Guido Papæ *quæst.* 322. vbi eius Addit. Riccius 2. *p praxis, resol. 416. num. 3. & 4.* Azor. *tom. 1. lib. 5. cap. 14. quæst. 6.* qui confirmat multis DD. & textibus. Et quærit, quid faciendum, si Papa concederet priuilegium suo Legato, ne cogeretur ostendere literas Apostolicas suæ legationis, vel suarum facultatum? Et respondet, tunc cogendum non esse, & eo casu posse veritatem constare ex aliis literis Pontificiis ad Reges vel alios primarios viros suæ prouinciæ latis. Sed tu dic, quòd tunc tenetur ostendere tale priuilegium, ex quo simul constabit, saltem in genere de veritate legationis. Et aduerte, quòd Molina *tract. 5. de iust. disput. 9. num 4. versic. Quamuis autem*, ait, quòd si Legatus à Latere dicat, aliqua sibi esse concessa à Summo Pontifice, quæ Summus Pontifex sibi habet reseruata, ei non creditur, nisi constet ex literis suæ delegationis; & quòd in Regnis Hispaniarum non admittitur quis in Legatum, nisi priùs ostendat literas suæ legationis.

15. Et aduertit Azor. *loc. cit.* aliud esse, literis pontificiis, quas certò constat tales esse, non parere, fidem non habere, earum vsum prohibere, vel impedire; aliud verò de literis pontificiis, cum dubiæ sunt, & incertæ, bona fide probabiliter ambigere, disputare, an sint pontificiæ, an sint subreptitiæ; hoc enim fas est, nec qui disputat, etiamsi laicus sit, vllam pœnam incurrit; illud nefas est, & is, qui non patet, vel literarum vsum impedit, vel prohibet, iuris pœnam contrahit.

16. Et aduerte etiam, quòd quandò delegatus citat aliquem, debet mittere copiam rescripti, non rescriptum ipsum originale, aliàs non valet citatio, per dicta. Ordinarius verò non tenetur facere fidem de sua iurisdictione,

dictione, quando citat suum subditum, & in loco subdito; Sufficit enim, ipsum esse in possessione talis iurisdictionis. Ita Addit. Guid. Pap *ad quaest.* 322.

17. Noto 8. quòd *in eadem const. num.* 47. dicebam, quòd Episcopi retinentes apostatas regulares non poterant à Praelatis Ordinum excommunicari, quia Episcopi habent priuilegium iure communi concessum, vt à quoquam nequeant excommunicari, nisi in const. de illis fiat expressa mentio; *cap. Sedes Apostolica, de rescript.* Colligitur ex Trident. *sess.* 24. *de refor. cap.* 5. Gloss. *in capite Cum aeterni*, *verbo Ordinarius*, *de sent. & re iudic.* Nec valet, quòd dicatur, Etiamsi excommunicari non possint per literas non facientes expressam mentionem. Nam hoc priuilegium Episcopis concessum notorium est; vnde non sufficit ad illi derogandum clausula Generalia, sed debet esse particularis, & specificè expressa; arg. *capite Ne aliqui, de priuil. in* 6. Remanent tamen dicti Episcopi excommunicati per Papam, si, postquàm fuerint per Superiores Ordinum moniti, dictos apostatas non eiecerint; clausula enim illa *in dicta constit.* 2. *Iulij II.* §. 13. [excommunicationis sententiae volumus subiacere,] dicit excommunicationem latae sententiae, vt ibi dixi; & habetur *in capite Quicumque, de haeret. in* 6.

18. Et aduerte hic etiam de passu, quòd si alicui particulari personae concedatur, quòd à nullo excommunicari, suspendi, vel interdici possit, sub ista prohibitione non includuntur iudices ordinarij; atque ita, si Generalis concedat alicui Religioso, quòd à nullo queat excommunicari, hic poterit à suo Prouinciali, & Correctore, qui sunt illius iudices ordinarij, excommunicari. Ita habetur expressè *in cap. Ne aliqui, de priu. in* 6. Secus tamen est, si tale priuilegium sit concessum alicui Religioni, vel loco Religioso. Ita ibidem.

19. Noto 9. quòd *in eadem constit. num.* 57. dicebam non posse Parochos, aut Canonicos officia defunctorum qui ad Ecclesias Mendicantium deferuntur, ipsis inuitis, facere. Quod mandauit expressè Iulius II. *in eadem constitut.* §. 22. & Pius V. *in sua constit.* 7. §. 27. *tom.* 2. *nostrorum priuileg.* Et nouissimè *anno* 1626. declarauit Sacra Congregatio his verbis. *Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum saepius censuit, quoties cadauera defunctorum ad Ecclesias Fratrum Mendicantium deferuntur, officia mortuorum, ac reliqua, quae in huiusmodi ministerio adhiberi solent, non à Canonicis, neque à Clero, sed à Fratribus ebiri; ac peragi debere.*

Cos. Card. de Torres. *P. Fagnanus.*

Erat impressa Romae in Typographia Camerae Apostolicae.

20. Noto 10. quòd *in eadem constit. num.* 76. dicebam, quòd Praelati regulares, etiam cum consensu capituli, non poterant absque assensu Romani Pontificis, bona immobilia, seu mobilia pretiosa, de vno in alium conuentum transferre. Sed nunc videtur, quòd possit Prouincialis cum consensu capituli, seu maioris partis transferre aliqua bona immobilia, seu redditus annuos, & perpetuos in perpetuum, de conuentu aliquo pinguiore in conuentum pauperem, & egentem, ad hoc, vt ibi competens numerus Fratrum constituatur; vt sic meliùs regula, disciplina regularis, & constitutiones Apostolicae obseruentur. Moueor, quia finis prohibitionis de non alienandis bonis Ecclesiae, fuit, vt consuleretur vniuersalis Ecclesiae indemnitati, vt constat. *ex cap. Ambitiosae extr. de reb. Eccles. non alien.* & dicit Riccius *t. p. praxis, decis.* 38. Sed vniuersalis Ecclesia nullum detrimentum patitur ex tali alienatione; sunt namque semper ea bona in dicta vniuersali Ecclesia sub regimine Sedis Apostolicae; quod tamen secus est, quando vna Ecclesia particularis alienat, seu donat bona saecularibus; nam tunc vniuersalis Ecclesia patitur detrimentum, cum super his bonis nullam ampliùs habeat, directam saltem iurisdictionem; ergo dicendum est quòd talis casus non est inclusus in ea prohibitione. Atque ita Riccius cum aliis *loc. cit.* Et colligitur etiam manifestè *ex dicta extrau.* ibi, [profanis vsibus applicare :] per quae verba videtur, mentem Papae solum fuisse, prohibere alienationes in vsus profanos: at in isto casu alienatio non est in profanos vsus? ergo, cessante causa prohibitionis, cessare debet prohibitio; *capite Cum cessante, de appel.*

21. Per quam rationem similiter dic, posse Superiores conuentuum inter se aliquod bonum immobile, vel mobile pretiosum commutare, v. g. si praedium vnius est alteri vicinum; sic enim nullum praeiudicium irrogatur Romanae Ecclesiae; ac propterea conceditur *in cap. Hoc ius porrectum*, §. *Item sibi inuicem*; & *in cap.* 1. *de reb. Eccles. non alienan. cap. Ad quaestiones, de rerum permut.* quae cap. non videntur correcta per constitutiones alienationes prohibentes; nam dicendum est, has solum velle prohibere commutationes eum saecularibus. Atque ita tenet Riccius *loc. cit. decis.* 74. *num.* 3. Nec turberis eo, quòd *in dicto cap.* 1. *de reb. Eccles.* dicatur, [Non liceat Abbati terram vnius Ecclesiae vertere ad aliam, quamuis ambae sint in eius potestate.] Nam Glossa ibi id intelligit, quòd non possit Abbas id facere pro suo libito, & sine causa, quod est vetum. Attendendum tamen semper est in his rebus scrupulosis, quid sequet stylus Romanae Curiae, cui nostrae speculationes non praeiudicant; licèt in foro animae ego tutum putem, quod dixi. Si dicas per hanc rationem probari, quòd possint Superiores transferre aliquod bonum immobile in alium Conuentum, non solùm suae, sed etiam alterius Religionis. Respondeo licèt ista ratio id conuincere videatur, quia tamen ratio constitutionis limitanda venit per rationem naturalem, quae dictat, quòd extra necessitatem nihil extra Religionem distrahatur, ideo limito dictam legis rationem ad Religionem propriam. Si tamen aliquis conuentus esset valdè diues, & alius valdè pauper, licèt essent diuersae Religiones, in hoc casu concederem argumenti vim.

22. Noto 11. quòd *in eadem const.* 2. *Iulij II. numero* 80. dicebam, posse Generales, & capitula Generalia duos, vel tres conuentus paruulos in vnum vnire absque licentia Papae, quod nunc in Ordine nostro non habet difficultatem propter const. Vrbani VIII. infra. Sed pone, quòd isti conuentus habeant Fundatores, poteritne id fieri absque ipsorum consensu? Negat de iure communi Garcia *de benef. p.* 12. *cap.* 2. §. 2. *num.* 212. & probat *ex leg. Si quando, C. de inoffic. testam.* Affirmat. Rodriguez *tom.* 3. *qq. regul. quaest.* 80. *art.* 1. *vers. Consistit. etiam.* Prouisio tamen, quòd monasteria debitis Fundatoribus obsequiis non fraudentur, sed in iis constituantur capellani, qui obligationes missarum, & suffragiorum compleant; & probat per priuilegium Pij II. quod per extensum refert.

23. Si quaeras, an Generalis cum capitulum Generale possit similiter Prouincias distinctas vnire, & vnitas diuidere, vel Prouinciam, de nouo erigere, & fundare? Negant Rodriguez *tom.* 1. *qq. regul. quaest.* 23. *artic.* 8. & *tom.* 3. *quaest.* 43. *artic.* 2. Fernandez *in suo exam.* 1. *part. cap.* 15. §. 2. *num.* 1. *dicto* 14. Casarub. *in compend. priuil. Mendic. verbo Prouincia*; Portell. *in dub. reg. verb. Prouincia*, *num.* 1. Mitand. *tom.* 2. *man. quaest.* 7. *art.* 11. Colligunt *ex cap. Felix*, 16. *quaest.* 1. *cap. De locorum, de consecr. d.* 1. & aliis fut. Sicut enim non licet diuidere Episcopatus absque licentia Papae, ita neque Prouincias. Sed ista ratio friuola est. Nam multum interest inter Episcopatus, & Prouincias,

Prouincias. Episcopi enim sunt perpetui; vnde si ab vno Episcopatu diuidatur alius, id cedet in damnum Episcopi; & in damnum tertij nihil est faciendum absque facultate supremi Pastoris. Deinde Episcopatuum diuisio multum tumorem causaret in populis non eisdem subiectis Principibus. 3. Episcopi non fiunt sine consensu Papæ. Demum Episcopus habet in Diœcesi Sedem Episcopalem, quam mutare non potest absque beneplacito Sedis Apostolicæ, & cum causa legitima: *capit. Mutationes; capit. Temporis, 7. quæst. prima.* Et tandem sicut ad dissoluendum carnale matrimonium, etiam cum causa, requiritur auctoritas Prælati, ita ad dissoluendum spirituale. Dicti itaque Doctores loquuntur de sua Religione Minorum, & ad id asserunt statutum Nicolai IV. In Ordine nostro à principio Religionis semper fuit consuetudo absque vlla vnquam Interruptione Prouincias de nouo erigendi, erectas vniendi: quæ consuetudo fuit fundata in statuto facto auctoritate Papæ à Cardinal. Senogallen. præsidente in primo nostro capitulo generali, specialiter deputato à fel. rec. Iul. PP. II. Cum enim dictus Cardin. *numer.* 10. diuisisset Religionis Prouincias, declarauit, & voluit, quòd succedente tempore, & Religione cum Dei adiutorio multiplicata, eæ septem Prouinciæ possent diuidi in plures, singula singulis referendo, prout generale capitulum declarabit expediens, quod deinde reperi fuisse concessum Fratribus Sanctæ Mariæ de Mercede à Clement. VIII. *per suam constit.* 112. *tom* 3. *bullar.* §. 1. Imo putat noster Trimatchi in sua iuridica Lucubr. Genuæ impressa circa hoc punctum, quòd id possint Generales per se ipsos absque Capitulo generali, quod est probabile. Et aduerte, quòd quando Prouinciæ ità creuerunt, vt non nisi cum magna difficultate possint visitari, seu quando subditi sunt diuersæ nationis, & non possunt viuere in pace, tunc debent omnino diuidi, iuxta canones, *cap. Præcipimus*, 16. *quæst.* 1. *cap. Vnico*, §. *Sanè*, *de offic. deleg. extra.* vbi Gloss. *verb. Multiplicatas*, *& verb. Eroximus*: Tridens. *sess.* 21. *cap.* 4. *de reform.* ibi, [in iis verò, in quibus ob locorum distantiam, &c.] Mandos. *de sign. gratio, tit. De erectione Ecclesiæ.* Rebuff. *in praxi benef. tit. De erectione Ecclesiæ, in cathedrali, num.* 2. *p.* 1. Barb. *de potest. Episc. alleg.* 68. *num.* 1.

24. Post numerum 84. eiusdem constit. Quæres, an patronus, seu Fundator teneatur defendere Ecclesiam, & cuius expensis? Resp. Ad Fundatorem, & eius filios, ac hæredes pertinere defendere Ecclesiam ab omnibus, qui vellent eam opprimere; *cap. Filiis*, 16. *q.* 7. quod nisi faciant, merentur fundatorem priuilegiis priuari, Gloss. *in cap. Tributum, verb. Defendere*, 23. *quæst. vlt.* Lambert. *de iur. patron lib.* 3. *q.* 2. *art.* 1. *num.* 2. Tenetur etiam patronus esse sollicitus, vt Ecclesiæ bene seruiatur, *cap. Decernimus*, 16. *q.* 7 Lambert. *art.* 12. Cauere tamen debet, ne nimio zelu ductus, sed non secundùm scientiam, Ecclesiam ipse opprimat; *cap. Preterea el.* 2. *de iur. patron.* Hoc tamen non debet facere propriis expensis, sed expensis Ecclesiæ; nemo enim militat suis stipendiis vnquam, & tutor expensis pupilli pupillum defendit; *leg. In tutoribus, ff. de administr. Tutor*, & Procurator defendit dominum expensis domini, *capit. Cum pro causa, de procur.*

25. Quæres etiam, an monasterium teneatur alere Fundatorem ad paupertatem redactum? Resp. teneri de iustitia, modestè tamen, habito respectu ad facultates monasterij, & ad qualitatem personæ. Ita expressè *in cap. Quicunque fidelium*, 16. *qu.* 7. vbi dicitur, *Quicunque fidelium deuotione propria de facultatibus suis Ecclesiæ aliquid contulerint, si fortè ipsi, aut filij eorum redacti fuerint ad inopiam, ab eadem Ecclesia suffragium vitæ pro temporis vsu percipiant. (Et in cap. Nobis, de iur. patron. dicitur.) Pro fundatione quoque Ecclesiæ honor processionis Fundatori seruatur, & si ad inopiam vergat, ab Ecclesia illi modestè succurritur.* Et hoc quamuis dos data per patronum conuentui esset perempta, si adsint aliæ facultates, non ratione dotis, sed eleemosynarum acquisitæ: Lambert. *loc. cit. quæst.* 3. *art.* 14. Gratian. *disc. for. tom* 3. *c.* 552. *n.* 13. Dec. Mariæ *vota* 41. *numer.* 2. Non tenetur tamen Monasterium Fundatorem alere, nisi ex redditibus, qui supersunt, deductis necessariis pro victu, & vestitu Fratrum, ac pro seruitio, & cultu diuino, & pro reparatione, & instauratione Monasterij, vel Ecclesiæ. Gratian. *loc. cit* Lambert. *loc. cit. quæst.* 3. *art.* 2. *num.* 10. Et licèt dicta superflua sint necessariò in pauperes distribuenda, iuxta illud. [Quod superest date pauperibus,] & habetur *in capit. Quoniam* 16. *quæst.* 1. Fundator tamen prior omnibus ali debet, quia charitas ordinata magis tendit in illum, à quo recipimus beneficium, quàm in alios: *cap. in officiis, de testament.* Ad quæ prædicta alimenta habet Fundator ius, vt possit conuentum ad ea sibi præstanda cogere, vt Lambert. *loc. cit.* Sed ego puto, quòd ratione gratitudinis teneantur Fratres alere Fundatorem, etiamsi nihil illi superesset, & quod tunc teneretur Conuentus, detractis simpliciter, & strictè necessariis, Fundatorem alere. Moueor: Tum quòd ius naturale, per quod nos obligat gratitudo, strictissimum vinculum est. Tum quòd dicta *cap. Quicumque, & Nobis*, absolutè loquuntur; vnde non debent ita in damnum Fundatorum limitari. Nec solum debentur alimenta Fundatoribus, sed etiam filiis, vxoribus, & seruis, *dicto capit. Quicumque* Lambert. *de iur. patron. libr.* 3. *quæst.* 3. *art.* 3. Barb. *in cap Nobis, de iur patron. num.* 7. Et quando audis, quòd debentur patronis alimenta, intellige, quod eis debentur non solùm cibus, & potus, sed etiam vestis, lectus, & domus, Lambert. *art.* 8. Barb. *loc. cit.* Item dic, quòd patrono existente in seruitute, v.g. quia captus est à Mauris, tenetur Ecclesia pro suo posse illum liberare. Non teneretur tamen Ecclesia patronum alere, qui exercitium suo statui non inconueniens facere posset, ex quo sibi, & familiæ victum conuenientem posset acquirere, Barb. *loc. cit.* Nec etiam teneretur Fundatorem alere, qui fratrem haberet, vel filium, qui eum posset alere; Gratian. *loc. cit numer.* 17. nam pauper dici non potest, qui exercitio conuenienti se potest alere, nec etiam pauper est, qui habet personas, ad quas spectat ius eum alendi. Sed in hoc casu si filius, aut frater nolent eum alere, puto, quòd ad monasterium pertineret; nam perinde esset, ac si non haberet. Neque etiam tenetur conuentus alere patronum equitem Ierosolymitanum: Grat. *loc. cit.* quia hic habet Religionem, ad quam id de iure spectat; nam qui altari seruit, de altari viuere debet: *cap. Cum secundum, de probend.* Item alimenta non debentur Fundatori, nisi quovsque in egestate fuerit, vnde si ad pinguiorem fortunam veniat, ei amplius non debentur; nam cessante causa, cessat effectus: *cap. Cum cessante, de appellat.* Lambert. *loc. cit. art* 13.

26. Sed pone, quòd vnius conuentus sint plures Fundatores, debebuntur-ne omnibus alimenta? Dic, quòd sic, sed pinguiora illi, qui plus dedit, & qui plus dedit, plus etiam honorari debet. Ita Lambert. *de iur. patron. lib.* 3. *qu.* 4. *art.* 1. *n.* 2. ex quo habes *num.* 1. quòd sicut vnius conuentus possunt esse tres patroni, iuxta illud, Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus; ita fundi, v.g. possunt esse plures Fundatores, qui omnes gaudeãt priuilegiis. Sed pone, quòd Fundator alteri donauerit ius fundationis, inops factus poterit-ne alimenta prætendere ab Ecclesia, quã fundauit? Resp. Quòd ius fundationis donari non potest absque consensu Papæ *cap. Nobis*, §. *Cæterùm, de iure patron.* vbi Glos. *verb. Vel de sua iurisd.* Sed posito, quòd donatio subsisteret, ius alimentandi nunquam censetur donatum, quia cohæret

personæ Fundatoris inseparabiliter, Abbas in *capit. Preterea, de iur.patron.* Et hoc etiamsi donatarius pariter egeat, quia donatio semper præsumitur facta, deducto ne egeat, Gloss. *in cap.Considerandum*, 16 *q.7.* Atque ita docet Marta *in suis decis. voto 41. à num.* 10.

27. Quæres, an iura fundationis, & sepulturæ vendi possint ad instantiam creditorum? Resp. negatiuè, nam obligari non possunt, cum illorum fructus solùm consistant in quadam honorificentia, puta assinationis armorum, &c. & ius sepulturæ spirituale est, & hi non sunt compensabiles cum debito. Ita Marta *loco citato, voto 29. à n.*13. qui id multis probat, neque possint creditores contra illa agere, quia sunt spiritualia, & religiosa, ad quæ non extenditur *lex, Crediteris arbitrio, ff. de distract pignor.* Marta *num.*20. ius autem alimentandi, cum adhæreat inseparabiliter personæ, tanquam ius naturale, obligari non potest.

28. Quæres denique, an Fundator debeat honorari, & quomodo? Resp. Fundatori deberi honorem processionis, *cap. Nobis, de iur patron.* Sed in quo consistat iste honor, disputant inter se DD. quorum dicta refert Lambertin. *de iur.patron.lib.3 q.1. artic.1.à n.*1. Ipse autem *num.*11. ait, quòd Superior cum suis Fratribus debet in Ecclesia saltem vsque ad ambitum ianuæ Fundatori venienti ad Ecclesiam occurrere, & illum honorabiliter introducere, illique aquam benedictam porrigere, & in excellentiorem locum supra omnes laicos collocare, & præ cœteris laïcis illum honorare in pace, thuribulo, & similibus, & in processionibus solemnibus statim post Superiorem ante omnes laïcos, vt præ cœteris honoretur, incedere, & hoc toties, quoties ad Ecclesiam accesserit. Et aduerte, quòd si Fundator in limine fundationis non apponat obligationem alicuius missæ, Fratres, ea eo quòd Fundator est, non tenentur pro ipsius anima quotidie celebrare, quia id nullo iure cauetur, sed solùm pro eo in communi orare. Ita Lambert *loc.cit.art.*3. quem vide *art 7.* vbi probat, quòd Fundator non potest, nisi impropriè, dici dominus conuentus, quem fundauit, nam verus dominus est Papa.

29. Si quæras, an Fundatori alicuius conuentus Regularium acquirantur omnia illa tria iura dicta à *n.*25. nimirum onerosum, vtile, & honorificum. Resp. non acquiri. Nam in Ecclesiis regularibus ad acquirendum ius patronatus non sufficit sola fundatio, & dotatio, sed requiritur præterea priuilegium apostolicum. Ita Rota apud Farin *p.2.decis.*421. *n.*1. & eadem Rota apud eundem *in decis.nouissimis, decis.*364.*n.*3. *& ibid. decis.*573. *n.*1. Puteus *lib.2.decis.*366.*n.*6 *& decis.*379. *num.*1. Barb. *in cap.Nobis, de iur.patron. num.*10 Fundantur *in dicto cap.Nobis,* vbi Glossa *verb. Nisi aliter.* Sed quoniam dictum cap. & Glossa, atque præfati DD. solum dicunt, ius patronatus in Ecclesia regulari non acquiri sine priuil. Papæ; quia Abbas, seu Prælatus regularis non præsentatur, sed eligitur à Monachis, & non conuenit, laicum ingredi ad eligendum Abbatem cum Monachis, nisi aliter disponat Papa; ideo puto, quòd licèt Fundatori alicuius conuentus regularis non acquiratur hoc ius præsentandi, seu ingrediendi ad eligendum Superiorem regularem cum aliis Fratribus, alia tamen iura honorifica, onerosa, & vtilia omnino competant. Nullum namque ius id vetans apparet; & iustum est, vt Fundatores Regularium patronorum iuribus fruantur, alioqui multi deterrerentur à talibus fundationibus, & tamen cœteris paribus, melius est Ecclesiam regularem fundare, quàm sæcularem, vt probat Nau. *lib.3. consil. de regul. consil.*1. & Mirand. *tomo* 1. *man. q.*33. *art.*6.

30. Noto 12. quòd *in eadem const. num.* 87. dicebam, Prælatos regulares non posse absoluere suos subditos à simonia commissa in susceptione ordinum. Sed postea vidi Portel. *in dub. reg. verb. Prælatus, num.*29. Sigis. *de elect dub.*99. *n.*2. contrarium dicentes, fundatos in confirmationibus obtentis postea à Clem. VIII. & Paulo V. per quas dicunt reualidata fuisse antiqua priuilegia. Quòd si illis obiicias decretum Congregat. quod retuli hic *supra, cap.*2. *num.* 8. in quo declaratur, per istas confirmationes non fuisse reualidata antiqua priuilegia, respondere poterunt dictum decretum solùm declarare, per prædictas confirmationes non esse reualidata antiqua priuilegia quoad potestatem absoluendi à casibus bullæ Cœnæ, & Episcopis reseruatis, at quo ad alia esse reualidata per dictas confirmationes ea certa scientia obtentas, quæ vim habent nouæ concessionis. Cum ergo iste casus non sit reseruatus in bulla Cœnæ, nec possit reseruari ab Episcopis, cum sit reseruatus Pontifici, iuxta literas Congregat. sub Clemente VIII. quas refert Quarant. *in sum. bull. verb. Casus reseru. pag. mihi* 202. & expressiùs iuxta 2. decretum sacræ Congregat. sub eodem Clem. quod refert idem Quar. *pag. mihi* 201. vbi ait: *Prohibet etiam, ne sibi superfine reseruent casus in Bulla Cœna Domini legi consuetos, & consentos, neque alios Sedi Apostolica specialiter reseruatos.* Dici potest, quòd etiam post dictum decretum absolui potest.

31. Noto 13. quòd *in eadem const.2.Iulij II.n.*117. dicebam, posse Prælatos regulares dispensare super irregularitate procedente ex mutilatione membrorum, si est occulta. Ita Llamas *4.p. meth. cap.3. §.8. versus finem,* Molin. *tom.4.de iustit.tractat.3. disp.*70. *num.* 12. Potest item Prælatus regularis dispensare cum lunatico, furioso, seu patiente morbum caducum, postquam conualuerit, non solùm vt in susceptis ordinibus ministret, & ad presbyteratum ascendat, sed etiam vt ordines suscipiat, supposito quòd nullum habeat, poterit enim esse vtilis confessionibus audiendis, si postmodùm relabatur. Ita Molina *loc. cit.* qui addit, quòd si aliquis iam sit ordinatus, & aliquam ex prædictis infirmitatibus sæpè patiatur, celebrare non poterit, vt constat *ex c. In suis literis*, 7. *q.*2. neque etiam si rarò id patiatur, neque spumet, propter periculum, ne aliquid specierum sacramentalium cum spuma emittat, vt habetur *in c. Nuper*, 7. *q.*2. quòd si neque spumet, neque frequenter eam infirmitatem patiatur, celebrare poterit cum assistentia sacerdotis, qui perficere possit sacrificium, si inter celebrandum tale quid ei acciderit, iuxta *c. Illud.cap. Nihil*, 7. *q.*1. Ita habetur *in cap. In tuis literis*, 7. *q.*2. Quòd si loci, temporisque opportunitas non pateretur, Sacerdotem adesse, nec timeretur aliquid sinistrum euenturum, putat, quòd in aliquo casu posset celebrare. Arreptus verò à dæmone intra annum integrum celebrare non potest, *capit. Communiter, d.*33. Nau. *in man.cap.*25. *num.*72. Sylu. *verbo Corpore vitiatus, in fine.*

32. Noto 14. quòd *n.*119. dicebam, posse Prælatum regularem absoluere suum subditum, qui percussisset clericum sæcularem. Non potest tamen absoluere clericum sæcularem, aut laicum, qui suum subditum percussisset, cum nullum de hoc appareat priuilegium. Ita Camp *in diuers.iur.rub.*12.*c.*13. *num.*136. Riccius 1.*p. praxis, decis.*465.

33. Noto 15. quòd *n.*143. *eiusdem* 2.*const.* egi de clericis coniugatis, quomodo gaudeant priuilegiis clericorum. Nunc occurrit idem quærere de oblatis, qui se, & sua alicui Religioni obtulerunt, pro quibus emanauit sequens declaratio, anno 1627. *Illustrissimi & Reuerendiss.mi Domini: Cæsar Carratinus de Flumine frigido Diœces. Tropien. per donationem irreuocabiliter inter viuos obtulit se, & omnia bona sua mobilia, & immobilia, & se mouentia, presentia, & futura, acquisita, & acquirenda, nulla facta reseruatione prefatorum bonorum vsusfructus; neque proprietatis, neque in totum, neque in partem, item omnes*

actiones,

ctiones, & iura, quæ ipsi qualibet ex causa contingere possent in perpetuum, conuentui, sinè monasterio Sancti Francisci de Paula ciuitatis Paulæ, cui se oblatum semetipsum obtulit, habitumque sæcularem insolitum, & consuetum ab oblatis coniugatis eiusdem Religionis deferri, mutauit, quem defert, & de manibus superioris Prælatis conuentus suscepit, & ab eodem in numero oblatorum acceptatus fuit secundùm priuilegia à plurimis summis Pontificibus præfatæ Religioni concessa, quorum ipsa Religio, & præcipuè Prouincia Calabriæ, est in possessione. Et cum omnia requisita ipse Cæsar impleuerit, petit obnixè scire, an fori priuilegio, & exemptionibus, immunitatibus, cæterisque gratiis, & fauoribus gaudeat, quamvis matrimonio copulatus sit, illudque ante præfatam donationem & oblationem contraxerit. Et si fori priuilegio, ac præfatis exemptionibus, immunitatibus, priuilegiis, gratiis, & fauoribus gaudet, & gaudere debet, supplicat humiliter, vt decretum, & declarationem ab Illustrissimis, & Reuerendissimis Dominationibus vestris super huiusmodi oblatis factam, ipsi supplicanti impertiri, concedereque dignentur. Sacra Congregatio Cardin. Concilij Trident interpretum censuit, oratorem, quamvis matrimonio copulatum, gaudere priuilegio fori, & exemptione à vectigalibus, si, quemadmodum proponitur, in forma iuris valida, perpetuò, & irreuocabiliter, plenè, & cum effectu se ipsum, & bona sua omnia præsentia & futura, nulla prorsus, eorum portione, neque in proprietatem, neque in vsumfructum sibi reseruata, Religioni obtulerit, & habitum aliqualiter mutauerit. Quòd si omnia præfata simul non concurrant, neque fori priuilegio, neque immunitate à sæcularibus exactionibus frui posse. Sed quid, si dicti oblati nondum se, suaque obtulerint Religioni, sed statim sunt oblatori, & per ipsos non steut, quin obtulerint, gaudebunt-ne immunitate. Resp. affirmatiuè. Quia quæ proximè instant, iamesse videntur, *leg. Lecta, vers. dicebam, ff. Si certum petat.* pariaque sunt aliquid esse factum, vel proximè fieri destinatum: *leg. Vestimento, ff. de auro, & argento*, Cochier *de exemp. p. 1. quæst. 19. num. 3.*

34. Noto 16. quòd *num* 147. dicebam, Regulares non posse in causis ciuilibus testimonium ferre absque suorum Prælatorum licentia Barbos. *in capit. 1. de iurament. calumniæ, num 6.* vbi Abbas *num. 1. & 16.* & habetur *in dicto cap. 1. §. fin.* Quod etiam docet Sanchez 6. *in decalog. cap. 13. num.* 103. Aduertit autem num. 104. quòd in Societate Iesu interdicitur Superioribus talem facultatem concedere, nisi in causis alioquin piis, & quæ sic vni faueant, vt non in alterius detrimentum cedant. Et addit, quòd si concessa hac facultate ad testificandum in causa ciuili, occurreret articulus criminalis, vel infamatorius, non debent ij Religiosi in eo testificari, nec ad hoc Superior aliquis facultatem concedere debet. Quæ omnia mihi valde placent; decet enim Religiosus omnibus benefacere, & neminem lædere; & est ad quietem conseruandam maximè vtile; & hoc præsertim cordi debet esse Superioribus Mendicantium, qui omnibus indigent: nam semper promptior est ad nocendum læsus, quàm ad benefaciendum adiutus: & faciliùs obliuiscimur beneficia, quàm maleficia. Addit etiam Sanchez *numero* 108. quòd si Religiosus testificetur coram iudice sæculari, vel Ecclesiastico in causa ciuili, vel criminali absque Superioris licentia, testimonium valet, quia nullibi reperitur contrarium. Pro qua opinione multos citat, quibus adde Diaz. *in pract. cap. 101. numer. 15.* Barb. *in cap. 1. de iuram. calumniæ, num. 8.* licèt etiam aliqui non valere dicant, quos refert *num. 107.* Addebam *in fine dicti num. 147.* posse Religiosum testificari pro liberatione alicuius à morte, vel infamia, & hoc quamvis ex tali testimonio, quod directè tendit ad probandam innocentiam rei, accusatoris calumnia, pœna talionis, etiam mortis, puniendi detegatur, quia hoc sequitur per accidens. Ita Diaz *in sua pract. c. 101. num. 12.* Farin. *p. 2. praxis, q. 61. n. 74* Auil. *de cens. de irreg. dispu. 5. dub. 13.* Consulto tamen Superioribus seruare, quæ dixi.

35. Noto 17. quòd *n. 150. eiusdem const.* dicebam, posse emptores gabellarum iustè exigere iuramentum à Religiosis, quòd res, quas sine solutione gabellarum expediunt, suæ sunt. Quod probatur *ex c. Nimis, de iur. iur.* ibi, *Nihil temporale obtineates ab eis.* vbi Gloss. *verb. Temporale,* & Panor. *n. 1.* Barb. *n. 3.* at ecclesiastici in casu nostro obtinent à laïcis gabellarum pretium, quod temporale est, vnde ad illorum mentem iurare tenentur. Et *ibi, num. 151.* dicebam, Regulares teneri ad obseruandas leges ciuiles in bonum publicum inductas. Salon. *tom. 2. de iust. contr. 10. q. 77. art. 1.* Sà *in aphor. verb. Clericus, n 6.* Et si cupis scire, in quibus casibus ecclesiastici conueniantur coram iudice, laïco, adi Cenedum *collect. 37. in decretum, à num. 2.*

36. Noto 18. quòd *in 4. const. Iuly II. n. 28.* dicebam, quòd sententia Principis faciebat ius, etiamsi solùm esset de casu aliquo particulari: Atque ita Gomez. *in princ. reg. cancell. q. 2 pag mihi 13.* Vasq. *1. 2. dispu. 157. cap. 5. n. 37. tom. 2.* & constat *ex leg. fin. Cod. de leg. & leg. 1. verb. Per epistolam, ff de constit. princ.*

37. Noto 19. quòd *in const. 5. eiusdem Iuly, n. 3* dicebā, posse Prælatos regulares in criminibus grauioribus suos subditos torturæ subiicere, per priuilegium in dicta const. concessum. Sed addo, id etiam sine priuilegio posse fieri in casibus, in quibus torquentur laïci ad eruendam veritatem. Ita Archid. *in cap. Quia iuxta, §. Presbyteri 2. 5. q 6* Penna *in leg Omnes iudices, Cod. de decur. lib. 10. col. 4.* Aldrete cum multis *de discipl. lib. 1. c. 17. n. 2* & ibidem docet, quæ requirantur ad hoc, vt Religiosus torqueri possit, & vide eundem *libr. 2. cap. 12.* Et aduerte, quòd tormentum, quo tormentari debet Religiosus, debet esse in Religione vsitatum, nec aliud nouum est introducendum, vt chorda, taxillis, vigilia, &c. nisi in atrocissimis delictis, vt homicidij, assassinij, magni furti rerum sacrarum cum scandalo. Ita Aldrete *loc. cit. lib. 1. c. 17 n 29. fine.* Paulinus Berti *in praxi crim. tit. 17 cap. 5. de tortura, num. 62.*

38. Sed dubium est, an id possim facere per laïcos, cum *cap. Vniuersitatis, de sent. excom.* per Religiosos id esse faciendum innuat. Sed Suar. *de cens. disput. 22. sect. 1. n. 4.* Conink. *de excomm. disp. 14. dub 15. n. 191.* Nald. *in sum. verb. Abbas, n. 8.* dicunt, id posse fieri per laïcos quia illa actio dedecet clericos. & iam consuetudo approbauit. Et innuitur *in cap Vt fama, §. Laicis sent. excomm. Cap. verò Vniuersitatis* intelligitur de verberatione, non de tortura, quæ est quoddam medium inter capturam, & supplicium.

39. Noto 20. quod *in const. 10. Iuly II. n. 2.* dicebam, quòd impedientes, & molestantes eos, qui à sæculo ad Religionem confugiunt, erant excommunicati. Et Farin. *de her. q. 183. § 6. n. 85.* ait, quòd rapiens nouitium à monasterio capite punitur; quod etiam docet Camp. *in dif. iuris, rubr. 12. cap. 16. n. 83.* Sed hæc intelligi debent de nouitiis habilibus secundùm ius naturale, vel canonicum. Vnde qui inhabilem ex prædictis modis impediret, has pœnas non incurreret. Ita Portel. *in resp. ad dub. reg. verb Nouitius, num 2.* Imo neque eas incurreret, qui impediret habilem, inhabilem putans: Nam Papa has pœnas infligit contra audentes & præsumentes; vnde ad eas incurrendas requiritur magna temeritas secundùm communem opinionem. Neque etiam dictam excommunicationem incurreret, qui precibus importunis, vel consilio impediret. Quia Papa videtur solùm velle excommunicare impedientes talem ingressum per iniuriam, vim, & molestiam. Putat tamen ibi Portel. quòd qui nouitium iam habitu indutum, vel statim induendum ad conuentum

uentum pergentem, dicta precum importunitate retardaret, & ad ſæcularium domum reduceret, in eaque conuiuiis, laſciniis, aliiſque dæmoniacis voluptatibus detineret, quouſque à propoſito diuerteretur, dictam cenſuram incurreret. Quia verè hoc non fit ſine iniuria, & violentia nouitij, & Religionis; non enim minùs violentant praui excitati affectus, quàm verbera.

40. Et aduerte hic vnum pro parentibus, qui dictis artibus procurant ſuos filios ſancto Religionis propoſito alienare, quòd cum hic caſus aliquando contigiſſet, parentes alienati nouitij, diuina ſic permittente prouidentia, non multum poſt dederunt pœnas dictæ alienationis; laxauit enim iuuenis ita delictis fibulam, bonaque paterna ita diſſipare curauit, parenteſque ita relaxatè viuendo afflixit, vt lugentes ſatis cognouerint, à manu Dei ſe tactos in vindictam abſtractionis filij. Et de alio ſimiliter abſtracto poſſum teſtimonium ferre, quòd ita patrem, qui abſtraxerat, verbis, & verberibus tractauerit, vt pater coactus fuerit non ſolùm eum in carcerem coniicere, ſed bis ad triremes: dictumque patrem genuflexum, & lacrymantem ſæpius rogitare viderim Religionis Superiores, vt prodigum filium ad Religionem recipiendo, à ſe manum Dei, bene, & iuſtè ipſum tangentem, auerterent. Addo vnum conſideratione dignum, quòd in articulo mortis exiſtens dictus filius abſtractus, citauit patrem iam mortuum ante tribunal Dei, ad reddendam rationem animæ ſuæ. Hæc manibus tetigi.

41. Aduerte autem, quòd talis impeditio, ſeu moleſtatio, debet eſſe cum effectu, ita vt nouitius omnino, & de facto abſtrahatur, vel impediatur, neque ſufficit attentatio. Nam verba intelliguntur cum effectu, per ea, quæ habet Gloſſ. *in cap. Perpetuò, de elect. in 6.* vbi Ioan. Andr. *num.* 7. & Nau. *libr.* 5. *conſ. de ſent. excom. conſil.* 30. *num.* 3.

42. Et aduerte etiam, quòd incurrunt dictam excomm. non ſolùm verberantes, moleſtantes, aut iniuriantes volentes ad Religionem ingredi, ſed etiam talia facientes contra Superiores Religionis volentes dictos nouitios recipere, vt ſi, minitando illis, ſeu amicis, vel parentibus mortem, vel graue aliud malum, quod aliàs etiam grauem, & conſtantem virum deterreret, dicti Superiores deſiſterent à receptione dicti nouitij; ſic enim diſponitur *in dicta conſtit.* 10. *Iulij II.*

CAPVT IV.

De addendis ad Conſtit. Leonis X.

1. NOto, 1. quòd *in conſtit.* 3. *Leonis X. num.* 4. explicans decretum Congregat. de canoniz. Sanctorum dicebam, dicto decreto non obſtante, licitum eſſe priuatim colere illius reliquias, qui in cœlo eſſe creditur. Ita Sa *in aphor. verb. Reliquia, numer.* 1. Portel. *in addit. ad dub. reg. verb. Reliquia, numer.* 12. Sanchez 2. *in decalog. cap.* 43. *numer.* 4. Azor. *tom.* 1. *libr.* 9. *cap.* 8. *quæſt.* 8. cultus autem publicus non ex eo dicitur: quia coram multis exhibeatur; ſed quia exhibetur nomine totius Eccleſiæ; vnde poterit quis aliquem acclamare Sanctum, illumque, vt talem venerari vt particularis perſona, non tamen nomine Eccleſiæ. Ita Sanchez *loco citato, numer.* 3. Non licet tamen ad ſepulchra illorum, etiam occultè, lampadem accendere, quia id cultum publicum dicit; & refert, ita fuiſſe declaratum à Congregat. S. Officij de mente Papæ, Caſtell. *de canoniz. Sanctorum, cap.* 2. *part.* 8. §. 3. qui *part.* 54. §. 6. ait, quòd miracula dictorum, qui cum opinione ſanctitatis deceſſerunt, non licet, neque etiam per modum hiſtoriæ, recenſere.

2. Aduertè, quòd *num.* 5. eiuſdem conſt. dicebam, non licere antiquas reliquias extra capſam oſtendere. Sed quid, ſi intra capſas quidem oſtendantur quæſtus cauſa, propter oblationes ſcilicet inde prouenientes? Sanchez, qui *loc. cit. n.* 22. rem ex profeſſo tractat, ait, in hoc nullam intercedere ſimoniam, etiamſi intentum principale exponentis ſit lucrum temporale recipiendum gratis ex piorum eleemoſynis in ſuſtentationem exponentium, niſi quando illud lucrum deduceretur in pactum, & reciperetur tanquam pretium oſtenſionis. Reliquias falſas largiri mortale peccatum eſt; Nau. *in Sum. c.* 17. *n.* 169. Sanchez 2. *in decal. c.* 37. *num.* 9. & ſimiliter falſa miracula publicare, ſeu tabellas, etiam bono fine, vt fideles ad deuotionem excitentur. Quia religioni maxima irrogatur iniuria: Portel. *loc. cit. n.* 1. ait eſſe ſimoniacum intentione. Fornicari cum reliquiis collo appenſis, irreuerentia eſt, non tamen ſpecialiter dicenda in confeſſione; nullo enim iure id vetatur; nec debito reliquiarum cultui directè opponitur. Ita Sanchez *loc. cit. cap.* 40. *num.* 18.

3. Noto 2. quòd *in conſt.* 7. *Leonis X.* agebam de indulgentiis, quæ ſuſpenduntur per Bullam Cruciatæ, & iubilæi. Cuius occaſione aduerte, quòd *tempore Iubilæi poſſunt omnes Regulares confiteri peccata ſua ſacerdotibus approbatis ab Ordinario ad audiendas confeſſiones, etiamſi ſui Ordinis non ſint, in bulla enim non fit mentio, niſi de Ordinario eorum, qui audiunt confeſſiones, non autem de Ordinario pœnitentium.* Ita declarauit Greg. XIII. vt refert Rodriq. *in ſuo bull. in viuæ vocis oraculis dicti Greg. pag. mih.* 481. & Suar. *tom.* 4. *in* 3. *p. diſp.* 28. *ſect.* 6. *n.* 6. Ex qua delaratione habes, quod Regularis ſolùm approbatus à ſuo Prælato tempore iubilæi poteſt audire confeſſionem alterius Regularis, etiamſi ab Epiſcopo minimè approbatus ſit. Et ſimiliter Regularis confiteri poteſt confeſſori ab Epiſcopo approbato, etiamſi clericus ſecularis ſit. Ita Portel. *in addit. ad dub. regul. verb. Confeſſor, num.* 6.

4. Sed quæres, An moniales eo tempore poſſint confiteri Sacerdotibus à ſolo Prælato regulari approbatis. Reſp. non poſſe *poſt conſtitutionem* 2. *Greg. XV. tom.* 2. *noſtr. priu.* §. 4 *& in* 6 *declar. ſequenti.* Ita Alphonſ. Leo *de iubil. p.* 2. *qu.* 19. *num* 230. Poſſunt tamen confiteri confeſſario ab Epiſcopo ſimpliciter approbato, præſertim ſi Epiſcopis dictæ moniales ſubiectæ ſint. Ita Molfeſ. *tom.* 2 *ſum. tract.* 7. *capit.* 16. *num.* 28. *&* 29. Alphonſ. Leo *loc. cit. num.* 218. Sed ego puto, quòd, ſtante veritate dictæ declarationis, poſſunt moniales tempore iubilæi, generalem facultatem concedentis omnibus Chriſtianis vtriuſque ſexus, etiam Regularibus, eligendi confeſſarium ab Ordinario approbatum, eligere ſibi confeſſarium à ſolo Prælato regulari approbatum, ſi electus ſit Regularis; vel ab Epiſcopo, ſi ſit ſecularis; & hoc ſiue moniales ſint ſubiectæ Epiſcopis, ſiue Prælatis regularibus; nec eſt neceſſe, quòd moniales Regularibus ſubiectæ confeſſarium eligant ex ſua Religione, ſed poſſunt eligere ex quacumque. Moueor, quòd Iubilæum eſt gratia ampliſſima totum mundum exhilarans, quam facit Papa theſaurum Eccleſiæ aperiens omnibus Chriſti fidelibus pro conſolatione animarum ſuarum. Cum ergo inter Chriſti fideles Moniales connumerari debeant, & Papa eas non excludat, non eſt cur nos eas excludere debeamus, cum maximè priuilegium Principis ampliandum ſit; & vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debeamus; & gratiæ potiùs ampliandæ ſint, quàm reſtringendæ; & maſculinum fœmininum includat, quod illi poteſt adaptari, præſertim ſi eſt fauorabile. Nec obſtat conſtitut. Gregor. XV. & declaratio Congregat. cit. Nam non loquuntur in hoc caſu Iubilæi, ſed ſolùm in caſibus ordinariis. Immò ex dictis magis confirmo meam ſententiam. Nam cum minutatim diſponat ibi Congregat. circa confeſſarium Monialium, de hoc

tamen

tamen casu Iubilæi ordinario, & notissimo nihil dicit; vnde coniectandum est, quòd de Iubilæo noluit intelligi, quæ ibi disponuntur. Ita Portel. *loc. cit. num.* 4. Bonacina *de Sacrament. disp.* 5. *quæst.* 7. *p.* 4 § 1. *n.* 22. *in fine.* Et saltem confessores ab Ordinario approbati non videntur excludi, vt dicunt Molf. & Leo; alioquin Iubilæum, quò ad hoc punctum eligendi confessorem nihil Monialibus prodesset. Et post bullam Vrbani VIII. *Pontificia sollicitudo*, quæ habetur *tom.* 4. *bullar. in eius const.* 16. §. 5 *fol.* 249. hic punctus non habet amplius difficultatem; cum Pontifex concedat expressè Monialibus, vt tempore Iubilæi possint sibi assumere confessarium approbatum ab Ordinario loci.

5. Aduerte hic etiam, quòd sæpe fuit à me quæsitum, quo iure nitantur illæ indulgentiæ cinguli nostri Ordinis, quæ circumferuntur in diuersis partibus Italiæ impressæ? Et nouissimè respondi, eo iure? Quia Iulius II. nobis concessit communicationem omnium priuilegiorum, gratiarum, &c. aliis Ordinibus Mendicantium concessarum, vt patet *ex eius const. prima*, *tom.* 1. *nostr. priu.* §. 14. concessit etiam, quòd possemus dicta priuilegia transumptari facere, mutatis nominibus Pontificum, qui ea concesserunt, in nomen Iulij, & nominibus illarum Religionum, quibus sunt concessa, in nomen Religionis Minimorum, vt patet *ex eadem constit.* §. 35. concessit etiam idem Pontifex, vt nostrum habitum, seu cingulum, in quo virtualiter includitur habitus, portantes, gaudere possent omnibus priuilegiis nobis concessis, vt patet *ex eadem constit.* §. 15. quo fundamento qui primi dictam tabellam impresserunt, collegerunt indulgentias concessas deferentibus chordam Sancti Francisci de Assisio, & centuram Sanctæ Monicæ, & scapularium S. Mariæ de Carmelo, & mutatis mutandis, vt Iulius concessit, eas cingulum nostrum deferentibus applicuere. Quòd autem illæ indulgentiæ appositæ in dicta nostra tabella, fuerint concessæ deferentibus chordam, centuram, & scapularium prædicta, constat ex comp. Casarub. *verb. Indulgentia quo ad sæculares.*

6. Sed contra hæc potest obiici, quòd indulgentiarum inter Mendicantes non est communicatio, per bullam Sixti IV. *tom.* 1. *priu. in const.* 2. *Leonis X. num.* 2. & ipsemet Leo declarauit *in eius const.* 25. §. 2. Sed dici potest, quòd licèt verum sit quod diximus, indulgentias non communicari, loquendo de indulgentiis concessis aliquibus Ecclesiis Regularium, ita vt eas lucrari non possint visitantes aliorum Regularium Ecclesias, Casarub. tamen *in comp. verb. Indulgentia quò ad sæculares.* 3. videtur dictam bullam Sixti IV. habere suspectam; vnde, ea non obstante, dicit, communicationem indulgentiarum inter Mendicantes esse licitam, & validam, per constit. Leonis X. quam citat. Leo X. *in dicta const.* 25. §. 2. solùm declarauit, quòd indulgentiæ communes inter Fratres non possunt communicari sæcularibus. Ex quo videtur confirmare, quod indulgentiæ concessæ sæcularibus intuitu alicuius Religionis, omnibus Religionibus communicantur, vt ipse prius concesserat, in const. de qua Casar. & de qua mentionem facit *in dicta sua const.* 25. vnde si non est vera declaratio Sixti IV. videtur innuere Casarub. nullus remanet scrupulus, Sed puto, quòd de hoc sit obtentum aliquod Apostolicum diploma, quod deinde per incuriam fuerit amissum.

7. Noto 3. quòd *in const.* 10. *Leonis X. numero* 1. quærebam, an valeret statutum illud aliquarum Ecclesiarum, quarum Curati nolunt leuare corpora defunctorum, nisi tot vocentur Clerici ad associandum corpus defuncti, quot Regulares; vel vt nullus vocet Regulares nisi vocet totum capitulum; vel, si vult vocare Regulares, vt dentur Parocho tot intorciæ, quot dantur omnibus Regularibus. Et respondi, illud statutum non valere, & esse contra *const.* 7. *Pij V. tom.* 2. *nostr. priuil.* §. 1. *grauamine* 20. *& grauam.* 38. §. 26. dicebam etiam, illud statutum habere radices in auaritia, ac sapere monopolium, statutum namque, quod solam priuatam respicit vtilitatem, & excludit publicam, monopolisticum est. Vnde statutum DD. quòd nullus admittatur in Collegium, nisi sit ex nobili familia, monopolium est secundùm Menoch. *lib.* 2. *de arbitr. cas.* 569. *num.* 19. Et similiter statutum artificum conuenientium inter se, quòd nullus doceat artem illam, nisi filios, vel nepotes, monopolium est, vt idem Menochius, *num.* 17. Ita etiam monopolium est statutum hoc; est enim contra publicam vtilitatem, non solùm quia priuat Mendicantes illo emolumento, sed etiam quia cogit fideles ad dandas res suas, quibus non placet. Atque ita Fagund. *in* 1. *precept. Eccles. lib.* 3. *cap.* 7. *num.* 10. Adde nunc, quòd est contra libertatem Ecclesiasticam; quia posse vocari ad sepeliendos mortuos, & ad officia funeralia est priuilegium totius ordinis Ecclesiastici, quod priuilegium non potest Episcopus restringere: nec etiam illud potest restringere consuetudo, si adsit, quæ potiùs corruptela dicenda est, cum sit in iniuriam Ecclesiasticorum & contra illorum libertatem. Præterea tali statuto iniustè grauantur defunctorum hæredes, cum ad libitum de suo disponere non possint, contra Ius naturale, & commune, secundùm quæ vnicuique licet de re sua disponere ad suum beneplacitum; arg. *leg. Dudum, Cod. de contrah. empt.* Vnde meritò tale, & similia statuta vocantur à Soto *lib.* 9. *de iust. quæst.* 6. *art.* 2. *vers. Hic admonendum*, scandalosæ, ac sacrilegæ extorsiones Clericorum aduersus Monachorum iura, Christianorumque libertatem. Atque ita docent Sylu. *verb. Immunitas* 2. *num.* 7. *& verb. Simonia, quæst.* 11. *dicto* 6. Genuen. *in praxi, capite* 47. *numero* 6. Fagund. *loc. cit. numero* 9. *&* 10. Barb. *in addit. ad* 2. *p. de potest. Ep. alleg.* 24. *num.* 3. Bariol. *in Aphor. lit. F. verb. Funera*, vbi cum Syl. *verb. Simonia cit.* concludit, quòd tale statutum est simoniacum, quia negatiuum est, ne scilicet Regulares vocentur, nisi priùs vocetur totum capitulum; vel non vocentur Regulares, nisi vocentur tot Clerici; vel nisi Parocho dentur tot intorciæ, quot Regularibus vocatis; quod exactionem dicit; non enim vult Parochus leuare corpus, nisi vocentur tot Clerici, quot Regulares; atque ita exigit tanquam pretium sepulturæ ab inuitis illas plures intorcias, quod est sine dubio simoniacum. Vnde Sacra Regul. Congreg. *anno* 1617. *die* 5. *Maij*, vt refert Barb. *de officio Cur. cap.* 26. *num.* 57. declarauit, *ad* defuncti hæredes pertinere conuocare Sacerdotes sibi bene visos ad associandum sepulturæ cadauer, & dari cuilibet ceram sibi bene visam, quolibet contrario prætextu per Parochum deducto non obstante. Abusum hunc auferendum esse in partibus Indiarum, ac communiter in toto mundo, statuit Vrbanus VIII. *in constitut.* 21. §. 1. *tom.* 4. *bullar. folio* 258. confirmans ex certa scientia constitut. Pauli V.

8. Sed quid, si ad leuanda corpora defunctorum plus exigant Parochi ab his, qui volunt sepeliri in Ecclesiis Regularium, quàm ab illis, qui in Ecclesiis parochialibus vt alicubi fieri audio? Respondeo Clem. VIII. per suam const. *Expositum nobis*, datam Romæ sub annulo piscat. *die* 28. *Ian. anni* 1604. vt refert Rodriguez *in suo bull. in const.* 2. *dicti Pontif.* quam confirmauit postea, inserto tenore, Vrbanus VIII. *tomo* 4. *bull. cit.* id prohibuisse sub pœna excommunicationis maioris latæ sententiæ, absolutionem sibi reseruando Parochis Indiarum occidentalium; quæ prohibitio, cum sit declaratiua iuris canonici, immò & naturalis, quo nullus potest exigere plusquàm illi debeatur de iustitia, ait Portel. *in addit. ad dub. reg. verb. Sepultura,*

num 2. quòd est extendenda ad omnes Parochos totius vniuersi: præsertim cum in ea dicat Papa, talem se facere prohibitionem ad tollendum abusum. Si ergo in Indiis talis exactio est abusus, non apparet, quare extra Indias non debeat esse abusus. Et aduerte, quòd talem excommunicationem incurrunt Parochi, etiamsi talem exactionem faciant fulti statutis suorum Prælatorum; hæc enim statuta erant in Indiis. Quòd si nihilominus Parochi auctoritate, & potestate id sibi vsurpent, tenentur restituere damnum illatum, siue defunctorum hæredibus, siue Regularibus, sicut etiam idem damnum tenentur restituere in casu *num præced.* cum contra iustitiam id intulerint. Ex hoc, & similibus statutis in auaritia radicatis, putat Bonau. *in quæst. supra regulam Fratrum. cap.* 27. prouenire odium, quo aliqui Clericorum Regulares prosequuntur. Nam ait, hoc odium ex quinque radicibus prouenire. 1. *quòd timent nos, quòd ipsorum facta, & excessus, vel defectus plenius agnoscamus, & seuerius arguamus, quò clariùs videmus quales esse deberent, & non sunt, per quos Ecclesia gubernatur.* 2. *quòd inuident nobis quòd sumus hominibus gratiores, & ipsi comparati nobis appareant in vita, vel in scientia viliores, vel etiam indoctiores in doctrina.* 3. *quòd dolent, si per confessiones secreta eorum ab aliis, qui consocij fuerint, percipimus, dum timent per illa magis vilescere, vel fortè personas illas nostro consilio ab eis auerti, & ad meliora conuerti.* 4. *quòd timent sibi aliqua per nos emolumenta subtrahi, dum eleemosynas, quæ dantur nobis, arbitrantur sibi fore dandas, si nos non essemus, & hæc videtur potior esse causa pluribus, qui nos odiunt, scilicet plus inhiant lucris pecuniarum à suis subditis, quàm fructui animarum, & cæter. Potest etiam quinta causa esse, quod diuina iustitia illos, qui quanto amplius cognouerunt, & spreuerunt, & quibus maiora beneficia contulit, & ingrati fuerunt, & grauius cæteris offenderunt, frequentiùs eum indignè contrectant, & percipiunt, tanto magis indurat, & profundiùs cadere permittit; vnde non solùm ipsi sunt mali in se, sed etiam alios secum malos esse desiderant, & bonos odiunt, & quos imitari nolunt, optant non esse, & persequuntur eos, quos sibi dissimiles esse dolent.*

9. Noto 4. quòd *in constitution.* 14. *Leonis X. numero quinto*, dicebam, quòd Generalis tenebatur Prouincias visitare per se, vel per substitutum. Sed quæres, an postquàm Pater Generalis aliquam Prouinciam visitauit, possit illo anno Prouincialis dictam Prouinciam visitare? Quod enim visitare non possit, dicunt Menoch. *de præs. libro* 2. *præsumpt.* 18. *à numer.* 16. Rota apud Farinac. *p.* 2. *decis.* 30. *à num.* 9. *& decis.* 33. *à num.* 2. Barb. *de potest. Episcopi, p.* 3. *decis. vltim. num.* 32. quia vbi datur specialis visitator, cessat ordinarius; generi enim per speciem derogatur. *regul.* 34. *Generi, de reg. iur. in* 6. Ego tamen puto, quòd adhuc visitare possit. Nam Prouincialis est iudex ordinarius, cuius iurisdictio impediri non potest sine legitima causa à Superiore Superiorem recognoscente, qualis est Generalis, & supremo Prælato non censetur sublata, nisi expressè tollatur, *leg.* 1. *C. de off. Præf. Vrb.* & Generalis non est specialis visitator pro aliquo casu particulari, sed vniuersalis. Vnde licèt verum sit, quòd Prouincialis non potest visitare super casibus definitis, & visitatis à Generali; inferior enim de rebus Superioris cognoscere non potest, *cap. Inferior, d.* 21. nisi post Generalis discessum aliquid substantiale de nouo emerserit; tunc enim casum relictum indecisum à Generali, ob defectum probationum, potest Prouincialis definire ordinaria auctoritate, neque etiam potest Prouincialis visitare, præsente Generali visitante, vt colligitur *ex cap.* 2. *de off. leg.* potest tamen suam ordinariam visitationem post discessum Generalis facere, & super aliis casibus secutis à tempore visitationis Generalis inquirere. Pro quibus habentur textus *in capite Per hoc, de hæret. in* 6 *& in leg.* 1. *Cod. de offic. præf. Vrb.* Et potest colligi ex Trid. *sess.* 24. *cap.* 3. *de reformat.* ibi, *Sed non ideo Episcopus.*

10. Si quæras quid dicendum, si postquam Pater Generalis, vel etiam Prouincialis, instituerit aliquem Vicarium, vel Visitatorem, moriatur, vel ab officio deponatur, poterit ne Visitator procedere in sua visitatione. Respondeo quòd re integra procedere non poterit. Ita DD. communiter *in cap. Relatum. & cap. Gratum, de potest. Iud. deleg. & in cap. Si super gratia, eod. tit. in* 6. Vide Cenedum, *collect.* 1. *ad* 6. *num.* 1. Sed magna difficultas est inter DD. quando res dicatur integra, de qua diffusè Sanchez 8. *de matr. disp.* 28. *à num.* 8. Barb. *ad dictum cap. Gratum.* Alij enim dicunt, rem esse integram, idest, non inceptam ante litis contestationem. Est autem contestatio litis, vt Sylu. *verb. Lis, quæst.* 2. negotij principalis hinc inde apud iudicem facta narratio, & subsecuta responsio, siue negando, siue concedendo; quod fit post partis citationem. Alij verò, quibus adhæret Sanchez *cit. num.* 10. aiunt, rem statim desinere esse integram post partis citationem; & volunt dicere, quòd delegatus nondum incepto negotio visitationis per partium auditionem, vel saltem post citationem decretam, licèt non intimatam, vt Sanchez *num.* 13. desinit esse delegatus, si, qui ipsum delegauit, moriatur; vel ab officio deponatur. Si autem negotium non habet partem, vt in casu nostro de Visitatore Generali, putat Portel. *in addit. ad dubia regul. verb. Prælati potestas, num.* 16. quòd res dicetur non integra, post publicationem literarum patentium in aliquo conuentu Prouinciæ sibi delegatæ, quæ publicatio æquiualet citationi, ad effectum, vt res dicatur non integra, seu vt dicatur negotium visitationis iam cœptum. Atque ita, si moriatur Generalis, vel Prouincialis, qui Visitatorem delegauit, lectis, in vno conuentu literis suæ delegationis, etiam ante inceptam visitationem, seu Fratrum examinationem, poterit in negotio visitationis prosequi æquè bene, ac si, qui eum delegauit, adhuc viueret. Quòd si delegatus, dum pergit ad visitandam Prouinciam sibi commissam, habeat certitudinem de morte delegantis antequam literas commissionis publicauerit, non poterit ampliùs dictas literas publicare, nec negotium visitationis prosequi. Dixi, si habeat certitudinem: nam si solùm rumorem audiat, qui moralem certitudinem non faciat, poterit prosequi; non enim omni rumori, fortè sparso ad finem impediendi visitationem, credendum est: & tunc intrat regula, quòd: *Melior est conditio possidentis.*

11. Quæres etiam, an supposito quod dixi *in dicta const.* 14. *Leonis X. num* 4. posse Generalem Minimorum instituere Vicarium Generalem cum ordinaria potestate institutus post mortem Generalis in officio perseueret. Respondeo certissimum esse, quòd ordinaria iurisdictio morte concedentis, etiam re integra, non expirat, vt constat *ex leg. Et quia, ff. de iurisd. omn. iud.* est tex. expressus *in cap.* 2. *de offic. legat. in* 6. & probat Sanchez 8. *de matr. disp.* 28. *à num.* 4. qui tamen *num.* 6. ait, quòd hoc fallit in iurisdictione Vicarij Episcopi, quæ licèt sit ordinaria, vt ipsemet probat *lib.* 3. *de matr. disp.* 29. *num.* 3. perit tamen morte concedentis. Cuius rei rationem reddit *dicta disp.* 29. *num.* 13. Nam quando dicitur, quòd iurisdictio ordinaria principali, quæ non adhæret alteri ordinariæ tanquam accessoria; quando autem iurisdictio ordinaria cohæret alteri tanquam accessoria, tunc extincto principali, extinguitur accessorium; nam accessorium sequitur naturam principalis; & huiusmodi ait esse iurisdictionem Vicarij, quæ non facit distinctum tribunal à tribunali Episcopi, sed est vnum, & idem cum illo. In casu ergo nostro cum iurisdictio ordinaria Vicarij

cohæreat

cohæreat iurisdictioni Generali tanquam accessoria, & adiuuans ipsum Generalem, eo mortuo, expirare censetur. Si autem Generalis instituisset Vicarium alicuius conuentus cum iurisdictione ordinaria, quam solent habere alij huiusmodi Vicarij, tunc puto, quòd, eo mortuo, dicta Vicarij iurisdictio non expiraret; nam hæc iurisdictio non adhæret Generali tanquam accessoria, sed est ordinaria in suo genere principalis, & nulli alij Superiori innixa, & post deputationem iste Vicarius non à Generali, sed à Regula videtur iurisdictionem recipere; quare, Generali mortuo, non moritur.

12. Noto 5. quòd *in const.* 16. *Leonis X.* in qua agitur de canonizatione S. P. N. Francisci, aliqua dixi de SS. canonizatione. Sed nunc occasione cuiusdam Serui Dei, qui mortuus est *anno* 1629. miraculis clarus, de quo ferebatur, quòd cum viueret, ei dictum fuerat aliquando, quòd alter Religiosus multa miracula faciebat, ipse verò responderat. Ego maiora patraui. Quæro, an ista responsio pugnet cum humilitate, quæ seruos Dei decet. Respondeo minimè pugnare. Nam in homine duo possunt considerari secundùm doctrinam D. Thom. 2.2. *quæst.* 161. *art.* 3. *corp.* explicatam à Io. de Capistran. *in specul. conscien. p.* 5. *à num.* 294. Primum id, quod est Dei, 2. id quod est hominis. Hominis autem est quicquid pertinet ad defectum; Dei verò quicquid pertinet ad salutem, & perfectionem, iuxta illud Oseæ 13. *Perditio tua Israel ex te est, ex me tantùm auxilium tuum.* Vnde quilibet homo secundùm id, quod suum est, debet se cuilibet proximo subiicere per humilitatem quantùm ad ea, quæ Dei sunt in quolibet proximo; nam humilitas respicit reuerentiam, qua homo Deo subiicitur. At non requirit humilitas, vt aliquis id, quod est Dei in se ipso, subiiciat ei, quod apparet esse Dei in altero; nam illi, qui dona Dei participant, cognoscunt se illa habere, & ideo absque præiudicio humilitatis possunt serui Dei dona, quæ ipsi acceperunt, præferre donis, quæ aliis apparent collata. Quare bene potuit ille Dei Seruus cum magna humilitate dicere, Ego maiora patraui, cognoscens maius donum Dei in se, quàm in alio, iuxta illud 1. Cor. 2. *Nos autem non spiritum huiusmodi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est, vt sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis.* Addit etiam D. Thom. quod humilitas non requirit, vt aliquis id, quod est hominis in se ipso, subiiciat ei, quod est hominis in proximo; nam alioquin oporteret, quòd quilibet reputaret se magis peccatorem quolibet alio; cum tamen Apostolus ad Galat. 2. dicat. *Nos natura Iudæi, & non ex gentibus peccatores*, & sup. *Ascendi autem secundùm reuelationem.* Quare absque præiudicio humilitatis possunt etiam serui Dei dicere, Ego meliùs natus, educatus sum, meliùs studui, quàm ille. Addit denique D. Thom. *illo art.* quòd potest aliquis reputare, aliquid boni esse in proximo, quòd ipse non habet, vel aliquid mali in se esse, quod in alio non est, ex quo potest se ei subiicere per humilitatem. Vnde aliquando serui Dei absque mendacio dicunt, Ego sum peior peccator omnibus hominibus; considerant enim tunc in se quod hominis est, & aliquam imperfectionem, & in hominibus, quod Dei est, & aliquam perfectionem. Vel considerant abundantiam gratiæ, quam sibi gratiosè contulit Deus, & ea videntur sibi abuti, & considerant, quòd si dicta gratia aliis hominibus esset collata hi ea meliùs, & fructuosius vterentur, quàm ipsi; vnde se peiores omnibus agnoscunt.

13. Noto 6. quòd *const.* 23. *Leonis X. à num.* 1. notaui aliqua circa Fratrum appellationes, & quamplurima dixi *tom.* 1. *Rel. quæst.* 1. *cap.* 20. vbi specialiter probaui, posse Fratres appellare à suorum Prælatorum iniustis sententiis. Quod modò confirmo dicto D. Bern. *lib.* 13. *de consid. cap.* 2. vbi habet. *Fateor, grande, & generale mundo bonum esse appellationes, idque tam necessarium, quàm Solem ipsum mortalibus: vt vera quidam Sol iustitia est prudens, ac redarguens opera tenebrarum.* Sed dixi, quòd istæ appellationes debebant gradatim fieri à Correctore ad Prouincialem, ab hoc ad Generalem, &c.

14. Sed quæres, an appellari possit, omissis mediis, ad Apostolicam Sedem? Respondeo affirmatiuè; *cap. Quoties Episcopi, cap. Ad Romanam*, *el* 2. & 2. 2. *quæst.* 6. *cap. Si duobus, cap. Dilecti filij, el* 3. *de appell.* Nauarr. *lib.* 2. *consil. de appell. consil.* 2. *num.* 1. & *consil.* 4. *num.* 3. Pegna *in direct. Inquis. p.* 3. *comm.* 31. *vers. Quòd si.* Sebastianus Vantius *de nullit.* §. *De nullitate defectu iurisd. num.* 77. *tom.* 4. *tract. pag.* 388. Barb. *capite Dilecti filij cit. num.* 3. Couarrn. *pract. quæst. cap.* 4. *num.* 9. Bobadill. *tom.* 2. *polit. lib.* 3. *capite* 8. *num.* 219. Nec refert, quòd iudex à quo non deferat; nam hoc casu deferunt iura: *leg. Quoniam iudices, Cod. de appell. leg. Ei cuius, ff. de appell. recip.* & iudex, qui non detulit, puniri debet: *cap. De priori, de appell.* Ita dictus Vantius *loc. cit.* In Religione nostra hoc fuit determinatum *in cap. Romano* 6. *num.* 14. *dub.* 7.

15. Neque his obstat decretum sacræ Congreg *anno* 1587. quod sic habet: *Quoniam nonnulli Regulares vagandi studio, siue dum imminentem admissorum criminum pœnam, ex suis constitutionibus, aut aliàs debitam sibi metuunt, falsa, & commentitia grauamina causari, non ad immediatè sui Ordinis Superiores, scilicet à grauamine Prioris ad Prouincialem, à Prouinciali ad Generalem, à Generali ad Protectorem, prout cuiusque Religionis constitutionibus disponitur, sed ad hanc Romanam Curiam absque licentia sæpius fugiunt potius, quam recurrant, ex quo Ordinum disciplina relaxatur. Prælati contemnuntur, & ipsi in dies audaciores euadunt. Placuit sacræ Regularium Congreg. ex ordine Sanctissimi statuere, vt si quis Regularium in posterum temerè, leuiuè ex causa hanc almam Vrbem, seu Curiam, absque seu Superioris licentia, & supradicta forma prætermissa, adire præsumpserit, ad suos eosdem Superiores pœna plectendus remittatur.* Non obstat, inquam, hoc decretum; quia iuri communi non derogat, quod esset omnino necesse, ad dicta per Felin. *in cap. nonnulli, de rescrip. num.* 9. vbi etiam Panormit. *num.* 10. Nec est verisimile, quòd Papa voluerit S. Romanam Ecclesiam tali priuilegio priuare. Nec multo minùs obstant statuta, si quæ sint, Religionum: nam iuri communi contraria esse non possunt: *cap. Quod super his, de maior. & obed. cap. Institutionis*, 25. *quæst.* 2. Immò id etiam colligitur ex dicto decreto, vbi, *potius fugiunt, quam recurrant*, per quæ verba clarè significatur, quòd si verè grauatus recurrat ad sanctam Sedem immediatè, admittatur de stylo illius Curiæ: secus autem, si non grauatus pœnas metuens ad eam fugiat, sic euadere sperans, atque ita post dictum decretum id sentiunt Portel. *in dub. reg. verb. Appellare, num.* 3. Diana *tom.* 3. *tract.* 2. *resol.* 53. & in Ordine nostro recursus immediatus ad sanctam Sedem à nemine impediri potest, cum duabus tamen limitationibus. I. Quòd qui recurrit, & non probat, maiori pœna puniatur. II. Quòd iste recursus non fit de re leui, & minima: nam in hoc casu potest impediri. Ita statutum est *in cap. Rom.* 6. *num.* 14. *dub.* 7.

16. Aduerte autem, quod illa clausula posita in dicto decreto, *temere, leuiuè ex causa*, intelligitur, quando subditus absque vlla causa, vel leui, fugam arripit

Romam

Romam versùs appellationis prætextu v.g. quia extraiudicialiter in leui pœnitentia panis, & aquæ, vel disciplinæ, &c. pœnitentiatus fuit, seu quando, non expectata sententia Romam petit timens de grauamine, nisi fortè grauamen, quòd timetur, esset ex illis, quæ per appellationem vitari non possunt, vt si incarcerari timeat: quia sic procedere soleat Prælatus, Atque ita Bernar. lib. 3. de consid. cap. 2. *Appellandum à sententia; ante sententiam improbè omnino, nisi ob manifestum grauamen, præsumitur appellatio. Non est autem suffugium appellatio, sed refugium.* Item leuis dicitur causa, quando appellatur à pœna præcisè secundùm Regulam inflicta; & manifestè constat de delicto, vt dixi *tom. 1. Religiosi, q. 1. cap. 20. concl. 2.*

17. Aduerte etiam, quòd verè grauatus recurrens ad sanctam Sedem potest libere ingredi Romam absque alia facultate Superioris, & non obstante prohibitione de non ingrediendo Romã absque Superioris facultate; nam tunc ingreditur vigore huius decreti facti auctoritate Papæ, qui est supremus Religionum Superior. Et nulla adest præsumptio, quæ tamen est necessaria ad incurrendas pœnas positas in prohibitione, vt constat ex decreto, quod refero *tom. 2. priuil. regul. in const. 10 Vrban. VIII* § 39. & 40. Quòd nulla hic adsit præsumptio; constat: quia adest causa legitima, quæ temeritatem, quam dicit præsumptio, excusat, vt dicit Lezana *in quæst. reg. cap. 10. num. 33.*

18. Aduerte etiam, quòd non faceret contra hoc decretum, qui appellaret à Prouinciali v.g. ad Protectorem, omisso Generali, eo quia habet illum suspectum. Nam tunc Generalis non est legitimus Superior, & ideo ad illum non est recurrendum: debet tamen causa suspicionis esse certa, & euidens; nam alioqui non excusaretur.

19. Quæres etiam, an appellatio à priuatione dignitatum suspendat executionem? Respondeo affirmatiuè. Gloss. *in cap. Sæpè, verb. Rata manet, in fine, de appel.* vbi Panorm. *num.* 15. & Gloss. *in Sum. cap. Quod autem* 8. *quæst.* 4. Iason *in l.* 1. *num.* 10. *ff. de re iudic.* Bart. *in leg. Furti, ff. de his, qui notantur infamia.* Bobadill. *tom. 2. polit. lib. 5. cap. 1. num.* 291. Nauarr. *lib. 2. consil. de appell consil.* 2. *num.* 3. Barb. *in cap. Venientes, de iur. numero* 7. Io. Anton. à S. Georgio *in cap. Ad hæc, de appell. num.* 2. Scaccia *de appell. quæst.* 3. *num.* 72. vbi ait, quod Prælatus depositus, pendente appellatione, potest liberè suum exercere officium, excommunicare, & alia iurisdictionalia exercere, vt ante sententiam poterat; & Doctores adducit. Qui DD. licèt de Regularibus non loquantur; cum tamen simpliciter dicant, appellationem executionem suspendere, debent etiam de Regularibus intelligi; cum nullum ius appareat, per quod hi excludi debeant ab illo communi iustæ appellationis effectu, beneficio. Hoc tamen in Religione nostra non seruatur, & doleo.

20. Neque his obstat Trid. quando *sess. 13. cap. 1. de reform.* ait, quòd in causis correctionis, & visitationis ante definitiuam appellari non possit. Non obstat, inquam, per ea, quæ dixi *tom. 1. Relig. q. 1. cap. 20.* vbi ex professo hunc locum declaraui. Neque etiam obstat idem Trid. *sess. 22. cap. 1. de reform. & sess. 24. cap. 10. eod. tit.* quatenus determinat, quòd quando agitur de morum correctione, appellatio executionem non suspendit, & causæ omnes Regularium ad morum correctionem spectent; Nam pœnæ, quæ à Regularibus imponuntur secundùm Triuisanum *de modo proced. crim. inter Reg. cap. 19.* sunt in duplici differentia. Vel enim imponuntur pro moribus corrigendis extraiudicialiter, nullo formato processu; vel imponuntur in iudicio, formato processu; A primis non datur appellatio, quia leues pœnitentiæ supponuntur; ab aliis autem sic. Atque ita declaratum extitit à S. Congr. Concil. *die 6. Octob. anno* 1588. & talis est stylus Romanæ Curiæ, vt mihi bene constat. 1. Immò, etiamsi Prælatus processum non formet, si in corrigendo hoc pacto excedat, potest etiam in huc casu subditus appellare. Et ita fertur fuisse etiam declaratum à Sacra Congreg. mens enim Concilij non est quenquam grauare, sed solùm Ecclesiasticam disciplinam fouere, quæ suadet, ne pro quacumque, re leui ad Superiorem appelletur. Itaque quando dicit Concilium, quòd appellatio executionem non impedit; intellige, quando appellatio est friuola, idest, sine ratione legitima interposita, vel quando est de re leui, vel quando in casu claro, & probato, ad fugiendas pœnas interponitur, vel quando quis punitur præcisè secundùm Regulam, quam professus est, non autem quando est legitimè interposita, & agitur de re graui, v. g. priuatione officij, &c.

21. Noto 7. quòd in const. 26. Leonis X. num. 4. tractaui, an Parochi nostri Ordinis sint omnino subiecti Correctoribus. Nunc quæro, an possit Prælatus regularis designare aliquem in Parochum, qui absque approbatione Episcopi confessiones audiat suorum parochianorum? Henriquez *lib. 6. cap. 6. num. 2. in Com. lit. E.* refert Mantium, Gallum, Bannem, Medinam, & alios Dominicanos sensisse, posse prælatum regularem id facere. Sed esse falsum, constat ex Trid. *sess. 23. cap. 15.* vbi dicitur, *Nullum, etiam Regularem, posse confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum, audire, nisi aut parochiale beneficium habeat, aut ab Episcopo approbetur.* Licèt enim possit Prælatus regularis Parochum designare, non potest tamen illum approbare ad confessiones audiendas. Vnde quando Concilium requirit ad audiendas confessiones parochiale beneficium, intelligi debet, quod tale beneficium sit habitum ab eo, qui potestatem habet admittendi ad confessiones audiendas. Atque ita Fagundez *in 2. præc. Eccles. lib. 7. cap. 2. num.* 40.

22. Verum quidem est, quòd Regularis approbatus ab Episcopo post approbationem sui Prælati ad animarum curam monasterio annexam, si deinde à dicta cura per dictum Prælatum amoueatur, poterit nihilominus confessiones sæcularium audire, cum iam sit ab Episcopo admissus. Nec indigebit Episcopi approbatione, si post aliquod tempus à Prælato suo ad eandem curam admittatur; semel enim examinatus, & approbatus ad curam animarum, non potest iterum ad eam examinari. Riccius 3. *p. praxis, resol.* 192. *num.* 2. habetur *in cap. Accepimus, iuncta Gloss. verb. Reputare, de ætate, & qualit.* Quòd verò Parochus præsentatus ad Ecclesiam parochialem regularem à suo Prælato, possit ab eodem absque Episcopi consensu à dicta cura remoueri, est sine controuersia; nam per hoc non liberatur ab obedientia Prælati. Ita Nauarr. *com. 2. de reg. num. 65. vers. Addo* 8. Cochier *de exempt. p. 4. quæst. 73. num* 2. Vide Barbos. *in cap. 15.* Trid *sess. 23. de refor. num. 21. & 22.*

23. An autem dictus Parochus possit suas oues commendare alteri sacerdoti ex suis confratribus quo ad sacramentorum ministrationem? Respondeo licèt id possent Parochi ex longa, & approbata consuetudine ante Concilium Trid. post illud tamen non possunt quò ad Sacramenti pœnitentiæ administrationem; requirit enim Concilium generaliter in ministrante tale sacramentum omnino approbationem Episcopi. In administrationem autem aliorum sacramentorum poterit dictus Parochus vices suas alij confratri suo sacerdoti commendare. Ita Fagund. *in 2. præcep. Eccl. lib. 7. cap. 2. num.* 43.

24. Noto 8 quòd *in constit. 26. Leonis X. num.* 2. dicebam, quòd summi Pontifices concesserunt quamplurima Regularibus priuilegia, in præmium laborum, quos passi sunt, & patiuntur quotidie pro S.R.E. defensione,

defensione, & incremento; nam istorum præcipuè sanguine madefacta pretiosa facta est in oculis omnium; & isti sunt, qui portant pondus diei, & æstus pro illius defensione, & augmento, vt Pontifices ipsi testantur. Ad quod probandum illustria solùm duo exempla ex mea Religione affero. 1. est P. F. Bernardi Buil. Ordinis nostri, postea Episcopi Geruntini. Is ex Religione Benedictinorum ad Religionem nostram transuolauit, viuente B. P. N. Francisco; & primus in Indias cum Christophoro Columbo ad fidem disseminandam profectus est de mandato summi Pontificis Alexandri VI. quem Posseuinus *tom. 1. appar sacri, lit. D. verb. Dominus Buil.* vocat primum noui orbis Apostolum, Indiarum Patriarcham, & Vicarium summi Pontificis apud illas regiones; quæ multis probat Morales noster *in fundatione Prouinciæ Andalutiæ, textu* 14. §. 7. & 8. Quare primam Indiarum Euangelicæ pietatis culturam debet Ecclesiæ nostræ Minimitanæ familiæ. Secundum est P. F. Francisci à Longobardis Ord. nostri nunc meritiss. Generalis, digni, cui tota Christiani orbis cura demandetur; habet enim in summo gradu eas omnes boni Pastoris partes, quas SS. Patres, sacri Canones, Doctores omnes in Pastore desiderant, vitæ est sanctitate insignis, doctrina admirabilis, charitate conspicuus, iustitia clarus, clementia spectabilis, atque decorus; omnibus maximè compatiens, sibi soli seuerus; corrigit blandè, punit suauiter, & ita (mirabile creditu) vt punitus communiter non irascatur, correctus non succenseat, sed cum gratiarum actione pœnitentiam, correctionemque admittat, & adimpleat. Is erexit Religionis nostræ muros pene euersos, & stare fecit portas, & seras, vt dicitur *Eccl.* 49. De quo illud syncere prædicari potest, quod de Simone Oniæ filio Sacerdote magno, qui in vita sua suffulsit domum, & in diebus suis corroborauit templum. Quasi stella matutina in medio nebulæ, & quasi luna plena in diebus suis illucet. Hic cum Romam pergeret à pyratis infidelibus captus est, Tunetumque deductus. Ibi cum res Ecclesiæ quò ad captiuos fideles haud paruo versari discrimine, fidemque catholicam conspiceret, ouium Christi miserrimam illam conditionem, ac statum cœpit deplorare, atque ingemiscere, Deumque incessanter exorare pro ouibus illis, verbo, ac exemplo enitens, vt ad meliorem frugem reducerentur. Hinc die, noctuque non destitit in balneis prædicare, ad confessiones, aliaque sacramenta frequentanda hortari, & pro populo Dei tandem hostiam se quotidie offerens acceptabilem, spiritualibus istis exercitationibus carnis afflictamenta superaddens, lucrum putabat captiuitatem suam. Hæc Romam delata S.D. Vrbanum VIII. compulere vt eum Missionarium deligeret cum potestate, de qua hic.

Facultates concessæ à S. D. N. Vrbano diuina prouidentia Papa VIII. Fratri Francisco Longobardo Ordinis Minimorum Missionario Tunetum.

25. AVdiendi confessiones quorumcumque fidelium vtriusque sexus de licentia Episcoporum, vbi sunt Episcopi, vel Vicarii.

Exercendi actus parochiales, vbi non sunt Parochi, vel Episcopi: & vbi sunt, cum eorum licentia, omissis cæremoniis in administrandis sacramentis, vbi necessitas exegerit, non tamen necessariis.

Absoluendi, vbi non sunt Episcopi, vel Vicarij; & vbi sunt, de eorum licentia, omnes vtriusque sexus ex partibus, in quibus hæreses impunè grassantur, ab hæresi, apostasia à fide, & schismate, & alios pœnitentes ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reseruatis, etiam in bulla Cœnæ Domini clarè, vel dubiè contentis, & à simonia, dummodo pœnitentes parati sint dimittere beneficia, & restituere fructus malè perceptos arbitrio Sanctissimi.

Legendi libros hæreticorum, & alios quoscumque prohibitos, ad effectum confutandi.

Celebrandi missas in altari portatili in locis decentibus, & præsentibus hæreticis, & excommunicatis etiam super altari fracto, vel læso.

Commutandi vota simplicia, etiam iurata, dummodo non sint castitatis, & Religionis solemnia.

Dispensandi super irregularitate occasione delicti occulti cum pauperibus sacerdotibus, præterquam ex homicidio voluntario, & simonia reali, in Ciuitatibus, & diœcesibus, quæ non habent Episcopos residentes, aut Vicarios Apostolicos, vel cum eorum licentia, si adsunt.

Consecrandi calices, patenas & altaria portatilia, oleo tamen ab Episcopo benedicto, & paramenta ad missæ sacrificium necessaria, nec teneantur inquirere, an altaria contineant reliquias, necne, scilicet vbi non est copia Episcopi.

Celebrandi missam quocumque loco decenti, etiam sub dio subtus terram, tribus horis ante lucem, hyeme vna hora post meridiem; bis in die, vbi necessitas postulauerit, & sit ieiunus, etiam coram hæreticis, aliisque personis excommunicatis, dummodo minister non sit hæreticus.

Hostiam consecratam seruandi in loco decenti, & sine lumine, ac aliis cæremoniis, quibus vti solet Ecclesia.

Incedendi in habitu sæculari.

Concedendi indulgentiam plenariam prima vice pœnitentibus, quorum confessiones audiet, & communione refectis.

Celebrandi bis in anno orationem quadraginta horarum in prædictis locis ex consensu Ordinariorum, vbi erunt, & concedendi plenariam indulgentiam singulis in singulis locis, qui confessi, & sacra communione refecti preces fundent pro exaltatione sanctæ Sedis Apostolicæ, infidelium conuersione, qui verò intra eiusdem orationis tempus bis, vel ter sanctam Eucharistiam susceperint, valeant per modum suffragij, animam, iuxta intentionem suam, à Purgatorij pœnis liberare.

Concedendi in singulis Dominicis, & festis decem annorum indulgentiam pœnitentibus interessentibus eorum concionibus, & pœnitentibus sacra communione refectis in festis primæ classis plenariam indulgentiam.

Concedendi pœnitentibus contritis in articulo mortis plenariam indulgentiam, saltem contritis, si communicare non potuerint.

Lucrandi easdem indulgentias, quas sæcularibus impertiuntur.

Liberandi animam à pœnis Purgatorij celebrando Missam qualibet feria secunda ad hunc effectum pro defunctis, & quando in illos dies festa duplicia incidunt, altera die sequenti non impedita.

Concedendi in totum, vel ex parte has facultates quatuor Sacerdotibus idoneis sæcularibus, siue regularibus.

Item concedendi catholicis captiuis dictorum locorum iubilæum nuper à Sanctitate sua publicatum.

Feria 5. Die 31. Augusti 1628.

S.D.N. Papa prædictus concessit supradictas facultates in Congregatione S. Officij habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis supradicto Fratri Francisco Longobardo Ord. Minimorum Missionario Tunetum ad decennium proximè futurum.

Io. Garsia Car. Milinus. Io. Antonius Thomasius

maſius S. R. & vniuerſalis Inquiſitionis Notarius.

Vt autem tutiùs ea pietatis officia peragerer præfatus Pater, dubia ſequentia Romam tranſmiſit ſacræ Congregationi pro opportuna ſupplicans explanatione.

Decreta, & deciſiones Congreg. RR. DD. Theologorum ſuper caſibus ad forum conſcientiæ pertinentibus, propoſitis à Reu. P. Franciſco Longobardo Ord. Minimorum Miſſionario in Aphrica Tuneti, & ad eoſdem Patres Theologos tranſmiſſis à Sacr. Congregat. Illuſtriſſimorum Cardinalium de P. F. vt conſtat ex eius decreto ſub die 7. Aprilis, 1629.

I.

26. CAſus. Vtrum Apoſtatæ à fide ad pœnitentiam redeuntes cogendi ſint ad retractandum explicitè, & publicè coram infidelibus coram periculo vitæ, ſicut negarunt fidem, an ſufficiat coram fidelibus publicè, & explicitè abiurare apoſtaſiam in propriis balneis (quæ ſunt captiuorum carceres,) & implicitè apud infideles, abſtinendo ab actibus infidelitatis, & deponendo habitum? Decretum. Congreg. cenſuit, apoſtatas à fide redeuntes ad pœnitentiam, omnino debere abiurare apoſtaſiam coram fidelibus captiuis, quibus dederunt ſcandalum in propriis carceribus publicè, & explicitè, at coram infidelibus non videtur hoc neceſſarium, ſed ſufficit, vt coram ipſis abſtineant ab actibus infidelitatis, deponantque habitum proteſtatiuum falſæ Religionis, & curent, vt ſucceſſu temporis cognoſcant etiam infideles, vel ab ipſis, vel ab aliis, eorum abiurationem, licèt id cum periculo vitæ.

II.

27. Caſus. Et circa habitum, ſi non ſit proteſtatiuus Religionis, cuioſmodi eſt veſtis linea, & talaris, qua ſoli Sacerdotes infideles vtuntur, ſed tantùm diſcretiuus nationis, quale eſt operimentum capitis, quod vulgo *Turbante* appellatur. Quæritur, vtrum poſſint eum retinere ad vitandum vitæ periculum, donec naneiſcantur idoneam occaſionem transfugiendi ad terras Chriſtianorum, ibi apoſtaſiam abiuraturi? Decretum. Congr. cenſuit, reuerſos ad fidem tuta conſcientia omnem habitum indiſtinctè deferre poſſe nationis diſcretiuum, dummodo non ſit proteſtatiuus falſæ Religionis, donec nanciſcantur occaſionem transfugiendi ad fideles, nec perinde arcendos à ſuſceptione Sacramentorum, ſi propoſitum habent profitendi fidem, quando iuridicè de illa interrogantur.

III.

28. Caſus. Quomodò ſe gerere debeat confeſſarius erga apoſtatas in articulo mortis conſtitutos, cum ab illis ſecretò accerſitur, vt ſecretò abſoluat? Ratio difficultatis eſt, quia in illo articulo ſolent ab infideli familia, vel Sacerdotibus induci ad actus falſæ Religionis, nec poſſunt abnuere ſine mortis periculo. Decretum. Confeſſarius ſecretò accerſitus, ſecretò abſoluat pœnitentes apoſtatas in articulo mortis conſtitutos, & præter apoſtaſiam coram ſe abiuratam ſecretò, & conſtantem animi præparationem eam abiurandi publicè, & explicitè, nihil ampliùs exigat, ſi ſuperſtites fuerint; ſi verò deceſſerint, curent cognoſci tam à fidelibus, quàm ab infidelibus abiurationem. Actus autem falſæ Religionis nec elicere poſſunt, nec oſtendere, & licèt non poſſint malos ſuaſores expellere, ſufficit interiùs eorum ſuaſionibus non conſentire.

IV.

29. Caſus. Suppono, licere Chriſti fidelibus captiuis, non autem liberis, qui hic ſub fide regia negotiantur, auferre bona tum dominorum, tum aliorum infidelium furto, & conſequenter vſuris, vel quouis alio modo ex tacita, & interpretatiua facultate Principum chriſtianorum. Quæritur ergo 1. vtrum ratio ſumatur à pœna infidelitatis, an potiùs à iure compenſationis? quia nimirum tyrannicè poſſident hoc regnum, quod de iure ad chriſtianos Principes pertinet, 2. vtrum eadem ſit ratio de Iudæis incolis loci: & conceſſa parte affirmante, vtrum ſaltem quò ad aduenas, qui habentes domicilium ſub regimine Principum fidelium, huc negotiandi gratia veniunt, negans pars ſit probabilior. Decretum. Congr. cenſuit, Chriſtianis liberis, qui ſub fide regia in Aphrica negotiantur, nullius inuiti licere bona ſurripere, licere verò captiuis non modò Principis Sarraceni, ex tacita voluntate Principum fidelium, ſed adhuc dominorum particularium, ſub quorum violenta ſeruitute detinentur, iure compenſationis pro iniuria captiuæ libertatis, pro debita laboribus mercede, pro lucro ceſſante, & damno emergente in ſuis negotiationibus, & bonis ob abſentiam à patria. Quòd ſi fideles captiui à ſtipendiis militaribus chriſtianorum Principum per Sarracenos in ſeruitutem iniuſtam redacti ſunt, Sacr. Congr. cenſuit, eos quorumcumque infidelium indiſtinctè tuta conſcientia poſſe bona auferre ſub quacumque via, atque induſtria, ex interpretatiua eorundem fidelium Principum voluntate. Ab hoc tamen grauamine, atque licentia S. Congr. declarauit immunes Iudæos omnes ibi incolas, ſiue indigenas, ſiuè liberos, ſeu captiuos.

V.

30. Caſus. Vtrum Chriſtiani liberi, qui hic negotiandi gratis commorantur, & alij captiui ementes à piratis infidelibus bona à fidelibus rapta, & in hac vrbe venum expoſita, vel dono ea recipientes, vt hic ad proprios vſus vtantur, vel ad terras Chriſtianorum lucri gratia tranſmittant, peccent, mortaliter, & teneantur ad reſtitutionem? Decretum. PP. deputati exiſtimarunt, bona Chriſtianorum à piratis rapta poſſe fideles abſque noxa mortali, & onere reſtitutionis, emptione, donatione, venditione, aut alio quocumque legitimo titulo ſibi recipere, ac in proprios vſus conuertere, non obſtante quòd ſint in bello iniuſto capta.

VI.

31. Caſus. Vtrum antedicti, præſertim mercatores liberi, non ſolùm peccent ratione rei malè acceptæ, ſed iniuſtæ actionis, tanquam rapientium receptatores, & conſequenter teneantur in ſolidum ad reſtitutionem non ſolùm mercium emptarum, ſed omnium prætetea damnorum Chriſtianis illatorum? Ratio dubij eſt, quia, vt quidam aſſerunt, piratæ inter deprædandum aliqua rapiunt ſpe vendendi dictis captiuis, vel liberis Chriſtianis, quæ hac ſpe ſublata non raperent, vt infidelibus non neceſſaria, neque vtilia; hoc autem non ſemper accidit in rebus magni pretij: & ipſi mercatores liberi principaliter hic morantur, vt emant merces loci; & prætetea eorum incolatus multum videtur conferre ad miſerorum captiuorum redemptiones ſecretiùs, faciliùs ac viliùs faciendas, præter quotidianas eleemoſynas, quibus non ſolùm ſubleuant neceſſitates captiuorum, ſed etiam ſuppeditant ex magna parte oratoriis, & miniſtris diuini cultus. Decretum. A PP. deputatis concordi voto deciſum eſt, fidelium neminem Tuneti commorantium teneri ad reſtitutionem bonorum raptorum per piratas Chriſtianis, neque incurrere noxam peccati mortalis, etiamſi piratæ bona illa ſurripiant ſpe lucri ex futura venditione iiſdem fidelibus facienda, aliàs non furaturi: licèt peccare poſſint ex complacentia ſuper furto rerum per piratas Chriſtianis ſublatarum.

VII.

32. Caſus. Vtrum fabri lignarij captiui, qui non

ſolùm

foiùm impendunt suam operam triremibus, & aliis nauigiis DD. quibus impugnant, & deprædantur Christianos, & interdum etiam mercaturam exercent, sed prætera lucri gratia sine metu locant etiam aliis infidelibus ad eadem nauigia fabricanda, peccent, & teneantur ad restitutionem aliquam? Et quid præterea dicendum sit de discipulis, quos erudiunt eadem arte, partim sponte sua, vt habeant sui labor s coadiutores, & subleuatores? Decretum. Fideles captiui, qui sine iossu DD. siue propria voluntate, ae lucri gratia operas suas nauant., ac locant etiam aliis infidelibus à propriis Dominia in fabricandis nauigiis operariis, aut militaribus, vel erudiendis discipulis eadem arte, vt sui laboris coadiutores, & subleuatores habeant, ab omni culpa, dummodo ab eis nullum intendatur Christianorum damnum, vacant.

VIII.

33. Casus. Vtrum Sacerdotes hic captiui, tam alicubi, ab aliquo Ordinario, quàm nullibi; & à nullo aliàs approbati, validè absoluant sacramentaliter, & ministrent alia sacramenta omnibus Christi fidelibus, vndecumque illuc captiui abducantur, ex tacita, & interpretatiua facultate Ordinariorum, vel saltem summi Pontificis? Dubitationis ratio est, quia post translatum dominium vrbis ad infideles sic seruatum est, & nemo meminit vnquam, vel aliter seruatum, vel in dubium reuocatum esse. Decretum PP. deputati vnanimes dixerunt, Sacramentorum administrationem Tunetii olim exercitam à Sacerdotibus, de quibus in casu, esse sustinendam, sed in posterum esse prouidendum per summum Pontificem.

IX.

34 Casus. Supposita tanquam probabiliori recentiorum DD. sententia, quòd nimirum Christiani captiui in triremibus fidelium metu mortis, aut verberum remigantes, nec excommunicationis, vel lethalis culpæ alicuius rei censeantur, Quæritur, quid dicendum de illis, qui non sistentes inter limites remigij necessarij, aut sufficientis, ad euitanda verbera, & mortem, student præterea excellere in illa arte, ac ad gradus quosdam, qui de Vogauanti, & Spalliere appellantur, aspirant, & sic DD. gratiam conciliantes, & emolumenta quædam comparantes, vt commodiùs in captiuitate, & honoratiùs vitam transigant? Quid præterea dicendum de illis, qui ad dicta officia iam promoti, cum fidelium nauigia insequuntur, vel fugiunt, concaptiuos remigantes ad validiorem remigationem laudando, reprehendendo, contumeliis afficiendo, vel alios excitando impellunt, tum vt officio suo satisfaciant; tum vt longioris cursus laborem subterfugiant? Quid item de illis dicendum, qui eadem de causa infidelibus ipsis triremium præpositis consilium aliquod præbent, quo fugientia nauigia comprehendam, vel tormentorum bellicorum ictus à Christianis immissos declinantes, commune cum ipsis infidelibus vulnerum, vel demersionis periculum vitent? Decretum. PP. deputati responderunt, actiones omnes indifferentes, de quibus in casu consultatio quæritur, esse licitas sed laudare, exhortari, consilium præbere, vt nauigia comprehendant Christianorum, & similes alias actiones, peccata esse lethalia.

X.

35. Casus. Quid dicendum sit de matrimoniis hic celebratis quò ad validitatem; Ratio dubij inde sumitur, quia desunt Parochi legitimi, & ex prætensa Ordinarij facultate celebrantur, seu interpretatiua, coram quouis Sacerdote captiuo. Decretum Præpositum casum PP. deputati dixerunt esse decisum in decreto habito supra, casu 8. ad quod se omnino retulerunt.

XI.

36. Casus. Supposito defectu propriorum Parochorum, quæritur, vtrum regulares Sacerdotes possint ministrare sacramenta baptismi, & matrimonij in hoc loco, præsentibus sacerdotibus sæcularibus? Decretum, Dixerunt PP. deputati, sacramenta baptismi & matrimonij olim administrata à Regularibus coram Sacerdotibus secularibus esse sustinenda absque noxa aliqua Regularium, pro futuris temporibus recurrendum esse ad oraculum summi Pontificis.

XII.

37. Casus. Vtrum peccent mortaliter caupones Christiani, qui requisiti ab infidelibus ad suas cauponas confluentibus, offerunt illis cubicula aliqua secretiora ad comedendum, quamvis sciant, sæpissimè requiri ad commodiorem vsum sodomiæ? Ipsi autem caupones asserunt non posse se illis negare hoc sine lucri iactura, & interdum etiam sine periculo verberum, & vexationis, licèt rariùs hoc secundum accidat. Decretum. Possunt caupones cubicula secretiora infidelibus locare, etiamsi probabiliter credant, illa requiri ad vsum sodomiæ, dummodo eo animo non locent.

XIII.

38. Casus. Caupones huius loci solent adhibere in ministerium suæ cauponæ vnum, aut duos concaptiuos, & eius rei causa soluunt Dominis infidelibus ad trigiota argenteos, seu scuta pro singulis, & interdum minus, pro qualitate ministri, in annos singulos, idque vt non mittantur ad remigandum in prædiis. Hoc autem dicti ministri ferè accipiunt loco beneficij, quamvis nihil ipsi percipiant, nisi solum cibum, & potum. Aliqui autem perspicaciores, & libertatis cupidiores, præsertim cum vident suarum operarum conductores minimi facere libertatem, & propterea lucrum cauponæ prodigere, solent inter vendendum fraudare infideles, miscendo vinum aqua, vel augendo numerum mensurarum in receptione pretij. Id quod partim factitatur tanquam licitum etiam ab ipsis præcipuis Dominis cauponæ, fraudeque pecuniæ partem seruant pro parte pretij suæ libertatis, existimantes, id sibi licere, tanquam propriæ industriæ lucrum Ergo quid iuris? Decretum. Non licet fidelibus captiuis in ministerium cauponæ ascitis ab infidelibus aliquid suffurari, licitum tamen est à præcipuis Dominis cauponæ tantundem surripere, quantùm arbitrio boni viri sufficit æquare mercedem debitam laboribus suis.

XIV.

39. Casus. Omnes ferè infideles Domini huius loci ad sua negotia peragenda vtuntur ministerio captiuorum, & propterea solent singulis carceribus, qui balnea hic appellantur, binos, vel ternos ex ipsis captiuis perspicaciores reliquis omnibus præficere, quibus quidem onus incumbit accusandi apud Dominos inobedientes, & ad opera negligentis, distribuendi cibos, & vestes, ac etiam laborem ex opere, qua in distributione est difficillimum seruare æquitatem, nam vt plurimum inter æquales inæquales vestes, (sic enim à dominis accipiunt) & labores partiri oportet; interdum ex æqualitate seruanda vitio potentiorum malum illis imminet; solent non rarò amor, & odium lancem reddere inæqualem, sæpe oblata munera aliquos laboribus eximunt, & melioribus cibis, ac vestibus donant. Quæritur ergo de illorum statu, quidnam censendum sit, eorum præsertim qui ne gratiam, & officium omittant, inobedientes, ac pigros accusando, flagris obiiciunt? Decretum. Responderunt PP. deputati, omnino seruandam esse iustitiam distributiuam, & ex eius violatione, quæ culpa sequatur, lethalis, an venialis, dignoscendum esse ex grauitate, aut leuitate materiæ. Item esse licitam accusationem contra negligentes non pro lege aliqua obedientiæ, quæ veris

Dominis debeatur, sed pro euitando præiudicio diligentium concaptiuorum exinde emergente, ac pro redimenda vexatione, aut propria, aut aliena.

XV.

40. Casus Infideles huius loci, præsertim infimæ conditionis, solent fidelibus S. nostræ fidei mysteria exprobrare, vel de illorum difficultatibus rationem exponere; interdum ad disputationem prouocat; aliquando eos errare, & in malo statu eos versari asserunt sæpe coram eis horribiles blasphemias irrogant in Christum, & Sanctos eius, quorum singulis vt respondeant, ac disputatione viam aperiant, velint, nolint, in eas angustias aliquando incidunt, vt necesse sit, vel cum aliquo fidei detrimento aut resilire, vel apertis verbis damnabilem eorum sententiam damnare cum euidenti periculo capitis, præsertim si sint liberi. Si verò taceant ab initio, vel respondeant cautè, & circumspectè, videntur posse euadere periculum sine aliquo fidei detrimento. Si, verbi gratia, dicant. Si nobis impunè liceret apud vos de fide disputare, aut vos ex desiderio discendi veritatem hæc percunctamini, & non potiùs ex odio, vt nos capiatis in sermone, ac capitis periculo subiiciatis, vel ex curiositate, vel loquacitate (sicut re vera his ex caosis prædicta faciunt) libenter respondebimus: nunc autem pergite quò pergitis, extremi iudicij dies aperiet nobis sensum: vel sciscitantur aliis loquendi formulis: pœnam enim in damnantes eorum sectam indispensabiliter constituta neminem hic latet; & iditco audientes existimant, huiusmodi declinationes non ex fidei vacillatione, sed potiùs ex metu periculi profectas, & desperatione proficisci. Quæritur ergo in his, & similibus occasionibus Christi fideles, & præsertim Sacerdotes, quid ex necessitate præcepti, quidvè ex consilio facere teneantur? Decretum. Disputatio de rebus fidei laïcis est prohibita, Sacerdotes, nisi valde periti, ex consilio ab ea debent abstinere, excusando se bonis verbis, ac prætextibus, de quibus in casu.

Hi casus fuerunt etiam discussi in supremo tribunali S. Inquisitionis coram S. D. Vrbano VIII. vt infrà.

Feria 5. Die 18. Iulij 1630.

41. In Generali Congr. S. R. & vniuersalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico apud S. Mariam Maiorem coram S. D. N. Vrbano diuina prouidentia Papa VIII. ac etiam RR. DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana contra hæreticam prauitatem Inquisitoribus Generalibus à sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

Relato casu transmisso à Congreg. de propag. fide, proposito à F. Francisco Longobardo Ordinis Minimorum Missionario Tuneti in Africa vlz. An apostatæ à fide Christiana ad pœnitentiam redeuntes cogendi sint ad retractandum explicitè; & publicè coram infidelibus cum periculo vitæ, sicut negarunt fidem, an verò sufficiat coram fidelibus publicè, & explicitè abiurare apostasiam in propriis balneis (quæ sunt captiuorum carceres) & implicitè apud infideles, abstinendo ab actibus infidelitatis, & deponendo habitum? S. Congregatio censuit, apostatas à fide redeuntes ad pœnitentiam non teneri ad abiurandam apostasiam publicè coram infidelibus, sed sufficere, vt eam abiurent in balneo coram fidelibus, abstinendo ab actibus infidelitatis, ac deponendo habitum infidelium, quatenus sit protestatiuus falsæ Religionis; si verò sit æquiuocus, posse illum deferre; quòd si ex illa delatione ratione personæ aliqua oriretur suspicio, teneri aufugere quamprimùm poterit.

Feria 5. die 25. Iulij 1630.

42. In eadem Congregatione delato hoc alio casu, videlicet, Quomodo se gerere debeat confessarius erga apostatas pœnitentes in articulo mortis constitutos, cum ab illis secretò accersitur, vt secretò absoluat? Ratio difficultatis est quia in illo articulo solent ab infideli familia, vel sacerdotibus falsis induci ad actus falsæ Religionis, nec possunt abiurare sine periculo mortis. Sacra Congr. censuit, confessarium debere absoluere apostatam pœnitentem in articulo mortis constitutum, abiurata priùs verbo apostasia in foro conscientiæ. Et si per aliquod temporis spatium superuixerit, poterit abiurare in balneo corã fidelibus; quod si non poterit, relinquat chirographum suæ abiurationis, saltem signo crucis conscriptum; quòd si neque hoc possit, committat confessario, vt suam abiurationem fidelibus manifestet. Non autem teneri apostatam pœnitentem tunc in periculo vitæ constitutum, etiam suadentibus Turcis, cum periculo vitæ fidem catholicam, quam tunc, abiurata infidelitate, amplexus est, confiteri, sed eorum suasiones eludere, vel non respondendo, vel æquiuocis verbis vtendo.

Fuit Congr. DD. Consultorum in Palatio S. Rom. & vniuersalis Inquisitionis 13. *Augusti* 1630. qui circa 4. casum ita resoluerunt.

IV.

43. Casus. Qui captiui iniustè detinentur ab infidelibus, possunt à Dominis particularibus accipere sine iniustitia, vel aliqua eius specie, quantum sufficit ad congruam compensationem, etiam pro sufficientia redemptionis, ab illis, vel aliis, qui sunt partes Reipublicæ, siue Iudæi, siue Turcæ, quæ iustè auferent, facient interpretatiua licentia Principum Christianorum, qui contra illos bellum iustum prosequuntur; quibus casibus neque furtum, neque vsura est, & maximè cauendum est, ne hoc infideles de nobis credant, quòd vsuram, & furtum iustificemus per scandalum, & ignominiam fidei.

V.

44. Casus. Fuit approbatus; aliqui tamen Qualificatores dixerunt, requiri tantummodo restitutionis, accepto pretio dato, si Dominus rerum emptarum occurrerit.

De casu 6. vt in primo.

De casu. 7. placuit omnibus interponi ibi Lucri gratia, Ad euitandum graue damnum, & ad necessariam sui conseruationem.

De casu 8. iam decisum.

45. Circa 9. decretum est, licere huiusmodi gradus procurare, dummodo nunquam tali excellentia in remigando intendant vti contra Christianos; non enim licet strenuè remigare causa lucri, vel alicuius commodi temporalis in infidelium triremibus contra Christianos, sed solùm possunt remigare, & alias actiones indifferentes facere ob metum mortis, vel verberum. Alios verò hortari ad strenuè remigandum, laudare, vel contumeliis afficere, est omnino illicitum. Declinare verò ictus tormentorum ad propriam vitam saluandam, licitum est, dummodò, ex hoc damnum aliquod notabile Reipublicæ christianæ non oriatur. In omnibus autem præfatis casibus illicitis, vt supra, non solum mortaliter peccant, sed etiam in excommunicationem incidunt, cum infidelibus contra Christianos auxilium præstent.

Circa decimum rectè responsum est.

Circa vndecimum rectè responsum est.

Circa duodecimum fuit decretum, non licere huiusmodi cubicula locare illis abusuris ad scelus tam maximum causa lucri, sed solùm ad vitandum aliquod graue malum, mortis videlicet, mutilationis, vel verberum.

Circa

Circa reliquos tres articulos rectè responsum est.

46. Noto 9. quòd *in constit. 26. Leonis X. num 21.* dicebam, quòd locus sepulturæ in Ecclesia poterat vendi. Sed quæres modo, an qui emit, acquirat dominium illius? Respondeo negatiuè, quia Ecclesia, cum sit res sacra, & ideo mere spiritualis, non potest per laicum possideri, nec in totum, nec in partem, *leg. Qua de tota, ff. de rei vendic.* Quare dicendum est, laicum habere vsum quidem sepulturæ ab ipso emptæ in Ecclesia, vel cœmeterio, non tamen dominium. Ita Lambert. *de iur. patr. lib. 3. quæst. 9. art. 9.* Quod idem dic de sedibus, seu bancis, vt ait Sylu. *verb. Sepultura, quæst. 3.* Vide Barb. *de offic. Paroc. cap. 26. num. 11.*

47. Aduerte, quòd arma primi fundatoris posita in capella, seu Ecclesia, vel sepulchro, nullo modo possunt amoueri, sed semper remanere debent in memoria dicti fundatoris. Quæ quidem arma mutari non possunt à nouo hærede fundatoris, immò nec iste nouus hæres, si alienæ familiæ sit à fundatore, potest sua insignia ibi ponere, remanentibus armis antiquis primi fundatoris. Verùm quidem est, quòd si iste nouus hæres vellet capellæ benefacere, & eam meliorare, Posset ibi sua arma ponere, antiquis relictis, eum scriptura tamen in marmore fidem faciente de primo fundatore. Ita Lambert. *de iur. patron. lib. 3. q. 5. art. 4. num 8 & 9.*

48. Aduerte etiam ex Lambert. *loc. cit. n. 10. & 11.* quòd in sepulchris cadauerum non possunt sepeliri, nisi hæredes sanguinis, hæredes autem sanguinis sunt, non solùm qui nascuntur ex filiis masculis, sed etiam qui nascuntur ex filiabus fœminis, licèt non sint eiusdem familiæ. Vnde hæres etiam vniuersalis, tamen extraneus, non potest sepeliri in sepulchro fundatoris, nec arma sepulchri mutare: nam ius sepulchrorum solùm transit ad hæredes sanguinis, non autem ad hæredes extraneos, vt ipse probat Lambert. *de iur. patr. lib. 1. part. 1. quæst. 11. art. 13. num. 3.* Quòd si testator velit, quòd aliquis externæ familiæ in suum sepulchrum inferatur, non linquat sepulchrum, sed illi familiæ ius inferendi mortuos in suum sepulchrum. Lauor. *var. tom. 1. titul. 2. cap. 10. numero 32.*

49. Aduerte etiam, quòd conuentus non potest capellam, vel sepulchrum alicui concessum pro se, & suis illis auferre; quia talis capella, & sepulchrum reputantur tanquam hospitium, *cap. Ebron. 13. qu. 2.* sed de iure est, quod in fundo, in quo quis habet vsum, non potest dominus habitare, inuito vsuario, *leg. Si hæres, §. fin. & leg. seq. ff. de vsu, & habit. legat.* Ita Angel. *verb. Sepultura, num 41.* Lambert. *loc cit. lib. 3. quæst 5. art. 4. num. 13.* & addit Angel. quòd extinctis domino, & eius descendentibus per mortem, benè posset conuentus aliis sepulturam concedere; quia, mortuo vsuario, ille vsus redit ad proprietarium liberè, *leg. penult. Cod. de vsufruct.* & hoc etiam tenet Tab. *verb. Sepultura, §. 20.* Lauor. *tom. 1. var. tit. 2. cap. 11. num. 38* Rodriq. *tom. 3. Sum. cap. 130. concl. 14.* Sylu. *verb. Sepultura, quæst. 3* Sanchez *lib. 2. consil. cap. 3. dub. 14 num. 4.* qui idem ait esse omnino dicendum de capellis quæ alicui conceduntur intra Ecclesiam, nam mortuo earum emptore, & eius familia, possunt aliis concedi: quibus subscribo; nam alioquin Ecclesia magno beneficio priuaretur, quod non est permittendum, vt ait Tab. *verb. Ecclesia, § fin.* & sepulturæ non tam facilè concedi possent. Limita tamen, vt ossa priorum defunctorum maneant in eadem sepultura; nam impium videtur, corpora defunctorum exhumare, & id summum, si aliter fieri non posset, debent dicta ossa intra eandem Ecclesiam honestè collocari, quod tamen non nisi propter vrgentissimam causam est faciendum, Videatur Diana *tom. 1. tract. 1. resol 120.* Neque obstat *cap. Corpora sanctorum, de consecr. d. 1.* nam non habet locum in Ecclesiis Regularium ab Episcopis exemptis. Addunt Syluest. cum Ludouico Romano *sing 692.* & alij, quos secutus sum *in constit. 26. Leonis X. num. 22.* quòd potest Prælatus Religionis ex iusta causa in aliorum sepulchro aliquem inmittere, ipsis inuitis; modò tamen per hoc suorum mortuorum cadauera non impediantur; & quòd si laico sepultura concedatur, cum concedatur cum conditione, quod nullus alius ibi sepeliatur, non tenet conditio: quia turpis est, & pro non adiecta habenda. Tu dic, quòd hoc habet solùm verum pro casu necessitatis.

50. Aduerte etiam, quòd ad construendam sepulturam, vel capellam in Ecclesia patronatu, seu quæ fundatorem habet, non requiritur consensus fundatoris, immò, eo inuito, construi potest. Quia patrono nullum ex hoc infertur præiudicium, & Ecclesiæ beneficium affertur; vnde patronus, qui Ecclesiæ beneficium procurare tenetur, est irrationabiliter inuitus: quare eius contradictio nihil obstat. Ita Lambert. *de iur. patron. libr. primo, quæst. 3. articul. 17. numero secundo*, Lauor. *loco citato, capite nono, numero 83.*

51. Aduerte etiam, quod quando cadauera sepelienda sunt in Ecclesiis Regularium, ad ipsos spectat declarare, an per ciuitatem, an verò per rectam viam sint exportanda. Ita declarauit sacra Congregat. Reg. *22. Aprilis, anno 1588.* quæ tamen aliter videtur declarasse *3. Ianuarij anno 1594.* scilicet ad Curatum defuncti spectare, declarare omnia necessaria vsque ad ianuam Ecclesiæ Regularium. Ita refert Lauor. *loc. cit. num 116.* Hic tamen Genuæ hæc spectant ad hæredes defunctorum. Non est tamen necesse, vt cadauer priùs ad parochialem Ecclesiam deferatur, quando mortuus in Ecclesiis Regularium elegit sepulturam, sed debet recto tramite ad dictas Ecclesias deferri, solutis iuribus parochialibus, non obstante quacumque consuetudine. Ita declarauit sacra Rituum Congregat. *anno 1618. die 21. Maij.*

52. Aduerte etiam, quòd electio sepulturæ probatur per testamentum, vel aliam scripturam manu propria subscriptam, vel per duos testes, qui in qualibet causa probant, vt multis probat Barbos. *in cap. In omni, de testib.* Immò dicit dictus Barb. *num. 55.* & Lauor. *de sepult. tit. 2. cap. 11. num. 19.* quòd electio sepulturæ probatur per testes singulares. Quando autem testes sunt diuersi, quia vnus dicit, quòd defunctus elegit sepulturam in tali Ecclesia, & alter, quòd in alio loco: tunc coniecturis standum est, quibus testator verisimiliùs moueri potuerit, videlicet si vnus ex illis locis sit parochia, vel alia Ecclesia, in qua maiores sui sepulti sunt, vel si aliam Ecclesiam maiori deuotione prosecutus sit. Ita Lauor. *loc. cit. num. 20.* Si autem defunctus adultus, & discretus capellam cum sepultura sibi fabricauit cum armis, & inscriptionibus licèt intestatus decedat, tunc non est dubium, quin sepeliri debeat in sepultura ab ipso fabricata, statim enim ac sibi fabricauit, eam elegisse videtur, etiamsi alibi habeat sepulturam, in qua maiores sui sepulti sunt.

53. Aduerte etiam aliquas declarationes sacræ Congregation. Regul. quæ sic habent: *C V M inter Fratres reformatos Ordinis minoris Obseruantia S. Francisci, necnon pro tempore existentem Archipresbyterum, seu Parochum loci Fiani Nespesin. Diœcesis in sepeliendis, eiusdem Ordinis Tertiarijs diuersæ vt plurimum orirentur controuersiæ, supplicatum fuit nomine Patris Custodis eorundem Fratrum Prouincia Romana*

ob hac ſacra Congregatione Cardiualium, negotiis Regularium præpoſitorum, infra ſcriptas reſolui petitiones. Prima, An Tertiariorum ſui Ordinis cadauera in Eccleſiis pariter ſuæ Religionis ſint ſepelienda? Secunda, An in iiſdem etiam Eccleſiis ſepelienda ſint cadauera eorum, qui dicti Ordinis habitu induti ex hoc vita migrarant? Tertia, Num & illi, qui coram teſtibus dumtaxat, licèt abſque ſcriptura, in eiſdem Eccleſiis ſepulturam ſibi elegerint? Quarta, An tam ſupradictorum, quàm aliorum quorumcumque cadauera, in alterius parochia exiſtentia, & in Eccleſiis eorundem Fratrum ſepelienda, prius ad Eccleſiam parochialem ad benedictionem, ac vltimum vale à Parocho recipiendum deferri debeant; num verò ab ædibus defunctorum ad dictas Fratrum Eccleſias recto tramite ſint transportanda? Illuſtriſſimi eiuſdem ſacræ Congr. Patres, Illuſtriſſimo de Aracœli referente, partibuſque auditis, reſponderunt in hunc, qui ſequitur, modum.

Vide tom. 1. noſtrorum priuil. in conſtit. 4. Sixti 4. num. 38.

Ad 1. Tertiarios huiuſmodi, ſi qualitatibus in bulla fel. recor. Leonis Papæ X. præſcripti ſint prædicti, videlicet ſi viri collegialiter, aut clauſtraliter viuant, mulieres verò virginalem, aut cœlibem, aut caſtam vidualem ſub expreſſo voto, & Tertiariorum habitu vitam ducant, poſſe, & debere, etiam inuito, ac minimè requiſito Parocho, in ſupradictis Fratrum Eccleſiis ſepeliri; ſecus verò ſi ſupradictis qualitatibus careant, ac niſi ſubſequentis cap. diſpoſitione comprehendantur.

Vide tom. 1. priu. cit. dicta conſtit. § 5. 9.

Ad 2. Si conditiones in bulla aurea fel. recor. Sixti Papæ IV. contentas, in ipſis adimpletas eſſe conſtiterit, videlicet; quòd à Guardiano domus loci, in quo tales decedere contigerit, aut ab alio Superiore, vel ab altero, cui id Superior committendum duxerit, habitum receperint, ac prædicti Guardianus, vel alius Superior habitum huiuſmodi recipientes præmonuerit, eorum cadauera propter habitus conceſſionem, ac receptionem penes ipſos Fratres, quorum habitum geſtant, eſſe ſepelienda, eo caſu cum habitu Religionis decedentes in Eccleſiis pariter eiuſdem Religionis Eccleſiaſtica ſepultura eſſe tradendos.

Ad 3. Supradictis Eccleſiis eſſe ſepeliendos, ſine præiudicio tamen iurium parochialium.

Ad 4. Cadauera huiuſmodi ad prædictorum Fratrum Eccleſias recto tramite deferri poſſe, ab eiſdem tamen Fratribus monendum eſſe priùs, & requirendum ac expectandum proprium defunctorum Parochum, quo requiſito expreſsè venire recuſante, licere iiſdem Fratribus etiam ipſo inuito ſupradicta cadauera ad eaſdem Eccleſias transportare. Romæ 11. Decemb. 1615. Ant. Maria Card. Gallus. V. Theatin. Sec.

54. Noto 10. quòd *in conſt.* 28. *Leonis X. num.* 2. dicebam, Regulares teneri ad obſeruanda feſta, quæ Epiſcopus in ſua diœceſi præceperit obſeruari. Quare non poterunt his diebus Regulares in ſuis monaſteriis neque per ſe, neque per alios operarios ſæculares operibus ſeruilibus laborando intendere. Campan. *in diuerſ iur. rub.* 12 *cap.* 13. *num.* 91. Barboſ. *de poteſt. Epiſc. p.* 3. *alleg.* 105. *num.* 33. Fagund. *in* 4. *præcep. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 4.

55. Sed an teneantur ſeruare etiam ieiunia ab Epiſcopo præcepta, maior difficultas eſt. Suarez 4. *de leg. capite* 20. *numero* 10. Fagund. *loc. cit.* dicunt, quòd, ſecluſo ſcandalo, non tenentur, niſi conſuetudine ea receperint, quia ſunt exempti ab Ordinarij iuriſdictione, & nihil de hoc inuenitur ſtatutum, ſicut de diebus feſtis. Sanchez verò 4. *in decal. cap.* 15. *num* 21. ait, quòd ſi dicta ieiunia ſint indicta in bonum commune ex voto ciuitatis, ea obſeruare tenentur ſub mortali, etiam ſecluſo ſcandalo; nam & ipſi pars ciuitatis ſunt.

56. Aduerte, quòd *in eadem conſt.* 28. *num.* 6. dicebam, quòd Regulares vtentes calendario Romano in celebrandis diuinis officiis, poterant ſe conformare Eccleſiæ Matrici ciuitatis, aut loci, in quo habitant, nam Religioſi ſunt ciues illius ciuitatis, quam habitant, vnde poſſunt ſe moribus illius conformare. Atque ita Portel *in additione ad dubium reg. verb. Hora canon. numero* 3. Sed circa celebrationem diuinorum officiorum extat decretum vbique obſeruandum Cong. Rituum, tenoris ſequentis: *Sacra Rituum Congregatio ad tollendos abuſus, qui variis in locis irrepſerunt, re mature diſcuſſa, cenſuit, & decreuit. Primò non potuiſſe, nec poſſe locorum Ordinarios tam ſæculares, quam regulares, addere Calendariis etiam propriis ſanctorum officia, niſi ea dumtaxat, quæ Breuiarij Romani rubricis, vel ſacra Rituum Congregationis ſeu Sedis Apoſtolicæ licentia conceduntur. Inſuper vetuit, & prohibuit celebrare per totam ciuitatem, vel diœceſim, etiam de cuiuſque Ordinarij auctoritate, miſſam, vel feſtum cum officio de Sancto, eo quòd in loco adſit Eccleſia parochialis, vel regularis, aut aliqua reliquia, ſed tantùm in ipſius Sancti Eccleſia titulari, ſeu vbi aſſeruatur inſignis reliquia, & non alibi. Inſignes autem reliquias declarauit eſſe corpus, caput, brachium, crus, aut illam partem corporis, in qua paſſus eſt martir, modò ſit integra, & non parua, & legitimè ab Ordinariis approbata. Miſſas item, quæ circumferuntur, à Sacra Congreg. non approbatas, S. Gregorij pro viuis, & defunctis, 15. Auxiliorum, & de Patre æterno, & quaſcumque alias, exceptis iis, quæ ſunt permiſſa Regularibus tantùm, velut Roſarij, S. Mariæ de Carmelo, & alias, ſicut etiam officia ab eadem non approbata, prohibuit, reiecit omnino, & damnauit reſpectiuè, & pro prohibitis, reiectis, & damnatis haberi voluit. Quæ omnia decreuit, ſtatuit, & mandauit ſub pœnis contentis in bullis Pij V. initio breuiarij, & miſſalis poſitis, quòd ſcilicet non ſatisfaciant muneri recitandi diuini officij. Quò verò ad vtentes ſupradictis miſſis, ſub aliis pœnis contentis in indice librorum prohibitorum ex decreto S. Concilij Trid. edito. Et ne præmiſſorum ignorantia vllo vnquam tempore poſſit ab aliquo prætendi, neque obliuio poſſit irrepere eadem ſacra Congregatio voluit, & mandauit, decreta huiuſmodi affigi in ſacriſtiis omnium Eccleſiarum tam ſæcularium, quàm regularium, etiam patriarchalium, metropolitanarum.*

tropolitanarum cathedralium, collegiatarum, & aliarum quarumcunque in eisque perpetuo affixa asseruari. Facta demum relatione horum decretorum S. D. N. Vrbano Papa VIII. idem Sanctissimus ea laudauit, approbauit, atque ab omnibus vbique sub prædictis pœnis seruari præcepit. In quorum fidem manu, & sigillo Illustrissimi, & Reuerendissimi D. Cardinalis Deti præsens decretum signatum, & munitum fuit die 8. *Aprilis*, 1628.

Ioannes Baptista Card. Detus.
F. Fuluius Benignus Sec.

57. Aduerte etiam, quòd *in eadem const.* 28. *Leonis X. num.* 9. dicebam, Clem. VII concessisse, quòd Prædicatores, infirmi; & alij possent in aliquo casu supplere recitationem officij diuini recitando aliquos psalmos, seu Pater noster de licentia Superioris, & bullam habes apud Cherub. *tom.* 1. *bull. in const.* 37. *Clem. VII.* §. 2. *pag.* 605. quæ fuit confirmata à Paulo III. *in eius const.* 5. §. 8. apud eundem Cherub. *tom.* 1 *bull. pag. mihi* 617. vtraque bulla incipit: *Dudum.* Et hoc priuilegium non esse reuocatum dicit A S. Fausto *de horis can. lib.* 2. *quæst.* 122. Circa infirmos dicit Rodriguez *tom.* 3. *sum. cap.* 197. *num.* 1. quòd ad hoc, vt non teneantur officium diuinum recitare, sufficit, quòd eis dicat Medicus, quòd non recitent, absque alia Superioris, sicut ad non ieiunandum sufficit eadem dici licentia; nam infirmus quò ad sanitatem recuperandam Medico subiectus est, & illi obedire tenetur independenter à voluntate Prælati, cui solùm obedire tenetur quò ad ea, quæ ad regularem disciplinam spectant. Quæ doctrina valet pro Prælatis timidis, & scrupulosis, qui semper timent, etiam vbi timendum non est: nam etiam vbi dubius esset Medicus, an infirmitas esset talis, quæ ægrotum excusaret ab officio, non tenetur ægrotus recitare, ne se periculo grauis damni exponat. A S. Fausto *de hor. can. lib.* 2. *q.* 221.

58. Aduerte etiam; quòd Prælati regulares possunt iubere Fratribus clericis imperitis, qui non valent officium diuinum cum aliis in choro recitare, vt ab illo recitando abstineant, & loco illius dicant officium laïcorum. Ita concessit Clem. VII. vt refert Casarub. *in comp. verbo Moniales*, §. 3. & Portel. *in dub. regul. verb. Hora canonica, num.* 13. & constat etiam ex iis, quæ dixi *tom* 1. *Relig. q.* 1 *cap.* 14. §. 3. vbi probaui cum multis, quibus adde A S. Fausto *in thes. lib.* 6. *q.* 177. clericum choro destinatum, propter imperitiam, & alias causas, posse ad statum laïcorum transferri; Quicquid dicat Rodriguez *tom.* 3. *sum. c.* 194. *concl.* 13. Si autem choro destinatus sit in sacris, non potest quidem laïcus fieri, sed, si est imperitus, potest deobligari ab officio chori, & obligari ad officium laïcorum, iuxta priuilegium Clemen. VII. citat. quod de his loquitur.

FINIS TOMI PRIMI.





num 2. quòd est extendenda ad omnes Parochos totius vniuersi: præsertim cum in ea dicat Papa, talem se facere prohibitionem ad tollendum abusum. Si ergo in Indiis talis exactio est abusiua, non apparet, quare extra Indias non debeat esse abusiua. Et aduerte, quòd talem excommunicationem incurrunt Parochi, etiamsi talem exactionem faciant fulti statutis suorum Prælatorum; hæc enim statuta erant in Indiis. Quòd si nihilominus Parochi auctoritate, & potestate id sibi vsurpent, tenentur restituere damnum illatum, siue defunctorum hæredibus, siue Regularibus, sicut etiam idem damnum tenentur restituere in casu *num præced.* cum contra iustitiam id intulerint. Ex hoc, & similibus statutis in auaritia radicatis, putat Bonau. *in quæst. supra regulam Fratrum*. *cap*. 27. prouenire odium, quo aliqui Clericorum Regulares prosequuntur. Nam ait, hoc odium ex quinque radicibus prouenire. 1. *quòd timent nos, quòd ipsorum facta, & excessus, vel defectus plenius agnoscamus, & seuerius arguamus, quò clarius videmus quales esse deberent, & non sunt, per quos Ecclesia gubernatur*. 2. *quòd inuident nobis quòd sumus hominibus gratiores, & ipsi comparati nobis appareant in vita, vel in scientia viliores, vel etiam indoctiores in doctrina*. 3. *quòd dolent, si per confessiones secreta eorum ab aliis, qui consocij fuerint, percipimus, dum timent per illa magis vilescere, vel fortè personas illas nostro consilio ab eis auerti, & ad meliora conuerti*. 4. *quòd timent sibi aliqua per nos emolumenta subtrahi, dum eleemosynas, quæ dantur nobis, arbitrantur sibi fore dandas, si nos non essemus, & hæc videtur potior esse causa pluribus, qui nos oderunt, scilicet plus inhiant lucris pecuniarum à suis subditis, quàm fructui animarum, & cæter. Potest etiam quinta causa esse, quod diuina iustitia illos, qui quantò amplius cognouerunt, & spreuerunt, & quibus maiora beneficia contulit, & ingrati fuerunt, & grauius cæteris offenderunt, frequentius eum indignè contractant, & percipiunt, tantò magis indurat, & profundiùs cadere permittit; vnde non solùm ipsi sunt mali in se, sed etiam alios secum malos esse desiderant, & bonos oderunt, & quos imitari nolunt, optant non esse, & persequuntur eos, quos sibi dissimiles esse dolent.*

9. Noto 4. quòd in *constitution*. 14. *Leonis X. numero quinto*, dicebam, quòd Generalis tenebatur Prouincias visitare per se, vel per substitutum. Sed quæres, an postquam Pater Generalis aliquam Prouinciam visitauit, possit illo anno Prouincialis dictam Prouinciam visitare? Quod enim visitare non possit, dicunt Menoch. *de præs. libro* 2 *præsumpt*. 18. *à numer*. 16. Rota apud Farinac. *p*. 2. *decis*. 30. *à num*. 9. *& decis*. 33. *à num*. 2. Barb. *de potest. Episcopi*, *p*. 3. *decis. vltim. num*. 32. quia vbi datur specialis visitator, cessat ordinarius; generi enim per speciem derogatur. *regul*. 34. *Generi*, *de reg. iur. in* 6. Ego tamen puto, quòd adhuc visitare possit. Nam Prouincialis est iudex ordinarius, cuius iurisdictio impediri non potest sine legitima causa à Superiore Superiorem recognoscente, qualis est Generalis, & supremo Prælato non censetur sublata, nisi expressè tollatur, *leg*. 1. *C. de off. Præf. Vrb*. & Generalis non est specialis visitator pro aliquo casu particulari, sed vniuersalis. Vnde licèt verum sit, quòd Prouincialis non potest visitare super casibus definitis, & visitatis à Generali; inferior enim de rebus Superioris cognoscere non potest, *cap. Inferior*, *d*. 21. nisi post Generalis discessum aliquid substantiale de nouo emerserit; tunc enim casum relictum indecisum à Generali, ob defectum probationum, potest Prouincialis definire ordinaria auctoritate, neque etiam potest Prouincialis visitare, præsente Generali visitante, vt colligitur *ex cap*. 2. *de off. leg*. potest tamen suam ordinariam visitationem post discessum Generalis facere, & super aliis casibus secutis à tempore visitationis Generalis inquirere. Pro quibus habentur textus *in capite Per hoc, de hæret. in* 6 *& in leg*. 1. *Cod de offic. præf Vrb*. Et potest colligi ex Trid. *sess*. 24. *cap*. 3. *de reformat*. ibi, *Sed non ideo Episcopus*.

10. Si quæras quid dicendum, si postquam Pater Generalis, vel etiam Prouincialis, instituerit aliquem Vicarium, vel Visitatorem, moriatur, vel ab officio deponatur, poterit ne Visitator procedere in sua visitatione. Respondeo quòd re integra procedere non poterit. Ita DD. communiter *in cap. Relatum. & cap. Gratum*, *de potest. Iud. deleg. & in cap. Si super gratia, eod. tit. in* 6. Vide Cenedum, *collect*. 1. *ad* 6. *num*. 1. Sed magna difficultas est inter DD. quando res dicatur integra, de qua diffusè Sanchez 8. *de matr. disp*. 28. *à num*. 8. Barb *ad dictum cap Gratum*. Alij enim dicunt, rem esse integram, idest, non inceptam ante litis contestationem. Est autem contestatio litis, vt Sylu. *verb. Lis, quæst*. 2. negotij principalis hinc inde apud iudicem facta narratio, & subsecuta responsio, siue negando, siue concedendo; quod fit post partis citationem. Alij verò, quibus adhæret Sanchez *cit. num*. 10. aiunt, rem statim desinere esse integram post partis citationem; & volunt dicere, quòd delegatus nondum incepto negotio visitationis per partium auditionem, vel saltem post citationem decretam, licèt non intimatam, vt Sanchez *num*. 13. desinit esse delegatus, si, qui ipsum delegauit, moriatur; vel ab officio deponatur. Si autem negotium non habet partem, vt in casu nostro de Visitatore Generali, putat Portel. *in addit. ad dubia regul. verb. Prælati potestas*, *num*. 16. quòd res dicetur non integra, post publicationem literarum patentium in aliquo conuentu Prouinciæ sibi delegatæ, quæ publicatio æquiualet citationi, ad effectum, vt res dicatur non integra, seu vt dicatur negotium visitationis iam cœptum. Atque ita, si moriatur Generalis, vel Prouincialis, qui Visitatorem delegauit, lectis, in vno conuentu literis suæ delegationis, etiam ante inceptam visitationem, seu Fratrum examinationem, poterit in negotio visitationis prosequi æquè bene, ac si, qui eum delegauit, adhuc viueret. Quòd si delegatus, dum pergit ad visitandam Prouinciam sibi commissam, habeat certitudinem de morte delegantis antequam literas commissionis publicauerit, non poterit ampliùs dictas literas publicare, nec negotium visitationis prosequi. Dixi, si habeat certitudinem: nam si solùm rumorem audiat, qui moralem certitudinem non faciat, poterit prosequi; non enim omni rumori, fortè sparso ad finem impediendi visitationem, credendum est: & tunc intrat regula, quòd: *Melior est conditio possidentis*.

11. Quæres etiam, an supposito quod dixi *in dicta const*. 14. *Leonis X. num*. 4. posse Generalem Minimorum instituere Vicarium Generalem cum ordinaria potestate institutus post mortem Generalis in officio perseueret. Respondeo certissimum esse, quòd ordinaria iurisdictio morte concedentis, etiam re integra, non expirat, vt constat *ex leg. Et quia*, *ff. de iurisd. omn. iud*. est tex. expressus *in cap*. 2. *de offic. legat. in* 6. & probat Sanchez 8. *de matr. disp*. 28. *à num*. 4. qui tamen *num*. 6. ait, quòd hoc fallit in iurisdictione Vicarij Episcopi, quæ licèt sit ordinaria, vt ipsemet probat *lib*. 3. *de matr. disp*. 29. *num*. 3. perit tamen morte concedentis. Cuius rei rationem reddit *dicta disp*. 29. *num*. 13. Nam quando dicitur, quòd iurisdictio ordinaria principali, quæ non adhæret alteri ordinariæ tanquam accessoria; quando autem iurisdictio ordinaria cohæret alteri tanquam accessoria, tunc extincto principali, extinguitur accessorium; nam accessorium sequitur naturam principalis; & huiusmodi ait esse iurisdictionem Vicarij, quæ non facit distinctum tribunal à tribunali Episcopi, sed est vnum, & idem cum illo. In casu ergo nostro cum iurisdictio ordinaria Vicarij

cohæreat

cohæreat iurisdictioni Generali tanquam accessoria, & adiuuans ipsum Generalem, eo mortuo, expirare censetur. Si autem Generalis instituisset Vicarium alicuius conuentus cum iurisdictione ordinaria, quam solent habere alij huiusmodi Vicarij, tunc puto, quòd, eo mortuo, dicta Vicarij iurisdictio non expiraret; nam hæc iurisdictio non adhæret Generali tanquam accessoria, sed est ordinaria in suo genere principalis, & nulli alij Superiori innixa, & post deputationem iste Vicarius non à Generali, sed à Regula videtur iurisdictionem recipere; quare, Generali mortuo, non moritur.

12. Noto 5. quòd *in const. 16. Leonis X.* in qua agitur de canonizatione S. P. N. Francisci, aliqua dixi de SS. canonizatione. Sed nunc occasione cuiusdam Serui Dei, qui mortuus est *anno* 1629. miraculis clarus, de quo ferebatur, quòd cum viueret, ei dictum fuerat aliquando, quòd alter Religiosus multa miracula faciebat, ipse verò responderat. Ego maiora patraui. Quæro, an ista responsio pugnet cum humilitate, quæ seruos Dei decet. Respondeo minimè pugnare. Nam in homine duo possunt considerari secundùm doctrinam D. Thom. 2.2. *quæst.* 161. *art.* 3. *corp.* explicatam à Io. de Capistran. *in specul. conscien. p.* 1. *à num.* 294. Primum id, quod est Dei, 2. id quod est hominis. Hominis autem est quicquid pertinet ad defectum; Dei verò quicquid pertinet ad salutem, & perfectionem, iuxta illud Oseæ 13. *Perditio tua Israel ex te est, ex me tantum auxilium tuum.* Vnde quilibet homo secundùm id, quod suum est, debet se cuilibet proximo subiicere per humilitatem quantùm ad ea, quæ Dei sunt in quolibet proximo; nam humilitas respicit reuerentiam, qua homo Deo subiicitur. At non requirit humilitas, vt aliquis id, quod est Dei in se ipso, subiiciat ei, quod apparet esse Dei in altero; nam illi, qui dona Dei participant, cognoscunt se illa habere, & ideo absque præiudicio humilitatis possunt serui Dei dona, quæ ipsi acceperunt, præferre donis, quæ aliis apparent collata. Quare bene potuit ille Dei Seruus cum magna humilitate dicere, Ego maiora patraui, cognoscens maius donum Dei in se, quàm in alio, iuxta illud 1. Cor. 2. *Nos autem non spiritum huiusmodi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est, vt sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis.* Addit etiam D. Thom. quod humilitas non requirit, vt aliquis id, quod est hominis in se ipso, subiiciat ei, quod est hominis in proximo; nam alioquin oporteret, quòd quilibet reputaret se magis peccatorem quolibet alio; cum tamen Apostolus ad Galat. 2. dicat. *Nos natura Iudæi, & non ex gentibus peccatores*, & sup. *Ascendi autem secundùm reuelationem.* Quare absque præiudicio humilitatis possunt etiam serui Dei dicere, Ego meliùs natus, educatus sum, meliùs studui, quàm ille. Addit denique D. Thom. *illo art.* quod potest aliquis reputare, aliquid boni esse in proximo, quòd ipse non habet, vel aliquid mali in se esse, quod in alio non est, ex quo potest se ei subiicere per humilitatem. Vnde aliquando serui Dei absque mendacio dicunt, Ego sum peior peccator omnibus hominibus; considerant enim tunc in se quod hominis est, & aliquam imperfectionem, & in hominibus, quod Dei est, & aliquam perfectionem. Vel considerant abundantiam gratiæ, quam sibi gratiosè contulit Deus, & ea videntur sibi abuti, & considerant, quòd si dicta gratia aliis hominibus esset collata hi ea meliùs, & fructuosius vterentur, quàm ipsi; vnde se peiores omnibus agnoscunt.

13. Noto 6. quòd *const.* 23. *Leonis X. à num.* 1. notaui aliqua circa Fratrum appellationes, & quamplurima dixi *tom.* 1. *Rel. quæst.* 1. *cap.* 20. vbi specialiter probaui, posse Fratres appellare à suorum Prælatorum iniustis sententiis. Quod modò confirmo dicto D. Bern. *lib.* 13. *de consid. cap.* 2. vbi habet. *Fateor, grande, & generale mundo bonum esse appellationes, idque tam necessarium, quàm Solem ipsum mortalibus: re vera quidam Sol iustitiæ est prudens, ac redarguens opera tenebrarum.* Sed dixi, quòd istæ appellationes debebant gradatim fieri à Correctore ad Prouincialem, ab hoc ad Generalem, &c.

14. Sed quæres, an appellari possit, omissis mediis, ad Apostolicam Sedem? Respondeo affirmatiuè; *cap. Quoties Episcopi, cap. Ad Romanam, el* 1. *&* 2. 2. *quæst.* 6. *cap. Si duobus, cap. Dilecto filij, el* 3. *de appell.* Nauarr. *lib.* 2. *consil. de appell. consil.* 2. *num.* 1. *& consil.* 4. *num.* 3. Pegna *in direct. Inquis. p.* 3. *comm.* 31. *vers. Quòd si.* Sebastianus Vantius *de nullit.* §. *De nullitate defectu iurisd. num.* 77. *tom.* 4. *tract. pag.* 388. Barb. *capite Dilecti filij cit. num.* 3. Couarru. *pract. quæst. cap.* 4. *num.* 9. Bobadill. *tom.* 2. *polit. lib.* 3. *capite* 8. *num.* 219. Nec refert, quòd iudex à quo non deferat; nam hoc casu deferunt iura: *leg. Quondam iudices, Cod. de appell. leg. Ei cuius, ff. de appell. recip.* & iudex, qui non detulit, puniri debet: *cap. De priori, de appell.* Ita dictus Vantius *loc. cit.* In Religione nostra hoc fuit determinatum *in cap. Romano* 6. *num.* 14. *dub.* 7.

15. Neque his obstat decretum sacræ Congreg *anno* 1587. quod sic habet: *Quoniam nonnulli Regulares vagandi studio, siue dum imminentem admissorum criminum pœnam, ex suis constitutionibus, aut aliàs debitam sibi metuunt, falsa, & commentitia grauamina causari, non ad immediatè sui Ordinis Superiores, scilicet à grauamine Prioris ad Prouincialem, à Prouinciali ad Generalem, à Generali ad Protectorem, prout cuiusque Religionis constitutionibus disponitur, sed ad hanc Romanam Curiam absque licentia sæpius fugiunt potius, quam recurrant, ex quo Ordinum disciplina relaxatur. Prælati contemnuntur, & ipsi in dies audaciores euadunt. Placuit sacræ Regularium Congreg. ex ordine Sanctissimi statuere, vt si quis Regularium in posterum temerè, leuivè ex causa hanc almam Vrbem, seu Curiam, absque sui Superioris licentia, & supradicta forma prætermissa, adire præsumpserit, ad suos eosdem Superiores pœna plectendus remittatur.* Non obstat, inquam, hoc decretum; quia iuri communi non derogat, quod esset omnino necesse, ad dicta per Felin. *in cap. nonnulli, de rescrip. num.* 9. vbi etiam Panormit. *num.* 10. Nec est verisimile, quòd Papa voluerit S. Romanam Ecclesiam tali priuilegio priuare. Nec multo minùs obstant statuta, si quæ sint, Religionum: nam iuri communi contraria esse non possunt: *cap. Quod super his, de maior. & obed. cap. Institutionis*, 25. *quæst.* 2. Immò id etiam colligitur ex dicto decreto, vbi, *potius fugiunt, quam recurrant*, per quæ verba clarè significatur, quòd si verè grauatus recurrat ad sanctam Sedem immediatè, admittatur de stylo illius Curiæ: secus autem, si non grauatus pœnas metuens ad eam fugiat, sic euadere sperans, atque ita post dictum decretum id sentiunt Portel. *in dub. reg. verb. Appellare, num.* 3. Diana *tom.* 3. *tract.* 2. *resol.* 54. & in Ordine nostro recursus immediatus ad sanctam Sedem à nemine impediri potest, cum duabus tamen limitationibus. I. Quòd qui recurrit, & non probat, maiori pœna puniatur. II. Quòd iste recursus non sit de re leui, & minima: nam in hoc casu potest impediri. Ita statutum est *in cap. Rom.* 6. *num.* 14. *dub.* 7.

16. Aduerte autem, quod illa clausula posita in dicto decreto, *temere, leuivè ex causa*, intelligitur, quando subditus absque vlla causa, vel leui, fugam arripit

Romam

Romam versùs appellationis prætextu v. g. quia extraiudicialiter in leui pœnitentia panis, & aquæ, vel diſciplinæ, &c. pœnitentiatus fuit, ſeu quando, non expectata ſententia Romam petit timens de grauamine, niſi fortè grauamen, quod timetur, eſſet ex illis, quæ per appellationem vitari non poſſunt, vt ſi incarcerari timeat: quia ſic procedere ſoleat Prælatus, Atque ita Bernat. lib. 3. de conſid. cap. 5. *Appellandum à ſententia; ante ſententiam improbè omnino, niſi ob manifeſtum grauamen, præſumitur appellatio. Non eſt autem ſuffugium appellatio, ſed refugium.* Item leuis dicitur cauſa, quando appellatur à pœna præcisè ſecundùm Regulam inflicta; & manifeſtè conſtat de delicto, vt dixi *tom. 1. Religioſ. q. 1. cap. 50. concl. 2.*

17. Aduerte etiam, quòd verè grauatus recurrens ad ſanctam Sedem poteſt liberè ingredi Romam abſque alia facultate Superioris, & non obſtante prohibitione de non ingrediendo Romā abſque Superioris facultate: nam tunc ingreditur vigore huius decreti facti auctoritate Papæ, qui eſt ſupremus Religionum Superior. Et nulla adeſt præſumptio, quæ tamen eſt neceſſaria ad incurrendas pœnas poſitas in prohibitione, vt conſtat ea decreto, quod refero *tom. 2. priuil. regul. in conſt. 10 Vrban. VIII* § 39. & 40. Quòd nulla hic adſit præſumptio; conſtat: quia adeſt cauſa legitima, quæ temeritatem, quam dicit præſumptio, excuſat, vt dicit Lezana *in quæſt. reg cap. 10. num. 33.*

18. Aduerte etiam, quòd non faceret contra hoc decretum, qui appellaret à Prouinciali v. g. ad Protectorem, omiſſo Generali, eo quia habet illum ſuſpectum. Nam tunc Generalis non eſt legitimus Superior, & ideo ad illum non eſt recurrendum: debet tamen cauſa ſuſpicionis eſſe certa, & euidens; nam alioqui non excuſaretur.

19. Quæres etiam, an appellatio à priuatione dignitatum ſuſpendat executionem? Reſpondeo affirmatiuè. Gloſſ. *in cap. Sæpè, verb. Rata manet, in fine, de appel.* vbi Panorm. *num.* 15. & Gloſſ. *in Sum. cap. Quod autem* 8. *quæſt.* 4. Iaſon *in l.* 1. *num.* 10. *ff. de re indic.* Bart. *in leg. Furti, ff. de his, qui notantur infamia.* Bobadill. *tom.* 2. *polit. lib.* 5. *cap.* 1. *num.* 591. Nauarr. *lib.* 2. *conſil. de appell conſil.* 2. *num.* 3. Barb. *in cap. Venientes, de iur. numero* 7. Io. Anton. à S. Georgio *in cap. Ad hæc, de appell. num.* 5. Scaccia *de appell. quæſt.* 3 *num.* 72. vbi ait, quòd Prælatus depoſitus, pendente appellatione, poteſt liberè ſuum exercere officium, excommunicare, & alia iuriſdictionalia exercere, vt ante ſententiam poterat; & Doctores adducit. Qui DD. licèt de Regularibus non loquantur; cum tamen ſimpliciter dicant, appellationem executionem ſuſpendere, debent etiam de Regularibus intelligi; cum nullum ius appareat, per quod hi excludi debeant ab illo communi iuſtæ appellationis effectu, beneficio. Hoc tamen in Religione noſtra non ſeruatur, & doleo.

20. Neque his obſtat Trid. quando *ſeſſ.* 13. *cap.* 1. *de reform.* ait, quòd in cauſis correctionis, & viſitationis ante definitiuam appellari non poſſit. Non obſtat, inquam, per ea, quæ dixi *tom.* 1. *Relig. q.* 1. *cap.* 40. vbi ex profeſſo hunc locum declaraui. Neque etiam obſtat idem Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 1. *de reform.* & *ſeſſ.* 24. *cap.* 10. *ead. tit.* quatenus determinat, quòd quando agitur de morum correctione, appellatio executionem non ſuſpendit, & cauſæ omnes Regularium ad morum correctionem ſpectent; Nam pœnæ, quæ à Regularibus imponuntur ſecundùm Triuiſanum *de modo proced. crim. inter Reg. cap.* 19. ſunt in duplici differentia. Vel enim imponuntur pro moribus corrigendis extraiudiciliter, nullo formato proceſſu; vel imponuntur in iudicio, formato proceſſu; A primis non datur appellatio, quia leues pœnitentiæ ſupponuntur; ab aliis autem ſic. Atque ita declaratum extitit à S. Congr. Concil. *die* 6. *Octob. anno* 1588. & talis eſt ſtylus Romanæ Curiæ, vt mihi bene conſtat. 1. Immò, etiamſi Prælatus proceſſum non formet, ſi in corrigendo hoc pacto excedat, poteſt etiam in hoc caſu ſubditus appellare. Et ita ſeruor fuiſſe etiam declaratum à Sacra Congreg. mens enim Concilij non eſt quenquam grauare, ſed ſolùm Eccleſiaſticam diſciplinam fouere, quæ ſoadet, ne pro quacumque, re leui ad Superiorem appelletur. Itaque quando dicit Concilium, quòd appellatio executionem non impedit; intellige, quando appellatio eſt friuola, id eſt, ſine ratione legitima interpoſita, vel quando eſt de re leui, vel quando in caſu clato, & probato, ad fugiendas pœnas interponitur, vel quando quis punitur præcisè ſecundùm Regulam, quam profeſſus eſt, non autem quando eſt legitimè interpoſita, & agitur de re graui, v. g. priuatione officij, &c.

21. Noto 7. quòd in conſt. 16. Leonis X. num. 4. tractaui, an Parochi noſtri Ordinis ſint omnino ſubiecti Correctoribus. Nunc quæro, an poſſit Prælatus regularis deſignare aliquem in Parochum, qui abſque approbatione Epiſcopi confeſſiones audiat ſuorum parochianorum? Henriquez *lib.* 6. *cap.* 6. *num.* 2. *in Com. lit. E.* refert Mantium, Gallum, Bannem, Medinam, & alios Dominicanos ſenſiſſe, poſſe prælatum regularem id facere. Sed eſſe falſum, conſtat ex Trid. *ſeſſ.* 23. *cap.* 15. vbi dicitur, *Nullum, etiam Regularem, poſſe confeſſiones ſæcularium, etiam Sacerdotum, audire, niſi aut parochiale beneficium habeat, aut ab Epiſcopo approbetur.* Licèt enim poſſit Prælatus regularis Parochum deſignare, non poteſt tamen illum approbare ad confeſſiones audiendas. Vnde quando Concilium requirit ad audiendas confeſſiones parochiale beneficium, intelligi debet, quod tale beneficium ſit habitum ab eo, qui poteſtatem habet admittendi ad confeſſiones audiendas. Atque ita Fagundez *in* 5. *præc. Eccleſ. lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 40.

22. Verum quidem eſt, quòd Regularis approbatus ab Epiſcopo poſt approbationem ſui Prælati ad animarum curam monaſterio annexam, ſi deinde à dicta cura per dictum Prælatum amoueatur, poterit nihilominus confeſſiones ſæcularium audire, cum iam ſit ab Epiſcopo admiſſus. Nec indigebit Epiſcopi approbatione, ſi poſt aliquod tempus à Prælato ſuo ad eandem curam admittatur; ſemel enim examinatus, & approbatus ad curam animarum, non poteſt iterum ad eam examinari. Riccius 3. *p. praxis, reſol.* 192. *num.* 2. habetur *in cap. Accepimus, iuncta Gloſſ. verb. Reputare, de ætate, & qualit.* Quòd verò Parochus præſentatus ad Eccleſiam parochialem regularem à ſuo Prælato, poſſit ab eodem abſque Epiſcopi conſenſu à dicta cura remoueri, eſt ſine controuerſia; nam per hoc non liberatur ab obedientia Prælati. Ita Nauarr. *tom.* 2. *de reg. num.* 65. *verſ. Addo* 8. Cochier *de exempt. p.* 4. *quæſt.* 73. *num.* 5. Vide Barboſ. *in cap.* 15. Trid *ſeſſ.* 23 *de refor. num.* 21. & 32.

23. An autem dictus Parochus poſſit ſuas oues commendare alteri ſacerdoti ex ſuis confratribus quo ad ſacramentorum miniſtrationem? Reſpondeo licèt id poſſent Parochi ex longa, & approbata conſuetudine ante Concilium Trid. poſt illud tamen non poſſunt quò ad Sacramenti pœnitentiæ adminiſtrationem; requirit enim Concilium generaliter in miniſtrante tale ſacramentum omnino approbationem Epiſcopi. In adminiſtrationem autem aliorum ſacramentorum poterit dictus Parochus vices ſuas alij confratri ſuo ſacerdoti commendare. Ita Fagund. *in* 5. *præcept. Eccl. lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 43.

24. Noto 8 quòd *in conſtit.* 26. *Leonis X. num.* 5. dicebam, quòd ſummi Pontifices conceſſerunt quamplurima Regularibus priuilegia, in præmium laborum, quos paſſi ſunt, & patiuntur quotidie pro S. R. E. defenſione,

defensione, & incremento; nam istorum præcipuè sanguine madefacta pretiosa facta est in oculis omnium; & isti sunt, qui portant pondus diei, & æstus pro illius defensione, & augmento, vt Pontifices ipsi testantur. Ad quod probandum illustria solùm duo exempla ex mea Religione affero. I. est P. F. Bernardi Buil, Ordinis nostri, postea Episcopi Geruntini, Is ex Religione Benedictinorum ad Religionem nostram transuolauit, viuente B. P. N. Francisco; & primus in Indias cum Christophoro Columbo ad fidem disseminandam profectus est de mandato summi Pontificis Alexandri VI. quem Posseuinus *tom. 1. appar sacri, lit. D. verb. Dominus Buil.* vocat primum noui orbis Apostolum, Indiarum Patriarcham, & Vicarium summi Pontificis apud illas regiones; quæ multis probat Morales noster *in fundatione Prouinciæ Andalutiæ, sextu* 14. §. 7. & 8. Quare primam Indiarum Euangelicæ pietatis culturam debet Ecclesiæ nostræ Minimitanæ familiæ. Secundum est P. F. Francisci à Longobardis Ord. nostri nunc meritiss. Generalis, digni, cui tota Christiani orbis cura demandetur; habet enim in summo gradu eas omnes boni Pastoris partes, quas SS. Patres, sacri Canones, Doctores omnes in Pastore desiderant, vitæ est sanctitate insignis, doctrina admirabilis, charitate conspicuus, iustitia clarus, clementia spectabilis, atque decorus; omnibus maximè compatiens, sibi soli seuerus; corrigit blandè, punit suauiter, & ita (mirabile creditu) vt punitus communiter non irascatur, correctus non succenseat, sed cum gratiarum actione pœnitentiam, correctionemque admittat, & adimpleat. Is erexit Religionis nostræ muros pene euersos, & stare fecit portas, & seras, vt dicitur *Eccl.* 49. De quo illud syncere prædicari potest, quod de Simone Oniæ filio Sacerdote magno, qui in vita sua suffulsit domum, & in diebus suis corroborauit templum. Quasi stella matutina in medio nebulæ, & quasi luna plena in diebus suis illucet. Hic cum Romam pergeret à pyratis infidelibus captus est, Tunetumque deductus. Ibi cum res Ecclesiæ quò ad captiuos fideles haud paruo versari discrimine, fidemque catholicam conspiceret, ouium Christi miserrimam illam conditionem, ac statum cœpit deplorare, atque ingemiscere, Deumque incessanter exorare pro ouibus illis, verbo, ac exemplo enitens, vt ad meliorem frugem reducerentur. Hinc die, noctuque non destitit in balneis prædicare, ad confessiones, aliaque sacramenta frequentanda hortari, & pro populo Dei tandem hostiam se quotidie offerens acceptabilem, spiritualibus istis exercitationibus carnis afflictamenta superaddens, lucrum putabat captiuitatem suam. Hæc Romam delata S. D. Vrbanum VIII. compulere vt eum Missionarium deligeret cum potestate, de qua hic.

Facultates concessæ à S. D. N. Vrbano diuina prouidentia Papa VIII. Fratri Francisco Longobardo Ordinis Minimorum Missionario Tunetum.

25. AVdiendi confessiones quorumcumque fidelium vtriusque sexus de licentia Episcoporum, vbi sunt Episcopi, vel Vicarii.

Exercendi actus parochiales, vbi non sunt Parochi, vel Episcopi: & vbi sunt, cum eorum licentia, omissis cæremoniis in administrandis sacramentis, vbi necessitas exegerit, non tamen necessariis.

Absoluendi, vbi non sunt Episcopi, vel Vicarij; & vbi sunt, de eorum licentia, omnes vtriusque sexus ex partibus, in quibus hæreses impunè grassantur, ab hæresi, apostasia à fide, & schismate, & alios pœnitentes ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reseruatis, etiam in bulla Cœnæ Domini clarè, vel dubiè contentis, & à simonia, dummodo pœnitentes parati sint dimittere beneficia, & restituere fructus malè perceptos arbitrio Sanctissimi.

Legendi libros hæreticorum, & alios quoscumque prohibitos, ad effectum confutandi.

Celebrandi missas in altari portatili in locis decentibus, & præsentibus hæreticis, & excommunicatis etiam super altari fracto, vel læso.

Commutandi vota simplicia, etiam iurata, dummodo non sint castitatis, & Religionis solemnia.

Dispensandi super irregularitate occasione delicti occulti cum pauperibus sacerdotibus, præterquam ex homicidio voluntario, & simonia reali, in Ciuitatibus, & diœcesibus, quæ non habent Episcopos residentes, aut Vicarios Apostolicos, vel cum eorum licentia, si adsunt.

Consecrandi calices, patenas & altaria portatilia, oleo tamen ab Episcopo benedicto, & paramenta ad missæ sacrificium necessaria, nec teneantur inquirere, an altaria contineant reliquias, necne, scilicet vbi non est copia Episcopi.

Celebrandi missam quocumque loco decenti, etiam sub dio subtus terram, tribus horis ante lucem, hyeme vna hora post meridiem; bis in die, vbi necessitas postulauerit, & sit ieiunus, etiam coram hæreticis, aliisque personis excommunicatis, dummodo minister non sit hæreticus.

Hostiam consecratam seruandi in loco decenti, & sine lumine, ac aliis cæremoniis, quibus vti solet Ecclesia.

Incedendi in habitu sæculari.

Concedendi indulgentiam plenariam prima vice pœnitentibus, quorum confessiones audiat, & communione refectis.

Celebrandi bis in anno orationem quadraginta horarum in prædictis locis ex consensu Ordinariorum, vbi erunt, & concedendi plenariam indulgentiam singulis in singulis locis, qui confessi, & sacra communione refecti preces fundent pro exaltatione sanctæ Sedis Apostolicæ, infidelium conuersione, qui verò intra eiusdem orationis tempus bis, vel ter sanctam Eucharistiam susceperint, valeant per modum suffragij, animam, iuxta intentionem suam, à Purgatorij pœnis liberare.

Concedendi in singulis Dominicis, & festis decem annorum indulgentiam pœnitentibus interessentibus eorum concionibus, & pœnitentibus sacra communione refectis in festis primæ classis plenariam indulgentiam.

Concedendi pœnitentibus contritis in articulo mortis plenariam indulgentiam, saltem contritis, si communicare non potuerint.

Lucrandi easdem indulgentias, quas sæcularibus impertiuntur.

Liberandi animam à pœnis Purgatorij celebrando Missam qualibet feria secunda ad hunc effectum pro defunctis, & quando in illos dies festa duplicia incidant, altera die sequenti non impedita.

Concedendi in totum, vel ex parte has facultates quatuor Sacerdotibus idoneis sæcularibus, siue regularibus.

Item concedendi catholicis captiuis dictorum locorum iubilæum nuper à Sanctitate sua publicatum.

Feria 5. Die 31. Augusti 1628.

S. D. N. Papa prædictus concessit supradictas facultates in Congregatione S. Officij habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis supradicto Fratri Francisco Longobardo Ord. Minimorum Missionario Tunetum ad decennium proximè futurum.

Io. Garsia Car. Milinus. Io. Antonius Thomasius

masius S. R. & vniuersa lis Inquisitionis Notarius.

Vt autem totiùs ea pietatis officia perageret præfatus Pater, dubia sequentia Romam transmisit sacræ Congregationi pro opponuna supplicans explanatione.

Decreta, & decisiones Congreg. RR. DD. Theologorum super casibus ad forum conscientia pertinentibus, propositis à Reu. P. Francisco Longobardo Ord. Minimorum Missionario in Aphrica Tuneti, & ad eosdem Patres Theologos transmissis à Sacr. Congregat. Illustrissimorum Cardinalium de P. F. vt constat ex eius decreto sub die 7. Aprilis, 1629.

I.

26. CAsus. Vtrum Apostatæ à fide ad pœnitentiam redeuntes cogendi sint ad retractandum explicitè, & publicè coram infidelibus coram periculo vitæ, sicut negarunt fidem, an sufficiat coram fidelibus publicè, & explicitè abiurare apostasiam in propriis balneis (quæ sunt captiuorum carceres,) & implicitè apud infideles, abstinendo ab actibus infidelitatis, & deponendo habitum? Decretum. Congreg. censuit, apostatas à fide redeuntes ad pœnitentiam, omnino debere abiurare apostasiam coram fidelibus captiuis, quibus dederunt scandalum in propriis carceribus publicè, & explicitè, at coram infidelibus non videtur hoc necessarium, sed sufficit, vt coram ipsis abstineant ab actibus infidelitatis, deponantque habitum protestatiuum falsæ Religionis, & curent, vt successu temporis cognoscant etiam infideles, vel ab ipsis, vel ab aliis, eorum abiurationem, licèt id cum periculo vitæ.

II.

27. Casus. Et circa habitum, si non sit protestatiuus Religionis, cuiusmodi est vestis linea, & talaris, qua soli Sacerdotes infideles vtuntur, sed tantùm discretiuus nationis, quale est operimentum capitis, quod vulgo *Turbante* appellatur. Quæritur, vtrum possint eum retinere ad vitandum vitæ periculum, donec nanciscantur idoneam occasionem transfugiendi ad terras Christianorum, ibi apostasiam abiuraturi? Decretum. Congr. censuit, reuersos ad fidem tuta conscientia omnem habitum indistinctè deferre posse nationis discretiuum, dummodo non sit protestatiuus falsæ Religionis, donec nanciscantur occasionem transfugiendi ad fideles, nec perinde arcendos à susceptione Sacramentorum, si propositum habent profitendi fidem, quando iuridicè de illa interrogantur.

III.

28. Casus. Quomodò se gerere debeat confessarius erga apostatas in articulo mortis constitutos, cum ab illis secretò accersitur, vt secretò absoluat? Ratio difficultatis est, quia in illo articolo solent ab infideli familia, vel Sacerdotibus induci ad actus falsæ Religionis, nec possunt abnuere sine mortis periculo. Decretum. Confessarius secretò accersitus, secretò absoluat pœnitentes apostatas in articulo mortis constitutos, & præter apostasiam coram se abiuratam secretò, & constantem animi præparationem eam abiurandi publicè, & explicitè, nihil ampliùs exigat, si superstites fuerint; si verò decesserint, curent cognosci tam à fidelibus, quàm ab infidelibus abiurationem. Actus autem falsæ Religionis nec elicere possunt, nec ostendere, & licèt non possint malos suasores expellere, sufficit interiùs eorum suasionibus non consentire.

IV.

29. Casus. Suppono, licere Christi fidelibus captiuis, non autem liberis, qui hic sub fide regia negotiantur, auferre bona tum dominorum, tum aliorum infidelium furto, & consequenter vsuris, vel quouis alio modo ex tacita, & interpretatiua facultate Principum christianorum. Quæritur ergo 1. vtrum ratio sumatur à pœna infidelitatis, an potiùs à iure compensationis? quia nimirum tyrannicè possident hoc regnum, quod de iure ad christianos Principes pertinet, 2. vtrum eadem sit ratio de Iudæis incolis loci & concessa parte affirmante, vtrum saltem quò ad aduenas, qui habentes domicilium sub regimine Principum fidelium, huc negotiandi gratia veniunt, negans pars sit probabilior. Decretum. Congr. censuit, Christianis liberis, qui sub fide regia in Aphrica negotiantur, nullius inuiti licere bona surripere; licere verò captiuis non modò Principis Sarraceni, ex tacita voluntate Principum fidelium, sed adhuc dominorum particularium, sub quorum violenta seruitute detinentur, iure compensationis pro iniuria captiuæ libertatis, pro debita laboribus mercede, pro lucro cessante, & damno emergente in suis negotiationibus, & bonis ob absentiam à patria, Quòd si fideles captiui à stipendiis militaribus christianorum Principum per Sarracenos in seruitutem iniustam redacti sunt, Sacr. Congr. censuit, eos quorumcumque infidelium indistinctè tuta conscientia posse bona auferre sub quacumque via, atque industria, ex interpretatiua eorundem fidelium Principum voluntate. Ab hoc tamen grauamine, atque licentia S. Congr. declarauit immunes Iudæos omnes ibi incolas, siue indigenas, siuè liberos, seu captiuos.

V.

30. Casus. Vtrum Christiani liberi, qui hic negotiandi gratia commorantur, & alij captiui ementes à piratis infidelibus bona à fidelibus rapta, & in hac vrbe venum exposita, vel dono ea recipientes, vt hic ad proprios vsus vtantur, vel ad terras Christianorum lucri gratia transmitant, peccent, mortaliter, & teneantur ad restitutionem? Decretum. PP. deputati existimarunt, bona Christianorum à piratis rapta posse fideles absque noxa mortali, & onere restitutionis, emptione, donatione, venditione, aut alio quocumque legitimo titulo sibi accipere, ac in proprios vsus conuertere, non obstante quòd sint in bello iniusto capta.

VI.

31. Casus. Vtrum antedicti, præsertim mercatores liberi, non solùm peccent ratione rei malè acceptæ, sed iniustæ actionis, tanquam rapientium receptatores, & consequenter teneantur in solidum ad restitutionem non solùm mercium emptarum, sed omnium præterea damnorum Christianis illatorum? Ratio dubij est, quia, vt quidam asserunt, piratæ inter deprædandum aliqua rapiunt spe vendendi dictis captiuis, vel liberis Christianis, quæ hac spe sublata non raperent, vt infidelibus non necessaria, neque vtilia; hoc autem non semper accidit in rebus magni pretij: & ipsi mercatores liberi principaliter hic morantur, vt emant merces loci; & præterea eorum incolatus multum videtur conferre ad miserorum captiuorum redemptiones secretiùs, faciliùs ac viliùs faciendas, præter quotidianas eleemosynas, quibus non solùm subleuant necessitates captiuorum, sed etiam suppeditant ex magna parte oratoriis, & ministris diuini cultus. Decretum. A PP. deputatis concordi voto decisum est, fidelium neminem Tuneti commorantium teneri ad restitutionem bonorum raptorum per piratas Christianis, neque incurrere noxam peccati mortalis, etiamsi piratæ bona illa surripiant spe lucri ex futura venditione iisdem fidelibus facienda, aliàs non furaturi; licèt peccare possint ex complacentia super furto rerum per piratas Christianis sublatarum.

VII.

32. Casus. Vtrum fabri lignarij captiui, qui non

solùm

solùm impendunt suam operam triremibus, & aliis nauigiis DD. quibus impugnant, & deprædantur Christianos, & interdum etiam mercaturam exercent, sed præterea lucri gratia sine metu locant etiam aliis infidelibus ad eadem nauigia fabricanda, peccent, & teneantur ad restitutionem aliquam? Et quid præterea dicendum sit de discipulis, quos erudiunt eadem arte, partim sponte sua, vt habeant sibi laboris coadiutores, & subleuatores? Decretum. Fideles captiui, qui sine iussu DD. siue propria voluntate, ac lucri gratia operas suas nauant., ac locant etiam aliis infidelibus à propriis Dominis in fabricandis nauigiis onerariis, aut militaribus, vel erudiendis discipulis eadem arte, vt sui laboris coadiutores, & subleuatores habeant, ab omni culpa, dummodo ab eis nullum intendatur Christianorum damnum, vacant.

VIII.

33. Casus. Vtrum Sacerdotes hic captiui, tam alicubi, ab aliquo Ordinario, quàm nullibi, & à nullo aliàs approbati, validè absoluant sacramentaliter, & ministrent alia sacramenta omnibus Christi fidelibus, vndecumque illuc captiui abducantur, ex tacita, & interpretatiua facultate Ordinariorum, vel saltem summi Pontificis? Dubitationis ratio est, quia post translatum dominium vrbis ad infideles sic seruatum est, & nemo meminit vnquam, vel aliter seruatum, vel in dubium reuocatum esse. Decretum PP. deputati vnanimes dixerunt, Sacramentorum administrationem Tuneti olim exercitam à Sacerdotibus, de quibus in casu, esse sustinendam, sed in posterum esse prouidendum per summum Pontificem.

IX.

34. Casus. Supposita tanquam probabiliori recentiorum DD. sententia, quòd nimirum Christiani captiui in triremibus fidelium metu mortis, aut verberum remigantes, nec excommunicationis, vel lethalis culpæ alicuius rei censeantur, Quæritur, quid dicendum de illis, qui non sistentes inter limites remigij necessarij, aut sufficientis, ad euitanda verbera, & mortem, student præterea excellere in illa arte, ac ad gradus quosdam, qui de Vogauuanti, & Spalliere appellantur, aspirant, & sic DD. gratiam conciliantes, & emolumenta quædam comparantes, vt commodiùs in captiuitate, & honoratiùs vitam transigant? Quid præterea dicendum de illis, qui ad dicta officia iam promoti, cum fidelium nauigia insequuntur, vel fugiunt, concaptiuos remigantes ad validiorem remigationem laudando, reprehendendo, contumeliis afficiendo, vel alios exciando impellunt, tum vt officio suo satisfaciant; tum vt longioris cursus laborem subterfugiant? Quid item de illis dicendum, qui eadem de causa infidelibus ipsis triremium præpositis consilium aliquod præbent, quo fugientia nauigia comprehendant, vel tormentorum bellicorum ictus à Christianis immissos declinantes, commune cum ipsis infidelibus vulnerum, vel demersionis periculum vitent? Decretum. PP. deputati responderunt, actiones omnes indifferentes, de quibus in casu consultatio quæritur, esse licitas sed laudare, exhortari, consilium præbere, vt nauigia comprehendant Christianorum, & similes alias actiones, peccata esse lethalia.

X.

35. Casus. Quid dicendum sit de matrimoniis hic celebratis quò ad validitatem; Ratio dubij inde sumitur, quia desunt Parochi legitimi, & ex prætensa Ordinarij facultate celebrantur, seu interpretatiua, coram quouis Sacerdote captiuo. Decretum Præpositum casum PP. deputati dixerunt esse decisum in decreto habito supra, casu 8. ad quod se omnino retulerunt.

XI.

36. Casus. Supposito defectu propriorum Parochorum, quæritur, vtrum regulares Sacerdotes possint ministrare sacramenta baptismi, & matrimonij in hoc loco, præsentibus sacerdotibus sæcularibus? Decretum, Dixerunt PP. deputati, sacramenta baptismi & matrimonij olim administrata à Regularibus coram Sacerdotibus secularibus esse sustinenda absque noxa aliqua Regularium, pro futuris temporibus recurrendum esse ad oraculum summi Pontificis.

XII.

37. Casus. Vtrum peccent mortaliter caupones Christiani, qui requisiti ab infidelibus ad suas caupomas confluentibus, offerunt illis cubicula aliqua secretiora ad comedendum, quamvis sciant, sæpissimè requiri ad commodiorem vsum sodomiæ? Ipsi autem caupones asserunt non posse se illis negare hoc sine lucri iactura, & interdum etiam sine periculo verberum, & vexationis, licèt rariùs hoc secundum accidat. Decretum. Possunt caupones cubicula secretiora infidelibus locare, etiamsi probabiliter credant, illa requiri ad vsum sodomiæ, dummodo eo animo non locent.

XIII.

38. Casus. Caupones huius loci solent adhibere in ministerium suæ cauponæ vnum, aut duos concaptiuos, & eius rei causa soluunt Dominis infidelibus ad triginta argenteos, seu scuta pro singulis, & interdum minus, pro qualitate ministri, in annos singulos, idque vt non mittantur ad remigandum in præsidiis. Hoc autem dicti ministri ferè accipiunt loco beneficij, quamvis nihil ipsi percipiant, nisi solum cibum, & potum. Aliqui autem perspicaciores, & libertatis cupidiores, præsertim cum vident suarum operarum conductores minimi facere libertatem, & propterea lucrum cauponæ prodigere, solent inter vendendum fraudare infideles, miscendo vinum aqua, vel augendo numerum mensuratum in receptione pretij. Id quod partim factitatur tanquam licitum etiam ab ipsis præcipuis Dominis cauponæ, fraudeque pecuniæ partem seruant pro parte pretij suæ libertatis, existimantes, id sibi licere, tanquam propriæ industriæ lucrum Ergo quid iuris? Decretum. Non licet fidelibus captiuis in ministerium cauponæ ascitis ab infidelibus aliquid suffurari, licitum tamen est à præcipuis Dominis cauponæ tantundem surripere, quantùm arbitrio boni viri sufficit æquare mercedem debitam laboribus suis.

XIV.

39. Casus. Omnes ferè infideles Domini huius loci ad sua negotia peragenda vtuntur ministerio captiuorum, & propterea solent singulis carceribus, qui balnea hic appellantur, binos, vel ternos ex ipsis captiuis perspicaciores reliquis omnibus præficere, quibus quidem onus incombit accusandi apud Dominos inobedientes, & ad opera negligentis, distribuendi cibos, & vestes, ac etiam laborem ex opere, qua in distributione est difficillimum seruare æquitatem, nam vt plurimum inter æquales inæquales vestes, (sic enim à dominis accipiunt) & labores partiri oportet; interdum ex æqualitate seruanda virio potentiorum malum illis imminet; solent non raro amor, & odium lancem reddere inæqualem, sæpe oblata munera aliquos laboribus eximunt, & melioribus cibis, ac vestibus donant. Quæritur ergo de illorum statu, quidnam censendum sit, eorum præsertim qui ne gratiam, & officium omittant, inobedientes, ac pigros accusando, flagris obiiciunt? Decretum. Responderunt PP. deputati, omnino seruandam esse iustitiam distributiuam, & ex eius violatione, quæ culpa sequatur, lethalis, an venialis, dignoscendum esse ex grauitate, aut leuitate materiæ. Item esse licitam accusationem contra negligentes non pro lege aliqua obedientiæ, quæ veris

Dominis debeatur, sed pro euitando præiudicio diligentum concaptiuorum exinde emergente, ac pro redimenda vexatione, aut propria, aut aliena.

XV.

40. Casus. Infideles huius loci, præsertim infimæ conditionis, solent fidelibus S. nostræ fidei mysteria exprobrare, vel de illorum difficultatibus rationem exponere; interdum ad disputationem prouocat; aliquando eos errare, & in malo statu eos versari asserunt sæpe coram eis horribiles blasphemias irrogant in Christum, & Sanctos eius, quorum singulis vt respondeant, ac disputatione viam aperiant, velint, nolint, in eas angustias aliquando incidunt, vt necesse sit, vel cum aliquo fidei detrimento aut resilire, vel apertis verbis damnabilem eorum sententiam damnare cum euidenti periculo capitis, præsertim si sint liberi. Si verò taceant ab initio, vel respondeant cautè, & circumspectè, videntur posse euadere periculum sine aliquo fidei detrimento. Si, verbi gratia, dicant. Si nobis impunè liceret apud vos de fide disputare, aut vos ex desiderio discendi veritatem hæc percunctamini, & non potiùs ex odio, vt nos capiatis in sermone, ac capitis periculo subiiciatis, vel ex curiositate, vel loquacitate (sicut re vera bis ex causis prædicta faciunt) libenter respondebimus: nunc autem pergite quò pergitis, extremi iudicij dies aperiet nobis sensum: vel sciscitantur aliis loquendi formulis: pœnam enim in damnantes eorum sectam indispensabiliter constituta neminem hic latet; & idcirco audientes existimant, huiusmodi declinationes non ex fidei vacillatione, sed potiùs ex metu periculi profectas, & desperatione proficisci. Quæritur ergo in his, & similibus occasionibus Christi fideles, & præsertim Sacerdotes, quid ex necessitate præcepti, quidvè ex consilio facere teneantur? Decretum. Disputatio de rebus fidei laïcis est prohibita, Sacerdotes, nisi valde periti, ex consilio ab ea debent abstinere, excusando se bonis verbis, ac prætextibus, de quibus in casu.

Hi casus fuerunt etiam discussi in supremo tribunali S. Inquisitionis coram S. D. Vrbano VIII. vt infrà.

Feria 5. Die 18. Iulij 1630.

41. In Generali Congr. S. R. & vniuersalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico apud S. Mariam Maiorem coram S. D. N. Vrbano diuina prouidentia Papa VIII. ac etiam RR. DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana contra hæreticam prauitatem Inquisitoribus Generalibus à sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

Relato casu transmisso à Congreg. de propag. fide, proposito à F. Francisco Longobardo Ordinis Minimorum Missionario Tuneti in Africa vlz. An apostatæ à fide Christiana ad pœnitentiam redeuntes cogendi sint ad retractandum explicitè, & publicè coram infidelibus cum periculo vitæ, sicut negarunt fidem, an verò sufficiat coram fidelibus publicè, & explicitè abiurare apostasiam in propriis balneis (quæ sunt captiuorum carceres) & implicitè apud infideles, abstinendo ab actibus infidelitatis, & deponendo habitum? S. Congregatio censuit, apostatas à fide redeuntes ad pœnitentiam non teneri ad abiurandam apostasiam publicè coram infidelibus, sed sufficere, vt eam abiurent in balneo coram fidelibus, abstinendo ab actibus infidelitatis, ac deponendo habitum infidelium, quatenos sit protestatiuus falsæ Religionis; si verò sit æquiuocus, posse illum deferre; quòd si ex illa delatione ratione personæ aliqua orirerur suspicio, teneri aufugere quamprimùm poterit.

Feria 5. die 25. Iulij 1630.

42. In eadem Congregatione delato hoc alio casu, videlicet, Quomodo se gerere debeat confessarius erga apostatas pœnitentes in articulo mortis constitutos, cum ab illis secretò accersitur, vt secretò absoluat? Ratio difficultatis est quia in illo articulo solent ab infideli familia, vel sacerdotibus falsis induci ad actus falsæ Religionis, nec possunt abiurare sine periculo mortis. Sacra Congr. censuit, confessarium debere absoluere apostatam pœnitentem in articulo mortis constitutum, abiurata priùs verbo apostasia in foro conscientiæ. Et si per aliquod temporis spatium superuixerit, poterit abiurare in balneo corã fidelibus; quod si non poterit, relinquat chirographum suæ abiurationis, saltem signo crucis conscriptum; quòd si neque hoc possit, committat confessario, vt suam abiurationem fidelibus manifestet. Non autem teneri apostatam pœnitentem tunc in periculo vitæ constitutum, etiam suadentibus Turcis, cum periculo vitæ fidem catholicam, quam tunc, abiurata infidelitate, amplexus est, confiteri, sed eorum suasiones eludere, vel non respondendo, vel æquiuocis verbis vtendo.

Fuit Congr. DD. Consultorum in Palatio S. Rom. & vniuersalis Inquisitionis 13. *Augusti* 1630. qui circa 4. casum ita resoluerunt.

IV.

43. Casus. Qui captiui iniustè detinentur ab infidelibus, possunt à Dominis particularibus accipere sine iniustitia, vel aliqua eius specie, quantum sufficit ad congruam compensationem, etiam pro sufficientia redemptionia, ab illis, vel aliis, qui sunt partes Reipublicæ, siue Iudæi, siue Turcæ, quæ iustè auferent, facient interpretatiua licentia Principum Christianorum, qui contra illos bellum iustum prosequuntur; quibus casibus neque furtum, neque vsura est, & maximè cauendum est, ne hoc infideles de nobis credant, quòd vsuram, & furtum iustificemus per scandalum, & ignominiam fidei.

V.

44. Casus. Fuit approbatus; aliqui tamen Qualificatores dixerunt, requiri animum restitutionis, accepto pretio dato, si Dominus rerum emptarum occurrerit.

De casu 6. vt in primo.

De casu. 7. placuit omnibus interponi ibi Lucri gratia, Ad euitandum graue damnum, & ad necessariam sui conseruationem.

De casu 8. iam decisum.

45. Circa 9. decretum est, licere huiusmodi gradus procurare, dummodo nunquam tali excellentia in remigando intendant vti contra Christianos; non enim licet strenuè remigare causa lucri, vel alicuius commodi temporalis in infidelium triremibus contra Christianos, sed solùm possunt remigare, & alias actiones indifferentes facere ob metum mortis, vel verberum. Alios verò hortari ad strenuè remigandum, laudare, vel contumeliis afficere, est omnino illicitum. Declinare verò ictus tormentorum ad propriam vitam saluandam, licitum est, dummodò ex hoc damnum aliquod notabile Reipublicæ christianæ non oriatur. In omnibus autem præfatis casibus illicitis, vt supra, non solum mortaliter peccant, sed etiam in excommunicationem incidunt, cum infidelibus contra Christianos auxilium præstent.

Circa decimum rectè responsum est.

Circa vndecimum rectè responsum est.

Circa duodecimum fuit decretum, non licere huiusmodi cubicula locare illis abusuris ad scelus tam maximum causa lucri, sed solòm ad vitandum aliquod graue malum, mortis videlicet, mutilationis, vel verberum.

Circa

Circa reliquos tres articulos rectè responsum est.

46. Noto 9. quòd *in constit.* 26. *Leonis X. num.* 21. dicebam, quòd locus sepulturæ in Ecclesia poterat vendi. Sed quæres modo, an qui emit, acquirat dominium illius? Respondeo negatiuè, quia Ecclesia, cum sit res sacra, & ideo merè spiritualis, non potest per laicum possideri, nec in totum, nec in partem, *leg. Qua de tota, ff. de rei vendic.* Quare dicendum est, laicum habere vsum quidem sepulturæ ab ipso emptæ in Ecclesia, vel cœmeterio, non tamen dominium. Ita Lambert. *de iur. patr. lib. 3. quæst. 9. art. 9.* Quod idem dic de sedibus, seu bancis, vt ait Sylu. *verb. Sepultura, quæst. 3.* Vide Barb. *de offic. Paroc. cap. 26. num. 11.*

47. Aduerte, quòd arma primi fundatoris posita in capella, seu Ecclesia, vel sepulchro, nullo modo possunt amoueri, sed semper remanere debent in memoria dicti fundatoris. Quæ quidem arma mutari non possunt à nouo hærede fundatoris, immò nec iste nouus hæres, si alienæ familiæ sit à fundatore, potest sua insignia ibi ponere, remanentibus armis antiquis primi fundatoris. Verùm quidem est, quòd si iste nouus hæres vellet capellæ benefacere, & eam meliorare, Posset ibi sua arma ponere, antiquis relictis, cum scriptura tamen in marmore fidem faciente de primo fundatore. Ita Lambert. *de iur. patron. lib. 3. q. 5. art. 4. num* 8 *&* 9.

48. Aduerte etiam ex Lambert. *loc. cit. n.* 10. *&* 11. quòd in sepulchris cadauerum non possunt sepeliri, nisi hæredes sanguinis, hæredes autem sanguinis sunt, non solum qui nascuntur ex filiis masculis, sed etiam qui nascuntur ex filiabus fœminis, licèt non sint eiusdem familiæ. Vnde hæres etiam vniuersalis, tamen extraneus, non potest sepeliri in sepulchro fundatoris, nec arma sepulchri mutare: nam ius sepulchrorum solùm transit ad hæredes sanguinis, non autem ad hæredes extraneos, vt ipse probat Lambert. *de iur. patr. lib. 1. part. 1. quæst.* 11. *art.* 13. *num.* 3. Quòd si testator velit, quòd aliquis externæ familiæ in suum sepulchrum inferatur, non linquat sepulchrum, sed illi familiæ ius inferendi mortuos in suum sepulchrum. Lauor. *var. tom. 1. titul. 2. cap.* 10. *numero* 32.

49. Aduerte etiam, quòd conuentus non potest capellam, vel sepulchrum alicui concessum pro se, & suis filiis auferre; quia talis capella, & sepulchrum reputantur tanquam hospitium, *cap. Ebron.* 13. *qu.* 2. sed de iure est, quod in fundo, in quo quis habet vsum, non potest dominus habitare, inuito vsuario, *leg. Si hæres, §. fin. & leg. seq. ff. de vsu, & habit. legat.* Ita Angel. *verb. Sepultura, num* 41. Lambert. *loc cit. lib. 3. quæst. 5. art. 4. num.* 13. & addit Angel. quòd extinctis domino, & eius descendentibus per mortem, bene posset conuentus aliis sepulturam concedere, quia, mortuo vsuario, ille vsus redit ad proprietarium liberè, *leg. penult. Cod de vsufruct.* & hoc etiam tenet Tab. *verb Sepultura*, §. 20. Lauor. *tom. 1. var. tit. 2. cap.* 11. *num.* 38 Rodriq. *tom. 3. Sum. cap.* 130. *concl.* 14. Sylu. *verb. Sepultura, quæst.* 3 Sanchez *lib. 2. consil. cap. 3. dub.* 14 *num.* 4. qui idem ait esse omnino dicendum de capellis quæ alicui conceduntur intra Ecclesiam, nam mortuo earum emptore, & eius familia, possunt aliis concedi: quibus subscribo; nam alioquin Ecclesia magno beneficio priuaretur, quod non est permittendum, vt ait Tab. *verb. Ecclesia, § fin.* & sepulturæ non tam flocci concedi possent. Limita tamen, vt ossa priorum defunctorum maneant in eadem sepultura, nam impium videtur, corpora defunctorum exhumare, & ad summum, si aliter fieri non possit, debent dicta ossa intra eandem Ecclesiam honestè collocari, quod tamen non nisi propter vrgentissimam causam est faciendum. Videatur Diana *tom. 2. tract. 2. resol* 120. Neque obstat *cap. Corpora sanctorum, de consecr. d.* 1. nam non habet locum in Ecclesiis Regularium ab Episcopis exemptis Addunt Syluecum Ludouico Romano *sing* 692. & alij, quos secutus sum *in constit.* 26. *Leonis X. num.* 22. quòd potest Prælatus Religionis ex iusta causa in aliorum sepulchro aliquem immittere, ipsis inuitis; modò tamen per hoc suorum mortuorum cadauera non impediantur; & quòd si laico sepultura concedatur, cum concedatur cum conditione, quod nullus alius ibi sepeliatur, non tenet conditio: quia turpis est, & pro non adiecta habenda. Tu dic, quòd hoc habet solum verum pro casu necessitatis.

50. Aduerte etiam, quòd ad construendam sepulturam, vel capellam in Ecclesia patronatu, seu quæ fundatorem habet, non requiritur consensus fundatoris, immò, eo inuito, construi potest, Quia patrono nullum ex hoc infertur præiudicium, & Ecclesiæ beneficium affertur; vnde patronus, qui Ecclesiæ beneficium procurare tenetur, est irrationabiliter inuitus: quare eius contradictio nihil obstat. Ita Lambert. *de iur. patron. libr. primo, quæst. 3. articul.* 17. *numero secundo*, Lauor. *loco citato, capite nono, numero* 83.

51. Aduerte etiam, quod quando cadauera sepelienda sunt in Ecclesiis Regularium, ad ipsos spectat declarare, an per ciuitatem, an verò per rectam viam sint exportanda. Ita declarauit sacra Congregat. Reg. 22. *Aprilis, anno* 1588. quæ tamen aliter videtur declarasse 3. *Ianuarij anno* 1594. scilicet ad Curatum defuncti spectare, declarare omnia necessaria vsque ad ianuam Ecclesiæ Regularium. Ita refert Lauor. *loc. cit. num* 116. Hic tamen Genuæ hæc spectant ad hæredes defunctorum. Non est tamen necesse, vt cadauer priùs ad parochialem Ecclesiam deferatur, quando mortuus in Ecclesiis Regularium elegit sepulturam, sed debet recto tramite ad dictas Ecclesias deferri, solutis iuribus parochialibus, non obstante quacunque consuetudine. Ita declarauit sacra Rituum Congregat. *anno* 1618. *die* 21. *Maij.*

52. Aduerte etiam, quòd electio sepulturæ probatur per testamentum, vel aliam scripturam manu propria subscriptam, vel per duos testes, qui in qualibet causa probant, vt multis probat Barbos. *in cap. In omni, de testib.* Inmò dicit dictus Barb. *num.* 55. & Lauor. *de sepult. tit. 2. cap.* 51. *num.* 19. quòd electio sepulturæ probatur per testes singulares. Quando autem testes sunt diuersi, quia vnus dicit, quòd defunctus elegit sepulturam in tali Ecclesia, & alter, quòd in alio loco: tunc coniecturis standum est, quibus testator verisimiliùs moueri potuerit, videlicet si vnus ex illis locis sit parochia, vel alia Ecclesia, in qua maiores sui sepulti sunt, vel si aliam Ecclesiam maiori deuotione prosecutus sit. Ita Lauor. *loc. cit. num.* 20. Si autem defunctus adultus, & discretus capellam cum sepultura sibi fabricauit cum armis, & inscriptionibus licèt intestatus decedat, tunc non est dubium, quin sepeliri debeat in sepultura ab ipso fabricata, statim enim ac sibi fabricauit, eam elegisse videtur, etiamsi alibi habeat sepulturam, in qua maiores sui sepulti sunt.

53. Aduerte etiam aliquas declarationes sacræ Congregation. Regul. quæ sic habent: *CVM inter Fratres reformatos Ordinis minoris Obseruantiæ S. Francisci, necnon pro tempore existentem Archipresbyterum, seu Parochum loci Frani Nespesin. Diœcesis in sepeliendis, eiusdem Ordinis Tertiariis diuersæ vt plurimum orirentur controuersiæ, supplicatum fuit nomine Patris Custodis eorundem Fratrum Prouinciæ Romanæ* ab

ab hac sacra Congregatione Cardinalium, negotiis Regularium præpositorum, infra scriptas resolui petitiones: Prima, An Tertiariorum sui Ordinis cadauera in Ecclesiis pariter suæ Religionis sint sepelienda? Secunda, An in iisdem etiam Ecclesiis sepelienda sint cadauera eorum, qui dicti Ordinis habitu induti ex hac vita migrarunt? Tertia, Nam & illi, qui coram testibus dumtaxat, licèt absque scriptura, in eisdem Ecclesiis sepulturam sibi elegerint? Quarta, An tam supradictorum, quàm aliorum quorumcumque cadauera, in alterius parochia existentia, & in Ecclesiis eorundem Fratrum sepelienda, prius ad Ecclesiam parochialem ad benedictionem, ac vltimum vale à Parocho recipiendum deferri debeant; num verò ab adibus defunctorum ad dictas Fratrum Ecclesias recto tramite sint transportanda? Illustrissimi eiusdem sacræ Congr. Patres, Illustrissimo de Aracœli referente, partibusque auditis, responderunt in hunc, qui sequitur, modum.

Vide tom. 1. nostrorum priuil. in const. 4. Sixti 4. num. 35.

Ad 1. Tertiarios huiusmodi, si qualitatibus in bulla fel. recor. Leonis Papæ X. præscriptis sint prædicti, videlicet si viri collegialiter, aut claustraliter viuant, mulieres verò virginalem, aut cœlibem, aut castam vidualem sub expresso voto, & Tertiariorum habitu vitam ducant, posse, & debere, etiam inuito, ac minimè requisito Parocho, in supradictis Fratrum Ecclesiis sepeliri; secus verò si supradictis qualitatibus careant, ac nisi subsequentis cap. dispositione comprehendantur.

Vide tom. 1. priu. cit. dicta constit. 4 § 9.

Ad 2. Si conditiones in bulla aurea fel. recor. Sixti Papæ IV. contentas, in ipsis adimpletas esse constiterit, videlicet, quòd à Guardiano domus loci, in quo tales decedere contigerit, aut ab alio Superiore, vel ab altero, cui id Superior committendum duxerit, habitum receperint, ac prædicti Guardianus, vel alius Superior habitum huiusmodi recipientes præmonuerit, eorum cadauera propter habitus concessionem, ac receptionem penes ipsos Fratres, quorum habitum gestant, esse sepelienda, eo casu cum habitu Religionis decedentes in Ecclesiis pariter eiusdem Religionis Ecclesiastica sepultura esse tradendos.

Ad 3. Supradictis Ecclesiis esse sepeliendos, sine præiudicio tamen iurium parochialium.

Ad 4. Cadauera huiusmodi ad prædictorum Fratrum Ecclesias recto tramite deferri posse, ab eisdem tamen Fratribus monendum esse priùs, & requirendum ac expectandum proprium defunctorum Parochum, quo requisito expressè venire recusante, licere iisdem Fratribus etiam ipso inuito supradicta cadauera ad easdem Ecclesias transportare. Romæ 11. Decemb. 1615. Ant. Maria Card. Gallus. V. Theatin. See.

54. Noto 10. quòd *in const.* 28. *Leonis X. num.* 2. dicebam, Regulares teneri ad obseruanda festa, quæ Episcopus in sua diœcesi præceperit obseruari. Quare non poterunt his diebus Regulares in suis monasteriis neque per se, neque per alios operarios sæculares operibus seruilibus laborando intendere. Campan. *in diuers. iur. rub.* 12 *cap.* 13. *num.* 91. Barbos. *de potest. Episc. p.* 3. *alleg.* 105. *num.* 33. Fagund. *in* 4. *præcep. Eccles. lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 4.

55. Sed an teneantur seruare etiam ieiunia ab Episcopo præcepta, maior difficultas est. Suarez 4 *de leg. capite* 20. *numero* 10. Fagund. *loc. cit.* dicunt, quòd, secluso scandalo, non tenentur, nisi consuetudine ea receperint, quia sunt exempti ab Ordinarij iurisdictione, & nihil de hoc inuenitur statutum, sicut de diebus festis. Sanchez verò 4. *in decal. cap.* 15. *num* 21. ait, quòd si dicta ieiunia sunt indicta in bonum commune ex voto ciuitatis, ea obseruare tenentur sub mortali, etiam secluso scandalo; nam & ipsi pars ciuitatis sunt.

56. Aduerte, quòd *in eadem const.* 28. *num.* 6. dicebam, quòd Regulares vtentes calendario Romano in celebrandis diuinis officiis, poterant se conformare Ecclesiæ Matrici ciuitatis, aut loci, in quo habitant, nam Religiosi sunt ciues illius ciuitatis, qua habitant, vnde possunt se moribus illius conformare. Atque ita Portel *in additione ad dubium reg. verb. Hora canon. numero* 3. Sed circa celebrationem diuinorum officiorum extat decretum vbique obseruandum Cong. Rituum, tenoris sequentis: *Sacra Rituum Congregatio ad tollendos abusus, qui variis in locis irrepserunt, re maturè discussa, censuit, & decreuit. Primò non potuisse, nec posse locorum Ordinarios tam sæculares, quam regulares, addere Calendariis etiam propriis sanctorum officia, nisi ea dumtaxat, quæ Breuiarij Romani rubricis, vel sacræ Rituum Congregationis seu Sedis Apostolicæ licentia conceduntur. Insuper vetuit, & prohibuit celebrari per totam ciuitatem, vel diœcesim, etiam de cuiusque Ordinarij auctoritate, missam, vel festum cum officio de Sancto, eo quòd in loco adsit Ecclesia parochialis, vel regularis, aut aliqua reliquia, sed tantùm in ipsius Sancti Ecclesia titulari, seu vbi asseruatur insignis reliquia, & non alibi. Insignes autem reliquias declarauit esse corpus, caput, brachium, crus, aut illam partem corporis, in qua passus est martir, modò sit integra, & non parua, & legitimè ab Ordinariis approbata. Missas item, quæ circumferantur, à Sacra Congreg. non approbatas, S. Gregorij pro viuis, & defunctis, 15. Auxiliorum, & de Patre æterno, & quascumque alias, exceptis iis, quæ sunt permissæ Regularibus tantùm, velut Rosarij, S. Mariæ de Carmelo, & alias, sicut etiam officia ab eadem non approbata, prohibuit, reiecit omnino, & damnauit respectiuè, & pro prohibitis, reiectis, & damnatis haberi voluit: Quæ omnia decreuit, statuit, & mandauit sub pœnis contentis in bullis Pij V. initio breuiarij, & missalis positis, quòd scilicet non satisfaciant muneri recitandi diuini officij. Quò verò ad vtentes supradictis missis, sub aliis pœnis contentis in Indice librorum prohibitorum ex decreto S. Concilij Trid. edito. Et ne præmissorum ignorantia vllo vnquam tempore possit ab aliquo prætendi, neque obliuio possit irrepere eadem sacra Congregatio voluit, & mandauit, decreta huiusmodi affigi in sacristiis omnium Ecclesiarum tam sæcularium, quàm regularium, etiam patriarchalium, me-*

tropolitanarum,

tropolitanarum cathedralium, collegiatarum, & aliarum quarumcunque in eisque perpetuo affixa asseruari. Facta demum relatione horum decretorum S. D. N. Vrbano Papa VIII. idem Sanctissimus ea laudauit, approbauit, atque ab omnibus vbique sub prædictis pœnis seruari præcepit. In quorum fidem manu, & sigillo Illustrissimi, & Reuerendissimi D. Cardinalis Deti præsens decretum signatum, & munitum fuit die 8. Aprilis, 1628.

Ioannes Baptista Card. Detus.

F. Fuluius Benignus Sec.

57. Aduerte etiam, quòd *in eadem const.* 28. *Leonis X. num.* 9. dicebam, Clem. VII concessisse, quòd Prædicatores, infirmi; & alij possent in aliquo casu supplere recitationem officij diuini recitando aliquos psalmos, seu Pater noster de licentia Superioris, & bullam habes apud Cherub. *tom.* 1. *bull. in const.* 37. *Clem. VII.* §. 2. *pag.* 605. quæ fuit confirmata à Paulo III. *in eius const.* 5. §. 8. apud eundem Cherub. *tom.* 1 *bull. pag. mihi* 617. vtraque bulla incipit: *Dudum.* Et hoc priuilegium non esse reuocatum dicit A S. Fausto *de horis can. lib.* 2 *quæst.* 122. Circa infirmos dicit Rodriguez *tom.* 3. *sum. cap.* 197. *num.* 1. quòd ad hoc, vt non teneantur officium diuinum recitare, sufficit, quòd eis dicat Medicus, quòd non recitent, absque alia licentia Superioris, sicut ad non ieiunandum sufficit eadem Medici licentia; nam infirmus quò ad sanitatem recuperandam Medico subiectus est, & illi obedire tenetur independenter à voluntate Prælati, cui solùm obedire tenetur quò ad ea, quæ ad regularem disciplinam spectant. Quæ doctrina valet pro Prælatis timidis, & scrupulosis, qui semper timent, etiam vbi timendum non est: nam etiam vbi dubius esset Medicus, an infirmitas esset talis, quæ ægrotum excusaret ab officio, non tenetur ægrotus recitare, ne se periculo grauis damni exponat. A S. Fausto *de hor. can. lib.* 2. *q.* 221.

58. Aduerte etiam; quòd Prælati regulares possunt iubere Fratribus clericis imperitis, qui non valent officium diuinum cum aliis in choro recitare, vt ab illo recitando abstineant, & loco illius dicant officium laïcorum. Ita concessit, Clem. VII. vt refert Casarub. *in comp. verbo Moniales*, §. 3. & Portel. *in dub. regul. verb. Hora canonica, num.* 13. & constat etiam ex iis, quæ dixi *tom* 1. *Relig. q.* 1 *cap.* 24. §. 3. vbi probaui cum multis, quibus adde A S. Fausto *in thes. lib.* 6. *q.* 177. clericum choro destinatum, propter imperitiam, & alias causas, posse ad statum laïcorum transferri; Quicquid dicat Rodriguez *tom.* 3. *sum. c.* 194. *concl.* 13. Si autem choro destinatus sit in sacris, non potest quidem laïcus fieri, sed, si est imperitus, potest deobligari ab officio chori, & obligari ad officium laïcorum, iuxta priuilegium Clemen. VII. citat. quod de his loquitur.

FINIS TOMI PRIMI.





